



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

D O M I N I

CLEMENTIS

P A P Æ XI.

CONSTITUTIO

U N I G E N I T U S

Theologicè propugnata.

TOMUS QUARTUS









R O M Æ

Apud HIERONYMUM MAINARDI in Platea Montis Citatorii.

M D C C X X I V.

SUPERIORUM FACULTATE.

APPROBATIONES

THOMAS PHILIPPUS

TIT. S. CÆSAREI S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS DE ALSATIA,

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii &c.

QUam tandem apud omnes benè Catholicos, editis jam tribus egregiis voluminibus, laudem consecutus est Author Operis,cui titulus *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata*, eam modò titulis omnibus promeretur, dum tomo hoc quarto cæteros Paschasii Quesnelli perniciosos errores eâdem,qua priores,methodo,eâdem eruditione, & argumentorum soliditate convellit, ut nihil intactum inter centum, & unam Damnatas propositiones relinquat, quod non nervosissimè ad universæ Jansenianæ perversitatis confusionem refutatum sit; interim Constitutionis æquitate atque omnimodâ necessitate invictissimè stabilitâ. Causa pridem apud morigeros Ecclesiæ filios finita erat; exorti tamen refractarii,velum rebellioni obtendentes,explicationes postulare ausi sunt, quibus abundantissimè satisfecit eruditissimus Scriptor. Quid igitur reliquum est, nisi ut finito tandem etiam errore,ad unitatem orthodoxam postliminio redeant Protestantes & Appellantes, aut si receptâ Ecclesiæ praxi ad Matris gremium compelli nequeant, a communione Catholica segregati penitus rescindantur? Hunc præclarissimæ lucubrationis, quam absolutam Authori gratulari possumus, fructum speramus, atque adeò quartum hoc volumen æquè ac præcedentia, nostro suffragio approbata, luce publicâ dignissimum censemus.

Datum Mechliniæ in Palatio nostro Archiep. die 1. Mensis Martii 1724.

Tho. Cardinalis de Alsatia.

De mandato Eminentiss., ac Reverendiss. D. Cardinalis Archiepiscopi
A. C. de Smet Secretarius.

APPROBATIO

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D.

THOMÆ JOSEPHI A MONTIBUS

Nuper Archiepiscopi Seleuciæ, domestici Sanctitatis Suæ Prælati, Solii Pontificii Episcopi Assistentis; Coram Sanctissimo D. N. Episcoporum Examinatoris; Supremæ Romanæ Inquisitionis, & Congregationis Sacrorum Rituum Consultoris; Episcopi nunc Ovetensis,ad Episcopatum Carthaginensem & Murciensem nominati, Regiæ Catholicæ Majestati à Consiliis.

EXulto satis,& superabundo gaudio, uberesque Deo grates refero,quòd felix admodùm mihi sors obtigerit perlegendi, demirandi & approbandi non tantùm tres priores, sed & hunc quartum Tomum *Constitutionis Unigenitus Theologicè propugnatæ*: opus videlicèt jam absolutum, & ad tectum usque, ut ajunt, fastigiumque perductum; cui meritò inscribi possit illud Ezechielis: *Facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor*. Sanè cùm totius hujusmodi lucubrationis unus idemque sit Author R. P. Jacobus Fontana Soc. Jesu dignissimus Alumnus, quòcumque ingenii sui acrisque judicii oculos convertit, semper *Lustrat universa per circuitum*,semper, ut verbis utar Cassiodori, verum à falso discernit, & per diversa discurrens, semper æqualis incedit. Mirâ præterea dexteritate, parique utitur energiâ in refutandis Perduellium erroribus; ubique intelligentibus satis ostendens, Pontificiam *Constitutionem Unigenitus* ad sui robur & inconcussam authoritatem, nullatenùs indigere Congregatione Synodi. Inter adductos sæpius Ecclesiæ Doctores & Lumina, à nobis stant maximè Augustinus, & Petrus Damiani; Unus, qui contra epistolas Pelagianorum lib. 4. cap. 12. sic ait: [Quid est ergò quod dicunt de simplicibus Episcopis sine Congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? Numquid Beatissimis, & in Fide

Catholica excellentissimis Viris Cypriano & Ambrosio, ante istos, adversus istos extorta subscriptio est, quâ eorum impia dogmata tantâ manifestatione subvertunt, ut quæ contra eos manifestiora dicamus, vix invenire possimus? Aut verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquandò, nisi Synodi Congregatione, damnata sit; cùm potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt ---- Post factum igitur illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, vigilantiâ Pastorali conterendi sunt; Sive ut sanentur, atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur, adjuvante Pastore Pastorum &c.] Alter, nimirùm Petrus Damiani lib. 10. epist. 13. scribens ad Papam Alexandrum II., hæc habet, nullâ factâ Synodi cogendæ mentione: " Sicut ad Patremfamilias quælibet domesticæ facul-„ tatis jactura refertur; sic etiam dignum est, ut Summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio „ nuntietur; Ut sicut ab illo, prout vires suppetunt, ingruentibus domus suæ malis occurri-„ tur, ita nihilominùs & ab isto nutantis fidei fundamentum, vel etiam ordo religionis, qui „ confundi cæperat, instauretur. Nova, proh dolor! nostro tempore hæresis orta est, cui ni-„ si quantòcius authoritatis Vestræ se vigor objiciat, timendum est; ne ad Religionis Chri-„ stianæ perniciem, animarumq; periculum velut cancer feraliter serpat &c." Et in ejusdem Epistolæ calce subnectit: " His itaque Prædicatoribus Satanæ, & Apostolis Antichristi, Tu „ (Venerabilis Pater) cælestis eloquii gladio præcinctus occurre, & tamquam alter Josue „ Amalechitas oppugnantes Israel, Evaginato Canonici vigoris mucrone prosterne. Tol-„ latur è medio quantociùs tartareæ amaritudinis aconitum, ne (quod absit) ferale ve-„ nenum faucibus influat parvulorum. Tuis præterea manibus talis aromatici pigmenti „ quibusque languentibus propinetur antidotum, quod & venenati erroris tollat illuviem, „ & sanæ atque sinceræ fidei restituat veritatem". In tanti operis itaque commendatione non est quod multus sim; quo rationum pondere, quantis Sanctorum Patrum suffragiis scriptionem suam stabiliat, Lectorum advoco plausum, meritamque acclamationem; utpote qui satisſuperque cum prælaudato Cassiodoro noverunt, quod quæ hic habent à Scriptore suo distributa præconium, conjuncta referunt miraculum. Ita censeo Oveti in Palatio nostro Episcopali Kal. Julii 1724.

Thomas Josephus a Montibus Archiepiscopus, Episcopus Ovetensis.

APPROBATIO

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

PHILIPPI ERARDI VANDER NOOT

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Gandavensis, Domini Territorii Sancti Bavonis, Comitis Evergbemiensis.

Jansenismum nonesse merum phantasma, aut chimeram quorumdam in cerebro ex invidiâ confectam, sed veram realemque hæresim triginta ab hinc annis in Belgio eruditissimis suis lucubrationibus ostendit R. P. Jacobus de la Fontaine Societatis Jesu Lovanii Theologiæ Professor, novissimè verò in Bullâ *Unigenitus* theologicè propugnata, idem tribus primis Tomis in Urbe typis vaticanis publicæ luci datis invictè atque evidenter demonstravit, & venenum perniciosissimæ hæresis, quo scatet liber Instructionum Moralium Paschasii Quesnelli in discussis plerisque, protritisque 101. Propositionibus luce meridianâ clarius detexit.

Quarto hoc tomo eâdem ingenii subtilitate ac felicitate cæteras Propositiones enucleat, quæ instar serpentinæ caudæ sunt, nocentius toxicum continentis: nocentius, inquam, quia mentes illo infectas in phrenesim quamdam & rabiem concitat, Decem quippe ultimæ ludibrium potestatis Ecclesiasticæ, S. Sedis, ejusque in primis summi in terra Capitis contemptum, contumaciam, obstinationem, seditionem denique & rebellionem inspirant manifestam, Regnis æque Catholicis, ac ipsi Ecclesiæ timendam.

Hinc annis undecim, quibus prædicta Bulla à S. Sede legitimè promulgata & toto orbe Catholico gratanter acceptata, plurimos adhuc (proh dolor!) videre est qui eam livido dente

dente arrodere, eique ut tabidi canes oblatrare, pœnas Ecclesiasticas, seu sacra fulmina in eos contorta velut apri furiosi venabula mordere, & Serpentino Sibilo explodere, Ecclesiæ jugum excutere, ejusque viscera dilacerare non cessant,

Quid, quod non ita pridem ausu non solùm temerario; sed plusquàm phrenetico ipsum SS. D. N. Innocentium XIII, dum felicissimè ovile Christi gubernabat, sacrilegâ supplicatione interpellare non sunt veriti, ut authoritate suâ (de qua impiè sibi blandiebantur) interpositâ *Bullam Unigenitus* à Sanctissimo Prædecessore Clemente XI. tot lachrymis & precibus, tam longo, & maturo consilio, tanto studio, ac labore conceptam, conditamque, unanimi omnium Ecclesiarum consensu reverenter receptam, ipse convelleret, & (si superis placet) reprobaret, eo nimirum fine, ut Ecclesiæ totius Caput cum Capite committerent, ut ipsâ secum pugnante Ecclesiâ, triumpharet iniquitas, & abominatio desolationis pejor quàm prædicta à Daniele Propheta cerneretur in loco sancto, abominatio, inquam, qualis non fuit ab initio mundi, nec erit unquam teste Divino Christi oraculo; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, sed & confusio cooperuit facies eorum; experti sunt quod nullum perfidia ad Sancti Petri Cathedram habeat accessum, quod in hac solâ incorrupta Patrum servetur hæreditas fidei, in Innocentio XIII. superstitem Clementem repercre, imo ipsum Petrum uno ore in utroque loquentem: abominatio fuit illi oratio eorum: secundum stultitiam eorum respondit eis, & iteratò percussit illos in ore gladii, in gladio Domini, in virtute clavium & potestate Petro & Successoribus ejus à Christo concessa.

Ex impurissimo scilicet ac venenoso illorum hæreticorum Dogmatum fonte spiritum audaciæ ac furoris hauserunt: Quamquam verò postremæ Propositiones non signatè hæreseos notâ singulæ perstringi videantur, de eâ tamen suspectas, odiosas, temerarias, scandalosas, seditiosas, meritoque proscriptas & damnatas esse evincitur.

Quare clarissimorum virorum calculis & meum lubens appono, ac publicâ luce dignissimum opus censeo, perpetuum utilissimumque contra Schismaticos Ecclsiæ armamentarium. Salvo tamen S. Sedis, Christique Vicarii Benedicti XIII. judicio, quod pari cum authore modestiâ animique demissione veneror.

Voveo autem ut D. O. M. Orthodoxos Ecclesiæ suæ Doctores, fortissimos pugiles, acerrimos S. Sedis, ejusque supremæ authoritatis vindices (tanquam luminaria supra candelabrum hodiè Lucentia) diu sospites servet, animetque, ut quà voce, quà calamo os obstruant loquentium iniqua, contumaces conterant, errantes reducant, turbatamque Ecclesiæ pacem restituant. Quod si liceat exiguo incolatus mei tempore (87. quippe ago ætatis annum, Episcopatus 31.) conspicere, exultabundus cum justo Simeone ingeminabo: *Nunc dimittis servum tuum Domine*.

Datum Gandavi in Palatio nostro Episcopali 24. Junii 1724.

Philippus Erardus *Episcopus Gandavensis*.

A P P R O B A T I O

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

HENRICI JOSEPHI VAN SUSTEREN

Episcopi Brugensis, perpetui atque hæreditarii Flandriæ Cancellarii &c.

CUM nunc in lucem proditurus sit Tomus IV. præclarissimi Operis, cui titulus: *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata &c.* rursus exclamandum mihi esse duxi: ibi Fons Jacob. Fontis quippe qualitates, profunditas in eruditione, altitudo in prudentia, viventis aquæ abundantia in materia per totum istud opus ita elucet, ut, sicut ad Fontem Jacob quievit Unigenitus Dei Filius, ita sponsa ejus, Sancta nostra Mater Ecclesia, ad opus hoc speratæ Pacis lætitiâ meritò perfundi queat. Accedant ad hunc fontem *publicæ tranquillitatis perturbatores* animo, quo Mulier Samaritana Fontem Jacob, non contemptore veritatis, aquæ illius salientis in Vitam æternam; agnoscent ibi adultera sua, detegi dogmata: agnoscent, authorem illius operis, sicut Unigenitus Dei Filius ad Fontem Jacob, teste Augustino, *fidem Mulieris sitiebat*, Lectorum fidem unicè sitire: agnoscent Sponsam Christi supramemoratam Constitutionem Apostolicam ambabus ulnis bene amplexam fuisse, eamque à se malè turbari; tandem, si agnoscant donum Dei, instar mulieris illius, quæ, uti Ambrosius ait, *ad fontem meretrix advenerat, a Christi fonte casta regres-*

regressa fuit, *imo præco Christi*, & ipsi errorum puri, fideique integri, imo veritatis Præcones ad suos revertentur, mecumque totis animi medullis vovebunt, ut iste FONS JACOB scaturiat in vitam æternam, sive JACOB fiat aliquandò ISRAEL Visionis Beatificæ mercede æternùm fruens. Ita dabamus Brugis Flandrorum in Palatio nostro Episcopali hac 21. Julii 1724.

Henricus Josephus Episcopus Brugensis,

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

JOANNIS BAPTISTÆ DE SMET

Iprensium Episcopi &c.

JAnsenismum non inane esse hæresios figmentum; sed perniciosissimam impietatem ostendit pridem in Belgio eruditis lucubrationibus R. P. Jacobus de la Fontaine Societatis Jesu Sacræ Theologiæ Lovanii Professor, quod modò Romæ prosequitur, Constitutionem Unigenitus fortissimè propugnans. Tres primi Tomi, quos authoritate nostra lubenter confirmavimus, ob argumentorum & eruditionis copiam, disputandi methodum solidam simul & perspicuam, stylum non affectatum: sed candidum, & amœnum, placuere adeò, ut qui eos legere cœperint, majore prosequi semper cuperent aviditate. Adversariis autem quantumlibet aliàs ad vitilitigandum promptis & ferocibus, non satis animorum hactenus aut virium fuisse videatur, quo tam infesti sibi operis impugnationem susciperent. Prodit modò tomus quartus non inferiore robore & omnis generis præstantiâ conscriptus; a quo obstruendum ampliùs os loquentium iniqua, prorsus confidimus: aut si obdurati nimium & voluntariè obcæcati insanire etiam inposterum voluerint, ipsorum vesania palàm omnibus aperta, decipere Catholicos non poterit, & suis ineptiis irretire.

Ita censeo Ipris in Palatio nostro Episcopali die 26. Junii 1724.

Joannes Baptista *Episcopus Iprensis*.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Sacri Palatii Apostolici.

N. Baccarius Episcop. Bojanen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR;

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

APPROBATIO

Tomus quartus Operis inscripti *Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI. Pontificis Maximi Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata*, commissus examini fuerat prædecessoris & contubernalis mei Reverendissimi P. Magistri Dominici Perez, qui partem maximam diligenter lectam, eximiè,& meritò laudavit; sed cùm præoccupatus morte, discussionem absolvere non potuerit, hæc mihi cura imposita est à Reverendissimo Patre Gregorio Selleri Magistro Sacri Palatii: cujus voluntati obsequens, eundem tomum sedulò summàque cum jucunditate lustravi: suavissimum enim est in ipso intueri Jansenistarum atque Quesnellistarum omnium expositas blasphemias, non solum omnino eversas, atque exsufflatas; sed & eorundem hypocrisin detectam, insidias protritas, atque machinamenta confracta; ita ut invictis rationibus, & documentis lector animadvertere possit, non unicè prædictorum hæresim, sed & hæresis captiosa subdolaque effugia, olim a Tridentinis Patribus contra Calvinistas, & Lutheranos, & postea ab aliis Summis Pontificibus contra Bajum, Jansenium atque Molinos damnata, & anathematizata pluries fuisse, quos omnes, etsi secundum faciem diversos, caudas tamen habere colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, erudito calamo Autor hujus operis satis superque demonstrat,in eo quoque maximè laudandus quod prudentissime caverit,ne quid sibi excideret; quod scholarum Catholicarum opinionibus adversum videretur, præsertim S. Thomæ doctrinæ, quem sæpissime, ac semper debita veneratione laudat, ejusque auctoritate ad impugnandos debellandosq; errores frequenter utitur; ita ut nullus Angelici Doctoris germanus discipulus in hoc opere quidquam sibi minùs gratum deprehendere possit. Quapropter; cum nihil aliundè hoc opus habeat fidei, bonisque moribus adversum, & aliàs plurimum profuturum censeam, dignum judico quod in lucem edatur. Datum Romæ in Conventu Minervitano die 24. Octobris 1724.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Præd. Sacræ Congregationis Indicis Secretarius.

APPROBATIO

SI (a) *maxime, & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ annunciatam hominibus fidem,* quo modo Apostolicorum temporum Irenæus; sic & nunc, quibus decet honoris officiis, per Christianum Universum Orbem omnes excolerent; nullus vereor, quin (b) *eum Romanorum Pontificum decreto, cæterorum Opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur; quod Sedes Apostolica probavit, hodie teneretur acceptum, & quod illa repulit hactenus inefficax haberetur.* Adeò (c) *in his verbis Apostolicæ Sedis tàm antiqua,atque fundata, certa, & clara est Catholica fides, ut nefas sit ac illa dubitare Christiano,* ut præclarè jam diù scribebat Sanctissimus Pater Augustinus.

(a) S. Irenæus lib. 3. adversus Hæreses Cap. 3.

(b) Ex capite Romanorum dist. 19.

(c) S. Augustinus ad Optatū Epist. 190.

Non sic Ecclesiæ infortunio comparatum est modò ubique terrarum; tantum enim abest, ut Pontificia Oracula cuncta, è Petri Cathedra, licèt consultissimè data,quibus Tractatorum quorumdam, nefaria quamvis, configuntur opuscula, qua honoris lege par esset, prosequantur omnes Christiani nominis filii, ut non rari in quibusdam regionibus, Ecclesiæ simul, Reipublicæque perturbatores, eorum tentent majestatem incessere, veritatem fucis abscondere, labefactare authoritatem, adversus documenta etiam, pleorumque ipsorum Magistri Jansenii Episcopi Iprensis, qui in hoc egregius sensit, quod Romanus Pontifex (d) *supremus est omnium de Religione controversiarum Judex, cujus judicium rectum, verum, infallibile est, cum universa Ecclesia aliquid sub anathemate tenendum esse definit.* Non ità ejus omnes discipuli, quorum, & aliorum etiam plurium rebellium adversus celebrem *Unigenitus* nuncupatam Constitutionem, in Quesnelii centum, & unam propositiones, fallacissimumque ipsius opus nuper emissam, quot vidimus (e) *habentes speciem quidem Pietatis; virtutem autem ejus abnegantes,* adornatos (f) *volare libros, Urbibus, & Castellis pro luce ingeri tenebras, pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinari?* Audivimus rursus contagium (g) *pertransire de gente in gentem, & de regno in populum alterum,* ità ut (h) *Orbem Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt,*

(d) In Thesibus anno 1617. die 9. Octobris defensis pro laurea Doctorali obtinenda.

(e) 2. ad Tim. 3. v. 5.

(f) Ex S. Bernard. Epist. 189. ad Innocentium.

(g) Ex Psal. 104. v. 13.

(h) Ex S. Augusti. lib. 4. contra duas

Epist. Pelagian. cap. 12.

(i) Ex capite Ita Dominus dist. 19.

unt, contumacissimi iidem, sparsis, quà latè patet Christiana Europa, scriptionibus, (i) *saltem commovere conentur*, nequaquam intelligentes, quod *æterni ædificatio Templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consistit, hac Ecclesiam suam firmitate corroborante ipso Domino, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalere.*

Utinam verò aliquandò sapiant, deponantque sua præjudicia, præeunte eximiè ad ea profliganda Doctissimo Viro Patre Jacobo Fontaine, qui in malè natam, deteriùsque auctam colluviem libellorum istorum insurgens, sicut graviter, eruditè, acutè, tribus primis Constitutionis *Unigenitus* propugnatæ Theologicè Tomis, & Sanctam Sedem fortissimè vindicavit, & erroris munimenta erecta strenuè disiecit; sic hoc quarto Tomo supremam manum operi imponens, non impari eruditione, ac ingenio, tùm Sanctæ Sedis luculentas instituit vindicias, tùm quæ sibi novitius error paravit vafer latibula, invictissimè demolitur. Ad hæc præsenti Volumine indolem detegit Hostium Constitutionis, non turbulentam tantùm, sed & indomitam; contumeliosam seculo, contumeliosam Ecclesiæ, maledicam universis; Sacerdotio, & Imperio inimicam, si eis non sint in præsidium, spirantem schismata, si eis sint in formidinem; nihil demum negligentes, cujus sunt capaces, furoris si militent in eos ad pœnam, ut propterea non dubitem, quin si per alia Volumina id fieri potuit, ut Catholica veritas ab iis cognoscatur; per hoc amicis superis fiet, ut Catholici eos verè cognoscant, eorumque genium infidum, discantque gratulari alacriùs Ecclesiæ, quod Zizania hæc infestissima è medio Tritici eduxerit, & è Domini Campo, ubi seges electa est Patris Familias, prudentissimè jerit convulsum. Ità jussus à Rmo Patre Gregorio Selleri, Sac. Palatii Apostolici Magistro, ut quartum hunc Tomum legerem *Constitutionis Unigenitus Theologicè propugnatæ à P. Jacobo Fontaine Societatis Jesu Theologo*, censeo eundem dignissimè posse evulgari è Conventu S. Marcelli de Urbe die 21. Novembris 1724.

Fr. Petrus Maria Pieri Ordinis Servorum B. M. Virginis Procurator Generalis.

MONITUM AUTHORIS

Decreveram aliqua damnatarum propositionum confutationi, hìc terminatæ addere, ad totius perfectionem Operis conductura; sed nimium excrevisset tomi prolixitas. Quod differtur, non aufertur. Defectum supplere poterit Appendix; vel tomus quintus, si suis adversarii vindiciis, quas initio visi fuerant minitari, ampliorem suppeditent certaminibus materiam.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI. PONTIFICIS MAXIMI CONSTITUTIO UNIGENITUS,

Theologicè propugnata.

PARS IV.

Complectens decem ultimas Propositiones, & documenta circà Constitutionis acceptationem.

Nonagesima secunda Propositio damnata.

Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem. *Observat. Moral. Rom. 9. vers. 3.*

CAPUT I.

Proscriptus Articulus ejusque contrà Catholicos Galliæ Antistites defensio impugnatur.

1 DOCUMENTUM Pastorale centum Gallicanorum Antistitum: *Inter duo* (inquit) *extrema, quando alterutrum foret necessarium, indubiè potius ferenda esset excommunicatio, quàm prodenda veritas. Posterius enim nunquam licet. Verùm tempus & cæteræ circumstantiæ, in quibus enunciata est Propositio, satis indicant, communi & obviâ interpretatione, proditionem Veritatis referri ad Alexandrinæ Formulæ subscriptionem, quâ Jansenistæ Veritatem prodi, tradunt falsissime.*

Neque excommunicatio quælibet, in pace toleranda est; sed ea solùm, cujus injustitia & valoris defectus nullâ valeat ratione, nullo testimonio comprobari. Aliàs permittenda non est privatio Sacramentorum; quin & censeretur eorum contemptus; si quis adeò salubres gratiarum fontes non curaret sibi cum fidelium Societate restitui.

Exemplum quod adducitur S. Pauli, cum is nunquam excommunicationem subjerit, mera illusio est.

Quid ad hæc adversarius? Exultare se simulat, quasi partâ Victoriâ, quod Episcopi illi agnoscant, non esse dubium, quin inter duo extrema, si electio necessariò facienda sit, potiùs in pace sit toleranda excommunicatio, quàm veritas prodenda. *Istud* (inquit) *ad rejiciendam Constitutionem sufficit; non enim damnata Propositio aliud enuntiat. Quod Episcopi addunt de tempore & aliis circumstantiis, quibus proditio veritatis interpretatione obviâ applicetur subscriptioni Formulæ Alexandrinæ contra Jansenium, est judicium temerarium; neque ad rem pertinet; cùm nequidem inde inferretur aliud, quàm prava scriptoris* (Quesnelli) *intentio; sed nec inde sequitur, Propositionem veritate destitui: Non igitur condemnari potuit.*

Ita Aduersarius, in quo mirabilis appareret, nisi foret novæ Sectæ propria mentiendi impudentia. Cujus enim oculos fu-

gere in Galliis & Belgio potuit immensa illa copia libellorum, in quibus simplex & illimitata Formulæ Alexandrinæ subscriptio vocatur Augustinianæ doctrinæ abdicatio, falsum & perjurio firmatum testimonium, enormis adversus Jansenium calumnia, certissima ac prorsùs catholicę proditio, dejectio, subversio veritatis?

Quis igitur quotidianarum istiusmodi declamationum conscius, non miretur adversarii confidentiam, audentis centum Episcopos arguere *judicii temerarii*, dum proditionem veritatis interpretatione tam obviâ à Quesnello Jansenistarum principe applicari sentiunt Alexandrinæ Formulæ subscriptioni?

Nulla hîc, ut patet, temeritatis species: neque ullus disceptationum, tamdiu Gallias turbantium, non penitùs ignarus, alterius hîc proditionem veritatis intelliget; vel intelligi à Quesnello arbitrabitur, quàm Jansenianæ. Ea scilicet est, quæ juxta illum & Socios subscriptione Formulæ ejuratur. Eadem est pro cujus defensione privatio Sacramentorum tot annis fuit à tot Virginibus fatuis Portus-Regii etiam in mortis articulo pertinacissimè tolerata.

Morales Observationes, *Compendium Moralis Evangelicæ*, non speculationes abstractas à rerum existentia, non conceptus Theoricos; sed documenta, ut conspicimus ethicę, ad directionem morum pertinentia Quesnellus Lectoribus tradere voluit; ubinam autem usum obtinere *Observatio* damnata potuit hoc tempore, præterquam in recusando juramento; sive subscriptione Formulæ contra doctrinam Jansenii? Non enim palàm alia nunc obtenditur proditio veritatis imperata, sub excommunicationis in refractarios pęna.

Aliud foret, si redirent Arianorum tempora, quibus mundus miraretur se parte non minimâ Arianum, quibus prævalente hæreticorum potentiâ, qui Arianæ formulæ subscribere noluisset, pellebatur Sede Episcopus, & excommunicationis hæreticæ sententiam effugere non poterat. At quis modo apud nos Episcopus proditionem veritatis sub excommunicatione exigit?

Admissio Constitutionis Pontificiæ & dogmaticæ, fidem Catholicam contra novam hęresim definientis, ab aliquo magni nominis Antistite prohibita quidèm fuit sub pęna suspensionis, exemplo novo, & in Ecclesia hactenus inaudito; Verùm Excommunicationis pœnam vel ab isto Antistite vibrari nondum audivimus. Neque in exemplo isto rarissimo, nec minùs scandaloso, præscribitur proditio veritatis; sed debitâ obedientia, & condemnatio falsitatis prohibetur. Evidens itaque est, *Proditionem Veritatis* in Quesnelli sensu esse subscriptionem Alexandrinæ Formulæ simplicem, præcisâ omni distinctione atque exceptione à Romano Pontifice, & Galliæ Episcopis imperatam.

Quid autem memoratam in sexu, aliàs vario semper ac mutabili, pertinaciam posteris vix credibilem, animavit, firmavitque contra supremam Ecclesię & seculi potestatem; Sedem scilicet Apostolicam, & Regem Christianissimum, contra Statutam legitimâ authoritate legem, ab Episcopis passim, etiam Parisiensi propositam, jussamque sub lethalis criminis culpa, ac pœna anathematis observari? Nonne istud à Jansenianis inculcatum directoribus documentum, *Pati potius, in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum*?

Quoniam autem adversarius Propositionem nullam damnari patitur, nisi falsitatis aliquid contineat; Quæro ubinam Sanctum Paulum excommunicatum invenerit? Ubi & à quo excommunicatum, quia prodere noluerit veritatem? Ubi tranquillam ejus in tali ferenda excommunicatione constantiam, ut omnibus suggeri meruerit ad exemplum?

Non tam rigidi solebant adversarii esse censurarum interpretes: negabant aliàs ex Decreto Alexandri VIII. contra Propositiones 31., & ex Constitutione Pii V. contra Baii Articulos rectè deduci omnium illic proscriptorum dogmatum falsitatem, quia censuræ utrobique enuntiantur *respectivè*, ut non necesse sit, censuras omnes singulis propositionibus convenire.

Clementina Constitutio addit sub eodem *respectivè* termino *captiosas*, *malè sonantes*, *scandalosas*: malè sonare autem, inquiebant adversarii, potest subinde quædam veritas, infirmitate, vel ignorantiâ audientium in scandalum verti.

Sic Jansenius in manuscripto codice pag. 1. *Ad excusandas*, ajebat, *propositiones Magistri Michaelis* (Bail) *observanda sunt . . . . Tertium non esse omnes ut hæreticas rejectas; sed respectivè ut hæreticas, scandalosas, malè sonantes, periculosas &c. Sic autem possunt improbari propositiones etiam veræ, quæ propterea tamen non sunt definitæ* (falsæ) *etsi tenendæ sunt pro illo tempore esse tales, quales definiuntur. Tales enim definitiones sæpè exigunt temporum circumstantiæ, ut in Hispania de Beata Virgine propter populi tumultum. Et hic habere locum-*

eum potuit, ut satisfieret doctrinæ tunc communi à Philosophis haustæ, à scholis defensæ, quibus, antequam veritas eum suis fundamentis patefieret, adhærendum censebatur, ut licentia coerceretur.

Quæ descripta à me ex ipso Jansenii authographo plura quidem continent falsa, & absurda, præcipuè cum dicitur Pius V. Propositiones Baii aliquas prohibuisse, ut satisfieret doctrinæ à Philosophis haustæ, & aliquando futurum ut contraria definitionibus Pontificiis veritas cum suis fundamentis patefiat, atque adeò de Constitutione Bajanismus aliàs triumphet. Verùm in eo saltem quod ait Jansenius, propositiones quandoque veras posse prohiberi, adversatur hodiernis ejus discipulis.

Sed alius hoc tempore novæ Sectæ placet modus, dogmata sua post censuras atque adversus anathemata instaurandi, quàm olim. Tunc nondum satis firmatis viribus fallaciâ potius & stratagemate, quàm aperto marte adversus Constitutiones Apostolicas pugnandum videbatur: tunc simulanda erat erga eas reverentia, ideoque Propositionibus damnatis affingendus sensus aliquis, quantumlibet peregrinus, & à significatione obvia alienus, in quem Vaticanum detonuisse persuaderetur: nunc factio aucta adhærentium multitudine, & præpotentium viribus patronorum, existimat Constitutionem Clementinam, non solis eludendam mendaciis; sed conquisitis undique argumentis, contumeliis, satyris directissimè impetendam, vellicandam, explodendam, neque Pontifici & quibuscumque ejus defensoribus, Episcopis, Cardinalibus parcendum, venerationis pristinæ simulatione in apertam ac publicam versâ rabiem.

Ægrè nihilominùs ferunt, se hæreticos vocari, imo vel de hæresi suspectos; quamvis Concilium Tridentinum istam in ferenda excommunicatione tranquillitatem sufficiens statuat fundandæ istiusmodi suspicioni argumentum Sess. 15. cap. 3. his verbis: *Excommunicatus verò quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solùm ad Sacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo censuris innexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit.*

S. Raymundus lib. 3. §. 33. *Excommunicato injustè* (inquit) *est consulendum, ut sustineat excommunicationem patienter, humiliter, ac devotè, & præsentet se excommunicatori offerens canonicam satisfactionem; si in aliquo offendit, & sic instanter postulet absolvi.*

Idèm docet S. Antoninus 3. part. summæ tit. 24. cap. 73. Eadem communissima Theologorum & Canonistarum sententia est. Non igitur Quesnelliana ista in excommunicationibus patientia, quantumlibet pacis adornata pallio, ædificationi sufficit & conscientiæ, sed procuranda quamprimùm fieri poterit, reconciliatio cum Ecclesia, & restitutio Sacramentorum. Hujus autem neglectus, in quo sita est Janseniana in anathemate tranquillitas, schismaticum legitimæ potestatis contemptum potiùs indicat, quàm dignam Christiano modestiam ac Religionem.

Forsitan vociferabitur adversarius, protestando, Articulum damnatum explicari perperàm, quasi absolutè & simpliciter approbet quietam excommunicationis tolerantiam; supponitur (inquiet) nisi prodita veritate vitari anathema non posse. Sed hodierna maximè novit Ecclesia, quid *proditæ veritatis* nomine à Neotericis istiusmodi intelligatur, fidei nempè ab Alexandro VII. contra Jansenianam hæresim constituta professio: neque latet, quos in simplicium animis fructus illud pietatis Jansenianæ monitum producere soleat; rebellionem scilicet contra Sedis Apostolicæ mandata obstinatissimam, perpetuam à Sacramentis abstinentiam, aut usum sacrilegum, obdurationem in criminibus, ac demùm vitæ perditæ luctuosissimum exitum. Quapropter funestæ adeò arboris radicem, Constitutionis Apostolicæ securi meritò præcidendam duxit Divina per Clementem XI. Providentia.

CAPUT II.

Jansenianæ hypocrisis ac veræ rebellionis contra Ecclesiæ censuras author præcipuus ostenditur post Saneyranum Antonius Arnaldus.

1 JActata à Quesnello adeò magnificè, sua suorumque pacifica in tolerandis Ecclesiæ censuris patientia, cum horrore erigendi se contra authoritatem, aut scindendi unitatem, non inanis solùm & mendax gloriatio est, quâ Sacrilegæ impietatis magistri junctum hæresi schisma obvelare gestiunt pacificæ nomine charitatis; Sed perniciosa etiam hypocrisis, quâ miserè circumventi simplices, veram contra Ecclesiæ Præpositos rebellionem in perfidis ducibus, velut Christianæ normam patientiæ suspiciunt, & exitiali consilio imitantur, contra omnia Ecclesiæ anathemata obdurandi.

Quapropter operæ pretium, & publicæ plurimùm utilitati, simplicibus quodammo-

do necessariæ conducturum existimo, si infrunitum, nobis adversantium animum, & omnis, quæ sub sole est, authoritatis facilè contemptorem, relatis aliquot speciminibus reddidero manifestum.

De spreta ab iis laicorum Principum potestate, locus opportunior differendi dabitur ad Propositionem 96. *Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*. Ideo ad solam hîc authoritatis Ecclesiasticæ proculcationem, & Censurarum omnium contemptum oratio restringenda est.

Ne verò multitudo pariat confusionem, ordinem mihi aliquem præscribere conabor rebellium magistrorum, & contemptorum à singulis anathematum. Ordio à Joanne Vergerio Sancti Cygirani Abbate Commendatario vulgò *Sancyrano* qui primus reformationis obtentu, rebellionis apertius Vexillum extulit.

Horrida quidèm sentiebat & suis inspirabat discipulis dogmata, quibus fides convellitur catholica, omnis detrahitur authoritas Tridentino Concilio, & proinde cunctis ejus definitionibus, cunctis anathematum vibrationibus in pertinaces hæresum dissemi-natores.

Non ibi terminum fixit nequitia; sed omnem penitùs subruere molita est præsentis Ecclesiæ authoritatem, quemadmodum ex gravissimis plurium, etiam Antistitum testimoniis accepimus, quale inter cætera est Episcopi Lingonensis, datum anno 1638. die 10. Julii, juxta quod Sancyranus asseruit *Concilium Tridentinum non fuisse verum Concilium, quia celebratum non fuit juxta normam Conciliorum veterum. Non posse haberi fidem ejus definitionibus: Sacramentum Pænitentiæ non delere peccata: Verba Absolutionis non operari remissionem, sed declarare tantùm.*

Ex Illustrissimo Francisco de Caulet Apamiensi Episcopo habetur, quod Sancyranus docuerit, *jam eluxisse tempus destructionis Ecclesiæ.*

Ex jurato testimonio Religiosissimi Abbatis Joannis de Jovaud Ordinis Cistercienfis dato 1638. 17. Junii, affirmatum à Sancyrano, *Ecclesiæ nomine non rectè intelligi cætum fidelium, compositum ex Summo Pontifice, Prælatis, Doctoribus, Presbyteris, Religiosis & populo: Ecclesiam iis tantùm rebus consistere, quæ fuerunt ante sex secula superiora: Præsentem Congregationem Pontificis, Prælatorum, Pastorum, Doctorum, Religiosorum & populi, quos videmus vivere sub iisdem legibus, non alio sensu dici posse Ecclesiam, quàm quod in locum veræ Ecclesiæ successerit: Ecclesiæ corruptionem non solùm in moribus esse; Sed in pluribus etiam dogmatibus: Perpaucos esse, qui Ecclesiæ filii dici mereantur: Ex doctrina Patrum & Conciliorum demonstrari, usque ad quæ secula duraverit vera Ecclesia, quo tempore destrui cæpta sit: Deum ipsum dissolvisse Ecclesiam: Tempus ædificandi transiisse: Episcopos, Ecclesiasticos, Religiosos, plerosque Spiritu Christianismi, Spiritu gratiæ & Ecclesiæ destitutos esse: Incumbendum in ruinam Theologiæ Scholasticæ: ipsum S. Thomam veram Theologiam humanis ratiociniis, et Aristotelicis principiis depravasse.*

Fundamentum hic conspicis apertum, lector Catholice, supra quod prætensa Ecclesiæ præsentis reformatio, vel novæ extructio ab adversariis stabiliatur. Nonne evidens est Arnaldum, Quesnellum, & quoscumque similes Sancyrani discipulos, hinc didicisse erigere se contra authoritatem, scindere unitatem; & quoties aliqua contra eos, vel eorum dogmata fertur *excommunicatio* seu *anathema*, illud contemnere tanquam *injustum*?

Sic illud excipere, ut ajunt, *pacificè*, despiciendo scilicet, monentur utriusque Sexus juvenes, præcipuè Moniales, & quibuscumque scribendi, vel vociferandi contra definitiones Ecclesiæ & anathemata defuerit facultas. Inde tamen minimè impeditur idonea Jansenistarum ad scribendum Congregatio, quin stylum exerat, & quibuscumque potest modis, maximè contumeliis, satyris, mendaciis, Constitutiones Pontificias atque anathemata vellicet ac dilaceret.

Denique hæc agendi ratio, qualicumque à nobis nomine proprio appelletur, irreverens, turbulenta, & Schismatica, Quesnello semper erit *pacifica*, & omni ex parte laudabilis, sive ut præsens exprimit Articulus, erit *pati potius in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem*, erit *imitari S. Paulum; tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

At Sancyranus, si minus forsitan æternorum, temporalium saltem suppliciorum formidine à propalandis temerè novitatibus absterrebatur; Sed ea veluti minimè divulganda mysteria, fidis auribus clanculum ingerebat.

Ita jurejurando de eo testatus est anno 1638. Joannes de Jovaud Cisterciensium Abbas citatus supra: "Vehementer commenda-„ bat (inquit) ut sententias à se propo-„ sitas, nemini proderem, allegans illud „ ex Sacris paginis, *occultè propter metum* „ *Judæorum*. Quocirca referebat historiam „ se

„ se inter & alium Ecclesiasticum peractam. „ Verebar (ajebat) ne quæ ipsi communica„ veram dogmata, denuntiaret Episcopo „ Pictaviensi, aut alteri: quod ut impedirem, „ statim hominem rogavi, ut confessionem „ meam Sacramentalem exciperet. Ille pri„ mùm hæsit attonitus tam subitâ & inex„ pectatâ postulatione; aures tamen confiten„ ti mox præbuit. Confitebar autem deli„ quisse me, talia ei dogmata inculcando, „ rogabamque ut ab hoc delicto me absol„ veret. Sic hominem ad arcanum obstringe„ bam, quod alioquin servare non potuisset. „ Hæc Sancyranus narrans adeò effundeba„ tur in risum, ut nunquam eum cum tanta „ dissolutione ridentem conspexerim. Ne„ que risum continebat Dominus Barcos „ ejus Nepos".

Nonne istud est impiè ludere in re Sanctissima, & Pænitentiæ Sacramentum nefando contaminare Sacrilegio? Ubi tale reformatrici Ecclesiæ fundamentum est, quale supponi sapienter poterit ædificium? Sed cùm in ore duorum aut trium testium stet omne verbum, Abbati duos jungo Illustrissimos Episcopos.

Eodem anno 1638. D. Franciscus de Caulet Episcopus Apamiensis de Sancyrano, etiam jurejurando testatus est, quod novo aliquo dogmate insinuato, mox adderet, *Sed cave id ulli dixeris, aut prolatum à me fuisse pernegabo... Talia mihi ab ipso proposita fuere, ex quibus statim certò judicavi, eum esse hominem periculosum, utpote Novatorem, assiduum sui laudatorem, & contemptorem aliorum omnium. Suspecta quoque mihi erat tam studiosa Silentii inculcatio ad pleraque, quæ proferebat dogmata, quæ dicebat, se negaturum omnia, si à me cuipiam proderentur.*

Ibid. *Hoc præterea prorsus mihi exploratum est, eos omnes, qui se Sancyrani directioni subjecerant, eò redactos ab eo fuisse, ut cum ipso solo agerent... jubebantur omni abstinere ratiocinio, quo dogmatum Novitas discuteretur, & arcebantur ab aliorum hominum consuetudine. Denique persuadet Sancyranus omnes homines falli, ideoque meritò à se prohiberi, ne ullum præter se solum consulant, nec ulli à se dicta communicent. Hæc ita se habere, patet ex iis omnibus, quibus arcta fuit cum Sancyrano necessitudo: aspectum omnium fugiunt, nec se ab aliis videri patiuntur.* Succedat iterùm testimonium Lingonensis Episcopi: *Monasterio (inquit) à Sanctissimo Sacramento præerat Maria Angelica Arnaldi Soror. Huic Sancyranus præcipiebat, ut suas cogitationes, quas ei prodebat, nemini indicaret; me inprimis celaret modum, quo in ejus directione utebatur, quamvis nulla penès Sancyranum, omnis penes me in Monasterium illud esset potestas... Crevit in Sancyrano adversus me odium, quando scivit, occulta sua Mysteria a me revelari. Mysteria voco arcanas ejus sententias in dogmaticis*: quarum aliquas ibi horridas Episcopus refert, & nos supra indicavimus.

Ita contra Ecclesiæ tela fidem suam texit Sancyranus, Jansenii primùm, dein, & Arnaldi funestissimus institutor, successu tamen dispari, quòd Jansenium viderit ante mortem judicio se Pontificis submittentem; Arnaldum verò post fata sua reliquerit in novitatibus obfirmatum, nullique certum cedere authoritati.

Priùs non minor videbatur cura Jansenio, ut sui Operis editionem, antequam finiretur, celaret Ecclesiam, quàm Sancyrano, ne suæ contrà eam molitiones innotescerent; priusquam sat viribus roborata Factio, ipsisque jam Pontificibus terribilis conspiceret, nihil aut perparum sibi ab Ecclesiæ judicibus metuendum.

Verùm Divinæ placuit misericordiæ, antequam ad suum evocaret Tribunal Jansenium, potentissimo eum gratiæ victricis auxilio, ad debitam Christi Vicario adducere obedientiam, ut, licèt ab illo Antistite tanquam authore famosi voluminis, contentæque in ipso multiplicis hæresis, nova secta sortita fuerit appellationem; attamen in quantum authoris submissio videtur hæresim ab eo omnem, damnatumque divellere errorem, utpote declaratione Catholicâ, prout oportuit, retractatum, debuerat secta pertinax, atque inde propriè hæretica, ab obstinatis potius defensoribus, quàm à Jansenio, suam ducere denominationem.

Sed quoniam vulgo placuit, præteritâ authoris submissione, ab ipso nihilominus appellationem desumere, nolim contra usum communem litigare de nomine, atque ita maneat ejus qualiscunque possessio, dummodo teneatur memoriâ aureum monitum Vincentii Lirinensis in Commonitorio cap. 11. *O rerum mira conversio! Authores ejusdem opinionis catholici; consectatores verò hæretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur discipuli. Conscriptores librorum Filii Regni erunt; Assertores verò gehenna suscipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium, & Episcoporum & Martyrum lumen, Beatissimum Cyprianum cum cæteris collegis suis, in æternum dubitet regnaturum cum Christo? Aut quis contrà tam Sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius authoritate Concilii rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsu-*

ursuros esse tum Diabolo?

Accedat huc animadversio Cardinalis Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri Disput.19.Sect.3.ubi citatâ eâ Vincentii sententiâ, ait: *Timeant igitur Sectatores Baii & Jansenii, quicumque ii sint, ne fortè, utroque ipsorum prodromo, labe hæresios formalis exempto ob quandam bonam fidem, aut subjectionem animi erga judicium Romani Pontificis, ipsi è contra, eam subeant instar Donatistarum, & æterno igne ardeant.*

De Arnaldo quoque retulit Anonymus in *Causa Arnaldina* Notionem aliquam libertatis non abhorrentem à communi, neque à Jansenio traditæ consentientem ipso judice Gerberonio, qui propterea adversus eam vehementiùs declamitat opusculo cui titulus est: *Notationes brevissimæ in notionem humanæ libertatis ab Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico delineatam.*

Illic de Arnaldo dicitur; *Paucis ante obitum annis, si* (Anonymo) *relatori fides est, fortissimum hunc Augustini vindicem, in conciliandа gratia cum libertate, ab Augustini castris ad aliena, nescio quæ, transvolasse stupent ac dolent ejus commilitones, rident, & improperant ejus æmuli.*

Quandoquidem autem, ut pridem observavit Steyaertius, *Notis in quinque Propositiones Jansenii*, talis notio libertatis, etiamsi admissa à Jansenio foret, nequaquam eum eximeret ab ullo è quinque erroribus condemnatis; ita neque Arnaldum, totius Jansenismi notissimum atque perpetuum approbatorem, ab ejus culpâ poterit & infamiâ liberare.

Cogor itaque Arnaldum, maximè post partem nonam *Propositarum Steyaertio Difficultatum*, quâ nihil cogitari potuit magis Schismaticum, agnoscere, quasi totius rebellis contra Ecclesiam exercitûs ducem, in quo judicio neminem ex Orthodoxis arbitror mihi fore contrarium, saltem ubi, quæ ex variis ejus lucubrationibus produco specimina, consideravit.

Post condemnatum ab Urbano VIII. Jansenii librum, tanquam *multas ex Propositionibus* à Pio V. & Gregorio XIII. *olim damnatis continentem, & magno cum catholicorum scandalo & authoritatis dictæ Sedis* (Apostolicæ) *contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendentem ... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ & fidei Catholicæ perniciem vertenti*, Arnaldus minimè reveritus anathema, anno 1644. triennio scilicet post condemnationem, Apologiam pro eodem libro edidit audacissimam, quam anno 1645. secuta est altera priorem superans temeritate.

In prioris præfatione dicitur, *Accusationes, ob quas Urbanus VIII. Jansenianі voluminis lectionem probibuit, fuerunt falsæ.* Ibid. *Informationes falsæ datæ sunt Pontifici; Quasi liber Jansenii in Belgio Catholicis esset scandalo.* Ibidem *Jansenii Propositiones condemnari nequeunt tanquam hæreticæ, vel erroneæ; nisi Sancta Sedes & Ecclesia universa de approbatis erroribus atque hæresibus accusentur; Quia doctrina Jansenii continet principia fundamentalia doctrinæ S. Augustini toties à Sede Apostolica approbatæ.*

Et quidem *Sancti Augustini doctrina ab Iprensi Antistite fortissimè stabilita est, eamque verè cælestem, ut solidissimè, ita & clarissimè exposuit. Non potest autem sine voluntaria obcæcatione & portentosa pertinacia negari, Articulos Baii, qui reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia doctrinæ S. Augustini.* Denique *Iprensis Antistitis doctrina, non est alia quàm Hipponensis.*

Ita nos credere jubet, novæ Magister præcipuus Ecclesiæ: Ita *non erigere nos contra authoritatem, non scindere unitatem.* Ita docet nos *imitari Paulum* Apostolum, &, *pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum*, quàm *prodere veritatem.* Quod enim à Quesnello tanquam novi præcone Evangelii documentum accepimus, indubiè is à Magistro suo domestico didicerat, inferioribus tunc Discipulis, & Posteris tradendum.

Quod autem ad Propositiones attinet, quæ posteà ab Innocentio X. Alexandro VII. & sequentibus Pontificibus condemnatæ sunt, ne quis eas accusare præsumeret, Arnaldus defendendas suscepit maximè Apologiâ 2.lib. 3.pag.5. dicens: *Sexcentis locis Augustinus docuit, præcipi à Deo sæpissimè, quæ homini corrupto sunt impossibilia, & non dari gratiam, quâ valeant adimpleri.* Pag.6. *Impotentia servandi præcepta non solùm est in excæcatis, obduratis, & infidelibus (quod luce clarius est) sed etiam in Fidelibus & justis.*

Pro tertiâ Jansenii Propositione est illud Apologiæ 1. pag.384. *S. Augustinus sæpe declaravit, quòd illud, ubi est necessitas, ibi non est peccatum, non habeat locum, nisi ante lapsum hominis, agnoscens post lapsum ante statum gratiæ dari necessitatem peccandi, quæ peccatores non excuset.* Pag.391. *Illud ubi est necessitas, non est peccatum, nonest verum, nisi respectu primi peccati.*

Non progredior ad alias ex quinque Jansenii Propositionibus ab Innocentio X. proscriptis, quia utraque Arnaldi Apologia, anathema illud annis aliquot antecessit; neque de relatorum jam dogmatum resuscitatione

tione Apologias arguerem, nisi eadem eum damnatis antea Baii erroribus connecterentur. Verùm excusari nequit, quod post terrificum adeò anathema contra Baii Articulos, eosdem conculcatis Ecclesiæ prohibitionibus impudenter sibi Arnaldus sumpserit vindicandos, nominatim & hunc 25. *omnia opera infidelium sunt peccata*.

Scopum Janseniani voluminis fuisse, proscripta Baji dogmata reducere, fuerat à Sapientibus pridem, conjecturâ in ipso toto Jansenii Opere fundatissimâ judicatum. Omnis autem de hoc dubitatio sublata est Codice à Jansenio manu propriâ exarato, in quem ante compositionem Operis, rudi modo materiem congesserat, undè postmodum Opus limâ politum accuratiore conficeret. Codicis hujus initio statim consilium, & totius instituтum secuturi Operis brevi periodo complectitur: *Ad defendendas* (inquit) *Propositiones Magistri Michaëlis* (Baji).

Tum ibi sequitur quidquid cavillorum, versutia novaturiens potuit comminisci. Verùm secuta dein sanior declaratio, & iterata à Jansenio sæpiùs, etiam publicis Testamenti tabulis, erga Pontificem obedientia, totiusque submissio Operis, pacem, ut confidimus, dederit defuncti Manibus & salutem.

At quomodo Arnaldi excusabitur Apologia, quæ post humilem Jansenii submissionem, & in ea obitum; post secutam etiam triennio sequenti cum gravibus adeò censuris, voluminis condemnationem, asserere non dubitat, quod *sicut Deus Salomoni reservaverat ædificationem Templi, ita materia de Gratia, per quam Christus in animis Fidelium, tanquam in suo templo regnat, à Deo fuerit Antistiti Iprensium Jansenio reservata, ut clariùs dilucidaretur*?

Arnaldum alia sua Opera reum faciunt Jansenianæ hæresios, etiam post Innocentii X. & Alexandri VII. anathemata propugnatæ. Damnari siquidem à Pontifice anno 1657. die 15. Septembris meruit Epistola Arnaldi Secunda ad Ducem & Parem Franciæ. Si crimen Epistolæ quæris, sufficiens pandit Facultas Theologica Parisiensis centum & triginta Doctorum Suffragiis in Comitiis Generalibus anno 1656. die ultima Januarii, eam feriens in duabus ex eâdem decerptis Propositionibus; quarum prima est: *Defuit Petro tentato gratia, sinè qua nihil potcrat*. Secunda, quæ prolixius in censura describitur, affirmat, Quinque Propositiones, damnatas ab Innocentio X. in Jansenii Volumine non reperiri.

Prior Arnaldi enuntiatio declarata fuit *temeraria, impia, blasphema anathemate damnata & hæretica*. Posterior *temeraria, scandalosa, injuriosa Pontifici & Episcopis Galliæ, atque etiam præbere occasionem renovandæ ex integro post damnationem Jansenii doctrinæ*.

Neque illud judicium præcipitis consilii fœtus est; sed examinis accurati, atque deliberationis maximè maturæ, ut testatur eadem Facultas, se *per duos menses integros de re tota, habitis ferè quotidie apud eandem Sorbonam solemnibus Comitiis, deliberasse*.

Quid ad hæc Arnaldus? submisitne se judicio tam gravi, tam Sapienti? Horruitne rebellione publica *se erigere contra authoritatem, aut scindere unitatem*? Oppositum testantur illius temporis Acta Sorbonica cum Decreto ut sequitur.

„ Optaret sanè, & ex animo optaret Sacra Facultas, prædicti Magistri Antonii Arnaud, damnatâ doctrinâ, personam servari; quippe sibi charissimam tanquam filium matri: & eam in rem sæpe ipsum per amicos hortata est, ut veniret ad Comitia; matri se subjiceret, ejuraretque falsam & pestilentem doctrinam, idem cum ea sentiret, atque unanimis & uno cum ea corde & ore honorificaret Deum & Patrem Domini Nostri Jesu Christi. Verùm non modo amantissimæ Parentis suæ consilia & hortamenta contempsit: sed etiam die vigesimâ septimâ præsentis mensis per apparitorem regium eidem Facultati significavit, se pro nihilo ac nullo habere, quidquid ipsa in re præsenti egisset, facturaque esset. „

„ Quare eadem Facultas ipsum à sinu suo repellendum, expungendumque ex albo Doctorum suorum, atque à Corpore suo planè resecandum censuit, ut ipso facto repulsum, expunctum, resectumque declarat, nisi intra diem decimum quintum mensis Februarii proximè sequentis mentem suam mutaverit, & huic præsenti Censuræ subscripserit coram Domino Decano, Illustrissimis Episcopis, Doctoribus, & prædictis Deputatis. „

A mutanda mente & præstanda Matri suæ obedientia alienus adeò fuit hic Filius discolus, ut censuram ipsam perulantibus flagellaverit responsis. Epistolam & alterum Libellum Apologeticum ad Facultatem Theologicam in Sorbona congregatam die 17. Januarii 1656. direxit; Sed Alexander VII. condemnavit simul cum duabus aliis Arnaldi lucubrationibus ad Sorbonam missis die 6. & 10. Septembris 1655.

Neque finis hic Schismatis fuit. Anno 1656. Apologiam alteram Facultati Arnaldus oppo-

opposuit, & reliquum vitæ cursum in rebellione pertinax, e Galliis profugus, in Bruxellensibus latebris terminare maluit, retentâ hæresios infamiâ, quàm debitâ se obedientiâ probare Catholicum. Inter ultimos ingenii ejus Schismatici fructus, fuit Opus *Difficultatum propositarum Domino Steyaert*, novem partibus Constans, quo nullum contra Apostolicas Constitutiones ab hæreticorum Principe edi potuit contumeliosius. Propterea Romæ expressis in Decreto partibus singulis, condemnatum est.

Mirabilis autem fuerit in homine tunc octogenario cæcitas vel obduratio, quod satis conscius, parum sibi superesse temporis ad pœnitentiam, eâ sepositâ, vitam in obstinato hæresios patrocinio transactam, claudere voluerit, non retractatione, ut oportuit, præcedentium errorum; sed additione recentium, atque ita criminum ad Summi tribunal Judicis mox deferendorum cumulo, haud levia addere incrementa.

De cæteris ejus moribus non ago, quos nunquam habui exploratos; sed de inobedientia contra Ecclesiam in dogmaticis multiplici, ad obitum usque pertinacissimè productâ. Ne calumniari videar, & excessuum ejus, ultrà demeritum extendere seu multitudinem, seu gravitatem, sola mihi *Pars nona Difficultatum Steyaertio propositarum*, abundè sufficiet.

Constat ea paginis trecentis, & quinquaginta sex, quarum vix ulla est, quæ non aliquid irreverentiæ singularis, contumeliæ, temeritatis contra Sedis Apostolicæ Tribunal ac judicia protrudat. Specimina non pauca tomis superioribus, ut materiarum diversitas postulabat à me relata sunt; Sed quoniam Lectores communiter neque locorum satis meminere, tomis pluribus dispersorum, neque textuum hinc indè conquirendorum ament labore fatigari, ne denique stabiliendæ accusationi, qualem hîc contra rebellis exercitûs antesignanum instituere cæperam, aliquibus forsitan confusa non sufficeret citatorum alibi allegatio, necessarium apparet, quædam ex ea Arnaldini voluminis parte, huc collecta reducere, unico delibanda aspectu, ut Operis & Authoris non approbationem; sed horrorem à Lectoribus eliciant, ac detestationem.

Montensi Oratorio Præpositus, Quesnelli videbatur novitatibus institutus; undè de Collegii illius Presbyteris non paucorum erant querelæ publicæ, quæ Cameracensem Archiepiscopum ejusdem Civitatis Antistitem excitarunt, ut curam examinis committeret viris ad hoc idoneis.

Imposito hi perfuncti munere scripserunt ad Archiepiscopum inter cætera, quod Præpositus ille *circa lectionem librorum prohibitorum multum aberret, dum in responso proprio profitetur, libros ejusmodi occulte legi posse si quis judicet injustè damnatos, & nullum in illis errorem existere*.

Arnaldus præteritis duobus aliis epistolæ authoribus, Steyaertium solum aggreditur, quem aliàs amicum, & Parisiis hospirio exceptum, tunc primùm odisse & persequi cæperat, quando is Quinque Propositiones Hæreticas, à Sede Apostolica meritò damnatas, Janseniano adscribere ausus est volumini. Tunc Steyaertius experimento didicit, qualis esset in Jansenistis charitas, quando propter Confessionem Catholicam mille undique contumeliis impetitus est, & nomine *Fratris Apostatæ* communiter appellatus. Sic illum notatum accepimus in Jansenistarum Cifra *Augbemii* propè Aldenardam ab immissis in Conciliabulum militibus intercepta.

Hunc itaque Arnaldus adversarium sibi designans, novem famosis lucubrationibus aggressus est *Difficultatum* vocabulo significatis. Parte 9. pag.4. Sic novum adversarium lacessit.

Existimasti Curiam Romanam multum tibi obstringendam; Si obedientiam, quam contendis Decretis ejus esse debitam, ultra omnes limites protenderes. Pag.8. *Esset & Christianos premere ut Judæos, si eis diceretur.... Cavete à talis libri lectione: grave delictum committeretis legendo; quamvis nemo exponere vobis valeat, rationem, quæ nos moverit ad lectionem ejusmodi vobis prohibendam*. Pag.14. *Theologis, imò Fidelibus universis imponitis jugum obedientiæ cacæ, quod neque tolerabile est: neque Deus, neque Ecclesia, neque ratio imposuit. Nova ista Inquisitionis species est, quam conaris introducere.. satis apparet, quod talis servitus, si eam stabiliri contingeret, ut videris velle, obex futurus esset non exiguus hæreticorum conversioni.... Charitatis igitur est tollere hanc petram Scandali*, non curando prohibitionem librorum, quorum malitiam ignoramus.

Unde cui hæretico aut Novatori non liceat, magistri sui volumina scrutari, utpote quæ sibi persuasum habeat, nonnisi doctrinam fidei, pietatem, Sanctimoniam contineare? Eam videmus quotidie Jansenistarum de suis quantumlibet damnatis Operibus gloriationem. Sic ab Arnaldo via redditur planissima, ut in regimine tùm Ecclesiastico tùm Civili & politico, omnis obedientia destruatur. Quories enim mandatum cuicum-

cumque subdito non arriserit, causabitur facilè rationem, ob quam illud à Principe jubeatur, non habere se compertam satis, probatamque.

Vectigalia & cujuscunque generis onera publica decernendi necessitas, vel æquitas non semper patula est cuilibet è vulgo, ideone is mandato Principis non adstringetur? Debetne militibus gregariis, vel Decurionibus singulis ratio innotescere, & placere, ob quam oporteat hiberna castra citiùs deserere, intempesta nocte movere castra, viâ minùs commodâ incedere, hostem propugnaculis munitum aggredi? Idem erit in cujusvis gubernatione Provinciæ, Civitatis, Monasterii, privatæ familiæ, in qua si subditus, vel filius non aliud exequi teneatur, quàm quod suo fuerit judicio firmatum, quid aliud expectari poterit, quàm omnis boni publici privatique regiminis subversio?

Tali nihilominùs novi Theologi, & quidem, si superis placet, rigidi Romanæ Ecclesiæ reformatores, tali, inquam, ethicâ suos instituunt sectatores ad omnem morum licentiam & dissolutionem accommodatâ. Proinde non est multâ nobis opus indagine, unde tanta hodie sit Jansenistarum contra Pontificem & adhærentes ei Episcopos rebellio, unde scandalosæ junctâ petulantiæ obstinatissima pervicacia.

Tali posito reformationis fundamento, Arnaldus prosequitur Pag. 19. *Evidens est magnatum precibus fieri posse, ut legem condat Pontifex injustam; Quemadmodum certò constat, Cardinalis Mazarini precibus inductum fuisse Alexandrum Septimum ad proscribendam Missalis Romani Gallicam versionem.*

Ita speraverat Novator callidus à proposita Steyaertium Quæstione divertere, & certissimam judicii Pontificii obvolvere tenebris æquitatem; Verùm cum neque Steyaertii perspicaciam fallacia hæc lateret Arnaldina, dissimulandam is sibi censuit negatam Pontifici in condendis legibus immunem ab erroris periculo prærogativam: satis ipsi fuit, & mihi in præsenti controversia est, publicam facti notitiam Novatoribus opponere.

Anno 1660. in Cleri Galliæ Comitiis Generalibus Præside Archiepiscopo Rothomagensi, variis Sessionibus habitis die 29. mensis Novembris, die 3. & 7. Decembris tractatum fuit & definitum negotium Missalis Romani in linguam Gallicam translati; Decreta illic ejus prohibitio, ne quis eam versionem legere præsumat sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda; ut autem plus roboris obtineret Sanctio, statutum fuit, ut Comitiorum Generalium nomine ad omnis Regni Antistites scriberetur epistola, qua conscii redderentur actorum, & rogarentur ut suam Comitiis jungerent authoritatem, eorumque in suis singuli Diæcesibus, amplexi sententiam exequerentur.

Conclusum in iisdem Comitiis fuit, scribendum esse ad Alexandrum VII. ut Generali pro tota Ecclesia Constitutione Versionis illius lectionem sub anathemate interdiceret. Decreto Comitiorum subscripsere singuli tam ex primo, quàm ex secundo Ordine congregati.

Nusquam cernitur Mazarinus, nusquam alius Cardinalis, nisi quod Epistolæ ad Pontificem datæ subscriptum reperiatur *Obsequentissimi ac devotissimi Sanctitatis Tuæ filii ac Servi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi & alii Ecclesiastici viri in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati. Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis Præses. De Mandato Eminentissimorum Cardinalium, Illustrissimorum Reverendissimorumque Præsulum præfatorum, totiusque cætus Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus Lutetiæ congregati, Abbas Thoreau à secretis.*

Fide igitur Arnaldus sibi solita, & minimè probatâ Pontificiam contra Missale Gallicum sententiam tribuit precibus Eminentissimi Mazarini; imò ejusdem ac reliqui Cleri preces se prævenisse ipse Pontifex indicat, ita respondens in Brevi Apostolico die 7. Februarii 1661.

Accepimus literas à vobis die 7. Januarii scriptas, & in eis insigniter expressum Pastoralis vigilantiæ studium, quo vestrarum Ecclesiarum regimini, & præsertim conservandæ puritati veteris disciplinæ, & antiqui moris, incumbitis, non sine paternæ mentis gaudio perspeximus... Quod autem speciatim ad nuperam in vulgarem linguam translati Missalis editionem attinet, Optatis piis vestris Apostolicâ solicitudine & curâ etiam ante literas vestras acceptas jam satisfactum fuisse planè gaudemus. Nam ubi primùm ea res istinc (ex relatione Nuncii) *audita fuit, illi statim obviam itum est, expressâ nostri Brevis animadversione, quod ex eodem diplomate melius cognosci poterit.*

Fuit enim illud datum die ejusdem mensis Januarii duodecimo, atque ita nonnisi quinto die post scriptas ab Eminentissimo Mazarino & reliquo Galliæ Clero ad Pontificem literas; quas proinde in Pontificiam Missalis Gallici damnationem influere non potuisse manifestum est.

Sed etsi proscriptionis sententiam epistola impetrasset, qua ratione, nisi maximè teme-

temerariâ, solis debuit Mazarini precibus condemnatio imputari? Habemus tribus Comiriorum Sessionibus agitatam versionis illius causam, decretamque à Præsulibus Gallicanis, Præside Rothomagensi Archiepiscopo, Eminentissimo autem Mazarino, nequidem præsente.

Verùm ars illa veteratoria semper hæreticorum fuit, quodcumque contra se anathema, & quantovis latum judicio, unius tribuere solicitationibus, ut mentiuntur, injustis.

Ita Luthero placuit suæ condemnationis invidiâ onerare Eminentissimum Cajetanum, Abailardo Mellifluum Bernardum, Justiniano Pelagii Vindici Augustinum, Athanasium Arianis. Denique Anathemati impacta ab Arnaldo, *injustitiæ* censura, ipsius digna temeritate calumnia est, gravissimis, quæ & Cleri Gallicani ad Pontificem literis; & ipsius Pontificis diplomate conspiciuntur, rationibus convicta.

Accedit Illustrissimæ judicium Sorbonç, cujus Theologica facultas, ut in typis edito ejus decreto legimus, anno 1661. admonita" „ plurima esse in eodem Missali animadver- „ renda, illius examen aliquot Magistris „ demandavit, qui post accuratam ejus per „ menses Februarium, & Martium Lectio- „ nem, retulerunt primâ Aprilis, librum il- „ lum non solum ad fidelium institutionem „ prorsus ineptum; sed & perniciosum esse; „ utpote cujus explicationes aliunde adsci- „ ræ, ambiguæ, rudes, & indigestæ, vel ad „ textûs sensum appositæ non sint, vel pas- „ sim textu ipso longè difficiliores, & ob- „ scuriores, quæque alia explicatione indi- „ geant, in quibus variæ sunt propositiones „ animadversione dignæ, velut subjectæ. „

Tum sequitur longa series propositionum: „ Quibus auditis; & re maturius dis- „ cussâ, censuit Sacra Facultas, *in eo Mis-* „ *sali, ut verba sonant, contineri errores con-* „ *tra sanam doctrinam de Christo, de Spiri-* „ *tu Sancto, de gratia & libero arbitrio, de* „ *Sacramentis præsertim baptismi & pœni-* „ *tentiç, aliisque capitibus, & multas ver-* „ *siones ineptas & falsas, aliquas etiam, quç* „ *textui latino, tum addendo, tum detrahen-* „ *do, inducunt opiniones, olim & recenter* „ *condemnatas*. Datum Parisiis in nostra „ Congregatione Generali apud Collegium „ Sorbonç celebrata die prima Aprilis An- „ no Domini 1661. & confirmatum 2. Men- „ sis Maii ejusdem anni. „

Hæc omnia compertissima habuit Arnaldus, qui nihilominus triginta Annis postea famosas edidit in Belgio contra *Steyaertium difficultates*, seu titulo umbratili, & fictitio *difficultatum*, verissimam atque multiplicem contra Constitutiones Apostolicas rebellionem, ubi Pontificium Anathema de evidenti accusare non dubitat *injustitia*, & veluti solius *Mazarini precibus* Pontifici extortum. Illud, Arnaldo & Quesnello Judicibus, minimè est *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem, sed pati in pace anathema injustum*, & mirabilem *Pauli* Apostoli patientiam atque mansuetudinem *imitari*.

Anno 1683. prodierat typis Embricensibus liber, cui titulus *Amor pœnitens, sive de Divini amoris ad pœnitentiam necessitate, & recto clavium usu, Authore Joanne Episcopo Castoriensi*, Missionum in Hollandia Vicario Apostolico. Opus illud multos statim conturbavit catholicos, quibus visum est necessitatem ac fructum præcipuum destruere absolutionis Sacerdotalis, & Baptismi in adultis, requirendo utrobique pro necessaria dispositione actum pęnitentiæ, qui justificando peccatori, etiam extra Sacramentum sufficiat.

Delatus liber ad Supremum Sedis Apostolicæ Tribunal, in Congregatione S. Officii maturo discussus examine ac tandem anno 1690. die 20. Junii suspensus est, donec corrigatur.

Arnaldus autem, qui plures ei è Galliis obtinuerat approbationes, atque è Regno illo profugus, Belgio quoque catholico jussus excedere, Athanasii instar exceptus in Hollandia ab authore fuerat, hanc ei gratiam rependendam censuit, ut librum, etiam post Sacræ Congregationis Sententiam, & contra eam defenderet. Parte 9. *Difficultatum* pag. 63. ait: Inter præcellentia opera Joannis „ Neercassellii Episcopi Castoriensis plena „ Sanctorum Patrum dogmatibus, & unctio- „ ne, quâ in animos legentium influunt, ul- „ timum & pręstantissimum est *Amor pęnitens*. Pag. 21." Spiritus Sanctus non semper as- „ sistit Pontifici in ejusmodi casibus (quoties „ nempe decernitur aliquid Arnaldi novita- „ tibus contrarium) non semper immotum „ servat. Non minùs vehementer rogatus „ fuerat Innocentius XI., quàm postea Ale- „ xander VIII. ut maculam inureret libro „ cui titulus *Amor pęnitens Authore Episcopo* „ *Castoriensi*. Verùm Deus gratiam imper- „ tivit Innocentio XI., quâ importunis isti- „ usmodi solicitationibus resisteret, eas hoc „ rejiciens responso; *liber bonus est, & Au-* „ *thor Sanctus*. Eisdem molitionibus suc- „ cubuit Alexander VIII. Num tibi persua- „ des, nos propter unum *Donec corrigatur*,

quod

„ quod vocas *solemne Decretum*, *Pontifi-* „ *cis jussu editum*, debere Sancti illius Præ- „ sulis excellens volumen rejicere tamquam „ noxium? „

Non minùs perspicuum Arnaldinæ temeritatis argumentum est quod sequitur pag. 41. " Putasne presbyterum peccaturum „ graviter, qui legeret *Epistolas Provincia-* „ *les*, tam præclaras, tam utiles? Scimus „ illas in ultimo conclavi lectas fuisse linguis „ variis & approbatione magna à Cardinali- „ bus, & quidem peritioribus. „ Quod ab Arnaldo assertum temere, nullo nixum testimonio, licebit nobis Janseniana inter mendacia numerare.

Ad ipsas autem *Epistolas* quod attinet, *Provincialium* vulgò appellationem obtinent ex eo quod ad Provincialem scriptæ perhibeantur. Author sub ficto Ludovici Montaltii nomine est Blasius Paschalis. Stylus ubique satyram sapit, materia præter Jansenianæ hæresios defensionem, sunt calumniæ passim & contumeliæ contra variorum Ordinum Thologos, Dominicanos potissimùm & Jesuitas. Gravissimum de laudatis adeò ab Arnaldo Epistolis judicium audiatur Gallicanorum Antistitum, & Doctorum Parisiensium à Rege Christianissimo consultorum. *Nos infrascripto Regis Decreto selecti ad ferendum judicium de libro, cui titulus est* Ludovici Monralrii literæ Provinciales &c. *præmisso illius libri diligenti examine, testamur Jansenianas hæreses ab Ecclesia damnatas in eo propugnari: atque defendi tum in dictis literis Ludovici Montaltii, tum in notis Vuilhelmi Vuendrokii, tum in adjunctis disquisitionibus Pauli Irenæi: atque id ita esse manifestum, ut si quis neget, necesse sit vel non legisse librum hunc, vel non intellexisse, vel certè, quod pejus est, non putare id hæreticum esse, quod à Summis Pontificibus, & ab Ecclesia Gallicana & à Sacra Facultate Theologiæ Parisiensi damnatur ut hæreticum.*

Testamur insuper maledicentiam & petulantiam tribus illis Authoribus adeò esse familiares, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Jansenistis: non Summo Pontifici, non Episcopis, non Regi, non præcipuis Regni administris, non Sacræ Facultati Parisiensi, non Religiosis familiis, ideoque librum esse dignum pœnâ libellis famosis & hæreticis à jure constitutâ.

Actum Parisiis die 7. *Septembris anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo. Henricus dela Motte Episcopus Rhedonensis. Harduinus Episcopus Ruthenensis Franciscus Episcopus Ambianensis. Carolus Episcopus Suessionensis. Chapelas Cur. Sancti Jacobi. C. Morel. L. Bail Fr. Joannes Nicolai Prædicator. M. Grandin, Saussoy. F. Matthæus de Grancii Carm. Chamilliard. G. de Lestocq.*

Dein die 27. ejusdem mensis Supremus Senatus, præsente Regia Majestate, easdem repetens censuras, in librum Sententiam tulit, ut carnificis manu laceratus publicè combureretur; quod Regis ipsius accedente imperio, die 8. Octobris executioni accuratissimè mandatum est. Triennio ante, videlicet anno 1657. die 9. Februarii similem liber idem Sententiam subierat Aquis Sextiis à Regio illic Senatu. Secuta est eodem anno die 6. Septembris, promulgata Romæ decimo quinto Condemnatio Pontificia, singulas exprimens epistolas, eaque luci publicæ data est in Belgio, comitantibus Decretis iteratis Archiepiscopi Mechliniensis & aliorum Antistitum, Lovaniensis etiam Academiæ.

Quid gravi ad eò Arnaldus opposuit Authoritati? Nihil nisi fictitiam, nullo nixam testimonio approbationem quorumdam Cardinalium, nullius expresso nomine ne convinci de mendacio posset, & calumnia.

Illud iterum hic compertum est, non potuisse Arnaldum suam, suique discipuli hypocrisim, universo magìs pandere orbi catholico, quàm editione istiusmodi *Difficultatum*, quod ipsum nomen fallaciâ plenum & nequitiâ est. Quid enim in toto est opere, parte potissimum nonâ quæ de Romanis librorum ac dogmatum proscriptionibus unicè differit, quid, inquam, illic est quod ulli probè catholico, præterquam simplici, rudi, ignorantissimo, creare molestiam debeat?

Et quidem, ne à præsenti disceptationis articulo deducamur, quid comminisci probabile Arnaldus potuit, aut quisquam poterit ejus discipulus, quo rebellionis schismaticæ à se suisque asseclis maculam amoliatur? Liber Authoritate Pontificis, Regis, Regii Senatus judicio, etiam consultorum à Rege Antistitum, & Parisiensium Doctorum, prohibitus ac condemnatus est, Transgressoribus præter noxam lethiferam, pœnâ etiam anathematis juxta juris regulas inflictâ. Ubi itaque præsidium Arnaldina sibi temeritas sperer contra supremam Sacerdotii & imperii talibus etiam suffultam suffragiis, potestatem?

Asylum aliud non reperit, quam Hollandiam, & Bruxellense latibulum, *vix paucis amicis notum, paucioribus pervium*, ut Norisio scripsit Quesnellus anno 1687. quin, & ne illud quidem post Arnaldi obitum, atque furtivam infausti Cadaveris Sepulturam, discipulis Quesnello, & Brigodio tutum mansit ab Archiepiscopi vigilantiâ, eique ministrantium sagacitate.

Constitutio Theol. propugn. Tom. IV. B 2 An

An igitur magnifica adeò *literarum Provincialium* contra prohibitiones & damnationes Ecclesiasticam & civilem, Pontificiam & Regiam commendatio, non visa Arnaldo fuerit manifesta utriusque violatio authoritatis? Nequaquam, interprete quidem Quesuello; sed est *pacifica excommunicationis & anathematis injusti patientia: est imitari Sanctum Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem*. Sed hæc ipsa temeritatis Schismaticæ interpretatio ab omnibus catholicis veriùs judicabitur hypocrisis detestanda, ut est simplicibus exitialis.

Pag.48. ait Steyaertio Arnaldus"Credis„ ne sanctionem qua Decretum Convenen„ sis Episcopi, qui nuper obiit Tornacensis, „ bene fundatam,eique aliquid deferendum? „ Ut istud in animum induceres,foret neces„ sarium arbitrari, quod solus Pontifex sive „ in Concilio, sive extra illud judicare va„ leat de rebus fidei: quam si amplecteris „ opinionem, prodis te vetustatis admodum „ ignorantem".

Non invidebat Steyaertius, nec invident alii, aut detrahere cupiunt Episcopis qualecumque de fide judicium. Sed neque horum singulis concedendam,aut à Dei filio concessam legimus potestatem,solvendi quod Petrus ligaverit, sive Apostolicam de fide sanctionem, maximè eam quæ Ecclesiæ consensu & obedientia suscipitur, explicatione subdola pervertendi vel limitandi.

Istud Convenensis Decreti vitium fuisse, novit quisquis Jansenismi callet Historiam, neque novitatum fuligine conspersus est. Claudicare subinde in utramque partem Antistes ille pluribus visus fuerat, dumque Catholicos inter,& Jansenistas ageret mediatorem, posterioribus plus æquo tribuere, vel indulgere, quàm rei Catholicæ expediret. Unde & non nullorum judicio fama ejus aliquid dispendii passa est: utinam nihil animus & religio!

Cùm tamen placuerit Arnaldo Præsulis illius de fide sententiam opponere Pontifici; quasi illi melius, quàm Sedi Apostolicæ explorata fuerit Traditio *Vetustatis*; Jus nobis conceditur quærendi ex Arnaldo, an stare illius saltem Antistitis judicio cupiat in Materia, de qua agitur, Jansenismi. Recusare non potest, quem nobis testem intulit & judicem traditionis.

Nunc itaque in memoriam sibi Arnaldus revocet censuram à Sorbonicis anno 1656. die ultimâ Januarii contra se latam. *Hæresios, impietatis, blasphemiæ*: His notis configitur ejus enuntiatio, quam superiùs memoravi ex epistola secunda ad Ducem & Parem Franciæ *Defuit Petro tentato gratia, sinè qua nihil poterat*.

Defuisse enim victicem,funesto nimium PetriApostoli lapsu convincitur.Aliam autem Adami posteris non tribui,penes omnes istiusmodi Augustini Discipulos indubitatum est. Neque ire inficias voluerit Arnaldus, suum de Petro tentato Articulum congruere huic Quesnelliano Secundo: *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest*.

Fuerat eadem assertio Jacobi Gilbert famosi in Belgio Jansenistæ, Duacensis Academiæ Cancellarii, dein exulis, & in Lugdunensi Castro seu carcere defuncti; ad quem typis edita extat epistola Illustrissimi Gilberti de Choiseul Convenensium aliàs Episcopi dein Tornacensium, in qua sic eum Christianè corripit anno 1687. 27. Junii.

Significas, Frater, te nihil nisi justum & religiosum defendere, cùm ais: quicumque caret gratia efficaci, mandata Dei non solùm non adimplet; Sed nec adimplere potest. Et hic est totius tui de gratia Systematis cardo, atque ut ita dicam, occulta macula. Sed quodnam, amabo, Frater discrimen intercedit, inter tuam puram putam doctrinam, & primam e quinque ab Innocentio X. atque Alexandro VII. damnatam propositionem, disertis verbis à Jansenio Iprensi conceptam.

Paulò superiùs: *Frater charissime, fateor ingenuè, me paulum hæsisse, utrum aliquid reponerem; cum enim viderem, te, tanta animi firmitate, ne ab uno dumtaxat tuorum Scriptorum apice hactenus deflectere voluisse,vix sperabam mea responsa tibi profutura... Ægrè tulit Dominus de Bagnoles,&c.. in damnatas atque ab omnibus rejectas de Christi gratia propositiones tam præcipiti animi impetu proruisse; Sed quod maximè dolendum est, à præconcepta semel opinione nullatenus velle decedere. Sperabat Illustrissimus Præfectus meâ operâ aliquid de insita animo tuo obstinataque opinione detractum iri; Sed hactenus frustra.*

Nihil hìc est præter circumstantiam*Præfecti* quod ab eodem Antistite dictum non oportuerit Arnaldo. Eadem enim utrobique materia est, eadem utriusque hæresis damnata à Sorbonicis, etiam impietatis & blasphemiæ, uti priùs ab Innocentio X. ac posteà Alexandro Septimo: Eadem denique in sustinendo errore post damnationem temeritas ac pervicacia; hoc solùm discrimine, quod Gilbertus illeDuacensis Academię Cancellarius, Arnaldi se discipulum agnoscat, ut se Arnaldus Jansenii. Ita

Ita Cancellarius ab Arnaldi umbra, quam suum stolidè crediderat magistrum, deceptus scripsit: *Evangelicam de Christi gratia doctrinam liberasti à vulnere, quod ei inflixerat Alexander VII. & cujus nondum bene obducta est cicatrix*. Juxta Quesnellum art. 93. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato Zelo rescindunt*.

Quidquid scilicet anathematum sive propositionibus Jansenianis, sive obstinatis earum defensoribus à Sede Apostolica infligitur, sanare quidem Christus à Quesnello fingitur; Sed mendacii nimium ridiculi candidior interpres Cancellarius, Christi nomine intelligendum judicat Arnaldum, omnibus Romanis Pontificibus in nova Ecclesiâ majorem. Ita Quesnellus, quantumvis temerarius judicii omnis Academici, Episcopalis, Pontificii contemptor, soli Arnaldo sua scripta submisit ut corrigeret, demeret, adderet arbitratu suo, quodcumque libuisset

Brigodeus Quesnelli Secretarius, illos, quos aliquis adhuc timor anathematis remorabatur à damnatorum operum lectione, monuit *non esse ampliùs opus veniâ post editam difficultatum Arnaldicarum partem nonam*.

Damnent itaque Pontifices libros & sub anathematis pœna lectionem prohibeant: urgeant Episcopi executionem, obedientiam à subditis sibi fidelibus exigant; unus omnibus major Arnaldus, *parte sua nona propositarum Steyaertio difficultatum*, universos ab anathemate absolvit. Potestatem liberaliter præstat generalem, legendi in posterum libros quoslibet impunè, ut *veniam petere ampliùs necesse non sit*, quidquid secus antea crederetur.

Si illud iterum non sit *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, oportet, fateor, nos & cæteros catholicos cæcutire meridie, solos oculorum acumine pollère cum nova sua Ethica Jansenistas. Ideò autem in novę Ecclesiæ vulgo, mulieribus præsertim, obfirmata conspicitur contra Episcopos, ipsosque Summos Pontifices rebellio, tantaque in præconceptis erroribus pertinacia; quia Arnaldus & Quesnellus eis sunt, quasi duo missi cælitus prophetæ, & omnes eorum sententiæ, oracula.

Sic Abbatissa Portus Regii lugens obitum Arnaldi, Discipulo ejus Quesnello velut dignissimo successori scribit, *sustulit nobis Deus Eliam, sed ejus loco dedit in te Elisæum, duplici ejus spiritu plenum*. Francisca à S.Julia ejusdem Monasterii Senior, quæ Quesnelli consignatam literis benedictionem solita erat flexis genibus excipere, anno 1702. 26. Decembris quantum omnia ejus consilia, monita, documenta veneretur sic enuntiat: *Gratias tibi ago maximas nomine Abbatissæ, & totius Monasterii, quod omnia à te profecta, non aliter suscipit, ac reveretur, quam si à Deo ipso proposita fuissent; quia certum nobis est te Spiritu Dei dictante nobis loqui*.

CAPUT III.

Constitutio Urbani VIII. contra Jansenii librum olim à Jansenistis in Belgio contempta: ab ipso Urbano Pontifice Vindicata.

Prohibito à Sede Apostolica libro Jansenii, nepotem ejus Joannem Canonicum Furnensem mirabilis illicò incessit religio, & metus, ne suum silentium censeretur *proditio veritatis* & non *Paulinæ* fortitudinis *imitatio*; quapropter contemptâ Avunculi, librum suum Pontifici submittentis ultimâ voluntate, ad Magistratum laicum, seu Regium Bruxellis Senatum recurrit libello supplici, defensurus, ut ajebat, *Jansenii Augustinum, injustis adversariorum molitionibus & fraudibus oppressum*.

Rogabat Senatores Regios, ut *Romanorum Decretorum executio impediretur*. Quàm parum digna viro Ecclesiastico esset & quam gravibus obnoxia censuris ad laicos appellatio contra Sedis Apostolicæ in causis fidei Decreta, non est verisimile quod Canonicus ignoraverit; Verùm & ipsi persuasum fuerit, quod postea editum est à Quesnello Prop. 91. *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*.

Neque talis in re dogmatica à Decreto Apostolicæ Sedis ad laicos provocatio, neque obex quicunque apud illos positus executioni, dici poterit juxtà nostros Canonum interpretes, *erectio contra authoritatem, aut Scissio unitatis*. Libellus ille inter cętera Jansenistarum opera condemnatus fuit ab Innocentio X. anno 1654. die 23. Aprilis.

Nihilne etiam similis delicti est in Epistola quam Jansenianus Rector cum aliquot suis Sectatoribus Lovaniensis Academiæ nomine scripsit Parisios ad Sorbonam Anno 1644. die 10. Martii ut sequitur; *Non sinè magna admiratione, & animi nostri dolore, ex literis quorumdam apud Vos religiosorum nuper audivimus, Bullam à Theologis Societatis adversus Reverendissimum D. Episcopum Ipren-*

Iprensem Romæ extortam, & tot nominibus subreptitiæ & dolosę impetrationis suspectam, non solùm Vos recepisse; sed etiam ad damnationem quorumdam articulorum, qui in Augustino illius Reverendissimi explicantur, inclinare, aut jam damnavisse: quod tamen postremum, ubi ingenium, solertiam, doctrinam, prudentiam tot Illustrium Virorum, ex quibus Academiæ vestræ cętus componitur, cogitamus, credere non possumus.

Ergone post tot Veterum temporum pugnas & Victorias, Sacrosancta S. Augustini doctrina taudem victa succumbet, & quæ assultu toties dejici non potuit, jam suffodietur cuniculis? Non sinat Deus, Perillustres & eximii Domini, ut sic dissipetur hæreditas Verbi Incarnati, & Patrimonium Crucifixi. Certè nos hic nequidem Bullam illam recepimus.

Ita Jansenianus, ut dixi, Rector, cum suis aliquot Schismaticis, nomine Universitatis; satis quidem conspicatus, anathema se incurrere inflictum Constitutione Vrbani VIII., quæ incipit *in Eminenti*. Verùm Quesnelli Articulus 91., ab ipso novæ Ecclesiæ exordio inter bases eius præcipuasfuit: *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, quando ipsi per charitatem affixi sumus*. Et juxta Art.92. Sic *pati in pace excommunicationem, & anathema injustum, potius quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.*

Prodere indubiè veritatem est, eam in necessitate relinquere indefensam. Sed quis idem non causabitur Calvinista, aut cujuscumque Sectæ profligatissimæ hæreticus? Nullum sanæ mentis refugio arbitrum, an impudens illa Jansenistarum Lovaniensium contra gravissimam Sedis Apostolicæ Constitutionem epistola non sit manifesta eorum *contra Authoritatem erectio, aut Scissio unitatis*.

Si Academiam Catholicam importunis literis, & rationibus adeò impiis solicitare ad rebellionem, ut Vindicentur Articuli à tribus Pontificibus condemnati, nihil commune habeat cum spiritu Schismatico ut persuadere nobis vult Jansenistarum Ethica, necesse ni fallar erit, omnes mecum catholicos cęcutire.

Non levior eorumdem Lovaniensium machinatio fuit, ad suscitandos adversus Constitutionem Academicos Duacenos, sed neque felicior successus.

Contra malesanas istiusmodi molitiones ediderat *Monitum* Theologus Orthodoxus, quo fideles in Obedientia Christiana, & Religione stabiliret: Verùm neque defuit mox Anonyma Janseniani ad *Monitum Responsio*: ubi pag. 14. dicitur Urbani *Constitutio processisse ex non penetratis Divinæ gratiæ mysteriis*. Pag. 31. *si quid mea apud Vos valuerint consilia; author vobis essem, ne diplomatis illius receptionem promoveatis operosiùs; quia ad nihil utile est. Innumeri ex omni ordine doctrinam Jansenii amplectuntur avide, & constantissimè defendunt. Denique etsi Jansenii liber oculis deinceps omnium subduceretur, jam centum aliis libris doctrina ejus successu non impari divulgata est: quos qui tenent, extorqueri sibi minimè patientur.*

Innumeri hic jactantur ex omni, ordine Jansenistæ: Sic ab annis triginta Gabriel Gerberon *Priorem* se mentiens *S. Martini* libro cui titulus *Doctrina laxior Archiepiscopi Mechliniensis*, pag.35. *Paucissimi* (inquit) *sunt qui sciant quid doceat S. Augustinus & legerint librum Jansenii, quin convicti agnoscant, Augustinum Iprensem eadem loqui, eadem sentire, quæ Hipponensem. Hoc sensu fatemur Jansenismum plus rei babere, quam sibi persuadeat* (Archiepiscopi Defensor) *imo tot penè Jansenistas esse, quot Augustine simul & Jansenio legendo intenderint animum.*

Quoties aliàs declamantem audivimus Arnaldum, contra *Jansenismi*, ut vocare ei placuit, phantasma; quasi nullus uspiam Jansenista existeret nisi in Jesuitarum, aliorumque eis temere credentium, imaginatione? Arnaldo concinuēre Sectatores plurimi: neque dolosa illa Jansenismi negatio hodiedum prorsus evanuit; etsi detractâ hæresi larvâ à Clemente XI., & ab ipsis veneno nimium apertè prodito, Quesnelli asseclis, superfit paucioribus hoc tempore tantum impudentiæ, ut palàm audeant Jansenistas inania inter phantasmata numerare.

Ubi scilicet ad amovendam à se hæresios suspicionem opus est, nihil promptius illi habent, quàm ut novitatis errorem doceri à nemine protestentur, aut, si quid alicui imprudentius scriptum exciderit, ab aliis omnibus deseri adeò, ut necesse minimè videatur, Summi Pontificis tribunal examine ejus occupari, aut in errorem stringi anathema.

Ubi verò hæc fallacia detegitur, aut satis momenti non habet ad impediendam hæresios discussionem, atque censuram, ad aliud, & quidem primo oppositum se consilium convertunt. Tunc nempe ad incutiendum fidei judicibus terrorem, comminiscenda est innumerabilis commilitonum pro accusato dogmate multitudo. Hac sistendi judi-

dicantur simplices, aut etiam inter Doctores & Theologos timidi, ne pro sententia sua Pontificia apertiùs declarent, alioquin torrente adversantium obruendi.

Quod Urbani Constitutio à Janseniano superiùs Lovaniensium Rectore dicta fuerit *subreptitia*, & *dolosæ impetrationis suspecta*, Alexander VIII. inter 31. Articulos ultimum recensuit à se anathemate profligatum: *Bulla Urbani VIII. in eminenti est subreptitia*..

Verùm adeò hæc Alexandri definitio non dimovit à sententia Arnaldum, ut is vel propterea ipsam Pontificis ejusdem Sanctionem statuerit rejiciendam; ita in *difficultatibus Steyaertio propositis* parte 9. pag. 285. asserit: *Sextum obreptionis argumentum est propositio 31. Bulla Urbani VIII. in eminenti est subreptitia*.

Istud certissimum habeant omnes Antistites orthodoxi, atque ipsi Romani Pontifices, quæcumque in Jansenianos anathemata jaciant, quoscumque eorum libros feriant, aut errores, Decretum rebellibus semper fore obreptionis, vel subreptionis vitio maculatum, & quibus non expositum contumeliis? ita patiuntur scilicèt *in pace excommunicationem & anathema*, quod contra novos *Augustini*, ut se vocant, *discipulos* vibrari nequeat nisi *injustum*, novæ judicio Ecclesiæ: atque illud ipsis est *imitari S. Paulum*: *tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Gerberonius anno 1696. contempto non solùs Urbani VIII. sed etiam Pii V. & Gregorii XIII. anathemate, omnia Michaelis Baji, quæ æternis sepeliri tenebris oportuerat, recudi Opera curavit, additis à se vindiciis, quibus nihil ab hæretico protrudi potuit contra Sedis Apostolicæ, & totius authoritatem Ecclesiæ petulantius.

De isto Gerberonii Opere & aliis ab eodem contra definitiones & censuras Ecclesię conscriptis, mox amplior disserendi campus erit: hic ipsa Sedes Apostolica Urbanianam contra Schismaticos tueatur Constitutionem, qua simul Pii V. & alterum Gregorii XIII. contra Baji errores anathema confirmatum est.

Audiatur itaque Urbanus ipse in Apostolico Brevi ad Franciscum de Mello Belgii Hispanici Gubernatorem die 24. Octobris 1643." Dilecte Fili, Nobilis vir salutem &c.
„ Assiduè conatur humani generis hostis di-
„ scordiarum cuniculis viam sibi ad Eccle-
„ siam invadendum, fraudulenter aperire.
„ Illa autem dissidia attentiùs fovere so-
„ let, quæ circa religionis articulos con-
„ tingunt, si prǽsertim hujus S. Sedis Con-
„ stitutionibus adversentur; inde enim pu-
„ blicæ tranquillitati, pariterque animarum
„ saluti gravissimum infertur damnum.
„ Nos tanto malo occurrere pro Pastora-
„ li muneris debito Satagentes, Librum
„ Cornelii Jansenii, cui titulus est *Augusti-*
„ *nus*, & lucubrationes prædicti libri occa-
„ sione in lucem editas, jam dudum prohi-
„ buimus; sed quia secus, ac decuit, hu-
„ jusmodi nostra decreta ab aliquibus exce-
„ pta sunt, propterea rem totam diligentius
„ perpendendam censuimus. Et cum in
„ prænarrato Libro multas Propositiones à
„ Decessoribus nostris damnatas, contineri
„ ac defendi compertum fuerit, eorumdem
„ Pontificum Constitutiones peculiari diplo-
„ mate confirmavimus, ipsumque Jansenii
„ librum, ac reliqua Opera nostris inserta
„ literis, reprobavimus anno Incarn. Do-
„ minicæ millesimo sexcentesimo quadra-
„ gesimo primo, pridie Nonas Martii.
„ Quæ sanè nostra Constitutio die 19.
„ Junii anno MDCXLIII. affixa in urbe ac
„ publicata fuit. Etenim nos Jansenii exi-
„ stimationi prospicientes, ejusmodi publi-
„ catione per id temporis spatium superse-
„ deri mandavimus, ea spe freti, ut Janse-
„ niani Apostolicis Decretis, quæ ante vul-
„ gata fuerant, tandem acquiescerent.
„ Nunc quorumdam contumaciam eò
„ processisse, non sinè ingenti animi ægritu-
„ dine, audivimus, ut prædictam Consti-
„ tutionem falsitatis insimulare iniquissimè
„ audeant; hoc scilicet prætextu, quod
„ veri diplomatis publicatio tamdiù dilata
„ non fuisset.
„ Illud etiam objiciunt, in ejusdem exem-
„ plo, Coloniensibus typis vulgato, di-
„ versum apponi annum, hoc est, MDCXLII.
„ Quid autem præjudicii editio illa pare-
„ re potest Romanæ impressioni, quæ suo
„ Originali adamussim congruit? Nam, quod
„ de mendis, quæ typographorum incuriâ
„ irrepserunt, adducitur, responsione omni-
„ nò non eget, cùm errores inter imprimen-
„ dum admissos quivis facile per se digno-
„ scat.
„ Nunc igitur Apostolicas ipsas literas
„ executioni demandari plurimum optantes
„ à Nobilitate tua majorem in modum pe-
„ timus, operam sedulò adhibeas, ut Con-
„ stitutioni nostræ, ea quę par est, obedien-
„ tia, deferatur penitùs, atque adversus
„ illos qui Pontificia jussa detrectaverint,
„ strenuè Apostolicę authoritatis propugna-
„ torem te præbeas.
„ Minimè te hortamur, ut quemadmo-
„ dum Pii V. & Gregorii XIII., hac super
„ re

„ re Conſtitutiones obſequenter excipi, ac
„ promptè ſervari prædeceſsores tui dili-
„ genter curarunt, ita Nobilitas tua illorum
„ veſtigiis inſiſtens, hoc idem præſtet; ſatis
„ enim te procul dubio innata pietas exci-
„ tabit, quæ non minùs, quàm ſanguinis
„ ſplendor, aut prudentiæ laus, ingenii
„ tuo nomini decora comparavit. Quibus
„ certè officiis noſtram ſollicitudinem con-
„ ſolaberis, iiſdem Eccleſiæ afferes ſolatium,
„ & præcipuam erga commune bonum pro-
„ penſionem teſtaberis. Quod autem caput
„ eſt, rem perficies Deo apprimè gratam, à
„ quo diuturnam felicitatem precamur No-
„ bilitati tuæ, & paternam benedictionem
„ intimo cordis affectu impertimur. "

Eodem die datum fuit ad Archiepiſco-
pum Mechlinienſem Breve quòd ſequitur.

„ Vincula Chriſtianæ charitatis, quæ ani-
„ mos mutuò obſtringunt, non ſinè ingenti
„ damno diſrumpi perſpectum eſt, dum ob
„ acriter concitatas in rebus ad catholicam
„ fidem pertinentibus controverſias, ingenia
„ traducuntur in partes; ac proinde ad tol-
„ lendas diſſenſiones, quæ ob editum Cor-
„ nelii Janſenii librum, qui inſcribitur *Augu-*
„ *ſtinus*, exortæ fuerant, jam pridem ſuper
„ nonnullis concluſionibus in diſputationem
„ vocatis, ſcribendi, atque diſputandi fa-
„ cultatem interdiximus: & deinde peculiari
„ Conſtitutione ipſum Janſenii librum, quip-
„ pe qui opiniones à Pio V. & Gregorio XIII.
„ Prædeceſſoribus noſtris damnatas, conti-
„ nere & tueri deprehenſus fuit, omninò re-
„ probavimus pridie Nonas Martii MDCXLI.

„ Quæ Conſtitutio 19. Junii MDCXLIII.
„ publicata in Urbe fuit. Pontificiæ tamen
„ ſollicitudinis zelum, contra quam ſpera-
„ bamus, parum apud quoſdam profeciſſe
„ audivimus, & quemadmodum par eſt, ve-
„ hementer doluimus.

„ Aliqua enim ad falſitatem diplomatis
„ indicandam, non minùs leviter, quàm im-
„ pudenter objiciunt, de protractu illius pu-
„ blicationis, de anno in Coloniæ exempla-
„ ribus immutato, ac erroribus incuriâ ty-
„ pographi exortis, quæ omnia quanti pon-
„ deris ſint, unuſquiſque perſpicit. In tam
„ aperta ipſorum contumacia tuæ vigilantiæ
„ officia elucere cupimus, ut quam in eximia,
„ quâ polles, pietate ſpem poſuimus, illam
„ primo quoque tempore in optatum gau-
„ dium convertas.

„ Quamobrem enixè flagitamus, ut
„ intolerabilem eorum arrogantiam cöer-
„ ceas, ipſoſque ad parendum Apoſtolicæ
„ Sanctioni quoquo pacto compellas: non
„ exiguus erga te noſtræ benevolentiæ cu-
„ mulus accedet, ſi diligenter operam adhi-
„ buetis, ut tam juſti voti compotes efficia-
„ mur, qui Fraternitati tuæ à bonorum om-
„ nium largitore jugem precamur felicita-
„ tem, & Pontificiam benedictionem ex ani-
„ mo impertimur.

Non minore pollet robore quod Lova-
nienſibus eodem die deſtinatum exhibeo. "

„ Quanta ab opinionibus errorem & ſcanda-
„ lum præferentibus progigni poſſit in Ec-
„ cleſiam pernicies, eùm exploratum omni-
„ bus ſit; illas invaleſcere haud ſinit proſ-
„ piciens cunctorum bono Charitas Apoſto-
„ lica.

„ Id cauſæ fuit, cur nos Pii V. & Gre-
„ gorii XIII. Conſtitutiones, quibus nonnul-
„ læ Theologorum Sententiæ reprobantur,
„ peculiari diplomate confirmavimus, ſimul-
„ que Cornelii Janſenii librum, cui titulus
„ *Auguſtinus*, aliaque diverſorum opera
„ prohibuimus anno Incarnationis Domini-
„ cæ MDCXLI. pridie nonas Martias; cujuſ-
„ quidem confirmationis, pariterque prohi-
„ bitionis tenor die 19. Junii anni MDCXLIII.
„ in Urbe publicatus fuit.

„ Minimè nos latet, eâ, quâ decuit re-
„ verentiâ, à pleriſque veſtrûm fuiſſe exce-
„ ptam, quippe qui optimè calletis virgam
„ directionis in Pontificis dextra eſſe publi-
„ cæ incolumitatis tutelam, atque eorum ju-
„ dicem, quæ ad rectum ſalutis iter ſive
„ conquirenda, ſive vitanda ſunt.

„ Ingenti tamen animi ægritudine au-
„ divimus aliquos non defuiſſe quorum te-
„ meritas eo prolapſa eſt, ut prædictam Con-
„ ſtitutionem tum ob prorogatum publica-
„ tionis tempus, ac etiam quarumdam inter-
„ punctionum & literarum menda, tum ob
„ immutatum in Colonienſi editione annum,
„ inanibus ſcilicet argumentis, in dubium
„ vocare, & falſitatis arguere non ſunt veriti.

„ Quàm alienum hoc à Lovanienſis Aca-
„ demiæ inſtitutione videatur, luculenter
„ perſpiciet, quicumque illam ſemper fuiſſe
„ perpenderit, non minùs pietatis, quàm
„ doctrinæ celebritate conſpicuam, & Pon-
„ tificias Sanctiones non ſolùm exequi; ſed
„ omni ſtudio tueri etiam ſolitam.

„ Quamobrem confidimus fore, ut
„ graviſſimum hoc negotium ſuo pondere
„ expendentes, juſſibus noſtris ſedulò pa-
„ reatis, neque patiamini ob effrænatam
„ quorumdam audaciam floreutiſſimæ Uni-
„ verſitatis nomen tantâ contumaciæ notâ
„ circumfundi. Quibus certè documentis
„ conſuetum erga nos obſequium declara-
„ bitis, iis veſtræ quoque tranquillitati con-
„ ſuletis, nec parvam à veris Eccleſiæ filiis

lau-

„ laudem confequemini. Dirigat confilia „ veftra, qui fcientiarum Dominus eft, vof„ que diu incolumes tueatur, quibus nos „ Paternam benedictionem impertimur".

Omitto alia ejufdem Pontificis expedita eodem die Brevia ad cæteros Belgii Epifcopos, etiam Duacenfium Academiam, quæ promptiorem obedientiam præftitit, quàm Lovanienfis, licèt & in hac Doctores Theologiæ præcipui nihil prætermiferint, quo aliquos Collegas fuos rebelles ad officium adducerent, ac debitam Conftitutioni Apoftolicæ fubmiffionem.

Plurium ibi Magiftrorum fubfcriptiones datæ fuerunt eodem anno 1643. menfe Decembri, aliis adhuc contra tumultuantibus, ut colligimus ex horum ad Pontificem legatione, cum refponfo ac novo diplomate eis tradito ut fequitur: "Feria V. die 16. Ju„ nii 1644. in Generali Congregatione San„ ctæ Romanæ & univerfalis Inquifitionis „ habita in Palatio Apoftolico apud S. Pe„ trum coram Sanctiffimo Domino Noftro „ D.Urbano Divinâ providentiâ Papâ Octa„ vo, ac Eminentiffimis & Reverendiffimis „ Dominis Cardinalibus contra hæreticam „ pravitatem in tota Republica Chriftiana „ Generalibus Inquifitoribus à Sancta Sede „ Apoftolica fpecialiter deputatis.

„ Cùm poft publicatam Bullam San„ ctiffimi Domini Noftri contra librum Cor„ nelii Janfenii, cui titulus *Auguftinus*, ex„ citatæ fuerint variæ difficultates, occafio„ ne diverfitatis exemplarium Bullæ præfa„ tę, & aliorum, de quibus in nonnullis li„ bellis divulgatis: Cumque per Joannem „ Sinichium & Cornelium Papium Doctores „ Univerfitatis Lovanienfis fuerint præfen„ tatæ Literæ ejufdem Univerfitatis, nec„ non porrectus fupplex libellus Sanctiffimo „ Domino Noftro pro dictæ Bullæ veritate, „ & intentione Sanctitatis Suæ circa illam „ indaganda; Idem Sanctiffimus literas & Li„ bellum præfatum Sacræ Congregationi „ fupremæ & univerfalis Inquifitionis temi„ fit, ut per eam de contentis in illis infor„ maretur, prout fucceffivè informatus man„ davit per Eminentiffimos ac Reverendif„ fimos DD. Cardinales Bernardinum Spa„ dam, Joannem Baptiftam Pamphilium, & „ Lælium Falconerium, tres ex fupremis „ Inquifitoribus, antedictos Sinichium, & „ Papium audiri, & deindè Sanctitati Suæ „ ab eis deducta referri.

„ Qui quidem Domini Cardinales in „ executionem dicti mandati præfatos Do„ ctores verbo & fcripto, multa deducentes „ tum in Congregatione, tum privatim au„ diverunt, eaque omnia in præfata fupre„ ma & univerfali Congregatione priùs com„ municata, ac ibi pluries difcuffa, unà cum „ voto ipfius Congregationis Sanctiffimo „ Domino Noftro diligentiffimè retulerunt. „ Sanctitas verò Sua auditâ relatione & vo„ to præfatis, nec non omnibus maturè per„ penfis & confideratis, mandavit ex archi„ vo ejufdem Congregationis, & ex matrice „ actorum, quæ in eodem Archivo confer„ vantur, extrahi, five tranfcribi & diligen„ ter collationari, ac imprimi exemplar Bul„ læ præfatæ, illudque fic extractum, col„ lationatum, & impreffum eifdem Sinichio „ & Papio per fupradictos DD. Cardinales „ Spadam, Pamphilium & Falconerium con„ fignari, ipfifque infuper Sinichio & Papio „ intimari, & fignificari, Suæ Sanctitatis „ mentem & voluntatem effe, ut eidem „ exemplari fic confignato fides adhibeatur, „ & ab omnibus Chrifti fidelibus Bullæ hu„ jufmodi omninò pareatur, fub pœnis & „ cenfuris in ea contentis: & demum fuper „ dubitationibus, difficultatibus, ac quere„ lis, occafione præfatæ Bullę quoquo modo „ excitatis, vel excitandis, perpetuum filen„ tium imponi, prout impofuit, & ita &c. „ Non obftantibus omnibus & quibufcum„ que in contrarium adductis & deductis &c.

„ Infuper Sanctitas Sua mandavit juxta „ fenfum præfatum fcribi per eandem S. Con„ gregationem Nuntiis Apoftolicis, ac loco„ rum Ordinariis, & expediri etiam literas „ ad Gubernatorem Flandriæ, & Univerfi„ tatem Lovanienfem & ad alios &c.

„ Fidem facio ego Notarius publicus „ infrafcriptus, qualiter die XXIX. Julii „ MDCXLIV. in executionem fuprafcripti „ Decreti fuit à fupra nominatis Eminentif„ fimis & Reverendiffimis DD. Cardinali„ bus Spada, Pamphilio & Falconerio datum, „ & cum effectu confignatum in propriis ma„ nibus DD. Joannis Sinichii, & Cornelii Pa„ pii Profefforum Univerfitatis Lovanienfis „ exemplar Bullæ Sanctiffimi Domini Noftri „ Urbani Papæ Octavi, contra librum quem„ dam Reverendiffimi Cornelii Janfenii olim „ Epifcopi Iprenfis intitulatum *Auguftinus*, „ & alios Libros, & opufcula contenta in „ eadem Bulla: iifque ab eifdem Eminentif„ fimis DD. Cardinalibus intimatam & figni„ ficatam Suæ Sanctitatis mentem & volun„ tatem, ut in præfato Decreto, præfenti„ bus teftibus opportunis, & cum affiften„ tia Reverendiffimi D. Francifci de Albizis, „ ejufdem Sanctæ Univerfalis Inquifitionis „ Affefforis. In quorum fidem me fubfcripfi, „ & figillo præfatæ Sanctæ Inquifitionis mu„ nivi

„ nivi hac die trigesimâ Julii anni Millesimi „ sexcentesimi quadragesimi quarti.

„ *Et erat subscriptum*. Ita est Joannes „ Antonius Thomasius præfatæ S. Universa„lis Inquisitionis Notarius, *& appositum Si*„*gillum S. Congregationis*.

Eodem anno 1644. die 12. Februarii ab Inquisitore Generali pro omnibus Hispaniæ Regnis conditum est Decretum promulgandi Constitutionem Urbani VIII. cui inviolabilem constat ubique præstitam fuisse mox obedientiam, si paucos in Belgio Schismaticos, & in Gallia latentes metu Principis aliquot tenebriones excipias.

C A P U T IV.

Urbanianæ Constitutionis Vindicias prosequitur contra rebelles Innocentius X.

Urbano mortuo succedens Innocentius X. suam non est passus deesse vigilantiam, scribens anno 1645. Brevia complura Belgii Episcopis; qualia superiùs retuli data ab Urbano ad Academias ut Die 2. Martii secutum est simile ad Marchionem Castri-Rodrici, provinciarum illic Gubernatorem, quod subjungo.

„ Innocentius Papa X. Dilecte Fili, no„bilis vir, salutem, & Apostolicam bene„dictionem. Quam ubique Christianam re„ligionem Catholica Majestas integram cu„pit, ac suis potissimum in Regnis discindi „ non patitur, eadem ut in Belgicis Provin„ciis conformata, & Apostolicæ Sedis præ„scripto, in unitate servetur, Nobilitati tuę „ non postremæ curæ esse Nobis tua pietas „ exploratissimum facit.

„ Quam ob rem, cùm paucis abhinc an„nis, contra Prædecessorum laudatæ me„moriæ Pontificum Pii V. Gregorii XIII. „ ac Pauli V. Decreta, excusum librum *Au*„*gustinus* inscriptum, Cornelii Jansenii „ Iprensis olim Episcopi nomine, aliasque „ eidem vel asserendo, vel confutando, con„scriptas dissertationes felicis recordationis „ Urbanus VIII. editâ Constitutione prohi„buerit; id Nobilitati tuæ haud veremur ne „ pariter animo insideat, ac istis in Provin„ciis, pro eâ, quâ præstas authoritate, „ atque in Romanam Ecclesiam observan„tia, Constitutionem ipsam religiosè ac fir„miter impleri, atque observari decernas „ & cures.

„ Erit hoc tuæ in Deum, ac Regem „ testatæ fidei consentaneum: erit populis in „ una doctrinæ consensione degentibus sa„lutare: erit ditioni ipsi fructuosum ac tu„tum, cui subtracta nimium quantum exi„tiosa regnis opiniosorum hominum male„sana documenta, seditiones neutiquam de „ more invehent, ac scissuras.

„ Et verò in isthoc ab hac S. Sede ve„tito Jansenii libro expressam noscimus ac „ reassumptam doctrinam Michaelis Baji, „ cujus improbatis opinionibus vehementer „ commotus Philippi II. claræ Memoriæ Re„gis animus, eâ ęstuavit solicitudine ac ze„lo, ut præcipuis ille monitis suo in Urbe „ Oratori acriter præscripserit, impensè age„ret cum Pontificibus prędictis Pio ac Gre„gorio, ut eas abolitas omninò vellent ac „ damnatas, eodemque studio transmitti in „ Belgium impetravit Religiosum virum „ Franciscum Toletum, consecuto mox tem„pore S. R. E. Cardinalem, quo is eâ de re „ Diplomata in Lovaniensi Academia publi„ca fieri, ac recipi sedulò curaret. Summis „ adeò in hanc curam viribus enixuram con„fidimus Nobilitatem tuam, quæ clarissimi in Christo Filii nostri Catholici Regis, „ avita prementis vestigia, voluntati sese & „ gloriæ responsuram seriò reputaverit.

„ A dilecto Filio Abbate S. Anastasiæ, „ qui has tibi à nobis literas reddet, pluri„ma in hanc rem audies, cui non dubiam „ abs te nostro nomine fidem haberi percu„pimus. Accedis porrò hortator ipse tibi ac „ suasor, & præcipuo Nobis incremento „ lętitiæ, Pontificiæ referes accessionem „ charitatis, atque ejus, quam largissimè „ impertimur, Apostolicæ benedictionis".

Breve illud ut indicare cæperam, præcessere similia ad Archiepiscopos Mechliniensem & Cameracensem, Episcopos Antuerpiensem, Gandavensem, Ruremundanum, Tornacensem, Namurcensem, quin Lovaniensium etiam, & Parisiensium Academias.

Hæc omnia data fuerant 20. Februarii ejusdem anni 1645. Missum verò Duacensibus notatur 2. Martii. Annus ille primus erat Pontificatus Innocentii X. ut inter primas curas Christi Vicario dignissimas, fuerit sanæ doctrinæ defensio contra hæreticas novitates.

Istas humani generis hostis, ope libri posthumi Janseniani, eique temerè patrocinantium invehere in Ecclesiam moliebatur. Et quidem inter universas hæreses, quæ ovili Dominico ab ejus exordio insidiatæ sunt, nullam ferè reperies pluribus instructam fraudibus, majore implexam pertinaciâ, quàm Jansenianam.

In Galliis quidem, dum vixit Cardinalis Richelius, caput attollere secta perfida ausa non est, experta statim in Seguenotio & Sancyrano, utroque carceribus mancipato,

non

non sibi tutum fore tumultuari sub tali principe, cujus præcipua erat apud Regem authoritas, neque minor Zelus pro Religione.

Is à Matrona Principe pro liberatione Vergerii interpellatus congruè, respondit, *staret etiamnum Gallia & Germania ab hæresi immunis; si Lutherum & Calvinum conclusos carcer perpetuus tenuisset*. Postquam autem Richelius anno 1642. die 4. Decembris ad superos migravit, Ludovicus XIII. in Clementiam propensissimus, antequam anno 1643. 14. Maii è vivis discederet, dedit hoc Magnatum quorumdam precibus, ut Sancyranus in suum se reciperet monasterium, fide datâ, quòd à spargendis in posterum novitatibus abstineret.

Verùm, ut refert narratio in Laubardemontii Archivo reperta, "Vix obierat Rex, „ quin Sancyranus & ejus Discipuli colligerent, quæ multo labore annis superioribus „ scripserant, atque ex iis componerent librum de *Frequenti Communione*. Non sivit Deus machinationem hanc, & manifestam perfidiam abire impunè: præcipuum „ libri authorem, antequam is in lucem ederetur, ad suum Tribunal evocavit. Discipuli nihilominus opus prosecuti sunt, „ & vulgarunt nomine Antonii Arnaldi, ut „ plus authoritatis obtineret lucubratio, „ authorem præ se ferens Doctorem Sorbonicum, quem gradum Arnaldus sibi, dum „ Rex viveret, denegatum, recenter tandem „ fuerat consecutus".

Laubardemontius Regi erat à Consiliis Status, atque cum ei commissa à Rege fuerit cura examinis contra Sancyranum, ab eodem composita creditur narratio.

In Belgio quoque reducendis ad officium contumacibus, non satis virium habuit religionis ratio, & Ecclesiasticæ reverentia authoritatis, donec à Principe temporali suppetiæ accesserunt. Illas opportunè attulit Philippi IV. Regis & pro eo Belgium felicissimè gubernantis Leopoldi Archiducis Pietas. Non defuerant quidèm muneri suo Franciscus de Mello, & Castri-Rodrici Marchio, qui veneratione debitâ receperant Brevia Apostolica, prior Urbani VIII. posterior Innocentii X.

Prioris literæ Gandavo ad Bruxellensem Internuntium datæ sunt die 11. Julii 1643. *Quemadmodum æquissimæ rationes Dominationis vestræ à me postulant, opem ei feram ad mandandam executioni declarationem Pontificiam circa scripta Jansenii, sicut & ad cætera omnia ac singula alicujus momenti, quæ se obtulerint spectantia ad Romanam Curiam. De quo velim certus sis, Illustrissime Domine, & rem postulatam, prout visum fuerit, disponas. Deus te multos annos servet incolumem*.

Utque Hispanica natio non derivatâ solùm à Ferdinando Rege, catholici nominis gloriâ; sed propriis & singularibus ubique acquisitâ meritis, verissimè Catholica est, non dubito quin Castri-Rodrici Marchio partes suas explere non minùs serio voluerit; sed ea fuit Jansenistarum obstinatio, ea fraudibus intexta hypocrisis, & Ministrorum quorumdam patrociniis firmata potentia, ut metum incuteret Gubernatori.

Archidux autem Leopoldus eidem admotus muneri, ut vidit Cœlum suis benignè aspirare conatibus bellicis, stabiliendam sibi assumpsit potentiùs religionem, & Sedis Apostolicæ in Constitutione Pontificiâ authoritatem.

Quapropter hoc eum Brevi perhonorifico dignatus est Innocentius X. die 9. Septembris 1647. Pontificatus sui tertio.

„ Spectatus nobis per omnia in Fraternitate tua Catholicæ religionis cultus, „ ejusque servandæ ac tuendæ accuratus ac „ solicitus Zelus, ingenitus ille Austriaco „ generi, ac planè cælitus, exemplo nunc „ præcipuo probat, quod nuper dilectus Filius Abbas S. Anastasiæ datis ad nos Literis retulit, de tua nimirum providâ curâ „ atque operâ, ut Apostolicæ Sedis mandatis obtemperetur in iis, quæ ad Jansenianam doctrinam spectant, atque ad Ecclesiarum in Belgio Episcopatus, apti viri, „ atque Apostolicis Decretis, illisque præsertim quæ catholicam fidem respiciunt, „ obsequentes, sine mora nominentur.

„ Hæc sanè omnia singulari nostrum „ animum affecere lætitiâ, eoque Fraternitatem tuam intimo Pontificiæ charitatis „ sensu amplectimur, ac mirificè commendamus, vehementer hortantes, ut hæc „ ipsa nobis pergat impertiri solatia, suæque „ ipsius pietati insistens, quod impensè facit, incolumitatem religionis, Romanæque Ecclesiæ dignitatem, pro eâ, quâ „ pollet authoritate, sartam tectamque omni studio esse velit.

„ Et verò nos probè novimus, quàm „ anxiè ad ea, quæ pro Dei causa sunt, Fraternitas Tua animum adiiciat, sapienter „ intelligens, cautum exinde perpetuò fore „ & populorum saluti, & Regnorum firmitudini, & Regnantium felicitati.

„ Plura in eam rem idem Abbas tibi significabit, quem integra abs Te fide dignari peroptamus, & Fraternitati Tuæ a „ Domino peramanter benedicimus".

Leopoldum hunc Archiducem Leopoldi Cæsaris Patruum appellat Pontifex *venerabilem Fratrem*; quia etsi sacro ordine initiatus non esset, potiebatur tamen Argentinensium Episcopatu, Princeps pietate, prudentiâ, fortitudine etiam bellicâ, eam apud Belgas gloriam consecutus, ut ejus illic memoria semper futura sit in benedictione, ejusque regimen norma Gubernatoribus secuturis.

Eventus præterea gemini non fortuiti; sed Apostolicæ Sedis & Regis providentiâ tunc opportunè dispositi, fidem Ecclesiæ & authoritatem Pontificis in Belgio plurimum firmaverunt. Primus est Antistitum Mechliniensis & Gandavensis, Constitutioni Urbanianæ pervicaciter refragantium, affixa locis publicis denuntiatio, ut censurarum infamia ad saniorem mentem reduceret, quos neque duorum reverentia Pontificum Urbani & Innocentii, neque religio, neque jusjurandum, in officio & obedientiâ potuerat continere.

Eventus alter depositio fuit præcipui inter Ministros Regios, in quem Deus judicium exercuit Amanico simile, quamvis clementiùs, ut qui jactaverat depressurum se adeò Religiosos Jansenio adversantes, ut eorum ædes, etiam Sacræ, redigerentur in solitudinem, herbâ præ foribus crescente, nullius obtritâ vestigio, istud suo accidere Palatio conspicatus sit. Dejectus enim ipse ab officio, atque in privatorum redactus ordinem, mox desertus ab omnibus, honoratus à nemine, vitam inglorius terminavit. Duo Antistites non nisi post congruam submissionem & pœnitentiam, authoritate Pontificis absolutionis beneficium impetrarunt.

Episcopi Namurcensis atque Antuerpiensis spontè & iteratò Bullam Pontificiam editis diplomatibus promulgarunt, prior 21. Aprilis 1646. posterior 10. Maii eodem anno. Relatu præ cæteris dignum est Decretum Claudii d'Achey Archiepiscopi Bisuntini ex statutis ejus Synodalibus, ab eodem luce publica donatis die 26. Maii 1648.

„ Quia (inquit) exigit à nobis debita „ Sanctæ Sedi Apostolicæ obedientia, ut eâ, „ quâ par est, sedulitate & diligentiâ, do„ ctrinas ab ea velut cæterarum Ecclesiarum „ matre damnatas, damnemus & nos, vel „ sic majorum vestigiis inhærentes, quorum „ mentibus ab ipsis fidei incunabulis alte „ impressa versus eamdem, necdum in ma„ ximis, quin & in minimis fuit reverentia.

„ Hinc emanatam à felicis record. Ur„ bano VIII. Summo Pontifice Constitutio„ nem, quæ incipit. *In Eminenti Ecclesiæ*, „ & quâ Cornelii Jansenii liber cui titulus „ *Augustinus*, legi, aut etiam à non legen„ tibus servari, districtè prohibetur, pro„ pter damnatas in opere ejusmodi opinio„ nes: Apostolicis prædicti Urbani Papæ VIII. „ quemadmodum & promulgatis à Sanctis„ simo Domino Nostro Innocentio Papâ X. „ eâ de re Decretis, parere cupientes in „ omnibus, venerabundi admittimus, & „ usque adeò strictè servari mandamus, ut „ in posterum quoad nobis placuerit, nul„ lus omnino ad curam animarum admitta„ tur, nisi qui post solemnem Concilii Tri„ dentini fidei professionem, formulam hic „ adjectam coram Vicario nostro Generali „ attentè legerit & juraverit.

„ Ego N. profiteor me obedientem San„ ctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimo Do„ mino Nostro Innocentio X. Pontifici Ro„ mano, ejusque Successoribus, atque ideo „ me accepturum, prout de facto accepto, „ debitâ submissione Constitutionem felicis „ record. Urbani VIII. editam anno decimo „ nono sui Pontificatûs, Incarnationis Do„ minicæ Millesimo Sexcentesimo Quadra„ gesimo primo, pridie Nonas Martii, quæ „ incipit *in Eminenti Ecclesiæ*. In qua dam„ natur & prohibetur liber Cornelii Jansenii „ cui titulus *Augustinus*: Quam Constitutio„ nem ego integrè accepto, & cum ea in „ omnibus sentio & consentio: ac promitto „ me, quantum in me fuerit, curaturum, „ ut præfatam Constitutionem omnes, & sin„ guli acceptent, & in omnibus cum eadem „ sentiant, & consentiant. Ita Spondeo, „ voveo, ac juro ego Idem N. sic me Deus „ adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

„ Prohibemus lectionem piorum in spe„ ciem operum Antonii Arnaud Sorbonici „ Doctoris *de frequenti Communione*, & „ Joannis Verger de Hauranne Sancti Cyrani „ Abbatis, variorum Opusculorum autho„ ris, quorum quidèm mense Octobri supe„ rioris anni, adjectâ pænâ arbitrariâ, le„ ctionem per Diæcesim nostram interdixe„ ramus &c.

Junxi Belgis Episcopis Bisuntinum, quia Burgundiæ Comitatus, quamdiu Regi Catholico paruit, eidem cum Belgio suberat Gubernatori.

Lovanienses itaque refractarii videntes se omni penitùs patrocinio in utroque foro tam laico, quàm Ecclesiastico destitutos, tumultuari ampliùs publicè non ausi sunt; sed consolari discipulos clanculum perrexere mendacio, quasi Theologica Facultas Duacena Pontifici minimè consentiret. De quo certiores redditi Duaceni Protestatione ad Archiducem directâ, calumniam sic destruxere.

Se-

Serenissime Princeps, infrascripti Sacræ Theologiæ Doctores & Professores in alma Universitate Duacena certiores facti à Viro Religioso fide dignissimo, nos scriptis quorumdam ex Universitate Lovaniensi traductos, quasi doctrinæ, quæ Jansenio, & Bajo primùm tribuitur, non tantum subscripserimus aliquando, sed etiam modò pertinaciter adhæreamus; splendidius mendacium fingi nullum posse credidimus; cùm constet, nos primam Urbani VIII. felic. mem. Bullam contra Jansenium amplexos, ipsamque in Scholis publicis solemni ritu promulgasse. Inde Summum Pontificem Brevi peculiari ac benedictione hanc Universitatem cohonestasse; quia tam promptè Sedi Apostolicæ morem gessisset.

Breve id Pontificium nobis ad manum est. Certissimum quoque, nos Diploma super hac re Regium exosculatos, integram ipsam Bullam ad Scholas publicas affixisse, quam nullus hominum vel digito injurioso attigit. Hic protestati sumus, ac protestamur iterum iterumque, nos semper præstitisse obedientiam erga S. Sedem Petri, & Regem Catholicum, imò semper doctrinam illam Jansenii, proscriptam voluisse, itaut nullum unquam ex nostra facultate Theologiæ Duacenâ infecerit.

Tanto acerbior est dolor noster, quanto atrocior injuria, nec ferenda, quâ nomen almæ hujus Universitatis traducitur apud Serenissimum Archiducem, quasi inobedientium Catholicæ Ecclesiæ filiorum. Contra censuimus communibus suffragiis, humillimè Serenissimam suam Celsitudinem rogandam, ut pergat doctrinam illam Jansenianam seriò extirpare, quâ nequaquam docetur Beati Augustini mens: & cùm hoc malum in pejus ita serpat, ut saniori Belgicæ nostræ parti & Academiæ huic affrictum mentiantur illi, verendum magis est, ne petulantia ingenia sive in Academiis, sive Monasteriis & alibi, incautos & minùs versatos in Sancti Augustini voluminibus hac perniciosâ doctrinâ imbuant, & ab ejusmodi scintillis magna excitentur incendia, nisi potestas Serenissimi illa ipsa in suis principiis extinguat.

Cæterum profitemur & protestamur, neque hic, neque aliàs à Bullis, ac mandatis Pontificiis, Diplomatibusque Regiis ne latum unguem esse discessuros; sed semper fore morigeros, prout pleniùs ex relatione Venerabilis Religiosi de Facultate nostrâ benemeriti, latoris præsentium Sua Serenissima Celsitudo intelliget; Cui eadem Facultas Theologica Duacena ex animo omnem sospitatem, & felicitatem precatur. Duaci 27. Julii 1648. Georgius Colvenerius, Franciscus Sylvius, Valentinus Randour. "

Sic mater à filia (nam Duacensium Academia à Lovaniensibus fundata est) discere Religionem potuit, submissionem, veramque Sapientiam. Sapientiam (inquam) nam quæ dementia fuit, quis furor, paucos in Belgii angulo Doctores, cum duobus non magnæ eruditionis Episcopis, unius Ministri Laici, & in Theologicis ignorantissimi innixos potentiâ, ut patuit, admodum fragili, voluisse subvertere dogmaticam duorum Pontificum Constitutionem, totâ promulgatam Hispaniâ, ab ipsis in Gallia receptam Sorbonicis, si paucos exceperis Sancyrani discipulos, de novitatibus, & hæresi non uno ex capite vehementer suspectos?

In ipsa Lovaniensium Academiâ non deerant avitæ fidei constantiâ & studio commendabiles, Schinckelius præcipuè, & ab Angelis Doctores Veterani, qui quas à junioribus, novâ hæresi conspersis passi fuerint persecutiones, minimè foret ab hoc loco alienum describere, uti & quibus artibus dolosissimis, atque christianâ professione, multò magis Sacerdotio indignis, adhibitâ etiam vi laicâ, contra Sacram, eamque supremam Ecclesiæ authoritatem pugnaverit Novatorum perversitas; sed volumine ad hoc integro opus esset, occupandumque spatium, referendis pro Bulla *Unigenitus* diplomatibus Episcoporum, aliisque documentis authenticis destinatum. Unum tantummodo breviter annotabo, unde plurima facilè colligantur.

Ea fuit ab initio Jansenistarum industria, ut aliquem suarum partium curarent eligi Universitatis Rectorem, qui Academiæ nomine literas Romam, Parisios, in Hispaniam, & quovis aliò scriberet, disponeret, decerneret, citaret accusatos, damnaretque vel absolveret, prout Jansenianæ Reipublicę, non justitiæ conveniret. Fraudem alteram non minùs detestabilem novis hæreticis Diabolus suggessit, ut interea, dum nondum satis firmati viribus videbantur, rebellionem contra Pontificem non profiterentur apertè; sed callidis exercerent molitionibus, retinentes hæresim à tribus Christi Vicariis condemnatam, Pio scilicet Quinto, Gregorio XIII., & Urbano VIII., quibus nunc etiam accesserat Innocentius X., tot Brevibus verè Apostolicis jubens Prædecessorum suorum Sanctissima contra novam hæresim Decreta, accuratissimè observari.

Ad hypocrisim itaque fallacia se Dæmonis convertit, ne sui Pontificum exuere se reverentiam atque obedientiam, præproperè declararent; Sed ut editam Urbani VIII. nomine Constitutionem, velut ipsi supposi-tam,

tam, rejicerent, vel corruptionibus essentiam mutantibus depravatam. Unde discipulis fiduciam faciebat fore ut Constitutionem ipse Pontifex destrueret, vel mutilando redderet reprimendis novitatibus minimè idoneam. Iste Sinnichii, & Papii in Urbem Legationis scopus non publicus; sed subdolè intentus dignoscitur ex epistola iussu Congregationis Sancti Officii ad Bruxellensem Internuntium scriptâ die 5. Decembris 1643.

Comparuere hic ab hinc dies aliquot Doctores Sinnich, & Cornelius de Pape afferentes Literas Universitatis Lovaniensis, Prælatorum, Nobilium, ac Urbium Brabantiæ ad S. D. N. Præcipuum negotium, quod ipsi agunt, est ut conserventur privilegia dictæ Universitatis, prætenduntque, actam in hac CuriaRotæ causam nonnullam aliter atque ipsi disposuerint.

Postmodum Doctor Sinnich, quasi per transennam, egit de Bulla publicata contra Doctrinam Jansenii, & quantum colligi potest, optaret eam aut revocari, aut saltem mitigari. Verùm intellexit, Sanctissimum Dominum Nostrum velle, ut huic accuratè pareatur, atque ipsi idem à me significatum, & declaratum, eam esse veram, & attendendum ad exemplar quod Romæ excusum est; non verò ad illa quæ, aut Coloniæ, aut Parisiis sunt impressa.

Volui de his Vestram Dominationem certiorem facere, ut si forsan Doctorem Sinnich, ad fovendas contentiones, alendamque refractariorum, & huic Constitutioni inobedientium contumaciam, aliter ad Universitatem Lovaniensem, aut ad alios scribere contingat, ac spem faciat, fore ut Bulla revocetur, aut mitigetur; Dominatio Vestra unumquemque de veritate rei edocere, de ea Universitates Belgii, illiusque Prælatos securos reddere possit, nunquam, ne per minimam quidem cogitationem Sanctissimo Domino Nostro venturum in mentem, ut Bullam hanc quâcumque demùm suâ parte immutet; Verùm fore ut invigilet, ut ei obtemperetur, atque ea observetur.

Quid igitur Jansenistæ tot Ministrorum Apostolicorum, Cardinalium, ipsorumque Romanorum Pontificum assertionibus, etiam Brevibus de Constitutionis Urbanianæ veritate, atque integritate redditi certiores? Perstitere illi in convicto tot Testimoniis mendacio, authoritatis omnis, excommunicationis, anathematis contemptores, & inconsutilem Christi tunicam sacrilego dilacerare Schismate in hodiernum usque diem obduratissimi pergunt.

Hoc scilicet novis apostolis est *Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem,* admittendo Constitutionem Pontificiam Jansenianæ hæresi contrariam; *est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem.*

Quamvis autem, ut sæpius indicavi, Lovaniensium contra Bullam Apostolicam rebellio, non omnium fuerit, neque præcipuorum; sed juniorum aliquot, incautam ad se trahentium multitudinem; ne tamen deteriorem forsitan de illorum saltem temporum Academiâ suspicionem quis concipiat, æquitas exigit, ut Magistrorum illic se anno 1643. Constitutioni submittentium nomina haud prætermittam.

„ Infrascripti ad requisitionem Reverendissimi Domini Pro-Nuntij Apostolici in Belgio, declaramus, Nos Bullam Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. quâ confirmantur Constitutiones Pii Papæ V. & Gregorii XIII., ac prohibetur *Augustinus* Cornelij Jansenii olim Iprensis Episcopi, in quo multæ ex Propositionibus à Sede Apostolica antè damnatis continentur, & contra easdem damnationes defenduntur, tanquam Romæ legitimè affixam, & publicatam reverenter suscipere, ideoque in omnibus, & per omnia parituros.

„ Joannes Schinckelius Senior facultatis Theologicæ Lovanij Regens, ac ineadem ordinarius Professor, Præsidens Collegij Adriani VI.

„ Christianus Beusecum Secundus ejusdem Facultatis Regens, ac in eadem Professor Regius, Regiique Seminarii Præsidens.

„ Guilelmus ab-Angelis Tertius ejusdem Facultatis Regens, necnon Sac. Theologiæ Scholasticæ Senior Professor Regius.

„ Joannes Caramuel Lobkovvits S. T. D. Melrosæ Abbas Ordinis Cistercienfis.

„ Matthæus Theyghe S. T. D. & Linguæ græcæ Professor Academicus, Præses Collegii Pastoralis Iberniæ.

„ Antonius Davius S. T. D., & moralis Scientiæ Academicus Professor, Collegii Sabaudiæ Præsidens.

„ Jacobus Speeck S. T. D., & Professor Ordinarius.

„ Levinus Debbaut S. Theologiæ Licentiatus, & Professor Ordinarius.

„ Eidem formulæ subscripserunt ex Ordine S. Dominici S. Theologiæ Doctores:

„ Fr. Franciscus Hyacinthus Coquetius Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Doctor Duacensis.

„ Fr. Marius Ambrosius Capello Ordinis Præ-

„ Prædicatorum Sacræ Theologiæ Doctor
„ Lovanienſis.

„ Suppoſito, quod hæc ultima Bulla prout
„ eſt nobis ab eximio D.M.N.Joanne Schin-
„ ckelio exhibita, de facto, prout talis eſt
„ emanarit à Sede Apoſtolica, ſitque Romæ
„ & hîc ſufficienter publicata, ſubſcribo tan-
„ quam obediens filius S.R.E. Fr. Andreas à
„ Turri S.Theol.Doctor Lovanienſis Ordinis
„ Prædicatorum.

„ Ego Fr.Gaſpar Dingens Ordinis Prædi-
„ catorum S.Theol. Doctor Lovanienſis ab-
„ ſolutè, & ſinè limitatione humiliter, & re-
„ verenter recipio, & pareo præfatæ Bullæ,
„ de cujus publicatione ob authoritatem Il-
„ luſtriſsimi D. Abbatis S. Anaſtaſiæ Pro-
„ Nuntij S. Sedis Apoſtolicæ in Belgio non
„ poſſum dubitare.

Guilelmum ab-Angelis illuſtriorem reddidit Breve perhonorificum Innocentii X. datum die 7. Julii 1646., quod ad perpetuam Doctoris apud poſteros gloriam exhibeo.

„ Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam
„ benedictionem. Probat ſeſe inſigniter Or-
„ bi Catholico, dignè in te conformata re-
„ ligioni doctrina; Cui, & jugiter ab ipſo
„ in Nos, atque Apoſtolicam Sedem, obe-
„ dientiæ cultu meritam laudem, ſolidum-
„ que decus accerſis, ac paras. Teſtata quæ
„ proſpicit ejus rei exempla, pari muneretur
„ teſtimonio Romana Eccleſia, ejuſque vir-
„ tuti lucem cumulet, cujus ingenium in lu-
„ ce gradiens obſequitur veritati.

„ Et verò exploratum id nobis liquidò eſt,
„ in ipſa, quam præfers continenter ſolicitu-
„ dine & curâ, vt Sanctæ hujus Sedis Decre-
„ tis, ac Mandatis obtemperetur, quæ con-
„ tra Janſenii librum, *Auguſtinus* inſcriptum,
„ ritè jam antea prodiere. Quibus ſanè De-
„ cretis ſua ut conſtet vis, atque obedientia
„ deferatur, conſtanter volumus: Quod
„ certè qui in Eccleſia ſunt filii, ſi detrec-
„ tent,in dedecus ſeſe ac perniciem induxiſſe
„ non obſcurè ſentient: Equidèm ab inclyta
„ iſta Lovanienſi Academiâ, noſtræ ac San-
„ ctæ Sedis menti ut pareatur, haud dubiè
„ expectamus; in quam ut plurima ſemper
„ à Romana Eccleſia merita extiterunt, ita
„ neutiquam in poſterum deeſſe volumus ea-
„ dem, quæ illa, ut confidimus, magis
„ ſataget promereri. Tibi interim, Dilecte
„ Fili, tam egregio incenſe ſtudio Pontifi-
„ ciam noſtram benevolentiam exhibemus,
„ & Apoſtolicam benedictionem impertimur.

Huic Pontificio favori ſucceſsit alter, confirmatio Nominationis Regiæ ad infulas Ruremundenſes. Præter hunc & Marium Ambroſium Cappello Ordinis Prædicatorum Sedi Apoſtolicæ pariter obedientiſsimum, qui Antverpienſibus Antiſtes obtigit, neminem poſt Janſenii tempora novi ad Epiſcopatum in Belgio Catholico è Doctoribus fuiſſe Lovanienſibus promotum. Antea fuerant frequentes adeò, ut Doctoratus ille præcipua quodammodo videretur ad eam dignitatem commendatio.

Quapropter non temeraria apparet multorum ſuſpicio, Regem Catholicum fuiſſe poſtea ab iſtiuſmodi nominationibus averſum formidine, ne quid Janſeniani, aut Bajani toxici, à primis fuerit novitatis ducibus ad diſcipulos, eorumque poſteros derivatum. Similis forſan metus fuerit de Duacenis, quorum Univerſitas, etſi majorem præ ſe tulerit, ut hiſtoria narrat, Sedis Apoſtolicæ reverentiam; tamen ut ſubinde detegi contigit, non ab omni ſemper fuit vicinæ luis contagio libera.

Sed quidquid aliquorum vitio utraque Academia clariſsima maculæ aliàs forſitan contraxiſſe videatur; ſatis hodiè eluiſſe cenſenda eſt, atque ſplendorem priſtinum recuperare, religioſo ſtudio, & acri certamine contra Conſtitutionis *Unigenitus* impugnatores. Si quid tamen mea apud honoratiſsimos Viros valeret deprecatio, author aliquibus eſſem, paululum majoris in dogmaticis circumſpectionis, atque conſtantiæ. Quid enim ſibi vult ea quandoque acceptatio Conſtitutionis, quam talis detorqueat in ſenſum peregrinum expoſitio, ut inanem illa aerem, non ullius ſenſum feriat authoris?

CAPUT V.

Digreſſio adverſus eos, qui Eccleſiæ Cenſuras & definitiones facilè admittunt; Sed ita ut nulla per eas novitas reprimatur.

Conſpexi pridem, & vehementer dolui, quoſdam profitentes maximam erga Romanos Pontifices obedientiam, ita eorum contra hæreſin definitiones ac diplomata exponere, ut divinari nequeat, quid tanto molimine Sedes Apoſtolica in Novatorum opinionibus damnaverit; ſi non alius proſcripti dogmatis ſenſus reprehenditur, quàm qui talium nobis judicio interpretum deſignatur. Sic nempè Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII. contra Baji, & ſociorum Articulos, Conſtitutionibus ſe ſubſcribere profitentur, ut nullus Articulus ſit, quem velut ab anathemate immunem retinere ipſis ac defendere non liceat, & quidem *in rigore*, ac pro-

proprio verborum sensu ab assertoribus intento.

Simili ratione rejiciunt quinque Propositiones Jansenij, & quidem, ut ajunt, *in sensu obvio, quem illarum verba per se exhibent;* Rectiùs verò exoticum dicerent atque fictitium, quem Jansenistarum apud Innocentium X. Oratores in libello supplice non incongruè appellabant *Calvinianum aut Lutheranum, qui Propositionibus*, nonnisi *malignè affingi posset: quem tamen legitimè sumptæ*, in sensu, videlicèt naturali, & proprio, *non habent.*

Sic etiam author *Notarum brevium*, ut vocabat, *& modestarum* in Propositionibus aliquot è triginta, & unâ profligatis anathemate ab Alexandro VIII., ajebat se Pontifici consentire, atque ejus subscribere Decreto; sed talem tribuens Propositionibus sensum, qualem constat, earum authoribus in mentem minimè venisse.

Urinam sincera magis obedientia sit omnium, qui in Belgio, & Gallia Constitutionem *Unigenitus* admiserunt!

Pridem mihi contentio fuit cum quodam è Lovaniensibus Doctoribus non vulgari, qui inter delegatos in Urbem fuerat pro obrinenda sexaginta quinque moralium Propositionum ab Innocentio XI. censura. Proficiscens non exiguâ ab Arnaldi Sectatoribus exceptus ubique benevolentiâ est, Parisiis etiam hospitio ab ipsomet Arnaldo. Legatione feliciter functus, atque in Belgium redux, non se visus est, eâ continere sapientiâ, quin animum à Novitatibus proderet haud satis alienum. Undè ab ipso Innocentio XI. & Carolo Secundo Rege Catholico, interdictum fuit, ne in Regentium Magistrorum Collegium, quod *stricta Facultas* dicitur, à Lovaniensibus, eligeretur.

Propterea in ditionem se recepit Gallicam, ibi Canonicatu donatus. Cum autem minùs quietæ, & à Novitatibus non satis abhorrentis appareret indolis, etiam à Rege Christianissimo migrare jussus est, & toto excedere Gallico dominatu. Tandèm resignato illic beneficio Belgium repetens Austriacum, Pontifici se reconciliavit, & Regi; Internuntio scilicèt Bruxellensi, ac Regiis pollicitus est Ministris, se imposterum contra Jansenium pro Sedis Apostolicę Constitutionibus, & authoritate falli nesciâ, totis viribus certaturum.

Conditione cum gaudio acceptâ, Internuntius, & Ministri Regii virum benignè complexi sunt, favoremque suum vicissim polliciti: Sublata denique ab utraque potestate suspensio est, sive interdictum: Unde statim ei ad *Facultatem strictam* aditus patuit, atque ubi visus fuit promissa ediris Lucubrationibus adimplere, omni beneficiorum genere, Jansenianis frendentibus, apparuit cumulatus.

Verùm ut à multiplici resipiscentibus errore facilè quidpiam adhærescit, Jansenismum mihi quidèm non satis visus fuerat abdicasse in ipsis, quas contra Jansenium edidit *Notis*. Occasio hæ fuerint, cur Humbertus Archiepiscopus Mechliniensis, ut erat Theologiâ Polemicâ non leviter tinctus, in plurium Theologorum consessu quæreret, *Quantum Doctor NN. dissitus à Jansenismo est?* Cum cæteri mihi annuerent, ut responderem, *Tantum* inquiebam *Illustrissime Domine, Doctor ille dissitus est à Jansenio, & Jansenismo, quantum impossibilitas servandi præcepta, distat ab impotentia servandi præcepta.*

Ad quod Archiepiscopus: *Istudne est discernere se à Jansenio, an ludere in terminis, & synonimo negato, alterum substituere synonimum?*

Biennio antè, videlicet 1688. eandem cavillationem exagitaveram Thesibus publicis die 4. Maij, ut sequitur „ Doctor NN. „ dùm refutandam suscipit Propositionem „ primam Jansenii, videtur vocem potiùs in„ sectare, quàm rem ipsam, & sensum, prout „ illum Jansenius in Pseudo-Augustino de„ claravit. *Ecclesia* (inquit Doctor) *adeò „ abhorret à modo isto loquendi, quo justis „ aliqua Dei præcepta dicuntur impossibilia, „ ut disertissime Synodus Tridentina hanc te„ merariam, & à Patribus sub anathemate „ prohibitam vocem appellet .... itaut satis „ concipi non possit, quid passus sit Janse„ nius, ubi voce illa non minùs disertè, quàm „ Tridentinum vetuerat, sibi utendum „ putavit.*

„ Pergit idem Theologus ostendere, „ quod illa voce utendum non sit, & quia „ Ecclesiæ usus hodiernus non fert, licèt „ aliquando in Sacra antiquitate reperire„ tur, & quia ne in antiquitate quidèm repe„ ritur „ Mox adductâ sententiâ Augustini dicentis: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis*, sic notat:

„ *Vel indè Vir doctus* (Jansenius) *colligere poterat, aliud S. Doctori esse, aliquid justum non „ posse, aliud idem illi impossibile esse; alterum „ quippè concedit Augustinus*: nempè justum „ non posse implere aliqua Dei præcepta, *al„ terum negat*, nempè aliqua Dei pręcepta ju„ sto impossibilia esse: *et meritò: nam quod hac „ voce importatur, QUOD NON POSSIS, id „ ex parte potentię se tenet, notatque solum defectum*

„ *fectum cujusdam auxilij, quo nondum illa est instructa: unde non impossibilitas, sed impotentia dicenda foret. Impossibilitas verò potiùs se ex parte obiecti habet.*

„ Ergò-ne Jansenius satisfaceret Bullis Pontificum, si ad retractandam Propositionem damnatam diceret. *Non quidem impossibilia sunt aliqua Dei præcepta justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, itaut desit quoque illis gratia, quâ possibilia fiant; Sed tamen aliqua Dei præcepta justi volentes, & conantes, secundùm præsentes quas habent vires, implere non possunt, deest quoque illis gratia, quâ fiant potentes implere?*

„ Responderet, ni fallor, Pontifex, & cum eo Orthodoxi plerique, mutari quidem nonnihil voces; sed rem à Jansenio retineri; nam, si justi præcepta implere non possint, sequitur nec præcepta à justis impleri posse; adeoque impossibile esse ut à justis impleantur; sive quod in idem redit, præcepta justis impossibilia esse observatu. Imposibilitas igitur obiectiva, impotentiam necessariò comitatur, aut sequitur. Quamdiù igitur impotentiam in justis assereret Jansenius, consecutivè astrueret imposibilitatem præceptorum respectu justorum jam explicatam, sicut qui asserit, se non volare defectu potentiæ, & auxilii sufficientis, consecutivè asserit, sibi ob eundem defectum imposibile esse volare, sive imposibilem sibi esse volatum.

„ Addere posset Jansenius se per vocem *mposibile*, non aliud voluisse significare, quàm impotentiam justorum defectu gratiæ, neque se hanc suam intentionem intra mentis abdita continuisse; sed declarasse evidenter in suo volumine, & quidem hoc ipso loco, ex quo Propositio prima decerpta est.

„ Quod ut fiat manifestum, verba Jansenii exhibeo. Sic habet lib. 3. de gratia Salv. cap. 13. col. 334. *Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis; sed Fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt imposibilia, deesse quoque gratiam, quâ fiant possibilia; hoc enim Sancti Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultrà quàm posint sustinere.*

„ En quid intelligat Jansenius, quid significaverit per vocem *imposibilia*; impotentiam nempe tenentem se ex parte subjecti; non verò ex parte objecti, quasi mandata in se contineant impossibilitatem. Sic enim prosequitur.

„ *Nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis, vel meritorius, vel aliquid simile (quæ nunquam Augustino in mentem venerunt) sed ex eo quod vires voluntatis infirmæ sunt propter concupiscentiam a volendo bono trahentem... talem autem voluntatem non esse idoneam, ut superet alteram vetustate roboratam; quia per illam nondum potest homo tantùm velle, quantùm sufficit ut volendo faciat.*

„ Nonne sat clarè exprimitur impotentia subjecti? Ubi nam autem Jansenius innuit impossibilitatem impletionis, tenentem se ex parte objecti, seu præcepti? Quod subjectum impotens sit defectu auxilii, quo superveniente potens fiat, fatetur Jansenius his verbis: *potestatem cum habuerit magnam & robustam; hanc verò sibi tribuere, non esse potestatis humanæ; sed solius gratiæ Dei, quam propterea* ex fide assiduè invocamus.

„ Denique impossibilitatem præceptorum, de qua in titulo capitis, ejusque decursu, explicat ipse Jansenius per impotentiam eodem capite col. 326. ubi sic lego: *Hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis & obduratis, & infidelibus.... Sed etiam fideles & justi &c.* dicere voluit fidelibus & justis".

Plura sunt in ejusdem Theologi *Notis* circa Baïanos & triginta unum ab Alexandro VIII. damnatos Articulos, non facilè probanda; Sed cùm error magis apparuerit intellectûs, quàm pertinacia voluntatis, quia ob suum ab Arnaldicis partibus transitum gravissimas sustinuerit persecutiones, lapsus, vel cespitatio qualiscumque infirmitati potiùs attribui meretur, quàm malitiæ.

Visne lector aliquod Jansenisticæ erga gloriosum hunc transfugam specimen charitatis? In Factionis cifra, seu clavi nominum arcanâ, quam in vicinum Jansenistarum conciliabulum immissi ab Aldenardensium Gubernatore milites interceperunt, vocatur Doctor hic antonomasticè *Frater Apostata*: in Strena Chronographica typis edita anno 1692. *Author Schismatis Lovaniensis, vafer novitatum architectus, Laxonum strenuus advocatus, innocentum* (Jansenistarum) *subdolus & ferox persecutor, audax & iniquus calumniator, fatuus adulator. Quid boni, quæso, Diœcesis Sylvæducensis expectas à tali viro, qui laxiorem vitam professus, vos per eam verbo & exemplo in æternum exitium est perducturus?*

Primum ac præcipuum caput offensionis discimus ex Ægidio de Witte, quando sub *Palladii* nomine *Spongiam* edidit anno 1688. in Doctoris illius contra Jansenium *Notas*. Sic in præfatione Spongiæ Ægidius omnem suam exerit eloquentiam: *Nova belli nubes, procella Æoli inexpectata, nova prælii tempestas exoritur. Ecce Lovaniensis Academiæ Theologus (Quis hæc olim præsagiisset,* cum ab Arnaldo Parisiis hospitio exciperetur?) *Gratiæ efficacis ad mortem assecla, non ita pridem apud Iprenses Canonicus, Iprensium Præsulem gloriosum lacessit Conclusionibus Scholaribus!* ipse autem vicissim lucubrationibus novem, appellatis *Difficultatibus* ab Arnaldo impetitur, à Quesnello quoque *Notis in Epistolam* ad Archiepiscopum Cameracensem, ac denique in audacissima *Duorum Brevium Defensione*; cùm reverà esset utriusque oppugnatio.

Illic pag. 105. Alexandrinæ contra Jansenium formulæ sine exceptione, atque distinctione subscriptio de gravi crimine accusatur: *Aio te* (inquit Quesnellus) *id facere non posse, nisi supponendo principium hæreticum, & fidei exitiale: nec nisi sequendo tuum dominandi spiritum, & Schismaticam dispositionem.* Pag. 153. *Ista radix mali est, quo Ecclesia affligitur tantopere, & adversùs te quidem Dei judicium est, unde tremere te oportetet.* Pag. 278. *Miror plus quàm cætera Conclusionem tuam: prodit hæc audaciam in te, & temeritatem maximam in concitandis Episcopis ad molitiones tam insolitas, & hactenus inauditas. O te miserum, non minùs infelicem ariolum, quàm verum calumniatorem. Quandonam Christianum orbem fallere desines?*

Ita Quesnellus sibi aliàs fœdere junctum, cum nempe Antipontificius videretur & Jansenianus; nunc Pontificias professum publicè & defendentem acriter prærogativas, igne quodammodo & ferro persequitur, minimè reveritus, quam interea consecutus ille fuerat Sylvæducensis Vicarii Apostolici dignitatem. Mihi quidèm, ut superiùs indicavi, non defuit aliquando dissidii cum illo quidpiam Theologici; Sed honestatis limites nunquam transgressa concertatio est.

Denique in Theologis quibusdam mirari satis nequeo, quod qui sententias in moralibus minùs tutas etiam fundamento nixas maximè probabili, si absuerit certitudo, velut execrabiles verbotenùs aversantur, imperterriti tamen præ cæteris sint, ac temerarii in quovis novitatis dogmate, quod præconceptis suis opinionibus congruit, etiam post anathema retinendo.

Alii quorum non multò sanior doctrina; sed minor forsitan impudentia est, de egregia sibi religione blandiuntur quando omne studium eò dirigunt, non ut suas sententias Pontificiæ conforment definitioni, sed ut hanc violenta qualibet contortione, suis faciant novitatibus famulari. Non vident scilicet, pertinaciâ obcæcati, vel videre se dissimulant, quanto fidem salutemque suam exponant discrimini, illudere Constitutionibus volentes, non obtemperare; quasi salutaris ethica & vera religio in exoticis, vel rigidis sita sit scholæ novæ præceptionibus, etiam summi Tribunalis judicio condemnatis.

Ea verò nobis securissima sive in Theoricis, sive in practicis semita est, quam indubitata Sedis Apostolicę Sanctio commonstrat. Ante quinque secula traditum accepimus Catholicorum omnium memoriâ dignissimum documentum à Goffrido Vindocinensi Epist. 3. *Eodem Spiritu quo dictante & lex prima per Moysen data est, & per Christum secunda, Sancta Apostolica Sedes Canones dedit, & ipso inspirante exposuit. Si quis igitur Apostolicæ Sedi in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit quicumque est ille; sed desipit: non cultor vel expositor Divinæ legis: sed insidiator & oppressor indubitanter agnoscitur.*

Non itaque vera religio in tolerando cum pace & incuriâ anathemate; sed in vitando potiùs consistit, aut si illatum fuerit, sive justitiâ nixum, sive injustitiâ, solicitè quantum possumus, & maximâ erga Ecclesiæ Præpositos reverentiâ amoliendo.

CAPUT VI.

Quesnellianę patientię in tolerandis Censuris specimen primum.

1 JAnsenianorum examinans in perferendis Ecclesiæ Censuris modestiam ac mansuetudinem, sequor hactenus quodammodo ordinem temporis: nescio an adeò forsitan meritorum. In Quesnello enim ad præsentem attinentium materiam, tanta occurrit exemplorum copia, ut Magistros superare audaciâ videatur, & vitandæ gratiâ confusionis, in plura capita divisio facienda sit. Neve in his quoque tædium pariat prolixitas, ex infinitis delibare solùm aliqua statui, quæ in lectoribus magis excitent attentionem, & detestandæ hypocrisi larvam apertiùs detrahant pietatis, nè imponere illa simplicibus pergat, & mendaci famâ patientiæ in barathrum eos pertrahere Sacrilegi Schismatis.

Ordior ab initio; quo aliqua Quesnello exer-

exercendæ submissionis & tolerantiæ Christianæ oblata apparuit occasio; cum nempe anno 1676. die 22. Junii Romæ conditum fuit *Decretum à Sacra Congregatione Cardinalium à Clemente Papa X. Sanctaque Sede Apostolicâ, ad Indicem librorum, eorumdemque permissionem, prohibitionem, expurgationem, & impressionem in Universa Republica Christiana specialiter deputatorum, ubique publicandum, quo damnati, prohibiti, ac respectivè suspensi fuerunt infrascripti libri, ubicumque & quocumque idiomate impressi, imprimendive.*

Inter opera illic prohibita sexto loco collocantur *Paschasii Quesnel Presbyteri Oratorii Domini Jesu Dissertationes, Notæ, Observationes, Emendationes, Interpretationes, Annotationes, Postillæ ad S. Leonis Magni opera, & ad Codicem Canonum, Constitutionum Sedis Apostolicæ. Lutetiæ Parisiorum 1675.*

In Decretum istud Notas conscribere Quesnello placuit, quas refero ex processu contra eum juridico seu *Causa Quesnelliana* Art. 13." Quod Congregatio vocat *Decretum* „ non est Decretum, inquit Quesnellus, sed „ libellus contrarius Divinę legi & bonis mo- „ ribus, quibus prohibetur ne bonum appel- „ letur malum, aut condemnetur quispiam „ non redditâ condemnationis ratione: *Si* „ *malè locutus sum, testimonium perhibe* „ *de malo*.

„ *Sacræ Congregationis*: Hæc Congre- „ gatio non componitur ex Personis Sacris. „ Cardinales possunt esse insigniri solâ ton- „ surâ. Falsum itaque est, quod hæc Con- „ gregatio Sacra sit.

„ *Sanctâque Sede Apostolicâ*. Congre- „ gationem quidem hanc instituit Pontifex; „ Sed nunquam eam Sedes Apostolica stabi- „ livit. Notum omnibus est, inter Pontifi- „ cem, & Sedem illam discrimen, quod si „ non esset, in Decreto non exprimeretur.

„ *Eorumdem librorum permissionem*. „ Falsum est quod hæc Congregatio impri- „ mendis libris tribuat facultatem.

„ *In Universa Republica Christiana*. „ Etiam magis falsum est, quod Congrega- „ tio jus ullum habeat, aut ejus exercitium, „ in Ecclesia universa.

„ *Ubique publicandum*. Istud quoque „ falsissimum est.

„ *Respectivè suspensi*. Et hoc fallacia „ est; quia nullus in Decreto liber suspendi- „ tur: atque hæc falsitas illud irritum red- „ dit & nullum.

„ *Nemo cujuscumque gradus & condi-* „ *tionis eos legat, retineat &c.* Error non tole- „ rabilis est, quòd Cardinales imperent Epi-

„ scopis, qui tantò ipsis superiores sunt, „ quantò dignitas instituta à Christo supe- „ rior est alterâ, quæ inventum solummodo „ humanum est. Eadem verba se extendunt „ etiam ad Reges: atque ea magis insolens, „ & minùs toleranda temeritas est; quia Re- „ gibus convenit esse unctos Dei, quorum „ pedibus adrepere debent Cardinales, si „ non nisi Cardinales sint.

„ *Inquisitoribus seu locorum Ordinariis*. „ Horrenda recti ordinis subversio est, vilem „ Monachum *Inquisitoris* appellatum nomi- „ ne præferre Successoribus Apostolorum & „ vicariis Christi: est attentatum novum; „ quia similia habemus Decreta Urbano „ VIII. Pontifice, ubi dicitur *Locorum Ordi-* „ *nariis aut Inquisitoribus*. *Sub pœnis &c.* „ Congregatio Monachorum Præside uno „ Presbytero aut clerico rubra veste induto, „ audet minitari pœnas Episcopis, atque ip- „ sis Regibus".

Potuitne Lutherus, Calvinus, vel quiscunque alius utroque forsitan petulantior, contra damnationis suæ sententiam furere atrocius? jubemur nihilominus credere illam esse *pacificam anathematis*, etiam *injusti patientiam*, nullum hìc periculum esse *erigendi se contra authoritatem*, aut *scindendi unitatem*.

Adeò veteres quaslibet de patientia & mansuetudine, de pacis studio, demissionis & unitatis ideas exuere cogimur, & cum oppositis commutare. Si tamen, ut mos canibus est mordere lapidem, quo feriuntur, Quesnelliana pariter rabies in solam irrueret damnationis suæ sententiam, brutis quidèm digna, & utcumque commiseratione forsitan videretur aliquibus conformitas; verùm in alias quoque involat Decreti partes ad se minimè pertinentes, nisi quod libros hæreticos eâdem involvi proscriptionis sententiâ cum lucubrationibus, quas vocat *maximè Catholicas*, indignissimum arbitretur, & *errorem non tolerabilem*.

Talem etiam reputat prohibitionem libelli, *Monita salutaria Beatæ Mariæ Virginis* appellati, quia à pluribus Doctoribus, & quibusdam Episcopis fuerat approbatus. Contra prohibitionem epistolæ Cardinalis *Bona* vehementiùs insurgit, tanquam necessariò tribuendam spiritui factionis, & odio Diabolico adversus piissimum, & sapientissimum Cardinalem; definit effectum illum esse iniquissimæ vindictæ Eminentissimi Alterii, propterea à quod eundem, dum viveret, reddere non valuerit inordinatis suis affectibus obsequentem.

Ægrè fert etiam Quesnellus in Decreto

non asseri epistolam esse Cardinalis *Bona*, sed editam sub ejus nomine: Homo scilicèt turbulentus ignorare se simulat, præcisione illa magis consuli famæ Eminentissimi authoris.

Reprehendit non minùs graviter prohibitionem Operis hæretici *Synodicon Anglorum*. *Ubi* (inquit) *omnia conferri deberent studia, ut reducerentur ad Ecclesiam, quos unius duritia Pontificis ab ea separavit, omnia contrafiunt eorum condemnationibus librorum, ut animi à Romana ampliùs communione avertantur.*

Theses defensas in Sorbona verisimilius est probiberi ad inurendam maculam Theologicæ facultati Romanis adeò terribili, atque eorum opposita novitati.

Ita se prodit ubique animus Quesnelli schismaticus, omnem captans avidè, & fingens occasionem, concitandi contra regimen Ecclesiæ Catholicos æquè ac Hæreticos.

Istud scilicet Quesnello non est *scindere unitatem*; uti neque est *erigere se contra authoritatem*, quod is audet scribere Pontifici aduersùs Sacram *Indicis* Congregationem, tatione prohibitarum, ut supra retuli, *Dissertationum in Opera Leonis Magni*. Ita contra sententiam invehitur scripto, quod in *Causa Quesnelliana* producitur pag. 338.

„ Tali judicio, Beatissime Pater, damnatę „ sunt lucubrationes nostræ, quo nec ipsas „ probatas vellem: cùm utrumque ab æqui„ tate pariter abhorreat.... Totus est hic cen„ surarum hujusmodi fructus, ut & hæreticis „ patrocinentur, & catholicos exarment....

„ Quid mirum si apud omnes Christianas „ gentes ejusmodi Decretorum in dies mi„ nuatur authoritas, quæ ut in integrum re„ stituatur, prorsus sperandum non est, nisi „ diligentiùs Romani Censores ab inferenda „ Catholicis contumeliâ caveant.

Tum conversâ ad Eminentissimum Barberinum impudentiâ „ Eminentiam (inquit) „ Vestram suppliciter rogo, ut Sanctissimo „ Patri suggerere non gravetur, quàm pa„ rum conducat Apostolicæ Sedis honori, „ quòd in Catholicorum scripta, ijs plerum„ que Decretis animadvertatur, in quibus „ nihil ferè apparet eorum, quæ in omnibus „ rectè constitutis judicijs observare solem„ ne est ac religiosum....

„ Hoc tamen utilitatis habet censura, „ quod dum omnia promiscuè, nullo habito „ rerum discrimine, respuit, nihil omninò „ in libro respuendum contineri, sanioris „ judicij hominibus non temerè suspicari per„ mittatur....

„ Nihil dignius est æquitate, prudentiâ, „ & magnitudine animi Eminentiæ Vestræ, „ quàm ut ejus ope, & curâ Romana de li„ bris judicia meliùs inposterum diligen„ tiùsque ferantur „ Ad quod Eminentissimus Barberinus, ut cernitur in *Causa Quesnelliana* pag. 339. respondit die 10. Februarij 1677. *quod inconsutilem Christi tunicam scriptis suis discinderet.*

Alia ipsius Quesnelli ad Pontificem epistola refertur eâdem pag. quâ Sedi Apostolicæ sic insultat: *Tali judicio damnatas esse lucubrationes nostras in laudem potiùs vertitur, quàm in contumeliam*. Et multò superiùs: *Nullus certè apud nos est ęqui veriquc studiosus, qui non molestissimè tulerit, talia Apostolicæ Sedis nomine, & authoritate Decreta emitti, quibus tam parum Sanctæ illius Sedis bonori, & existimationi consultum fuerit.*

In alio scripto quod in eadem *Causa* seu Processu juridico exhibetur pag. 333., Cardinales, & Judices suos alloqueus: *Nec mirum* (inquit) *Censores meos non cogitasse cogitationes pacis, qui viam pacis non cognoscebant, quique jam tunc librum meum censorio gladio confixerant.... interea dum sagittant in occulto librum immaculatum....* Ibidem: *En quos Theologos, quos Urbs babet ista Magistros: En quos patimur, patiunturque nobiscum universi Christiani Orbis eruditi, Censores, qui videlicèt librorum, quos tam audacter proscribunt, ne primam quidèm paginam, vel de longè aspexerunt.*

Si istud iterum penès Quesnellum sit cum mansuetudine, & humilitate, siue ut loquitur, *in pace* perpeti censuras, minimè *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, nescio quæ tandem petulantissimi scriptoris appellari unquam valeat contra Censores suos, & Judices protervia.

Hactenùs primum Quesnellianæ impatientiæ in tolerandis Ecclesiæ censuris specimen. Nihil autem moderationis attulit ætas provectior; Sed novis perpetuò auxit petulantiam incrementis; quia tamen temporis utcunque ordinem sequimur, subintrat Eugenius de Gelder pro impudentiæ, & temeritatis palmâ cum primis Jansenianæ sectæ proceribus, imò Principibus decertans.

CA-

CAPUT VII.

Quàm pacificè patiens Jansenista fuerit Eugenius de Gelder: Quàm remotus ab erigendo se contra authoritatem, & à scindenda Unitate.

1 QUædam de hoc novæ Ecclesię Apostolo retuli aliàs, prout materiarum occasio, ac diversitas postulabat. Hic ejus discutienda mansuetudo, & modestia, quàm pacificè subierit Ecclesiæ anathema potiùs, quàm vel silentio proderet veritatem, in Molinos, & Jansenio condemnatam, ipso quidèm judice Patre Eugenio: Quantus denique ejusdem horror fuerit, *ne erigeret se contra authoritatem, aut scinderet unitatem*.

Erat Eugenius suo tempore in Flandrię, & Brabantiæ Provincijs Janseniani Evangelii Præco celebris, eloquio disertus, & intrepidus, authoritatem addente habitu severo, & Ordinis sanctitate. Sapientibus quidèm offensioni non levi erat perpetua, & vehemens concionantis contra omnes à novitatibus aversos, maximè Religiosos maledicentia; Jansenianis autem placebat mirificè, & quæ conciones ejus debuisset reddere auditoribus destitutas, frequentissimas fecit, applaudentibus festivissimè Presbyteris quibusdam Jansenij sectatoribus, & zelum ejus magnificè commendantibus.

Eò conducebat communis quodammodo mortalium, neque præsenti, neque superiore primùm seculo nata conditio, quâ malesanum præcipuè vulgus, quod hominum pars non minima est, debacchationibus concionatorum novaturientium delectetur. Lovanij præsertim colludebant Præsides Collegiorum aliqui à novitatibus non alieni.

Hi minimè faciles in permittendo Juvenibus exitu ad Regularium sibi non faventium conciones, ad audiendum tamen Virum adeò, ut vocabant, Apostolicum, jubebant valvas patère omnibus latissimè. Concionatori animos addebant, non sola Auditorum frequentia & acclamatio suffragantium; sed etiam victûs copia & lautitiæ, quas ei quotidiè Jansenistarum charitas suppeditabat.

Talis unctio tantos in viro indole fervido, & spontè suâ currenti excitabat spiritus, ut contra novitatibus adversantes, seu loqueretur, seu scriberet, veluti mentis impos furere videretur potiùs, quàm rationibus disceptare.

Non poterat zelus ejus intra solos concionum terminos contineri; sed voluit, ut Sutor ultra crepidam, ad scribendas etiam quas minimè caperet, controversias prosilire. Talia autem erant opuscula ejus, ut nullum reperire potuerint publicum approbatorem, neque tutum censoribus fuisset nomen suum apponere, ut patuit in typographo & altero exemplarium disseminatore graviter à Magistratu laico mulctatis.

De authore etiam moniti fuere Superiores Religiosi, ut eius in scribendo & prædicando impudentiam carcere domestico coercerent. Sed reus Monasterio elapsus furere perrexit, & suis etiam non levia minitari; ut ex istis, quas ad sui Ordinis moderatores dedit, Literis facilè quivis perspiciet: Ita Conventûs sui Præsidi denuntiat.

Persecution m iniquissimam, & injustissimam declinaui, juxta Verbum Domini: Cum persecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam.... R.V. scit quomodo (Fratres) *declament in me: negatur mihi ubique justitia.... Veritatem porto mecum, & vindicabo illam strenuè, & strenuissimè contra....illius persecutores. Scribat R.V. nomine meo Superioribus majoribus, & ipsi Commissario, quod habeam calamum, stylum & ingenium: expectent quantociùs aliquid quod lucem merebitur; in loco enim quem elegi, prorsus absconditus sum, & habeo ad commoditatem prælum.*

Responsum ipsi fuit ut sequitur: *Non timet Religio, aut Provincia nostra vestrum calamum: Satis nota est ubique vestra persona, & juxta authoris prædicamentum judicentur opera; præterquamquod Deus omnium Judex est, cujus manum nemo fugere potest.... Acue calamos, exacue ingenium, fortè non eris primus, qui in actu scribendi, viscera justo Dei judicio effudit. Nihil timeo.*

Non puduit imprudentem Eugenium hæc ipsa tam sibi infamia typis edere, & mittere ad Summum Pontificem in Opere cui titulus est, *Ultima vox Zelatricis innocentiæ indigna patientis, siue Libellus supplex F. Eugenij* (de Gelder) *Brugensis Sacerdotis ad Innocentium XI. anno 1689.*

Indigna, de quibus tantopere conqueritur, ipse exprimit in Decreto, quod refert Patris Arsenij de Fontibus Commissarij & Visitatoris Generalis dato Bruxellis anno 1687. die 25. Septembris.

Ad obviandum difficultatibus, quæ oriri possunt cum P. Eugenio Brugensi Concionatore, serventur sequentia. Primum: Ad Mensam vadat cum Communitate. Secundum: A sæcularibus omnino abstrahatur, & (si convenerit) in Cella recludatur, &, nisi ad Chorum, & Mensam, non exeat. Tertium: De Libris tantùm conceditur, ut habeat Breviarium & unum

unum tomum ex Sanctis Patribus, cum uno aut altero devotionis. Quartum: Nullo modo Literas dirigat per manus alicujus, nisi sui Superioris, & nonnisi bis in hebdomada possit unam aut alteram Epistolam scribere; in alia verò materia, nullo modo possit scribere sub pœna superiùs assignata, & insuper jejunii unius diei in pane, & cervisia tantum.

Quid ad tantam Visitatoris Generalis moderationem Pater Eugenius? *Regulamentum* (inquit) *rejicio tanquam notoriè injustum, impertinens, inintelligibile, absurdissimum, & nunquam in religione practicatum. Sic, & omni modo &c. Dabam Hasseleti die* 19. *Novembris* 1687.

Adeò dura cervix nullo flecti potuit imperio, quin potiùs declaraverit: *Malo ad ipsius* (Regulamenti) *observantiam cogi pro tota vita, quàm illud activè acceptare, acceptando approbare, vel pro unico momento. Unde sumpto iterum consilio Definitorum, advenit tandem Decretum ex parte R. Patris Provincialis* 23. *Decembris* 1687. *ut juxta tenorem Regulamenti in Cella mea recluderer; Sic ut me in præsentiarum, Sanctissime Pater, invenias gravatum omnibus carceris incommoditatibus, idque in altiori gradu, & privatum omni ejus commodo, gravatum omnibus Religionis oneribus, & austeritatibus, & privatum omni ejus consolatione.*

Sic innocentiæ suæ oppressionem (ut ait) iniquam Innocentio XI. Pontifici Optimo Maximo exponit Eugenius. Fundatur autem ejus expostulatio in Jansenianæ, & Quietisticæ hæresios à se prætensâ, & tetentâ pertinaciter sanctitate. *Quod enim* (inquit) *Urbanus VIII. in damnatione Janseniani voluminis fuerit deceptus, patet ex propria ejus Bulla. Quòd Innocentius X. in Propositionum quinque velut Jansenianarum anathemate fuerit deceptus, ad oculum demonstratur. Quòd Alexander VII. fuerit deceptus, ex eo constat, quòd liber Jansenii nunquam Romæ ritè fuerit examinatus, & quòd prima Propositio, à qua cæteræ, etiam fatentibus Jesuitis, dependent, quæ sola in ipsius Augustino est invenibilis, desumpta ex cap.* 13. *lib.* 3. *de gratia Salvatoris, secundum indubitata principia doctrinæ Augustinianæ ab Ecclesia consecratæ, ad quam juxta omnes suas particulas ibidem expressè reducitur, sit Catholicissima.*

Ne prolixa nimiùm fiat relatio, prætermissis pluribus sufficiat memorata à me aliàs ex ejusdem libelli pag. 115. pro Jansenismo simul & Quietismo Conclusio.

Sicut (adversarij) *per vafrè fabricatas quinque Propositiones, in se justè condemnabiles; ad sensum tamen catholicum facilè reducibiles, doctrinam Jansenii procurarunt damnari, ut per latus Jansenii, doctrinam S. Augustini, à doctrina Jansenii reverà inseparabilem, arietarent & dejicerent, sic etiam fortassis hoc tempore multas Propositiones, Michaelis Molinos talibus terminis concepere, quod vix à positionibus fundamentalibus vitæ internæ & verè spiritualis, à Sanctis Patribus Dionysio Areopagitâ, Augustino & aliis, ac Theologiæ mysticæ Doctoribus Bonaventurâ, Henrico Susone, Taulero, Rusbrochio .... S. Matre Teresa, Catharinâ Senensi.... propositis distingui possint, itaut per condemnationem Molinos (quem multi magis infelicem, quàm nocentem autumant) & prætensæ ejus doctrinæ, videantur voluisse eliminare illud parum, quod restat supernaturalis operationis Spiritus Dei vivificantis expertivè intimum fundum spiritualium animarum. Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid subdolè per se & suos efficiant* (adversarii) *Spiritus illis frendentibus, ubi vult spirabit:* Spiritus scilicèt Jansenianus, & Quietisticus.

Ità Sanctus adeò Jansenismi confessor in Portûs-Regii Kalendario commemorationem meritus videbitur, patiendo tàm aspera potiùs, quàm Jansenianam, & Quietisticam *proderet*, etiam silentio *veritatem*. Profiteri eam publicè, ac defendere contra sui Ordinis Præsides, contra Academias Catholicas, contra Episcopos, contra ipsos Pontifices atque universam Orthodoxorum Ecclesiam, minimè erubuit, nullis se comminationibus passus est à suscepri Jansenismi vindiciis deterreri: *frendentibus* (inquit) omnibus Jansenii, & Molinosii adversariis, *spiritus ubi vult spirabit*.

Sed an istud novis Theologis est ferre *pacificè anathema*, ut vocant, *etiam injustum*? Istudne de quo confidenter adeò Quesnellus enunciat: *Tantum abest, ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem*? Charitas omnia patiens, demissio, & obedientia, quàm sint virtutes Jansenistis propriæ, & singulares, elucebit ampliùs ex eo quod habet pag. 104.

Quàm diversimodè Deus bone tractamur ab illo Commissario (Hispano) *Judice totaliter corrupto, ego & Pater Fulgentius Neoportanus!*

Pag. 105. Nihilominus *Visitator Generalis ei Conventus Antuerpiensis gubernationem contulit omnesque ejus Creaturas, quantis potuit favoribus cumulavit, dum ego qui Sedem Apostolicam, qui domum Austriacam, qui Ecclesiam Dei viventis contra insultus Jesuitarum pro virili defendo* (defendendo Jansenium, & Michaelem Molinos) *ad quotidianas mortificationes,*

cationes, ipsâ etiam morte intolerabiliores ab eodem Judice nunquam visus, nunquam auditus (nisi in præclaris meis scriptionibus) *tyrannicè adjudicor.*

Pag. 107. *Ego infrascriptus coram vobis R. P. Sereno Trudonensi Provinciali Provinciæ Flandro-belgicæ declaro: Cum audierim, vobis a R. P. Arsenio de Fontibus Commissario Generali in mandatis datum, ut causam super clandestino meo exitu è conventu Masecano, criminaliter contra me institueretis, & definitivè expediretis, quod egomet desuper moturus & instituturus sim actionem injuriarum apud tribunal Summi Pontificis, contra prædictum Commissarium, eò quod per insupportabilem suam tyrannidem ad illas angustias me adegerit, ut extremâ necessitate coactus, flens & suspirans debuerim pro aliquo tempore extra religionem asylum quærere. Evidentissimè etiam, uti spero, ibidem demonstraturus, quod prædictus R. P. Arsenius* (Hispanus) *in nostra Provincia Flandro-belgicâ egerit partes per omnia Judicis sine conscientia, & Visitatoris sine religione, contestans contra eum cælum & terram, quod contra mentem & inclinationem meam cogat me detegere turpitudinem superiorum meorum.*

Actum Hasseleti 24. Aprilis 1688. F. Eugenius Brugensis Religiosus ... indignus.

Si tota Eugenii declaratio nihil veritati consonum habuerit; at saltem indignitatis professio non videtur manifestam adeò præ se ferre falsitatem. Egregium saltem iterùm hic habemus *pacificæ* penès Jansenistas *patientiæ* specimen: sic judice Quesnello *imitantur* illi *S. Paulum; tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem.*

Quando Religiosum suum Ordinem & verè Sanctissimum, degener filius præposterâ defensione sic nititur commaculare, conjectura fit non difficilis, qualis ab eo jactetur defensio Apostolicæ Sedis, Ecclesiæ Dei, ac Domûs Austriacæ. Valdè scilicet congrua Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ defensio est, quam supra vidimus ex pag. ejus 30. & duabus sequentibus, ubi in damnatione Janseniani voluminis & doctrinę illic traditæ *Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. decepti* asseruntur dignâ novæ Ecclesiæ Apostolo confidentiâ.

Neque videbatur satis efficax Jansenii & universorum ejus dogmatum propugnatio, nisi eam apologiâ Quietisticæ etiam hæresios communiret, ut retuli ex pag. ejus 115.

Postquam omnia Sedi Apostolicæ & authoritati ejus adversantia attribuit Religiosis novæ hæresi infestioribus (Quibus enim Janseniana charitas tribueret potius?) Ita pergit Eugenius Pontificem alloqui.

„ Illi, Beatissimè Pater, in omnibus „ suis actionibus & doctrinis insidiantur Ec- „ clesiæ: nunquam Papales prærogativas „ magis depressere, quàm quando illas ad „ punctа fidei extulerunt: sub prætextu de- „ fendendæ Pontificiæ potestatis, ipsam Pon- „ tificiam potestatem annihilantes, præten- „ dunt Pontificem debere despoticè domi- „ nari super universam Ecclesiam".

Nonne ea conveniens humili Religioso, & quidèm in libello supplice ad Pontificem Oratio? Ubinam autem doctrina istiusmodi ab ullo apud nos Theologo tradita? Quandonam à Pontificibus sibi attributa similis potestas fuit? legitur quidèm in libellis infamibus hæreticorum, eisque affinium Schismaticorum, quam ab utrisque calumniam mutuari Jansenianos non adeò miramur, utpote utrisque pridem arctissimo junctos fœdere, adoptatosque in hæresios pariter & Schismatis consortium, quantumlibet fraudulentam eum Ecclesia simulent unionem.

Præmiserat pag. 10. "Prærogativas Pa- „ pales conatus sum pro virili defendere, non „ illas nimiùm extollendo, sicut Curiales Ro- „ mani plerumque faciunt; sed mediam, „ quam veritas & virtus tenet, tuendo viam.

Pag. 14. "Sic etiàm in aliis prærogativis „ Pontificiis processi, Sanctissime Pater, in „ quibus forsitan aliqua erunt, quæ non per „ omnia Romanis Curialibus arridebunt; „ nam, ut verum fatear, hoc habet Sancti- „ tas Vestra eum Rege Galliæ commune, „ quod utriusque adulatores satis enormiter „ excedant, & dum utriusque potestatem „ ultra quam par est, conantur extollere, „ illam reverà diminuant, imò subvertant & „ perdant. Quæ enim major fatuitas Gallo- „ rum, quàm &c.... Illa insolens natio pro- „ pter modicam prosperitatem arridentis „ modo; sed nimis variabilis fortunæ, supra „ omnem modum intumescit, & in omnium „ Monarcharum despectum, Regem suum „ quasi quoddam Idolum, ac Regum Regem, „ & Dominantium Dominum constituit.

Pag. 15. "Quando etiam, Sanctissime „ Pater, Theologi & Canonistæ Romani to- „ tam Ecclesiæ authoritatem & infallibilita- „ tem in sola collocant personâ Pontificis .... „ uno ictu authoritatem omnium Concilio- „ rum, quam omnis antiquitas Sacrosanctam „ habuit, proterunt. Vide, Sanctissime Pa- „ ter, quantis brodiis tales magistri nimis „ fortè prurientes auribus, & Sanctitatem „ vestram, & totam Ecclesiam involvant.

„ Medium ergo in his tenentem virtu- „ tem secutus sum. Pag. 16.

Pag.16. " Multa alia sunt, Sanctissime „ Pater, quæ ego in libellis meis tractavi, „ quæ omnia cum judicarem in defensionem „ Regis mei, & Monarchiæ Hispanicæ, & „ potissimùm in defensionem ipsiusmet Ve- „ stræ Sanctitatis obligatum me esse ex jure „ naturæ, & Divino, & ipsius Christianismi, „ toti orbi propalare, clam eadem opuscula „ prælo subjicienda curavi; cùm autem ul- „ timum jam folium imprimeretur, omnia à „ Ministris Regiis detecta, ablata, & in ju- „ dicium vocata sunt. Ego verò nihil mo- „ ratus publico scripto rationem mei facti „ reddidi ...

„ Sed superiores mei ad declinandam „ tempestatem, quam toti Provinciæ immi- „ nere credebant, me in Civitate Masecana „ Diæcesis Leodiensis, provisionaliter con- „ signarunt honestæ custodiæ, & per interim „ suspenderunt à Divinis 27. Aprilis 1686." Prioris opusculi Typographus triennium exulare jussus est, alius qui plerosque editioni sumptus præstiterat, mille & Quingentorum florenorum mulctam subiit.

Scripserat P. Eugenius Romam ad Augustiniani Ordinis Doctorem, ab eo sperans afflictæ causæ patrocinium; Sed responsio inde venit quæ sequitur.

Doleo vices tuas & exilium à Provincia; sed causam dedisti; in tuis enim libellis agis apertè Jansenistam, accusans Summos Pontifices, quasi excesserint suam potestatem, decepti à Jesuitis, idque in causis Fidei, vel eidem annexis, quæ est communis istorum Sedi Apostolicæ rebellium cantilena.

Libellum quoque P. Eugenius scripsit sub nomine Ministri Batavi Calvinistæ, ut ejus veluti testimonio miris Jansenistas laudibus extolleret, tanquam præ Romanis cæteris doctissimos, quorum acri ingenio, disputandi arte mirabili, argumentis solidissimis ora obstruantur omnium Acatholicorum; sed futilibus istiusmodi defensionibus adeò non indiget Ecclesia ut eas tanquam mendaces, ac proditione perfida detestabiles execretur.

Pag. 24. Adeò non pænitet P. Eugenium culpæ tam gravis & multiplicis, quin omnes *Reverendos*, sui Ordinis *Patres conjuret*, ut sua sectantes vestigia, *tandem aliquando assumant spiritus dignos ministerio suo in tam urgenti necessitate Monarchiæ Hispanicæ, in tam evidenti periculo Ecclesiæ*, neque absterreantur *propter nescio quas prohibitiones Pontificias, in quarum* (inquit) *censuram fortè vobis videor incidisse* (defendendo Jansenismum) *mihi non videor à vobis debere aut posse judicari; præsertim cùm jam quasi ad tribunal Regium, saltem in scriptis meis stem ubi me oportet judicari. Expectate igitur, quæso, quid Privatum Consilium* (seu intimus Regis Senatus) *ex parte Regis; quid etiam ipse Internuntius ex parte Pontificis respondeant.*

Ita non hodie primùm didicere Janseniani tribunal legitimum appellationibus frivolis eludere. Cùm autem inculcet sæpius *urgentem necessitatem Monarchiæ Hispanicæ*, cui nisi ipse prospexerit, imminere prævidet *certam, & inevitabilem ruinam*, prospiciendi modus non alius P. Eugenio occurrit magis expeditus, & efficax, quàm scripto publico Hispanicæ gubernationis faciem depingere, quasi horridam & omni ex parte turpissimam.

Inde præclaræ defensionis ejus Hispanicæ exordium ducit, ibi terminum ponit pag.6. asserens *repleri à planta pedis usque ad verticem capitis omnia subsellia, dignitates, ministeria in tota dominatione, personis totaliter corruptis, id est unicè quærentibus quæ sua sunt, non quæ Justitiæ, Regis, aut Republicæ, vel Dei: his autem alios ejusdem farinæ in locum demorientium continuò subrogantibus, jam non tantùm Hispanicæ Monarchiæ restauratio; sed & omnis penè reformatio impossibilis judicatur ... Carolus Secundus in spem tam vastæ & potentis Monarchiæ natus, ad quam benè regendam ipsa Salomonis sapientia illi opus esset, educatus est in totali ignorantia cognitionum & scientiarum tanto Monarcha dignarum, eique necessariarum.*

Se verò egregiè functum esse Defensoris Hispanici munere P. Eugenius arbitratur, & ab omni calumniæ, quin & imprudentiæ culpâ immunem, quando totius fictitiæ corruptionis in Rege & Monarchia reos fecerit Religiosos Jansenio maximè adversantes.

Ibid. ait, *ipsos pariter esse proditores Imperatoris & Imperii, qui omnia Secreta Aulæ istius, Gallicis Ministris revelent, & nimis Ignatiando generosissimum Leopoldum, illumque stimulando nimis acriter & extrà tempus contra Protestantes & Lutheranos, occultè conentur novis difficultatibus irretire, & reiteratis rebellionibus obruere.*

Tandèm ut totius Reipublicæ Christianæ curam sibi incumbere P. Eugenius ostendat pag.112. ad Regnum se Poloniæ hac oratione convertit. *Quis dicet, quomodo tanta armorum potentia in fumos abierit; Quâ ratione Rex Poloniæ Turcarum antea terror, jam aliquot annis desidiâ torpuerit? Et adhuc nemo Christianorum Principum; imò nec Summus Pontifex, Vestra, inquam, Sanctitas, communis fidelium Pater, tam perversos & rebelles filios aliquando corripuit dicens, quare hoc fecistis?*

Pag.65.

Pag. 65. *Illa inficiari non possunt, quæ initio præsentis anni in Curia Poloniæ peracta sunt, & tamen omnes Principes tam Ecclesiastici, quàm seculares, quasi lethargici tacent, & videntes videntur non velle videre. Mira adversariorum fatalitas, & infelicissima prorsus felicitas*, quòd dum eausa omnium malorum sunt, & ab omnibus noscuntur, reprimuntur à nemine.

Pag. 113. *Quinam per Deum immortalem tantoperè obdurant animum Regis Christianissimi?*

Pag. 114. *Expergiscere tandèm Romana Curia, expergiscimini Principes, & Respublicæ Italiæ: jam securis ad radicem arboris posita est: satis indicat ambitiosas Rex Galliæ prætensiones. Quid adhuc desideratis testimonium? Ecce audistis ex ore illius, quid contra vestram libertatem meditetur.*

Quis igitur P. Eugenium, bonum adeò Janseniſtam, non solummodò sub totius Ecclesiæ; sed Imperii quoque, regnorum, provinciarum omnium solicitudine anxiâ succumbentem, existimet *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, quando in omnibus *S. Pauli* tam egregius *imitator* est? Ut autem malorum omnium, quæ Ecclesiam & orbem affligunt universum, origo remotissima est peccatum Adæ, sic causa proxima penès Eugenium sunt Religiosi Jansenio maximè contrarii. Hine argumentum suo dignum ingenio elicit, atque, ut autumat, à nemine dissolvendum.

Pag. 22. *Optarem igitur scire* (inquit, Patres suos alloquens) *posito quod sint proditores Status & Religionis, Pontificis & Ecclesiæ Dei, an non utrique Reipublicæ, Ecclesiasticæ & seculari summoperè expediret, illud demonstrari? Certè nisi vos ipsi velitis alicualis proditionis notam incurrere, respondendum est affirmativè.*

Tota ergò nunc quæstio ad hoc solum punctum devolvitur, hoc non debuisse à me in individuo fieri; sed à quibus? A Judicibus fortè, vel Ministris Regiis, aut Pontificiis? Quid si illi omnes taceant, vel ignorantes, vel quærentes quæ sua sunt, non quæ Reipublicæ, Regis, Pontificis, Ecclesiæ Dei, vel certè obcæcati, vel fascinati, vel venditi? Redibit, ut certò prævideo, semper argumentum ad incapacitatem personæ meæ ad opus tam arduum & excellens. Quòd si miremini, Reverendi Patres, quomodo possibile sit, ut ego talis ad hoc particulariter a Deo potuerim eligi, non tantùm & ego miror; verùm etiam obstupesco.

Magis autem obstupescunt alii, mirantes tantam homini huic insaniam obvenisse, ut ad Jansenianæ defensionem hæresios, & si-

Constitutio Theol. propugn. Tom. IV.

milem Romanæ Curiæ, Regnorum omnium, ac totius Ecclesiæ reformationem, à Deo se autumet, & palàm asserat singulari providentiâ electum.

Sic aliàs Lutherum veluti Prophetam, Apostolum, Evangelistam eximio Dei beneficio reformandæ Ecclesiæ, ac defendendæ propagandæque Evangelicæ veritati concessum jactabant tum Lutherus ipse, tum ejus discipuli.

Philippus Melanchton præfatione ad tomum 2 Lutheri editionis Vvittenbergicæ anni 1551. penè jurabat, doctrinam Lutheri Christum designare voluisse, cùm dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

Theodorus Beza Præfatione ad commentarium Calvini in Josuë credi à nobis voluit, Deum esse Calvino non leviter obstrictum, tanquàm gloriæ suæ vindici, & Christianæ religionis unico assertori. Sic Hæresiarchæ celebrantur à suis, & æstimari cupiunt ab aliis.

Undè, inquit Florimundus de Ortu hæres. lib. 7. cap. 19. *Nullus erat juvenis, qui quidèm emancipatus, ac sui juris esset, qui non* (Calvini) *tanquam alterius & novi Sancti Pauli Apostoli videndi desiderio afficeretur.*

Sic ad P. Eugenii tanquam novi Apostoli conciones turmatim concurrentem vidimus Academicam juventutem, & invectivas ejus contra sui temporis Scribas & Pharisæos, quo nomine nemo erat, qui notari ab eo non intelligeret Religiosos, Jansenianis novitatibus maximè contrarios. Istud pridèm subdolum fuit hujus Sectæ ab ipsa sua origine consilium, infinitâ factorum multitudine & praxi quodammodo quotidianâ confirmatum, ut Religiosos macularet destrueretque, quos pervertere non posset.

Franciscus Simonis tractatu de fraudibus hæreticorum parte 3. fraudem posuit decimam quartam, *viros Religiosos suis erroribus inficere si possint: sin minùs, lacerare ac perdere quoad possunt, ut authores præcipuos calamitatis suæ.*

Huc pertinet, quod Religiosorum gravium pridèm testimonio traditum accepi, & lectoris, prout visum ipsi fuerit, judicio committo. " Nos F. Marcus à Nativitate Virginis Provincialis Carmelitarum Provinciæ
" Turonensis, hoc scripto declaramus, quòd
" anno 1652. & 1654. Dominus de Razilly
" vir nobilis Turonensis testatus nobis sit, interfuisse se circa annum 1620. colloquio
" cuidam virorum in Ecclesia spectabilium,
" inter quos erant Dominus du Verger; cui
" nomen deindè fuit Abbati Sant-Cyrano,
" & Dominus Jansenius deindè Iprensium in
" Flandria Episcopus.

„ Proponebat in eo colloquio D. du
„ Verger ut ne fideles Regularium templa
„ adirent tam frequenter, optimum factu fo-
„ ret, si Ecclesiastici, qui administrandis Sa-
„ cramentis dabant operam, praxi uterentur
„ ei oppositâ, quæ id temporis usurpabatur
„ à Regularibus; Pœnitentiæ verò Sacra-
„ mentum difficile redderent, Eucharistiæ
„ autem, ut usus rarior esset, efficerent.

„ Jansenio consultum non videbatur in
„ Religiosos simul omnes insurgere; sed ini-
„ tium ajebat sumendum esse à Jesuitis; ne-
„ que enim difficile futurum, demonstrare,
„ perversam eorum esse de gratia doctrinam;
„ & sopitas de ea re sub Clemente VIII.
„ concertationes restituere. In eum finem li-
„ brum se conscripturum addicebat, quo Je-
„ suitarum doctrinam impeteret: quem sus-
„ picio est eum esse, qui dein prodiit in publi-
„ cum, hoc insignitus titulo *Augustinus &c.*

„ Priorem agebam in Conventu nostro
„ Turonensi, cum Dominus de Razilly prius
„ quam obiret, sui etiamnum apprimè com-
„ pos ac conscius, quæ de illo colloquio an-
„ te commemoraverat, iteratò testatus est
„ esse vera. Sed & hæc eadem narrarat P.
„ Nicolao à Visitatione Prædecessori meo
„ eodem in munere Prioris, subjeceratque
„ edixisse se viris istis, non placuisse sibi ea
„ consilia aut colloquia; quippe in quibus
„ nihil agebatur aliud, quàm ut passioni suæ
„ atque utilitati inservirent.

„ In quorum fidem has propriâ manu
„ scriptas signavi & signari curavi per Assi-
„ stentem nostrum, atque insuper sigillo of-
„ ficii nostri muniri. Actum Turonibus 29.
„ Julii 1687. Fr. Marcus à Nativitate Virgi-
„ nis Provincialis Carmelitarum in Provin-
„ cia Turonensi. Fr. Josephus à Jesu Maria,
„ Assistens R.P. Provincialis.

„ Nos F. Nicolaus à Visitatione Reli-
„ giosus Ordinis B. Mariæ Montis Carmeli
„ declaramus audivisse nos ex ipso Domino
„ de Razilly, tam cum Prioris munere fun-
„ gebamur Turonibus anno 1649. quàm
„ 1650. ea quæ Pater noster Provincialis
„ R.P. Marcus à Nativitate Virginis refert
„ de colloquio, cui interfuere D. Saucyra-
„ nus, D. Jansenius, & aliquot alii, & in
„ quo consilia contulerunt, quæ dein exe-
„ cutioni mandata sunt, ut vulgò compert-
„ tum est. In quorum fidem hasce manu meâ
„ signavi, atque apponi curavi Conventûs
„ nostri sigillum. Actum Turonibus 29. Ju-
„ lii 1687. Fr. Nicolaus à Visitatione.

Cujus testimonii etsi adhuc aliàs typis editi fidem, non vidi ab adversariis hactenus evocari in dubium; sed stabiliri potiùs factorum ab eo tempore in hunc usque diem serie nunquam interruptâ, ut, si fabula esset, non potuerit verisimilior excogitari, & magis congrua historiæ.

Quesnellus etiam in scripto, quòd inejus *Causa*, seu Processu juridico refertur Articulo 9. pag. 223. rationem reddens cur *nondum vindicari valeat Jansenius ab injuria* sibi à Pontificiis *illata* Constitutionibus, causatur *nimias adhuc adversantium vires*, & nimiam adhuc ignorantiam, sive ut loquitur, *nimium adhuc luminis defectum in judicibus*.

Ideò vix hebdomadam præterire Janseniana factio solita est, quâ non lucubrationis quidpiam protrudat, novitatibus favens, Religiosorum verò sibi adversantium dogmatibus ac moribus infestum. Ea charitas censetur novæ propria Ecclesiæ, eos, quorum resistere rationibus nequeat, maledicis lacerare scriptionibus, & calumniis orbi reddere odiosos.

Lepidum autem est, quod P. Eugenius Summo Pontifici de nimia nostra in ferendis suis contumeliis patientiâ conqueratur, quod famosa contra nos opuscula contemneutes, operosis ea vindiciis non repellamus. Pag. 117. *Scribuntur*, inquit, *& evulgantur contra eos libri, & tractatus, per quos incontestabiliter, & evidentissimè per centum instantias demonstratur eorum modus agendi omnibus perniciosus &c. quasi confidentes justitiæ causæ suæ, qualiacunque scripta quasi deliramenta* (ut manifestissimè sunt Eugeniana) *vilipendentes ne ullo quidem dignantur verbulo responsi*; Quia, ut dicitur, ab assuetis non fit passio.

Assueti sumus novorum contumeliis hæreticorum; neque ex nobis apud Sapientes ignominiæ sunt; sed honori, & gloriæ. Si enim hæreticis consentiremus, ab iisdem inter Augustini discipulos adsciti, in suorum mox Sanctorum Canonem referremur. Si saltèm hæresim dissimulantes, nullum poneremus ejus progressibus obicem, canes dormientes intempestivis nollent expergefacere clamoribus; Sed quia sibi experiuntur infestos, obruere calumniis moliuntur, tum ut iis abigendis detenti, ab insectandis in posterum hostibus avertamur, tùm ut nostro alii exemplo territi, horreant sævos adeò irritare Crabrones.

Quòd igitur novi hæretici tam atrocibus in nos vociferationibus invehantur, indicium manifestum est, nos temporibus periculosis non torpescere otio, neque ignavos esse certaminum spectatores; Sed manus cum Ecclesiæ hostibus intrepidè conserere. Consoletur itaque nos, & ad bellum sacrum magis exstimulet monitum Francisci Simonis Tracta-

Tractatu de fraudibus hæreticorum parte 2. Fraudem hanc ordine decimam recenfens: *Optimum quemque Virum, quem fuis conatibus adverfantem fentiant, profcindere libellis infamibus, atque atrocibus vexare contumeliis.*

Nihil fub Sole novum. Idem in fui temporis hæreticis expertus eft Hieronymus: ideò Fideles, etiam poftetos, ne turbarentur præmuniit Commentario in cap. 18. Jeremiæ ad illud: *Venite & cogitemus adverfus Jeremiam cogitationes .... venite & percutiamus eum linguâ, & non attendamus ad univerfos fermones ejus.*

Ifta (inquit Hieronymus) *& tunc Judæorum contra Jeremiam, fiue Dominum Salvatorem, & hodie hæreticorum contra Servos ejus cogitatio eft, ut calumnias ftruant, & Sanctos viros accufatione præveniant, nec cogitent quid illi veritatis loquantur, fed ipfi ftruant mendacij.*

Idem Sanctus in Amos cap. 2. *Habent & Sagittarios hæretici ...ifti funt Sagittarii, de quibus & David canit: Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt fagittas fuas in pharetra, ut fagittent in obfcuro rectos corde.*

Pelagius indole timidus defcribitur, & uti vafer ingenio, ita eloqui parcus, qui propterea *mutus*; fed per Alpinum Canem latrare dicitur à Sancto Hieronymo Præfatione ad lib. 3. in Jeremiam. *Alpini Canis* nomine intellige Cœleftium Pelagii difcipulum cum ait: *ipfeque mutus latrat per Alpinum Canem, grandem & corpulentum, ut qui calcibus magis poffit fævire, quàm dentibus.*

Quanquàm Canis hic ab Auguftino depingitur ut dentibus armatus, iifque non penitùs obtufis; faltèm allegata ex Hieronymo defcriptio apprimè convenit Eugenio, qui fermone & fcriptione audaciffimus, effutiebat liberrimè, quidquid à vafris clam fibi fuggeftum Lovanienfibus acceperat, iuxta illud quod Ctefiphonti fcribit Hieronymus: *Magiftrorum filentia profert rabies difcipulorum: quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant.*

Magiftris illis etiam convenit illud Hieronymi Præfatione ad librum 4. in Hieremiam: *In tantum elingues & miferi demonftrati funt, ut ne maledicere quidem fuis verbis potuerint*; Sed opportunum perfidiæ fuæ organum nacti funt Ordinis Sanctiffimi Ecclefiaften, tàm animo temerarium, quàm promptum linguâ & eloquio copiofum.

Molefta ei pridèm fuerat religionis in victu aufteritas, quam cum fublevatum veniret quorumdam liberalitas Academicorum, non poterat ea non grata accidere, uti & fcheda quælibet concionibus ac fubinde fcriptionibus materiam fubminiftrans, quam comitari folitæ erant lautiores epulæ, eæque non parcæ, quin pluribus fufficerent fociis, quos fibi cuperet patronos adfcifcere vel amicos.

Hæc notiffima funt in religiofiffimi Ordinis Provinciâ Belgicâ, cui lapfus focii vnius à novatoribus circumventi, certiori in pofterum documento fuit, & acriori ftimulo, ut Janfenianam fectam fibi ftatueret non minore infectandam odio, quàm Calvinianam.

Tandèm *vocem ultimam zelatricis innocentiæ*, toti confona operi terminat Conclufio pag. 118. & 119. „ Quandoquidem ergo „ nulla, Sanctifsime Pater, in ipfamet Curia Veftra Romana contra tam impios & perduelles reperibilis fit juftitia, non eft „ ampliùs dubitaudum, quin terras Aftræa „ reliquerit.

„ Neceffe tamen foret"... ut Sanctitas Veftra ad inftantiam ejufdem Curiæ Romanę „ fupplicantis pro „ (adverfariis)„ potentibus auro & argento Conftitutionem publicaret, per quam „ (illis)„ daretur patentifsimus campus docendi & faciendi „ quodcumque & quomodocumque illis libuerit, difpenfando ad hunc effectum „ quofcumque fideles ab obligatione cujufcunque juris naturalis, Divini, & pofitivi, „ quæ fupradictis videri aliquatenùs poffent „ contrariari.

„ Poft hanc ultimam vocem, Sanctifsime „ Pater, quam finiens, Sanctitati Veftræ „ annos plures pro communi Chriftianitatis „ bono apprecor, & mifericordi Deo vota „ mea, preces & lachrymas, quin & tolerantiam perfecutionum præfentium, & „ futurarum offerens, in pofterum gemens „ tacebo„.

Infignis hæc Janfeniana pariter & Quietiftica patientia eft. Poftquam Eugenius fanda, & nefanda quælibet effutivit feditiofis concionibus, & fcriptis typo editis, contra Religiofos, etiam fui Ordinis Moderatores, contra Reges Poloniæ, Galliæ, Hifpaniæ, eorumque Adminiftros, contra Imperatorem, contra ipfum Pontificem & uniuerfam ejus Romanam Curiam, contra Apoftolicas de fide Conftitutiones, poft publicam Janfenianæ & Quietifticæ hærefeos defenfionem, religiofus P. Eugenius, & totus devotulus, *gemens in pofterum tacebit*.

Sic novus difcipulus Auguftini præclarè exercuit, quod in nova didicit Ecclefia, *potius in pace pati excommunicationem & anathema injuftum, quàm prodere veritatem* vel tacendo: *fic imitari* didicit *S. Paulum*: fic didicit *abeffe* longifsimè à volendo *erigere fe con ra authoritatem, ac fcindere unitatem*. Quas

Quas utinam aberrationes tot Ordinis Sanctissimi hortationibus institutus & exemplis, salubriter aliquando poenitens retractaverit, ut violatæ toties *unitati* restitui in perpetuum mereretur!

CAPUT VIII.

Gerberonii in rejiciendis Ecclesiæ mandatis, prohibitionibus, censuris impudentia.

1 GAbriel Gerberon Reformationem professus in Gallia Monasticam; sed in Jansenianam magis postea propendens, ideoque carcerem Regium veritus, clàm in Belgium profugit, Austriacum priùs, dein Hollandicum, in quo, ut tutior degeret Roterodami Cinium se numero adscripsit; Tandèm Brabantiam Hollandiæ præferens, oblato Bruxellis latibulo sub fidæ Amazonis custodiâ se commisit securus annis pluribus: neque minore quàm apud Batavos audaciâ scripturiens.

Illic cum Arnaldo atque Quesnello universas mox Belgii Provincias & regiones finitimas implere cœpit libellis famosis, ac Jansenianum virus latissimè disseminare. Novæ huic Gallorum Triadi strenuam conferebant operam Belgæ aliquot, præter Patrem Eugenium superiore capite memoratum. De Belgis illis mentio fiet in sequentibus, interim præsens caput solo sibi vindicante Gerberonio.

Quesnellus quidem, mortuo Arnaldo (cum quo dum viveret, neque ipse, neque alius quispiam ausus fuerat de novæ Ecclesiæ primatu contendere) communibus Portus-Regij, & aliorum ex utroque sexu suffragijs sectatorum, delectus successor fuerat, sicut è *Causæ Quesnellianæ* Articulo decimo exploratum est. Gerberonius tamen & Ægidius de Vvite, quem capite proximo audiemus, nunquam visi sunt huic se submittere electioni, Quesnellumque sibi Patriarcham agnoscere vel Magistrum.

Pendente hac inter Jansenianos Principes lite, & quadam veluti schismatis specie, supervenit Archiepiscopus Mechliniensis Humbertus Guilielmus à Precipiano, cujus memoria Catholicis semper in Benedictione erit, hæreticis in execratione. Is detecto Gerberonij, atque altero Quesnelli, Brigodeique latibulo, tres simul eodem apprehensos die, diversis suo in Palatio conclusit cubiculis; Sed nulla potuit Antistitis contra Jansenistarum industriam providentia sufficere, quin vigilantibus etiam ad Quesnelli cubiculum custodibus, is effracto forinsecus pariete elaberetur.

Universa tamen penès Archiepiscopum remansit tum fugitivi, tùm Brigodei, atque Gerberonij supellex literaria. In hac comperiuntur duo Catalogi, seu Indices à Gerberonio manu propria conscripti, referentes nomina operum ferè sexaginta, quæ typis ediderat, etsi non omnia à se composita fateatur. Sed juris regulæ ferunt, ut libelli famosi, aut noxii, quisquis disseminator deprehenditur, pro authore accipiatur.

Ex illis non quidquid pestilens apparuerit, describere mihi animus est, nam omnibus volumen unum non sufficeret; sed ad præsentem solummodò articulum pertinentia exhibere lectoribus statui; neque ea universa; sed quæ satis ponderis, seu malitiæ habent, ut Jansenistarum convincatur hypocrisis, quando *pacis* studium fingunt, & *patientiâ* gloriantur in tolerandis, ut vocant, persecutionibus, atque ipso *anathemate*, quasi egregii imitatores modestiæ & mansuetudinis *Paulinæ*, remotissimi ab *erigendo se contra authoritatem*, nec minùs à *scindendâ unitatis* consilio alieni.

Composuerat Gerberonius, ac typis ediderat *Speculum Christianæ pietatis*, indignâ turpi Operi speciosâ epigraphe, ut pulchritudinis larvâ deciperet incautos; sed non fefellit Cardinalem Grimaldi Archiepiscopum Aquensem, neque Cardinalem le Camus Episcopum Gratianopolitanum, neque Illustrissimum le Tellier Archiepiscopum Remensem, qui præcipuè duo ultimi minimè debuerunt esse Gerberonio suspecti. Idem opus condemnavit Sedes Apostolica, Senatus etiam Regius Aquensis incendio addixit.

Quid ad hæc omnia humilitas, mansuetudo, *patientia* Gerberonii? Mox anno 1680. composuit vindicias, temerariâ magis, & contra tantæ authoritatis sententiam insolentissimâ inscriptione: *Speculum sine macula*. Gerberonium præcipuè pupugerat ferula Eminentissimi Aquensis quem sic alloquitur pag. 180. " Noli existimare, *Speculum* illud „ haberi velut opus Diabolicum, quia dicis „ pœnam subiisse, quam Diaboli pariun„ tur, nempè ignem. Ea enim præcipua Li„ bri gloria est hoc tempore: Eandem enim „ subiere sortem illustriora cæteris & dictata „ à Spiritu Sancto volumina „.

Epistolam quoque Gerberonius edidit anonymam contra censuram ejusdem Eminentissimi Grimaldi & Regii Senatûs, ubi pag. 26. sic legitur: „ Declarat Archiepisco„ pus, se doctrinam libri *Speculum Christianæ* „ *pietatis* appellati, condemnare tanquam falsam,

„ falsam, temerariam, scandalosam, & hæ-
„ reticam; quia renovat Propositiones ab
„ Innocentio X. & Alexandro VII. damna-
„ tas. Nihil poterat Decretum tuum de-
„ monstrare evidentiùs irritum & injustum;
„ illius enim suppositi falsitate nihil est ma-
„ nifestiùs. „

Pag. 37. " Sententia, quam Regius Pro-
„ vinciæ Senatus tulit adversus *Speculum*
„ *Christianæ pietatis*, & novi Testamenti
„ versionem gallicam Montibus Hannoniæ
„ editam, videtur effectus passionis, & zeli
„ præposteri eorum, qui dogmata sua falsa,
„ & perniciosa principia stabilire nequeunt,
„ nisi impugnando Evangelicam veritatem..
„ Cardinalis Archiepiscopus, nihil condem-
„ navit, nisi Jesum Christum, qui est ipsa
„ veritas. Eminentissimi sententiam con-
„ firmavit Senatus; Verùm qui Christum ità
„ ignibus addicunt temporalibus, non me-
„ tuunt æternos? „

Aliam Gerberonius Epistolam edidit anonymam *cujusdam Theologi ad Archiepiscopum Remensem*, in qua dicitur pag. 5. " Hinc
„ ab omnibus judicabitur Rhemensem Ar-
„ chiepiscopum esse illum superbiâ inflatum,
„ de quo loquitur S. Paulus, veluti de Do-
„ ctore, qui nihil noverit de scientia San-
„ ctorum, & possideatur ab illa infirmitate,
„ ex qua nascuntur invidia, contumeliæ,
„ suspiciones malæ, & perniciosæ conten-
„ tiones. „

Hactenùs humilis Religiosus reformationem professus rigidam, scriptionibus autem irreverentibus & contumeliosis plus referens Calvinianæ sectæ Ministrum furentem, & dissolutissimum, quàm inter Catholicos Sacerdotem. Quid verò dignius impudentiâ ejus comminisci poterit adversus Eminentissimum Gratianopolitanum, cui aliàs ut Sanctorum catalogo inscriberetur, vix aliquid deesse confœderati Gerberonio Theologi censuerunt?

Illius de Janseniano *Speculo* mitius quidèm, quàm perversitas operis merebatur, judicium fuit; Sufficere tamen authori debuerat, ut temeritati suæ frænum injiceret, & à publica suorum lapsuum desisteret propugnatione. Ità nempè Eminentissimus hic Antistes 17. Januarii 1678.

„ Invocato (inquit) Dei Spiritu, & lecto
„ accuratissimè Libro cui titulus: *Speculum*
„ *pietatis Christianæ &c. Authore Floro à*
„ *Sancta Fide*, vocatis etiam in consilium
„ præstantibus pietate & scientiâ Theologis,
„ judicavimus Librum illum continere enun-
„ ciationes complures malè digestas, duras,
„ intricatas, idoneas turbandis conscien-
„ tiis, inspirandæ infirmioribus desperatio-
„ ni, atque insinuandis erroribus autea con-
„ demnatis à Sede Apostolica & Episcopis
„ Galliarum. Proindè censuris eum talibus
„ damnavimus & condemnamus, ejusque le-
„ ctionem omnibus Diœcesis nostræ fidelibus
„ interdicimus sub pœnis in jure contentis. „

Anno 1696. 20. Augusti Cardinalis de Noailles Archiepiscopus Parisiensis Librum Gerberonij dictum: *Expositio Fidei circa gratiam & prædestinationem* condemnavit *tanquam continentem Propositiones respectivè falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphemas, Deo contumeliosas, & derogantes ejus bonitati, percussas anathemate, & hæreticas, denique renovantes doctrinam quinque Propositionum Jansenii, temeritate tanto magis intolerabili, quòd hic author proponere audeat velut dogma Fidei, quod non solummodò fidei non est; sed etiam quòd fides maximè horret, & universa detestatur Ecclesia...*

Libri verò lectionem sub pœna excommunicationis, et aliis in jure expressis probibemus, præcipientes sub iisdem pœnis, ut exemplaria ad Nos, aut Vicarios nostros deferantur: neque prætermittemus quidpiam, quo doctrina hoc opere contenta, & instaurata supprimatur, ac penitùs extirpetur.

Superiùs dixerat: *Curavimus diligenter examinari, & nos ipsi examinavimus Librum illum, in quo facilè nobis fuit totius Janseniani dogmatis virus perspicere: Prima Propositio, quæ radix, & fundamentum quodammodò cæterarum est: JUSTIS CADENTIBUS NEGATUR GRATIA SINE QUA NIHIL POSSUNT; illic asseritur velut dogma Fidei.*

Necesse non est Propositiones alias damnatas, quas author suo operi inspergit, expendere, uti neque quòd Augustiniani nominis, aliorumque Doctorum authoritate abutatur. Quapropter ... inhærentes Constitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. post maturam deliberationem, invocato Dei nomine, condemnamus Librum cui titulus &c. ut supra.

Anno proximè sequenti, nempè 1697. die 8. Maii Liber idem à Sede Apostolica condemnatus est. Cessitnè autem Gerberonius authoritati, eamque veneratus in pace, & silentio, Operis sui anathema toleravit? Non is novæ Ecclesiæ spiritus est, non fructus novi Evangelij. Contemptâ utrâque prohibitionis sententiâ, iteratis anno 1700. typis edidit Librum eundem cum vindiciis, in quibus ubique emicat ingenium novæ sectæ indocile, & omnis fræni impatiens.

Titulus Libri est: *Institutiones circa Gratiam juxtà Scripturas, & Sanctos Patres Authore*

Authore D. Arnaldo Doctore Sorbonico cum expositione fidei Ecclesiæ Romanæ circa Gratiam, & Prædestinationem authore D. Barcos. Etiam hic Liber Romæ confixus fuit Decreto S. Officii 1704. die 11. Martii. Barcos Sancyrani Nepos, & Arnaldi condiscipulus fuit, cujus Trinitatis minimè Sanctæ, laus magna est in Ecclesia malignantium.

Referendæ nunc sunt laciniæ quædam ex memoratis proscripti Operis vindiciis. pag. 369. " Contra præcipuas (inquit Gerberonius) muneris sui partes Archiepiscopus (Parisiensis) delinquit feriens anathemate *Expositionem Fidei* accuratissimam, in qua nullam reperies enunciationem, Augustini dogmatibus non consentientem.,,

Pag. 371. " Supponit Archiepiscopus tanquam verum, quod ab annis quinquaginta & ampliùs de calumnia convictum est. Itànè dignum videtur Archiepiscopo destruere doctrinam sanam?,,

Pag. 374." Pessimè de ipso meriti sunt, qui persuasere, ut assereret, Propositiones quinque è Jansenii volumine fuisse excerptas, postquàm ea calumnia oculis omnium exposita est clariùs, quàm Sol luceat meridie.,,

Pag. 377." Provoco quemlibet ut designet ubi nam author *Expositionis Fidei*, aut ullus, Jansenistæ nomine appellatus, aut Jansenius ipse Doctrinam tradiderit ab Innocentio X. & Alexandro VII. condemnatam. Certum nobis est, futurum neminem, qui id designet.,,

Pag. 380." Prodigium singulare foret, renasci aliquid, quod nunquam extitit. Licèt verum foret, quod ab Archiepiscopo falsissimè asseritur, hæresim contineri in condemnata ab eo *Fidei expositione*, non tamen foret hæresis renascens, quandoquidem, quæ ab eo fingitur, nunquam nata fuerit, à nemine unquam defensa; sed rejecta semper ab omnibus."

Pag. 391." Enunciatio hæc, *Petro dum lapsus est, defuit gratia, sine qua nihil possumus*, est catholicissima: cujus sensum, si uti oportuit, perspectum habuisset Archiepiscopus, eam velut impiam & hæreticam non afflixisset anathemate; sed veluti piam ac catholicam, authoritatis suæ patrocinio adversus spicula calumniantium protexisset.,,

Pag. 401." Atrox hæc & exotica censura, minimè refert Archiepiscopi moderationem: undè verisimile fit, aliquos Molinæ & Pelagii discipulos majorem in eam partem habuisse, quàm Antistitem. Sufficere hæc possent ad implendas ignominiâ & pudore facies eorum, qui authores Archiepiscopo fuerunt, ut *Expositionem fidei* persequeretur, quasi condemnatam in quinque Propositionibus doctrinam defenderet.,,

Pag. 411." Postquàm Archiepiscopus crudeli adeò anathemate doctrinam Augustini & Ecclesiæ, inscius confixisset in Libro, nihil aliud continente; mox in eodem suo diplomate, quasi ductus pœnitentiâ, quam temerè proscripserat doctrinam, ipse populo suo tradit & inculcat operosiùs. Condemnationis istiusmodi modum nullus intelligit, nisi quòd malèfacti conscientiâ ductus Antistes, quam alieno impulsu damnaverat *Expositionem*, motu proprio approbaret.,,

Pag. 413." Sed quantò magis posterior ea instructio Fideles ædificat, & replet gaudio, tantò ampliùs mœrore dejicit, quod conspiciant Archiepiscopum christianè adeò de gratia sentientem, seduci se tam infeliciter permisisse, ut quam ipse retinet ac tradit fidelibus doctrinam, in doctissimo ac religiosissimo Iprensium Antistite Cornelio Jansenio, atque in *Expositore fidei* condemnarit.

Pag. 425." Quod nempè tradit Archiepiscopus, docet *Expositio fidei*, docent quotquot uspiam sunt, aut fuerunt aliàs veri nominis Jansenistæ, iidemque Augustiniani.,,

Antequàm ulteriùs progrediar, hìc sistere te paulisper cupio, Catholicè Lector, & ne citationum continua nimis copia fatiget, neque eam satis retineat memoria, brevis necessaria apparet animadversio. Quod genus contumeliæ est, quo Jansenìani, quoties condemnantur, suos non impetunt, & quasi dilacerant Judices?

Archiepiscopus Rhemensis describitur *superbiâ inflatus, qui nihil noverit de scientia Sanctorum, qui possideatur spiritu invidiæ, contumeliæ, rixæ, suspicionis.*

Cardinalis Archiepiscopus Aquensis, juxtà Gerberonium, *nihil proscripsit nisi Christum, qui est ipsa veritas*: Senatus eandem sententiam confirmans, atque incendio addicens *Speculum*, uti & Testamentum Gallicum Montense, flammis tradit Christum, dignus propterea ignibus inferorum.

Archiepiscopus Parisiensis anathemate feriens Expositionem Gerberonianam, si Reo credimus, peccat contra præcipuas sui muneris partes, calumniam supponit, destruit doctrinam sanam Augustini, & Ecclesiæ.

Tàm

Tàm autem Librum illum *Expositio fidei*, quàm *Speculum pietatis*, utrumque à fide devium, prohibuit etiam Apostolica Sedes; sed quæ juxtà Gerberonium, fidem Catholicam in Jansenio condemnavit. Hæc novatoris hujus Quesnello conjunctissimi ovina *patientia est*; Sic *in pace toleratur anathema*, etiam *injustum*, adeò religiosa illi & sedula cura est, ne *se erigat contra authoritatem, aut scindat unitatem*.

Ea Augustinianorum istiusmodi ergà Parisiensem Antistitem affectata reverentia est, cui nequissimè adulantur ut fallant, detrahunt impudenter, quoties sentiunt adversantem, ut dicturus meritò Cardinalis sit, *qui laudabant me, adversus me jurabant*. In detestabilis perfidiæ suspicionem à Gerberonio vocatur idem Archiepiscopus, magis etiam qui ei à consiliis intimis esse dicitur Dominus Boileau in Processu juridico contrà Gerberon. Hic cap. 2. pag. 30. ad Art. 96. ubi fatetur se edidisse *Animadversiones novas in* „ *Decretum Archiepiscopi Parisiensis contra* „ *Expositionem fidei &c.* ut demonstraret „ quòd ista ordinatio in secunda sua parte „ non videretur consentire priori parti circa „ gratiam; *Et hæ quidem notæ* (inquit) *antequam ederentur, consensit ipsemet Archie-* „ *piscopus Parisiensis, ut publicæ fierent*, prout „ D. Boileau, qui ipsi *est à Consiliis, rescripsit* „ *ipsi Typographo Amstelodamensi de l'Orme*"

Itanè hæresis censuris, adeò multiplicibus & verbis adeò patheticis in priore diplomatis parte feriri ab Archiepiscopo debuit, ut appro baretur subdolè in posteriore? In eodem Processu cap. 6. art. 18. Procurator Fiscalis objicit" „ Quòd citatus (Gerberon) habuerit Literas „ 14. Septembr. 1696. è Gallia datas, quarum „ copia à citato scripta hic exhibetur tenoris „ sequentis: Archiepiscopus Parisiensis tan- „ dem condemnavit Librum *Expositio Fi-* „ *dei &c.* appellatum... Actus iste non parùm „ imminuit eximiam, quam plerique de eo „ conceperant æstimationem, & ludibrio ex- „ cipitur medium, quod iniit. Commune „ judicium est, quòd mereretur Diploma „ illud responsionem aliquam, quâ ejus ine- „ ptiæ ostenderentur compendio. „

Ibidem Art. 19. "Quòd citatus habue- „ rit alteras Literas die 6. Octobris 1696. cir- „ ca eandem materiam datas, quarum copia „ hic quoque exhibetur, exarata manu ci- „ tati, quibus scribitur de Illustrissimo Ar- „ chiepiscopo Parisiensi. *Habet penès se Ec-* „ *clesiasticum quemdam Boileau patriâ Ande-* „ *gavensem, pietate, doctrinâ, & eloquen-* „ *tiâ præditum... Is creditur effecisse ut in De-* „ *creto Archiepiscopi Parisiensis pars poste-* „ *rior, mendacii arguat priorem*. „

Ad utrumque Articulum, quem negare non poterat, solummodò Gerberonius respondit, quòd illæ Literæ, quæ ad ipsum scribuntur, ipsum non tangant. Verùm quidquid Reus in judicio, de eo, quod in sodalium suorum Literis continetur, dissimulet, tenentur ejus Animadversiones in Archiepiscopi Decretum, tenetur confessio de earumdem ratione & scopo, qui eidem Decreto quoad posteriorem partem à Gerberonio ejusque sociis imputatur. Tali scopo nihil fingi poterat contra Archiepiscopum contumeliosius, nihil tanto indignius Præsule, quàm imputatio perfidiæ, utpote in negotio fidei, & religionis gravissimo.

Anno 1690. Archiepiscopus Mechliniensis cum cœteris Belgii Austriaci Præsulibus vetuerat promiscuam Divini voluminis in lingua vernacula lectionem. Contra Decretum illud veluti avernales furiæ frendentes primùm querimoniis clandestinis, dein & libellis infamibus debacchati sunt Jansenistæ, Gerberonius præcipuè è Bruxellensi suo latibulo anno 1691. triplicem simùl latratum lucubrationibus emisit turbulentissimis. Uni titulus erat: *Brevis, & necessaria instructio circa lectionem Scripturæ Sacræ*: ubi pagina 23. ait:

Prohibitio legendi Sacrum Codicem (in lingua vernacula) *tanta est animorum pernicies, ut istiusmodi cogitatio non possit, nisi à Diabolo suggeri*. Ibid. *Fas est dicere, Decretum hujusmodi censeri à fidelibus debere, tanquam gravem abusum potestatis Episcopalis, tanquam scandalum, quod Schismaticos ab Ecclesia Catholica avertat, & in schismate confirmet; denique velut ingens dedecus, & injuriam, quam Ecclesia Orthodoxa improvidi Antistites intulerunt, atque ab hæreticis semper exprobrabitur*.

Pag. 26. "*Virtutis est non obedire talibus Superioribus; qualis enim foret ista obedientia? Non absimili Nestorius, Julianus, Sergius, & plures alii hæretici Episcopi plurimos simplices suis hæresibus implicuerunt, & pertraxerunt ad inferos.*

Pag. 22." *Episcopus prohibens plebi legere promiscuè Scripturam Sacram idiomate vulgari, non Pater est, nec Pastor; sed potiùs Tyrannus.*

An neque his omnibus *se contra authoritatem* Gerberonius *erigit, aut scindit unitatem*? Edoceant nos itaque novæ Magistri ethicæ, quid in suo non dogmatum solummodò; sed nominum quoque, & definitionum gymnasio necessarium censeatur, *ut erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*

tatem quispiam dicendus sit; si non sint omnia, quæ de Gerberonio ex ipsomet in medium hactenùs adducta sunt. Non satis illi fuit talia uni inspergere lucubrationi; sed plura sub idem tempus opuscula, & linguis variis protrusit; singula similibus plena contumeliis.

Nam præter memoratam *Instructionem* Belgicam, simul edidit Gerberonius latinè fallaci titulo *Decretum Archiepiscopi Mechliniensis notis illustratum*: tertium gallicè *Sentimens & conduite de Monseigneur l'Archeveque de Malines*, sive, *Sententiæ & agendi ratio Archiepiscopi Mechliniensis*. Posterius opusculum, ut à quodam mihi intimè noto Archiepiscopi defensore mox confutatum est, plures ultro citroque vindiciæ subsecutæ sunt, eâ utrimque contentione & acrimoniâ, ut exinde ignis exarserit, cujus favillæ in plures Europæ Provincias perlatæ fuerunt.

Hinc enim contigit, ut multiplicatis in Brabantia utriusque partis scriptionibus, Jansenianorum contra adversantes sibi Theologos, Episcopos, etiam Romanos Pontifices irreverentia, odium, rabies se prodiderint. Detecta tunc pariter sunt, collectaque studiosiùs novæ sectæ dogmata, quæ Ecclesiæ excitavere vigilantiam atque accendère zelum, ut securim tandem ad radicem poneret: ad radicem, inquam, mali, quod ut Innocentius XII. in Brevi ad Belgii Episcopos luget, Christi Ecclesiam multo tempore perturbat. Forsan aliàs occurret occasio magis opportuna historiæ huic aliquanto ampliùs deducendæ. Prosequamur interim in schismatica Gerberonii temeritate *se contra authoritatem*, etiam supremam, nefariè *erigentis*.

Damnatis ab Alexandro VIII. Propositionibus 31. Gerberonius *Abbatem* se *Frigidævallis* mentiens, *Quæstionem juris Pontificii* proponit, sitne Decretum illud Pontificiâ dignum authoritate, & veneratione fidelium, an veluti iniquitatis proles penitus reiiciendum? Non diu cunctatus pag. 5. definit, *Decretum prorsus inutile esse Reipublicæ Christianæ, & nihil illi conducere: ergo esse ipso jure nullum*.

Pag. 7. *illud magis in Ecclesiæ perniciem, quàm in ejus bonum vergere; ergo ipso jure nullum esse*. Pag. 9. *Decretum esse per se injustum: ergo rursus ipso jure nullum*.

Denique pag. 12. *Esse obreptitium: ergo ipso jure nullum*. Ita in toto Gerberonii judicio nihil tanquam dubium suspenditur, vel obscurum: resolutio ubique plana est, & expedita, qualis tantum decuit novæ Ecclesiæ Doctorem. Similis ejusdem impudentia triennio postea fuit, nempè 1696. in nova & pleniore omnium Bajanorum Operum editione, additis a Gerberonio Animadversionibus, schismaticum & minimè orthodoxum hominis ingenium ubique ostentantibus.

Sic Parte 2. pag. 77. "Utinam (inquit) „ adeò diligens & accurata fuisset ista inqui„ sitio, ut ubique Sanctorum Patrum ac „ Conciliorum sententias non reprobasset, „ & in alias brutum, ac irritum fulmen non „ contorsisset, quas nec Bajus, nec ullus Catho„ licorum unquam docuerat, vel defende„ rat; sed quas, ut ipsum Summum Ponti„ ficem seduceret, fallax collectio confin„ xerat.

Pag. 214. "Ut ergo tanta injuria ab Ec„ clesia Christi removeatur... Demonstran„ dum, hujusmodi censuris ac Bullis nihil „ veritati, nihil priscæ Fidei, Apostoli, & Au„ gustini, imò nec ipsiusmet Michaelis Baii „ doctrinæ fuisse detractum.

Pag. 233." Animadvertendum secundò, „ hac Pii V. (Gregorii XIII. Urbani VIII.) „ Bullâ Articulos, in quibus vix aliquis „ pravus sensus potest deprehendi, & qui „ intellectum Fidei, ac Catholicæ S. Augu„ stini doctrinæ planè consentaneum præse„ ferunt; nudè ac simpliciter proscribi, in „ multam Sedis Apostolicæ injuriam, ac gra„ ve omnium eruditorum scandalum". Quia nulla, nisi penès Bajanos solummodò, & Jansenianos eruditio est; ad hos, si quæ alibi priùs fuerit, migravit penitùs.

Semper ea fuit hæreticorum de sua suprà Catholicos eruditione gloriatio, ut notavit pridem S. Gregorius in caput 19. Job, Capite 12. *Habent hoc* (inquit) *hæretici proprium, ut de inani scientiæ suæ arrogantiâ inflentur, & rectè credentium simplicitatem derideant*.

In caput 30. capite 10. *Undè fit, ut ipsa eos elatio, quæ intus apud semetipsos elevat, à veritate foras repellat*.

Diù ante Gregorium Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 1. *Nos quidèm arguunt quasi idiotas, & nihil scientes, semetipsos extollunt*.

Apud Theodoretum Historiæ Eccles. lib. 1. cap. 3. est Encyclica Epistola Alexandri Patriarchæ Alexandrini Arianorum jactantiam detestans. *Nec eos* (inquit) *quibus ab ineunte nos ætate magistris usi sumus, sibi pares dici patiuntur: quin imò nec ullum Collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam pervenisse censent. Solos se sapientes jactant .... O impiam arrogantiam, vesaniam immensam, inanem gloriam cum furore conjunctam, spiritum Satanicum, qui in eorum mentibus callum obduxit!*

Egregia quoque *Ecclesiam Catholicam contra hæreticos defendendi* ratio est asserere, omnes

omnes Baii Articulos à tribus Pontificibus perperàm fuisse damnatos, *censuris* omnibus *ac Bullis nihil Michaëlis Baii doctrinæ fuisse detractum*. Eadem, defensionis nomine, prodendi Ecclesiam, ejusque pessumdandi caussam ratio Novatori huic placuit, quoties eludendas suscepit Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium Constitutiones.

Audiatur mirabilis ab eo *Adumbratæ Ecclesiæ Romanæ, Catholicæque veritatis de gratia adversus Joannis Leydeckeri hallucinationes, injustasque criminationes Defensio, vindice Ignatio Eyckenboom Theologo anno* 1696. Sub eo nomine latêre Gerberonius voluit, & defensionis titulo Ecclesiam impugnare.

Illic pag. 49." Pontifex Jansenii Augu-„ stinum falsis Molinistarum suggestionibus „ proscripsit, ac quinque Propositiones ipsi „ ad censuram exhibitas... declaravit hæ-„ reticas, & ut tales damnavit ...Omnes qui „ sanis oculis Jansenii Augustinum legunt, „ vident ac confitentur, in eo non aliam tra-„ di, explicari ac defendi, quàm Catholi-„ cam Augustini de Salvatoris gratia doctri-„ nam". Quandoquidem autem Jansenius eam Augustiniani sensus interpretationem hauserit a Bajo, ubique sibi necessarium Gerberonius duxit pro defendendo Jansenio à Baii vindiciis exordiri.

Ideo etiam hìc pag. 19. sic monet: " „ Tantum abest ab Ecclesia Romana, ut „ censuram Pii V. suam faciat; quin Cle-„ mens VIII. ac Paulus V. nullam in Con-„ gregationibus de Auxiliis Bullæ Pianæ ra-„ tionem haberi voluerint.

Pag. 20." Magna Pio V. illata est inju-„ ria abiis, qui Bullam fraudulenter extortam „ evulgarunt. Hoc eruditorum inter Catho-„ licos de Piana Constitutione est judicium".

Recurrens totiès Jansenistarum de suis *eruditis* gloriatio non est cur Catholicum moveat lectorem; semper enim novis hæreticis familiare fuit eruditionis famam suis liberaliter tribuere sectatoribus, ut superiùs monere cæperam, & vetustissima Tertulliani animadversio est lib. de Præscriptionibus adversus hæreses cap. 16. *Nusquam facilius proficitur, quàm in Castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est*. Leontius lib. 1. contra Nestorianos & Eutychianos in principio *seipsos* (inquit) *sapientes esse jubent, & sunt tanquam ex jussione & edicto sapientes, quos eruditos fecit velle tantùm*.

Hodiernis præcipuè Novatoribus ad eruditionis famam sufficit aliquid de *facto Honorii & tribus Capitulis* Janseniano sensu disserere confidenter, Bajum & Jansenium cum Augustino veluti fidos ejus discipulos componere, & sæpius iteratæ subducere condemnationi.

Anno 1697. authore Gerberonio sub nomine *Martini du Chesne*, prodiere *Disquisitiones de gratia seipsa efficaci* &c. ubi pag. 5. in Præfatione Eminentissimos Romanæ Inquisitionis Patres de nova sua, quasi alienâ, Baïanorum Operum editione sic alloquitur: " „ Quandoquidem A. P. (Antonium Petit) „ qui hæc opera compilavit, de Ecclesia „ optimè meritum novi, causam pro eo apud „ Eminentias Vestras dicere minimè vere-„ bor, & suggerere, hanc summi momenti „ rem esse, multaque perpendenda, ne „ unius libri confixio, Sedis Apostolicæ fie-„ ret dehonestamentum: & ne fortè deterius „ contingeret: scio quod loquor.

Pag. 9." Quamdiu censuræ in Baïum la-„ tæ, quem Catholicum S. Augustini intel-„ lectum circa proscriptos Articulos tradi-„ disse, nemo cordatus, & in Augustino ver-„ satus potest inficiari, ceu legitima absque „ ullâ subreptionis notâ, ritèque promulgata „ Ecclesiæ Romanæ judicia habebuntur, „ tamdiù argumentatione hac, ut ipsis vide-„ tur, inexpugnabili, omnes Ecclesiæ Ro-„ manæ vindices prement hæretici: *Romana „ Ecclesia Michaelis Baii sententiam reproba-„ vit & proscripsit, ut ex Bullis Pontificum „ liquet: atqui sententia Baii circa damnatos „ Articulos est ipsissima S. Augustini doctrina, „ ut ex sincera eorum lectione in promptu est „ quemque convincere: Ergo Ecclesia Roma-„ na sensum Michaëlis Baii reprobando, Ca-„ tholicam S. Augustini doctrinam reprobavit „ & ejuravit*.

„ Ut hanc Calvinianorum ratiocinatio-„ nem funditùs everteret is, qui Michaëlis „ Baii Opera collegit, nihil illi fortius, bre-„ vius, ac tutius visum est, quàm confiteri, „ ac ostendere, quomodo ejusmodi censuræ „ non habendæ sint ceu Romanæ Ecclesiæ „ judicia; cùm falsis suggestionibus, aliis-„ que artibus obtentas, nec usquam ritè pro-„ mulgatas fuisse, certum testatumque fa-„ ciat fida & accurata ejusmodi contentio-„ num narratio. Satiùs enim existimavit, „ certos confiteri ejusmodi censurarum de-„ fectus, quàm illas quantumvis minùs legiti-„ mas, defendendo, Romanam Ecclesiam bla-„ sphemis hereticorum conviciis dimittere „ perpetuum deturpandam ac dilacerandam.

Pag. 11." Nonne magis extra omnem „ proscriptionis aleam esse debet, qui ut ip-„ sammet Ecclesiam vindicet, subreptum „ confitetur Pontifici, qui in 76. Articulos „ tulit censuram?

Ibid. " Quibus Romanæ Ecclesiæ honos „ adeò in deliciis est, perpendere dignentur, „ quàm certum & immensum Calvinianis, „ speciatim Leydeckero ... triumphum appararet censura, si qua jam adversus Theologi istius (Michaelis Baii) opera ferretur. „ Nonne enim Leydeckeri aliorumque Calvinianorum adversus Romanam Ecclesiam „ convitia ex censuris in Bajum latis petita, „ eo ipso censura hæc comprobare existimaretur, quo Michaelis Baii libros & doctrinam reprobaret?

Pag. 77. " Vigor hic Apostolicus in Catholicis victricis, seu seipsâ efficacis gratiæ, & gratuiti Divinæ providentiæ propositi veritatibus asserendis, amputandisque „ vel tenuioribus hæresios Pelagianæ surculis, utinam in iis, qui Ecclesiæ post tantos „ Pontifices præfuerunt, non deferbuisset! „ Illa jam non doleret, Christianam de Christi gratia & prædestinatione Fidem, succrescentibus in ipso Domini agro novarum „ opinionum (quales in Ecclesia communissimæ sunt) Zizaniis penè suffocatam: Illa, „ ut apertiùs loquar, non se ferè totam gemens ac lugens miraretur Pelagianam".

Hactenus Martinus du Chesne, aliàs Gerberon, cujus sententia quibusdam à me animadversionibus discutienda est. Quemadmodum Archiepiscopi Mechliniensis, & cæterorum Belgii Antistitum Decreta superiùs vidimus à Gerberonio libellis variis; sed mutato semper authoris nomine petulantissimè impetita, ita hic omnium Bajanorum operum editionem, quæ ipsius Gerberonii est, conspicimus ab eodem pluribus defensam Apologiis; at semper pseudonymis, & quidèm diversam singulis præseferentibus Scriptorum appellationem, ut non unus: sed integra quodammodo Theologorum legio, tum contra Antistitum Decreta, tum pro Baji operibus conspirasse videatur.

Copiosa nempe patronorum ostentatio, authoritatem tribuit non contemnendam, præcipuè ubi magnorum virorum & eruditione præstantium suffragatio est. Tales se suosque semper magnificè prædicant Jansenistæ, atque hinc passim apud eos legimus *eruditorum* chorum sibi concinere universum. Ita Catholicos Antistites, ita Eminentissimos Fidei Quæsitores, atque ipsos sperant Summos Pontifices deterrere à novis contra se definitionibus, & ad superiores quodammodo deferendas, gravioris mali timore compellere.

Verùm altè semper impressum animo Præsulibus Ecclesiæ manebit illa gloriosi Martyris, & Episcopi Cypriani ad Papam Cornelium hortatio Epist. 55. *Si ita res est, Frater, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione proficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernandæ sublimi ac divinâ potestate, nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus; si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus.*

Juxta Gerberonium permittere Pontifex & Congregatio S. Officii debet ut septuaginta novem Propositiones sustineantur *in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, quantumlibet *hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, & in pias aures offensionem immittentes respectivè*, & utì tales à Sancto Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. condemnatæ. *Apostolicis istis Definitionibus adversùs Bajum, nihil deesse ut universam Ecclesiam obligent, & circa illas nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse*, ipsius habemus Cardinalis Noaillii testimonio confirmatum in epistola ad Clementem XI. anno 1711.

Ibidem Eminentissimus de Generalibus Cleri Gallicani Comitiis anno 1705. celebratis mox subjungit: *idem professurum fuisse Clerum existimo; si de illis actum fuisset.* At Gerberonii judicio debent hodierni omnes Episcopi, Cardinales, Pontifices permittere ut deinceps, omnibus illis Constitutionibus spretis, Propositiones eædem ab omnibus impunè & liberrimè retineantur, ac doceantur publicè; licèt iisdem Constitutionibus ita *damnatæ & abolitæ* fuerint, *ut de iisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, & scribendi, & disputandi facultas quibuscunque interdicatur.*

Qui secùs fecerint (inquiunt Pontifices) *ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, Beneficiis, & Officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus; vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.*

Contra (inquit Gerberonius) *Quamdiu Censura in Bajum lata, ceu legitima Ecclesiæ Romanæ judicia habebuntur, tamdiu Calvinistarum argumentatio videbitur inexpugnabilis*, cujus Conclusio sit: *Ergo Ecclesia Romana Catholicam S. Augustini doctrinam reprobavit & ejuravit.*

Cavere etiam Gerberonio judice debent Eminentissimi Inquisitores, ne nova Bajanorum Operum editio, quantumlibet hæreticis aucta animadversionibus proscribatur, aliàs *unius libri confixio fieret Sedis Apostolicæ dehonestamentum*, imò fortè deterius contin-

tingeret : scio enim *quod loquor*, ego Gerberonius inter Augustini discipulos non infimus, arcanorum particeps consiliorum, quæ à novis Ecclesiæ reformatoribus agitantur.

Reformatio autem, eodem judice, prorsùs necessaria est, non in solis moribus & disciplina; sed Fide potissimùm & dogmatibus, siquidem eò devenit, imò, ut apertius loquar prolapsa est Ecclesia, ut *se ferè totam gemens ac lugens miretur Pelagianam :* Cumque ea pernicies acciderit ex eo, quod *vigor Apostolicus deferbuerit in iis, qui post tantos Pontifices* Innocentium Primum, & Zozimum, *præfuerunt* Ecclesiæ, illa *jam non doleret Christianam de Christi gratia & prædestinatione Fidem, succrescentibus in ipso Domini agro novarum opinionum zizaniis penè suffocatam*.

Ideo deserto *Domini agro*, de novo sibi in *Nordstrandia* cōemendo, de nova illic constituenda Republicâ, nomine Christianâ; sed à Pontificibus & Congregationibus Romanis liberâ Janseniani proceres cogitarint. Istud indubiè est, quod *deterius fieret*, quàm aliquod *Sedis Apostolicæ dehonestamentum : scio quod loquor*, inquit conscius omnium Gerberonius.

Sed cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire; nondùm enim Janseniana res ad eam provecta est potentiam, ut muniendæ contra Regem Christianissimum insulæ sufficientia valeret subministrare præsidia. Locum verò incursibus patentem facile esset classi Gallicæ adoriri, atque indè ad Bastillam, aut Vicennensem & alios regni carceres avehere quidquid illic Apostatarum, & profugarum à maritis mulierum reperiret.

Martinus Querceus, sive *du Chesne* quem supra vidimus magnificè prædicantem *Antonii Petit* erga Ecclesiam merita, ipse ubique Gerberonius est, ipsum se mutato nomine laudibus cumulans.

Qualia autem ejus merita sint, lector Catholicus vel ex præsenti satis colliget capite, rebellio scilicet contra Summos Pontifices, authoritatis omnis Ecclesiasticæ contemptus, derisio anathematum, excitatio schismatis, hæreseos multiplicis defensio partim subdola, partim aperta. Hæc & similia *Antonii* illius *Petit*, sive *Exigui*, & pluribus aliis occultantis se nominibus, Gerberonii præclara sunt de religione merita, ob quæ Ecclesiæ Præsides abstinere debeant à feriendis ejus lucubrationibus, quantumlibet perniciosis.

Cardinalem Sfondratium, & cum eo Congregationem S. Officii sic audacissimè Gerberonius impetit typis editâ lucubratione anno 1698. sub hoc titulo: *Vera Epistola Abbatis le Bossu ad amicum de libro Cardinalis Sfondratii Nodus Prædestinationis &c. appellato.*

In hac sua epistola ita Gerberonius pag. 6. „ Librum illum Eminentissimus composuit „ obtentâ à S. Officio facultate ... Sic illu- „ ditur fidelium simplicitati. Pag. 8. Testi- „ moniis itaque injustis adeò & falsis cir- „ cumventus Magister S. Palatii, Faculta- „ tem edendi voluminis concessit. Pag. 9. „ solus libri scopus clarissimè demonstrat „ Cardinalem illum, ut cæteros mortalium, „ natum esse Pelagianum : sed à Pelagiani- „ smo nunquam resipuisse „.

Constat præcipuos Baji & Jansenii discipulos, ubi videri voluerint Catholici, magno ambitu captare solitos Cardinalis Norisii patrocinium, quasi Eminentissimo illi ubique dogmatibus consentientes. At dolorem suum Gerberonius dissimulare non potuit, nec bilem reprimere, quando vidit eum à Jansenio se discernentem. Tunc nomine *Ludovici Mauguin* dilacerandum suscepit Opusculo sub hac epigraphe: *Norisius aut Jansenianus, aut non Augustinianus* anno 1699. Ibi pag. 4. Gerberonius tuetur hos Jansenii Articulos:

„ 1. Infideles carent gratiâ sufficiente ad „ salutem tum proximâ, tum remotâ, & „ omnibus principiis ejus. 2. Ecce quoties, „ quàm densè, quàm instanter docet Au- „ gustinus, eos, qui sub lege positi sunt, „ nullum adjutorium benè vivendi, præter „ legem accepisse. 3. Nugæ, delirium, in- „ sania, error, impietas contraria Chri- „ stianorum sensui, Scripturis & Fidei, quod „ Infidelium sit ulla vera virtus, vel opera „ sinè peccato „.

Subdit pag. 5. „ Norisium ab his Arti- „ culis recedere non posse, nisi deserendò „ Augustinum „.

Pag. 27. impudenti acrimoniâ lacessit Eminentissimi vindicem, & sub hujus nomine ipsum Cardinalem, propterea quod ei displicuerit error Antonii Arnaldi damnatus anno 1656. à Sorbona, de Petro, dum lapsus fuit, omni gratiâ destituto. *Ea fuit Cardinalis Eminentissime* (inquit Gerberonius) *Defensoris tui temeritas & injustitia, quæ eò minùs ei condonanda, ac dissimulanda fuit, quo bis temporibus frequentior fit, ac quibusdam scriptoribus familiarior, optimos, Eruditissimos, & Catholicæ Fidei tenacissimos viros erroris ac hæresis damnandi libido.*

Gerberonium minimè latuit S. Pii Pontificis Constitutio *Ex omnibus afflictionibus*, à Gregorio XIII. & Urbano VIII. confirma-

ta, quâ inter cæteros Baji Articulos configitur hic vigesimus quintus: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*.

Verùm toties repetito anathemate haud territa Gerberonii temeritas, contra Norisii defensorem ipsumque Eminentissimum, imò contra Summos Pontifices, eorumque Apostolicas, & ab universa receptas Ecclesiâ Constitutiones declamare perrexit: *Nugæ, delirium, insania, error, impietas*, & similia hactenus è Gerberonio recensita. Nonne egregia ea sunt Jansenianæ modestiæ specimina? Quesnello hęc omnia indubiè sunt *pacifica* in tolerando *anathemate*, & quidem, ut ait, *injusto patientia*: hęc *Sancti Pauli* in ferendis persecutionibus, & afflictionibus *imitatio*: *tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Sed nondum istiusmodi patientię atque modestię in Gerberonio finis. In Processu contra eum juridicio Cap. 6. pag. 21. legimus.

Art. 92. *Quod Archiepiscopo Cameracensi exprobraverit submissionem, quàm Illustrissimus hic fecerat* post inflictum ab Innocentio Duodecimo anathema libello ejus & extractis ex eo dogmatibus. Art. 93. *Quod excitarit eundem Archiepiscopum, ut post condemnationem 23. Propositionum libri sui, easdem defenderet*. Art. 94. *Quod per epistolam datam 5. Aprilis 1699. institerit apud eundem Archiepiscopum, ut per Parlamentum impediret publicationem Decreti Pontificii contra librum suum lati*. An neque istud est *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*?

Etiam contra Magistrum suum Arnaldum se erigit, ubi is præter solitum, de gratia catholicè & cum universa loquitur Ecclesiâ. Eodem Processûs capite Art. 88. refertur Gerberonii epistola ad Arnaldum data 21. Martii 1690. *Archiepiscopum Sebastenum non minor, quàm me incessit admiratio, quòd in Christianis instructionibus pro die lunæ, qui est hebdomadę secundæ Quadragesimalis, permissa fuerint ea verba, quod Deus expectet peccatores ad pœnitentiam, etiam eos, erga quos suam exercet bonitatem, & supra quos gratiæ suæ divitias effundit, ut ipsos ad se redire faciat; licèt aliquando frustra. Ea-nè S. Augustini discipulum decet enunciatio*?

Diceres Gerberonium zelo flagrare pro defensione Ecclesiæ contra præjudicia Petri Jurieux Calviniani, quando ea aggreditur *Crisi* sive examine discutienda. Ecce autem fallax & præcipuus hujus Operis, uti cœterorum passim, scopus deprehenditur, totius Bajanæ & Jansenianæ hæresios resuscitatio.

Pag. 185. " Clarè (inquit) ostenditur
" Propositiones quæ Bajo, & aliis Augustini
" discipulis attribuuntur, non eorum sensu
" fuisse à Pontificibus condemnatas.

Pag. 188. " Lectione autem accuratâ &
" sincerâ Janseniani voluminis evidens fit,
" non aliam ibi tradi, non aliam teneri sen-
" tentiam de vera gratia, & prædestinatione
" gratuitâ præter Augustinianam.,,

Pag. 477. " Doctrina de Virginis Con-
" ceptione maculatâ, est Theologorum om-
" nium Patribus addictorum, atque ipsius
" Ecclesiæ". An non is manifestus anathematis contemptus est, quòd incurrere se haud ignorat Gerberonius, latum à Gregorio XV. anno 1622. die 14. Maii?

Ibi quod à Prędecessoribus statutum fuerat, contra asserentes in actibus publicis, Sanctissimus *extendit & ampliavit etiam ad privata colloquia & scripta*. Non minùs nota est excommunicatio inflicta anno 1661. die 12. Januarii ab Alexandro VII. legentibus Missale Romanum Gallicè translatum, uti & à Clemente IX. anno 1668. 20. Aprilis legentibus novum Testamentum Gallicè Montibus impressum.

Quapropter Episcopus Gandavensis cum cæteris Belgii Austriaci Præsulibus, utramque lectionem Diœcesis suę fidelibus interdixit. Gerberonius verò ex Monasterio suo & Regno Galliæ profugus, haud segniter uti voluit latebrarum penes Belgas præsidio; sed ad exemplum *Difficultatum* ab Arnaldo *propositarum Domino Steyaert*, anno 1691. suas proposuit *Episcopo Gandavensi*, seu verius inani *Difficultatum* nomine, Classicum cecinit rebellionis, ad eam excitans omnes illi Antistiti subditos, & cum his fideles nostri Belgii universos.

Sic pag. 23. mentiens se scribere nomine & precibus Gandavensium " Oramus (in-
" quit) ut omnibus his difficultatibus facias
" satis; interea multiplex ratio conscientiæ
" & religionis nobis persuadet, non esse prę-
" standam mandato tuo obedientiam.,,

Pag. 24. " Quod attinet ad novum Te-
" stamentum (Montense) & Missale Gallicè
" versum, adeò convicti sumus, non fuisse
" prohibita, nisi ex suppositionibus falsis, ut
" nullus nobis moveri debeat in eorum le-
" ctione scrupulus; Cùm tu, Illustrissime Do-
" mine, nonnisi Romanâ ductus authorita-
" te, interdicere eadem censearis." Neque in istis Gerberonii religio, seu potiùs hypocrisis, videtur sibi *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Expensa toto præsenti capite impudentia Gerberonii est; sed tantis ea se comprehendi angustiis non patitur. Quæ protuli hactenùs Gerbe-

Gerberonii fcripta ad fęculum pertinent decimum feptimum, quod generali Hiftoriâ Janfenifmi concludit. Etiam hujus operis notitiâ lectorem non fruftrabo; fed quia ordinem temporis utcunque fequi conor, quædam ad alios attinentia præmittenda funt.

C A P U T IX.

Contra Cenfuras, definitiones & authoritatem Sedis Apoftolicæ, nihil magis contumeliofum epiftolâ Quefnelli, nomine Abbatis ad quemdam Romanę Curiæ Prælatum.

1 Quantâ *pace* & manfuetudine Quefnellus *Paulinæ imitatur* egregius *patientiæ* tulit evibratum ab Alexandro VIII. anathema in Propofitione 31.! Quàm fe exhibuit alienum & abhorrentem ab omni quod minimum faperet *authoritatis* contemptum, vel defectum reverentiæ, vel fpeciem *divifionis*!

Sic nempè in *Epiftola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 61. "Decretum hoc (inquit) in præfentibus circumftantiis promulgatum eft ad infligendum Aulæ Gallicæ rancorem, & humiliandum, ejufdem Regni Clerum."

Pag. 50. "Decretum hoc obtinuerunt Hifpanicæ contra Galliam molitiones, ad fovenda Gallicam inter & Romanam Curiam diffidia."

Pag. 52. "Quandonam tandem nofter Galliæ Senatus obftrictum fe credet, ut Romanæ Curiæ fe machinationibus opponat, fi non credit modò?"

Pag. 53. "Virium noftrarum magnitudinem non fatis novimus, neque caufæ noftræ æquitatem fatis defendimus." Sic turbulentus homuncio nihil prætermittit, quo Regem Chriftianiffimum ejufque Adminiftros contra Pontificem, Regem Catholicum & utriufque Curiam concitet. Sed audi modò Politici hypocritæ confilium pfeudo-pacificum.

Pag. 52. "Præftat nihil penitus tentando, Decretum contemnere; quàm exile quidpiam, cujus operæ pretium non fit, moliri; quia pax Ecclefiæ & Regni hoc tempore exigit ut diffimuletur, quòd aliàs foret totis viribus repellendum."

Non fatis Quefnello eft fummos inter fe Principes, & cum Sede Apoftolica committere; Sed omne genus hominum contra eam ftatuit, & quidèm excogitatis fubdolè mendaciis atque calumniis, commovendum.

Pag. 28. "Hæc, inquit, Romanæ Curiæ per Decretum Alexandrinum molitio ex audacioribus fuit, quas contra Ecclefiæ Gallicanæ, aut potiùs Ecclefiæ univerfæ per Conftantienfe, & Bafileenfe Concilium repræfentatæ, fententiam ullo hactenùs tempore tentare præfumpfit."

Pag. 22. "De Lovanienfibus non minùs mirabile eft, quòd poftquam objectis fibi accufationibus refponderunt, & Roma vifa fuerat acquiefcere, condemnati tamèn fint ... Sic Roma peffimè remuneratur zelum celebris adeò Theologicæ facultatis, quæ, cùm biennio aut triennio antè per fuos in Urbe Oratores, fedandis modum contentionibus requifiviffet, recipit nova diffenfionum femina."

Pag. 23. "Videbatur Innocentius XI. pacem utcumque reftituiffe, excifis partim difsidiorum radicibus, quæ erant Propofitiones 65. ab eo falubriter condemnatæ; fed modo iterum neceffe eft difcordiam revivifcere Decreto æquivoco & nonnifi excitandis contentionibus idoneo."

Itá fi pacem amat Ecclefia, fi tranquillitatem, iftud ab ea curari femper folicitè oportet, ut profcriptis aliquot fortitàn Antijanfeniftarum fententiis, intactas prætereat Janfenianas etiam hæreticas & quantolibet dignas anathemate. Priores enim deftruere (authoribus earum religiosè parituris) nulli eft obnoxium rixæ aut fchifmatis periculo; at feriri quempiam Janfeniani fœtum ingenii, ut fecta prorsùs indocilis eft, facinus ab ea cenfebitur non tolerandum paratâ contra illud turbulentis omnia vocibus, & famofis fcriptionibus implere; ut difsimulari à Pontifice hærefis debeat, nifi concuti turbinibus Ecclefiam malit, fuamque tumultuantium contumeliis dilacerari authoritatem. Pergamus hujus videre fpecimina in Quefnello Abbatem præferente politicum.

Pag. 25. "*Romana Curia Decretum illud edidit*, non ut perniciofa eliminaret doctrinę Zizania; fed *ut Lovanienfibus oftenderet, non deeffe fibi modum, quo favores ipfis conceffos reddat inutiles, atque adeò edoceantur femper fibi opus effe Romanæ Curiæ gratiâ & protectione.* Quapropter inquit pag. 40. *Deploranda Lovanienfium calamitas eft, quòd Inquifitionis Decreta ufum illic obtinrant, & authoritatem, neque audeant ipfi æque ac nos, quod de iftiufmodi impetratis fraude fanctionibus fentiunt, liberè eloqui.*

Pag. 39. *Decretum præfens elicuit machinatio confpirantium Monachorum: neque ex qualitacumque miror adeò Factionis molimina, quàm quod ijs circumveniri fe Romana Curiæ prudentia patiatur.* Sed nempè, inquit pag. 31. *Maxima*

Maxima pars Cardinalium, & Theologorum, (qui ad Propositionum censuram à Pontificicibus adhibentur) *nihil intelligit.*

Pag.43.*Censores illi modicam habent antiquitatis notitiam; imò sæpiùs ignorant quod in novis Theologis est optimum.*

Ibid: *Susquedeque censurâ feriunt quidlibet, seu quidquid recentibus eorum non est consonum ideis, quæ sæpè falsissimæ sunt, vix aliquid habentes de veterum Theologiâ Patrum.*

Eodem anno 1692. *Notas* edidit Quesnellus in Steyaertij epistolam ad Cameracensem Archiepiscopum, quibus non dissimilia, nec minùs animum authoris irreverentem & schismaticum spirantia continentur, quam quæ ex larvati Epistolâ Abbatis hìc & alibi recensere cœperam. Sic nempè in *Notis* asserit pagina 106. *Magna est quatuor Ordinum Mendicantium importunitas, ut condemnentur Libri omnes, qui vel eorum Priuilegiis derogare videntur, vel abusus illorum detegunt, vel communem Mendicantium agendi rationem produnt publicè & reprehendunt.*

Ibid.*Suspecta sæpè sunt Officialium Consilia, qui cum vel ipsi sint ex Ordinibus Mendicantium, vel iis magnoperè addicti adstrictique, quid m'ri si voluminum, quæ Mendicantibus displicent, persuadeant condemnationem?*

Pag. 110. *Quis dicat justum esse & ad commune bonum spectare, si ob causas levissimas, & nemini fortè nocituras, rapiantur è manibus Fidelium Libri, quibus tùm in doctrinâ Christianâ, tum in solida pietate plurimum possint proficere; præsertim cùm alii libri vix sint, quibus eadem tam doctè, tam solidè tradantur?*

Quæ enim alia lucubratio mystica sanctum adeò insinuat pietatis sensum, quàm in Quesnelli, Arnaldi, Gerberonii, Ægidii Caudidi, & similium memoratis hactenùs Jansenistarum Opusculis experimur? Non minùs Janseniani unctione spiritûs plena est alia Quesnelli epistola anonyma, veluti *mentem* exhibens *S. Augustini de authoritate Pontificis.*

Illìc ratio multiplex redditur injusti contra libros & opiniones anathematis, in Romanis Tribunalibus frequentissimi, si fides authori est pag. 30. *Romani Censores facilè condemnant libros illorum qui sequuntur sententias S. Augustini.*

Ibid. *Quando dicitur: hic liber Bajanus, hic liber Jansenianus est, statim liber ille optimus* (quia Augustino consonus) *proscribitur.*

Pag. 29. *Plerique Censores dissolutis opinionibus addicti sunt, & meliori ethicæ adversantur.* Indè fit, inquit ibidem, *ut laxioris ethicæ & pravorum dogmatum propugnatores præsidium inveniant & patrocinium in Romanis Tribunalibus, in quibus deberent feriri anathemate.*

Ulterior processuum & judiciorum perversorum in Apostolicis illis Tribunalibus ratio allegatur ipso ferè Epistolæ initio. *Regularium, quos scimus propriis magis commodis, quàm Ecclesiæ studere utilitati, maxima in omnibus illis Congregationibus dominatio est.*

Denique *Romanæ Curiæ Decreta ut plurimum conduntur sine debita cognitione causæ, & per factionem.* Imò pag. 30. *Optimus liber damnatur, modò alicui è Consultoribus displicuerit.* Pag. 1. *Unum Decretum Indicis, una Feria quinta, quin & una Feria quarta nobis è manibus eripit libros optimos et saluberrimos;* quodquè malorum in eo genere est maximum pag. 29. *Optimi libri in maximo præ cæteris periculo sunt ne condemnentur.*

Neque in solorum pernicies arguitur proscriptione voluminum; sed eâdem paginâ monemur, *per Decreta Indicis sæpè conculi veritates & certissima religionis dogmata,* contra autem ut legitur pag. 30. *Quando Author aliquis agnoscit Pontificem esse infallibilem, & supra Concilia Oecumenica, potest quidlibet impunè dicere & scribere sine ulla Tribunalis Romani formidine.* Mendacium istud convincitur ingenti numero librorum & dogmatum prohibitorum, quæ adversarii passim exprobrant iis, quos constat tuendæ Pontificiæ potestatis & quidèm in utraque relata controversia fuisse semper studiosissimos.

Neque Quesnello, neque nobis excidit Epistola Vvalonii scripta ex Urbe anno 1691. die primâ Septembris. *Si Præsens Pontificatus* (Innocentii XII.) *quantumvis miserabilis quoad regimen, & res dogmaticas, perseveraverit, in Congregatione S. Officii poterit aliquid boni fieri contra Molinismum.*

Recordari quoque poterit etiamnum superstes Quesnelli Secretarius, vulgari nomine *Pater Subprior*, quid non multo post tempore responderit præcipuo Electoris Bavari Administro, sciscitanti coràm duobus Religiosi Ordinis maximè anti-Janseniani moderatoribus, pro qua contendentium parte censenda esset stare veritas? confidenter tunc scilicèt reposuit *Pater Subprior*, quòd referret se ad Romanum judicium, suis minimè suspectum adversariis. Utrimque, inquiebat, scribitur acriter, libellos nostros Roma non damnat; sed adversariorum: nonnè igitur, ipsâ Româ judice, penes nos veritas & certaminis censenda victoria est?

Religiosorum verò responsio erat, delicta obedientium filiorum à Sede Apostolica castigari, rebellium præteriri, & pervicacium

cium hæreticorum, quorum dùm correctio desperatur, punitio, sive censura creditur parùm utilis, fortè etiam occasio futura accendendi ampliùs furoris.

Vereor nè fructus similis futurus sit præsentis circà proscriptum Articulum dissertationis; attamèn & nimis perniciosa Quesnelli hypocrisis est, quam ut incognita relinqui debeat, & permitti, ut non simplicibus solummodò insidietur; sed etiam sapientibus.

Consideret itaque Lector, quàm bellè specimina ista, quæ ex editis à Quesnello opusculis protuli, conveniant cum jactata ab ipso tantoperè in perferendo anathemate, & quidèm injusto modestiâ, mansuetudine, ac demissione. Conciliet hanc qui potest etiam cum speciminibus allatis, & sequentibus in *Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curię Prælatum*. Pag. 39. *Certum est Decreta Civitua magis justa esse, & magis conformia ęquitati, quàm Romanę Curię sanctiones*. Pag. 15. *Censurarum Romanarum scopus est fovere discordiam inter Religiosos Ordines, & alios Theologos Orthodoxos*. Ibid. *Metuere videntur Censores Romani, ne nimis citò oriatur in scholis concordia, atque ità Censoribus illis in posterùm opus non sit*. Iterùm ibid. *Diceres, eos persuasum animo tenere, concepta pessimè fore sua Diplomata, nisi novis tricis & tenebris involverent definitiones, itaùt ad eorum Tribunalia recursus reddatur iterùm necessarius*.

Quid opus pluribus ut suam nobis erga Sedis Apostolicæ Constitutiones reverentiam demonstret? ait pag. 21. *Romanum Tribunal videtur Carnificina*, sivè ut alii vertunt *latronum latibulum*, Gallicè *Coupegorge*.

Proptèr relata hactenùs, & plura istiusmodi attributa ab hoc Jansenistarum Principe Romanis judiciis encomia sibi plaudit de singulari privilegio, si non à Superis, saltem ab inferis novę concesso Ecclesiæ. *Habemus nos* (inquit) pag. 18. *hoc singulare prę aliis, quòd simus in possessione, eandem semper semitam prosequendi, quidquid à Romanis Censoribus apponatur, & quęcumque sanctio ab illo profluat Tribunali*, neque intentato commovemur anathemate, ut ab ipsis probè noscitur Judicibus: Pag. 30. *Sapientiores Romani sunt, quàm ut existiment nos terreri sententiâ latę excommunicationis Pontifici reservatę*.

Insignia hæc Quesnellianæ *patientiæ* in ferendis etiam cum pace *excommunicationibus injustis* documenta, omnes ratione præditos convincunt, ad quàm mirificum gradum evecta ejus charitas sit, quàm sollicitum in eo eluceat pacis studium, quantus horror ab *erigendo se contra authoritatem*, atque *à scindenda unitate*.

Denique ne fortè existimes, nihil eum Pontificiæ tribuere authoritati, audiatur pagina 4. *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando nocumenti nihil afferunt veritati, quando nihil feriunt nisi errores, neque in feriendi modo seu forma legitimum tramitem excedunt, laudamus et approbamus sententiam, licèt Tribunal agnoscere non possimus*.

Estnè aliquis Lutheri, Calvini, aut alterius cujuscumque perversissimi hæresiarchæ discipulus, qui tantùmdem de Pontificiis judiciis non pronuntiet? Estnè etiam in Ecclesia Theologus quantumlibet Orthodoxus, nec nisi sanissimæ doctrinæ, quem simile quid profiteri pudeat de Ministelli cujuscunque hæretici sententiâ, quando scilicèt similibus vestitur circumstantiis, quales in epistola memorantur? Ministrorum scilicèt etiam Batavorum, vel Turcicorum judicia, quando justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenùs officiunt, quando nihil damnant nisi errores, & quando in forma legitima eos damnant, laudamus & approbamus; *licèt Tribunal agnoscere non possimus*.

Magna itaquè Quesnelli est erga Sedem Apostolicam reverentia, magna authoritatis veneratio, religiosa custodia unitatis cum visibili Ecclesiæ capite, cujus recusat agnoscere Tribunal, neque plùs ei tribuit authoritatis, quàm schismaticus quilibèt & infestissimus Ecclesiæ inimicus.

CAPUT X.

Ægidius Candidus Censuras Ecclesiæ proculcans in Spongia *& ejus vindiciis*.

1 Licèt Ægidii de Witte, vulgò *Candidi*, doctrina detestabilis, ingenium contumax, & nullius reverens authoritatis, approbari à nemine unquam potuerit Christiano; mihi tamen in eo semper placuisse fateor & perfidæ simulationis odium, & in exprimendis sententiis claritatem. Hic contra morem aliorum communissimum, se Jansenistam liberè non confitetur solummodò; sed etiam gloriatur.

In *Spongia Notarum*, quam *Paladii* nomine anno 1688. edidit contra Steyaertium, ipsa statim præfatio bellum huic Theologo denuntiat propterea quod Jansenii sensum asseruerit, meritò fuisse à Sede Apostolica condemnatum.

In Opere pag. 28. *Apertissima* (inquit Ægidius) *veritatis est, esse in Jansenio Propositionis* (primæ) *sensum verum ac perspicuum, qui damnari non possit, nisi tota doctrina* gra-

gratiæ per se efficacis, *& authoritas Augustini*, *Summorumque Pontificum libros Augustini prædicantium in fumos abeat, percussoque Jansenio ovet semipelagiana & Moliniana justitia, & remigio libertatis ad atria Beatorum & sedes æternas convolet*. Similia affirmantur de cæteris Jansenii Propositionibus.

Notas suas vindicavit Steyaertius lucubratione exiguâ *Assertionis* nomine appellatâ. Huic *Paladius*, sive Ægidius de Witte *Crisin opposuit*, ac dein *Criseos prosecutionem*, ex qua referri præcipuè meretur quod ait *in Conclusionem* Steyaertii 18. *finalem & apologeticam*. Definiverat Doctor ille Jansenistam, sicut in Thomistæ, Scotistæ & aliarum Classium appellationibus usurpatur, ubi nomen ab authore desumitur, cujus in dogmatibus sequenda sibi proponunt cœteri vestigia: ita dixerat propriè *Jansenistam esse, qui doctrinam Jansenii tuetur ac profitetur*.

Ad quod Paladius loco citato: " Finio" (Inquit) " ut Theologus cum Jansenistæ vo-
„ cabulo: Si locutionis fixarumque menti-
„ bus idearum imperium teneret Theologus,
„ nomenclationi ejus, atque scriptioni actu-
„ tum accederemus; nam eo duntaxat, quo
„ describit pacto, Jansenistas haberi & esse,
„ magno duceremus honori. Quid enim ge-
„ nerosius in hoc genere, quàm eniti, ut pri-
„ mi ordinis Sacerdotem, Scripturarum no-
„ strarum elegantem explanatorem, hæreti-
„ corum, dum vita fuit, expugnatorem egre-
„ gium, Belgii nostri Episcopum, Academiæ
„ Lovaniensis Doctorem, virum ingenio
„ acerrimum, judicio maturissimum, mori-
„ bus integerrimum, omni literaturâ expoli-
„ tum, in perfecta erga Matrem suam Ec-
„ clesiam atque Sedem Apostolicam sub-
„ missione ac reverentiâ vitâ functum, de-
„ tersâ omni hæreticæ pravitatis labe, Ec-
„ clesiæ Catholicæ vindicemus?

„ Quis nisi severi,utne dicam maligni ani-
„ mi, hos conatus, tametsi non eluctarentur,
„ conflabit in vitium? licèt enim, quod ab-
„ sit, aberratum esset in Apologia tam
„ Sancta & Christiana, tam comis error in
„ causa tam magnifica censendus esset apud
„ cordatos rerum arbitros non venialis mo-
„ dò, sed penè laudabilis. Efficiat ergo
„ (amabimus) eximiâ, qua valet authori-
„ tate, & confœderatarum phalangum so-
„ cietate Theologus noster, ut ea quam de-
„ scribit, Jansenistæ idea, ab universis ma-
„ culis suis, & ut Philosophi ajunt, connota-
„ tis purgata, apud summos infimosque per
„ Orbem Christianum obtineat approbatio-
„ nem. Porrò autequam id perfecerit, &
„ quamdiu exoticum, nec sanæ fidei, ut usus
„ habet, personabit vox ista, æqui bonique
„ consulet modestus Theologus, si illam ut
„ contumeliosam ac maledicam aversemur,
„ descriptione suâ moderatâ nequidquam
„ abblandiente ".

Hactenus de Vvitte ad nullam trepidans censuram, nullam reveritus authoritatem, gloriæ sibi ducit Jansenii ubique esse in dogmaticis sectatorem: quo sensu nihil *Jansenistæ* nomine, obvenire cupiam posse honorificentius arbitratur: hac autem solummodo significatione vocem repudiat, ut contumeliosam & maledicam, dum pro *exotico*, *nec sanæ Fidei* homine accipitur.

Talis indubiè distinctio etiam Lutheri, atque Calvini asseclis arridebit, ut omnia Lutheri & Calvini dogmata esse sua profiteantur, eâque significatione Lutheranos se atque Calvinianos dici neutiquam aversentur, quin sibi gloriæ vertendum autument, quamvis ut iniquâ plenam contumeliâ vocem refugiant, quando Luthetani aut Calvinistæ nomine intelligitur *homo exoticus*, *nec sanæ Fidei*.

Frustra Ægidio obiicitur Urbani VIII. Constitutio *In Eminenti*, declarans *ex diligenti & matura ejusdem libri* (Jansenii) *cui titulus Augustinus*, *lectione compertum fuisse in eodem libro multas ex Propositionibus à Prædecessoribus* (Pio V. & Gregorio XIII.) *damnatis contineri*, *& magno cum Catholicorum scandalo*, *& authoritatis dictæ Sedis contemptu*, *contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi . . . malo in scandalum totius Republicæ Christianæ*, *& fidei Catholicæ perniciem vertenti*. Frustra, inquam, ea opponitur Constitutio, utpote contra quam Ægidius in promptu habet insanissimum responsum, sanctionem illam, quâ parte percutit librum Jansenii, esse opus perfidi Assessoris Albizii, qui quidèm ad Cardinalium postea Collegium promotus est; sed in novæ Ecclesiæ tribunali judicatus furcâ & laqueo dignior, quàm Galero; ita Ægidius in *Prologo galeato Panegyreos Jansenianæ* quam mox amplius audiemus.

Interim lector Catholicus statuat, an post Romanorum Pontificum iteratas toties, atque ab universa acceptatas Ecclesia definitiones, nihilominus sibi *magno ducere honori Jansenistam esse*, *& ab omnibus appellari*, sensu propriissimo, totius Jansenianl Systematis professionem complectente, sit *imitari S. Paulum & abesse* longè ab *erigentibus se contra authoritatem*, atque *scindentibus unitatem*. Penes quem sanæ mentis istud censebitur *pati in pace excommunicationem & anathema*? Penes quem pietatis, modestiæ, fortitn-

titudinis encomium merebitur, & non Sacrilegæ magis opprobrium rebellionis, atque pertinaciæ?

Quam denique in Ecclesia authoritatem Ægidius unquam reveritus est, cum quibus, præterquam paucis novatoribus tenuit *unitatem*? Nullum quantumlibet eminentem in Ecclesia gradum, nullum sacrum Ordinem stylus ejus maledicus præterivit, de quo plura in sequentibus: hic solùm refero specimen aliquod ex memorata superiùs *Crisi* ad Conclusionem Steyaertii decimam septimam.

Blasii Paschalis sub ficto nomine *Ludovici Montaltii* epistolæ, vulgò *Provinciales*, quas Alexander VII. anathemate, Rex Galliæ incendio abolevit, impudenter ab Ægidio restituuntur ad lacessendas scholas Catholicas, maximè Thomisticam. Robur autem Montaltii præcipuum in scurrili Satyra est; hanc gestiens Ægidius imitatur contra *gratiam Thomisticè sufficientem*, omnemque pariter aliam vociferans: *querimur* (inquit) *vocem omnibus innatis notionibus repugnantem, nec nisi politico cuidam concentui, vel decipiendis imperitis, ac Molinisticæ demum gratiæ inferendæ idoneam in LovaniensemAcademiam jam intrudi... Nibil enim ad obvelandam vocis turpitudinem confert, quod addatur THOMISTICE; nec enim magis licitum delirare Thomisticè, quàm Scotisticè.*

Dum autem Steyaertius indicat hìc plures contra se conspirare adversarios, respondet Ægidius in *Redargutione Assertionis continuatæ Notarum* in præludio: *Quidquid sibi* Steyaertius *fingat & blandiatur de hostium suorum numero, singulariter sum ego donec transeam.* Sic Ægidius temeritatis suæ utcumque conscius, alios liberare voluit suarum invidiâ lucubrationum, quarum durities, audacia schismatica, communi Jansenistarum judicio nimium aperta est.

Ideo ejus Antagonista, quærentibus undè tanta vineæ Belgicæ devastatio? Censuit non incongruè responderi, *singularis ferus depastus est eam*: quin & Ægidio tam *singulari* convenit illud: *Manus ejus contra omnes & omnium contra ipsum*; nam ne Quesnelli quidem sibi aliàs conjunctissimi passus est ferulam, neque Arnaldi oraculi sui senescentis, in mitiora de libertate dogmata, propensionem.

Ignota igitur, aut certè usu minimè probata est Candidorum Jansenistarum Principi, Quesnelliana regula de tolerando *pacificè anathemate etiam injusto*; neque simulandam sibi duxerit erga Rectores Ecclesiæ obedientiam, aut proximos charitatem, solitus occasione qualibet impudentissimè *se erigere contra authoritatem* quamlibet, ac *scindere* atrociter *unitatem*.

CAPUT XI.

Ægidii Candidi Panegyris Janseniana, *omnium contra novam hæresim definitionum & anathematum contemptrix manifesta.*

1 Valonium novæ Ecclesiæ partes in Urbe subdolè agentem, atque inde Quesnello scribentem vidimus anno 1691. die 1. Septembris Pontifice Innocentio XII. *Si Pontificatus præsens quantumcunque miserabilis quoad regimen, & res dogmaticas, perseveraverit, poterit in Congregatione S. Officii aliquid boni fieri contra Molinismum.* Quo nomine sententias omnes passim Jansenio adversas à nova secta intelligi, exploratum est.

Hunc gratum adeò suis nuntium Vvalonius dederit non ad solatium solummodò; sed vel maximè ad directionem. Tempore itaque tam opportuno strenuè sibi utendum ratus Ægidius, anno 1698. librum edidit, Candidæ inter Jansenistas sectæ Principe dignissimum, hac insignitum epigraphe *Panegyris Janseniana ... Tempus loquendi* Eccl. 3. v. 7.

Advenisse tempus illud etiam Jacobus Gilbertius Duacensis Academiæ Cancellarius crediderat, ut ex amicorum ejus literis typo editis accepimus; verùm ambos in opinione sua & spe nimium præcoce delusos fuisse, brevi docuit eventus; Cancellario cum sociis aliquot in exilium pulso, aliis postea Janseniani exercitûs ducibus carceri mancipatis. Neque ipse adhuc Ægidius satis sibi tutum duxit ex Hollandia in Belgium regredi catholicum; loquendi tamen & scribendi liberè, absque Romani saltem periculo anathematis eluxisse tempus, toties desideratum sibi suisque, author Panegyreos voluit persuaderi.

Protrusit itaque opus ipso titulo horrorem incutiens Orthodoxis. *Prologum* ei præfixit *Galeatum*, qui mole pars tertia lucubrationis est, compositus ex *Diurno Sanctamorei* velut quinto novæ Ecclesiæ Evangelio. Istud autem quantum est, constat relationibus, solâ nixis fide testium Jansenianorum, quibus pro nova secta fingere quidlibet summa religio est.

Ex *Prologo* illo decerpenda hìc lacinia est, quâ Ægidius transmitti posteris ad perpetuam sectæ gloriam jubet, Gallorum Jansenizantium quatuor Antistitum fraudem, & septuaginta Monialium Portus-regii diaboli-

cam in contemnenda excommunicatione pertinaciam, quam mirificis ornat encomiis, veluti gloriosissimis dignam primitivæ Ecclesiæ confessoribus, ac penè Martyribus constantiam. *Gestavit porro* (inquit) *Cœnobium Portus-regii in suo gremio ex familia Arnaldina, Monachas duodecim, hoc est Arnaldi magni sorores sex, & neptes quinque, atque ipsam etiam denique Arnaldi matrem.*

Monasterium hactenùs eis fuerat solùm rurale, unde Parisios commigrarunt; sed illic aucto magis numero, quàm ut unius domûs angustiis caperetur, callido Jansenistarum consilio, pars habitationem repetiit campestrem. Hic Novatorum factio Sacerdotum liberiùs & securiùs, quàm in Regia Metropoli conventicula celebrare, & sedem ipsa quoque figere poterat, loco ad scribendum Janseniana Opuscula opportuniore; etsi Monasterium hoc maneret Abbatissæ subditum Parisiensi.

His ad historiæ notitiam præmissis, ad Monialium laudatam ab Ægidio in *excommunicatione patientiam* progrediamur. Anno 1664. 15. Kalendas Martii Alexander VII. postulatam à Rege Christianissimo & Orthodoxis Galliæ Episcopis dederat Constitutionem *Regiminis Apostolici*, quâ juramenti contra Jansenii hæresim formula decernitur, ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Monialibus subsignanda.

Promptissima mox toto Regno obedientia secuta est, refragantibus solis quatuor Jansenianis Episcopis, qui nonnullos nacti sunt ex inferiore Cleri ordine sectatores, cum mulieribus aliquot præsertim ex Portu-Regio, tot Arnaldicis aucto & dementato consanguineis. Moniales illæ repudiatâ Pontificis formulâ, aliam sibi à Jansenianis directoribus conceptam amplexæ sunt, quâ quinque damnantur Articuli, sed non eo sensu quo à Jansenio traditi fuerant, & ab Ecclesia condemnati. *Infrapscripta* (inquiebant) *pollicemur in iis, quæ Fidem attinent, submissionem & assensum sincerum, & quoad factum, quandoquidem nullam ejus per nos ipsas notitiam haurire valeamus, nullum formamus judicium; sed nos continemus in observantia & silentio, quæ statui nostro ac conditioni convenit.*

Nonne muliercularum conditioni, ac statui Monialium bellè convenit, reprobare, corrigere præscriptam sibi à Sede Apostolica formulam, à Rege Christianissimo, & Galliæ Episcopis expetitam, à Sorbona & universis per orbem Catholicis seu Præsulibus, seu Doctoribus consensu partim expresso, partim tacito approbatam adeò, ut præter addictos quatuor Jansenio Antistites, & paucissimos eodem conspersos pulvere Sacerdotes, nemo auditus fuerit refragari?

Sed nempè Arnaldi apud Moniales illas plus valuit authoritas, quàm sui Archiepiscopi, Pontificis maximi & totiùs obedientis Ecclesiæ. In quinque Jansenii Propositionibus damnare istæ Arnaldi discipulæ volebant solam Calvini & Lutheri hæresim, quatenùs à Janseniana discernitur, sive, ut Jansenistarum apud Innocentium X. in Libello supplici declaravere Oratores, *sensum hæreticum, quem Propositiones legitimè*, seu propriè *sumptæ non habent, sed qui eis* nonnisi *malignè affingi posset.*

Posterior solus est, quem Virgines illæ fatuæ abdicare à se cupiunt, retento mordicùs sensu Jansenii, etiam hæretico, qui totius illius voluminis cardo conspicitur, & novæ Ecclesiæ fundamentum. Audienda modo est Ægidii Candidi contra Illustrissimum Perefixium Parisiensem Archipræsulem lamentatio, Prologi memorati pag. *46.*" Rejecit illam „ (Jansenianæ professionis formulam) irreconciliabilis Perefixius, & innocentes illas „ incontaminatæ conscientiæ victimas, primùm Ecclesiasticâ excommunicatione plexas Diabolo tradidit.

„ Deiu Cœnobium Parisiense, quod militibus cingi „ (contra Jansenistarum impetum) „ imperarat, Satellitibus totius „ Civitatis & Præfectis eorum stipatus... ingressus est. Abbatissam, Priorissam, ceterasque Officiales precipuas à charis avulsit Sororibus; ac singulas seorsim ad majus tormentum in extranea Monasteria captivas detrusit. Post hæc quasi mitior; sed reverà crudelior factus, omnes ab exiliis „ revocatas, & in domum ruralem, de qua „ supra, compactas, ac Prętoriana legione „ custoditas, viris illis Ecclesiasticis, à quibus solatii aliquid „ (Janseniani & confirmationis in hæresi) „ expectare poterant, „ spoliatas; Sacramentis Ecclesiæ, etiam in „ extremi morbi angustiis, atque in ipsa „ morte privavit. „

„ Atque hac oppressione, ut minus dicam, „ conculcatæ fuerunt plusquam septuaginta „ Moniales: duravit portentum persecutionis per quatuor annorum periodos, variis „ istius temporis intervallo ad æternitatem „ digressis, & finè cruce, finè luce, hoc „ est finè prece Sacerdotali mortuis, ac terræ „ datis; donec tandem pace per Clementem IX. quatuor illis inclytis Jansenio faventibus Antistibus reddità, & Facti Quęstione religioso silentio involutâ, anno „ 1669. communioni fidelium & Ecclesię Sacramen-

„ cramentis sunt restitutæ. „

Nos veriùs dixerimus eas fuisse communione Sacramentorum & fidelium orbatas, donec eam, à circumvento fraudibus Nuncio Apostolico, sicut olim à Palestinis Episcopis Pelagius, mendaciis furatæ sunt. Quo fructu? ut ad graviorem sui damnationem, hæresi ac schismati superadderent perjurium, & sacrilegia haud pauciora, quàm Divini Corporis participationes.

Quibus malis non aliud apparuit in posterùm remedium, cùm cætera clusisset contumax Janseniſtarum temeritas, quàm Monasterii totius, ipsiusque Templi tot profanati sacrilegiis, ab imis quodammodò radicibus extirpatio.

Hæc Monialium pertinacia effectus fuit Quesnelliani dogmatis, *pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem* (hæresios Jansenianæ, eam Pontificiâ formulâ ejurando) *est imitari S. Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Patientiæ scilicèt pacificę nomine intelligitur obstinatissimus anathematis, & cujuscumque definitionis adversæ novitatibus contemptus; Non autem excluditur clamosissima Janseniſtarum molitio per Apologias, quibus Episcopi & Pontifices anathematis authores publicè proscinduntur, veluti Christianæ gratiæ persecutores. Adeò non cuique facilè est Janseniani sermonis passim mysteria interpretari, ad quod non minore opus studio est, quàm ad evolvenda cifrarum ipsis familiarium arcana, ubi intenditur sæpè oppositum ei, quod præseferre videretur aliàs vulgaris expressio idiomatis.

Qualis fuerit, quæ à Quesnello ejusque Sectatoribus, non minus dolosè, quàm magnificè jactatur, pacifica anathematis tolerantia, & Pauli Apostoli imitatio, non levi documento est in solo Prologo *Panegyris Janseniana*, cum triplici quæ sequitur, *Apologia*. Et quidem ex Prologo vix aliud retuli, quàm locum de Portus-Regii Monialibus; jungendum ex eodem aliquid, undè ampliùs colligatur, quàm sit pacifica ipsius scriptoris in ferendis censuris *patientia*, quantæ *authoritatis* Pontificiæ veneratio, quale studium *unitatis*.

Pag. 26. dicitur "Universa in Jansenium „ molitio solis adversariorum suggestionibus „ clancularìis acta, promota, ac consum- „ mata. „

Pag. 28." Delegerat Innocentius X. huic „ negotio accurando ac promovendo Albizium S. Officii Assessorem, hominem impotentis genii, Jesuitis intimè addictum, „ Augustino (Batavo) ac defensoribus gra- „ tiæ infestum: "delecti ab Innocentio Decimo Theologi ad examen quinque Propositionum erant juxtà hunc Ægidium" Con- „ gregatio, non qualem Episcopi Augusti- „ no (Batavo) affecti proposuerant, sed fur- „ da, clandestina, & ubi omnia inauditis „ Episcoporum Oratoribus ex sola adversa- „ riorum suggestione peragerentur. „

Pag. 31. " Factumque vidit Roma ut ii, „ quorum plerique S. Augustini scripta nec „ à limine salutaverant, ac multi nè vel prin- „ cipia, vel ipsos terminos rei, de qua tra- „ ctabatur, intelligebant, judicium tu- „ lerint. „

Pag. 33. " En quibus artificiis utrique „ summæ potestati ad libri excellentissimi „ excidium ab istis falsitatum architectis „ obreptum sit.

Pag. 40. " Neque ipse Alexander VII. „ magis quàm Innocentius X. Congregatio- „ nem aut examen ullum instituit, quod qui- „ dem juxta Ecclesiæ & legitimi judicii præ- „ cepta par erat in hujusmodi dubiis ob- „ servari. „

Pag. 69. " Quod hisce feralibus dissen- „ sionibus sopiendis requiritur, est juridica „ Libri Janseniani discussio, ubi defensioni „ locus detur, partes contradictoriè audian- „ tur, & omnibus ritè perspectis, conside- „ ratis, expensis, peremptoria dicatur sen- „ tentia. „

Pag. 80. " Arbitror luculentèr clarescere, „ si zizania usque adeò virulenta, & „ uti liquet, totius Religionis, virtutumque „ palmarium medullam intimam depascen- „ tia, dormientibus, seu conniventibus il- „ lis, ad quos spectant excubiæ, impunè „ spargi, crescere, adolere, maturescere „ sinantur in agro Domini, quod certè nil „ aliud expectationi nostræ relinqui videa- „ tur, quàm Fidei defectio, Antichristi reve- „ latio, & finis mundi. „

Vitæ finem nuperrimè nactus est author; Utinam verâ pœnitentiâ felicem! Si istam ulla obedientię ergà Pontifices eorumque Constitutiones dogmaticas, significatione, saltèm morti proximus declarasset, non malè adeò fama ejus apud omnes olere pergeret orthodoxos. Schismaticis illius contra Romana judicia querelis convenit usitata pridèm à Sapientibus responsio, *audiri nunquam hæreticos, nisi exaudiantur*, nullos ipsis unquam obtingere æquos & sapientes Judices, nisi erroribus patrocinantes.

Quandonam judicium Ecclesia vidit magis numeris omnibus absolutum, quàm tre-

trecentorum & octodecim Patrum Oecumenico in Concilio Niceæ prolatum? Sabinus tamèn Macedonianâ sordens hæresi apud Socratem lib.1.cap.6. *Eos qui Niceę coacti erant, imperitos & inscios vocat: neque veretur ipsi Eusebio Cæsareensi ignorationis vitium falsò objicere,*

Panegyrim damnavit Apostolica Sedes; ipsa facultas Theologica Lovaniensis horruit. Quantâ autem *pace* & *patientiâ* Censuram author exceperit, quantâ Supremæ authoritatis reverentiâ, perspicuum fit ex *Panegyreos Apologia*, quam ad Lovaniensem Theologum typis dedit anno 1699. hac epigraphe ex Jobi capite 27. ad jactandam rebellionis suæ pertinaciam, atque insultandum Romano judicio, *Justificationem, quàm cæpi tenere, non deseram.*

Pag.3." Si (inquit) Viri illi ornatissimi „ apud vos sine velamine affectuum, atque „ ad solam vocem veritatis, auribus inter- „ nis attenti considerassent Jansenianam Pa- „ negyrim, de ejusdem nervis ac momento „ fortasse æquiùs ac saniùs judicassent. At „ cum ex præconceptis affectibus censura „ stringitur...tùm verò nihil miri, tot nebulis „ involutam mentem, à judicio veritatis re- „ cedere, ac derelictis rectè censendi regu- „ lis, in sententiam iniquę aspernationis, aut „ temeratiæ damnationis labi.„

Pag. 6. *Formulario* (Alexandrino) *cum jurejurando subscribentes, ab aperto perjurio nullâ valent ratione purgari.* Quâ verò ratione purgabitur Ægidius à calumnia apertissima, non solùm contra Alexandrum VII. illius Formulæ parentem, præceptoremque; sed etiam contra tot Pontifices ejus approbatores, contra Regem Christianissimum & Clerum Galliæ, qui illam supplicibus à Sede Apostolica precibus postularunt: denique contra omnes Religiosos Viros ac mulieres, Ecclesiasticos omnes, etiam Antistites exceptis quatuor Fidei minimè exploratæ?

Pag. 26. Sic pergit Ægidius: " Cupe- „ rem certè à quodam jurationis patrono „ præformari aliquam periphrasim Formula- „ rii, quæ interjectis quibuslibet, quas illi „ copiosè concedo, parenthesibus, ità ad „ ornetur, ut falsitate, mendacio, calum- „ niâ careat. " Si hæc authoris observatio solùm impeteret Quesnellum cùm suis sive Lovanii, sive alibi Sectatoribus, qui juxtà recentius ejus inventum, jurant formulâ Alexandri VII. atque ità Janseniani Libri sensum in quinque Propositionibus exteriùs damnant, quem animo retinent velut innoxium, & à nullo recusandum Catholico, minus offenderet; Verùm sacrilega istiusmodi perfidia omnibus vero nomine Christianis, odio, atque execrationi est. Ægidiana autem animadversio dùm universos impetit Alexandrinâ formulâ, etiam maximè seriò jurantes, solo digna hæretico, vel insaniente, æstimabitur calumnia.

Pag.34. ait": Cuperem & illud ipsorum „ animis validiùs imbibi, quod nisi remediis „ salutaribus obvietur; Brevia illa, & Con- „ stitutio Alexandrina, & Formularium, „ Bullariis inserta, ad posteros transmittren- „ da sint cum terminis suis clarissimis, distin- „ ctissimis, ac prægnantissimis; effugia verò „ moderna de malè, aut non liquidè præ- „ sumpta mente Pontificis, de secretis Hen- „ nebelli relationibus, de connotatis, atque „ incidentibus, abitura sint à memoria ho- „ minum, damnatâque Augustini, sub sensu „ Jansenii invincibiliter delitescente, do- „ ctrinâ, se factam istis diverticulis miratu- „ ra sit Ecclesia Pelagianam „.

Inanissima, ad eludendum Alexandrinę formulæ sensum perspicuum, esse effugia illa, &, sicut Ægidius non incongruè vocat, *diverticula*, omnes agnoscimus Catholici; neque sine fraude & perjurio subscribi posse Formulæ ab eo, qui universum voluminis Janseniani sensum retinere constituit, velut à damnatione & hæresi liberum: atque in eo Ægidii, etsi minimè aliàs Orthodoxi, candorem præferimus sacrilegæ Quesnelli perfidiæ, qui externam hæresios detestationem, cum ejusdem in animo approbatione conjungere suos docet, quoties opus, vel utile videbitur ad cujuscumque impetrationem Beneficii, vel non amissionem possessi.

At schismatica Ægidii non est tolerandа temeritas, quâ universam Ecclesiam ex religioso & sincero Formulæ usu, reddendam asserit Pelagianam. Quis impudentem adeò contra Pontifices, contra Episcopos, contra Academias & quidquid uspiam Catholicorum est, jactatam publicè calumniam componat cum affectata passim Jansenistarum modestia, & verâ hypocrisi, quasi *patientes* & *pacifici* sint in ferendo, etiam *injusto anathemate*, & simul remotissimi à volendo *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*?

Ut primùm Romam appulit Apologia, de ea sermo mihi fuit cum viro non infimæ notæ, cui quantum colligere potui, à Walonio vel alio earumdem parrium subdolè persuasum fuerat, authorem esse Lutheranum, atque istud patescere ex eo, quod alicubi suum esse Lutherum profiteatur, dicendo: *Noster Lutherus.* Hærebam initio, certus quidem, nihil simile in toto opusculo contineri; cum tamen nulla indicaretur pagina, aut signum

signum aliud undè prompta fieret disquisitio, evolvendum mihi rursus opusculum fuit: ubi se obtulit, quod ex pag. 23. hic describo.

Altum clamant Adversarii nostri a-catholici, Romanam Ecclesiam, abdicatâ Augustinianâ, hoc est, verâ Christianæ gratiæ doctrinâ, ad Pelagianorum agmina defecisse, adeoque immerenter veræ Ecclesiæ Catholicæ decoribus gloriari. Quamvis hoc improperium robore veritatis careat &c. Ubi author suam esse *Romanam Ecclesiam* apertissimè profitetur, ejusque obtrectatores esse suos *adversarios*: & pag. 42. dicitur: *An Honorius Monothelitarum, Theodoretus Nestorii, ac Jansenius noster Lutheri erroribus infecti fuerint &c.*

Poteratne Apologista clariùs se & Jansenistam asserere, & simul Antilutheranum? Sed talis fallacia multiplicem nata est parere Jansenianorum commodis effectum; ne scilicet tam facilè convincantur mendacii, quoties Jansenismum videri volunt inter phantasmata reiicere, velut à nemine, præsertim hoc tempore defensum, proinde non esse necessariam Sedis Apostolicæ & aliorum Antistitum ac Principum singularem providentiam ad novæ hæresios, utpote imaginariæ extinctionem.

Tum additur, non videri operæ pretium ut Sedis Apostolicæ, & S. Inquisitionis Administri fatigentur discutiendis, feriendisque hæreticorum omnium ultra Alpes errantium lucubrationibus. Addidit aliàs Quesnellus hæreticorum operum condemnationibus exulcerari amplius eorum animos, reconciliationemque cum Ecclesia impediri. Sic nova hæresis non contenta veterum fraudibus hæreticorum, novas in dies comminiscitur, & jam pristinis nequiores.

Anno 1700. audaciam Ægidius prosequitur Apologiâ Panegyreos secundâ. Pag. 13." Nullâ (inquit) præviâ scientiâ „ Theologicâ imbuti esse debent, ut Janseniani operis magnalia penetrent: magnalia totius Christianæ vitæ basim, totius veræ pietatis nucleum, omnium virtutum Theologicarum, atque moralium perfectam ideam, denique notitiam profundam Dei, Christi, ac sui in se largiter complectentia. Quare neminem pigebit impensæ sedulitatis, qui volumen illud expolitissimum non semel tantùm; sed etiam sæpius à principio ad finem usque exactâ diligentiâ volutaverit. A condita enim Ecclesia non est elaboratum opus, ubi controversia quædam Sacra à primis fundamentis ad summa usque fastigia tam pulchrè, tam solidè, tam facundè, tam cohærenter, ac tam indevulsâ contignationum firmitate construitur „.

Pag. 30." Formularium clarè petitur... „ ergo manifestè petitur calumnia... Erunt fortasse nonnulli, qui mirentur hanc nostram in Jansenii causa suscipienda, & Formularii juratâ subscriptione condemnandâ animi firmitatem. At ego multò magis miror, dari ullos in toto orbe Christiano Theologos, qui injustitiam vexationis hodiernæ non primo obtutu videant, & suis vestitam circumstantiis non toto pectore abhorreant, & animitus aversentur „.

An neque istud est post iteratas totiès Pontificum definitiones ab Ecclesia receptissimas *se erigere contra authoritatem, aut scindere unitatem*? Juxta testimonium Eminentissimi Noailles penès adversarios omni exceptione majoris, in citata sæpius epistola anni 1711. ad Pontificem de Clero Gallicano in Comitiis Generalibus anni 1705. congregato: *Certum* (inquit) *illi fuit, Pontificiis Decretis adversus Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse.* Quapropter, Ægidio respondebimus cum Leone Magno Epist. 42. Ad Marcianum Augustum contra Eutychianos: *Nimis iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella provocemur, tanquam reparata disceptatione tractandum, utrum Eutyches*, (nos dicimus utrum Jansenius) *impiè senserit, & utrum impiè Dioscorus judicarit.*

Instat Apologia Panegyreos Jansenianæ tertia, quæ prodiit anno 1701. pag. 3." Formularium (Alexandri VII.) vel ad suscipiendos Ordines Sacros, vel ad Ecclesiastica Beneficia prehendenda jure-jurando coràm Deo & Ecclesia confirmatum, in se continet acervum flagitiorum, ad quæ quivis religiosæ conscientiæ Christianus toto animo & corpore contremiscat „.

Pag. 15." Formularium nequaquam Sedis Apostolicæ consiliis, aut proprio motui adscribi potest; sed purum putum inceptum fuit obnoxiorum hominum: non Ecclesiæ; sed Aulæ fœtus: non ex gravium Episcoporum (quales indubiè penes Ægidium soli Ianseniani sunt) libero consensu præparatum, comprimendis malis antidotum; sed perdendis bonis (jurare nolentibus) excogitatum à quibusdam subdolè Stratagema: Verbo dicam, molitionem malitiosè conceptam, fraude promotam, potentiâ enixam, editam, & propagatam. „

Pag.

Pag. 26. " Sive obvius, sive naturalis,
„ sive formalis, sive realis, sive etiam dica-
„ tur bliĉtricus ille sensus, nomina quidèm
„ confusa & sonos audio; sed significantia
„ verba nulla, quibus propositionum intel-
„ ligentia accuratè percipi, & ad ideas quas-
„ dam fixas ac claras determinari possit. „

Pag. 38. " Finio obtestans & obsecrans,
„ ut homines non præventi, quales saltem
„ sunt plerique omnes scientiæ Theologicæ
„ Candidati, solicitè volumen (Jansenii),
„ à capite ad calcem evolvant, & consecu-
„ tiones cum principiis ritè conferant: fu-
„ turum spondeo, ut radiet illis luce meri-
„ dianâ rutilantior Augustinorum Africani
„ & Europæi suavissima consonantia.....
„ comperient volumen tum dignitate mate-
„ riæ, tum excellentiâ sapientiæ, tum pie-
„ tatis afflatu libris omnibus, quos Ecclesia
„ Dei post Canonicas Scripturas protulit,
„ aut non cedere, aut palmam etiam cum
„ laude auferre. „

Ibid. " Ut Daniel insontem Susannam è
„ damnatione eripuit, ita & ego fortassis ab
„ Ecclesiæ Præfectis tandem audiar pro Jan-
„ senio clamans: *Revertimini ad judicium,*
„ *quia falsum testimonium locuti sunt adver-*
„ *sus eum* „.

Digna sanè Candidorum Jansenistarum principe, voluminis, doctrinâ referti impiâ, blasphemâ & hæreticâ, cum Sanctissima Susanna comparatio. Talis eodem jure, seu potius eâdem injuriâ adhiberi potuisset ab hæretico Abailardi contra S. Bernardum & Romanum Pontificem vindice, dum non minùs quàm Ægidius patheticè declamavit: *Damnatur aureum os illud, promptuarium rationis, tuba Fidei, hospitium Trinitatis: damnatur prob dolor! absens, inauditus, & inconvictus.*

Jansenistis nos meritò intorquebimus quod Augustinus de Donatistis enuntiat lib. 1. contra Epist. Parm. cap. 6. *Puto quòd ipse Diabolus, si authoritate judicis, quem ultrò elegerat, toties vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causa persisteret.*

Jansenium in vita sæpius & morti proximum publicis testamenti tabulis, omnia sua scripta judicio Pontificis subjecisse, notissimum est. Undè exclamare cogimur cum Vincentio Lerinensi in commonitorio cap. 11. *O rerum mira conversio! Authores ejusdem opinionis Catholici; consectatores verò heretici judicantur: absolvuntur Magistri, condemnantur discipuli. Conscriptores librorum filii regni erunt; assertores verò gehenna suscipiet. Nam quis illud Sanctorum & Episcoporum & Martyrum lumen, beatissimum Cyprianum cum cæteris Collegis suis in æternum dubitet regnaturum cum Christo? Aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius authoritate Concilii rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum Diabolo?*

Quam sententiam expendens Eminentissimus Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri disput. 19. sect. 3. *Timeant igitur* (inquit) *Sectatores Baii & Jansenii, quicumque ii sint, ne fortè utroque ipsorum Prodromo labe hæreseos exempto ob quandam bonam Fidem, aut subjectionem animi erga judicium Romani Pontificis, ipsi eam notam subeant instar Donatistarum, & æterno igne ardeant.*

CAPUT XII.

Quantâ Gerberonius erga authoritatem Ecclesiæ reverentiâ concluserit seculum decimum Septimum.

1 ANno 1700. contra censuram à Clero Galliæ in Comitiis Generalibus decretam, Gerberonius fallaci titulo opusculum edidit, quasi *Monitum charitatis datum Domino Cice &c.* cum animadversionibus in Censuram à Cleri Comitiis definitam. Postquam pag. 10. Cleri sententiam perstrinxerat, quâ condemnatur non minùs exitiale, quàm familiare Jansenistarum mendacium, quasi Janseniana hæresis non nisi imaginaria Pontificiorum fictio sit.

Pag. 14. Galliæ Clero exprobrat quòd juxta formulam Alexandri VII. contra Jansenianam hæresim juraverit. Exprobrat (inquam) Gerberonius perjurium & calumniam. Quod autem exprobrat universis, arte Rhetoricæ Jansenianæ, obiicere videtur uni, partem exprimens pro toto, ne odiosa nimium & temeraria appareat in totius Galliæ Clerum irreverentia. Sic igitur Gerberonius. " Quo modestiæ sensu jactas, quasi ma-
„ gni meriti actionem, quod cum tuis sociis
„ (Episcopis &c.) subscripseris Formulæ
„ Alexandri VII. quasi gloriari licitum sit de
„ falso testimonio, atque perjurio? Pag. 20.
„ subscribere non potuisti, nisi lædendo ve-
„ ritatem, & proculcando Ecclesiæ de gra
„ tia doctrinam „.

Istiusmodi Jansenistarum calumniæ contra Galliæ Clerum, contra omnes totius Regni Christianissimi Ecclesiasticos, contra omnes etiam Belgii Austriaci Episcopos, & Doctores ubique gentium Catholicos, ejusdem formulæ approbatores, ipsamque Sedem Apostolicam, juxta Quesnellum, Gerberonium, & eorum asseclas, sunt illustria

animi

animi in ipsis pacifici, reverentis, demissi indicia: Sic Pauli Apostoli in toleranda excommunicatione (quæ nunquam fuit) imitantur patientiam: talibus bellè ostendunt scriptionibus, quàm horreant *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Contra eandem Cleri Gallicani sanctionem aliud Gerberonius scriptum composuit non minùs infame, Canticum videlicèt strophas continens sexaginta duas, è quibus laciniam compendio refero, undè de cæteris conjectura fiat non difficilis: *Quæ traditio, quæ scriptura hanc revelare potuit definitionem, quòd umbra, quæ nihil rei est, nequeat inter phantasmata numerari? Credidero ego potiùs Clerum nostrum somniasse, & etiamnum dormire. Eccè autem ut nostri Præsules, infelici fato ex inani phantasmate fingentes errorem, veluti subsistentem, condemnant in Jansenio doctrinam Augustini, tanquam hæresços labe contaminatam.*

Nonnè hinc iterùm elucet, qualis Gerberonii sit erga Clerum Illustrissimum reverentia, quanti apud ipsum sit suorum Præsulum authoritas?

Eodem anno 1700. idem Augustini Batavi discipulus, magistri sui ad Sancyranum Literas typis publicas reddidit; additis à se animadversionibus. Illic in præmonito jubemur de Sancyrano & Jansenio credere quod: " Ambo non alium sibi finem præfixerunt, quàm promovendi gloriam Jesu Christi; non alia tradendo hominibus, quàm purissima Evangelii dogmata, & explicando momenti maximi de gratia veritates, quæ vix ampliùs cognitæ erant in ipsis scholis. „

Pag. 34. " Qui Bajo adversabantur, Sedem Apostolicam circumvenerunt persuadentes, ut plures Articulos condemnaret, neque à Bajo, neque ab alio traditos, & quorum aliqui erant clarissimè in Augustino, conformes duobus Conciliis Arausicanis à Sede Apostolica confirmatis. „ Pag. 207. " Pelagianismus in omnes ferè se insinuaverat Scholas „. Pag. 240. " Præcipui Doctores & Professores Sorbonici levissimè tincti erant dogmatibus Augustini. „

Si hæc omnia Gerberonio sunt *pacificè pati anathema* latum in Baji Articulos, neque *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, quid tandèm erit, apertâ rebellione anathema impetere? Quid contemnere Romanorum Pontificum sacratissimas, & ab universa admissas Ecclesia Constitutiones? Quid dicam *de unitatis* studio, de quo tanta passim novatoribus; sed falsissima gloratio est? Gerberonius tamèn cœteris magis temerarius, ut inter Jansenianos Candidos locum sibi vindicare voluit non vulgarem, ita & minimè curavit de concordia etiam simulanda.

Idem *Discordiæ Jansenianæ enarrator* extitit, & pariter incentor cum Ægidio præcipuus dissidiorum, zizania non inter Catholicos tantùm; sed inter suos quoque turbulentè disseminans. Sic nempè is pag. 1. " Equidèm consentiunt omnes qui se Augustini discipulos dicunt, in præcipuis doctrinæ capitibus... & circa Jansenium, quod nonnisi meram Augustini doctrinam tradiderit: dissentiunt autem in eo, quod uni mitiores usurpant locutiones... inclamantes quòd hi duriùs loquendo non levia facessunt negotia bonæ, ut vocant, causæ in Aulis potentioribus „. Pag. 4. " Ad cor redeant timidiores Augustini discipuli, & virtute induti ex alto, verborum larvas deponant, & fortiter impavidèque Catholicas de gratia & prædestinatione veritates nudas, ac sinceras tueantur. „

Tùm an probè Janseniani sint, Fidem illorum quinque Quæstionibus explorat, quæ referuntur in juridico contra Gerberonium Processu cap. 3. pag. 61. & 62. Ibidem relata sequitur Gerberonii altera similis fariuæ scriptio, *Fraternæ admonitionis* nomine, datæ *Joanni Opstraetio*, aliàs multis de causis charissimo.

Sic eum corripit velut timidum, & propterea à Jansenii si non sensu, saltem phrasibus deficientem. „ In tam ignavo (inquit) fœdo, ac turpi fætu, forti Opstraetio prorsùs absimili, te quis agnosceret, nisi illius parentem te agnosceres ac tutorem? Heu! Quò te vesana cujusdam pacis falsæ cupido abripuit, ut pacem cum Augustini hostibus habeas? Adversus fortissimos & candidissimos illius defensores bella moves qui, nisi veritate prostratâ, vinci non possunt „. Pag. 2. " Utinam nec tu, nec hodierna Schola à Scripturæ & Augustini phrasibus, ubi de gratia agitur & prædestinatione, unquam recessisset, non tot à catholica veritate ad Pelagianismi deflexissent deliramenta, nec totum penè Orbem miraremur ac lugeremus factum esse Pelagianum! „

Adeò Gerberonius abhorret à prodenda Jansenianæ hæresios veritate. Istudne est *pacificè*, sive ut aliàs dicitur, *obsequioso silentio* tolerare anathema Jansenianis inflictum opinionibus? Istudne reverentiâ profequi *authoritatem, & unitatem* Ecclesiæ conservare? Non sic dimittendus est Gerberonius,

nius; sed discutienda speciatim ejus *Historia Jansenismi*.

Quinta Jansenii Propositio fuit: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Hanc Innocentius X. condemnavit tanquam *falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem & hæreticam*. Cùm verò hujus sectæ discipuli errorem defendere quidèm cum pertinacia constituissent; sed neque Rex Christianissimus; neque Catholicus in suis ditionibus passuri essent definitionem Apostolicam publicâ proteri rebellione, censuerunt Constitutionem admittendam verbo tenùs: sed expositione subdolâ eludendam.

Sanctionem itaque Pontificis sic explicant, quasi hunc tàntummodò feriret sensum, quo Christus diceretur pro sola mortuus salute Prædestinatorum; non autem pro justificatione ullius reprobi temporanea, quod explotatissimum est, nusquam fuisse à Jansenio, aut ullo ejus discipulo affirmatum; sed à Calvino; in cujus sententia omnis gratia sanctificans perpetuò perseverat, atque ita justus quilibet ad beatitudinem est electus.

De hac Jansenistarum fallacia Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus graviter questus, certiorem reddidit Alexandrum VII. Innocentii X. successorem, Epistolâ datâ 2. Septembris 1656. antidotum postulans adversus interpretationem pestiferam, quâ definitionis periret utilitas, detorto censuræ robore in sensum extraneum, de quo in Scholis nulla fuerat disceptatio, nullum petitum à Sede Apostolica responsum.

Infregerat quidem Alexander Pontifex cavillationem *Brevi Apostolico*, quo, ut agnoscunt in ea Epistola Antistites, *decisionis authoritate ad juris quæstionem restrictâ, doctrinam Jansenii, quam opere illo suo explicuit, in Propositionum confixarum materia, Pontificiâ Constitutione damnatam fuisse declarat*.

Istud autem, ut majoris apud omnes ponderis declaratio foret, & Illustrissimi Cleri satisfaceret votis, summus Christi Vicarius solemni atque irrefragabili inseruit Constitutioni, cui initium est *Ad Sanctam B. Petri Sedem*, atque eo sensu Diploma Innocentii X. suumque ab omnibus accipi jussit, & quinque Propositiones, conceptâ dein juramenti formulâ condemnari.

Sensus Jansenii apertissimus est locis sequentibus: Lib. 3. de gratia Christi cap. 21. editionis Lovaniensis col. 386. *Nec enim* (inquit) *juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum*. In Paralello c. 3. apertè dicit eum esse Massiliensium errorem.

Pro solorum salute Electorum mortuum esse Christum docet lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. *Quibusdam hominibus dare prædestinavit Fidem, Charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos esse prædestinatos, Electos, & salvandos dicimus... pro istis in æternum vivificandis mortuus est: pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum: non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur*.

Ibid. col. 390. *Quæ sanè cum in Augustini doctrinâ perspicua, certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, sanguinem fudisse, Patrem orasse sentiatur*. Dein addit: *Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum* (non perseverantium in justitia, adeoque non prædestinatorum) *quàm pro Diaboli deprecatus fuerit*.

Hic sensus Jansenii indubiè hæreticus est, impius & blasphemus, Pontificio dejectus anathemate; quem Gerberonii temeritas confidenter adeò restituere parat, & velut in certum de Ecclesia universa erigere triumphum. Ipsâ Historiæ præfatione. "Nullus „ (inquit) probè Catholicus dixerit, Jesum „ Christum petiisse à Patre æterno salutem „ æternam iis, quos noverat à Patre reprobatos, aut quòd eis obtinuerit media sufficientia ut in justitia perseverarent. „

Nos ab Augustino meliùs edocti tract. 4. in Joannem sub initium *de Populis propter superbiam suam spernentibus humilitatem Dei*, dicimus quod *crucifixerint Salvatorem suum, & fecerint damnatorem suum*. Quomodo Christus *Salvator* creditur *damnatorum*; si eorum salutem à Patre non petierit, neque ad eam media obtinuerit sufficientia? Ipsos quoque alloquens reprobos S. Doctor lib. 2. de symbolo ad cathecumenos cap. 8. ait: *Videtis vulnera, quæ infixistis? Agnoscitis latus quod pupugistis? Quoniam & per vos & propter vos apertum est, neque tamen intrare voluistis*.

Iniquum adversarii faciunt Augustinum, & malè sanum quodammodo reprehensorem, si nemini eorum, quibus exprobrat quòd intrare

trare noluerint, ingrediendi potestatem à Patre Christus petierit, nemini media impetraverit sufficientia. Disputatorem denique Augustinum adversarii statuunt ineptissimum, & à Juliano sibilis excipiendum, quando lib.6. contra Julianum cap.4. sensu suo explicant differentem.

Sic nempè S.Doctor: *Unus pro omnibus mortuus est: ergò omnes mortui sunt, ostendens fieri non potuisse ut moreretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus: impingo, inculco, infarcio recusanti ... unus pro omnibus mortuus: ergò omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergò non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui non se negat, aut dubitat esse Christianum.*

Ostendere contra Julianum voluit Augustinus, omnes homines morte animæ in Adamo periisse: quod argumento ineluctabili assumpsit, ut vidimus ex verbis Apostoli demonstrandum; adversarii autem, quemadmodum solent, vel stolidè, vel nequiter ex particulari antecedente conclusionem deducere universalem (quo arguendi genere nihil apud omnes rationis compotes est ineptius) ita & Doctorem maximum insanire jubent, ut ex eo quod Christus mortuus fuisset pro omnibus solummodò prædestinatis, concluderet omnes homines peccato originis cecidisse.

Sicut igitur, Augustino judice, si pro omnibus hominibus Christus mortuus fuerit, omnes pariter homines in peccato mortuos esse, *nemo negat, nemo dubitat, qui non se negat, aut non se dubitat esse Christianum*, ita quisquis affirmaverit mortuum esse Christum pro omnibus, qui in Adamo peccaverunt, necesse est fateatur, in Augustini sententia morientis Christi erga lapsos homines Charitatem, non exiguo terminari numero Electorum; sed ad universam extendi multitudinem mortalium.

Istud autem contra Jansenium fide certissimâ retinendum est, non pro solorum salute perpetua Prędestinatorum profusum esse Christi sanguinem; sed etiam pro reproborum, saltèm quorumdam: Quod posteriùs addo non quasi dubius, an salus prorsus omnium à Servatore intenta fuerit; sed ut Fidei Articulus contra Jansenii hæresim definitus, secernatur à dogmate, argumentis aliundè Theologicis, & authoritate communissimâ stabilito quidem, atque indubitato; non tamen ex Pontificia hac contra Jansenium definitione ad eum evecto certitudinis gradum, quem à Pontificibus, secundi sensûs anathemate conspeximus definitum.

Difficultas, quæ contra mortem Christi pro salute parvulorum in matris utero sine baptismate morientium, ab aliquibus mota fuerat antè Innocentii X. contra Jansenium Constitutionem, post eam à Catholicis non ampliùs confirmatur; nam licèt prior Janseniani Atticuli censura videatur accipi posse ita, ut afficiat solùm hæresios notam, quam enuntiatio Jansenii *temerè, falsò, scandalosè* infligebat sententię communi de morte Christi pro omnibus prorsùs hominibus; tamen adhibito propter Jansenium examine magis accurato, ut solent nascentes hæreses veritati diligentiùs indagandæ, & stabiliendæ fortiùs, esse occasio, sententia favens parvulis, à nemine nunc quidem videtur Catholico impugnari.

Quod de originis diffusâ in omnes homines maculâ superiùs protuli, moneo non rigidè; sed accommodè intelligendum, ne Deiparam complectatur.

Nimium fortè à Gerberoniana Jansenismi Historia divertimur. Illic tom. 1. pag.34. affirmat temeritate solitâ, quod Sedes Apostolica à Jansenii adversarijs decepta condemnaverit sub Jansenii nomine Augustinum. Pag.36. " Scandalum, quod ex Jansenii volu„ mine ortum asserit Urbani VIII. Constitu„ tio, est fictitium „. Ibid. " Doctrina Jan„ senii est cęlestis „. Pag. 47. " Quando li„ ber Jansenii examinatus fuit, nullus in eo „ error potuit deprehendi „.

Pag. 57. " Injuriâ affecerunt Apostoli„ cam Sedem, qui Urbano VIII. persuasere, „ quòd Jansenius in suo Augustino Proposi„ tiones à Pio V. & Gregorio XIII. condem„ natas doceat, ac defendat, & quidèm eo „ sensu, quo illarum sancita condemnatio „ est „. Istud Gerberonii mendacium inter Janseniana cętera convictum sæpiùs, & luculentiùs est, quàm ut necesse videatur, vel conveniens iteratâ hìc ejus confutatione distineri. Ibidem etiam *Alexandrum VII.* ait *falsis fuisse contra Jansenium opinionibus præoccupatum.*

Juxta pag. 66. " Adversarii Jansenii, „ qui Nuntium Coloniensem Fabium Chi„ sium, Cardinalem Barberinum, atque „ ipsum Pontificem Urbanum VIII. falsis re„ lationibus circumvenerunt, ab eodem „ Bullam extorsere solicitationibus impor„ tunis „. Pag.130. " Compilator Bullæ Ur„ banianæ obtinuit, ut in fine vitæ Pontifex „ eam declararet legitimam, ne ab ejus suc„ cessore puniretur propter varia, inscio „ Pontifice, inserta „. Compilator ab Ægidio

dio Candido exprimitur S.Officii Assessor Albizius, dein ad Sacram Purpuram ob præclaras animi dotes, zelum potissimùm fidei, qui vel propterea Candidi inter Jansenianos principis judicio, *Denuntiatione solemni* pag.4. *Dignior furcâ* habitus fuerat, *quàm Galero Cardinalitio*.

Quæ omnia illustria sunt Jansenianæ modestiæ, & in perferendis pacificè censuris patientiæ specimina. Adeò remoti sunt hypocritæ illi ab authoritatis læsione minimæ, vel unitatis. Pag. 168. Digna Gerberonio gloriatio est, quod Antonius Arnaldus extiterit primus defensor Jansenii, cujus sententias ex ipso priùs hauserit Augustino Hipponensi, quam in lucem prodiit Iprensis. Paginâ 249. "Jansenio verti debet gloriæ, quod „ non alios offenderit, quàm veræ Christi „ gratiæ inimicos, & eos, qui à posteriori„ bus se decipi passi sunt „. Ita omnes, qui à Jansenii tempore vixerunt, Romani Pontifices, omnes ferè Galliæ Episcopi, cum cæteris totiùs Christiani Orbis Præsulibus, & Academiis aut veræ gratiæ declarantur inimici, aut turpiter eorumdem fraudibus circumventi.

Confirmatum hìc dare Gerberonius voluit, quod superiùs vidimus ab eo apertiùs jactari, Ecclesiam penè universam, exceptis scilicèt novis hisce Augustini discipulis, redditam esse Pelagianam. Pag. 258." Submis„ sio, qua duo Lovanii Doctores, qui ante „ Jansenio faverant, Constitutioni se sub„ jecere Pontificis, pudenda Socordia fuit „. Ibid." Injuriam quam Apostolicus in Belgio „ Internuntius, & Archidux Leopoldus ea„ rumdem Provinciarum pro Rege Catholi„ co Gubernator, intulere fidei, & justitiæ, „ adigendo Lovanienses ut Bullæ subscribe„ rent Urbanianę, & Jansenii librum abjice„ rent, non dissimulavit opusculum *Plan„ ctus Augustinianæ veritatis in Belgio pa„ tientis* „.

Totum istud iterùm Gerberonio neque est *erigere se contra authoritatem*, neque *scindere unitatem*, sed *anathema*, etiam *injustum pacificâ* tolerando *patientiâ*, Apostolum *imitari*; Quasi verò ab Ecclesia vel ejus Ministris aliqua unquam excommunicatio vibrata fuerit in Apostolum.

Carolus Hersent Gallus Romę in Ecclesia S. Ludovici, fisus forsitan Nationis illic suæ potentiâ, doctrinam Baji & Jansenii prædicaverat minimè obscurè, quo Sacris Inquisitoribus undique denunriato, decretum prodiit anno 1650. 17. Octobris, quo ciratus, ut compareret fidei suæ probandæ causâ, & diluendorum criminum, quorum reus agebatur, nominatìm quòd errores Jansenij prædicasset, maluit sibi fugâ consulere, quàm causam dicere in Tribunali, undè non facilè evasisset.

Quid de hoc Gerberonius? Pag. 332." „ Romani (inquit) aliqui in sententiis, quas „ naturæ superbia inspirat, educati, nihil „ scientes de fide Ecclesiæ, nihil de doctri„ na S.Augustini, concionem hanc ægerrimè „ tulerant „.

Pag.336. Æquior ratio Augustini disci„ pulis fuit conquerendi de Romanis Judi„ cibus, quòd librum Jansenii non, sicut „ oportuit, examinarent, quàm Nuntio „ Pontificio in Hispania lamentandi, quòd in „ Brabantia aliqui Bullæ se opposuerint Ur„ banianæ, ejusque impediri cuperent pro„ mulgationem „.

Pag.334." Catechismus de gratia com„ positus à S. Augustini discipulo, Romæ „ prohibitus est; quia in eo continentur plu„ res sententiæ, aliàs per felicis recordatio„ nis Pium V. Gregorium XIII. & Urba„ num VIII. damnatæ. Adeò parum illo „ tempore Romani Theologi videbautur im„ buti dogmatibus Augustinianis, aut addi„ cti nimium Jesuiticis „. Rursùs pag.350." „ Jansenistæ in Gallia composuerant & di„ stribuebant parvum Catechismum, com„ pendio continentem præcipuas de gratia „ veritates juxta sententias S.Augustini„.

Denique iterum pag.381.extollitur Catechismus ille tanquam nitore singulari explicans præcipua gratiæ mysteria.

Quoniam itaque libellus iste tantis à Gerberonio celebratur encomiis, quædam juverit de eo annotare. Mox ut in lucem prodiit, vicinis placuit Calvinianis, utpotè visus minimè obscurè eorum placitis patrocinari. Et quidèm Samuel Maresius in Groeningensium Academia Theologiæ Calvinianæ Doctor ac Professor ordinarius, Catechismum illum veluti suorum usibus peridoneum, typis iterum donavit, quibusdam animadversionibus illustrarum.

In Epistola dedicatoria ait: *Cùm nuper essem apud te, ostendebas mihi Catechismum gratiæ Jansenistarum, quem Lutetiâ attuleras; & mirabaris meritò, rem eò devenisse in communione Romana, ut plurimis nunc inciperet arridere illa gratiæ salutaris doctrina, quæ olim tam diras persecutiones in Protestantibus reformatis passa fuerat.*

Ibid. circà medium: *Vel hinc liquebit, celebria illa quinque capita de prædestinatione, redemptione per Christum, libero arbitrio, conversione peccatorum, & perseverantiâ Sanctorum, quæ contra Remonstrantium stro-*

strophas vindicavit, asseruit, explicavit ex Dei verbo celeberrima Synodus nationalis Dordracena antè annos triginta duos præter propter celebrata, & in quibus omnibus consonos nobis habemus doctissimos Jansenistas, adversantibus & ringentibus Jesuitis.

Idem Hæreticus in *Apologia novissima pro Jansenio* pag. 18. quærit: *Cur magis Leydensis vel Groeningana Academia hæreseos accensabitur in Belgio, quàm Lovaniensis, quæ hæretica declaratur & feritur anathemate?* Pag. 19. concludit Maresius: *Quid superest, quam ut malint in posterum* [sic ominor] *Christiani esse, quàm Pontificii.*

Quidquid fit de aliquibus ibi obstinatis, quemadmodum hodiedum cogimur mæsti conspicere, doctrinæ Catholicæ corruptoribus, perperàm tamen tribuitur universis, quòd nonnisi paucis convenit deterioris notæ Academicis. Quod autem attinet ad pestilentem illum *de Gratia Catechismum*; si quæ Jansenianis religio foret, si quæ erga Christi Vicarium reverentia, aut famæ saltem suæ inter Catholicos cura, libellum Pontificio notatum anathemate anno 1650. die 6. Octobris, magis etiam hæreticorum plausibus infamem, & condemnatis sæpiùs erroribus scatentem, non novis identidem typis protruderent, & ad majorem perfidiam, mutatâ epigraphe in *Elucidationes circà difficiles aliquas de gratia Quæstiones &c. anno* 1679.

Non puduit Gerberonium pag. 381. de iterata Opusculi etiam post anathema editione, & mutatione tituli perfidâ gloriari. Pagina quoque 396. digna tali historico est gloriatio de vellicatâ à suis, plurium Episcoporum, quàm octoginta ad Innocentium X. epistolâ contra Propositiones Jansenij.

Neque tamen istud iterùm Jansenianis est, *erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem*. Minimè etiam alterutro laborare vitio ab eis creditur, quod legimus pagina 410." Tempore Innocentii X. ita erat „ disposita Roma, ut omnes ferè conspirasse viderentur ad condemnanda Augustini „ dogmata, & antiquam Ecclesiæ fidem, „ Jansenii nomine obvelatam „. Pag. 411. „ Communis turba Theologorum Romæ „ præoccupata erat adeò opinionibus Molinæ; tàm parùm autem noverat de dog„ matibus Augustini, cujus ferè nomen ex„ ciderat, ut Jansenii sententiæ, quas con„ stat esse Doctoris Sanctissimi, necessariò „ apparerent novæ, & hactenùs inauditæ „.

Ex ea imperitorum multitudine excludit meritò, quantumvis aliàs mendax historicus, Cardinalem à S. Clemente; Sed etiam ubi laudare Eminentissimum constituit, gravìore lædit calumniâ, quàm si maledicendi studio exquisitissimas in eum contumelias conjecisset. Inducit enim quinque Jansenii Articulos tùm ejusdem authoris, tùm obvio verborum sensu magnificè approbantem, adeò ut quicumque latum adversus eos à Censoribus anathema defendere pertinaciter vellent, ab Eminentissimo pronuntiarentur hæretici.

Memineris lector, nihil à Jansenistis decantari frequentiùs, quàm inanibus Jansenismum esse phantasmatibus annumerandum, nullum existere, aut extitisse usplam Jansenistam, nisi in Jesuitarum eisque temerè credentium cerebro.

Denique Quesnellus in libello à novis communiter Augustini discipulis adoptato, cui titulus *Doctrinæ Augustinianorum Theologorum circa quinque Propositionum materiam expositio*; pag. 29. ita nos provocare non dubitat: *Vel unum nominent seu Theologum, seu quemvis alium, qui aliquam è damnatis utrâque Constitutione* (Innocentii X. & Alexandri VII.) *tenuisse, docuisse deprehensus & convictus fuerit*. Imò ipse Gerberonius in *Examine responsionis ad querelas contra agendi rationem Archiepiscopi Mechliniensis* pagina 65. *Provocamus vos* [inquit] *& aeternum provocabimus, ut solidâ ratione designetis aliquem Theologum inter Catholicos, qui tenuerit aut teneat unam è quinque damnatis Propositionibus*.

Ipsa Gerberonii Historia, si vera supponitur, reprimendæ sufficeret audaciæ provocantis; ut enim Historicus refert pag. 330. & 413. Cardinalis asseruit *Propositiones quinque tum in sensu Jansenii, tum in obvio verborum esse prorsus Catholicas; ipsam autem inflictam eis à Consultoribus censuram esse hæreticam; Consultores etiam hæreseos crimine non liberandos, si in judicio obfirmati perstiterint.* Neque in eo reprehensionem mereri visus est historico; sed potiùs encomium, tanquam candidus & intrepidus Augustini discipulus.

Verùm, ut Theologum Gerberonius se prodit minimè Catholicum, sic & historicum ubique novitatibus patrocinantem. Pag. 440. se suosque Gerberonius consolatur, quòd quando Roma penè universa videbatur Augustini discipulis adversari, hi adeò non ceciderint animis, ut novos in eis Deus ignes suscitaverit ad veritatis de gratiâ propugnationem.

A Religiosis Præmonstratensibus multum sibi nova Ecclesia speraverat præsidii; verùm (inquit lugens historicus) *Ordo ille habitis in Gallia Comitiis, doctrinam Jansenii*

nii prohibendo, *Augustini dogmata ejuravit*. Majoris causa gemitûs Historico est pag.507. quod *Pelagianismus invaluerit*, *& latè adeò se extenderit in Christi Ecclesia*, *ut qui hominibus quodammodo connaturalis est*, *factus sit etiam communis*.

De suorum apparenti erga Innocentii X. Constitutionem reverentiâ ac submissione ait pag. 533. "Hæc politica pessimum habuit „ effectum. Si (Janseniani) Franciæ Theo„logi, mansissent cum Lovaniensibus con„stantes in propugnando Jansenii Augusti„no, & in rejiciendis quinque Propositioni„bus eo sensu (imaginario) quo fatebantur „ illas esse hæreticas nunquam adversarii „ contra easdem anathema obtinuissent".

Tomo 2. pag.153. *Quisquis rationis compos distinctionem viderat sensuum Propositionum quinque Jansenianarum aliud judicare non poterat*, *quàm sensum Jansenii ab omni debere liberum esse anathemate*. Oppositum censuerunt supremi Judices. Sed hi à Gerberonio excluduntur numero *utentium ratione*. Num etiam istud Jansenianis est *pati pacificè anathema injustum*, neque *erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem*?

Hinc familiare & quasi perpetuum eorumdem convincitur mendacium, & fallacissima hypocrisis, quâ simulant se Bullæ Innocentii X. omnem deferre reverentiam, atque obedientiam, rejiciendo Propositiones quinque in omnibus sensibus, in quibus eas Innocentius damnavit.

Pag.197. agnoscitur jactatum à Jansenista: *Malo errare cum Augustino*, *quàm bene sentire cum Papa*: Historicum quoque non pudet, dicti adeò insulsi excusatione frivolâ suscipere defensionem.

Pictaviensis Universitas propter inflictum ab Innocentio X. anathema hæresi Jansenii, jurejurando eandem fuerat execrata. Quod factum referens Historicus pag. 210." „ Sapientiores (inquit) mirabantur & do„lebant, se conspicere Academiam integram cæcè adeò incidere in Pelagianis„mum, & efficere ut de Augustino hæreti„ci triumphent. Zelo inter Academicos „ prædití exclamabant: *Quale scandalum! „ Qualis impietas! Quanta Sacrilegia & per„juria sunt solemnes gratiarum actiones*, *istæ „ protestationes*, *subscriptiones*, *juramenta „ coram Sacrosanctis Altaribus ad condem„nandam veram Jesu Christi gratiam*, *ad „ evertendam*, *atque eliminandam ab Eccle„sia Fidem*"!

Pag.218."Nihil ægriùs afficiebat Roma„nam Curiam, quàm firmitas Archiepisco„pi Senonensis in defendendo honore & ju„re Episcopali, nolendo se turpiter abjice„re, doctrinam Jansenii condemnando.

Pag.220." Non potuisset Archiepisco„pus ille Propositiones agnoscere in sensu „ Jansenij fuisse rectè condemnatas, nisi in„ferendo calumniam Jansenio, & sibi infa„miam „. Idem tamen postea meliùs edoctus, cæteris Galliæ Episcopis se conjunxit.

Propterea de eo quasi veræ Fidei desertore acerbè conqueritur Gerberonius pag. 310. dicens": Archiepiscopus Senonensis „ insigni lapsus ignaviâ declaravit, quòd se „ submitteret Bullæ Innocentii X. juxta sen„sum in Episcoporum Comitiis explicatum „ & confirmatum Brevi Pontificio. Sic Illu„strissimus Ludovicus Henricus de Gondrin „ tam generosus aliàs Archipræsul, nunc „ voce non ancillæ; sed Antistitum aliquot „ Aulicorum veritatem turpiter ejuravit.

Aliquod tamen in rebus afflictis solatium comminiscitur Historicus pag.231."Ar„chiepiscopum (inquit) Senonensem & Epi„scopum Convenarum non diù latuit plaga, „ quam inflixerant Ecclesiæ, subscribendo „ cum cæteris Episcopis condemnationi Jan„senii, sivè Augustini in Jansenio".

Pag.221. præcipuè odium suum Gerberonius prodit adversus Eminentissimum Mazarinum Cleri Gallicani, ut ait, Comitiis Præsidentem". Sola (inquit) Antistitum Pa„risiis congregatorum socordia permisit, ut „ Cardinalis ille, qui non nisi Clericus erat, „ cætui præesset".

Ita Schismatici ingenii furor in Jansenistarum Historico se manifestat undique, ut conversâ Quesnelli in contrarium sententiâ dicere oporteat, nullum in istiusmodi Jansenianis esse pacis studium, nullum patientiæ, humilitatis, vel obedientiæ, nullum unitatis, modestiæ, aut charitatis Christianæ: Quidquid igitur affectent alibi pietatis, non est nisi Lupina rabies sub pelle ovina latens in perniciem incautorum.

Relationem speciminium prosequamur: „ Pag.333."Bullam Alexandri VII. Clerus „ Galliæ, falsis suppositionibus postulavit. „ In ea, nullo prævio examine, declaravit „ Pontifex, quinque Propositiones esse Jan„senii, & in ejusdem sensu anathemate per„strictas".

Pag. 350." Defensores gratiæ scripsere „ mox opusculum, in quo gravissimi mo„menti rationibus ostendebant Regio Pari„siis Senatui, non expedire, ut permitte„retur Constitutionis promulgatio".

Pag.496." Demonstratum pariter fuit, „ eis, qui Jansenium non legissent, haud esse „ licitum jurare Formulâ Alexandri VII.

„ neque

„ neque ad eos liberandos à perjurio suffi-
„ cere authoritatem Pontificis, Formulam
„ præscribentis. Ostensum denique fuit,
„ quòd exigere subscriptionem Formulæ sine
„ distinctione facti & juris, ut exigebant
„ Alexander VII. Formulæ author, & Cle-
„ rus Galliæ, qui eam præscribi à Pontifice
„ postulavit, fuerit novæ in Gallias hæresios
„ introductio & manifestum Schisma".

Nulli quidem Catholico ista Gerbero-nii eique adhærentium temeritas, leviore censurâ digna videbitur, quàm schismatis. Verùm Quesnello & ejus sectatoribus hypocritis, à quibus Virgines fatuæ Portûs-regii in rebellionem adeò detestabilem adductæ sunt, crimen illud, quasi heroica & Sanctis digna Confessoribus, quin & Martyribus, prædicabitur fortitudo. Hoc illis est *Pati potius in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem: esse imitari S. Paulum: tantùm abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Sequitur Tomus Historiæ tertius, qui prioribus similis, totus audaciâ schismaticâ plenus est. Verùm cum pleraque hîc occurrentis temeritatis specimina, prorsus similia sint iis, quæ ex prioribus retuli, ne tædium pariam lectori, ex hoc tertio nonnisi paucissima delibabo.

Pag. 79. " Posteri, quibus tanta gesto-
„ rum notitia non erit, obstupescent, neque
„ assequi poterunt, quomodo Antijanseni-
„ starum astutia prævaluerit adeò, ut contra
„ Iprensem Præsulem accenderit tum Cu-
„ riam Romanam, tum Gallicam, adduxe-
„ ritque ad condemnandum eum totiès, nul-
„ lâ præviâ disquisitione". Pag. 84. " An-
„ nus 1664. maximè funestus fuit Augusti-
„ ni & Jansenii defensoribus: obtinuere tunc
„ eorum Adversarii à Regio Parisiis Senatu
„ Decretum, quo Sanctamorei liber, *Diurni*
„ nomine appellatus, infami rogo traditus
„ fuit, tanquam renovans hæresim Jansenii,
„ & contra Pontificem & Episcopos contu-
„ meliosus.

„ Deteguntur opere illo machinationes &
„ fallaciæ, quibus totum condemnationis
„ negotium Romæ & Parisiis transactum
„ est". Pag. 88. " *Diurnum* illud pulcherri-
„ mum Romana Curia in Indicem retulit li-
„ brorum prohibitorum; quia deducta illic
„ enarratio, Curiæ isti minimè honorifica
„ est."

Pag. 86." Iniqua persecutio adversus di-
„ gnissima immortalitate volumina, quæ ni-
„ hil inspirabant nisi amorem veritatis, &
„ Christianæ gratiæ defensionem, & tamen
„ addicebantur incendio, commovit gravi-
„ ter animum scriptoris alicujus, ut tantam
„ sibi ulciscendam injuriam susciperet ele-
„ ganti poëmate Gallico, cui nomen indidit
„ *Unguentum contra combustionem*. Ibi Pon-
„ tificem seductum & seductorem vocabat
„ *Antichristum*. Verùm author postea ab
„ amicorum quopiam monitus, displicitu-
„ rum multis vocabulum, explicatione con-
„ gruâ correxit."

Rem quidem *Antichristi* nomine significatam convenire Romano Pontifici à Jansenianis de Christi gratia dogmatibus averso, indubitatum in nova Ecclesia est; sapientioribus ibi tamen non probatur appellationis istius in scriptis publicis divulgatio; quia delicatis quorumdam auribus *Antichristi* nomen duriusculè sonat.

Mitiùs loquendum sibi censuit Hammius Beruliani in Belgio Oratorii tironibus Præfectus, vulgò Magister Novitiorum. Is anno 1703. epistolâ ad Quesnelli Secretarium datâ die 28. Januarii: *Romanos* [inquit] *ni Clerus Hollandiæ adorarit, hostes inveniet implacabiles. Gens illa nulli cedere novit; at per fas nefasque universo dominari. An à vero aberraverit, qui prodituram indè Antichristum asseruit, cujus nota primaria dominandi libido est, judicent alii*.

Qua methodo loquendi, ut patet, plus datur intelligi, quàm exprimat oratio. Quantumlibet autem inter suos Scriptor hic audiat *Zelosus masculus pro Sancto Cornelio* Jansenio, & Jansenizantium libellorum inter tirones venditione, eos novis dogmatibus haud segniter instituisse deprehendatur; non existimo tamen ita fuisse scripturum, si Literas Archiepiscopo tradendas præsagiisset.

In sequentibus Gerberonius potissimùm exagitat juramenti Formulam, ab Alexandro VII. præscriptam adversus quinque hæreticas Jansenii Propositiones: juxta quam non extraneo quodam & fictitio abjiciuntur sensu, sed proprio authoris prout in ipso Jansenii volumine perspicuè conspiciuntur traditæ, & inculcatæ modis plurimis. Propterea Formulam hanc Jansenianæ hæresi fatalem horrent universi novæ sectæ Discipuli, præter eos, qui a Quesnello & istiusmodi perditissimis Magistris, omni formidine & religione sepositâ, pejerare didicerint.

Contra Formulam hanc Gerberonius pag. 215." Nihil eâ [inquit] irregulare magis erat,
„ nihil magis injustum, quàm exigere puram
„ & simplicem subscriptionem, ut exigunt Ro-
mani Pontifices, & omnes Episcopi in Belgio & Galliis orthodoxi. Pag. 277." Qui fervidi pro
„ exigendo juxta Formulam juramento sunt,
„ modum in eo reperiunt, inordinatis affecti-
bus

" bus suis accomodatissimum, eoque propen-
" sissimè utuntur, ut eis, quos malè oderint,
" perniciem accersant ",.

Ibidem " . Simplices & imperiti ,
" quibus persuadetur , præstanda Recto-
" ribus obedientia cæca , intrepidè ju-
" rant, rati ad moderatores Ecclesiæ perti-
" nere , ut Deo respondeant , eòque jurant
" confidentiùs, quò cæcitas eorum major est,
" & quo minùs intelligunt gemina hæc Au-
" gustini monita : *Væ cæcis ducentibus ! Væ*
" *cæcis sequentibus* : & istud S. Petri *Melius*
" *est obedire Deo, quàm hominibus*.

Pag. 278. " Soli verâ præditi sapientiâ ,
" soli honesti, & expertes cupiditatis, soli ,
" quibus est religio & timor Dei, soli quibus
" est mens candida , soli denique qui nolunt
" temerè judicare de proximo, soli, inquam,
" illi quando Alexandrinæ Formulæ exigi-
" tur subscriptio, omni persecutionum ge-
" neri exponuntur ". Quia soli illi recusant anathema dicere quinque Propositionibus, præterquam sensu acceptis Lutherano, Calviniano, & exotico, qui Propositionibus minimè proprius; sed *alienus* est, neque ad eundem, nisi *maligna* valet eas interpretatio *pertrahere*. Ita pridem sensum illum à Jansenistarum ad Innocentium X. Legatis declaratum legimus in eorum libello supplice, qui ab eodem Pontifice anno 1654. 23. Aprilis condemnatus est sub hoc titulo, *Brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctio &c.*

Juramenti Formulam, tam maturo consilio à Pontifice conceptam, communibus Gallicanorum Antistitum penè omnium applausibus & subscriptionibus probatam vidimus, authoritate etiam Regiâ & Senatûs totâ promulgatam receptamqe Galliâ; extra Galliam autem à nullo Antistite nisi unico in partibus Infidelium Sebasteno Arnaldi & Sociorum artibus pessumdato, vocatam in defectûs vel minimi suspicionem. Talem autem Juramenti normam rejicere publicè velut noxiam & falsis testimoniis ac perjuriis infamem, si non sit *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, necesse est cæcutire mecum Theologos Ecclesiæ Catholicæ universos.

Absque animadversione brevi prætereundum non est perniciosissimum mendacis Historici artificium, quod continet citata a me lacinia ex pagina ejus 278. *Illos scilicet solos propositâ juramenti formulâ fieri persecutionibus obnoxios, quibus religio est, sapientia, honestas remota à cupiditate &c.*

Cujus antecedentis si veritas supponatur, conclusio manifesta est, omnes Pontificibus & Episcopis juramentum illud exigentibus rebelles, hoc ipso habendos esse tanquam omnibus præditos virtutibus, quæ in antecedente posito recensentur. Quis autem utriusque sexus hypocrita, quis superbus famam aucupans sapientis, honesti, ab omni cupiditate alieni, ac prorsus Sancti, prout à Gerberonio describitur, nolit inposterum rejicere Alexandri VII. formulam? Quis Episcopo, vel etiam Pontifici professionem illam fidei contra Jensenium postulauti obediat, vel non resistat etiam publicè?

Denique ne Gerberonianæ Historiæ nos nimium distineat relatio, supersedeo adducendis locis plurimis, quibus libros pestiferos à Sede Apostolica condemnatos, supremis judicibus insultans, non sine elogio citat, atque detersis quodammodo censuris restituit. Sic tota Gerberonii de Jansenismo Historia, non apparet aliud, quàm contextus perpetuus irreverentiæ, & rebellionis contra Decreta Apostolica, etiam totius Ecclesiæ consensu partim expresso, partim tacito consecrata.

Poteritne adhuc nobis illudere tot experimentis convicta novæ sectæ hypocrisis, magnificè prædicans suorum in toleranda pacificè excommunicatione & anathemate, etiam injusto modestiam ac fortitudinem, quæ præclara Pauli Apostoli imitatio sit, abhorrens maximè ab omni *authoritatis* contemnendæ specie, *aut scindendæ unitatis* ?

CAPUT XIII.

Qualis initio seculi 18. fuerit Quesnellistarum in Hollandica Missione erga Apostolicam Sedem reverentia; quàm pacifica in tolerandis ejus Decretis submissio.

1 SI qualiscumque de Quesnello hactenùs memorata contra Sedem Apostolicam rebellio terminum habuisset ante Pontificatum Clementis XI. condonanda fuisset superioris ætatis veluti minùs maturæ aberratio; verùm ad ultimum usque senium productâ pertinaciâ, contemptis proculcatisque Clementis XI. pro sana doctrina, & fidelium ædificatione Sanctionibus tot clarissimis, & saluberrimis, quis locus supercst excusationi ? Obcæcatio ubique nimium voluntaria est.

Pontificatum illum toto primo biennio non parum occupatum tenuit discussio gliscentium in Missione Hollandica novitatum, Examinis fructus fuit suspensio & postea depositio Vicarii Apostolici. Erat is Archiepiscopus Sebastenus, Jansenistarum ut in citra

eorum

eorum legimus, *Pater Bonifacius*. Infido hoc vineæ Baravicæ custode renovatum quodammodo est in Jansenistarum opusculis, quidquid ferè utroque seculo superiore Calvinistarum & Lutheranorum rabies contra Sedem Apostolicam dictavit.

De multitudine quoque scriptionum meritò dubites, fueritne copiosior priorum tempore hæreticorum, an primo latæ contra Sebastenum sententiæ decennio. Quisquis in nova secta aliquo visus est talento præditus componendi sive latinè, sive vernaculè, noluit illud esse eo tempore otiosum, juxta illud quod Matthæus Rouvroii scripserat §. 9. & 10. de fine: *Negamus in adultis dari habitus otiosos sive bonos, sive malos, sive supernaturales, sive naturales*.

Ne autem infinitam istiusmodi vindiciarum farraginem discutiendo, lectoris abutar patientiâ, meque parum utili fatigem labore, nonnisi pauca decerpam contra Sedem Apostolicam specimina. Repetendum aliquid, quod de Sedis Apostolicæ contra Sebastenum sententia referre cœperam in fine romi tertii.

Anno 1704. die 3. Aprilis Feria V. Decretum prodierat, quo " Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. declarationem " Archiepiscopi Sebasteni, & ejusdem Responsiones ad scriptum varia accusariorum capita continens, jussu Eminentissimorum Deputatorum ei traditum, prævio " eorumdem [libellorum] examine, habitâque super illis relatione, & censurâ à " pluribus in Sacra Theologia Magistris, ad " id specialiter deputatis, necnon auditis " præfatorum Eminentissimorum Cardinalium suffragiis, prohibendos, atque damnandos censuit, prout præsenti decreto " damnat & prohiber, uti continentes do" ctrinas & assertiones ad minimùm suspe" ctas, singulares, atque Ecclesiasticis Constitutionibus repugnantes, quibus Christi" Fideles in jam damnatos errores induci " possent ".

In fine prohibitionis additur: *Sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis*, qualis hic juxta Regulam decimam est *excommunicatio*, quæ transgressione *statim incurritur*.

De ipso autem Sebasteno in Clementis XI. sententia, ut S. Officii refert Congregatio, sic legimus " Ipsum verò R. P. D. " Archiepiscopum Sebastenum, eò quod " post diuturnam ac plenam totius causæ di" scussionem Apostolicæ Sedi quoad ea, de " quibus fuerat denuntiatus, minimè satis" fecerit, ab omni Hollandicarum Missionum Regimine, dudum ei ad ejusdem Se" dis beneplacitum commisso, & à quo nu" per suspensus fuerat, penitùs removendo, " Sanctitas Sua ad alterius Vicarii Apo" stolici deputationem in ejus locum liberè " procedi, ac proindè hac de re in Congre" gatione negotiis propagandæ Fidei præpo" sitâ, juxta solitum agi mandavit ".

Dispiciendum modò superest, quàm *pacificè* Janseniani illud contra libellos *anathema*, & Sebasteni à Vicariatu Apostolico depositionem tulerint, an non *erexerint se contra authoritatem, aut sciderint unitatem*.

Antequam Sebastenus Româ in Hollandiam rediit, nescio qua arte elicuit ex Secretaria alicujus Eminentissimi Epistolam, antè annos aliquot ad eundem à quodam Missionario, postea ad munus Vicarii promoto, confidentiùs scriptam, in qua durius quidpiam exprimebatur de Nobili Acatholico, Orthodoxis, qui illic Pontificii vocantur, maximè contrario. Suspicabatur author epistolæ, nescio quo fundamento, eum Jansenistarum largitionibus & fraudibus contra nos ampliùs concitari. Hac epistolâ Sebastenus juxta nouas, & Christi Ecclesiæ hactenùs ignoras charitatis regulas usus est, ut eâ Ordinibus Hollandiæ, ipsique Nobili exhibitâ, succedentem sibi Vicarium Apostolicum, non solùm à gradu dejiceret, sed graviore etiam curaret affici ignominiâ, nisi se fugâ præcipiti ex ditione sc Hollandica præripuisset.

Solius novi Vicarii exilium minimè sufficiens fuit, graviorem spirantibus ultionem Jansenistis: sed procuranda etiam fuit omnium ex tota Hollandiæ Provincia ejectio Jesuitarum, aliorumque novo obedientium Vicario. Ne in Brabantia quidèm Austriaca ipsi Pontificis Internuntio, & adhærentibus ei Sacerdotibus catholicis licuisset subsistere, si anti-Romanis istis Missionariis par fuisset potentia furori. Vidimus enim alias scribentem ex Hollandia Missionarium ad Secretarium Quesnelli anno 1703. die 28. Maii disponi omnia ad *liberandos miseros Lovanienses oppressos, & ejiciendum Pontificis Internuntium, cum omni illa hominum fæce*, sive, ut in Gallico est *TOUTE CETTE CANAILLE, quæ viros opprimit honestos*.

Interim Quesnellus *Monita* edidit, quæ vocare ipsi placuit *sincera ad Provinciarum Fœderatarum Catholicos* anno 1704. Illic ubique emicat singulare *pacis* Jansenianæ studium cum ejusdem generis patientiâ, nec minùs mirabili reverentiâ Pontificiæ *authoritatis*, cum simili *scindendæ unitatis* horrore.

Pag. 68." Pronuntiatur (inquit) adversus Seba-

„ Sebastenum sententia ignominiosa, & tam „ ignavus reperietur quispiam, ut applaudendo & approbando, se participem reddat „ successuum, quos Factio Jesuitica iniquissimis machinationibus enixa est? ... Affligitur Archiepiscopus tam suavis, ut corda „ raperet Scytharum & Arabum, quamvis „ tam reus foret, quàm reverà est innocens,„

Pag. 98. " In *Declaratione* Sebasteni & „ ejusdem ad accusationum capita *Responsionibus*, ubique prudentia elucet & modestia, doctrina simùl pura & irreprehensibilis; Decretum autem eas damnans obscurum adeò & ænigmaticum est, quàm Oracula Idolorum „.

Pag. 99. " Tale Decretum dicere *accuratum*, quemadmodum de examine prævio, in ipso affirmatur Diplomate est „ nugari „.

Pag. 112." Si Censores ausi fuerint proferre in medium *doctrinas illas, & assertiones singulares*, dilucidè apparebit, non esse alias, quàm tradi solitas à viris doctissimis, & sanctissimis, qui unquam Ecclesiam illustrarunt, fundati præ cæteris in doctrina Patrum & Scripturarum „.

Ibid. " Quamdiù non explicabitur, quænam sint *Constitutiones* illæ *Ecclesiasticæ*, & in quo Archiepiscopi nostri Assertiones ipsis repugnent, omnes æqui arbitri adscribent Censuras illas calumniis eorum, quibus Ecclesia nostra odio est „.

Pag. 103. " Evidens est, non Archiepiscopum propter scripta; sed hæc propter „ Archiepiscopum condemnari „.

Ita Quesnellus discipulos suos docet & socios *pati in pace excommunicationem & anathema injustum*, quale hic, si Quesnello credimus, infligitur Sebasteni scriptis, eaque, contempto anathemate, retenturis aut lecturis. Quesnellus autem legi, retineri, approbari desiderat ab universis: neque id ipsi est *erigere se adversus authoritatem, aut scindere unitatem*.

Longè plura in *Monitis* istis sunt, quæ temeritate non cedunt superioribus. Sic pag. 113. " *Ad minimum* (quod censuris in definitione Pontificia additur) vix ullus „ intelligit, & obscuritate suâ solùm auget „ judicii iniquitatem, novâ additâ censuris „ nequitiâ „. Ità Censurarum, ipsorumque Censorum, quibus non habet Ecclesia Superiores, Censorem Quesnellus propriâ se authoritate, seu temeritate constituit; Sed quid non authoritatis tribuit hæresis & hæretica superbia novæ Apostolis Ecclesiæ?

Pag. 116. " Timor ne doctrina, quæ in „ Sebasteno proscribitur, inducat in errorem, panicus est, aut simulatione potiùs „ affectatus, ut ab ea tanquam noxia populi „ avertantur „. Pag. 118. " Ethica Sanctorum Patrum atque Evangelii est, quæ doctrinæ singularis & pravarum nomine opinionum à Censoribus appellatur „. Undè „ concludit author pag. 128. Manifestum est, sententiam illam prorsùs irritam esse, „ atque omni destitui effectu, nisi quem vis „ injusta expresserit „.

Ibidem " omnia (inquit) exotica sunt „ in hoc judicio. Postquam satis & plenè instructa causa apparuit, reus tantùm suspenditur „. Locum hic in Quesnello obtinet vulgare dictum: *Oportet mendacem esse memorem*, Quomodo enim Quesnelli opinione *tantùm suspenditur*, qui pag. 132. agnoscitur *dejectus è gradu*? Sic nempe illic dicitur *Judicium sine forma, degradatio sinè Justitia*.

Et ipsa Pontificiæ contra Sebastenum sententiæ verba nimium manifesta sunt mendacii istius Quesnelliani convictio: *Archiepiscopum Sebastenum, eò quod post diuturnam ac plenam totius causæ discussionem Apostolicæ Sedi, quoad ea, de quibus fuerat denuntiatus, minimè satisfecerit, ab omni Hollandicarum Missionum Regimine ... à quo nuper suspensus fuerat, penitùs removendo, Sanctitas Sua ad alterius Vicarii Apostolici deputationem in ejus locum liberè procedi, ac proindè hac de re in Congregatione, negotiis propagandæ Fidei præpositâ, juxta solitum agi mandavit*.

Ad illud quod de factione Jesuitica Quesnellus comminiscitur, quasi ei tribuendum sit, quidquid contra Sebastenum à Sede Apostolica constitutum est, respondere poterit Jesuita quilibet quod S. Bernardus de Petro Abailardo, cujus condemnatio ab hæretici fautoribus, Doctori Mellifluo tribuebatur, *Ego non eum accuso apud Patrem, est qui eum accuset liber suus*. Ità S. Doctor ad Guidonem Cardinalem epist. 192.

Attamen errores ex Abailardi Libro excerptos ad Innocentium miserat, ut in Literis hujus Pontificis legimus, quæ inter epistolas S. Bernardi collocantur numero centesimo nonagesimo quarto. *Dolemus* (inquiebat Pontifex) *quoniam sicut Literarum vestrarum inspectione, & missis à Vestra Fraternitate nobis errorum Capitulis, cognovimus, in novissimis diebus, quando instant tempora periculosa, in Petri Abailardi perniciosâ doctrinâ, & prædictorum hæreses, & alia perversa dogmata Catholicæ fidei obviantia pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè consolamur, & Omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus nostris, pro Patribus tales filios suscitavit ...*

tavit ... qui novi haeretici calumniis studeant obviare.

Non quasi Petrum Codde Archiepiscopum, Petro Abailardo in omnibus comparem, sed similitudinem inter utrumque optaverim fuisse minorem. Motae etiam contra Pelagium tempestatis invidia, in Augustinum praecipuè conjecta est. Sic nempe Julianus, ut apud ipsum legitur Augustinum Operis perf. lib. 3. cap. 35. *Totam Italiam factionibus commovistis; seditiones Romę excitastis... potestates seculi corrupistis, ut in nos stipula furoris publici arderet: Dissipastis Ecclesiarum quietem: religiosi Principis tempora persecutionum impietate maculastis*.

Unum hìc obiter & verissimè dixero, quod in communi omnium ferè Religiosorum Ordinum, etiam Nuntiorum Apostolicorum, vicinorum Antistitum, plurium è Clero, & populi quodammodò universi, cum Oratoribus Principum, clamore & testimoniis, quae Romae in Sacris Congregationibus authoritate Apostolicâ habitis, relata sunt, nullum penitùs locum habuerit, ulla cujuscumque Religiosi è Societate denuntiatio.

Hic itaque Ordo respondere istiusmodi adversariis poterit quod Augustinus Juliano ibid. cap. 36. *Dicite, quantum potestis, omne malum adversum nos mentientes: Nos tantummodò adversum vos Christianam fidem & Catholicam defendemus. Et quid opus est vobis reddere similia maledicta, & non potius Evangelio credere, atque gaudere, quod ex istis falsissimis maledictis vestris nobis merces augeatur in Cœlis?*

Dimissâ quâ minimè indiget, neque ad praesens pertinet institutum, Religiosi Ordinis Apologiâ, respondendum aliquid ad id quod Decreto Apostolico objicitur de non expressis *doctrinis & assertionibus*, quae solo illic vocabulo communi attinguntur. Ex denuntiationum capitibus quae Sebastenus Romae scripto exhiberi sibi petiit, & obtinuit, satis colligere potuit, quae displicerent. Respondit ipse quidem ad singula, sed non sicut oportuit, ut ea à se amoliretur, aut ostenderet sana. In omnibus quoque tum Ecclesiasticis, tum Laicis Tribunalibus usitatissimum est, ut scripta aliqua condemnentur censuris variis, etsi nulla authoris verba distinctiùs referantur: quam Orbis totius consuetudinem frustrà Quesnellus cum suis voluerit abrogari.

Nupèr etiam Ecclesia famosissimo didicit experimento, Novatores errata sua non ut corrigant, sed ut contra judices vindicent, postulare. Ità Quesnellus, prohibito suo novo Testamento Gallico cum *observationibus Moralibus*, adegit quodammodo Pontificem, ut Articulos indicaret, quibus competerent censurae, quas prior Operis condemnatio inflixisset: Undè non obedientiae, sed rebellionis magis efferatae occasio, & materia amplior desumpta est.

Denique Quesnellus in memoratis hactenùs Sebasteni vindiciis, seu *Monitis*, ut vocat, *sinceris* pag. 165. " Novum (inquit) „ instituatur examen; sed apud judices de „ collusione cum adversariis non suspectos, „ non Curiales Romanos; sed in vicinia „. ubi novo juris ordine à Romani Pontificis sententia ad Tribunal appellatur Belgicum, & quidem in causa Vicarii Apostolici. Atque istud Quesnello est *pacifice pati sententiam injustam, & imitari S. Paulum*, minime verò *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*. Quales autem in vicinia judices postulet, non aperit oratio.

Nefas, inquies, est dubitare quin intelligat Antistites; qui enim inferiores Presbyteri judicium exerceant in Archiepiscopum, eumque Sedis Apostolicae in Missionibus Vicarium? Omnes porrò Episcopi Hollandiae vicini sunt partim Belgae Austriaci, partim Germani, quos omnes constat Romano Pontifici obsequentissimos esse, neque aliud responsuros, quàm seculo quinto Sanctus Petrus Chrysologus Ravennatium Episcopus respondit Eutycheti, postquam is à Flaviano Patriarcha fuerat condemnatus: *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quae à Beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria sede vivit & praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanae Civitatis, causas audire non possumus*.

Monerent cum S. Cypriano de adulatione minimè suspecto epist. 55. *Cogitandum eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum*.

Sed & omnibus in Belgio notissimum est, omnes illic & singulos ditionis Austriacę Antistites esse modò, & fuisse eo tempore, quo Sebasteni causa agitaretur, Pontifici Romano obedientissimos; nec minùs à Jansenistarum novitatibus alienos.

Quos itaque *vicinorum* nomine *judicum* Quesnellus intelligit? Quos contra Sedis Apostolicae sententiam appellat? Non alios, quàm Acatholicos Hollandiae Ordines; pro quibus in resolutione duorum casuum ab Heussenio propositorum ita decernit pag. 3.

Protestantes longè magis idonei sunt, ut de

de causa Sebasteni, eique adhærentium Pastorum judicent, quàm Romani, quià (inquit) *tota contra reos accusatio fundatur in famosis adversariorum scriptionibus, & tota de factis facilè dignoscendis controversia est. Libelli totâ patriâ dispersi sunt: ad Magistratus pertinet in eos inquirere, & in authores quietem Reipublicę perturbantes.*

Etiam nobis vel ex eo maximè ad Dominos illos recurrere licitum est, quòd Sebastenus omnibus sibi objectis Romæ accusationum capitibus responderit, dissolvens singula liquidissimè, & nihilominus pergunt Romani eum, ejusque socios, veluti complices opprimere, nullo contra eos formato judicio legitimo, ac ne indicatis quidem accusationum articulis.

Quot hìc verba, tot mendacia sunt apertissima. An Sebasteni Romæ composita & typis edita *Declaratio*, & *Responsiones ad scripto traditas sibi accusationes*, contineant *Doctrinas, & assertiones* nonnisi sanas, ut à Quesnello prætenditur; an verò *ad minimùm suspectas, singulares, atque Ecclesiasticis Constitutionibus repugnantes, quibus Christi fideles in jam damnatos errores induci, ac pravis opinionibus infici possent*, minimè est Quæstio facti, sed juris Ecclesiastici & maximè Pontificii: neque à libellis Sebasteno adversantium; sed ipsius Archiepiscopi Sebasteni pendens: minùs etiam ab Hollandis Protestantibus decidenda. Quis hìc mihi non annuat, præter eos, quibus cum Calviniana potiùs, quàm cum Romana Ecclesia in dogmaticis & Religione consensio est?

Sebastenus toto quo Romę fuit biennio, quantum voluit, & subindè plusquàm voluit, auditus est, cum omnibus, quos secum duxerat, itineris & defensionis sociis; in ipsum tamen solum & ejus libellos Romæ editos, lata à Pontifice sententia est.

De Vicarii Apostolici munere Sanctissimus jure suo, & ratione maximè legitimâ disposuit, & Provicariis, à Vicario antea constitutis, abrogata pariter authoritas est: neque in eo quidpiam est, quod Pontificis Maximi non sit congruum potestati. Delegante siquidem deposito, subdelegatorum ab eodem authoritatem ruere compertissimum est.

Ratio tamen etiam multiplex non defuit; in primis notissima eorum cum Sebasteno & quibusdam Gallis Novatoribus contra communem Ecclesiæ doctrinam, & Sedem Apostolicam conspiratio.

Eamdem Pontificis sententiam aggressus est *Ægidius Candidus*, nomine *Jani Parrhasii*, Notis Latinis, quæ Gallicis Quesnelli *Monitis* persimiles sunt, subindè magis temerariæ; qualis est hæc pag. 3. " Archiepiscopi Sebasteni cum Romæ esset, causa decem Cardinalibus deputatis fuit commissa, non coram Inquisitione agitata. Cur post viri discessum ad istud Tribunal, coram quo causam non egit, est translata? Inquisitionis Tribunal Gallia non agnoscit, neque illius Decreta vel optima recipit. Sub aliis Principibus Romano-Catholicis robur non habent, nisi Principis *Placitum*, ut loquuntur, accesserit.

" Nec immeritò, eum *Inquisitio* non juris ordinem; sed alium specialem soleat sequi: Quantoque Episcopalis dignitas est præcellentior, tanto majori jure possunt postulare, ut eorum causæ aliâ ratione discutiantur, & definiantur ". Quoniam Ægidius Candidus *Notarum* author agnoscitur, malo lapsum hunc solitæ temeritati adscribere, quàm exquisito studiosè mendacio.

Omnibus nempe gesta à Sebasteno Romæ non ignorantibus liquet, eum antequam Româ discederet, ultrò à Pontifice petiisse, ut causa sua tam infelicem nacta successum in decem Cardinalium cœtu, cujus ipse judicio à Vicarii munere suspensus fuerat, deferretur ad Congregationem S. Officii, seu Inquisitionis Tribunal. Postulationi ægrè annuit Sanctissimus Dominus, veritus scilicet, ne videretur de illorum decem Cardinalium justitiâ aut sapientiâ dubitare; ut tamen omnem Reo ejusque fautoribus ansam adimeret querelarum, & quia utriusque scripti dogmatici examen ad *Inquisitores* fidei propriissimè pertinebat, consensum præstitit Clementissimus Christi Vicarius.

Quapropter quidquid hìc contra Tribunal istud, velut minùs competens *Janus Parrhasius* comminiscitur, non videt suo potiùs, quam nobis solvendum incumbere Clienti. Quanquam universa objectio seipsâ frivola est; nam neque de Gallicano Præsule, sed Armenicæ Diœcesios Belgâ, in Belgio commoranti, eoque tanquam Vicario Apostolico disceptatur.

Neque sententia à solis lata est S. Officii Cardinalibus; sed ab ipso Pontifice, ut ipsa reddit Decreti expressio manifestum: neque in hoc judicio quidpiam prætermissum est, quod juris ordo in cęteris exigit Tribunalibus observari, ut ipsâ iterum sententiæ enuntiatione convincitur.

Pro sua tamen confidentiâ, ut solet, temerariâ, author *Notarum* monet pag. 14. " Quibus vitiis & defectibus sic lata sententia subjaceat, adeoque ipso jure pateat esse

„ se nullam; jus proindè Sebasteno esse, locum suum & honorem tenendi. Multi mecum optant, ut servatâ, quam Pontifici debemus, reverentiâ, Episcopali generositate, à Pontifice malè instructo, & neglecto juris ordine in peregrino Inquisitionis judicio, sententiam in Episcopum Belgam ferente, appellet ad eundem Pontificem meliùs instruendum, & ex ordine juris, servatisque Belgarum legibus, de causa cogniturum: & tali appellatione interpositâ, regiminis clavum resumat „.

Tandem insignis conclusio est pag. 16. „ Ex jam dictis æquus rerum arbiter non malè concludet, præsens Decretum magis ex Jesuitarum inclementia, quàm à Pontifice Clemente emanare, & ob graves defectus, quos continet, irritum esse. Cùm verò per istiusmodi processus Jesuitæ prodant, quantopere Curiæ Romanæ pomæriis amplificandis, suoque dominatui promovendo incumbant; tanto magis irregularibus eorum conatibus resistendum „.

Hæc est prædicata tantopere Jansenistarum in tolerandis cum pace sententiis, etiam *anathematis injusti* modestia, atque demissio, hæc *Paulinæ imitatio* patientiæ: adeò remota est eorumdem humilitas ab *erigendo se contra authoritatem*, adeò aversatur Quesnelli eique adhærentium charitas *divisionem*.

Similem aliquantò post idem *Candidus*, si rectè ex stylo & audaciâ authorem dignoscimus, Libellum edidit hoc titulo: *Defensio Petri Coddæi Archiepiscopi Sebasteni adversus Decretum Inquisitionis Romæ emanatum Feriâ V. die 3. Aprilis* 1704.

Defensionis hæc conclusio est. " Ego „ quidem omnia contra Sebastenum, tam circa suspensionem, quam circa depositionem acta, cum jure Divino, ac Naturali, cum Ecclesiastico, humano, ac civili pugnantia, ac per consequens nullius roboris esse, nequaquam ambigo: nec dubitare possunt, qui de causa ejus, & canonicâ judicandi formâ penitùs instructi sunt. Sententiam quoque per se nullam & irritam, nihil efficientiæ, aut virtutis habere, universus Theologorum ac Jurisconsultorum cœtus consentit: è quo invictâ dialexi fluit, Sebastenum muneris sui ab Innocentio XI. impositi plenâ authoritate etiamnum potiri, neque hanc per molitiones sub Clemente XI. contra ipsum injuriâ commotas, quidquam detrimenti cepisse „.

Vel hinc disce Lector nihil esse hisce novatoribus impudentius; quoties in quocumque Ecclesiæ Tribunali causâ ceciderint, quantumlibet in eorum gratiam se inflexerint judices, nisi causam fidei destituendo, eis victoriam concesserint, ac plenam disseminandi sua zizania facultatem, necesse est ab eorum rabie expectent omne genus contumeliæ, quasi in eo judicio nihil legis Naturalis, Divinæ, Humanæ, nihil ordinis debiti observatum fuerit, sed jura omnia conculcata. Ita omnis, quemadmodum Religio & Fides, etiam justitia & æquitas penes solos hæreticos est.

Sic author Apologiæ pro Petro Abailardo, quæ inter hujus epistolas est: *Renuntiavit* (inquit) *Apostolico Bernardus, & statim à Romana Sede literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt. Damnatur aureum os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis: damnatur, proh dolor! absens, inauditus, & inconvictus. Quid dicam, quidve non dicam? .... Cujus unquam, Jesu bone, culpa tam cæcos habuit judices, ut non utrimque causæ latera ventilarent? ... Isti clausis oculis palpant negotium, & quasi oculati rerum cognitores, arcu iniquitatis intento, toxicum subitò jaculantur.*

Non magis justa contra Lutherum, si ipsi & Sectatoribus ejus credimus, sententia à Leone X. lata fuit. Sic anno 1520. Hæresiarchæ defensor scripserat, ut legitur Tomo 2. Operum Lutheri pag. 35. *Constat Romæ rem actam esse sine ordine, vehementer obsistente Cardinale S. Crucis & aliis multis ... Eruditi confirmant, multa esse in Bulla, quæ suspicionem faciant, eam esse subreptitiam.* Calvinus etiam *Antidoto* Concilii Tridentini in Præfatione, ait Tridentinos judices fuisse *partim ambitione irretitos, partim excæcatos avaritiâ, partim rabie accensos.*

Augustini quoque tempore Julianus Cælestium defendens, ut apud Augustinum legimus lib. 1. Operis perf. c. 3. queritur, *seditionum decreto exclusam esse de Ecclesiis censuram virtutum.* Iterum lib. 3. contra Julianum cap. 1. Sic Julianus ipse hæreticus loquens inducitur: *Apud Judices non potuimus agere causam nostram, quia nemo de rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab odio, irâ, & amicitiâ vacuum pectus attulerit, quales non fuerunt, qui de causa nostra judicarunt, qui priùs eam cœperunt odisse, quàm nosse.*

Denique nos rectè monuit Franciscus Simonis Tractatu de Fraudibus hæreticorum parte 3. Fraude 4.: *Canes videre est rabido morsu in saxum sævire, quo sunt petiti. Caninum hoc habent hæretici, ut alia pleraque, rictum, dentes, latratum, rabiem: eâ gratiâ, ut opinor, à Joanne Apostolo Apoc. cap. 22. inter canes foris residere jussi. Si Decretum fidei exierit missum, dictatumque divinitùs, involant in Decretum, ipsumque dente male-*

dico proscindunt furenter. Quidquamne gravius, sapientius, sanctiusque vidit Ecclesia, quàm Nicænum Concilium trecentorum decem & octo Patrum? Uspiamne Episcoporum Synodus Oecumenica Decretum extulit deliberatius, exactiusve ad amussim Apostolicæ traditionis, quàm est Nicænum illud, quod Ecclesia universa pro fidei Symbolo utendum sumpsit in omnes annos? Attamen inventus est Sabinus Macedonianâ sordens hæresi Historicus, qui & authoritatem Nicænorum Patrum enervaret, & Nicænum Decretum pro subreptitio, extortove haberet.

De Sebasteni autem negotio (cujus toto tempore coràm Romæ spectator fui, licèt privatus, non tamen incurius omninò; adversariorum etiam opinione non otiosus) edicere possum, tantâ diligentiâ, solicitudine, justitiâ ab Eminentissimis Patribus & Summo Pontifice in eo processum fuisse, ut nesciam an plurium spatio seculorum, ulla ibi causa gravissima majore ad singulos juris apices attentione pertractata sit.

Noverat Sapientissimus Pontifex, neque ignorabat Cardinalium Congregatio, ingenium Sebasteni, eique patrocinantium in contentiones pronum, & omni cavillationum genere instructissimum; proindè nullum videri nimium posse studium accurationis: Et quidem non defuere ex variis ordinibus Catholici, quibus singularis illa, velut nimia, displicuit Sedis Apostolicæ erga immerentem benignitas; sed nempe valuerit hìc, quod olim monuit Augustinus locum obtinuisse circa Pelagianos; quando *illa ingenia, quamvis nefando errore perversa; non tamen contemptibilia, cum studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquanto leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt*. Sed & cedere oportuit minacibus Acatholicorum statutis, juxta quę interdicendum erat Religionis Catholicæ exercitium, nisi reus ex Urbe in Hollandiam quàm citissimè remitteretur.

CAPUT XIV.

Quesnelli & ei adhærentium ab anno 1707. pro rebellibus Missionariis contra Sedem Apostolicam vindiciæ.

1 CUM nullus esset Jansenianæ apud Hollandos audaciæ, & schismaticis pro Sebasteno vindiciis finis; sed mansuetudine Pontificiâ quotidie magis abuteretur rebellium temeritas, conflatus est jussu Sanctissimi ingens Catalogus exitialium istiusmodi opusculorum, quorum tùm lectio, tum retentio prohibetur sub pœna *excommunicationis* per contrafacientes, ipso facto, absque alia declaratione *incurrendæ, & à qua* (inquit Clemens XI.) *nemo à quoquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.*

Quâ relatâ Pontificis sententiâ Ægidius de Witte, sive ut in gratiam Pontificis vocari amat, *Ægidius Albanus*, in Augustino Iprensi vindicato pag. 291." Quis (inquit) hujusmodi tyrannidis speciem unquam vel „ fando audivit, vel lectione hausit, vel an„ tequàm facto ipso innotesceret, ut apud „ sensatos homines possibilem, cogitatione „ concepit? Imò quis, tametsi factum vi„ deat, adhùc credat sibi tam immanem „ Ecclesiasticæ potestatis abusum per Roma„ num Pontificem potuisse fieri „?

Si dispositionem Pontificiam vocare publicè *tyrannidem*, & quidèm istiusmodi, qualis *audita nunquam, aut lecta*, aut saltèm, *ut possibilis concepta animo fuit*: Si, inquam, istud adversariis est: *Pati in pace excommunicationem & anathema injustum*, si istud non est *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, quid inposterum in eorum idiomate intelligemus? Lucis, scilicet, vocabulo, tenebras oportebit credere, lucem autem nomine tenebrarum.

Nobis proindè majori jure oborietur admiratio, quomodo reperiantur homines adeò stolidi, ut circumveniri se patiantur ab hypocritis, quorum simulationem tam perfidam, tam frequentem habeant exploratam. Hic quoque egregiè partes suas agit Quesnellus anno 1708. edito palàm Opere, cui titulum fecit: *Abusus & Nullitates Decreti Romani dati 4. Octobris 1707. circa causas Ecclesiæ Catholicæ in Provinciis Belgii Fœderatis*.

Illìc pag. 9. ait ": Qualiscumque sit sen„ tentia, semper nihilominùs erga authori„ tatem, à qua dimanavit, debita servanda „ est reverentia, eò major, quò magis illa „ sacra sit. Cum autem Pontificia sit supre„ ma, quæ obvenire homini in terris queat, „ oportet etiam, ut quantumlibet juris esse „ valeat conquerendi, & defendendi se ad„ versus authoritatis ejus abusum, præstetur „ summa modestia, & maximè reverenter, „ ut eximia ejus dignitas postulat „.

Quantumcumque speciosa aliquibus ea appareat Oratio; præter fucum tamen, & fallaciam nihil continet; si propositum attenditur authoris; Eodem hic scilicet opere non solùm sententiam Pontificis; sed ipsum quoque

que

que Sanctissimum contumeliis proscindit. Sic pag. 219. Decreti injustitiam Quesnellus tribuens passioni odii, & spiritui vindictæ, ait,
„ Nihil simile timendum à Pontifice qui erit
„ præditus sapientiâ & traditionis notitiâ,
„ qui potestatis suæ limites agnoscet, qui in-
„ tellectum non circumferet, Canonistarum,
„ & scholasticorum illusionibus occupatum,
„ neque ambitione corruptum &c. „.

Quæ omnia quid aliud cuivis rationis compoti significant, quàm Clementis XI. iniquam, Pontifici meliori, qui futurus describitur, oppositionem? Hâc Clemens XI. minimè obscurè describitur coloribus turpissimis, velut expers sapientiæ, ignorantissimus traditionis, superbus, potestatem sibi arrogans nullis limitibus circumscriptam, Canonistarum & Scholasticorum adulationibus delusus, inflatus ambitione, corruptus &c.

Unde superior venerationis commemoratio non dissimilis videbitur ei, quâ humillimum te famulum profitereris illius, quem contunderes interim pugnis, aut pedibus protereres. Talibus *reverentiæ* speciminibus liber Quesnelli plenus est. Audi verò excusationem ejus fatuam, & certè solis fatuis Lectoribus circumveniendis idoneam pag. 11.
„ Inter cupidos istos & iniquissimos dignita-
„ tis Pontificiæ adulatores haberi cupio
„ istiusinodi Censurarum, Decretorum, Bre-
„ vium architectos, non autem Pontifices
„ ipsos, neque Sedis Apostolicæ Tribunal,
„ quoties verbis utor durioribus, subindè
„ necessariò adhibendis, ut censurarum
„ suarum iniquitatem percipiant & impe-
„ ritiam „.

Pag. 20. " Absolutissima & superabun-
„ dans Sebasteni justificatio est, quòd inau-
„ ditus fuerit condemnatus „.

Pag. 21. " Qui profectò error intolerabi-
„ lis est, & irritam reddens latam contra
„ ejus scripta sententiam „.

Pag. 22. " Post eam, quæ inflicta fuerat die 3. Aprilis 1704. & prodierat in pu-
„ blicum die 7. Maii proximè secuti, quâ
„ etiam injustissimè depositus est, oportuit ad
„ superefluentem injustitiæ mensuram conde-
„ mnari illa iterùm triennio post, & quidem
„ Decreto non minùs violento; imò magis
„ scelerato; quia vindiciæ interim editæ,
„ quæ priùs Decretum convicerant de ini-
„ quitate, debuissent Censores suffundere
„ pudore, & saltem redigere ad silentium „.

Pag. 27. " Poteratne Sebastenus silen-
„ tium tenere circa sententiam injustam
„ adeò, & Episcopali ordini ignominiosam?
„ Fuisset illud manifesta nimium prævarica-
„ tio. Locutus igitur est: Scripsit Gregi suo
„ epistolas ad sistendum scandalum Romano
„ Diplomate excitatum. Edita ab Antistite
„ expositio simplex est, modesta, pacifica, &
„ ad excessum usque reverens. Denique
„ comparuit Declaratio ejus Apologetica, in
„ quam mox furentium instar, Pontificii
„ Censores erupere, in eamque strinxere ana-
„ thema, quod Brutum fulmen Plinius
„ appellasset „.

Ubique conspicis, Lector Catholice, infrunitam Scriptoris schismatici temeritatem, quem nunquam pudeat, nunquam tædeat repetere mendacia convictissima, & calumnias maximè frivolas pro veritatibus quasi Evangelicis venditare. Te verò forsitan pigebit declamationibus adeò malesanis solâ ferè phrasium & figurarum varietate diversis, tanto tempore distineri, ut me certe oppidò fatigat iteranda sæpiùs responsio.

Non tamen omninò frustraneus apparet, qui à me suscipitur descriptionis labor; quia exitialis adversariorum hypocrisis, tot ubique se prodens indiciis, non poterit inposterum fallere, nisi volentes. Quomodo de evibrata in Sebastenum, velut inauditum, sententiâ accusari potest Apostolica Sedes, quæ, licèt omnium Ordinum querelis gravibus excitata, judicium tamèn suspendit usque in adventum ejus, & quamcunque idem posset expetere amplissimam defensionem?

Notum omnibus est, & typis sæpiùs vulgatum, ab ipsis etiam Sebasteni fautoribus, eum ultrò fuisse ab Innocentio XII. ad Apostolorum limina benignissimè invitatum occasione anni Sancti. Verùm Sebasteno, propter animum non benè sibi conscium, exquisitis undique obtentibus iter subterfugiente, conversa in præceptum Pontificia invitatio est, & interpositâ pœnâ depositionis à munere Vicarii Apostolici, Sebastenus Romam pergere compulsus: Subministratum illi conveniens viaticum, atque in ipsa Urbe solitum pro victu subsidium toto, quo Romæ perstitit biennii decursu. Semper & ubique humanissimè exceptus, auditusque est à Pontifice, Cardinalibus, ac cæteris Romanæ Curiæ Administris, tota causa coram ipso reo discussa diligenter, atque æquissimè expensa.

Diuturnioris tandem examinis impatiens ipse reditum in patriam accelerare avidissimè desideravit; cujus cum sibi copia non fieret, metueretque non temerè, ne illic detineretur perpetuò, patrocinium imploravit Præpotentium Hollandiæ Ordinum, à quibus eum quantocius remittere Pontifex coactus est, nisi mallet claudi templa omnia, sive ut ibi vocantur, *Oratoria* Catholicorum.

Quæ

Quæ hîc memoro, certa & comperta omnibus sunt; nemine quidpiam vocante in dubium. Scripta à Sebasteno Romæ composita; illic ipso degente examinata sunt in Congregatione Cardinalium partim S.Officii, partim Propagandæ Fidei; cum autem examinis effectus fuerit suspensio à Vicariatu, Sebastenus antequam ex Urbe discederet, ut aliàs indicavi, expetiit à Pontifice Clemente XI. ut Congregatio S.Officii novum de suis lucubrationibus examen institueret: obtinuit potestatem, sed non quem speraverat novi examinis successum, utpotè suspensione illic non sublatâ; sed in absolutam, atque perpetuam commutatâ depositionem.

Et adhùc nobis Quesnelli occinit impudentia, latam Romæ sententiam in non auditum.

Scriptæ postmodum à reduce in Hollandiam & typis editæ literæ, pro sua contra Sedem Apostolicam defensione, ut manifesta erant *erectio* Rei *contra authoritatem & scissio unitatis*, à solo merentur schismatico propugnari. Omne contra Jansenianos anathema, ipsorum judicio irritum esse, & bruti fulminis nomine appellari, pridèm scivimus; sed cui hæretico sui vel sociorum excommunicatio vel alia qualiscumque unquam condemnatio justa apparuit?

Digna autem Quesnelli ingenio, & Jansenianâ pietate est ea erga Sedem Apostolicam reverentia, quâ *inter cupidos istos, & iniquos Pontificiæ dignitatis adulatores numerat istiusmodi Censurarum, Decretorum, Brevium artifices, eosque, non autem Pontificem, aut S.Sedis Tribunal impeti declarat, quando verbis subindè utimur* (inquit) *durioribus, ut suarum illi Censurarum imperitiam & iniquitatem meliùs percipiant*.

Vicissim & nos cupimus ut Quesnellus meliùs percipiat distinctionis suæ mirabilem virtutem, salvandæ, ut simulat, Pontificię dignitati, suæque erga eam reverentiæ, perquam idoneam; qua cupidi isti, injustique Censurarum, Brevium, Decretorum artifices à Christi Vicario & Sede Apostolicâ secernantur, atque hoc modo universa improperia minimè lædant Pontificiam adeò venerandam omnibus authoritatem; sed eâ abutentes iniquissimè Ministros.

In memoriam itaque revocet superiora tempora tot Provinciis Germaniæ, Franciæ, Belgii luctuosa. Lutherani erga Carolum V. Imperatorem in Germania; Calvinistæ in Francia erga Franciscum, Henricum, Ludovicos reverentiam, quin & obedientiam passim vocibus professi sunt, uti & in Belgio erga Philippum II. Hispaniæ Regem, dum interim eos rebellione primùm clandestinâ, dein publicâ & præliis atrocissimis impugnarent.

Decretorum Imperialium & Regiorum prætensam contra se injustitiam accusare soliti, bilem omnem videri cupiebant in eorum iniquissimos solùm evomere inventores. Perspicua hæc sunt, & convincendæ Jansenistarum hypocrisi contra Sedem Apostolicam, atque Ecclesiam rebelli, abundè sufficerent, nisi ea foret temporum nostrorum calamitas, pluribus Fidelium exitialis, ut credere malint futilibus hæreticorum, pietatem simulantium mendaciis, quàm definitionibus Pontificum accuratissimo licèt prævio decretis examine. Pergamus igitur ex ipsis Quesnelli lucubrationibus, nefariam eiusdem proponere omnium oculis temeritatem.

In eodem prætensorum *Abusuum* volumine ita prosequitur pag. 31. " Sunt & aliæ „ circumstantiæ in Sebasteni causâ, quæ „ sententiæ errorem, & muti istius Tribuna„ lis silentium reddant magis intolerabile „.

Pag. 32." Quicumque Catholicus demen„ tari se non patitur calumniis & suggestio„ nibus schismaticis eorum, qui Ecclesiam „ Hollandicam in suum commodum turba„ verunt, facilè credet, non se posse, con„ scientiâ salvâ, ullam Decreti illius, nomen „ Pontificium præseferentis, habere ratio„ nem. Absit ut agendi modum tam alie„ num à justitia, tam legibus omnibus repu„ gnantem attribuamus Christi Vicario. Satis „ cuilibet exploratum est, à quibus circum„ detur hodiernus Pontifex deceptoribus, „ Religionem ejus fallentibus, ut sunt men„ daciorum & calumniarum artifices pe„ ritissimi „.

Pag. 34. " Dicitur quidèm Sacra Inqui„ sitio authoritate Pontificum sic esse insti„ tuta, ut ad indicanda accusantium, & te„ stium nomina non obstringatur, atque illi „ modus hic esse solitus Tribunali; verùm, „ respondeo modum istiusmodi quantalibet „ authoritate stabilitum juri naturæ, & Sacris „ Canonibus esse contrarium, in quibus ne„ que dispensare Pontifex valeat, neque si „ dispenset, liber esse à prævaricationis cri„ mine in Deum & in Ecclesiam „.

Ita adversus omnes Romanos Pontifices S. Inquisitionis cum suis regulis fundatores approbatoresque, adversus omnes Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ Episcopos & Doctores eidem se Tribunali, eisdem legibus subjicientes, unus cum sociis hæreticis supra universam sapiens Ecclesiam Quesnellus, *tantillus homo*, & quidèm suæ *conscius tenuitatis*, ut præfatur in epistola ad Clementem XI. Latinè

nè & Gallicè data anno 1712. die 22. Julij, & iterùm 22. Septembris, quam digno illustrare conatus sum commentario in Prolegomenis Tomi 1. Sacrum autem illud, & saluberrimum Tribunal penes omnes Catholicos, etiam ubi resistente populo introduci non potuit, in majore veneratione est, quàm ut Apologiarum egeat præsidio, aut hæreticorum valeat calumniis maculari.

Quid verò sibi vult Novatoris hujus importuna adeò contra illud vociferatio? Sententia contra complures Sebasteni vindicias, de cujus Quesnellus, ut ait, *abusibus, & nullitatibus* conqueritur, non Inquisitionis est, sed ipsius, ut verba clarissima testantur, Pontificis. Verùm ea Novatorum industria est, imò mendax nequitia, ut cujus æquitatem judicii nullâ possunt ratione verisimili impugnare, authoritatem imminuere moliantur solis tribuendo S. Officii Cardinalibus, quod certè norunt esse Pontificis.

Ita Lutherus Leonis X. contra se Bullam adscripserat Joanni Eckio, & quibusdam sibi non faventibus Religiosis, Tomo 2. pag. 35. Bullæ *stylus est Fratralis, multum abhorrens à stylo Romano,* quin exclamare non dubitat, eam esse natam Lovanii: in Opusculo *adversus execrabilem*, ut vocat, *Antichristi Bullam, verosimillimum*, inquit, *est, prolem esse monstri illius Joannis Eckii, hominis ex mendaciis, simulationibus, erroribus, hæresibusque contusi & consuti. Auget suspicionem, quod idem Eckius talis Bullæ Apostolus fuisse dicitur Romanus: neque enim tali Apostolatu dignior ullus est Apostolus: atque superioribus diebus audieram, parturiri in Urbe contra me Bullam quamdam diram & sævam, eodem coartifice Eckio, id quod stylus & saliva indicant.*

Hoc supposito quæ superesse poterit Bullæ authoritas, quam, ut subrutam amplius conterat, nullum convitii genus est, quod in eam non congerat epist. ad Leonem Decimum, quæ conspicitur Tomo 2. Operum Lutheri, Eckium describens, velut *Satanæ Ministrum, Christi adversarium, indomitâ gloriæ libidine exstimulatum, thrasonem gloriosum, spumantem & frendentem, non tam primatum Petri, quàm suum principatum inter Theologos hujus seculi quærentem*; quia scilicet Lutherum in Lipsiensi certamine argumentis suis arctissimè constrinxerat, neque segniter contra errores ejus quadraginta & unum institerat apud Apostolicam Sedem.

Non ideò hæretici Bullas Pontificias ipsis abjudicare conantur Pontificibus, quod eorum Sacrosanctæ aliquid tribuant authoritati; sed quia hæc in universa fidelium Ecclesia habetur maximè venerabilis; Inquisitores autem fidei apud amantem noxiæ libertatis populum odiosos reddidere fabulæ mendacissimæ, & calumniæ detestabiles hæreticorum famosis quaqua versus foliis divulgatæ, quas dominans in plurimis dissolutionis amor avidè suscepit.

Exardescentis hujus incendii contra Inquisitores scintilla quædam videtur originem præbuisse Reuclini legum periti lucubratio, à Quæsitore Fidei accusata hæresios, defensa autem à pluribus, quàm Ecclesiæ expediret.

De hoc ita Raynaldus in Annalibus anni 1516. num. 85.: *Discussâ Reuclini causâ, Theologi ut invidi calumniatores, malè audierunt in Aula Cæsarea ... Tùm verò apud subsellia Apostolica non defuere, qui eundem Reuclinum tuerentur, accusatoresque ut iniquos deterrerent. Inde verò Censorum fidei authoritas ita obsolevit, ut exorientem postea Lutherum hæresiarcham comprimere non potuerint; nam cum Theologi illum judicio cæpissent persequi, universa mox Rhetorum ac Poëtarum cohors malevolentiâ ex Reuclinianâ causâ imbuta in Theologos, illi se improvidè conjunxit, atque hinc conflatum esse turbinem Lutheranum, qui adeò Ecclesiam Dei concussit, affirmat constanter Albertus Pius.*

Quid denique sibi vult Quesnelliana illa Tribunalis muti exprobratio, quod neque accusantium nomina prodat, neque testium? Quidquid de eo sive facto, sive jure contra Supremam authoritatem remerè prætenso sit, nihil ad præsentem attinet quæstionem; quæ de editorum typis tractatuum est, quos Clemens XI. anno hujus seculi septimo condemnavit. Etenim quæ necessitas, vel utilitas prodendi nomina eorum, qui ea volumina Sedi Apostolicæ denuntiarunt? Ipsa sive pro se, sive contra se testimonium perhibent, partesque accusantium agunt, aut defendentium, prout in se doctrinam continent, oculisque exhibent judicum sive salutiferam, sive perniciosam?

Aliis neque accusatoribus, neque testibus opus est Sedis Apostolicæ Tribunali. Si verò ad Sebasteni à Vicarii munere suspensionem, secutamque postea remotionem, Quesnellianæ hæ intemperiæ respiciunt; neutra præsentis Diplomatis effectus est, utpotè anterior: neque ad alterutram aliqua concurrere debuit accusatio, aut testimonium, quàm quod Sebastenus ipse noscitur præstitisse scriptis suis Romæ in Cameræ Apostolicæ typographia editis, atque à se ipsi Pontifici & Sacræ Congregationi traditis; uti & suo contra

tra Alexandri VII. formulam manuscripto, & similibus vivæ vocis declarationibus.

Addo de priore decem Cardinalium Congregatione, à qua, approbante Innocentio XII. Pontifice, constitutum est, ut Sebastenus Romam evocaretur, Vicariatûs Apostolici rationem redditurus, & simùl audiendus circa varios denuntiationum articulos: addo, inquam, de ea Congregatione, quod in ea lectæ quidem fuerint complurium denuntiationes contra ejus regimen & sectatores; sed ne vel una cujuspiam è societate, Novatoribus odiosâ.

Aliorum ex omni ferè ordine, sive Regularium, sive Secularium tum Cleri, tum Laicorum nomina, saltem præcipuorum, minimè ignota fuere Sebasteno, & Quesnello, quantumlibet aliud vociferentur ad conflandam Sedi Apostolicæ invidiam. Satis enim publica reddita est epistola Archiepiscopi Ancyrani, Præsulis religiosissimi, quâ nihil contra novam sectam, Sebasteni patrocinio in Missione Hollandica dominantem, exarari fortius potuisset. Qui è seculari Clero epistolæ communi contra eandem sectam subscripserint, distinctissimè compertum habuit Sebastenus ex eo, qui, nescio quâ spe, aut formidine, à Pontificiorum castris, ad partes transiit Novatorum.

Coloniensem Nuntium, & Internuntium Bruxellensem, uti & omnes, qui ad Ryswicensem pacem convenerant, cum plenâ potestate Legatos Principum, Gallis solummodò exceptis, sinistra de Sebasteno eique adhærentibus Missionariis testificatos esse, Sebasteno Romæ verbis clarissimis ab ipsa Congregatione significatum est, neque ullus in Hollandia ejus assecla ignoravit.

In ipsa Missione integras Catholicorum parochias novitatum impatientes contra illos Christianæ Vineæ corruptores publicis clamoribus insurrexisse, quem latere potuit Missionarium? Excessuum, quibus Janseniana Factio Missionem turbare solita erat, & quodammodò pessumdare, ignorantiam simulare studiosè Vicarius conatus est; cum de iis ac potissimùm de Jansenianorum illìc operum multitudine in Urbe à judicibus interrogaretur, familiaris illi responsio fuit: *quibus authoribus libelli istiusmodi prodeant nescio; impedire editiones istiusmodi, ut maximè velim, in mea potestate non est.*

Verùm edoceri à Sanctis Patribus Sebastenus potuit, Pastorem, cui gregis cura à Domino commissa est, minimè excusari, si eo ignorante, Lupus Ovile ingreditur & discerpit Oves. Sed & affectata ejus ignorantia deprehensa est, atque convicta argumentis certissimis, ipsius inter cetera Andreæ Schurii Sebasteno addictissimi Literis, typo editis, quas, antequam divulgaret, recentes & adhùc madidas se Præsuli transmittere testatus est, ut ab eo approbatę ad cęteros securiùs pergerent Lectores.

Ex eodem Epistolarum volumine discimus callidum Sebasteni, sed nequaquam dignum Apostolico Vicario consilium: Optare quidem se istiusmodi Operum editiones, sed non audere publicam concedere approbationem, *propter metum circumvolantium ubique nigrarum avium, & infaustum semper aliquid crocitantium*; denique cupere se, ut editiones, se veluti ignorante peragantur. Talium in vulgus emissio *Epistolarum*, non unum prodidit iniquitatis mysterium: ideoque ab ipsis passim novitatum fautoribus imprudentissima reputata fuit, sed à Deo providè & salubriter ad suæ bonum Ecclesiæ est permissa, ne plures pergeret hypocrisis Novatorum & perfidia circumvenire.

Prosequendum nobis est in prædicata adeò magnificè hic & alibi à Quesnello, suorum *patientiâ* & *pacis* studio in persecutionibus quantumlibet iniquis: *pati*, scilicet, *potius in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Ut nova reperiam patientiæ Jansenianæ specimina non opus est ad plures divertere provincias: copiosa satis & illustria præbent exculti à Quesnello Hollandiæ Missionarii. Joannes Christianus Van-Erekel constrictus anathemate Apostolico cum aliis octodecim similibus è Clero seculari Missionariis audacissimam edidit protestationem, ad Nuntium eam dirigens Coloniensem anno 1709. die 10. Julii. Ostentat ea publicè quàm patientes, quàm pacificos, quàm charitatis & unitatis studiosos alat Quesnelli institutio discipulos.

In ipso exordio adoptatur infamis hæc Erasmi sententia ex eius epist. 477.: *Mundus oneratus est tyrannide Fratrum Mendicantium, qui cùm sint Satellites Sedis Apostolicæ, tamen eò potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici, atque ipsis adeò Regibus sint formidabiles.* Undè patet conclusio, ex Erasmiana potiùs & Quesnelliana Ecclesia Apostolos eligendos esse, quàm ex familiis Religiosis, saltem Mendicantibus.

Istiusmodi charitatis & unitatis speciminibus constat alius libellus calumniis contra Religiosos plenissimus sub hoc titulo: *Exhibitio hodiernæ praxeos & fraudis Monachorum*, contra Archiepiscopum scilicèt Sebastenum,

ftenum, & similes ei in Hollandia Missionarios. Tragœdiæ authores præcipui designantur Ordines quatuor Sanctorum Dominici, Augustini, Francisci, & Societas.

Contra Religiosos omnes maledicum stylum exercit Joannes Van-Heumen ibidem Missionarius; sed Quesnellianæ scholæ discipulus maximè genuinus, in epistola ad Patrem Ægidium Glabais Franciscanum, Religiosis sui Ordinis Præfectum, ab authore typis editâ. Pag.4. ait: *Monachos quidèm olim fuisse nobilem Ecclesiæ portionem: nunc eò delapsos turpitudinis, ut à vero minimè aberrarit, qui eos spiritualem Ecclesiæ faecem censuerit appellandam.*

Ibidem author sibi gloriæ ducit, quod *Franciscani Ordinis Candidatum ab eo averterit, persuadens laborem magis esse salutiferum, quàm mendicationem.* Pag.6. Risui exponens omnes Religiosorum Ordinum Præfecturas; *præter Ecclesiastici* (inquit) *& politiei status Præsides, non debemus agnoscere Superiores alios, quales sunt Generales, Provinciales, Abbates, Priores, Guardianos, Rectores nigrarum tenebrarum.*

Pag.8. *Si Edicta Ordinum Hollandiæ adversus Regulares observarentur rigidè, status Ecclesiæ in his Provinciis brevi mutaret faciem: antiqua Patrum doctrina* (prout à Bajo & Jansenio exponitur) *triumpharet, parentes non orbarentur liberis ad implenda Monasteria, neque opibus ad alenda.*

Pag. 9. *Quid vobis paupertatis superest, præter inane nomen?* Sequuntur ibidem magis scurrilia, & quæ referri à me honestè non possunt, contra Franciscanorum sententiam de usu facti sine dominio rerum, quæ usu consumuntur, ut sunt cibi & potûs. Non minùs absurda author enuntiat contra Religiosorum cilicia. Postquam pag.7. affetuerat *Monachos esse perquàm stupidos*, pag. 14. stupidiorem facit Curiam Romanam, utpotè quæ (in Sebasteni negotio) *se Monachorum mendaciis passa fuerit circumveniri.*

Præcipua tamen Missionariorum istiusmodi anti-Pontificiorum rabies Jesuitas impetit, contra quos Gisbertus Amstelius tria scripta *Expostulationum* nomine, latinè edidit *adversus eos qui dicunt se de consortio Jesu esse, & non sunt; Sed sunt Synagoga Satanæ*; quia, inquit pag.4. ipsos alloquens, *contra Archiepiscopum Sebastenum iniistis consilium...pium illum Davidem exuistis solio.*

Cœtera habet similia expostulatio tota, cum duabus sequentibus. Sic illi Quesnellianæ doctrinæ & praxeos Sectatores *pacifici*, didicere *pati in pace excommunicationem & anathema injustum, imitari S.Paulum*: nequaquam *se erigère contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Impudentiæ palmam videtur velle omnibus præripere quidam ex Theologiæ Baccalaureo Lovaniensi, factus corporum Medicus, qui anno 1703. concepto dolore nimio ex clade Sebasteni, in morbum incidit, quem Monachis affinxerat, suo *conquerente Mercurio* pag.8. dicens: *Monachis per multa secula sinciput non fuit sanum.* pag. 4. describitur *Mercurius Monachorum & mendaciorum Deus.*

Dein *Mercurium* inducit ita loquentem: *Longè chariores existunt mihi Monachi Romanis Sacerdotibus* (idololatris) *qui etsi Numam Pompilium Sacrorum profitebantur inventorem; tamen rigidi erant & austeri; Monachi verò delicatuli sunt & molles, omne scelus quodam pallio contegentes.* Pag. 11. *Mercurius* ad Monachos conversus *scio* (inquit) *vos plumbeo tempore pullulasse & incrementum cepisse.*

S. Francisci Familiam in Præfatione sive epistolâ dedicatoriâ vocat *cinifes, & colluviem Franciscanorum.* Occasio talia effutiendi ab authore arrepta fuit Pontificii apud Bruxellenses Internuntii humanitas, qui officiosâ epistolâ virum hunc inter Catholicos Ultrajectenses præcipuos numerans, certiorem reddere dignatus fuerat de Pontificiâ circa Hollandiæ Vicariatum dispositione. Hanc Medicus vicem reddidit humanitati.

Si filium hunc suum spiritualem sic instituerit *Catsius*, tunc pariter cum aliis tribus Sebasteni pro-Vicariis à Clemente XI. exauthoratus, vel hinc utcumque colligitur, Sanctissimum Pontificem à Divina fuisse providentia directum, quando Vicarium illum cum talibus suis Provicariis à Missionum regimine amovit. Istud certissimum est, quod si filius sapiens, patris est gloria, non possit non esse dedecori filius tam insipiens, qui assumptâ *Mercurii* personâ, quem nomine non incongruo *Deum* vocat *mendaciorum*, simul nobis indicat, qualis ipse haberi ab omnibus debeat, nempè ut *mendaciorum* artifex non vulgaris. Alia, quorum Mercurius est Deus, *scelera*, & suo magis idoneus est Medicus ille, quàm *Monachismus tegere pallio*, non fugiunt eruditionem poëticam tantopere ab hoc Mercurio affectatam, qui *mendaciorum* à multis creditur, quàm medicinæ peritior.

Mollitiem & vitam delicatulam, quam Monachis Franciscanis præcipuè exprobrat, experiatur utinam, qualis penès eos est, & reliquis antè mortem annis in ea se strenuè exerceat, sperare licebit forè ut aliqua sit vitæ, quæ passim dicitur ad Christianismi le-

ßes non exactissimè composita ad frugem reductio meliorem.

Indè iterùm lector sapiens perspicit, quàm *pacifica* sit Quesnellianæ adhærentium Sanctitati in sententiis contra se suosque latis *patientia*, quantum absint *ab erigendo se contra authoritatem*, quantum à *scindenda* abhorreant *unitate*. Sed infelicem Sebastenum cum nefariis ei patrocinantium vindiciis dimittamus.

CAPUT XVI.

Constitutionis Vineam Domini Sabaoth *necessitas remota*.

1 REvolvens animo, quales hæresum pestes ab exordio Ecclesiæ ad nostra usque tempora humani generis hostis in Orbem invexerit, ut nullam reperio pluribus, & magis subdolis instructam fraudibus, quàm Jansenianam, ita neque perniciosiorem, & quæ remedium requirat promptius, ac majore sapientiâ præparatum. Superius indicavi quibus tricis & cavillationibus novæ Sectę discipuli pugnaverint multo tempore contra Bullam Urbani VIII. quæ incipit: *In Eminenti*, & librum Jansenii prohibet, tanquam *multas ex Propositionibus olim damnatis à Prædecessoribus nostris* (inquit Pontifex, nempè S. Pio & Gregorio XIII.) *continentem, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendentem... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti*.

Dùm vixit Urbanus, quantumlibet multiplicatis Decretis & Brevibus Apostolicis, obedientiam à refractariis obtinere non potuit, neque obtinuisset Innocentius X. ejus in Petri Cathedram successor, nisi Rex Catholicus cum suo Belgii Gubernatore Archiduce Leopoldo suam Pontificiæ junxisset potentiam authoritati.

Suppresso autem Jansenii volumine, doctrina nihilominus centenis quaqua versus lucubrationibus dispersa incautis obtrudebatur veluti Augustiniana, & præ cęteris Catholica.

Quapropter octoginta quinque in Galliis Episcopi, communi epistolâ Innocentium Decimum, sic interpellarunt" Beatissime „ Pater: Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, „ quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri, pro jure suo postulat.

„ Æquissimæ huic legi obsequentes, de „ gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati Suæ scribendum esse censuimus. „ Decennium est ex quo vehementissimis „ turbis Gallia, magno nostro mærore, commovetur ob librum posthumum & doctrinam Reverendi Cornelii Jansenii Iprensis „ Episcopi. Tales quidem motus sedari „ oportebat tum Concilii Tridentini authoritate, tum Bullæ illius, quâ Urbanus VIII. „ fel. memor. adversus Jansenii dogmata „ pronunciavit, & Decreta Pii V., ac „ Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit.

Atque hujus quidem Bullę veritatem ac „ robur novo Diplomate vindicasti; sed quia „ nulli singillatim Propositioni certa censuræ „ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis „ quorumdam cavillis & effugio relictus est. „ Intercludendum autem penitùs speramus; „ si, ut precamur, S. T. quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctèque definiat.

„ Obtestamur ergo ut has præsertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, & perspicuam ac certam „ de unaquaque sententiam ferat. *Prima*: „ Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: „ deest quoque iis gratia, quâ possibilia „ fiant.

„ *Secunda*: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

„ *Tertia*: Ad merendum & demerendum „ in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.

„ *Quarta*: Semipelagiani admittebant „ prævenientis gratię interioris necessitatem „ ad singulos actus, etiam ad initium fidei, „ & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam „ gratiam talem esse, cui posset humana „ voluntas resistere.

„ *Quinta*: Semipelagianum est dicere, „ Christum pro omnibus omninò hominibus „ mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

„ Experta est nuper Beatitudo Sua, quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ „ capitis errore profligando valuerit authoritas: continuò sedata est tempestas, atque „ ad Christi vocem & imperium, venti & „ mare obedierunt.

„ Quamobrem flagitamus, Beatissime „ Pater, ut clarâ firmâque de Propositionum „ istarum sensu prolatâ sententiâ, cui Reverendus ipse Jansenius morti proximus, opus „ suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia

„ dia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, „ splendoremque restituas. Dùm hæc spes „ mentibus nostris affulget, Sanctitati tuæ „ multos & prosperos annos, seculoque „ Beatissimam æternitatem Rex seculorum „ immortalis adjiciat, optamus ac vo- „ vemus „.

Subscripserunt Episcopi octoginta quinque.

Necessitas recurrendi ad Sedem Apostolicam fuit, quod illa Jansenii dogmata, non solùm animos quorumdam tum è primo, tum è secundo Sacerdotum ordine, præoccupassent; sed etiam delata ad judicium Sorbonæ, licèt plerosque offenderent contrarium sentientes; non paucos tamen etiam nacta forent vehementer adeò patrocinantes, ut tumultibus excitatis, spem adimerent ad pacatam ibi discussionem, atque sententiam perveniendi.

Ideò Clero Galliæ inComitiis Generalibus visum fuit, non superesse aliud consulendi fidei puritati, & paci publicæ consilium, quàm si ad Supremum Ecclesiæ Tribunal, Sedem Apostolicam controversia deferretur. Sic olim clarissimum Galliæ, & totius Ecclesiæ lumen S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II.: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei; ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non potest fides sentire defectum: hæc quippè hujus prærogativa Sedis; cui enim aliquando dictum est, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?*

Preces ChristianissimiCleri benignè excepit Innocentius X. eoque jussit Propositiones discuti examine, de quo sic legitur apud Cardinalem de Aguirre Tomo 3. Theologiæ S. Anselmi Prolegomeno 5. num. 74. " Ut ne„ mo Doctorum illorum detrectet Formulam „ ab Alexandro VII. præscriptam, omnesque „ absque fuco & apertissimè execrentur „ quinque illas theses Jansenii, *juxta sensum* „ *ab authore intentum*, proderit, præter ip„ sius Pontificis testimonium celebre de dili„ gentia summa Romæ adhibita in earum „ examine ac damnatione, aliud doctissimi „ Cardinalis Albizii, ocularis testis, libro „ *de inconstantia in Fide* cap. 3. num. 26. ajen„ tis „: *Quæ quidem diligentia, me assistente Assessore Supremæ & Universalis Inquisitionis Romanæ, & maxima quidem adhibita fuit, cùm sanctæ memoriæ Innocentius X. ad condemnationem quinque Propositionum ex Augustino Jansenii decerptarum, devenit*.

Non enim contentus fuit, quòd in pluribus Congregationibus habitis coram Eminentissimis & Reverendissimis Supremæ Universalis Inquisitionis Cardinalibus Inquisitoribus, sententiæ doctissimorum Theologorum, Qualificatorum Ordinariorum, adhibitis etiam extraordinariis Qualificatoribus, exquirerentur: Sed ipsemet Innocentius per plures dies eorumdem Theologorum Qualificatorum sententias maximâ cum patientia audivit, & coram se, Cardinalibus Inquisitoribus, & Theologis Qualificatoribus, quemdam Abbatem de la Lane, aliosque doctrinæ Jansenianæ fautores oxantes admisit; votaque Theologorum Qualificatorum in scriptis redacta magno studio & diligentiâ perscrutatus fuit; aliisque eruditissimis viris in Consilium adhibitis, ac indictis per Ecclesias Urbis supplicationibus, tandem in pervigilio Pentecostes ad condemnationem prædictarum quinque Propositionum devenit, afflante equidem Spiritu Sancto, cujus assistentia in hoc gravissimo negotio semper evidentissimè apparuit.

Dein prosequitur Cardinalis Aguirre: *Eant nunc quicunque aliter sentiunt, aut loquuntur, vel scripturiunt de examine, discussione, & consultationibus præparatoriis ad eam definitionem edendam, quâ nullam diutiùs, aut attentiùs Roma meditata fuit.*

Aliud simile de accurato examine testimonium habemus ipsius Innocentii X. in Brevi Apostolico, quo ad Gallicanorum Antistitum jam relatam epistolam respondit 31. Maii 1653. quod subjungo. " Venerabi„ les Fratres, Salutem, & Apostolicam be„ nedictionem: Rectè atque ordine fecit „ Fraternitatum vestratum pietas, quæ in „ Ecclesiis istis, Propositionum, de quibus „ ad nos scripsistis, occasione turbas ingen„ tes excitari cernens, ascendit ad locum „ hunc Sanctum, quem elegit Dominus, ut „ Catholicam super his veritatem à nobis „ quæreret „.

„ Nos igitur post longam accurati exami„ nis indaginem, & preces luminum Patri „ Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit „ de Propositionibus illis, declaravimus ac „ definivimus hac Constitutione, quam cum „ his literis ad vos mittimus. Ex ea senten„ tiam Orthodoxæ fidei in gravi hoc nego„ tio à Nobis audietis: nec dubitamus quin „ futura sit eum populis Christianis salutaris, „ tum summoperè grata insigni zelo Frater„ nitatum Vestrarum, quibus benedictionem „ Apostolicam peramanter impertimur „.

Inscriptio erat: *Venerabilibus Fratribus* „ *Archiepiscopis & Episcopis Galliæ*.

Nihilominus Janseniani, quibus fixa erat animo pertinacia, statim ut à Pontifice feriri anathemate conspexerunt quinque illa sua adeò-

adeò adamata dogmata, dicuntur collatis inter se consiliis studiosè deliberasse, quomodò eadem inposterum tueri pergerent.

Censuère aliqui ardentiores, sententiam Pontificis apertè impugnandam, defendendos Articulos in sensu obvio, quem verba per se exhibent, tanquam Augustinianos, & catholicissimos. Aliis videbatur nimiæ istud Augustini discipulos exponere invidiæ, nimio periculo, ne omnibus inposterum excluderentur Beneficiis atque officiis, quin & forsitan spoliarentur obtentis, pœnâ etiam carceris mulctarentur & exilii.

Quarè his appatuit securius & consultius, Bullam Pontificis exteriùs admittere; sed simul interpretari ita, ut non rejiciat nisi sensus Propositionum exoticos, quos constat neque à Jansenio, neque ab ejus sectatoribus traditos fuisse vel defensos.

Hac ratione, inquiebant, universa Jansenii doctrina propugnabitur deinceps, ut illibata æquè ac ante, omnis adversantium conatus & Bulla ipsa Pontificia eludetur, nostraque omnia in tuto posita remanebunt. Exigebant temporum circumstantiæ, ut nondum satis firmatâ Jansenistarum potentiâ, consilium posterius eligeretur: & reipsâ Idem amplexos conspicimus; licèt pauci inter eos magis candidi doleant hanc suis pudendam nimiùm simulationem, & fallaciam placuisse. Placuit tamen & communiore illarum partium exercitio confirmata est.

Machinatio adeò detestabilis, quando ab Episcopis comperta fuit, eos compulit pro novo remedio ad Innocentium recurrere, conceptâ maturè epistolâ, cui præter Julium Mazarinum, subscripsere qui Parisios convenerant Archiepiscopi sex, Episcopi supra triginta.

„ Post promulgatam (inquiunt) ab univer-
„ sis Gallarum Episcopis, Sanctitatis vestræ
„ Constitutionem, quâ quinque Propositio-
„ nes e libro Cornelii Jansenii Iprensis Epi-
„ scopi excerptæ damnantur, nihil aliud ex-
„ pectandum videbatur, præcipuè à Gallis,
„ qui in Sede Apostolica colenda semper po-
„ tiores fuerunt, quàm ut purâ & non fuca-
„ tâ concordiâ in veræ Fidei unitatem om-
„ nium animi conspirarent.

„ Sed dissidiorum author tam singulare &
„ piis omnibus summopere expetendum bo-
„ num Galliis invidit: quodque palàm obti-
„ nere non poterat, nempe ut à debita Sedi
„ Apostolicæ reverentia, per apertum Con-
„ stitutionis editæ contemptum recedere-
„ tur, callidis molitionibus, ad simplicium
„ & incautorum mentes subvertendas ag-
„ gredi tentavit.

„ Quare ad munus Episcopale pertinere
„ putavimus, recens excitatas à Clericis nu-
„ mero paucis contentiones, definitione no-
„ strâ compescere: quâ Constitutionis Apo-
„ stolicæ integra executio, quæ nobis com-
„ missa est, adversus alienas à vero illius
„ sensu expositiones sanciatur. E vetere Fi-
„ dei deposito, cujus custodia Cathedræ Pe-
„ tri à Christo concredita est, partem adi-
„ mere tentant; Decreti Apostolici majesta-
„ tem ad fictas controversias dirimendas
„ turpiter dejiciendo.

„ Quinque etenim Propositiones Decre-
„ to illo proscriptas, damnare se quoque
„ profitentur; sed alio planè sensu, quàm
„ qui à Jansenio traditus & explicatus est:
„ ad quem Propositiones illas nullatenus
„ pertinere constantissimè asserunt. Hac ar-
„ te, restaurandis disputationibus iisdem si-
„ bi locum apertum relinquere parant, &
„ redivivæ litis prolixam materiam.

„ Quare ut his incommodis prævertere-
„ tur, & Constitutioni authoritas sua con-
„ staret, atque sincera ejus executio seque-
„ retur, Nos in hac urbe Parisiensi congre-
„ gati censuimus, & per epistolam encycli-
„ cam his literis adjunctam declaravimus,
„ Propositiones illas & opiniones esse Cor-
„ nelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii
„ à Sanctitate vestra damnatas disertis &
„ manifestis verbis.

„ Quam enim author ille usurpatione pri-
„ vatâ, novam doctrinam, sub specie veteris
„ inducebat, necessum fuit, ut Apostolica
„ Sedes, judicio lato ex publica & antiqua
„ Ecclesiæ traditione refelleret, ne Christia-
„ næ Fidei doctrina, pravis ab illo scriptore
„ ad testimonia veterum Patrum, quos lau-
„ dat, adhibitis interpretationibus obrucre-
„ tur. Nihil quippè aliud egit Constitutio-
„ ne suâ Innocentius X. quàm ut authorita-
„ tis suæ præsidio antiquam Fidem muniret,
„ *non dicendo nova, sed dicendo novè*, juxta
„ receptas in Scholis Theologiæ locutiones,
„ quibus Jansenius quoque utitur.

„ Eo pacto Beatitudo Vestra liquidò ex-
„ plicuit atque confirmavit regulam Fidei de
„ gratia & libero arbitrio, quam ex parte
„ priùs assertam adversus Manichæos, quod
„ attinet ad arbitrii libertatem, postea De-
„ cessores vestri Innocentius I. & Zosimus
„ cooperantibus Africanorum Conciliorum
„ literis, contra Pelagianos plenè constabi-
„ liverant: quamque deinde Cælestinus I. ac
„ Concilium Arausicanum, juxta capitula à
„ Sede Apostolica transmissa, & Superiori
„ Seculo Tridentinum solicitè atque dili-
„ genter enucleatam definiverant.

„ Qua-

„ Quapropter & Conſtitutionem ordine „ Canonico latam, atque genuino in ſenſu „ intellectam, quem literæ patefaciunt, de„ votiſſimo obſequio nos ſuſcipere teſtamur: „ præterea verò daturos operam profitemur, „ ne quis curæ noſtræ ſubditus, impunè con„ traria veſtris definitionibus docere, ſcri„ bere, aut loqui præſumat, pænis in hære„ ticos à jure decretis alioquin à nobis ſta„ tim puniendus.

„ Ex qua concordi omnium ſententiâ, „ ſubſcriptionibus noſtris firmatâ Beatitudo „ veſtra facilè intelliget, nulli è collegio no„ ſtro propoſitum fuiſſe, ut aliquid dignitati „ Conſtitutionis adverſum proferret, aut „ ſcriberet, quinimò deſtinatum eſſe nobis „ pleniſſimâ veneratione Sacram B.Petri Se„ dem & Sanctitatem veſtram colere: cui „ proſperos & felices annos vovent, cui „ ſunt cum ea, qua par eſt obſervantia Bea„ tiſſime Pater, devotiſſimi & addictiſſimi „ filii, Cardinales, Archiepiſcopi, & Epi„ ſcopi Galliæ in Pariſienſi urbe congregati „ die 28. Martii 1654.

Reſpondit Innocentius X. anno 1654. die 29. Septembris ut ſequitur: " Dilecti Fi„ lii noſtri, ac Venerabiles Fratres ſalutem „ & Apoſtolicam benedictionem; Ex literis, „ quas à vobis die 28. Martii proximè elapſi „ ad nos datas à Venerabili Fratre Epiſcopo „ Lodevenſi accepimus, jucundum ſanè ac„ cidit, probari nobis luculentiùs veſtræ pie„ tatis zelum in his partibus obeundis, quas „ nos omnibus Paſtoralis officii Adminiſtris „ injunximus, ut qua par eſt obedientiâ, „ ubique ſervari enixè curent. Conſtitutio„ nem noſtram, quâ die 31. Maii anni 1653. „ damnavimus in quinque Propoſitionibus „ Cornelii Janſenii doctrinam ejus libro „ contentam, cui titulus *Auguſtinus*.

„ Atque ideo placet auctam exinde in vos „ benevolentiam noſtram hoc itidem locu„ pletiſſimo literarum noſtrarum teſtimonio „ palàm fieri, majoribus etiam in dies argu„ mentis vobis præclariùs conſtituram: ac „ ſimul vos Dilecti Filii noſtri, & venerabi„ les Fratres, ac cæteros quoſcumque Re„ gni iſtius Epiſcopos hortamur, quàm ve„ hementer in viſceribus Chriſti Jeſu, ut „ ſtudio & conatu prorſus unanimi conſpi„ rantes in Domino, in id ſedulò operam „ detis, quod opportunius validiuſque con„ tulerit ad executionem ſtabiliendam, ac „ firmandum penitùs uſum ejuſdem noſtræ „ Conſtitutionis, noſtrique identidem De„ creti, quo Sanctionem ipſam neceſſariò „ conſequente, die 23. Aprilis anni 1654. „ libri quoque de ea re editi damnantur.

„ Id verò ſi vos unà & conſtanter exequa„ mini, piæ ſolicitudinis zelum, quo San„ ctæ huic Sedi ac nobis egregiè obſecuti „ hactenus eſtis, inſigni profectò meritorum „ incremento cumulabitis, ac ſponte pro„ penſam in vos Pontificiam voluntatem ex„ citabitis, majorem in modum ad benevo„ lentiſſimos erga vos ſenſus Apoſtolicæ „ charitatis, quâ interim vobis ex animo be„ nedicimus.

„ Datum Romæ apud S. Mariam majorem „ ſub annulo Piſcatoris die 29. Septembris „ 1654. Pontificatûs noſtri anno 10.

Quæ quidem ſapientiſſima, & tanto digna Pontifice reſponſio fuit; ſed frangendæ Janſeniſtarum pervicaciæ non ſufficiens: quorum creſçente in dies temeritate, & fraudum, atque illuſionum multitudine, anno 1656. dum Innocentio ad Superos evocato, Alexander VII. ſucceſſerat, Galliæ Clerus zelum novi Pontificis contra rebellium dolos ac mendacia, iteratis denuntiationibus excitavit, ita ſcribens die 2. Septembris Pariſiis quò ad Comitia Generalia convenerat.

„ Sanctiſſime Pater. Non obſcura ſunt „ Divini Numinis conſilia, cur Beatitudi„ nem Veſtram ad Epiſcopatûs apicem, id „ eſt ad Apoſtolicæ Sedis principatum, ſuf„ fragantibus omnium votis, evexerit. In„ tererat quippè rei Chriſtianæ, ut is unita„ tem Eccleſiæ his difficillimis temporibus „ regeret, qui pietate ſuâ cæleſte præſidium „ fidelium gregi promereri poſſet, atque „ prudentiâ ſuâ æquè ac conſtantiâ fluctus „ illos ſuperare, quibus Petri navis, cujus „ clavo feliciter tenendo admotus es, atro„ citer concutitur.

„ Nos ſanè, qui à Chriſto Domino in „ partem ſolicitudinis vocati ſumus, mini„ ſterio noſtro id egimus ſuperioribus annis, „ apud felicis memoriæ Innocentium X. ut „ Conſtitutionem ederet, quâ motus in „ Galliis excitati, ob Janſenii Iprenſis quon„ dam Epiſcopi doctrinam, certis capitibus „ comprehenſam, compeſcerentur. Promul„ gatum à Gallicanis Epiſcopis Decretum, „ ſtudioſè amplexi ſunt fideles populi, dem„ ptis paucis, qui de Janſenii doctrinâ nihil „ conſtitutum fuiſſe, palam cùm ſimularent, „ intimis animorum ſenſibus ex illius dam„ natione urebantur.

„ Horum cavillationes ſine mora compri„ mendas rati, judicio ſuo decreverunt re„ ligioſiſſimi Epiſcopi, quinque Propoſitio„ nes illas ad Janſenium pertinere, ejuſque „ opiniones fuiſſe proſcriptas.

„ Quam ſuam ſententiam cum retuliſſent „ ad eundem Pontificem Maximum; illam „ huma-

„ humanissimis verbis non solùm probavit ; „ sed authoritatis Apostolicæ pondere de „ integro confirmavit, Brevi dato ad hunc „ Cleri Gallicani cætum, qui tunc prope „ diem cogendus erat, nisi moræ quædam „ obstitissent.

„ Porrò dum conventum agimus, primum „ nobis studium fuit tuendæ religionis,quam „ ab infestis Calvinianæ hæreseos Sectato- „ rum molitionibus vindicare curavimus, „ impetrato à clementia Christianissimi no- „ stri Regis edicto, quo nefarios illorum co- „ natus repressum iri nobis meritò pollice- „ mur.

„ Priorem curam excepit alia illi germana „ ob erroris Societatem, de profliganda Jan- „ seniana doctrina, Brevis Apostolici maje- „ state, quod frequenti cætu legi, promul- „ gari, in acta redigi, omniumque subscri- „ ptionibus muniri decrevimus. Eâdem sa- „ nè mentis alacritate illud suscepimus, „ quâ Concilii Africani Patres ab ipsis expe- „ titam Zosimi epistolam amplexi sunt, quæ „ Pelagii, atque Cælestii errores, quos clan- „ culùm propagabant, peremptorio Decre- „ to prostravit. Iisdem artibus grassantur „ novæ sectæ discipuli, ac præterea ut à ca- „ pitibus suis fulminis Apostolici amoliantur „ ictum, licèt obfirmato animo, quinque „ Propositiones Jansenio iterùm abjudiceut, „ ad facti quæstionem, in qua Ecclesiam falli „ posse docent, controversiam deducere „ nituntur.

„ Quas ingeniorum versutias verâ pru- „ dentique verborum complexione infregit „ Breve Apostolicum ; quod tricis illis sylla- „ barum ad umbratiles Scholarum disputa- „ tiones relegatis, decisionisque authorita- „ te ad juris quæstionem restrictâ, doctri- „ nam Jansenii, quam opere illo suo expli- „ cuit, in Propositionum confixarum mate- „ ria, Pontificiâ Constitutione damnatam „ fuisse declarat. At enim ut se damnatio- „ ni subducant, celeberrimum Augustini „ nomen obtendunt, cujus doctrinæ se pro- „ fitentur esse sectatores ; repudiato etiam „ si res eorum ita ferant, ipso Jansenio. Hu- „ jus tamen pravas & detortas, quas ad Do- „ ctoris egregii locos adhibet, interpreta- „ tiones amplectuntur ; sicque magistrum „ illum optimum à Cælestino laudatum, „ dum verbis colunt, adultero sensu violant.

„ Quod à nobis adnotari oportuit, in „ actis de Brevis promulgatione confectis, „ ut eorum calliditatibus iretur obviam, „ quibus incautorum & simplicium animis „ illudunt ; ac si Augustinum assererent ipsi; „ à cujus tamen sententiâ pertinaciter disce- „ dunt, quæ per Constitutionem de iis, quæ „ sunt regulæ fidei adversa, latam, consta- „ bilita est ; sicque in priorem illam fulguri- „ ti Jauseniani erroris damnationem reci- „ dunt.

„ Totam videremur debellati hostis glo- „ riam in Decessorem refudisse ; nisi consta- „ ret orbi Christiano, quis tunc fuisset par- „ ticeps curarum, & præcipuus rerum Ad- „ minister, quem Parens optimus ad laudis „ ex hoc egregio facinore partæ communio- „ nem adsciviſset. Decoris istius pars maxi- „ ma pertinet ad Sanctitatem vestram, quæ „ quidem, cùm suis nunc auspiciis res Eccle- „ siæ universæ inexhaustâ solicitudine gerat, „ illud augere perget meditatâ & uberiore „ si opus sit, Catholici dogmatis illustra- „ tione.

„ Nos sanè officio vestro non deerimus, „ nec reliqui Episcopi, quos encyclicâ epi- „ stolâ monuimus de rebus in hoc conventu „ actis, deque iis, quæ nobis gerenda vi- „ dentur in Provinciis, ut fideles omnes, „ obsequio suo & usu, Constitutionem fir- „ ment, pœnis alioquin à jure decretis ad- „ versus hæreticos, Episcopali judicio coer- „ cendi. Finita est causa rescriptis Apostoli- „ cis ; utinam finiatur & error, si licet ver- „ bis Augustini vota nostra concipere, quo- „ rum compotes erimus, si *Alexandri VII.* „ Pontificis Maximi Sanctitas, juxta vete- „ rem ritum divino Numini illa consecrave- „ rit ; a quo vicissim longævitatem Beatitu- „ dini vestræ studiosissimè postulant, qui „ sunt cum ea, qua par est reverentiâ & ve- „ neratione, Beatissime Pater, obsequentis- „ simi & devotissimi Filii vestri, Cardinales, „ Archiepiscopi, Episcopi, & Ecclesiastici „ viri in Generalibus Cleri Gallicani Co- „ mitiis congregati Parisiis die 2. Septem- „ bris 1656. „

Subscripsere Archiepiscopi, Episcopi, Abbates &c. circiter septuaginta.

Ea Gallicanorum Autistitum & inferioris Cleri denuntiatio, ab Alexandro VII. qui rerum omnium in causa Jansenii gestarum erat apprimè conscius, diploma obtinuit,quo nullum infringendis Jansenianorum cavillationibus excogitari poterat sapientius accommodatum. Constitutio illa est vulgò *Ad Sanctam*, vel ut alii legunt, *Ad Sacram Petri Sedem*, declarans, atque definiens,Propositiones quinque Jansenii, non solummodo secundùm se ; sed etiam prout ab eodem authore traditæ sunt, & in ejus libro *Augustinus* appellato, perspicuè continentur, damnatas fuisse ab Innocentio X., atque à se iterum condemnari.

Præ-

Præterea vocat *filios iniquitatis*, qui illud etiam antè Constitutionem suam inficiari præsumpserant. Idem perniciosissimum mendacium propagandæ novæ hæresi nimis opportunum, minimè sibi destituendum censuere callidi novitatis patroni: atque inter illos, nescio quo pacto, vel quâ imprudentiâ comparere non erubuerunt ipsi Parisienses Vicarii in Edicto anni 1661. 5. Junii; sed mox acri reprehensione, & mandato Alexandri VII. ad palinodiam compulsi sunt. Breve de hoc Apostolicum datum legitur eodem anno die 1. Augusti.

Neque sic tamen perfidiæ nuntium remisere Janseniani, adversus quam cùm remedium non occurreret promptius, Galliæ Antistites concepere formulam, quâ suis imponerent Ecclesiasticis profiteri, condemnatam meritò esse Constitutionibus Apostolicis Jansenianam in quinque Propositionibus doctrinam.

Quod saluberrimum Decretum, ut majoris apud omnes ponderis esset, neque futuris temporibus aliquorum contingeret Antistitum negligentiâ aboleri, petierunt illud à Sede Apostolica confirmari, vel si videretur, melius aliud substitui. Postulato Antistitum suas preces junxit Rex Christianissimus, atque ita impetrata est ab Alexandro VII. Constitutio *Regiminis Apostolici*, quâ omnibus in Gallia Ecclesiasticis rum Clericis, tum Religiosis Viris & Monialibus præcipitur juramentum, quo Jansenii sensus prout in famoso ejus volumine exprimitur, in quinque Propositionibus omni sinceritate condemnetur.

Juramento isto Pontificiâ, Regiâ, & Gallicanorum Præsulum authoritate stabilito, actum videbatur de nova hæresi in Galliis. Verùm Dei & humani generis inimicus Antistites quatuor ad rebellionem concitavit, additis Doctorum aliquot & Sacerdotum suppetiis, quorum pertinaciam cum neque ratio, neqe authoritas flecteret, frangere debuit castigatio; sed orto Pontificem inter & Galliæ Clerum de judicii formâ dissidio, judicium suspensum est.

Mortuo interim Alexandro VII. causam quidem contra refractarios prosequi voluit Clemens IX.; sed quoniam, ut aliàs monui, nulla memoratur hæresis, ne Ariana quidem, fraudibus instructa callidioribus, quàm Jansenistica, modum hæc commenta est, quo & Apostolicum Parisiis Nuncium falleret, & suos subduceret sectatores supplicio.

Persuasit scilicet Nuncio, eos Jansenianam hæresim jurejurando candidè detestatos, dum quod Alexandrinâ Formulâ, & subscriptionibus publicis professi fuerant, protestationibus clandestinis, seu *Processibus*, ut vocant, *verbalibus*, destruxerunt. Suppositam eorum conversionem Pontifici plures Antistites alii testati sunt, suis studiis procuratam: cumque refractarii ulteriorem, si quam Apostolica Sedes exigeret, obedientiam promitterent, istud saltèm velut aliquod conversionis initium laudavit Pontifex, & Mediatorum conatibus gratulatus est. Hinc à Novatoribus triumphatum, quasi professionem Alexandrinæ formulæ, explicationibus, ut dixi, clandestinis & subdolis enervatam, Sedes Apostolica approbasset.

Prætensa itaque ea Jansenistarum de Ecclesiæ simplicitate victoria, & jactata adeò *Pax Clementis IX.* gloriationem visa est firmare hæreticam, quasi pax nulla Ecclesiæ speranda sit, nisi relictâ Novatoribus plenissimâ disseminandæ hæreseos libertate. Quin magnam illi autumant præstare se Constitutionibus gratiam, quando eas solo aspernantur silentio, non contumeliis discerpunt, non proterunt calcibus; sed frivolis tantùm explicationibus detorquent in alienam, & suis minimè infestam erroribus significationem.

Ista Jansenistarum perfidia pluribus Catholicorum scriptionibus doctissimis accusata palàm fuit, & frequentissimè convicta. Sed ut novis hæreticis frons plus quàm meretricia est, & nescia erubescere, eadem illi semper oberrant orbitâ, fixumque habent à suis, quas pro Augustinianis & Evangelicis habent, opinionibus, ne latum quidèm unguem recedere; nisi dura forsitan à summis imposita Principibus necessitas compulerit: & tunc quidem simulatio potiùs obedientiæ, & vera hypocrisis ab iis expectanda est, quàm Christiana submissio.

Coercendi nihilominùs hæretici illi sunt, & legibus ad professionem fidei clarissimam obstringendi, si enim subdola magistros pertinacia egerit in reprobum sensum, quo crimina minimè vereantur perfidiæ atque perjurii, discipulis tamen non ausis tantum de suis suspicari Doctoribus flagitium, quàm maximè proderit Sacramento confirmata professio, cujus sentiunt se religione inviolabili obligatos, ut doctrinam Jansenii procùl abjiciant animo, quam perspicuâ adeò juramenti formulâ execrantur. Moniales quidem Portus-Regii & similes, quarum incautas mentes inveterata pessumdederat hæresis, edoctæ à suis Presbyteris pejerandi fallaciam, ab Ecclesia communionem Divini corporis, quo annos aliquot privatæ fuerant, dolo sacrilego suffuratæ sunt.

Attamèn non omnibus Jansenianæ addictis

ctis quomodolibet novitati, sopita adeò religio est, & obducta callo conscientia, ut tantum nefas pejerandi non horreant; ideò indubitatum est, Alexandrinam Formulam, quantumlibet violentis Jansenistarum contortionibus vexatam, salutiferum pluribus obicem fuisse, ne Jansenianis animum erroribus retinerent perpetuò implicatum.

Pacifica autem hoc præcipuè pacto nova secta est, ut sinatur palmites suos impunè quaquà versus extendere: Vetera facilè patietur anathemata, & silentio despiciet, ne palàm videatur *contra authoritatem se erigere, aut scindere unitatem*. At cavendum Ecclesiæ Rectoribus, ne iteratis crabrones istos Constitutionibus irritent, nisi velint acerbis furentium punctionibus lancinari.

Tunc enim hæreticis, abjectâ modestiæ larvâ, hypocrisis vertitur in rabiem, sive ut dicitur Psalmo 57.: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ obturantis aures suas*. Verùm tumultuentur illi, & insaniant quantum voluerint; non propterea desinent Præpositi contra eos *ascendere exadverso, & opponere murum pro Domo Israel*, haud dubiè quin ad se quoque pertineat illud Ezech. 2.: *Hæc dicit Dominus Deus.... Ne timeas eos, neque sermones eorum metuas; quoniam increduli & subversores sunt: cum Scorpionibus habitas: Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides*. Jerem.1. *Ego quippè dedi te hodiè in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum... & bellabunt adversum te, & non prævalebunt; quià Ego tecum sum, ait Dominus*.

Quamdiu hæreticis retinere sinum Ecclesiæ libuerit, ut eum certiore discerpant pernicie, non est dormiendum Præsulibus, sed vigili oculo omnis eorum molitio solicitè observanda est, neque malesanæ pacis studio, aut turbationis formidine indulgendum eis quidpiam, aut connivendum: non sunt prætereundæ silentio interpretationes subdolæ, quibus definitiones fidei convellere attentant; sed iteranda potiùs contra eos anathemata, & condemnationibus clarissimis destruenda novarum contra Bullas mendacia cavillationum.

Opportuno Divinæ providentiæ consilio persuasum istud fuit religiosissimis Belgii Austriaci Episcopis, duce Humberto Archipræsule Mechliniensi totius Belgii Primate. Ultimam hi Jansenianorum arcem statuerant sibi viribus omnibus expugnandam: quæ deducenda aliquantulum historia est, ut lector intelligat, quo sensu *pati* studeant Janseniani *anathema* contra hæresim, non humili *patiendo* obedientiâ; sed nequissimis vellicando fraudibus, & si Deus permitteret, elusionibus destruendo. Semper illis singulari curæ est sua, si ita dicere liceat, hæretica *veritas*, ne eam *prodere* videantur. Absit autem, inquit Quesnellus, ut illud sit *contra authoritatem se erigere, aut scindere unitatem*.

CAPUT XVII.

Necessitas propinquior Constitutionis Vineam Domini Sabaoth.

1 Remedium adversus invalescentem quotidiè novam hæresim promptius non invenere Belgii Antistites, quàm juramentum Formulæ Alexandri VII. adhibitâ curâ ne illud solitis Jansenistarum artibus in sensum extraneum detorquendo redderetur inutile; imò noxium, quando hæretici præstito subdolè juramento, crederentur omnem, quâ ante laboraverant, à se amovisse hæresis suspicionem.

Statuerunt itaque Episcopi à singulis Beneficiorum & Sacrorum Ordinum Candidatis juramentum exigere, non solùm verbis Formulæ; sed etiam sensu Alexandri VII. in ejus Constitutionibus, atque ipsâ Formulâ dilucidè expresso, juxta significationem propriam & obviam, excluso omni penitùs sive exceptionis, sive distinctionis effugio. Pupugit tanta accuratio novos Augustini discipulos, qui mox protestationibus oppositis, quas *supplicationum* vocabulo nominare placuit, hanc Episcoporum providentiam infringere conati sunt, misso etiam Romam Oratore, qui onus istud ab Episcopis impositum deprecaretur, utpotè teneris suorum conscientiis grave nimium & non tolerabile.

Undenam, inquies, tanta Novatoribus audacia fuit, ut istud tentare præsumerent apud Apostolicam Sedem? Similis hæreticorum veterum derivari in ipsos temeritas potuit: Ex Cypriano scilicet discimus epistola 55.: *Romam cum mendaciorum suorum mercibus navigaverunt, quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret .... Navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, & quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum*.

A fraudulentis istiusmodi refractariis tentata etiam temerè fuerat sapientia, fides, & constantia Hormisdæ Pontificis, ut testatur

tur ipse epistolâ ad Possessorem: *Per hunc ferè jugem annum quorumdam scytharum.... subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu, famulantia odiis suis venena pertulimus... Sed quando corda malè sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando aequiescunt paci, contentionum studiis assueti; sola certamina amantes de religione captare, & mandata negligere?*

Nunquam apud eos charitas novo commendata præcepto: nunquàm pax Dominico relicta decessu: una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non cedere: contemptores authoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum: Solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam; eò usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum, utriusque orbis putent inclinandum esse judicium: nec in numero Fidelium deputant sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ:

Docti crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, invidiam concitare, & pro obedientia... obstinationem pertinacis amare superbiæ.

Diceres in scythis illis hypocritis describi indolem & mores nostratium Jansenistarum, quorum solummodò in labiis, dolo ac mendacio plenis Religio est.

Ut autem certius aliquid respondeam interrogantibus, undè tanti animi novatoribus fuerint, ut auderent contra præscriptum ab ipsa Sede Apostolica juramentum, Romam mittere Oratorem, qui ejus conaretur vel abolitionem emungere, vel explicationem ineptissimam, quæ robur omne juramenti, utilitatemque destructet? Animos illos suis fecit Walonius epistolâ ex Urbe ad Arnaldum (sive ut aliàs vocat Factio, ad *Sanctam Familiam*) data anno 1691. die 1. Septembris. Sic nempè in ea Vualonius: *Si præsens Pontificatus* (Innocentii XII.) *quantumcumque quoad regimen & res dogmaticas miserabilis, perseveraverit, poterit in Congregatione S. Officii aliquid boni fieri contra Molinismum.*

Quid Molinismi nomine Janseniani intelligant, satis explotatum est, ferè scilicèt quod Papismi vocabulo ab aliis passim hæreticis appellatur. Emanavit autem à Sede Apostolicâ præter duo Brevia ad Belgii Episcopos, Decretum, quibus speraverat Pontifex, elidendas omnes Jansenistarum versutias, & pacem illis Ecclesiis restituendam.

Verùm secùs accidit. Licèt enim novi hæretici inflicta sibi vulneta sentirent & cladem certissimam, eam tamen presso animis dolore dissimulandam sibi callidè statuerant, & quasi partâ victoriâ plaudendum, additis utrique Brevi, & Decreto expositionibus, quæ fictitio triumpho mendacem materiam suppeditarent. Theologum me sibi & Consiliorum intimorum participem elegerat Antistes præcipuus in Belgio hæreseos Jansenianæ mastix; sed nescio cujus seu fraude, seu imprudentiâ obtrudi ille sibi passus fuerat Officialem, ti icatum quidem legalium peritum; sed Theologiæ ignorantissimum, qui Jansenianis partibus, ubicumque posset, impensissimè favens, apud me tamen, & maximè apud Præsulem cupiebat videri rei Catholicæ contra novos hæreticos studiosus defensor. Undè à Jansenistis *Fratris ambidextri* nomine insignitus legitur.

Huic persuasum à suis fuerat, nos causâ cecidisse apud Apostolicam Sedem: Indè venisse responsa, qualia adversarii expetivere, videlicet condemnata esse quinque famosa dogmata solùm *in sensu obvio, quem eorum verba per se exhibent*; non autem in sensu Jansenij; ideoque illum, non Jansenii sensum inposterum Alexandrinæ juramento Formulæ exectandum. Eâdem opinione volebat imbuere Antistitis nostri Vicarium, ut quoties exigenda sibi esset à Sacrorum Ordinum Candidatis jurata Formulæ subscriptio, non offenderetur, si quem forsiran declarantem audiret, se quinque Articulos rejicere in sensu obvio, à Jansenio autem præscindere, sive ut novi isti Theologi vocant, *definitis præstare fidem dogmatibus, factis reverentiam.*

Non consentiebat Vicarius, utpotè apprimè Catholicus & novitatibus infensus. Officialis verò confidebat adeò suorum de parta victoria assertioni, ut me non refugeret arbitrum.

Conveniunt itaque me pariter: Officialis Breve Apostolicum, quod pridiè allatum fuerat, & manè legeram apud ipsum Antistitem, in medium profert, doloremque simulat, quasi de pessumdata Alexandrini juramenti formulâ, imò & Constitutione tum *Regiminis Apostolici*, tum anteriore *Ad Sanctam*.

Ego, qui ingenium hominis noveram, & tam fictitium dolorem, quàm veram Pontificii sensûs ignorantiam, quid, inquiebam, in his literis Apostolicis est, quod molestiam afferre queat Theologis Orthodoxis, aut victoriæ speciem Jansenianis? Ille statim signabat digito verba, quibus juramenti modus exprimitur, *sincerè*, scilicèt, *damnandas eas Propositiones, ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba*

verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt à Christi fidelibus.

Videsne, ajebat, damnandas tantùm esse Propositiones *in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba præseferunt,* non autem in sensu Jansenii? Video, reponebam, verba, quæ indicas; sed cur ea à præcedentibus & consequentibus, quæ jam legimus, divellis? Quæ Christi Vicarius in suo Brevi minimè prolixo, tantâ sapientiâ voluit conjungi, non patitur veritatis amor & debita Pontifici reverentia nos separare, præsertim quæ ejusdem periodi sunt, non frustranea, non superflua; sed partem constituentia maximè convenientem, imò necessariam determinandæ significationi & elidendis Jansenizantium cavillis?

Reddamus itaque integram, & attentiùs contemplemur constructionem, quam in ipso legimus Brevi.

Jubemur à Pontifice non solùm *damnare eas Propositiones in sensu obvio*, sed *damnare ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio*. Non debemus caudam jungere capiti, pectore prætermisso. Voluit nempè Apostolica Sedes ab Episcopis pariter & eorum adversariis, quibusdam Presbyteris, interpellata, finem imponere contentionibus, declarando, quomodo jurare oporteat eos à quibus Alexandrinæ contra Jansenium Formulæ subscribendum est.

Duo autem declarat Pontifex fatalia novitati: Primum damnandas esse eas Propositiones, non fictitias, quas neque Jansenius, neque alius defenderit in Ecclesia Theologus, sed reverà Jansenianas, utpotè fideliter ex libro Jansenii excerptas. Alterum est excerptionem illam, & condemnationem non posse intelligi juxtà sensum aliquem alienum, & exoticum; sed proprium *& obvium, quem ipsamet Propositionum verba præseferunt*, quæ periodi pars, est censuræ veteris distincta magis & clarior expositio Jansenianis infestissima; illorum enim apud Innocentium X. Oratores, in Libello supplice trium columnarum declaraverant, solum secundæ columnæ sensum esse nativum, & legitimum, seu proprium verborum, atque hunc à se unicum defendi: primæ verò columnæ sensum esse hæreticum, Lutheranum atque Calvinisticum, qui à Propositionibus *alienus* est, eisque nonnisi *malignè affingi potest*, qui proindè non magis Propositionibus attribui potest, quàm sensus hæreticus Sacris Literis, quibus istiusmodi sensus à Novatoribus heterodoxis *malignè affingitur.*

Minùs etiam ad Propositiones pertinet columna tertia, utpotè sensum continens, ut rectè Oratores monuere, *Propositionibus contrarium*. Undè liquet fallacem esse Libelli supplicis epigraphen, cùm dicitur *Brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctio*; quandoquidem ex ipsis convincitur opusculi verbis, sensum Propositionum nonnisi unicum esse.

Quis, inquies, fallaciæ illius fructus sperari à suis authoribus potuit?

Fructus eludendis Apostolicę Sedis contra Propositiones definitionibus maximè accommodatus. Quid enim in Jansenistarum vindiciis occurrit frequentiùs, quàm Propositiones esse ambiguas, æquivocas, atque ita studiosè ab excerptoribus & denunciatoribus concinnatas, ut cùm significationis essent non unius, veramque & Augustinianam æquè caperent, ac perversam, dum Constitutio Pontificia sensus varios non distingueret, pro libitu posset à Propositionum aduersariis in sensum Augustinianum & catholicum condemnatio detorqueri.

Istud Jansenistarum mendacium, ipsorum famosissimo *Libello supplice*, ad quem identidem ab illis remittimur, jam convici.

Quapropter in Literis Apostolicis Innocentii XII. ad Belgii Episcopos, cum declaratur subscribentibus Formulæ Alexandrinæ, *condemnandas* esse *Propositiones ex Libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba præseferunt*, evidens est, damnationem à Pontifice non restringi ad sensum Lutheri atque Calvini, qui in Libelli supplicis columnâ primâ exprimitur, diciturque adeò non esse proprius, sive obvius Propositionum, ut nonnisi *malignè eis affingi possit*: proindè non minùs perspicuum est, Innocentii XII. memoraram Breve jurantibus præscribere Janseniani sensûs in quinque Propositionibus detestationem: is enim fatentibus, imò protestantibus, ut jam vidimus Jansenistarum legatis, solus Propositionum sensus germanus & legitimus, seu proprius & naturalis est.

Nimium istud erat ad dejiciendum Officialem, qui Theologiæ, potissimum polemicæ ignorantissimus, voluntate magis favebat Novatoribus, quàm intellectu. Plura in eo postmodùm detegens Antistes, quæ munere & suo contubernio indignum redderent, privandum censuit utroque. Sic ille dimissus acri correptione continuit se quamdiù superfuit Antistes, à quo pœnam sibi metueret graviorem; at illo defuncto, quasi solutus omni formidine, aliquando Jansenistæ rabidi, aut minimè sobrii, publicam sibi

sponte,

fponte, & actu maximè folemni, accerfivit infamiam.

Denique ut *Fratrem* hunc aliàs *ambidextrum*, poftea nimis publicè finiftrum, Divino, ad quod evocatus eft, judicio relinquamus, ipfa pars pofterior Brevis Apoftolici confutandis Novatoribus fufficit.

Quod enim ibi fequitur, *prout fenfum illum damnarunt Summi Pontifices Prædeceffores noftri, damnatumque haberi voluerunt à Chriftifidelibus*, fatis indicat jurantes Formulâ Alexandrinâ rejicere à fe debere fenfum Janfenii in quinque traditum damnatumque Propofitionibus.

Verba enim Alexandri VII. in Conftitutionibus *Ad Sanctam*, & *Regiminis Apoftolici* magis dilucida funt, quàm ut ullis valeant Janfeniftarum interpretationibus, nimium frivolis, obfcurari. Quid nempè clarius quàm quod prior Alexandri Conftitutio vocet *Filios iniquitatis eos, qui quinque Propofitiones vel in Libro Janfenii non reperiri, vel non in fenfu ab eodem intento damnatas fuiffe, afferere non reformidant*: & mox: *Quinque illas Propofitiones ex Libro Janfenii excerptas, ac in fenfu ab eodem Janfenio intento damnatas fuiffe definimus & declaramus, & uti tales, in ftâ fcilicet eâdem fingulis notâ .... iterum damnamus*.

Secuta dein Alexandrina altera præfcribit juramenti formulam à fingulis Galliarum Ecclefiafticis, etiam Monialibus præftandi, juxta quam jurans quilibet teftatur, fe *quinque Propofitiones ex Janfenii libro, cui nomen AUGUSTINUS excerptas, & in fenfu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Conftitutiones Sedes Apoftolica damnavit, fincero animo rejicere ac damnare*.

Aute Breve Innocentii XII. ad Belgii Epifcopos datum anno 1694. die 6. Februarii prodierat Decretum die 28. Januarii ejufdem anni, in quo " Sanctiffimus Dominus Nofter
„ Innocentius XII. auditis votis Cardinalium
„ ad præcavendas omnes diffidiorum caufas,
„ quæ Chriftianam pacem dilacerant, tàm
„ verbis, quàm fcriptis fuper interpretatio-
„ ne, feu declaratione Formularii Alexandri
„ Septimi, in condemnationem quinque
„ Propofitionum, ex libro Cornelii Janfe-
„ nii, cui titulus *Auguftinus*, excerptarum
„ & condemnatarum, quofcumque alios
„ fenfus Formularii, præter eum, quem in
„ fenfu obvio ipfius verba per fe exhibent,
„ afferri, ufurpari, aut de his difputari in-
„ terdixit, & prohibuit, ac fuper ejufdem
„ Formularii interpretatione, ficut & præ-
„ dictarum Propofitionum in alios fenfus,
„ præter eum, quem ipfa verba per fe exhi-
„ bent, omnibus & fingulis.... perpetuum fi-
„ lentium impofuit „.

Formularium autem juxta verba fua & fenfum obvium clarifsimè condemnat Propofitiones, non folummodò fecundùm fe; fed etiam ut excerptas ex Libro Janfenii, quâ ratione jurans quilibet, indubiè rejicit & Propofitiones quinque, & in iis Janfenii fenfum.

Oppofitum quidem Joannes Libertus Hennebel Lovanienfis Doctor ab Epifcoporum adverfariis & Quefnello adhærentibus Romam miffus, ad fubruendum, fi poffet, Alexandrinæ Formulæ juramentum, aufus eft ex Urbe fcribere ad Archiepifcopum Mechlinienfem, quafi à jurantibus non requireretur ampliùs condemnatio fenfûs Janfenii in quinque Propofitionibus expreffi; fed fenfus obvii folummodò Propofitionum, præfcindendo à fenfu authoris.

Archiepifcopo mirabilis accidit iftiufmodi explicatio Pontificii tum Brevis, tùm Decreti, utrumque manifeftè deftruens, nec illud folum, fed Formularium quoque, atque ipfas Conftitutiones tum Alexandri VII. *Ad Sanctam*, & *Regiminis Apoftolici*, tùm etiam Innocentii X. quibus fi damnata non fuerit doctrina Janfenii; fed fenfus folùm imaginarius, & quem fibi novator omnis pro libitu fingere poterit *obvium*, quid Ecclefia tanto tempore, tot ftudiis, tot Conftitutionibus profecit, vifa fibi novam hærefim impugnare; cùm non nifi umbram inanem, & fuâ fomniante phantafiâ fabricatum hærefios impeteret fimulacrum? Archiepifcopus minimè difsimulandum fibi duxit mendacium adeò perniciofum; non enim dubitare poterat, quin ea epiftola ftudiosè compofita effet ad totius novæ fectæ eruditionem, & proindè fæpiùs defcripta, ad Quefnellum etiam, atque Lovanienfes affeclas tranfmitteretur. Quarè Catholicæ Religionis in Belgio confervandæ ftudiofifsimus Antiftes, de epiftola tam perniciofa Sedem Apoftolicam mox certiorem reddidit.

Refponfum autem accepit, quòd fequitur: " Acta Romæ die 14. Septembris 1694.
„ à Joanne Liberto Hennebel Sacræ Theo-
„ logiæ Doctore Lovanienfi, coram Sacra
„ Congregatione S. Officii, prout habentur
„ in ejus Regeftis. Declaratio Joannis Li-
„ berti Hennebel circa epiftolam quandam
„ ad Reverendifsimum D. Archiepifcopum
„ Mechlinienfem fcriptam, exhibitam Sacræ
„ Congregationi S. Officii die 14. Sep-
„ tembris 1694.

„ Ego infrafcriptus, ex parte Sac. Con-
„ gregationis S. Officii paternè commonitus,
„ epiftolam, quam 27. menfis Februarii
„ proxi-

„ proximè elapsi ad Reverendissimum D. Archiepiscopum Mechliniensem scripsi, eidem „ Sac. Congregationi multum displicuisse, „ utpotè quam Eminentissimi Patres Decreto Apostolico die sexta ejusdem mensis „ emanato contrariam esse judicaverunt, declaro per præsentes, quod huic Sac. Congregationis de epistola mea judicio, per „ omnia me submitto, improbans quidquid „ Eminentissimi Patres in præfata epistola „ mea improbandum censuerunt.

„ Epistolam verò ipsam me scripsisse plurimum doleo; neque me inposterum simile quid facturum; sed Decretum Apostolicum, præscriptumque in eo silentium „ inviolabiliter observaturum promitto, hoc „ unum in præsentiarum Eminentissimos Dominos rogans humillimè, ut mihi culpam „ ingenuè agnoscenti, ac emendare spondenti pro sua benignitate, ac paterna pietate ignoscere, ac veniam dare dignentur. „ Romæ die 14. Septembris 1694. & signatum erat *Joannes Libertus Hennebel* „.

Nihilominus Quesnelli nobis impudentia perrexit occinere, quod juxta mentem Innocentii XII. literis Apostolicis indicatam, nullo modo necesse sit, à subscribentibus Alexandrinæ Formulæ, sensum Jansenii in quinque Propositionibus condemnare; quod si antea judicatum fuerit necessarium, ab Innocentio XII. fuisse correctum, sive expositione mitiore, accommodatum Jansenianæ meliùs veritati.

Quapropter visum est Belgii Episcopis ipsique Innocentio Pontifici scandalosam adeò & noxiam interpretationem de aperto palàm redarguere mendacio. De eo igitur conquerentibus graviter Episcopis, Sanctissimus respondere dignatus est Brevi altero his verbis: " Non sine admiratione intelleximus, nonnullos in istis Diæcesibus reperiri, qui verbis, aut calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam „ seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. decimâ sextâ Octobris 1656. „ editam, necnon Formularium ab ipsomet „ pronuntiatum; cùm dicto Brevi utrumque „ specificè confirmetur, & omnimodè intenderimus, & intendamus, iisdem adhærere, & nequaquam finere, ut aliquid addatur vel dematur à prædicto Formulario, „ illud quovis modo alterando in aliqua ejus „ minimâ parte; sed quod in omnibus & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, „ mandamus etiam ad amussim observari.

Datum Breve istud fuit die 24. Novembris 1696. Verùm Quesnellus, Constitutiones Apostolicas, etiam maximè solemnes contemnere solitus, aut interpretationibus frivolis contemptui æquivalentibus, eludere, eodem etiam inposterum prosecutus tramite, seu artificio est, ut tum Brevia, tum Decretum, non solummodo ad eliminandam Jansenii hæresim inutilia redderet; sed ad eam potiùs stabiliendam fictione iniquissimâ aptaret.

Huc duo direxit opuscula ipsis titulis mandacissima: *Defensio duorum Brevium Innocentii XII.* Et *Defensio Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum contra Leydecker*. Appellari primum debuit *subversio duorum Brevium*; alterum *Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum impugnatio*. Verùm Jansenianis istiusmodi ludificationibus circumveniri se minimè passa Apostolica Sedes, haud defensionibus sibi talibus opus esse, utriusque operis damnatione monstravit.

Ipse Walonius, licèt Jansenianorum Agens generalis, & Quesnello addictissimus; sed ipso candidior, dum socii ad fallendos simplices, & plures suis partibus adjungendos, publicè victoriam simularent, se suosque in illo Decreto & Brevibus causâ cecidisse, dolore non mediocri confessus est, familiaribus scribens. In primis Antonio Arnaldo die 6. Februarii 1694.

Non parum affligimur Decreto nuperrimè hic promulgato. Commiserationem movet tota ea agendi ratio Inquisitionis & Romanæ Curiæ: iterum die 13. ejusdem mensis: *Brevia circa Formulam Alexandrinam, non meliora sunt Decreto. Quod in illis omnibus malum occurrit, est introductio illius Formulæ in Belgium, præcipiendo ut ei sine exceptione, sine expositione subscribatur in sensu obvio, quem ipsius verba exhibent*. Rursus die 21. *Videritis modò Decretum typis editum, & forsitan duo Brevia: Quò plus ea relego, eò displicent magis, præcipuè circa juramenti Formulam. Turpis etiam error est in Brevi ad* (Lovaniensem) *Academiam, applicatio capitulorum Cælestini Pontificis ad præsentem materiam*.

Ad Ernestum quoque, novi Ordinis, ut in Cifra legitur, *Patrem Subpriorem* die 27. ejusdem mensis Februarii: *Ex duabus posterioribus literis Opstraetii facilè colligo, Lovanienses & eorum amicos non exiguâ laboraturos difficultate in subsignatione Formulæ, si ab eis juxta præscriptam in Brevibus regulam exigatur*.

Ad eundem die 20. Martii ejusdem anni 1694. *Expectabimus quid in Comitiis* (nostrorum) *Bruxellensibus, quæ post Brevium adventum celebrari debuerant, conclusum fuerit*.

Non

Non dubito quin Archiepiscopus Mechliniensis, & Sylveducensis Vicarius Apostolicus cùm sibi adhærentibus triumphaturi sint propter impositam illic puram & simplicem Alexandrinæ Formulæ subscriptionem.

Eodem die scribebat Walonius ad Arnaldum: *Nequaquam miror vestram ex Decreto perturbationem propter stabilitam illic subscriptionem Formulæ in sensu obvio. Adhuc pejus erit cùm Brevia videritis.*

Nihilominus more plurium hæreticorum, dum cladis suæ conscii ringebantur animis, in publico tamen statuerunt sibi quasi de parta victoria gloriandum; ne à suorum plurimis fortè minùs contumacibus desererentur.

Fraudulentorum istiusmodi hæreticorum exempla varia exhibet Possidius in vita S. Augustini cap. 17. Baronius quoque ad annum Christi 313. n.39. de Donatistis simili dolo utentibus, *Mira res* (inquit) *cum enim ipsum Melchiadis & Coepiscoporum judicium de condemnatione Donati, & Cæciliani absolutione sic fuerit toto orbe vulgatum Christiano ... tamen eò impudentiæ atque pervicaciæ pervenerunt Donatistæ, ut petulanter jactarent, causam tunc adjudicatam fuisse Donato.*

Non dissimilis hac occasione, ut jam monui, fuit Quesnellistarum in Belgio confidentia, in quam Illustrissimus D. Henricus Josephus Van Susteren tunc Mechliniensis Archiepiscopi Vicarius Generalis, nunc Brugensium Episcopus, in Causa Quesnelliana sub finem Articuli 7. sapientissimè sic animadvertit: *Quid miri? Cretenses semper mendaces. Janseniani restrictiones quidem aversantur (& meritò si purè mentales fuerint) verùm aperta mendacia non abhorrent, excolantes culicem, Camelum autem glutientes.*

Denique Quesnellum *erigere se contra authoritatem*, etiam Innocentii XII. cujus dolosissimè se fingit vindicem, patet ex eo quod Pontifex tum in Decreto, tum in Brevibus constituat jurandum esse juxta Formulam Alexandri integram, secundùm omnes & singulas partes, sine ulla exceptione aut explicatione, neque Formulam vel in minima parte alterando; sed intelligendam illam in sensu obvio, quem verba Formulæ per se exhibent. Totum autem istud Quesnellus apertè transgreditur, quando in Reflexionibus, quas Causa Quesnelliana refert Art. 7. Formulam Alexandri VII. sæpiùs ab Innocentio XII. quoad omnia & singula approbatam sic audet corrumpere, ut ubi Formula exprimit damnari quinque Propositiones *in sensu ab authore intento*, ejus loco supponat *in sensu obvio*. Ipse Walonius die 10. Aprilis 1694. ad *Sanctam familiam* scribens, Arnaldo minimè dissimulat, evidens esse, Alexandri Formulam & juramentum Quesnellianis explicationibus immutari: *Ea* (inquit) *interpretatio est reipsâ quædam species retractationis Formulæ, sicut distinctio DOGMATIBVS FIDEM, FACTO REVERENTIAM, quædam erat illius correctio; quia semper erit verissimum, quod sensus obvius, & quem verba Formularii præferunt, contineat in se fidem circa factum.*

Idem literis ad Quesnellum, aliàs *Sanctæ familiæ Patrem Priorem* datis die 3. ejusdem mensis, quibus ejus allegatio, atque defensio refutatur, sic urget: *Quod in prioribus tuis ajebas, eos, qui recusabant antea subscribere purè & simpliciter, interpretatos quidem rectè sensum subscriptionis; sed non Formulæ, quæ, inquis, perspicua est, neque expositione indiget; istud, ajo ego, minimè solvit quod objeceram. Cum enim verba Formulæ, ut agnoscis ipse, clara sint, & omnis expertia ambiguitatis, quomodo distinctionem vis intelligi in ipsius Formulæ subscriptione?*

Talis præsidio distinctionis subscibere licuisset Formulæ Sirmiensi, Ariminensi &c. dicendo, aliter à nobis formulam & distinctionem intelligi, quàm ab Arianis.

Quis igitur modus, professionis aliquid feriæ ab hodiernis Novatoribus impetrandi? Sic facilè assequimur, quid Quesnello sit *pati in pace excommunicationem & anathema injustum*. Contemnere illud scilicet, & ne contumacia appareat, ac contra Ecclesiam rebellio, subscribere cuicumque formulæ; sed ita ut reservetur animo, & intelligatur à subscribentibus sensus longè alius, quàm in præscripta professionis formula juxtà significationem obviam exprimatur. Sic *veritas* Jansenii supposita non *proditur*: nihil patitur detrimenti.

Sed num ea *Sancti Pauli imitatio* est? Nihil fuit hoc Apostolo, & cæteris Christi discipulis in omni sua prædicatione & doctrina candidius. Ratio longè alia & opposita traditur à Quesnello, velut necessaria conservandæ in Ecclesia *paci*, suisque *pacificæ* in officio & beneficio quolibet possessioni; atque istud iterùm, Jansenistarum judicio nequaquam est *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Contra istiusmodi fallaciam quis tandem modus, quod remedium? Postulari videbatur potentius, quàm decrepitæ Innocentii XII. tunc senectuti congrueret: Pontifici illud vegetiori Divina providentia reservavit, Clementi scilicet XI. quem illi dedit ineunte præsenti seculo successorem.

Sed

Sed & dignissimus iste Christi Vicarius, licèt maximis naturæ & gratiæ dotibus, nominatim Jansenismi notitiâ, & omnium vigentium tunc controversiarum instructissimus, tamen ut indoles ejus respondebat nomini, longanimis in primis erat, atque ad increpationes graves & publicas, non nisi necessitate admodum urgente poterat adduci. Urgentissima autem fuit, fraus inexpectata, & quâ à Diabolo suggeri Novatoribus non poterat nequior, aut magis exitialis. Exhibebitur illa capite sequenti.

CAPUT XVIII.

Constitutionis Vineam Domini Sabaoth *necessitas proxima ex resolutione potissimùm famosi* Casûs Conscientiæ.

1 Quantumlibet conspicua sit promissio Servatoris, portas inferi adversus Ecclesiam non prævalituras; nulla tamen futilibus adeò fundamentis nixa hæresis est, quæ eandem se posse destruere, suoque cœtui malesano applicare Christi sententiam non præsumat. Vix autem alia hæresis in ea superat temeritate Jansenianam, cujus perniciosis artibus detegendis pars operis mei non exigua occupatur: & quoniam velut inter catenæ annulos, continua quædam in hac hæresi series, & connexio fallaciarum est, juverit præcipuas brevissimo hìc repetere compendio, undè & Jansenianæ *conscientiæ* in famosi *Casus* argutiis contenta nequitia faciliùs deprehendatur, & saluberrimæ Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth* ampliùs pateat urgentissima necessitas.

Jansenius Michaelis Baii, Usserii Calvinistæ, ipsiusque Calvini veluti edoctus artificia, totus *Augustinus* videri cupit, neque tam suis, quàm Sancti illius vocibus omnia enuntiare. Ex hujus itaque Doctoris maximi confutis perfidè textibus hæreticum plerumque composuit centonem, cui inscribi voluit magnificam epigraphen *Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus*. Sic etiam Calvinus lib. 5. in Pighium ait *Doctrinæ meæ nullum caput est, quod non propè ad verbum sæpius apud Augustinum occurrat*.

Similes Augustini fuerant discipuli Lutherus & Wickleffus, & quis ferè non horum temporum hæreticus? Augustini scilicet crebrò vocibus loquuntur; sed in alia prorsus antecedentium & consequentium circumstantiâ adhibitis. Tali autem scribendi & decipiendi methodo, nulla introducendis quibuslibet novitatibus, nulla etiam malevolis vel incautis discipulis, in errore & pertinacia obfirmandis magis idonea est.

Mox enim oggeritur tam multiplex, tam illustris à Patribus, Conciliis ipsisque Pontificibus præstita Augustini voluminibus approbatio: undè promptum cuivis novitatum artifici est concludere: Quid igitur, num Sacratissima totius Traditionis authoritas dejici valeat, aut luxari recentium Constitutionibus Pontificum, eisque temerè adhærentium aliquot opinionibus scholasticorum? Hac ratione destruere se Janseniani autumant, quidquid definitionum contra Baji Articulos à Pio V. & Gregorio XIII. editum est, quidquid contra eosdem & Jansenii errores hæreticos ab Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Clemente XI. postea declaratum.

Nam contra priores tres Pontifices gravi censurâ intonuit Arnaldus Apologiæ primæ pro Jansenio Præfatione dicens: *Non potest sine excæcatione voluntariâ & pertinaciâ portentosâ negari, Propositiones Baji, quæ repeiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia doctrinæ S. Augustini*.

Frustrà reclamat Eminentissimus Noailles Archiepiscopus Parisiensis epistolâ ad Clementem XI. Pontificem data anno 1711. *Certum illi* (Clero Galliæ in Comitiis Generalibus anni 1705.) *fuit Pontificiis Decretis adversus Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem & de Apostolicis adversus Bajum ... Definitionibus professurum esse Clerum existimo, si de illis actum fuisset*.

Mortuo Urbano, cùm nihilominùs Jansenii librum, tanquam in nullo apice à probatissimis Augustini dogmatibus recedentem refractarii defenderent, Innocentius X. Urbano succedens, Propositiones quinque, famosi voluminis compendium, à Galliæ Episcopis denuntiatas, expleto accuratissimo examine, tanquam hæreticas condemnavit.

Nihil artium prætermiserant Janseniani, quo anathematis ictum à charis sibi dogmatibus averterent; inter cætera commenti significationes, sive *sensus Propositionum varios*: sperabant scilicèt forè ut Pontifex, varietate sensuum territus, à condemnatione Propositiones absolutas dimitteret, aut suspenderet sententiam.

Fraudem ridiculam contempsit Pontifex, & conceptum maturo consilio judicium, Orbi Catholico manifestavit. *Ridiculam fraudem voco*; quia suis ipsa verbis convincitur, dum pro ostendendis *variis Propositionum sensibus*, tres solummodò allegat, quorum primum

mum ait ad Propositiones minimè pertinere; sed eis nonnisi *malignè affingi posse*; tertium adeò Propositionibus non posse tribui, ut sit iis directissimè *contrarius*. In utroque Janseniani Oratores facilè habuerint Sedem Apostolicam & cæteros passim Catholicos consentientes.

Sed utroque supposito, & sponte concesso, nihil indè confici potuit, quod Innocentium X. moraretur à ferenda in Propositiones sententia, cùm, fatentibus Jansenistis, unicus esset singulis sensus, de quo contendentes utrimque Theologi definitionem expectarent Apostolicam.

Hanc tulit & clarissimè enuntiavit Innocentius. Janseniani autem, quibus fixa animo erat pertinacia, statutumque Catholicæ nunquam acquiescere veritati, Constitutionem Apostolicam non aliâ voluerunt lege suscipere, quàm ut proscriberet sensum solummodò è tribus in libello suo supplice commemoratis ordine primum, eumque, ut declaraverant, non nisi malignè Propositionibus aut Janseniano volumini affingendum.

Quæ si subsisteret cavillatio, nihil res catholica quinque Innocentii definitionibus profecisset, sed doctrina omnis, de qua vehemens adeò inter Theologos contentio fuit, maneret penitùs indefinita, atque universa Jansenii doctrina circa quinque Propositionum materiam ab anathemate immuuis. Destruere tam noxiam & mendacissimam definitionis suæ interpretationem aggressus quidem est Innocentius, Apostolico Brevi ad Galliæ Episcopos dato die 20. Septembris anno 1654. Verùm non diù postea superstes finem consequi non potuit.

Eundem ardentissimè requirentibus iterùm Christianissimi Regni Præsulibus, Alexander VII. solemni Constitutione, eâque geminâ prosecutus est, rescindens, atque perstringens acriter quidquid pro retinendo Jansenii sensu novatores hactenùs procuderant.

At Dæmonis ingenium tot instructum fraudibus quis exhauriat? Novam is suggessit fallaciam, qua nulla videbatur speciosior posse adornari. Professio ea fuit fidei, nullam continens hæresim, imò pluribus Catholicis Jansenianam visa rejicere.

Quemadmodùm nempè Jansenius ipse ad illudendum adversariis, utitur quandoque locutionibus catholicis, & suo systemati in speciem oppositis, non difficile ejus sectatoribus fuit, dicta ex eo quædam colligere à Catholicis dogmatibus verbotenùs non abhorrentia, atque his positis protestari, nullam sibi aliam de prædestinatione, libertate, gratiâ doctrinam esse, ut olim Pelagius formulam concepit vocibus contextam Catholicis, quamque Orthodoxus quilibet, ignorans esse obstinatissimi hæresiarchæ, amplecti sine scrupulo potuisset, sicut à pluribus Hieronymo attributa est.

Hac arte circumveniendum Janseniani speravere Pontificem, ut professionis authores eum sociis crederet non solùm esse Catholicos; sed etiam à juramento Alexandrinæ Formulæ eximendos. Professioni addidere literas ad Pontificem officiosissimas, quibus eum de sincera sua ac plenâ scribentium obedientiâ securum redderent, paratos etiam se mentirentur ad præstandum sine mora, si quod ulterioris speciminis Sanctissimus desideraret. Confirmavere idem plurium testimonia Episcoporum: quanquam nec inter Galliæ Antistites defuit, qui Patres Eminentissimos, & per hos Pontificem moneret de fallacia.

Non importuna monitio fuit, etsi Alexandro VII. haud necessaria, utpotè cui sua satis prudentia dictabat, Jansenistarum ingenio nihil esse magis subdolum, nihil in retinendo Jansenii sensu magis obstinatum. De professione fidei studiosè silens, aliquod eis gratulari voluit initium conversionis *ad saniorem doctrinam*, quàm fuerat ab eis hactenus contra definitiones Apostolicas pertinaciter propugnata.

Pupugit homines perfidos Pontificia suppositio de *conversione ad saniorem doctrinam*, undè quilibet argueret eos sensisse eos antea minùs sanè, quod de suis asseri Janseniana vix patitur demissio magis, quàm humilem criminis confessionem superbia Diaboli. Hinc secuta Quesnelli & sociorum edita typis Protestatio, se nullum penitùs doctrinæ articulum mutasse, adeò inconcussa apud eos manet totius Janseniani systematis defensio.

Quoniam autem, si quæ ulterior obedientiæ probatio Pontifici videretur necessaria, ad eam quoque se prompti obtulerant, perstititPontifex in exigendo juxta suam Formulam juramento, quod maximè declinare professione fidei ambiguâ, & fictâ optaverant submissione. Ipsi verò postulatum ubi non minore, quàm antè pertinaciâ recusarent, execrabilem prodidere hypocrisin, atque ità confracta obtritaque fraudis machina est.

Mortuo Alexandro, cùm Rospigliosius ad Thronum Apostolicum evectus, assumpto nomine Clementis IX. vestigiis sui Decessoris insisteret, novæ sectæ in Gallijs reliquias extirpare penitùs desiderans, impositam Ecle-

clesiasticis omnibus legem de præstando juxta formulam juramento, jussit quàm accuratissimè observari.

Zelo Pontificis obsecuti alacriter Rex Christianissimus, & Catholici Antistites non pepercere debitis rebellioni suppliciis: Censuras strinxere Episcopi; Rex addidit indignationem & exilia.

Hac ratione perierat in Galliis Janseniana hæresis, nisi ei Diabolus de nova fallacia providisset. Ea fuit juramenti perfidia & similis subscriptio: jurare scilicèt docuit exteriùs simpliciter, atque ita subscribere Formulæ, ut tamen contraria mentis intentio sensum juramenti & subscriptionis limitet, adeò ut universa Jansenii ejusque voluminis doctrina, quibuscumque expressa propositionibus, incolumis maneat, & detestatione interiore minimè comprehendatur.

Interim autem dùm istiusmodi jurandi ratio ab Ecclesiæ Rectoribus, quibus jurantes videri volunt Catholici, sincera creditur, ne talis forsitan suæ quoque hæresios Sectatoribus videatur, suam eis perfidiam pandunt in secretis suorum conventibus, & *discursibus*, ut vocant *verbalibus*. Successit illis aliquamdiù tàm callidis instructa fraudibus perfidia, ut etiam Pontificium Parisiis Nuntium deceperit, quod ipse testatus sæpiùs & execratus est.

Hoc modo novi hæretici, ab Ecclesia priùs excommunicati, à Rege mulctati exilio, communionem ab Ecclesia furati sunt, & à Principe reconciliationem. Ea est magnificè adeò à Jansenistis jactari solita *Pax Clementis IX.* Verùm ut fraus detecta, facilè eliditur, majorem ea postmodùm cognita, suis authoribus consciuit Sedis Apostolicæ, & Catholicorum omnium indignationem.

Intereà tamen, ut dixi, tempore aliquanto uequitia de Præfectorum Ecclesiæ providentiâ impunè triumphos agere visa fuit, donec suis prodita sacrilegiis, fortiore expugnata brachio est, & catholicorum omnium detestationibus devota inferis, undè emerserat.

Non diù tenuit Clementis IX. Pontificatus, uti neque sequentis proximè Clementis X. Sub hoc Pontifice cæpit clàm serpere hæresis Quietistarum; magis tamen sedente Innocentio XI. atque ad ea tandem se extendere crimina, quæ aures castæ fugiunt vel audire; utilitati tamen fuere maximæ ad sectæ nefariæ destructionem.

Quietistica & Janseniana impietas propter aliquam principiorum similitudinem, videbatur in unam posse coalescere Ecclesiam, quæ accrescente in dies Sectatorum, etiam nobilium & potentium multitudine, terrorem incuteret Vaticano, nisi tempestivo ejus icta fulmine nova hæresis præfocaretur. Quod ab ipso opportunè præstitum Innocentio, à quo illa sibi patrocinium stultissimè pollicebatur, aut indulgentiam. Saluberrima hæc in Quietistas animadversio afflixit graviter Jansenianos, quibus tanta fœderatorum infamia, non poterat non maculæ quidpiam aspergere, & suspicionis minimè decoræ. Horum consternatio ingens ex ipsis innotuit Walonii epistolis.

De Alexandro VIII. suis partibus adjungendo spem sibi non dubiam conceperant Janseniani; Fiduciam suam & gaudium de ejus ad Pontificatûs apicem elevatione, testati mox fuere communibus ex Hollandia ad Sanctissimum literis, cum singulorum subscriptione nominum. His blanditiis sibi devinciendum maximè novum Pontificem arbitrati sunt; sed Novatorum adulationibus non capitur Apostolica Sedes; minimè etiam circumveniri potuit Sapientissimi Pontificis providentia singularis & religio. Quapropter brevi *versa est* Jansenistarum *cythara in luctum* ut lamentabatur Malpaix epistolâ anni 1691. 2. Februarii.

Ibid. *Qualis* (inquit) *catastrophe! Quando nobis hic abblandiebamur quasi Roma faveret inposterum veritati & justitiæ, fulmen è Vaticano prosiliit, cujus tonitru ad nostras usque terras personuit, nobisque minabatur interitum, nisi Alpinis allisum montibus feliciter evanuisset.*

Fulmen illud fuit Alexandri VIII. anathema in Propositiones triginta & unam. Quare & excommunicari post obitum Pontifex à Walonio ejusque Sociis meruit, ut ipsius Walonii proditur ad Quesnellum literis datis 17. Martii 1691. Sub eodem Pontifice, obsoletam, & sicut in primi Tomi Prolegomenis ostensum est, subdolam fidei suæ professionem Quesnellus iterùm protrusit, successu non meliore.

Sperabat scilicèt, ambiguarum aliquot obscuritate vocum, enuntiationes alias horridas, & impietate, atque hæresi infames, quas pluribus solitus erat infarcire tractatibus, nequiter occultare aut lenire, ipse in primis haberi Theologiæ dogmaticæ simul & asceticæ Doctor, quem inoffenso pede adire & sequi quocumque duxerit, securissimè liceret; sed non defuere, qui professionis minimè sufficientis, & ex authorum circumstantiâ suspectæ, fallaciam aperuere.

Spe itaque rursùs inanissimâ delusi Novatores, & diplomate afflicti non uno, solatium hausere præcipuum ex illius obitu Pontificis,

rificis, quem cassibus suis facilè irretiendum esse, opinionibus hæreticis & affectibus obsecuturum, dementissimè sibi suisque persuaserant.

Finito Pontificatu, qui Catholicis brevis nimium, hæreticis & Novatoribus luctuosus fuit, spes suas Janseniani & stratagemata converterunt ad Innocentium XII., quem *in dogmaticis esse tanquam O in cifra* nuntiaverat Walonius; proindè & *Pontificatum* istum quoad ejusmodi materiam esse *ineptissimum*: idem ajebat de *Regimine*; sed vel ideò monebat tempus illud *esse peridoneum, ut aliquid boni agatur in Congregatione S. Officii*.

Ut autem occasione, rebus benè gerendis adeò opportunâ strenuè uterentur, & cum fructu magis uberi, jungendum Walonio adjutorem censuere è Lovaniensibus astutissimum. Præcipua utriusque cura fuit, uti & Torellii & Ludovici Maille, qui ambo Galli ab intimis Walonio consiliis erant, ut Jansenianí libri in quinque Propositionibus sensus anathemate liberaretur.

Huc ferè omnia Quatuorvirûm consilia, atque molimina dirigebantur: Sed attentissimi Antistites Belgii Austriaci erant, ut Sedem Apostolicam de Novatorum fraudibus monerent, rogarentque vehementiùs pro novo contra tot venena antidoto.

Istud geminis ad Belgii Episcopos Brevibus, junctoque eis Decreto, quantum in illis circumstantiis sufficeret, à se præstari Innocentius ratus est.

At Jansenianorum longè ampliùs miratus sum impudentiam ac temeritatem, quod ipsius postea Clementis XI. ingenium perspicax, eruditionem ac pietatem tentare præsumpserint novâ machinâ, quâ quidem dolosiorem suggerere Inferi non potuerunt; Verùm frustra jacitur rete antè oculos pennatorum. Machina illa fuit famosus *Conscientiæ casus*, quem plurium operâ & longâ meditatione compositum, discussum, correctumque in pejus, antequam luci committerent, subjicere adhuc voluerunt censuræ cæterorum omnium, quibus aliquid eruditionis, aut prudentiæ Jansenianæ est, ut ei adderet quisque vel demeret, prout Ecclesiæ & Religionis novæ profectui, conducere videretur.

Casus itaque fingitur propositus à Confessario, qui in Sacramento Pœnitentiæ virum nactus fuerit Ecclesiasticum à Janseniano systemate non alienum, qui crederet Jansenii sensum à se perperàm condemnatum &c. Tali confitentis cognitâ dispositione dicitur Confessarius non ausus absolutionis beneficium impertiri, nisi priùs doctorum judicia explorasset.

De casu igitur sic exposito Confessarius Doctores singulos consulens. "Accipe, inquit, suspiciones, quæ moventur contra hunc Ecclesiasticum, & responsa, quæ dat pro sua defensione.

„ Ego Ecclesiastico isti dixeram, suspectum eum esse de errore circa quinque Propositiones condemnatas ab Innocentio X. & Alexandro VII.

„ Ille autem mihi professus est, se eas condemnare semperque condemnasse nudè & sine restrictione in omnibus sensibus, quos Ecclesia condemnavit, imò etiam in sensu Jansenii, prout Innocentius Papa XII. eas explicuit in suo Brevi ad Episcopos Belgii. Eodem modo subscripsit Formulario, quando postulatum ab eo fuit: cujus rei exhibet testimonium datum à Vicario Generali Episcopi N.

„ Ad factum Jansenii quod attinet, cùm juxta D. de Perefixe ignorantiæ sit, aut malitiæ contendere, Ecclesiam exigere eandem fidem circa factum istud, quam circa jus, ait se in condemnatione Propositionum non eodem modò credere facti decisionem, quo decisionem juris; sed autumat sibi sufficere submissionem venerationis & silentii, circa id quod Ecclesia de facto definivit; & quamdiù non poterit juridicè convinci, aliquam ex damnatis Propositionibus docuisse, non debere se affici ullâ molestiâ, neque suam fidem suspectam haberi, quoniam hoc vetat Papa defunctus Innocentius XII. in quodam Brevi, quod Clerus Galliæ in novissimis Comitiis probavit „. Resolutio autem Casûs hæc erat.

„ Doctores infrascripti de Casu sic exposito judicant sententias Ecclesiastici memorati neque novas esse, neque singulares, neque ab Ecclesia condemnatas, denique nec tales, circa quas Confessarius ab eo exigere debeat, ut eas à se abdicet, antequam absolvatur. Deliberatum in Sorbona hac die 20. Julii 1701.

„ Subsignaverunt *N. Petitpied* Professor in Sorbona.

„ *G. Bouret* Professor in Sorbona.

„ *Sarrasin* Lector & Professor Regius.

„ *Pinsonnat* Lector & Professor Regius.

„ *Elias Dupin* Professor Regius.

„ F. N. *Alexandre*.

„ *Le Pescheur*.

„ *Soullet* Canonicus Regularis Sanctæ Crucis.

„ *Ruffin* Canonicus Regularis S. Crucis.

„ *Le Beau* Canonicus Regularis S.Crucis.
„ *De Bourges* Prior S. Victoris.
„ *De Longueil* Canonicus Regularis San-
„ cti Victoris.
„ *Gueston* Canonicus Regularis Sancti Vi-
„ ctoris.
„ *De Combes* Abbas S. Genesii.
„ *Le Franch*.
„ *Jollain* Parochus S.Hilarii.
„ *Tullou* Parochus S.Benedicti.
„ *Hideux* Parochus Innocentium.
„ *Blanpignon* Parochus S. Merici.
„ *Feu* Parochus S. Gervasii.
„ *De Voulges* Parochus S. Martini.
„ *Desprez* Parochus de Roulle.
„ *Le Febvre de Chevaliers* Archidiaconus
„ Ecclesiæ Trecensis.
„ *Veron* Ærarius Ecclesiæ Lingonensis.
„ *Hyacinthus Delan* Theologus Rotoma-
„ gensis.
„ *Molin*.
„ *De la Roque* antiquus Theologus Mel-
„ densis.
„ *De la Geneste*.
„ *Girard*.
„ *Picard* Parochus S.Clodoaldi.
„ *Borrey*.
„ *L. de la Mare*.
„ *G. de la Mare*.
„ *Joly*.

De aliqua Casûs hujus vicissitudine ita scribit Dominus de Thiery de Viaixnes in epistola die 26. Januarii 1703. *Prima compositio fuit Dominorum Roulland & Anguettille, juxta quam Casus editus est Leodii typis Brencart sub finem unius è Diurnis Parisiensibus, verùm cum in eo admitteretur gratia sufficiens Thomistarum, complures è Doctoribus offendit, ut ei subscribere noluerint. Obicem istum ut tolleret Dominus Petitpied junior, concepit Casum alium magis politum, & plus continentem acuminis. Ille est cui subscripsere Doctores quadraginta, quique promulgatus Parisiis, tertiâ jam donatus conspicitur editione.*

Idem Dominus Thiery die 3.Martii eodem anno ita nuntiat: *Dominus Rouland primus in componendo Casu operam posuit; sed cum necessitas gratiæ sufficientis Thomisticæ, quam admittebat, plerisque Augustinianis Doctoribus displiceret, Dominus Petitpied locum illum mutavit, & lucis plurimum Casui addidit. Dominus Perrier nepos Domini Paschalis in Ecclesia Cathedrali Claromontii in Arvernia Canonicus materiam suppeditaverat compositioni. Verùm frequenter ei adhibita correctio est, antequam sineretur prodire in publicum.*

Non levis ratio Jansenianis erat, nihil prætermittendi industriæ, ut casus redderetur numeris omnibus absolutus, utpote à cujus fortuna totius penderet approbatio Jansenismi, saltem ut tolerabilis & nullo perstricti anathemate; quâ stabilitâ semel sententiâ, corruebat quidquid unquam Romani Pontifices contra Jansenium definivere, atque universa Ecclesia inter articulos credidit indubitatos, Tanti gravitas momenti non latuit etiam sapientiam Catholicorum, maximè Sedis Apostolicæ, cui denuntiata, statim commissa est examini. Discussione haud longâ opus erat ut pernicies detegeretur, quę mox fulmine percussa Vaticano, à Clemente XI. duo expressit Brevia die 13. Februarii 1703. ad Cardinalem de Noailles Archiepiscopum Parisiensem & Regem Christianissimum: Quæ subjungo.

CAPUT XIX.

Duo saluberrima Brevia à Quesnellianis impudenter excepta.

1 Clementis XI. Breve ad Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem.

Dilecto Fratri nostro, titulo S. Mariæ super Minervam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali de Noailles nuncupato.

„ Dilecte Frater Noster salutem: Non
„ sine magnâ paterni cordis nostri amaritu-
„ dine nuper accepimus, editum Parisiis, ac
„ promulgatum fuisse libellum quemdam
„ cui titulus: *Cas de Conscience proposé par*
„ *un Confesseur de Province touchant un Ec-*
„ *clesiastique, qui est sous sa conduite, & re-*
„ *solu par plusieurs Docteurs de la faculté de*
„ *Theologie de Paris*, mole quidem perexi-
„ guum; sed multiplici noxiæ doctrinæ ve-
„ neno abundè refertum, quo scilicet plu-
„ res damnati errores, perniciosæque No-
„ vitates adstruuntur, ac ipsæ etiam felicis
„ recordationis Alexandri VII. Prædecesso-
„ tis nostri ad Jansenianam hæresim non so-
„ lùm iterum damnandam; sed & præclusis
„ omnibus callidorum hominum effugiis, ac
„ tergiversationibus radicitus evellendam,
„ tantâ maturitate editæ Constitutiones,
„ quibus & nos firmissimè inhæremus, in-
„ directè quidem ac veluti per cuniculos
„ impetuntur.

„ Quid enim aliud esse dixerimus, Libelli
„ hujuscemodi authores tam splendido ver-
„ borum apparatu erga Pontificias Constitu-
„ tiones internam semper observantiam pol-
„ liceri, quam interim exteriùs violant, &
„ ut silentium pollicentur, quotidie silen-
tium

„ tium rumpere ? Quid inanibus quæstionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad subversionem audientium, Ecclesiasticarum sanctionum perspicuitati tenebras velle affundere; nisi malum quod corde fovent, per quandam dissimulationem aperire ? Itaut illud jure usurpari possit: *Sermo eorum ut Cancer serpit*; & aliud: *Acuerunt linguas suas sicut Serpentis: Venenum Aspidum sub labiis eorum*.

„ Ingemuimus planè videntes homines, qui se Catholicos profitentur, eò temeritatis ac pervicaciæ devenisse, ut præfatis Apostolicis Constitutionibus, cæterisque hujus Sanctæ Sedis Decretis adhuc obviam ire, eorumque vim emendicatis undique captiosis difficultatibus eludere se posse confidant. Verùm cùm subdolis eorum artibus non modò, ut par esset, minimè obsistere; sed potiùs patrocinari, ac veluti manum porrigere comperimus Parisiensis Scholæ Doctores, qui libellum ipsum palàm ausi sunt suo calculo comprobare, obstupuimus planè, & magnâ simul perturbatione pro Domo Dei exarsimus, statimque, ne commisso nobis muneri deesse videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus.

„ Quapropter libellum Apostolica authoritate damnavimus ac prohibuimus, ne ejus lectione Fidelium mentes inficerentur. At verò quoniam ut S. Prosper præclarè admonet, hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quàm authoritatis privilegio est resistendum, circumspectionem tuam seriò admonemus, ut zelum, quo maximè ferves, pro sana doctrinâ, Ecclesiæque pace tuendâ excites, exeras, atque intendas investigandis omni studio, diligentiâque libelli hujus authoribus, ac præcipuis promotoribus, atque evulgatoribus; neque enim clam fieri potuit, quod non nisi à multis valuit perpetrari, ac in eos postmodum gravibus, ut tantæ debetur audaciæ, pænis animadvertas.

„ Porrò Doctores illos, quos sanè decebat magis expugnandis Ecclesiæ teterrimis hostibus, quàm convellendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus nomen inscribere, omnino volumus severam adeò, te puniente, districtionem subire, ut cæteri in posterum à similibus absterreantur.

„ Charissimum insuper in Christo Filium nostrum Regem Christianissimum, & datis literis, & per venerabilem Fratrem Episcopum Milensem Nuntium nostrum, qui plura tecum hac de re disseret, enixè rogamus, ut Circumspectioni tuæ in exequendis hisce mandatis nostris, pravorumque hominum nequitiâ coercendâ, Regalis quoque velit auxilii brachium impertiri: quod quidem Majestatem Suam pro summo, quem in compescendis hæresum & novitatum fautoribus hactenus ostendit, zelo confidimus egregiè præstituram: & tibi interim Dilecte Frater noster Apostolicam Benedictionem impertimur.

„ Datum Romæ die 13. Februarii 1703.

Eodem die ad Regem Galliæ datum est Breve hac inscriptione: *Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo, Clemens Papa XI.*

„ Charissime in Christo Fili noster salutem: Audivimus nuper, audaci planè, ac subdolâ nonnullorum hominum operâ, qui in id nati esse videntur, ut Ecclesiæ ac Reipublicæ pacem perturbare non cessent, libellum quemdam prodiisse, cui titulus: *Cas de conscience proposé par un Confesseur de Province touchant un Ecclesiastique, qui est sous sa conduite, resolu par plusieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris*.

„ Quo sanè plura perniciosæ doctrinæ capita, errores que damnati revocantur in lucem, & ipsa etiam hæretica Jansenii dogmata non obscurè foventur, dum editæ olim pro iis omnibus abolendis Constitutiones Apostolicæ captiosis subtilitatibus eluduntur.

„ Id porro in quantum Christi Fidelium scandalum, atque utriusque Regiminis perturbationem vergat, Majestas Tua, cujus mentem tantâ in gubernandis populis sapientiâ illustravit Altissimus, ex se satis ipsa deprehendet.

„ Quoniam verò contra istiusmodi homines continuâ novitatum prurigine laborantes non amplius legibus ac sanctionibus, quæ satis multæ hactenus promulgatæ fuerunt; sed gravium potiùs adhibitione pænarum agendum videtur, ne malum toties compressum, & quotidie reviviscens, ulteriùs serpat, opportunum existimavimus, damnato priùs juxta Sedis Apostolicæ morem libello, Dilecti Fratris nostri Ludovici Antonii Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalis de Noailles Ecclesiæ Parisiensis Præsulis zelum ac pietatem per Apostolica scripta excitare, ut in ejusdem libelli authores, evulgatoresque præcipuos summo studio conquisitos severiùs animadvertat, Doctoresque non paucos, qui Romanorum Pontificum Prædecessorum „ no-

„ nostrorum Constitutiones, & Regia etiam „ Maiestatis Tuæ Decreta contemnentes, „ eidem libello palàm subscribere non sunt „ veriti, debitis pœnis afficiat.

„ Eâ autem in re, quâ non Ecclesiæ solùm, quæ Majestati Tuæ maximæ curæ „ est, sed & ipsius Regni utilitas quæritur, „ summopere decet Regalis brachii tui in „ præfati Cardinalis auxilium exerceri potestatem, atque ita paucorum hominum „ temeritatem compesci, ut palàm fiat omnibus, eam hodie inter Sacerdotium & „ Imperium, miserante Domino, vigere concordiam, ut impunè non liceat turbulentis ingeniis, & nunquam cavillandi finem „ facientibus, Ecclesiasticas simul ac Regias „ leges infringere.

„ Novit profectò, Charissime fili noster, „ novit & gratulatur Ecclesia omnis, quanto pietatis studio, quantâ Regii Nominis „ laude, eliminandis Catholicæ fidei, ac „ disciplinæ adversis erroribus & novitatibus; præcipuè verò radicitùs extirpandis „ Jansenii dogmatibus allaboraveris. Tuæ „ nunc prudentiæ, tuæ religionis ac pietatis „ est, cœpto operi supremam manum adiicere, traditamque tibi ab Altissimo potestatem, in ipsius atque Ecclesiæ obsequium „ exercere.

„ Ne patiaris igitur Charissime Fili, ut tot „ labores ac studia, quæ extirpandæ ex florentissimo regno tuo pessimæ hæresis contagioni adhibuisti, paucorum hominum „ vesaniâ fructu evacuentur. Sileant inquieti homines, coerceantur protervi: pareant „ contumaces, & quos Ecclesiæ mansuetudo non flectit, potestas Regalis compescat „ & conterat; ut ita, quam Ecclesiæ Dei „ dederis, Deus ipse donet Regnis tuis, ac „ perpetuò servet tranquillitatem. Eam interim Majestati tuæ cum cæteris bonis omnibus ex animo precantes, Apostolicam „ simul benedictionem tibi amantissimè impertimur.

„ Datum Romæ die 13. Febr. 1703. „

Dignissima hæc indubiè fuere zelo tanti Pontificis, pro conservanda fidei puritate solicitè vigilantis. Brevibus jungebatur Decretum, quo eadem libellum pestiferum damnabat authoritas. Maximè quoque religiosum hic fuit studium Eminentissimi Parisiensium Archiepiscopi, qui promulgationem Brevium præveniens, plerosque è Quadraginta Doctoribus ad debitam induxit palinodiam, suoque *Casum* confixit diplomate. Rex denique Christianissimus cum suo Senatu, in tanto fidei periculo minimè passus est deesse operam suam & potestatem.

Duobus obstinatis *Casûs* Approbatoribus pœnam exilii decrevit. Sorbona quoque de Religiosissimi Principis animo probè edocta, pertinacibus statuit rescissionis pænam, nisi præscripto tempore se Pontifici Maximo, Regi, Archiepiscopo, suæque amantissimæ Matri rederent Christianâ palinodiâ obsequentes.

Quid ad hæc omnia Quesnellus? Verba ejus aliqua reddam capite sequenti. Plura impedivit ejus captivitas, & post fugam conscribenda multiplex apologia. Interim ejus socii dolorem hìc suum, imò & furorem, inter amicos potissimùm non dissimulaverunt. Ita Prauvvelius Amstelodami ad fidem Catholicam, si fas est credere, propagandam Missionarius die 19. Aprilis 1703. ad Josephum Brigode Quesnelli Secretarium, *Breve*, inquit, *Pontificis ad Regem Galliæ censemus indignum Successore S.Petri, & parum conveniens lachrymis, quibus conatur Clemens populos decipere; cùm istud Breve potiùs indicet animum tigridis, quàm Pastoris, cujus est oves diligendo pascere.*

Neque ea solius Prauvvelii opinio est; sed similium ei Missionariorum, quod indicatum voluit illo *Censemus*, ne sibi censuræ temeritas obiiciatur. Paulò mitiùs ex Urbe Walonius ad Quesnellum scripserat: 3. Martii 1703. *Præter Decretum adversus Casum conscientiæ, dicitur Pontifex misisse tria Brevia. Valde quidem imprudens* (Pontificis) *facinus est, sed omnia timere debemus ab* OLIBRO (in cifra Clemente XI.)

Idem 5. Maii eodem anno *plaudit sibi Pontifex, quod Brevia illa miserit, ratus præstitam à se rem optimam, atque Ecclesiæ utilissimam. Inde facilè colliges, quanta ejus in his omnibus præoccupatio sit, quanta pertinacia simul & ignorantia.*

Nonne igitur iniquissimos nos esse oporteat, qui de novis istiusmodi Theologis censeamus, velle eos *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*? Imò jubemur credere Quesnello asserenti, istud esse *pati pacificè anathema injustum*, & Pauli Apostoli *imitari* in persecutionibus tolerantiam. Qualis Quesnelli ipsius hìc modestia fuerit, videbimus, ut dixi, capite proximo.

CA-

CAPUT XX.

Quesnelli intemperiæ in Casûs denuntiatores & Romanos Judices.

1 AUthor Processûs juridici contra Quesnellum Art. 18. post relatum utrumque Breve Apostolicum, "
„ Vidimus hic (inquit) ut supremus vigil
„ animadversum velit in authores evulgato-
„ resque famosi illius *Casus conscientiæ, quo*
„ *plura perniciosæ doctrinæ capita errorésque*
„ *damnati revocantur in lucem, & ipsa etiam*
„ *hæretica Jansenii dogmata non obscurè fo-*
„ *ventur*. At aliter visum fuit Quesnello.
„ Jansenianæ aciei dux & antesignanus
„ cùm esset, partium suarum esse censuit,
„ quadraginta illos commilitones, quâ va-
„ luit arte, quo luxuriabat (Gallicè) stylo,
„ contra quoscumque Ecclesiæ & Reipubli-
„ cæ Principes tueri, in castris suis retinere,
„ seu confirmare in placitis...
„ Significatum ei fuerat quod Doctores
„ illos 40. quispiam Regis Christianissimi
„ Minister *inquietos spiritus* appellasset, æter-
„ nùm agitantes Quæstiones periculosas su-
„ per condemnatione justè pronuntiatâ: &
„ hoc publicè in Senatu. Agitandus ergo
„ erat Regius ille Minister, scriptoque impu-
„ denti à Moderatore Factionis impeten-
„ dus, & quidem nomine plurium è 40.
„ commilitonibus, qui in resolutione Casûs
„ suprascripti Quesnellianæ militiæ se de-
„ voverant.

Scriptum Quesnelli erat prolixa novem paginarum epistola, in qua suorum nomine commilitonum, ita Ministrum illum alloquitur: " Nosti quâ de re agatur, de adigendis
„ scilicet hominibus ad condemnandum in
„ facie Ecclesiæ Episcopum (seu librum Jan-
„ senii) tanquam reum traditarum quinque
„ hæresum, totidemque blasphemiarum;
„ tota autem probatio est, quod Papa dixe-
„ rit. Dixit quidem; sed non nisi ex auditu,
„ quia istud sibi relatum acceperat à quibus-
„ dam Theologis absque ullo examine juri-
„ dico, ullâ confessione aut convictione,
„ ullo judicio, ut appellatur, contradictorio„.

Diceres Quesnellum sua pro Jansenio & contra Sedis Apostolicæ judicium mendacia didicisse à priorum temporum hæreticis. Sic inter cæteros Author Apologiæ pro Petro Abailardo, quæ inter hujus epistolas est, contra Sanctum Bernardum denuntiatorem, & Sedis Apostolicæ judicium declamat: *Renuntiavit Apostolico Bernardus, & statim à Romana Sede literæ damnationis in Petrum, per Gallicanam Ecclesiam volaverunt. Damnatur aureum os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis: damnatur pr dolor! absens, inauditus, & inconvictus.*

Quid dicam? Quidve non dicam... Cujus unquam Jesu bone culpa tam cæcos habuit judices, ut non utrinque causæ latera ventilarent?... Isti clausis oculis palpant negotium, & quasi oculati rerum cognitores, arcu iniquitatis intento, toxicum subitò jaculantur. Similia fuere lamenta Juliani pro Pelagio condemnato, talia Sycophantæ Ariani presbyteri pro Ario apud Constantiam Constantini Imperatoris sororem, quibus ipsa miserè circumventa funestæ materiam tragediæ præbuit.

Prosequitur Quesnellus pag. 4. " Vide-
„ turne igitur tibi *spiritus inquietus*, non as-
„ sentiri sententiis illis erroneis (faventibus
„ authoritati Pontificiæ) neque eas velle
„ subscriptionibus formulæ approbare, quæ
„ non aliâ exiguntur intentione, quàm ut
„ perniciosa adeò dogmata stabiliantur?„

Pag. 9. " Verùm interea dum ille (An-
„ tijansenianus Doctor du Mas) finitur edere
„ impunè quælibet pacem turbantia (Janse-
„ nisticam) tres lineæ exaratæ, non nisi ex
„ charitatis & officii debito (quod est non
„ permittere ut hæretica Jansenii doctrina,
„ subscriptione formulę Alexandrinę ab om-
„ nibus Ecclesiasticis condemnetur) tres istæ
„ lineæ (casum conscientiæ exprimentes)
„ quæ nihil continent, nisi fundamenta pa-
„ cis, nituntur que dogmatibus in tota Tra-
„ ditione [Jansenistica] indubitatis, atque
„ in Francia habitis, velut libertatis Gallicæ
„ firmamentis; tres denique istæ lineæ, non
„ spirantes nisi pacem, displicent & accu-
„ santur ab hominibus cupidis, nonnisi pri-
„ vata sua amantibus commoda: accusantur
„ quidem tanquam Ecclesiasticæ pacis vio-
„ latio maximè scelerata.
„ Hoc obtentu supremarum fit commotio
„ Potestatum contra Doctores quadraginta,
„ quorum scientia & pietas toti conspicua
„ mundo est, quique sine peccato negare
„ non poterant testimonium veritati rece-
„ ptæ in scholis omnibus quovis tempore.
„ Verùm non deerit eis tribunal, in quo
„ ipsorum triumphabit innocentia, eo judi-
„ ce, qui ipsa justitia est.
„ Ignosce reverenti huic querimoniæ,
„ quam ipsa exprimit oppressa, conculcata
„ innocentia„.

Nulla in hac Quesnelli declamatione periodus est, quæ non mendaciis scateat, & non mereretur scuticâ severiore castigari; sed quan-

quandonam finem facere potero præsenti operi; si singulas Jansenistarum ineptias intercurrentes, seriâ dignari oporteat confutatione?

Quatuor sunt, de quibus Lectorem breviter monere sufficiat. Primum quod attinet ad *Masium* Doctorem Sorbonicum, esse ipsum de Ecclesia Catholica optimè meritum suâ *de quinque* Jansenii *Propositionibus historiâ*, quæ hæresim illam convincit; ideoque noluit eam sine latratu Quesnelliana rabies prætcrire, si truculentis ei nocere morsibus non potuit. Librum contra *Historiam* illam Quesnellus edidit titulo *Duorum capitalium errorum*; sed prætensus uterque error non nisi exploratissima veritas est, neque frivolis Quesnelli oppositionibus luxata, neque aliorum unquam Jansenistarum fraudibus convellenda.

Secundum est, quod illæ *tres lineæ* tantis à Quesnello elogiis celebratæ, sunt ipse *Casus Conscientiæ* cum suis approbationibus, judicio Ecclesiæ, veneno pleuus lethifero, & ut Apostolico percussus anathemate, futurus semper penes Catholicos execrationi.

Tertium: Vocari à Quesnello homines cupidos & paci Ecclesiæ inimicos, quotquot novæ hæresi adversantur cum Romano Pontifice, Cardinales, Episcopos, & Theologos Orbis Catholici universos.

Quartum: Quousque prætensa Gallicana Ecclesię libertas à Novatoribus protendatur, quamque debilibus jubeatur insistere fundamentis, quasi nempè Jansenianæ hæresios, quam tota Christi pridem horruit Ecclesia, condemnatio exigi hoc tempore nequeat in Galliis, nisi Christianissimi Regni libertas funditùs subruatur.

Adeò perspicaces non fuere hujus Regni Antistites quando ab Alexandro VII. Formulam juramenti enixis precibus petierunt: cęcus etiam in Quesnelli sententia fuerit Rex ipse, quando per suum in Urbe Oratorem præscribi eandem Formulam à Sede Apostolica postulavit, impositâ simul Ecclesiasticis singulis, subscriptionis, jure jurando confirmandæ, inevitabili necessitate.

Denique mente & oculis capti fuerint Regii Administri cum Illustrissimo Parisiis Senatu, aliàs in suis & Regni juribus defendendis non minùs fortes, quàm in cognoscendis periti, & investigandis industrii. Mente, inquam, & oculis capti fuerint, quando hanc authoritatis Pontificię dispositionem, voluntate propensissimâ amplexi sunt.

Defuit illis Quesnelliani istud lumen ingenii, quo ab admittenda professionis formulâ studiosius caverent, utpotè quâ necesse aliàs foret libertatis suæ fundamento subruto, totum pessumdari ædificium.

Prætereo hominis privati, & nullâ, nisi, quam hæresis tribuerit, authoritate præditi impudentiam, atque temeritatem in lacessendo non solùm Regio Administro; sed ipso pariter Senatu, qui ejusdem secutus sententiam *Casum Conscientiæ* cum suis approbationibus condemnavit. Sic novę Ecclesiæ Apostolus hypocrita nos docet *imitari S. Paulum*, sic *pati in pace anathema injustum*, sic *non erigere nos contra authoritatem*, *aut scindere unitatem*.

Parum Quesnello est invehi in Regium Senatorem: docere etiam præsumit & acriter reprehendere Eminentiss. suum Archiepiscopum Noailles, Epistolâ anonymâ, velut *Doctoris Sorbonici & Officialis Diœceseos NN.*; in qua sic Cardinalem commonet. "Quod „ attinet ad *Casum Conscientiæ*, qui tantum „ strepitûs hoc tempore excitat, miror incidisse alicui cogitationem solicitandi Eminentiam Vestram, ut contra eundem eliceret censuram.

„ Magis etiam obstupui, audiens te suasionibus istiusmodi concussum, & inclinatum, de tua constantia remisisse. Non tu solus, Eminentissime Domine, talibus tentaris molitionibus: plures novi, quibus eędem insidiæ structæ sunt, quibus succumbuere aliqui, restiterunt alii non sine gravissima adversus Solicitatores indignatione. Non tibi author fuerim, ut ceteros prævenias; sed publicum explores judicium, ut, salvo honore, te subducas, quemadmodum Illustrissimus meus Præsul sibi censuit consulendum „.

„ Perdifficile foret non se prægrandibus exponere improperiis omnium Sapientum (quales omnes & soli indubiè Janseniani sunt) unicum autem referretur solatium, placuisse parti Curiæ „: Regi scilicet ejusque Christianissimam sectantibus religionem, à Janseniana non minùs, quàm à Calviniana hæresi alienam.

Paulò post, finitâ quasi epistolâ, sed nondum missâ, fingitur inexpectatus advenisse nuntius de edita ab Eminentissimo *Casûs* condemnatione. Tunc plenas laxat hypocrita lamentis & declamationibus habenas: „ Eccum igitur (inquit) inflicta plaga. Deceptus sum, fateor. Nunquam eredideram deducendum eò usque Casûs negotium. Latam à te sententiam quoties lego, à lacrymis temperare nequeo, aut ullam admittere consolationem.

„ Nulla hic causa mea privata agitur: neque me angit periculum veritatis; perire enim

„ enim ea nunquam poterit, aut deesse „ Deo modus eam ab insultibus hominum „ liberandi. Novam imminere prævideo „ quadraginta Doctoribus, aliisque pluribus „ tempestatem, quorum fortunatissima sors „ fuerit; si quantum Dei donum sit, agno„ scunt, & quanti meriti, persecutionem su„ stinere pro veritate & justitia.

„ Quod autem præcipuè transfigit ani„ mum mæstitiâ, est nova Ecclesiæ pertur„ batio, & pax penitùs destructa: pax (in„ quam) opus Regis Christianissimi adeò „ gloriosum, pax denique quæ tanto consti„ terat, funditùs eversa conspicitur: quoque „ nihil accidere poterat luctuosius, eversa ab „ eo, quo nemo hactenùs visus fuerat ad ejus „ defensionem meliùs comparatus. Verùm „ causa Dei est: in eo spes ponenda „ Jansenistica non minùs, quàm Calviniana.

Alia ejusdem epistola ad eundem Archiepiscopum Cardinalem cernitur, in Processu juridico Art. 18. cujus Laciniam ex Gallico à me translatam juverit referri: "

„ Nonnisi tremente dextera sistere me per „ epistolam possum Eminentiæ Vestræ: re„ verentia & metus ei displicendi excutiunt „ mihi quodammodò è manu calamum, sed „ timor displicendi Deo me confirmat, im„ pellitque ut ad te supplex accedam, & bre„ vissimi alloquii expetam beneficium: quod „ si mihi concedere dignatus fueris, benignè „ etiam indulgeas, ut mihi tantisper liceat „ oculos occludere Dignitati Tuæ Eminen„ tissimæ, & cęteris, qui te undique circum„ dant splendoribus, quorum aspectu territus „ non possem animi mei sensum, qua opus est „ libertate, salvâ quamvis reverentiâ, ex„ primere.

„ Cum enim nulla me ad scribendum ra„ tio moveat, nulla res mihi curæ sit, nisi „ fama tua & salus post veritatem & Eccle„ siam, dissimulare non possum, neque mu„ tilare gravissima veritatis momenta, quæ „ nemo alius tibi exponere audeat. Quem „ si non valuero finem mihi propositum con„ sequi, patere saltem, Eminentissime „ Princeps, tuis me pedibus advolutum, „ fletibus mala Ecclesiæ deplorare.

„ Verùm singularis, quâ me tolerare so„ les, benignitas, spem facit gratiæ utrius„ que. Eheu! Quomodo pacis filii non ge„ ment, illato vulnere lethifero paci Ec„ clesiæ, & quidem, eâ inflicto manu, „ à qua pacis semper speraverat confir„ mationem: ut meritò dicatur cum „ Propheta, Patres & *Angelos pacis ama„ rè flere*! Non Angelos solùm dico, „ quos oculis intueri non conceditur; qui „ Servatore nato pacem hominibus nuntia„ bant; sed illos etiam, quos cernere no„ bis obtigit, Angelos Ecclesiarum Aleta„ næ, Appamiensis, Bellovacensis, atque „ Andegavensis. Magni illi Antistites, quo„ rum vita & agendi ratio verè appellari po„ tuit Angelica, meriti fuerant suis pro ve„ ritate studiis, laboribus, & fide in adim„ plendis omnibus Sacri sui ministerii parti„ bus, impetrare à Deo pacem Ecclesiæ adeò „ desideratam.

„ Alii se ipsis junxerant Episcopi adjuto„ res pro jaciendo tanti operis fundamento, „ jamque illud ad perfectionis apicem dedu„ xerunt, Apostolicâ Sede & Rege nostro „ Christianissimo approbantibus, Ecclesiâ „ applaudente universâ, maximo bonorum „ omnium solatio. Ecce autem ædificium „ illud, quod tantis constiterat Ecclesię la„ chrymis, tandem dirutum, atque subversum „ funditùs. Proindè animæ illæ sanctæ & „ beatitudinem consecutæ, quæ tanti bene„ ficii largitori Deo laudes debitas cane„ bant, mærentes iterùm vident Ecclesias „ Galliæ in pristinam incidisse confusionem. „ Quomodo enim pax illic subsistere valeat, „ tuo, Eminentissime Domine, fundamentum „ ejus suffodiente Decreto?

„ Quinquaginta annorum experientia ni„ mium nos convicit, nunquam sperari pos„ se Ecclesiæ pacem, nisi sublato piis con„ scientiis onere non tolerando. fidei inte„ rioris circa factum, cujus testimonium pu„ blicum est subscriptio Formulæ pura & „ simplex. Testimonium autem falsum est, „ & confirmatum perjurio, si jurans, certi„ tudinem non habeat de facto, magis etiam „ si persuasum sibi teneat oppositum.

„ Quicumque lumine prædití sunt & reli„ gione, qua nihil habeant in hoc Mundo „ charius, extrema potiùs quælibet patien„ tur, quàm plagam inferant animæ morti„ feram, pejerando, & subscriptione sacri„ legâ scandalizando Ecclesiam. Recusanti„ bus quidem imminet vexatio multiplex, & „ infamia: concitabitur adversus eos pote„ stas Principum, & Episcoporum. Eccum, „ Eminentissime Antistes, qualem pacem „ tuum proferet Decretum.

„ Plerosque è Casûs approbatoribus ad „ retractationem adiges, & singulari tibi „ duces solatio, ut ipso tuo testaris diplo„ mate, *Doctorum istorum aliorumque Ec„ clesiasticorum exhibitam tuis jussibus sub„ missionem*.

„ Sed quale solatium est coacta submissio, „ mendacium publicum & scandalosum, te„ stimonium falsum humanâ extortum for-

midi-

„ midine Doctoribus, & Presbyteris, re-
„ pugnante nequidquam intellectûs lumine
„ atque conscientiâ. Certissimum enim est
„ quadraginta Doctores eximiâ instructos
„ scientiâ, qui *Casui conscientiæ*, præmisso
„ diligenti examine, assensu unanimi sub-
„ scripserunt, non mutaturos sententiam;
„ sed eam altâ mente repositam retinentes,
„ tantisper silentio compressuros, propter-
„ metum eorum, qui horrifico tonitruum
„ sono fulmina minitantur.

„ ...Simulatio scelerata, pudenda prævari-
„ catio, & absurda ignavia eorum est, qui
„ coram Sacris Altaribus promiserunt, se
„ *veritatem usque ad effusionem sanguinis*
„ *defensuros*.

„ Quærere nunc ex te liceat, Præsul Emi-
„ nentissime, cui ea culpa potissimùm impu-
„ tabitur? Præter retractatores illos perfi-
„ dos, & præ illis indubiè rei sunt, qui con-
„ tra omnium sententiam Theologorum,
„ contra traditionem Patrum, contra Di-
„ vina Scripturarum oracula, contra omnes
„ denique æquitatis regulas ad infamem ad-
„ eò palinodiam Doctores miseros com-
„ pellunt ....

„ Plerique retractantium, etiam tuo judi-
„ cio, suspecti remanent, de dogmatibus
„ perversis, & submissione simulatâ. Istud est
„ quod ajebam, illos non mutavisse senten-
„ tiam; sed obediendo exteriùs cessisse
„ coactioni non veritati. Decreti igitur tui
„ fructus est facere hypocritas „.

Talis ubique Quesnelli & ei adhærentium est reverentia, talis submissio erga Præpositos Ecclesiæ, quibus non diutiùs blandiuntur, quam sibi patrocinantes sentiunt, aut sperant. Tùm & non aliàs, posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei: Tunc Episcopi Apostolorum Successores sunt, eâdem cum ipsis potestate præditi.

In exornando laudibus Cardinale Noaillio fecundam maximè eloquentiam exhaurire solet Quesnellianorum Rhetorica; sed arcescit subitò & in publicam convertitur aspernationem, ubi mandati quidpiam, Jansenianæ contrarium novitati ab Eminentissimo dimanarit.

Doctores quoque Sorbonici, quanti Novatoribus viri sunt, quicumque circa *Casum conscientiæ* resolutioni perfidæ suffragantur! At mox in turpem prolabuntur, saltèm exteriùs, apostasiam, quando fautricem hæresios temeritatem catholicâ damnant palinodiâ.

Hic maximè Quesnellus voluisset deficientium à se Doctorum, altè impressa animis insedisset Propositio 92. quâ nulla ad confirmandos in pertinaciâ Novatores videtur accommodatior: *Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem*.

Prodiderunt autem miseri illi veritatem Jansenianam formidine excommunicationis & anathematis, quod contra novæ fidem Ecclesiæ quomodo potuit non esse *injustum*? Porrò quantum gloriæ in Fastis seu Kalendario Portus-Regii conciliavit Nicolao Petitpied & Hyacintho de Lan contumax obstinatio, spretis Archiepiscopo Parisiensi, Rege Christianissimo, ipsâque Apostolicâ Sede, tantum vituperii & dedecoris apud Quesnellum perpetui, meruit Retractatio timidorum.

CAPUT XXI.

Casus Conscientiæ antequam nasceretur, damnatus fuit à Galliæ Clero, postea disertiùs ab ipsa Sorbona.

1 ANNO 1700. die 4. Decembris Clerus Galliæ conspicatus, perniciosissimam Jansenistarum fallaciam in eo sitam, ut persuadendo, quinque Propositiones, ab Innocentio X. & Alexandro Septimo condemnatas, non esse Jansenii, universam istius Episcopi doctrinam, cujus Propositiones illæ compendium quoddam sunt, ab omni absolverent censurâ, atque ita liceret in posterùm ubicunque libuerit, eam instaurare, destruendum meritò censuit mendacium dogmaticum adeò exitiale. Si enim illud invalescere unquam contingeret, facilè foret, Janseniani voluminis pariter proscriptione contemptâ, illud omnium obtrudere manibus, atque ita impia ejus, blasphema, hæretica dogmata, quibus à capite ad calcem subdolè respersum est, simplicium incautorumque animos pervertendo trahere in exitium.

Quapropter Jansenianorum Propositiones quatuor eandem ingerentes perniciem, Clerus Gallicanus colligens, sapientissimè confixit. Censuram hic exhibeo: Propositio prima ex præfatione Libri, cui titulus: *AU-*
„ *GUSTINIANA ECCLESIÆ ROMANÆ*
„ *DOCTRINA: Jam tandem Ecclesiæ & Re-*
„ *gnorum Principes ex hoc clarissimo argu-*
„ *mento agnoscunt, phantasma Jansenismi*
„ *quæsitum ubique; sed nusquam repertum,*
„ *præterquam in laboranti quorundam phan-*
„ *tasia*.

Poposi-

Propositio secunda : " *Constitutione Innocentii X. nihil aliud actum, quàm ut revocarentur, atque exacerbarentur disputationes. In eandem viam pertractus est Alexander VII. ut homo ab hominibus facilè impellendus in eas res, quæ parum ejus officio convenirent..... Innocentius quoque XII. cùm ex officio teneretur claram proferre sententiam, generalibus, æquivocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi, se non ausum clariùs loqui, tanquam errare metuentem ... Atque illud IN SENSU OBVIO, ejusdem Pontificis adhùc magis generale est & vagum, quàm verba Alexandri VII. IN SENSU A JANSENIO INTENTO .... Episcopi denique Gallicani, libertates Ecclesiæ Gallicanæ, sub earum asserendarum specie labefactarunt, super recipienda Constitutione Innocentii X.*

„ Propositio tertia ex Panegyris Jansenianæ Prologo Galeato pag. 55. & 62. " *Aliquam huic malo medicinam attulisse videbatur Innocentius XII. in Brevi suo 6. Februarii 1694.... Verùm mitigationem illam præsumptam non parùm extenuavit Breve datum 24. Novembris 1696. ubi Pontifex disertè negat, Constitutionem aut Formularium Alexandri VII. Brevi suo alteratam aut reformatam fuisse in aliqua minima ejus parte .... Nec placet eorum opinio, quæ ex ipso primo Brevi 6. Februarii 1694. edito aliquid mitigationis circa Factum tentavit exsculpere... Sed & nihilo majorem in Quæstione Juris progressum factum esse, jam quoque convenit ostendere.*

„ Propositio quarta : *Circa condemnationem AUGUSTINI JANSENII opus esset collatione regulari habitâ, vel coram Judicibus à Romano Pontifice, vel à Rege datis ... Nondum omnes interierunt, qui sciunt deliberationes* (de Janseniano negotio) *quas nunc Episcopi, ut regulas hodiernarum deliberationum* (circa novum Quietismum) *sumunt, Cleri Gallicani æternùm forè propudia* „.

„ CENSURA: Hę quatuor Propositiones, quibus inquieti homines Innocentii X. & Alexandri Constitutiones, Innocentii quoque XII. Brevia ab omnibus approbata, apertè contemnunt, Episcopos rebus judicatis inhærentes incessunt maledictis, & causam hanc de integro retractari postulant, tanquam tot Apostolicis Constitutionibus, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondum finita fuerit, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in Clerum Gallicanum, Summos Pontifices, & universam Ecclesiam, Schismaticæ & erroribus faventes „.

Hactenùs Gallicani Præsules, qui quasi præsagi machinationis Jansenisticæ biennio post in lucem erupturæ, eam in ipso quodammodo parturientium utero præfocare conati sunt: Sed nulla hac hæresi hydra perniciosior est, nulla mactatu difficilior, quæ amputatis sæpiùs cervicibus adeò non extinguitur, ut quasi viribus auctior, certè magis rabida ex vulnere, semper furere videatur atrociùs, donèc Christiani Orbis universâ in eam conspirante multitudine, novam sibi *Nordstrandiam* coacta quærere, ditiones Catholicas sui liberet timore contagii.

Expulsa frequenter è clarissimo Sorbonicorum Collegio non despondet animum, quin etiam nuper asylum sibi & non leve præsidium sperare ausa fuerat, quando quadraginta Doctorum prudentiam circumvenit; sed duobus ad Dei judicium evocatis, duobus aliis in malesana persistentibus obstinatione, cæteri cum celeberrimo illic Theologorum Senatu hanc tulere de ultima Jansenistarum molitione sententiam.

„ Die Lunę primâ Septembris anni 1704. habita sunt in Aula Collegii Sorbonæ post solemne Sacrum de SpirituSancto Comitia Sacræ Facultatis generalia ordinaria, in quibus Magister Joannes Vivant Syndicus dixit, Eminentissimum D. Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem, accersitis ad se, & summâ humanitate exceptis, Venerandis quatuor è Sapientissimis Magistris nostris Senioribus, & Syndico, hæc ab ipsis referenda ad S. Facultatem gravissimâ Oratione declarasse: Regem Christianissimum pro eximio, quo flagrat studio Religionis, & singulari, quâ Sacrum hunc Ordinem prosequitur benevolentiâ optare, ut quoniam duo ex hoc Ordine Magistri, videlicèt Magister Nicolaus Petitpied Lector Sorbonicus, & Magister Hyacinthus de Lan Ecclesiæ Rotomagensis Theologus, revocare contumaciter renuunt subscriptam à se in Libello inscripto *Cas de Conscience*, doctrinam, quæ comperta sit favere damnatis Jansenii erroribus, compressa scandala renovare, Pontificiis Constitutionibus, Sanctionibus Cleri Gallicani, ac Edictis Regiis, ut & Sacræ Facultatis Decretis omninò adversari, Sacra Facultas suspenso quocumque alio negotio, decernat quod fidei integritati, honori Sacri Ordinis, & illorum Magistrorum saluti magis expedire censuerit.

„ Quibus relatis, subjunxit D. Syndicus, perspectum esse omnibus, à multo tempore

præsens negotium constare, sparsum per urbem ac universum latè regnum, imò & extra Gallias, scriptum quoddam typis non semèl editum, cui titulus est *Cas de Conscience proposé par un Confesseur de Province, touchant un Ecclesiastique qui est sous sa conduite*: in ejus inscriptione dici, *propositis Quæstionibus responsum fuisse à compluribus Theologis Parisiensibus*, & in fine subjici, *deliberatum in Sorbona*: Ex quo quibusdam videri posset, probatum illud fuisse à toto Ordine, aut certè à majori ejus parte, licèt clanculùm S. Facultate, imò & plerisque Magistrorum prorsus insciis inscriptum editumque fuerit: revocatum quidem fuisse à triginta sex è quadraginta Magistris, à quibus probatum fuerat; sed duobus fato functis, pertinaces superesse alios duos, quos cum patienti silentio emollire non potuerit Sacra Facultas, imò nec monitis, nec censurâ Eminentissimi Pastoris, nec amicorum consiliis, nec exilii molestiâ, nec remotione à Sacris ministeriis ullatenùs flecti videat ac doleat, jam apertâ erroris damnatione, & inflictis, ut par est, pœnis, eos ab ipsa impugnari necessum sit; præcipuum publicæ offensionis caput visum fuisse hanc præfati scripti Propositionem, quâ asseritur, *Catholico homini & Clerico, qui subscripsit Formulæ Alexandri VII. sufficere obsequium, quod vocant silentii & reverentiæ: il lui suffit d'avoir une soumission de respect & de silence a ce que l'Eglise à decidé sur ce fait* (de Jansenii facto agitur) ex quo sequitur, licere ipsi aliter de hoc sentire, quàm ab Ecclesia definitum sit, intùs credere, Ecclesiam eâ in re definienda, nempè in damnando Jansenii Libro, & sensu errasse, falsò hæresim tribuisse Jansenio, pugnare ab annis quinquaginta & ampliùs adversus umbram, sine causâ ipsam tantopere conqueri, immeritò Sanctos Sacerdotes, piosque veritatis defensores ab ea vexari: quæ omnia factiosæ opinionis consectaria horrent aures piæ.

Evulgatâ hac exitiosâ doctrinâ commotam subitò Christianam Rempublicam: indignationem Apostolicam adversus scandalosam temeritatem scriptis ad Regem literis significatam fuisse à Sanctissimo & Clementissimo Pontifice: Solemni statim censurâ proscriptam fuisse præfatam Propositionem ab Eminentissimo Archiepiscopo, cujus doctrinam, positis repente fallacibus præjudiciis, amplecti se professi sunt plerique eorum qui infelix scriptum incautè probaverant: in idem propositum editis quoque eâ de re mandatis, conspirasse multos ex Illustrissimis Præsulibus. Regis ipsius solitum exarsisse tuendę Religionis studium adversus contumaces turbulentæ novitatis defensores: excitata ubique pro fidei incolumitate omnium benè sentientium studia & vota.

Maximo autem dolore non potuisse non affici Sacram Facultatem, quæ videret etiam à suis in discrimen adduci præcipua antiquæ doctrinæ suæ & pietatis monumenta, Censuram nempè adversùs epistolam Antonii Arnaldi latam anno 1656. & Decretum super Formula fidei datum anno 1661. utrumque haberi apud Sacram Facultatem summo in pretio, ac veluti normam benè sentiendi & loquendi, servari ut firmissimum veritatis tranquillitatisque præsidium: subscriptum à singulis Sacri Ordinis Magistris, ab omnibus adhùc Candidatis quotidiè subscribi in testimonium & pignus Catholicæ unanimitatis.

Nemini dubium esse posse, necessitatem interioris & sinceri assensus Ecclesię damnanti sensum & librum Jansenii, seu definienti Factum, ut ajunt, Jansenii, luculenter assertam esse solemni censurâ latâ adversus præfatum Antonium Arnaldum, qui etsi fateri tunc non recusaret, Pontificiis circa illud factum judiciis non esse obloquendum, offerretque reverentiæ silentium, quod quidem nec antea servaverat, nec postea servavit; imò quod stantibus illius & cum illo sentientium præjudiciis servari nequaquam posset, cum tamen assensum mentis Ecclesiæ judicio deberi in hoc facto Jansenii pertinaciter negaret, nec Propositionis circa hoc Factum damnationem, Sacrâ deliberante Facultate, nec debitas huic contumaciæ pęnas effugere potuit.

Eundem in errorem, eandem in culpam impegisse duos præfatos Doctores, imo gravius lapsos: Antonium Arnaldum contendisse quidem satis esse reverentię silentium homini Catholico; sed nullâ speciali subscriptionis, aut Sacramenti religione ad assentiendum obstrictio; hos verò Magistros inverecundè docere, etiam eos, qui præstito Sacramento subscripsere formulæ fidei, qua se subjecerunt Constitutioni Alexandri VII. Factum illud definientis, & professi sunt à se sincero animo rejici & damnari quinque Propositiones excerptas è libro Jansenii in sensu ab authore intento; posse tamen intùs aliter sentire, quàm definitum sit, habere ut Catholicum sensum & librum Jansenii, & circa illud nonnisi ad unum reverentiæ & silentii obsequium teneri; omnem hanc alienam à sinceritate Christiana responsionem vergere in ludibrium & contemptum dictæ Censurę & Decreti Sacræ Facultatis suprà Formula fidei; imò ut in aperto est, Aposto-

Apostolicarum Constitutionum, Sanctionum Cleri Gallicani & Regiorum Edictorum.

„ Quibus expositis, & lectis postmodum „ ex integro Censurâ Sacræ Facultatis ad- „ versus epistolam Antonii Arnaldi, & De- „ creto super formula fidei, & articulo præ- „ fati scripti *Cas de conscience*, qui ad præ- „ dictam Propositionem pertinet, eoque di- „ ligenter collato cum prædictis censura & „ Decreto, D. Syndicus postulavit, quod „ sequitur: Primo ut Sacra Facultas reno- „ vet & confirmet censuram latam 31. Ja- „ nuarii 1656. in libellum, cui titulus est: „ *Lettre de Monsieur Arnaud &c.* & Decre- „ tum super formulâ fidei datum 2. Maii an- „ no 1661.

„ Secundò declaret, Propositionem con- „ tentam in Libello cui titulus est: *Cas de* „ *conscience*, quâ de Clerico, qui se subscri- „ psit formulæ fidei ab Alexandro VII. sanci- „ tæ, hoc statuitur: *Il lui suffit d'avoir une* „ *soumission de respect, & de silence pour ce-* „ *que l'Eglise à decidè sur le fait de Janse-* „ *nius*, adversari prædictæ censuræ in epi- „ stolam Antonii Arnaldi, & Decreto super „ formulâ fidei.

„ Tertiò: Hanc eamdem Propositionem „ damnatam pronuntiet in prædicta censurâ „ adversus epistolam Arnaldi, eamque affi- „ ciat iisdem Notis, quibus proscripta fuit „ Arnaldina Propositio, quæ dicitur Facti.

„ Quartò: Quoniam in scripto *Cas de con-* „ *science* præfatæ Propositioni: *Il lui suffit*, „ præmittitur, Pœnitentem, cujus opinio- „ nem innoxiam Doctores illi censuerunt, „ subscripsisse Formulæ sancitæ ab Alexan- „ dro VII., quæ adjunctum habet juramen- „ tum, hanc adhuc notam addat prioribus, „ nempè quòd illa ipsa Propositio memorata „ *Il lui suffit &c.* faveat mendacio & perju- „ rio, quâ ratione ipsam proscripsit Eminen- „ tissimus Archipræsul in mandato adversus „ prædictum scriptum *Cas de conscience* pro- „ mulgato 22. Februarii anni 1703.

„ Quintò: declaret, se nunc non attin- „ gere, aut expendere cetera scripti, cui ti- „ tulus est *Cas de conscience*, capita.

„ Sextò: Perspectâ duorum præfatorum „ Magistrorum pertinaciâ decernat, ipsos è „ sinu suo repellendos, expungendosque ex „ Albo Doctorum, & ipso facto repulsos ex- „ punctosque, nisi infrà mensem consilium „ mutaverint, ceterorumque, quos in pro- „ baudo scripto socios habuere, Magistro- „ rum exemplo inconsultam deliberationem „ revocaverint, & insuper censuræ adversus „ epistolam Antonii Arnaldi, Decreto su- „ per regulâ fidei, & præsenti conclusioni „ subscripserint, atque de his omnibus cer- „ tiorem fecerint Sacram Facultatem. Quod „ ut præstetur faciliùs & certiùs curam de- „ mandet Sacra Facultas Syndico scribendi „ epistolam ad duos præfatos Magistros, quâ „ ipsos hortetur, ne communem Matrem, „ ipsorum amantissimam, diuturniori mole- „ stiâ afficiant; sed prompto ad meliorem „ mentem reditu, & , uti par est, docilitate „ solentur.

„ Septimò: Seligat Deputatos, qui Emi- „ nentissimo D. Archipræsuli referant, quid „ actum fuerit à Sacra Facultate, ipsumque „ rogent, ut gratiarum actiones, vota, & „ obsequia, & gratulationes totius Ordinis „ Regi optimo & religiosissimo, nomine Sa- „ cræ Facultatis offerat.

„ Quæ cùm missa essent in deliberatio- „ nem, ab honorando Magistro nostro Fran- „ cisco Joisel Decano & Comitiorum Præsi- „ de, in generali sua Congregatione, cui „ adsuete plusquam 150. Magistri, communi- „ bus votis sic censuit.

„ Primam Propositionem contentam in „ Libello, cui titulus est: *Cas de conscience* „ *proposé par un Confesseur de Province, tou-* „ *chant un Ecclesiastique, qui est, sous sa* „ *conduite, & resolu par plusieurs Docteurs* „ *de la Faculté de Theologie de Paris*, quâ „ dicitur, *Il lui suffit d'avoir une soumission* „ *de respect & de silence pour ceque l'Eglise* „ *à decidè sur le fait de Jansenius*, adversa- „ ri censuræ Sacræ Facultatis latæ die ulti- „ mâ Januarii anno 1656. in epistolam An- „ tonii Arnaldi, & Decreto ejusdem super „ formulâ fidei dato 2. Maii 1661.

„ Secundò: Inhærendo prædictæ Cen- „ suræ adversus epistolam Antonii Arnaldi, „ præfatam Propositionem *Il lui suffit d'avoir* „ *une soumission de respect & de silence pour* „ *ceque l'Eglise à decidè sur le fait de Janse-* „ *nius*, damnandam esse, ut & ipsam damnat „ iisdem notis, quibus in prædicta censura „ proscripta est prima ejusdem Antonii Ar- „ naldi Propositio, quæ dicitur *Quæstio* „ *Facti*, nempe ut temerariam, scandalo- „ sam, injuriosam Summis Pontificibus & „ Episcopis Galliæ, atque etiam ut præben- „ tem occasionem renovandæ ex integro „ post damnationem Jansenii doctrinæ: & „ in quantum eâdem Propositione præfatâ „ dicitur illud obsequium reverentiæ & si- „ lentii sufficere, etiam eis, qui subscripse- „ runt Formulæ fidei, quæ adjunctum ha- „ bet juramentum ex sanctione Alexandri „ Septimi, prædictis notis hanc etiam esse „ adjiciendam, ut & adiicit, nempe quod fa- „ veat mendacio & perjurio.

„ Tertiò : Stare debere inconcussam, sicut „ & re ipsâ apud ipsam semper stetit, & stat, „ authoritatem prædictæ censuræ adversus „ epistolam Antonii Arnaldi, & prædicti „ Decreti super formulâ fidei, adeò ut qui- „ cumque Magister, aut Candidatus adver- „ sus utrumque, aut alterutrum, uti & ad- „ versus præsentem conclusionem aliquid „ scripsisse, dixisse, aut prædicasse depræ- „ hensus fuerit, eo ipso à Sacra Facultate „ pulsus habeatur.

„ Quartò : indulgendum præfatis duobus „ Magistris Nicolao Petit-pied Lectori Sor- „ bonico, & Hyacintho de Lan Ecclesiæ Ro- „ thomagensis Theologo, spatium unius „ mensis à die notitiæ ; intra quod nisi da- „ tam prædicto Libello, cui titulus est : *Cas* „ *de conscience* subscriptionem sincerè revo- „ caverint, & præsenti conclusioni, ac præ- „ dictis, licèt jam antea ipsis subscripserint, „ censuræ adversus epistolam Antonii Ar- „ naldi, fideique formulæ in Decreto Sa- „ cræ Facultatis receptæ, absque ulla re- „ strictione aut exceptione subscribant, & „ de his omnibus certiorem fecerint D.Syn- „ dicum, ipso facto absque ulla alia delibe- „ ratione habebuntur exclusi à Sacra Facul- „ tate, & spoliati jure Magisterii.

„ Quintò : Scribendam à D.Syndico epi- „ stolam duobus præfatis Magistris, qua ipsos „ adhortetur, ut depositâ tandem pertina- „ ciâ vocem Sacræ Facultatis ipsorum ma- „ tris dociles audiant.

„ Sextò: Adeundum esse Eminentissimum „ D.Archipræsulem per Venerabilem D.De- „ canum, & sex Sapientissimos Magistros „ nostros seniores, & Syndicum, qui ipsi „ renuntient, quid actum sit à Sacra Facul- „ tate, ipsumque orent, ut Regi Christia- „ nissimo testificetur, quanto grati obsequii „ sensu delatum ad se jussu Regio præsens „ negotium Sacra Facultas exceperit, quàm „ concordi & felici deliberatione confecerit, „ & nomine Sacræ Facultatis Religiosissimo „ Principi gratuletur dignum Ecclesiæ Pri- „ mogenito continuum defendendæ fidei „ zelum ac studium.

„ Ultimò : Ut omnibus magis ac magis „ innotescat, Sacram Facultatem in docen- „ da sana doctrina, & asserenda Ecclesiæ au- „ thoritate constare sibi semper, typis man- „ danda esse latino ac vernaculo idiomate „ curâ D.Syndici, & publici juris facienda, „ præsentem conclusionem, censuram ad- „ versus Libellum *seconde Letre de M. Ar-* „ *naud* latam ultimâ Januarii anno 1656., „ & Decretum super formulâ fidei datum „ 2. Maii 1661.

„ Cæterùm licèt Sacra Facultas unum „ tantùm suprema memorati Libelli, cui ti- „ tulus est *Cas de conscience* caput damnet, „ declarat se non intendere alia probare in „ eo contenta, quæ nunc non expendit „.

Infrà habebatur de Mandato &c. & signatum erat *Carolus de Champreille*.

CAPUT XXII.

Jansenistarum Gallorum adversus Cleri sui censuram rebellio.

1 Inter Romanas Walonii epistolas conspicitur scriptum prolixius, continens notas in censuram Antistitum Gallicanorum superiore capite relatam contra Propositiones quatuor prodromas *Casûs conscientiæ*, totamque Jansenismi materiam synopsi subdolâ complectentes.

Quamvis scilicèt libros Walonius non ederet ; Censorem tamen agebat quodammodò generalem alienorum operum, non parcens ulli, sive Apostolicæ Sedis, sive Gallicanorum Antistitum Decreto, præsertim si Jansenianæ contineret quidpiam hæresi adversum. Scopus autem istiusmodi Notarum fuisse videtur præcipuus, ut Arnaldo, dum viveret, & postea Quesnello materiam libellorum suggererent.

Sic igitur in Gallorum Antistitum censuram, memoratos quatuor Articulos ferientem Walonius animadvertit pag. 4. " Qualis „ Episcoporum affectatio ! Censuræ dogma- „ ticæ initium ducere à Libro, qui unicè „ compositus est adversus perniciosas & ma- „ ximè erroneas novitates *Nodi Sfondra-* „ *tiani*, cui Comitiorum Antistites præcipui „ propalam adversantur, Liber undè Propo- „ sitio decerpta est, ipsis dicatus cernitur „ Comitiis epistolâ nuncupatoriâ maximè „ reverenti, & Ecclesiæ Gallicanæ honori- „ ficâ....Libelli cæteri, qui ab Episcopis re- „ prehenduntur, extra Galliam typis editi „ sunt absque authoris, typographi, atque „ approbatoris nomine, ideoque indigni „ Comitiorum examine & censurâ „.

Pag.5. " Quod in Antistitum censura „ dicitur, *Nisi eum, qui aut Constitutioni-* „ *bus Apostolicis detrahit*, additum est in „ eum finem, ut nunquam desint, quos ve- „ luti Jansenistas persequi liceat, sectæque „ chimericæ tribuatur existentia.

Pag.7. " Vocabulum *Sanctissimus* con- „ ceditur cuilibet Pontifici, dum inter vivos „ est, at post obitum parum convenit tali, „ qualis fuit Alexander VII. „.

Pag.9. " Quod in Propositione prima asse-

„ asseritur, *Jansenismum esse phantasma*, af„ firmatum legimus quadraginta annorum „ spatio libris innumeris. Non merebatur „ istud censuram Antistitum. Existatne etiam„ num Jansenistarum secta, quæstio facti est, „ de quo publicum & commune postulan„ dum est judicium. Undenam autem acci„ dit ut Episcopi Aulæ præsidio suffulti, nul„ lum hactenus invenerint, contra quem „ procederent *servato juris ordine* „?

Pag. 11. " Dum se Episcopi Jansenista„ rum adversarios profitentur, debuissent di„ stinctè evolvere æquivocum istiusmodi „ verborum *sensus Jansenii*, & declarare „ quod nec fides, nec juramentum exigatur „ circa *Factum*; alioquin perennis erit ani„ morum carnificina, & persecutio probo„ rum propter id solùm, quod dilucidè & „ sincerè loqui cupiant, ubi jubentur adhi„ bere testem Deum, & Sancta ejus Evan„ gelia „.

Hactenus Walonius in Notis ad Quesnellum transmissis die 2. Octobris 1700., in quibus, ut patet, varia postulant castigationem; sed ne eadem, aut similia sæpius repetenda sint, malo Walonii animadversionibus jungere prius aliquas Quesnelli ac tandem Gerberonii audaciores, qui sicut minùs, quàm prior dissimulare noverat, magis deprehenditur temerarius; sed & minus hypocrita.

Quesnellus itaque in *Epistola ad quamdam secundi Ordinis Deputatum* in Comitiis Cleri, pag. 6. " Generosis istis Episcoporum „ (Jansenii potissimùm & similium) defenso„ ribus vertitur crimini, quod Principes tem„ porales & Ecclesiæ Pastores admoneant „ Jansenismum istum esse imaginarium, ne„ que reperiri, nisi in eorum phantasia, qui „ veritatis pariter & justitiæ inimici sunt „.

Pag. 18. " Circa aliud accusationis ca„ put (quod triennio post in *Casu Conscientiæ* „ condemnatum est) dicuntur Præsules Ve„ stri nihil conclusuri, nisi post maturioris „ consilii deliberationem. Res delicatissima „ est: non decet eos honorem suum expo„ nere discrimini, definientes, quod neces„ se nobis fuerit refutare. Exemplum *Juris* „ *à Facto*, in Janseniana causa, juxta supe„ riorum Comitiorum sententiam *insepara*„ *bilis*, quod illius cærus macula est & de„ decus sempiternum, terrori esse debet Co„ mitiis hodiernis, ne simili apud posteros „ opprobrio se reddant obnoxia „.

Gerberonius qui Quesnellum, ut monui, superat candore, simul impudentiâ & temeritate, *Exhibitionem* edidit, quam vocat *Charitatis pro Domino Cice*: ubi pag. 44. ait " „ Incumbit Præsulibus nostris ostendere, in „ quo consistat hæresis, quæ ab eis Jansenii „ appellatur: Quis eam doceat Magister; „ Quis discipulus sectetur, alioquin zelus „ iste delirium reputabitur, aut phrenesis „ Antistitum seductorum „.

Ibid. " Clerus noster è phantasmate hæ„ resim fingit, veluti existentem; nos au„ tem credere malumus Episcopos fingendo „ talia somniasse. Jansenismum definiunt „ sectam esse hæreticam, quod quid aliud „ est, quàm Augustini sensui, quem nomi„ nare non audent, hæreseos maculam affri„ care? Nominare, inquam, Doctorem „ Sanctissimum non audent, veriti, ne „ Catholicorum omnium clamoribus ob„ ruantur „.

Pag. 45. " Eheu! Quis credidisset, de„ lapsuros eò Galliæ Antistites, ut anathe„ ma dicerent Augustino, ac Pelagium de„ fenderent „? Ita Gerberonius, qui non contentus Opusculo ad Gallicanum Præsulem directo, quo Comitia Cleri Generalia scurrilibus adeò lacessit improperiis, vulgari eadem inseruit Cantico, quod à plebeis utriusque sexus, etiam pueris per compita, nocturnis diurnisque vocibus frequentaretur. Nonne istiusmodi scripta Ethicam sapiunt severiorem, charitatemque in actibus singulis necessariò dominantem, quâ solâ damnabilis cupiditas juxta novos istos Augustini discipulos valeat evitari?

Ita suos instituit nova Ecclesia proselytos: talibus in illa prælucent exemplis Presbyteri, etiam Religiosi, neque hi vulgaris inter Regulares Ordinis; Verùm etiam maximè *Reformati*. Nunquid & nos iniqui nimium fuerimus erga istiusmodi Sanctos; si credimus eos *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*? Imò, inquiet cum Quesnello Gerberonius, ista aptissima *Sancti Pauli imitatio est*: istud est *pati pacificè excommunicationem & anathema*, etiam *injustum*.

Non defendere *veritatem*, ubi necessitas postulat, est eam procul dubiò *prodere*. Unde obstinatis Jansenii defensoribus, dum suam conspiciunt, à Romana Ecclesia proscribi iteratis toties sententiis novitatem, dum omnis eam ratio deficit, neque destituit solùm, sed etiam ferit authoritas, quando denique non juvat ampliùs hypocrisis apertè nimium detecta, quid aliud superest, quo se novi hæretici tueantur, nisi recursus ad clamores & convitia, quibus sperant se formidinem adversariis, etiam Episcopis & Pontificibus injecturos, ut à sui insectatione deterreantur?

Verùm

Verùm occurrit aureum S.Cypriani monitum epistola 55. ad Cornelium Papam: *Si ita res est*, inquit, *Frater ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernanda sublimi ac divina potestate, nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus; si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus.*

Alia Jansenistarum Walonio authore fallacia est, loca omnia, Gallias potissimùm per suos in Belgium, maximè Batavicum, profugos, implere lucubrationibus anonymis, venenum hæresios latissimè spargentibus. Dum autem in eas censura stringitur, vociferati quasi indignum foret Præsulibus, seriam talium operum, ab omnibus quodammodò desertorum, instituere disquisitionem. Dolo ea perniciosissimo composita, summo studio à Novatoribus ubique divulgantur, commendantur, obtruduntur omnibus, ingentem ubique fidei stragem pariunt, & interitum animorum; nec tamen, si Walonius audiatur, decebit Episcopos eorum intendere examini & cursum anathemate cohibere.

Istud pariter Romę Generalis idem Jansenistarum Agens persuadere dudum Sac. Inquisitoribus conatus est, cui nec defuere ejusdem factionis & fallaciæ adjutores perfidi, qui illud etiam sceleratius excogitavere mendacium, quasi Galliam & Belgium inundantes libelli infames: contra Religiosos Ordines, contra Episcopos, contra ipsam Apostolicam Sedem ejusque Sanctissimas Constitutiones non prodirent authoribus iis, qui vulgò Jansenistarum nomine appellantur; sed eorum adversariis ad conflandam Augustini discipulis invidiam.

Multis quoque minimè malis hypocrisim ignorantibus Jansenianam, haud videbatur verisimile, à viris adeò modestis, & ethicam profitentibus severiorem, istiusmodi fingi posse mendacium, vel eorumdem sive studio, sive consilio & conspiratione talia edi Opuscula.

Verùm Divina Ecclesiam gubernans providentia, primùm ex stratagemate falsi *Arnaldi*, licèt simplicitati non ubique congruo, dein & captivitate Gerberonii, Brigodii atque Quesnelli cum omni scriptionum armamentario, istud elicuit pro Ecclesiæ incolumitate beneficium, quod detexerit palàm Jansenianæ mysterium iniquitatis, & convicerit hypocrisim nullis inposterum, nisi decipi volentibus nocituram.

Tunc enim centenorum operum exitialium scriptores documentis authenticis innotuere. Denique licèt Sedis Apostolicæ vigilantia & circumspectio aliquandiù fraudibus Novatorum à remedio adhibendo retrahi videatur, eum tamen adversus Petram Ecclesiæ prævalere nequeant *portæ Inferi*, non diù Romanæ prudentiæ illuditur; ut ex ipso discimus Cypriano, nemini, etiam Pontificum, solito adulari. Epist. 55. *Romam* (inquit) *cum mendaciorum suorum mercibus navigaverunt; quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret .... Navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta est, & à schismaticis literas accipere, nec cogitare eos esse Romanos, & quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.*

Impudens Walonii interrogatio est, Episcopis insultantis, cur nullum in Gallia Jansenianum, favore curiæ nixi, comprehenderint, si vera sit eorum, de prætensis Jansenii sectatoribus querimonia. Facilis & verissima occurrit responsio, causam impunitatis esse non unicam: Ipsorum in primis Jansenistarum fraudem exquisitissimam, & hypocrisim singularem, quâ nescio an ulla superiorum temporum hæresis unquam pepererit callidiorem.

Dum enim in Galliis personarent omnia apologiis pro hæretico Jansenii systemate, quasi illæ ab inferis prodiissent, nullus comparebat uspiam author, nullus typographus vel approbator; sed scriptores istiusmodi pestiferi, quasi virulentarum artifices potionum, cum tutum sibi in Francia non arbitrarentur, latebras in Belgio, præsertim Batavico delegerunt.

Satis noverant, nullum sibi propter scriptiones fidei contrarias periculum creandum in Hollandia à potestate laica, Romanæ opposita Ecclesię, neque à Clero præcipuo passim connivente, vel etiam patrocinante novitati.

In Brabantia autem orthodoxâ scripsit ad Norisium Quesnellus: *A solito hominum commercio segregatus locum incolo, vix paucis amicis notum, paucioribus pervium*. Idem scribere potuissent Arnaldus, Joseph Brigode, Gabriel Gerberon, pro quibus anxium se pluribus literis ostendit Walonius, ne Archiepiscopi Mechliniensis vigilantiâ deprehensi caperentur.

Non fuisse timorem panicum, eventus docuit. Horum interceptio, plurimorum indicium fecit, quorum non pauci tum Archiepiscopo, tùm potestati laicæ in Belgio &

Gallia

Galliæ pœnas dederunt, etsi facinoribus leviores. Antea Gilbertium Duacenæ Universitatis Cancellarium hæresios condemnavere Episcopi Atrebatensis & Tornacensis cum pluribus à Parisiensi Archiepiscopo, iussu Regio consultis Sorbonæ Doctoribus. Cancellarium hunc cum aliquot ei & Arnaldo adhærentibus mulctavit Christianissimus exilio.

Vindictæ alios non innocentia; sed scaleratior subtraxit instructa fraude multiplici, etiam perjurio hypocrisis. Quem enim à Jansenianæ hæresios suspicione non liberet Formula Alexandri VII. signata cum juramento simpliciter, absque ullo exceptionis indicio? A Quesnelli verò asseclis intentio restringitur ad significationem fictitiam; totus sensus Jansenii, mente subdolâ, imò sacrilegâ excipitur, dum verbis disertissimis ejuratur.

Postulatio frivola est; seu non expers fallaciæ, dum adversarii ab Episcopis exponi sibi cupiunt, quid Jansenianæ hæresios nomine intelligant, quasi Propositiones quinque ab Innocentio X. Alexandro VII. & succedentibus Pontificibus condemnatæ censurâ hæresios, communem fugiant intelligentiam Theologorum.

Minimè obscuræ sunt in se, minùs etiam in Jansenio, in quo lucidis adeò circumstantiis, præviis & consequentibus splendescunt, ut qui tenebras eis affingere voluerit, necesse sit lectoribus oculos eruat, nisi quos novitatis libido, tanquam injecto pulvere, teneat offuscatos. Antequam Jansenii Propositiones anathema subierunt, sensum earum perspectissimum habuere ejus discipuli.

Ita professi sunt libris pluribus, & pro eo tanquam pro aris & focis contra adversarios decertarunt. At ubi hæreseos illæ infamiâ notatæ sunt evanescere cœperunt, nec ampliùs à Jansenianis videri in Jansenio. De qua eorum perfidia graviter questi sunt Gallicani Præsules in Comitiis Generalibus, communi epistolâ ad Alexandrum VII. datâ anno 1656. die 2. Septembris, cujus antequam verba proferam, suo Jansenianos convincere lubet testimonio; quo nullum esse queat in nova Ecclesia magis irrefragabile.

Illud est Natalis de la Lane, qui fuit Abbas B. M. de Valle crescente Doctor Sorbonicus, & Jansenianæ pro defendendis quinque Propositionibus ad Innocentium X. Legationis antesignanus. Audiatur Liber ejus de *Gratia victrice*, quem pluribus munitum edidit approbationibus suorum.

* Ibi pag. 10. 16. 18, 21. & 22. *Propositiones* (inquit) *quinque Jansenii in sensu orthodoxo, à quo alienæ non sunt, possunt intelligi: ad doctrinam de gratia efficaci referri omnes possunt. Verissimæ sunt, maximèque Catholicæ; eo videlicet sensu, quo illas adversus Jesuitarum errores sustinuit* (Jansenius) *Iprensis Episcopus, & quo illas neque Ecclesia, neque S. Sedes damnabit unquam. Omnes Christi fideles ad eas in materia de gratia efficaci propugnandas obstringit religio.*

Illo sensu neque negari possunt, neque oppugnari, nisi ab eo, qui Pelagianorum, aut Semipelagianorum erroribus implicatur. Hæ Propositiones ab omni censuræ periculo absunt longissimè: & quidem usque adeò ut Ecclesiæ fides & vera Christianæ gratiæ doctrina iis potissimùm contineatur. Ad sanum illarum sensum stabiliendum opera elaborata sunt complura; præcipuè verò incomparabilis illa (Antonii Arnaldi) *pro Sanctis Patribus Apologia, quæ jam recens in lucem editur. Sensum denique tam sanum, quo Iprensis Episcopus allique Sancti Augustini discipuli eas huc usque sustinuerunt, discerni oportet ab hæretico.*

Librum illum Lalanius nomine, non quidem proprio, sed fictitio *de Bon-lieu*, edidit, allusione ad locum Monasterii *Valliscrescentis*, cujus, ut dixi, gaudebat titulo Abbatiæ. Sed nomina sua non dissimulavere Approbatores, cum nondum videretur imminere tantum à Rege Christianissimo periculum. Hic etiam notari obiter meretur, quod Girardus Lalanii potissimùm operâ seu consilio, composuerit illam quinque Articulis contentam fidei Professionem, quam sibi ad integram Orthodoxiæ probationem sufficere Quesnellus sæpius vociferatur, quodque eandem inter primos Lalanius adoptarit:

Denique quod Quesnellus Articulis illis aliquoties recusis hanc annexuerit, quam studiosè omnibus inculcari voluit, animadversionem, dicens: *Unum est quod observari maximè velim, nempe Articulos istos* (Arnaldi Lalanii, & cœterorum) *omnium consensu probatos, Augustinianis non arte elicitos, non metu extortos, non argumentorum vi expressos; sed sponte oblatos, penè obtrusos; nec colloquii istius peractionem fuisse; sed Prodromum. Neque hoc mirum cuiquam videri debet, cum eandem semper doctrinam docere se illi professi sint libris innumeris, illoque in primis cui titulus: Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici super illa Propositione SS. Chrysostomi & Augustini*, DEFUIT PETRO TENTATO GRATIA, SINE QUA NIHIL POTERAT, *Dissertatio Theologica &c.*

Quâ igitur fronte Waloniius, Gerberonius, Quesnellus Archiepiscopos & Episcopos suos, in Comitiis Generalibus definientes, Jansenismum minimè phantasmatibus annu-

annumerandum, audent lacessere, velut inani delusos opinione? Quomodo non eos pudet ad suos nos remittere majores, Professionis subdolæ architectos, quos constat Jansenii Propositiones quinque hæreticas, in sensu proprio & obvio defendisse, rejecto solummodo sensu improprio, qui eis nonnisi *malignè affingi posset*?

Sed digna Jansenianis fallacia est, quòd Propositiones quinque, quæ antè anathema fuerant Jansenii, & debuerant juxta eos esse Catholicorum omnium, post anathema negentur traditæ ab ullo inter Catholicos: Similiter Propositionum significatio, quæ omnibus, maximè Jansenistis, obvia priùs fuerat & germana, cœperit eisdem esse exotica, aliena, fictitia. Quæ autem priùs ad Propositiones legitimè sumptas pertinebat minimè, sed solâ eis interpretatione *malignâ poterat affingi*, nunc jubentibus Jansenianis in *propriam* mutata sit & *obviam*, *quam Propositionum verba per se exhibent*.

Ut nempe à novis istis Augustini discipulis, fidei pro libitu invertendæ potestas, sibi omnimoda vindicatur; sic mutandæ cujuscumque in vocibus significationis. Ne tamen existimes, Jansenianos sine ulla, saltem commodi sui, ratione in his sensuum attributionibus variasse; Prior necessaria videbatur, ut, si Propositiones damnari contingeret, solum diceretur Pontifex sensum proscribere *alienum*, *improprium*, *quem legitimè sumptæ non habent*; sed solùm maligna eis potest affingere interpretatio.

Quando autem postea Sedes Apostolica declaravit sensum non fictitium; sed reverà à Jansenio in suo libro apertè traditum, eumque obvium, quem Propositionum verba per se exhibent, tunc necessarium Jansenianis fuit mutare clypeos, & quem antea meritò vocaverant alienum, atque fictitium, nunc appellatione perfidâ mutare in obvium, ne doctrina sua verè impia, blasphema & hæretica; sed aliena quædam & fictitia talibus notata maculis videretur. Nunc Cleri Galliæ de hoc testimonium in memorata ad Alexandrum VII. epistolâ videamus.

Promulgatum à Gallicanis Episcopis decretum (Innocenti X.) *studiosè amplexi sunt Fideles populi, demptis paucis, qui de Jansenii doctrina nihil constitutum fuisse, palàm eùm simularent, intimis animorum sensibus ex illius damnatione urebantur. Horum cavillationes sine mora comprimendas rati, judicio suo decreverunt religiosissimi Episcopi, quinque Propositiones illas ad Jansenium pertinere, ejusque opiniones fuisse proscriptas. Quam suam sententiam cùm retulissent ad eundem Pontificem Maximum, illam humanissimis verbis non solùm probavit; sed autoritatis Apostolicæ pondere de integro confirmavit, Brevi dato ad hunc Cleri Gallicani cœtum .... Eâdem sane mentis alacritate illud suscepimus, quâ Concilii Africani Patres ab ipsis expetitam Zozimi epistolam amplexati sunt, quæ Pelagii atque Cœlestii errores, quos clanculùm propagabant, peremptorio Decreto prostravit. Iisdem artibus grassantur novæ sectæ discipuli: ac propterea ut à capitibus suis fulminis Apostolici amoliantur ictum (licèt ob firmato animo quinque Propositiones Jansenio iterum abjudicent) ad Facti quæstionem, in qua Ecclesiam posse falli docent, controversiam deducere nituntur.*

Quas ingeniorum versutias verâ prudentique verborum complexione infregit Breve Apostolicum: quod tricis illis syllabarum ad umbratiles scholarum disputationes relegatis; decisionisque autoritate ad juris quæstionem restrictâ, doctrinam Jansenii, quam opere illo suo explicuit in materia Propositionum confixarum, Pontificiâ Constitutione damnatam fuisse declarat.

Dein institutum prosequens Alexander Septimus Diplomate *Ad Sanctam* pronuntiat *iniquitatis filios*, quicunque prædictas quinque Propositiones, vel in Libro Jansenii non reperiri; sed fictè & pro arbitrio compositas fuisse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas esse, asserere non reformidaverint.

Ad Walonii igitur eique adhærentium quæstionem, quid nomine Jansenismi à Galliæ Clero & universa Ecclesia Catholica, juxta definitiones Apostolicas intelligatur, quid condemnetur, facilis responsio est, intelligi & damnari sensum Propositionum obvium, quem & verba ipsarum, & Liber Jansenii locis plurimis, modis & phrasibus maximè variis clarissimè exhibent, quem in Jacobo Gilberto post Doctores Sorbonicos damnavere Tornacensium & Atrebatensium Antistites, ambo adversariis minimè suspecti, quem plures Galliæ Præsules, etiam Aquensis Senatus Regius in impio Gerberonianæ *Pietatis Speculo*, atque ipse Eminentissimus Noailles in ejusdem Gerberonii *Expositione fidei*, tanquam hæreticum, & Jansenismi quodammodo compendium proscripsere.

Interrogent Walonius & Quesnellus *Sapientissimos Magistros* Sorbonicos, quid in secunda Arnaldi ad Parem Franciæ epistolâ Jansenianum & hæreticum censuerint eorum Majores, quid in eadem execrentur eorum posteri, omnes, inquam, Doctores & Baccalaurei, qui ab anno 1656. in hunc usque diem fuere, nemine gradum Academicum adipi-

adipiscente, nisi qui censuræ pristinæ subscribendo hanc Arnaldi Propositionem: *Defuit Petro tentato gratia, sine qua nihil poterat*, declaraverit *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam*.

Neve tanto forsitan annorum spatio obsolevisse judicium illud, & Decretum, Novator quispiam obtenderet, solemni nuper statuto vetusta sanctio confirmata est. Hunc ictum novæ hæresi fatalem non præviderat Quesnellus, sive quisquis author est *Causæ Arnaldinæ* editæ anno 1699. in cujus præfatione hoc fundit vates temerarius Oraculum: *Tempus erit aliquando, cùm Sacra Facultas tam indigni judicii pudenda mysteria revolvens, & illatam tam sibi charo, tam omnibus venerando capiti injuriam exhorrescens, conflatam indè invidiam à se depellere seriò cogitabit, censuram è suis Commentariis erasam, excisam volet.*

Quod tunc centum & triginta suffragiis contra novam hæresim definitum fuerat, aliis quibusdam refragantibus, nunc communi sententiâ Comitiorum, quibus ultra centum & quinquaginta Doctores intererant, gaudet Ecclesia Catholica (solis ringentibus hæreticis) in perpetuum stabiliri.

Ibid. de Arnaldi vindiciis præmittitur, *nihil istas profuisse apud professos Arnaldi inimicos, facinoris duces, qui cæco impetu ad censuram publicandam, & Collegam suum atroci aliqua notâ infamandum properabant, cujus occasionem sibi quavis satisfactione eripi impatientissimè ferebant.*

Ex Apologiis istis aliquot reperio ab Alexandro VII. anno 1657. 6. Septembris damnatas & prohibitas sub pœnis & censuris in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis.

Inter proscriptas ibi Arnaldi vindicias sunt sequentes: *Epistola & Scriptum ad Sacram Facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 6. Decembris 1655.*

Scripti pars altera ad Sacram Facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 10. Decembris 1655.

Epistola & alter Apologeticus ad Sacram Facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 17. Januarii anni 1656.

Epistola inscripta Viro Sapientissimo Henrico Holdeno Sacræ Facultatis Parisiensis Doctori, incipiens: Eà temporum conditione.

Vera S. Thomæ de gratia sufficienti & efficaci doctrina dilucidè explanata.

Expositiones Theologicæ, de quibus hodie maximè disputatur clarissimè demonstratæ.

CAPUT XXIII.

Frivola retunditur Arnaldinæ Causæ *excusatio*.

1 Si Apologiæ istius Authori objicias irreverentiam erga S. Sedem, ejusque violatæ authoritatis crimen, quando Opuscula Arnaldi memorato Alexandri VII. diplomate *prohibita & condemnata* in nuperis illis Magistri sui vindiciis integra rursus edidit; præoccupat in eadem Apologetici sui Præfatione: *Hoc* (inquit) *sanctè possum profiteri, in iis recudendis nihil quidquam admissum me voluisse, quod Apostolicæ Sedis honori, & Ordinationibus vel minimum detraheret. Quod igitur fecit necessitas defendendæ innocentiæ viri, tam benè de Ecclesia, & Apostolica Sede meriti, benignè, ut confido, accipiet Sedes Apostolica, quæ suorum filiorum innocentiam, malevolorum obtrectationibus obscurari non amat, multò minùs patitur Defensorum suorum famam inermem & indefensam invidorum patère calumniis.*

Bonum, ut dicitur, ex integra causa est, malum ex singulis defectibus. Non is probus Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ defensor est, qui lucubrarionis quidem aliquid pro fide Catholica contra hæreticos scripsit, dum plurima fidei & Apostolicis Decretis apertè adversantia simul composuit ac divulgavit.

Pridem hanc hæreticorum fallaciam detexit S. Gregorius lib. 7. epist. 57. *student*, inquit, *ut pro fide certare videantur*. Pessimus hæresiarcha Nestorius, cùm Patriarcha Constantinopolitanus esset, Imperatorem, teste Socrate lib. 7. cap. 29. sic affatus est: *Mihi, ô Imperator, terram hæreticis purgatam tribue; & ego tibi cœlum tribuam: Tu mihi in profligandis hæreticis subveni, & Ego tibi in profligandis Persis subveniam.*

Istud agunt istiusmodi hæresiarchæ, ut cum fidei defensores apparuerint, atque ita sibi in Ecclesia conciliaverint authoritatem, novitates suas faciliùs instillent simplicibus, ipsique Ecclesiæ Præpositi ab infligendo eis anathemate deterreantur. Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 16. *Quis eum*, inquit, *facilè errare crederet....qui quotidie palàm Divina tractabat eloquia, & noxios quoque Judæorum & Gentilium confutabat errores? Quomodo tandem iste modò non fidem faceret, se rectâ docere, rectâ prædicare, rectâ sentire, qui ut uni suæ hæresi aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur?*

Præsentiam Corporis Christi in Eucha-

ristia contra Calvini hæresim stabilivit Arnaldus: istud rectè, quanquam Petrus Jurieux inter Calvinistas celebris Arnaldum rideat, quod præsentiam Sacri Corporis comprobare se opere Theologico simulet, quam adoptatâ Cartesii Philosophiâ statuit impossibilem; suppositâ potissimùm cujusque corporis extensione actuali adeò necessariâ, ut ne minimum quidem ei detrahi valeat, quin tantumdem de essentia auferatur.

Quomodo igitur, si hæc rigidè intellecta subsistunt, Corpus, quod in Cœna ultima plurium pedum extensionem habuit, & nunc habere creditur in Cœlo, ad exiguam specierum particulam, & similem redigetur extensionem, retentâ essentiæ integritate? Prætereo Eucharistiæ usum ab Arnaldo in fraudulento Opere *De frequenti Communione* rarissimum redditum ac penè nullum; quin & re ipsâ nullum ab Arnaldi Sorore *Agnete à Sancto Paulo in Corona Sanctissimi Sacramenti*, si quidem lucubratio ista blasphemiis turgens, pluribus à Sancyrano contra Sorbonicos defensa vindiciis, ad Monialem istam potiùs, ut à Sancyrani Sectatoribus spargebatur, quàm ad ipsum pertineat Apologistam.

De hoc quidquid sit, fuerit etiam maximè serium Arnaldi pro mysterio Eucharistico certamen, non propterea hæresis ejus de gratia, nihil connexionis habens cum illo mysterio, dissimulari à Sorbona & Sede Apostolica debuit, neque ipse in utramque impudentissimè insurgendi assumere authoritatem.

Urbanus VIII. Constitutione *In eminenti* declaraverat, *ex diligenti & matura libri, cui tilus Augustinus* (Jansenii) *lectione compertum fuisse, in eodem multas ex Propositionibus à Prædecessoribus* (inquit) *nostris olim damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi.... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ & fidei Catholicæ perniciem vertenti*. Arnaldus tunc quidem imprudentiâ juvenili (sed quam senilis postea detestabilem magis reddidit pertinacia) elapso triennio prolixam edidit pro eodem Jansenii volumine Apologiam, in cujus Præfatione Apostolicæ Sedis Constitutionem arguens mendacii ait: *Doctrina Episcopi Iprensis* (Jansenii) *non est alia, quam S. Augustini.* Ibid. *Hujus Sancti Doctrina per Iprensem Antistitem potentissimè stabilita est.*

Contra istud autem quod dicitur in Bulla, *multas ex Propositionibus* (Bajanis) *olim damnatis contineri* (In Jansenii libro) *& magno cum scandalo &c. defendi*, respondet in eâdem Præfatione Arnaldus: *Non potest sine excæcatione voluntaria, & portentosa pertinacia negari, Propositiones Baji, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia doctrinæ S. Augustini*. Apologiæ huic alteram author idem superaddidit: Innocentius autem Decimus, utramque Apostolico profligavit anathemate.

Denique prout in ipso Theologiæ tirocinio imbutus à Sancyrano fuerat rebellionis spiritu contra Apostolicam Sedem, & amore novitatum quantumlibet ab Ecclesia damnatarum, voluit turbulentissimæ vitæ coronidem imponere editione famosorum novem Tractatuum, quos *Propositarum Steyaertio Difficultatum* nomine fallacissimo appellare ei placuit; quasi ad certamen aliquod Scholasticorum de adiaphoris, circa quæ disceptatio utrinque innoxia est, Lovaniensis Academicus provocetur, dum universa tractatuum moles, præsertim ultimi, qui cæteros longè superat magnitudine & malitiâ, non sit aliud, quàm scandalosa adversus plurimas Ecclesiæ sanctiones machinatio.

Neque hic, ut passim alibi, Novator larvâ decipit pietatis ac modestiæ, sed perduellionis audaciam ubique ostentare, Romanos Pontifices & constitutas ab eis Cardinalium Congregationes, aperto marte, & fronte imperterritâ aggreditur: Decreta omnia suis adversantia novitatibus conculcat, adeò ubique irreverens, adeò infrunitus, & temeritatem prodens schismaticam, ut ipsemer Walonius, qui scriptionis author consilio fuerat, viso opere exhorruerit, exhorruerint pariter ambo ejus Consiliarii Maille & Torreil, & vehementissimè doluerint, ut ex Walonii literis compertum est, *Partem* illam *Difficultatum Nonam*, hunc prætulisse titulum.

Cum enim omnibus controversiarum hujus temporis non incuriosis innotuerit, partes octo anteriores etsi anonymas, Antonio Arnaldo authore prodiisse, non poterat *Nona Pars* apud Romanos & omnes ubique Sedi Apostolicæ adhærentes, non afferre gravissimum contra Arnaldum ejusque socios præjudicium. Debebat in Romanorum mentibus destruere, quidquid Arnaldi causam in hac Curia agentes, tot annorum fraudibus & mendaciis, pro commendanda ejus hypocrisi velut pietate, & erga Sedem Apostolicam observantiâ fuerant operati.

Hic tamen, si Quesnello credimus, vir est de Ecclesia tàm benèmeritus & de Sede Apostolica, ut ægrè ferre eadem nequeat, quidquid damnatorum Arnaldi Operum novis

vis editionibus evulgetur. Saxeus porrò sit, qui non crediderit, tot relata ex Arnaldo & ejus vindice specimina, probationes esse modestiæ & *patientiæ* Jansenianæ, quæ in pace ferat *excommunicationes & anathemata* etiam *injusta*, minimè velit *se erigere contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Quis igitur fidem deneget Quesnello, sanctè profitenti, *in damnatis Arnaldi lucubrationibus recudendis, nihil quidquam admissum se voluisse, quod Apostolicæ Sedis honori, & Ordinationibus vel minimum detraheret*. Si Quesnellus operis istius author sit, non est verisimile, quod nunc præviderit, se cum omnibus suis scriptis capiendum ab Archiepiscopo Mechliniensi, atque ita deregendas suas contra fidem Ecclesiæ molitiones, contra Sedis Apostolicæ authoritatem, & omnia indè promanantia Decreta.

Sic nempè universos suos in Jansenii exercitu commilitones jubet esse memores & tenaces libertatis suæ, apud Catholicos hactenus inauditæ: *Habemus*, inquit, *nos hoc singulare præ aliis, quo nobis benè est, & quod semper retinebimus, quod nempè simus in possessione, eâdem semper prosequendi semitâ, quidquid opponant Romani Censores, & quodcumque Decretum ab hoc emanaverit tribunali*. Ita Epistola Quesnelli edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, occasione diplomatis Alexandri VIII, adversus Articulos triginta & unum.

In eadem tamen etiam epistola videri author cupit pro Pontificia dignitate sollicitus, dum ait: *Censores Romani præjudicant authoritati S. Sedis, quando ejus nomine edunt tales censuras; &, nisi cautiores fiant, efficient, ut in S. Sedem, aliunde Catholicis omnibus adeò venerabilem, redundet contemptus, qui Decretis talibus debetur*.

Hujus suæ rebellionis rationes Quesnellus reddit varias in eadem epistola: nempè, inquit, *Maxima pars Cardinalium & Theologorum* (qui adhibentur ad Censuras) *nihil intelligit. Ministri Curiæ Romanæ seduci se sinunt factionibus ad configendos doctrinæ articulos. Censores Romani promiscuè & pro libitu damnant, quidquid non congruit Theologiæ suæ dogmatibus, sæpè falsissimis, & vix aliquid habentibus de Theologia Patrum. Censores illi modicam habent antiquitatis notitiam; imò sæpè nesciunt, quod in recentioribus Theologis est optimum*.

Præterea *Censurarum Romanarum scopus est, fovere discordiam inter Religiosorum Ordines, & Theologos Catholicos. Decisiones Romanæ magis involvunt tenebris quæstiones, & disputationes protrahunt difficiliùs finiendas. Videntur Censores illi metuere, ne nimis citò oriatur in scholis concordia, atque ita Censoribus illis in posterum opus non sit. Ideo persuasum videtur eisdem Censoribus, non benè concepta fore sua Decreta, nisi novis ea tricis implicent, quæ authoritatem suam & Tribunal faciant necessaria. In Censuris illis exigua apparet æquitas & amor pacis: certum est decreta nostra civilia magis justa esse, & æquitati conformia, quam Ecclesiastica Romanæ Curiæ. Tribunal istud videtur latronum latibulum*, UN COUPEGORGE, *ubi Censores ita insidiantur hominibus, ut eos damnent antequam locum tribuant defensioni*.

Hactenus Quesnellus in epistola typis edita, quæ tam horrida ipsis apparuit. Trium viris causam Jansenianam in Romana Curia Agentibus Vvalonio, Torreil, & Maille, ut inde sibi meruerent; à se enim subministraram fuisse materiam, non levis suboriretur Romanis suspicio. Subrui quoque videbant humilitatis & modestiæ opinionem, quam studiosa tanti temporis simulatione tot fraudibus, & mendaciis conciliare penes plurimos cœperant, non sibi solùm; sed Quesnello pariter, Arnaldo & cæteris Augustini Batavi discipulis.

Lectorem nunc Catholicum obtestor, ut dispiciat, quàm seria possit esse Quesnelli Præfatio *Causæ Arnaldinæ*, & in ea Protestatio superiùs indicata: *Hoc sanctè possum profiteri, in iis*, post Sedis Apostolicæ prohibitionem *recudendis* (Arnaldi Operibus) *nihil quidquam admissum me voluisse, quod Apostolicæ Sedis honori, & ordinationibus vel minimum detraheret*.

Audiamus alterum candoris specimen, quo se Quesnellus ibi eximere parat à violatæ tam graviter reverentiæ, atque submissionis crimine: *Nolim* (inquit) *hoc loco dissimulare, cùm ista omnia jam recusa essent, & propè venum ibant, monitum me ab amico Romanarum rerum scientissimo, nonnulla è scriptis illis* (Arnaldinis) *Romano Indici fuisse inserta*. Istud à simplicibus sic accipiendum confidit, ut credatur ipse, cùm scripta eâ typographo traderet recudenda, ignoravisse celebrem & notissimam Theologis Bullam Alexandri VII. qua post octodecim *Ludovici Montaltii* (veriùs *Blasii Paschalis*) *epistolas*, vulgò *Provinciales*, & decimam nonam *Advocati* Janseniani, damnantur ac prohibentur Antonii Arnaldi Doctoris & socii Sorbonici opera sequentia, quæ ibi referuntur, & quorum *nonnulla* à Quesnello, ut vidimus, tacente, post prohibitionem Pontificiam suo recusa studio & imperio sunt.

Non audet homo vafer asserere, se, cum

Constitutio Theol. propugn. Tom. IV. O 2 *Causam*

Causam Arnaldinam typis committeret, ignoravisse sententiam Pontificiam, contra *nonnulla scripta Causam* illam concernentia, & constituentia partem ejus non minimam, *ab amico Romanarum rerum scientissimo, se de eo monitum, cùm omnia jam recusa essent, & propè venum ibant*. Quæ amici monitio consistere facilè potuit, cum eo quod etiam Quesnellus ante monitionem illam prohibitionis Romanæ fuerit, ut verbo ejus utar, *scientissimus*.

Cuinam enim rationis compoti, etiam Jansenianis partibus addicto persuadebitur, ut verisimile, quod Arnaldum ea Pontificis contra libros suos latuerit censura? Arnaldum, inquam, nullo aliàs distractum officio, curis mundi omnibus expeditum, solis ferè incumbentem studiis & scriptionibus pro novitatum, Bajanæ potissimùm & Jansenianæ hæresios divulgatione, pro concludenda angustissimis terminis authoritate Pontificiâ, pro Religiosorum sibi adversantium depressione?

Supposito igitur, quod nemo sanæ mentis negaverit, ignotam Arnaldo minimè fuisse Alexandri VII. contra tot scripta sua sententiam, quâ veri specie in dubium revocabitur, quin Quesnellus Arnaldi, ab eo tempore, quo uterque ex Gallia profugus, partim in Belgium Austriacum, partim in Hollandiam & Leodiensium ditionem se recepit, ut socius fuit individuus, contubernalis, & studiorum consiliorumque particeps, ita conscius fuerit damnationis in tot Arnaldi opera ab Alexandro VII. vibratæ, quæ in Gallia non solis Theologis; sed lippis quodammodo & tonsoribus innotuerat, quamque dein fuga reddidit celebriorem? Quapropter hanc ignorantiæ simulationem, non quidem inter aperta mendacia numerare possumus; cum absolutè se nescivisse non asserat, licet excusationis gratiâ ab aliis cupiat existimari. Saltem illa moniti cum talibus circumstantiis allegatio indubiè fallax est, & ad circumveniendum simplices unicè idonea.

Ad detegendam amplius Quesnelli hypocrisin lector Catholicus animadvertat, quòd is antequam *sanctè profiteatur*, se in recudendis post anathema Arnaldi Operibus, *nihil admissum voluisse, quod Apostolicæ Sedis honori & Ordinationibus vel minimum detraheret*, inquirat in anathematis rationem, neque aliam, si ei credimus, inveniat nisi hanc Janseniani Principis dignam ingenio: *Hoc scio*, inquit, *suspecta esse Albiziana tempora; quandiù enim Assessoris S. Officii munere functus est Albizius, Molinistis eorumque asseclis ad nutum obsequens, Augustini discipulos omni patrocinio destitutos, qua valuit authoritate protrivit*.

Si vera ea & sufficiens ratio habeatur, ut Arnaldinorum Operum confixio suspecta sit, facile erit Novatoribus, quamlibet eludere Sedis Apostolicæ sententiam, causando Assessorem S. Officii, aut aliquem ejusdem Congregationis Eminentissimum Cardinalem non esse authori Operis vel dogmatis benevolum; sed in ejus adversarios toto animo propendere; unde *suspecta* semper dici poterunt ea *tempora*, suspecta omnia eorumdem temporum judicia.

Non excidit nobis epistola Walonii data ex Urbe die prima Septembris 1691. à me sæpius indicata nuntians: *Si præsens Pontificatus* (Innocentii XII.) *quantumvis miserabilis quoad regimen, & res dogmaticas, perseveraverit, poterit in Congregatione S. Officii aliquid boni fieri contra Molinismum*. Quis hic non intelligat in Congregatione illâ tunc temporis non defuisse Molinistis adversarios, & quidem authoritate prævalentes? Hactenus tamen nullum socium, aut discipulum Molinæ scribentem vidimus, vel audivimus suspecta sibi suisque esse illius Pontificatus tempora, suspectam S. Officii Congregationem, & omnia illic contra se aut libros suos judicia.

Quod de *Albizianis temporibus* Quesnellus enuntiat, extensionem habet non exiguam; trium videlicet Pontificatuum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Sed quid opus recurrere ad frivolos Albizianorum temporum obtentus, nisi ut simplices decipiantur; quandoquidem *istud præ cæteris singulare habent* Quesnelli asseclæ cum suo duce, ut in relata ejus epistola legimus, *quod fixum animis retineant, eâdem semper progredi semitâ, quidquid opponant Romani Censores, & quodcumque Decretum ab illo emanaverit Tribunali*?

Eadem Quesnelli epistola monitos nos voluit, *Majori Romanos pollere ingenio, quàm ut existiment nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*. Ibidem omnem penitus erga Pontifices exuit, si quam unquam habuit, obedientiam, ita declarans: *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant nisi errores, & quando in forma legitima eos damnant, laudamus & approbamus sententiam, licèt Tribunal agnoscere non possimus*.

Sic Magni quoque Mufti, seu Sacerdotis Turcici, quamlibet talibus vestitam circumstantiis sententiam laudabimus, *licèt Tribu-*

Tribunal agnoscere non possimus. Eò itaque reducitur *Sancta* Quesnelli *professio, nihil quidquam admittere se voluisse, quod Apostolicæ Sedis honori & Ordinationibus vel minimum detraheret.*

Sic est pacificus in tolerandis excommunicationibus, quas ut alius ajebat, naso est solitus suspendere adunco. Religiosus adeò est, adeò reverens Pontificum & Episcoporum, ut quotiescumque novitatis quidpiam suæ, vel lucubrationis feritur anathemate, nolit *se erigere contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Allata specimina detraxere larvam hypocritæ, quantum sufficit, ne quis sapiens sinat se dolosissimis ejus obedientiæ vel religionis fictionibus circumveniri. Sed nondum statim finis: Supersunt recentiora non pauca, neque levioris ejus nequitiæ argumenta.

Adverterit superiùs Lector, me indicasse dubium de authore *Causæ Arnaldinæ*, seu potiùs *Præfationis* geminæ, & *Animadversionum* brevium in Sorbonica contra Arnaldum acta; præter quas nihil compositionis novæ liber ille complectitur: totus quoad cætera consistens in collectione Arnaldinorum aliquot operum, partim à Sede Apostolica damnatorum, partim damnatis consentientium; *Præfationis* autem utriusque & *Animadversionum* stylus latino idiomate non inelegans, neque dissimilis videtur lucubrationibus aliis, quas Quesnellus noscitur concinnasse. Quis etiam meliùs totam vitæ Arnaldinæ seriem, quæ in prima *præfatione* deducitur, habere potuit exploratam, quàm fidissimus ejus Achates, annorum complurium in *Sancta*, ut à suis dicitur, *familia* contubernalis, consiliorum, machinationum, laborum omnium particeps, totius sub unico *Patre Abbate* Janseniani *Ordinis Pater Prior*? Idem Arnaldo dein mortuo successit in Supremum regimen non solùm *Sanctæ* Bruxellis *familiæ*; sed etiam totius *Ordinis*, communibus Patrum, Fratrum, & maximè Sororum Portus-Regii suffragiis electus, retento tamen *P. Prioris* solummodò nomine, ob defuncti incomparabilis adeò *Abbatis* reverentiam.

Si quis tamen Quesnello inferior *Causam* sibi *Arnaldinam* vindicet, nolim hanc ei penes novum *Ordinem* gloriam, penes Catholicos infamiam invidere. Quanquam neque verisimile est, tanti momenti Apologiam, in illo *Ordine*, in quo tam mirabilis observatur subordinatio personarum, & moliminum communicatio, fabricatam fuisse & typis editam; nisi Supremo Capite conscio & approbante.

Quisquis demum author fuerit, excessibus encomiorum, quæ Arnaldo, ejusque sine discrimine lucubrationibus tribuit, insigniter se prodidit Jansenianum, & simulatâ Pontificiæ Constitutionis ignoratione hypocritam.

CAPUT XXIV.

Qualis fuerit Quesnellianorum in ferenda Constitutione Vineam Domini Sabaoth *patientia.*

1 SI quid antea cerebri fuerit *Petro Gratiano* in Hollandia Missionario, subversum penitus videtur, occasione Constitutionis, quam Clemens XI. anno 1705. edidit ad elidendas Jansenistarum cavillationes, cujus initium est *Vineam Domini Sabaoth.*

Contra Constitutionem hanc à mirabili illo *Gratiano* typis prodiit *Epistola altera ad Clementem XI. Urbis Episcopum, seu Collyrium pro Formularistis, ut videant & caveant perjurii periculum; quia non licet secundùm mentem Clementis subscribere Clementinæ, aut Alexandrinæ* (formulæ) *nisi Judices interiùs, in libro Jansenii doctrinam hæreticam contineri, quod falsissimum esse constat, nisi gratia efficax Censuræ Lovaniensis ac Duacensis dicatur hæresis.*

Hactenus titulus. Epistola ipsa sic incipit. " Tribus abhinc annis scripsi Paternitati tuæ Dedicatoriam, in qua expostulabam adversus Molinistas gratiæ Christi inimicos,,.

Pag. 3. " Hæc apud Romanos oppugnatur, ad quos Paulus Apostolus epistolam, gratiâ per se efficaci plenam scripsit.

" Hæc tu Clemens undecime coram vides, & probè noscis, & dissimulas; & adhuc ægrè feres, quod dicaris inimicis gratiæ favere? Ad hæc enim non solùm taces, quę à te, si Christi gratiam & charitatem haberes, vel probè nosceres, deberent damnari & anathematizari. Verùm quod amplius est, & horrendum, tu ipse in Jansenio eandem Christi gratiam, quâ Christiani sumus, & spiritu facta carnis mortificamus, condemnasse videris, & diceris apertè, non sine summa verisimilitudine: Parum abest quin dicam tibi anathema,,.

" Pag. 4. Vis in Bulla, quæ incipit *Vineam Domini Sabaoth*, ut Jansenii Libri sensus ab omnibus Christifidelibus, ut hæreticus damnetur; Quin imò vis ut omnes Alexandro VII. obediant, nisi velint iniquitatis filii, & perjuri audire & haberi (si

interim

„ interim Formulæ juramenti subscripserint) „ vis, inquam, ut interiùs judicent, in Libro „ Jansenii doctrinam hæreticam contineri. „ Atqui sensus Libri Janseniani, aut doctrina „ Libri est apertè Augustinianus & Apostoli- „ cus: ergo nemo potest damnare sensum „ Jansenii, quin condemnet Apostolum „ ipsum.„

Pag.4." O Clemens, Pater mi, Deum „ testem invoco, quomodo pro te oravem- „ rim, ut ante mortem meliùs saperes, & „ intelligeres, & novissima provideres! Quia „ certissimus sum, quòd reprehensibilis sis, „ & non rectè secundùm Evangelium Chri- „ sti ambules: undè boni ac æqui Consu- „ le, quod tibi cum Paulo in faciem re- „ sistam „.

Postquam pag.6.contra eos, qui aliquam in hoc statu gratiam sufficientem ab efficaci distinctam admittunt, ita Pontificem monuerat: *Noli quæso, illis Neo-& pseudo-Thomistis & Augustinianis aures præbere; quia nesciunt quid dicant*:

Rursus, inquit pag. 7. *rogo tuam Paternitatem, noli amplius audire istos miserabiles Monachos; quia tuam infallibilitatem alioquin certissimè reddent fallibilem; quia Ecclesia non recedet ab Augustini doctrina; hæc autem est illa quam in Jansenio condemnas, si illos audias*„.

Doctrinam Ecclesiæ Gratianus vocat, qualis à Quesnello traditur Propos.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, atque ita non solùm omnis gratia se ipsâ obtinet effectum, sed ipsam quoque efficit justitiam, unde nullis peccatoribus in peccato manentibus obtingit: cujus ratio redditur pag. 1. *Cùm etenim illa infusione charitatis bonos à malis discernat, nequit bonis ac malis esse communis*: & pag.2. *Secundùm enim id, quod magis delectat, operemur necesse est, & impossibile est ut Deus moveret aliquem ad actum charitatis, & ille amitteret charitatem peccando*. Nullus autem actus expers charitatis in nova Ecclesia bonus est, neque ullus charitatis actus expers justitiæ.

Pag.8. *Spero quòd hæc legentes, qui tuam Clementinam habent, ut est, pro horribili & abominanda Bulla, eam abominentur in æternum; quia sapit tyrannidem inauditam: pæniteant quoque, qui eam exosculati sunt, & consequenter omnibus in ea contentis dederunt assensum....Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Vale Domine Papa, donec resipiscas.... Mysterium tibi dico: cæcitas pro parte contigit in Monachismo, donec plenitudo secularium intraverit; Sed si non manserint in incredulitate gratiæ, rursus inserentur, Oleaster cùm sint, bonæ olivæ Augustini, Francisci, Dominici, Ignatii*.

Hactenus Petrus Gratianus, cui pro *Collyrio Formularistis* oblato, vicissim reddere illi possunt helleborum, quod cerebrum expurget, & mentem, si quidem aliàs habuit, restituat saniorem. Interim ex hoc Quesnelli discipulo discimus, qualis sit novæ Ecclesiæ *patientia*, quàm *pacificè* ferat *anathema*, quod vocat *injustum*, à Clemente XI. iteratum contra quinque Propositiones eodem sensu hæreticas, quo à Jansenio in famoso opere asseruntur.

Egregium hæc epistola typis edita documentum est, quàm novæ Ecclesiæ Apostoli in Hollandica Missione ab Arnaldo & Quesnello ex Gallia profugis, instituti probè fuerint, quàm horreant *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

Gratiano non cedit alter ejusdem Tribûs, seu conventiculi non minus famosus *Ægidius Candidus*, ad quod ipsius Gratiani patrocinio primùm assumptus, non levia deiu scriptis publicis, etiam contra suos iniit certamina: ut hæretici in oppugnandis catholicis concordes, inter se pro imperio digladiari solent, communi eorum genitrice superbiâ instigante.

Fictitium *Gratiani* nomen est, aliud verum non Ultrajecti solummodo, sed totâ Hollandiæ Missione notissimum. Istud lepidum quod Ægidio *Jansenismum* exprobret, cui conveniret illud: *Væ tibi, væ nigræ, dicebat cacabus ollæ*. Verùm Jansenianam nunc in *Candido* mansuetudinem contemplemur, sive *patientiam* in tolerando *anathemate*, ut dicitur *injusto*, simile *pacis* ac *unitatis* studium, demissionem ac reverentiam erga authoritatem potissimum Supremam Apostolicæ Sedis.

Quin Ægidii fœtus sit: *Depulsio excommunicationis per Illustrissimum D.Busti Coloniæ Nuncium Pontificium attentatæ in Rev. D. Matthiam Torkium &c.* neminem credo ambigere, cui stylus & scribendi ratio Ægidiana explorata est, quanquam & cognita aliàs ipsius Torkii non inferior temeritas videatur: ad utrumque proles eadem pertineat, ad Candidum ut genitorem, ad Torkium ut adoptantem.

Ibi pag.13. dicitur: " Quid, amabo, ullo „ tempore horribilius Ecclesia Dei vidit Con- „ stitutione illa *Vineam Domini Sabaoth* ab ex- „ ordio nuncupatâ, quâ modernus Pontifex Clemens XI. *Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis mandat, ut singuli in suis respectivè Diœcesibus exequantur, & ab omnibus observari curent, & inobedientes quoscumque per censuras, aliaque juris & facti*

sti remedia, invocato ad hoc etiam brachii secularis auxilio coërceant & compellant?

In ea Clemens ut *impudentiæ* non vulgaris reos, & veluti *naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis oblitos* delineat, *qui asserere non dubitant, Formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ subscribi licitè posse ab iis, qui interiùs non judicant, Jansenii Libro doctrinam hæreticam contineri*.

„ Quamobrem ut disertè edicit *ad obedien-*
„ *tiam Apostolicis*, hoc est Pontificiis *Constitu-*
„ *tionibus debitam requiri, ut quis Janseniani*
„ *libri sensum in quinque Propositionibus, inte-*
„ *riùs ut hæreticum damnet, nèc satis esse, si*
„ *eâ de re obsequiosum silentium teneatur.*
„ Porrò eos, qui contrafaxint, *maximum*
„ *toti Ecclesiæ inferre scandalum, latam ad*
„ *fovendam silentio hæresim, viam sternere,*
„ *Ecclesiam jurejurando decipere*, impiis, qui
„ *in tenebris conticescunt*, similes esse &c.„

Pag. 14. " Quid igitur? Si sensus ille
„ idem, qui Augustini Pelagium, applauden-
„ te olim Ecclesiâ, evertentis sit, num ut
„ impudens, ut Christianæ sinceritatis obli-
„ tus, ut hæresi viam pandens &c. exagitandus
„ venit, qui Augustinianæ doctrinæ non
„ renuntiat?„

Ibid. " Nihilominus nullis jam de fæde-
„ rato hoc Belgio Presbyteris venalis est
„ Pontificis hodierni gratia, nisi juxta præfi-
„ xam legem à D. Nuntio Bussio horrificæ isti
„ Bullæ *Vineam Domini Sabaoth* dictæ, sub-
„ scribant„.

Asserere itaque, & famosis typo editis opusculis quaqua versus divulgare, qualia modò ex *Petro Gratiano*, & *Ægidio Candido* retuli, si sit *pati pacificè excommunicationem & anathema* etiam quod supposueris *injustum*, si sit *imitari S. Paulum*, si minimè *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*, debemus nobis Catholici eruere quodcumque priùs fuerat judicium de patientia & pace Christianâ, de submissione erga Ecclesiæ censuras, de reverentia authoritatis, de *unitatis* amore ac studio, ut ideas pristinas cum recentibus pseudo-Apostolicis, & toti incognitis antiquitati, commutemus.

Non sistit authoris temeritas in proculcanda Apostolicâ Constitutione, totius, ut suprà monui, consensu Ecclesiæ consecrata; sed ipsum aggreditur Christum Domini Sanctissimum Pontificem.

Pag. 14. " En (inquit) si superis placet,
„ feliciter Ecclesiam Dei regit, qui veram
„ Dei gratiam, quâ Christiani sumus, in
„ Jansenii Libro meridianâ luce fulgentem,
„ á morigeris Ecclesiæ Filiis, sive Romanæ
„ Curiæ projectis servis, damnari, rejici,
„ atque execrari compellit. Ubi sumus, O
„ Dilecti & electi Dei! O grex pusille! O pauci
„ intrepidi perfectæ gratiæ amatores„!

„ Si quid video, si quid capio, verè in
„ Athanasiana tempora incidimus, quibus
„ sicut Liberius Pontifex juxta Sanctos Pa-
„ tres Divinam Christi personam abnegare
„ æstimatus fuit in Athanasio, ita iam Cle-
„ mens divinam ejusdem Christi ac Salvato-
„ ris nostri gratiam abnegare censendus est
„ in Jansenio„.

„ Ejiciat ex animo suo qui potest, ego ex
„ meo ejicere nullo modo possum, quin Cle-
„ mens noster per Jesuitas in hocce extirpan-
„ di Jansenismi negotio suffultus ac directus,
„ Jesuiticis etiam, hoc est Semipelagianis
„ erroribus afflatus sit. Hinc illa Vaticana
„ fulmina: hinc illa proborum sub Jansenis-
„ mi titulo insectatio, & oppresio: hinc cœ-
„ tûs hujus Catholici in Fœderato Belgio á
„ Summo Pastore (Archiepiscopo Sebasteno)
„ ac digniore Clero ejus, ad imas usque oves
„ suffossio, demolitio, destructio: hinc om-
„ nium penè lerna malorum, quibus Ecclesia
„ universa longè latèque affligitur ac propè
„ concidit„.

Pag. 16. " Hæc pars & hæc sors est natu-
„ ræ adversus gratiam præliantis, & per ve-
„ xationes hasce Jansenianas, sub hoc Ro-
„ mano Pontifice magnificè triumphantis.
„ Nihil est itaque quod admodum obstupe-
„ scamus, si deviis principiis imbutus Cle-
„ mens, *æmulationem Dei*; *sed non secundùm*
„ *scientiam*, Evangelium gratiæ Dei (Calvi-
„ no-Jansenianæ) persequitur, & obsequium
„ Deo se præstare credit, si illos *publicæ*
„ *tranquillitatis perturbatores, iniquitatis fi-*
„ *lios, inquietos, veritati non acquiescentes,*
„ *impudentes & pravos homines* exscindere
„ & devastare pergat. Vide *Bullam Vineam*
„ *Domini Sabaoth*„.

„ Ita Viri pii á ministeriis Ecclesiasticis
„ exiguntur, aut repelluntur: mercenarii &
„ perversi exuviis eorum exultant: vulgus
„ incertum studia in contraria scinditur: per-
„ juriis putrescit Clerus (jurans juxta For-
„ mulam Alexandri VII. contra Jansenium)
„ disciplina corruit: vera Christi gratia abji-
„ citur: Pelagius Vineam Domini depasci-
„ tur, & iniquo illi (Antichristo) fortissimè
„ viam parat„.

„ Quapropter potiori nunc jure cum San-
„ cto Gregorio lib. 4. epist. 38. in hasce vo-
„ ces erumpere nobis liceat: *Rex Superbiæ*
„ *propè est*: &, *quod dici nefas est, Sacer-*
„ *dotum ei præparatur exercitus, qui cervici*
„ *militant elationis, qui ad hoc positi fuerant,*
„ *ut ducatum præberent humilitatis*„.

Hæ

Hæ rebelli, contra Nuntium Coloniensem, Matthiæ Torkio latæ suppetiæ fuerant ab Ægidio Candido, malarum passim omnium causarum contra Pontificem, apud Belgas Patrono famosissimo anno 1709.

Responsio hìc adhiberi potuisset à Clemente XI., vel ejus Nuntio, qualis furenti Juliano data ab Augustino fuit lib. 1. Operis perfecti num. 22. *Non timemus Julianum* (vel Ægidium de Witte) *cùm videmus factum esse Tullianum: imò potiùs dolemus insanum, cùm videmus sensum perdidisse Christianum.* Num. 11. *Convitiare, quantum potes; Quis enim convitiosus hoc non potest?* Num. 14. *Hæc quidem dicis; sed tu dicis; qui autem legit, & intelligit, si non Pelagianus* (vel Jansenianus) *est, non hæc dicit.*

Ita Lectori Catholico, apud Belgas præcipuè, ubi Ægidii hujus furiæ contra Sedem Apostolicam, eique obedientes Catholicos, notissimæ fuut, sufficit nomen intelligere authoris, ut neque pondus habeat criminario, neque multum pariat admirationis; sed in mentem statim veniat cogitatio, similis Augustinianæ; quanquam aliquibus nimium fortè mitis videbitur, sicut Mario Mercatori nimia Augustini non satis placuit contra furentis Juliani Philippicam mansuetudo, unde supplendum sibi ducens acrimoniæ defectum, sic ipse respondet.

Erubesce infelicissime, in tanta linguæ scurrilitate...vulgares tu dignus audire declamationes: tu unus Philiston, unus Latinorum Lentulus, unus tibi Marullus comparandus. Namque Martialis & Petronii solus ingenia superasti. Te verissimè Ampsanctinæ scaturiginis conregionalis tuæ teterrimus fætor, te Averni lacûs nocentissimus halitus, te postremò Atabulus Provinciæ tuæ pestifer halitus inflavit, quibus tot morbis turgidus, & malesanus, imò insanus effectus, hæc eructares, hæc evomeres, exhalares: atque utinam; quia hoc tibi fuisset utilius, vitalem spiritum exhalasses, antequam tam obscæna, tamque plena dedecoris pleno ore proferres!

Eodem stylo prosequitur Marius cætera, respondere volens stulto juxta stultitiam suam, ut effrænem convitiandi & criminandi libidinem petulans juvenis comprimere disceret, expertus non defore aliàs, qui paria redderent, etiam eum fœnore. Nos Augustini in corripiendo mansuetudinem, quàm Marii acerbitatem, etsi justissimam, malumus imitari.

Et mihi quidem minùs displicet Ægidii in lacessendo Clemente XI. rabies, quàm Quesnelli in laudando Innocentio XII. simulata veneratio; quemadmodum Lutherus plus nocuit Ecclesiæ ipsique Sedi Apostolicæ, fingendo blanditias & venerationem, quàm evomendo quæ pridem pectore conceperat & foverat corruptissimo plaustra convitiorum. Thesium suarum analysim prolixam dedicans Leoni X. Pontifici: *Hic me*, inquiebat, *Beatissime Pater, prostratum pedibus suæ Beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum & habeo: vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba ut placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo.*

Quid autem splendido isto obedientiæ figmento hæresiarcha sectatus est? Non dissimulat Ulembergius in vita Lutheri ad annum 1518. *Quæ*, inquit, *paulò post secuta sunt, testantur, eum hac submissione nihil aliud spectasse, quàm ut captaret favorem hominum, atque interim dum res suas stabiliret in Germania, Summo Pontifici glaucoma objiceret, aut fumos, quod ajunt, venderet.*

Qualis enim & quam seria fuerit ea Lutheri submissio mox aperuit gemina ejus ad Sylvestri Prieratis Epitomen responsio, in qua: *Hos Cardinales, hos Papas, & totam illam Romanæ Sodomæ colluviem appellans*, omnes in eos concitat Potestates, ut persequantur ferro & face, opprimant, atque extinguant. Si tantùm Jansenianis virium esset, quantùm odii & furoris adversus Apostolicam Sedem, quid ea facturi essent, non adeò difficilis apparet, ex eorum lucubrationibus conjectura.

Lucis haud parum addere videtur edita ab ipsis *Collectio Poëmatum*, veriùs dixeris Satyrarum, quas Janseniana charitas occasione Bullæ *Unigenitus* protrusit. Inter illas pag. 27. insigne illud legitur Epigramma.

Quesnellum & Paulum condemnat Papa: Quid ad nos?
Fallitur & fallit: Numen abesse probat.
Libertas antiqua perit; dum Roma triumphat;
Jesuita exultat, Gallia tota gemit.

Plurima istiusmodi toto respersa sunt Opusculo: neque desunt in Ægidii Candidi, Quesnelli & Gerberonii scriptionibus partim relata hactenus, partim referenda a me in posterum specimina, è quibus utriusque fori Principes perspiciant, quales sinum Ecclesiæ decerpant viperæ, exitium etiam Reipublicæ minitantes, si quæ eas ausa fuerit irritare, aut non in plena relinquere agendi quidlibet, & solitum spargendi virus mortiferum libertate. Quibus itaque fidem Ecclesiæ destruere pertinaci decretum animo est, permittat Deus potiùs ut contumeliosis adeò & apertè insipienti-

pientibus scriptis prodant nequitiam, quàm fictâ obtegant pietate.

Quando autem Catholicis novi hæretici objiciunt, suos ab Ecclesia hactenus non expelli, aliquos etiam ad Cathedras in Scholis, & ad ipsas subindè Episcopales infulas promoveri (qualia & Nestorianis contigere; & ipsi inde quasi de Ecclesia triumphabant) responsio occurrit Leontii Byzantini lib. 3. contra Nestorianos, & Eutychianos num. 42. *Hoc non ex innocentia reportarunt; sed ex nimio studio, quod, ut laterent, adhibuerunt. Non enim patiebantur efferri in vulgus impietatem; quin neque sibi tutum esse sciebant.... Hac ratione & viâ Apollinarius tanquam quidam splen crevit in totius corporis ægrotationem, magnitudinem præter naturam capiens. Eodem exemplo possum vestra conferre. Studium Patrum* (& Pontificum) *in maximè necessariis occupatum fecit, ut vestræ impietatis parentes & authores laterent; præsertim cum in iis, quæ ad Trinitatem pertinebant, fingerent, se unà cum ipsis adversus hostes Trinitatis pugnare, & eo modo benevolentiam simularent, specie ac simulatione idem sentiendi, latebras sibi præparantes. Difficillima enim res ad deprehendendum est malitia simulatione benevolentiæ tecta.*

Proindè tumultuantium palàm Jansenistarum, qui de secta communiter Candidorum sunt, vociferationes audire malo, quàm blandos sibilos politicorum, qui ejusdem cum prioribus impietatis sunt, atque hæreticæ perfidiæ, solâ autem ab iisdem differunt hypocrisi, & sacrilegiis perjuriorum, dum repugnante interiore judicio, formulam Alexandri VII. jurant, Candidis minùs irreligiosè detrectantibus.

Prodierant autea *variæ quæstiones juris & responsa* Janseniana; Inter quæ legitur pag. 10. " An multitudo & authoritas jurantium (juxta Formulam Alexandri VII.) prævalere non debeat paucitati eorum, qui jurare non audent? Respondeo: minimè; nam qui jurare non audent, aliâ ratione moveri non possunt, quàm timore Deum offendendi; cùm nonnisi vexatio, & seclusio ab omni promotionis spe, immineat eis, qui non jurant. Jam autem unus ex illis prævalet decem millibus aliorum, qui spe vel metu temporalium adducuntur ad jurandum, nihilque soliciti sunt, an Deum jurando offendant".

Quasi verò medium nòn sit inter detrectantes jurare ex religione, & jurantes ex cupiditate acquirendorum, vel metu amittendorum temporalium. Hanc responsi sui egregii rationem discere author potuit à Calvinianis ex Gallia in Angliam, Hollandiam & alias Acatholicorum ditiones profugis eo tempore, quo gloriosæ memoriæ Ludovicus XIV. hæresim ex Regno suo Christianissimo eliminare totis viribus conatus est. Tunc obstinatissimi Calvinistarum deducere soliti erant velut firmissimum pro sua hæresi argumentum ex eo, quod patriam deserere, & opes omnes fisco Regio addicendas relinquere maluissent, quàm Calvini abdicare dogmata; proinde quod tale pro sua religione testimonium, & constantia vel in uno Calvinista prævaleret decem millibus in Regno Galliæ Catholicis, quos in Ecclesia & fide Romanâ detinet spes officiorum pinguium, vel timor excidendi possessis, etiam patrimonio.

Verùm nos traditione perpetuâ edocti, nobilioribus in Religione & Ecclesia Romana rationibus, tot gloriosos Martyres & religiosissimos Confessores novimus perstitisse immobiles, quorum nitimur sequi vestigia, ut hæredes fidei, ita & virtutum Christianos decentium æmulatores. Neque minùs exploratum est hæreticos maximè perfidos, ut plerasque hæreses una parens superbia genuit, eandem pariter causam habere præcipuam pertinaciæ.

Jactantiam schismaticam aptè reprimit Augustinus contra Epistolam Parmen. lib. 3. cap. 6. dicens "Audent sacrilega schismata, vel hæreses impiæ, si quando in flagello, ut se corrigant, admonentur, pœnas furoris sui, etiam inter Martyria deputare. Quod existimans etiam Parmenianus in fine epistolæ suæ exhortatur Ticonium, ut in parte Donati permaneat, & persecutiones perferrat...adhibens etiam testimonium Scripturæ Ecclesi. 2. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diverterunt in vias pravas: & quid facient cùm inspicere poterit eos Dominus?* More suo cuncta de Divinis Libris adversus seipsos proponentes..... Nonne scriptum est Ecclesi. 3. *Non contradicas ullo modo veritati?*

" Cui autem nisi veritati contradicitur, cum etiam Regi ex veritate aliquid jubenti resistitur? Sed Rex homo qui minatur, vel qui vindicat, ad tempus molestus est: non sic ille Rex, qui etiam veritas dicitur, qui nunc quoque illis per Prophetam Jeremiam clamat: *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non receperunt....* Sub vindicta Regum potest hominum pertinacia falso nomine virtutis laudari; æternis autem ignibus concremari nec erit, nec vocabitur fortitudo...: priùs quid faciant, & posteà quid patiantur, advertant, ne cum adversus facta sua oculos claudunt, & ad pœnas

„ nas suas oculos aperiunt, & hìc frustra
„ temporalem patiantur, & in vltimo judi-
„ cio Dei etiam pro hoc ipso, quod frustra
„ eos talibus molestiis, ut emendaret, admo-
„ nuit, æterno supplicio puniantur.„

Dignum hæresiarchâ solatium fuit in causa pessima, quod Nestorius Cœlestio dedit; futurum sapiens & pium, si pro Catholicæ fidei, non pro hæresios confirmatione aut schismatis fuisset. Jussu Theodosij religiosissimi Imperatoris, cogebatur Cœlestius cum suis ab Urbe regia exulare, desperatâ absolutione, quam se fraudibus ab Ecclesia emuncturum, sibi suisque blandiens præsumpserat.

In hisce afflictionibus consolator insignis adest Cœlestio per epistolam Nestorius "Noli
„ (inquit) egrèferre, Venerabilis, perfe-
„ rens ab his, qui ea, quæ inferuntur, face-
„ re debent; præsertim asserentibus verita-
„ tem, & refugientibus pollutorum commu-
„ nionem; quia & sanctis, qui ante nostram
„ ætatem extiterunt, gratæ fuerunt ærumnæ: &
„ ipsæ quidem temporales erant; veritas au-
„ tem æterna. Sic Joannes Baptista de pec-
„ cato arguens Herodem, & quidem Regem
„ existentem, capite condemnatus est; sed
„ non formidavit; Christum enim habebat
„ caput, quod non posset abscindi. Sic Pau-
„ lus hoc modo quoque & Petrus interfecti
„ sunt. Et quid amplius dici opus est? Ita
„ actum est semper per diversas tentationes
„ pietate currente. Noli igitur à veritate de-
„ ficiens, eam prodere &c. „

Ita Nestorio non minùs quàm Quesnello placuit consilium *patiendi potius in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodendi veritatem*: atque istud Quesnelli ille Prodromus censuit esse *imitari Sanctum Paulum*, S. Petrum, Joannem Baptistam, quin omnium perfectissimum exemplar, Dei Filium.

CAPUT XXV.

Constitutio Clementis XI. Vineam Domini Sabaoth *ab Ægidio de Witte, aliàs* Candido *toti Ecclesiæ* solemniter denuntiata.

1. O*Mnia nunc fiunt, fieri quæ posse negabam*, à novis scilicet Augustini discipulis, quorum audacia ascendit semper, neque ubi terminos aliquando positura sit, facilè fuerit divinare. Quoties aliàs jactatum audivimus, nullum reperiri uspiam Jansenistarum, nisi in aliquorum cerebro, quorum interest adversarios suos Ethicam profitentes rigidiorem, suspicione hæresios commaculare!

Istud sonoris ubique vocibus & libellis multo tempore declamatum fuerat, & à plurimis creditum, quidquid reclamarent saniores Theologi, & grassantis latè contagii non obscura proferrent indicia, fides eis habita non est, donec Divinæ placuit providentiæ eventus aliquos permittere, atque disponere, unde accensa bilis Novatoribus, & quod subdola hactenus contexerat hypocrisis, abjectâ simulationis larvâ, impatiens fræni prodidit rabies.

Quemadmodum Calvinistæ intra pacis, & qualiscunque modestiæ limites se continere in Galliis visi fuerant, donec impietatis exercitium, severiore eis imperio interdictum est; tunc omni exutâ penitus erga Christianissimum Principem veneratione in furias acti, usum quodammodo rationis amisisse visi, fanatici appellari communiter meruerunt.

Ad similem insaniam Jansenianos redigere nuper visa est Constitutio *Vineam Domini Sabaoth*; maximè verò totius Ecclesiæ ei se submittentis obedientia, adeò ut refractarii qui superérant, non admodum multi apparerent, iique ab omnibus passim, etiam quibus potissimùm nixi fuerant, protectoribus destituti. Defectum itaque multitudinis, & potentium patronorum, cum aliud in promtu non esset, suppleri posse arbitrati sunt audaciâ & temeritate, sicut rebellium manipulus Calvinistarum, plerisque suorum ex Gallia fugientibus, diù resistere Regum potentissimo ausus est. Hinc illi fanaticorum, ut dixi, nomen sibi & infamiam consciverе.

Fanaticus furor indubiè apparuerit Catholico cuilibet Lectori in relata superiùs epistola Petri Hollen, sub *Petri Gratiani*, quasi gratiam defendentis, nomine: ubi pag. 3. pro sua plusquam Pontificia authoritate, denuntiat Clementi XI. *Parùm abest, quin dicam tibi anathema* propter Constitutionem tuam cujus initium est *Vineam Domini Sabaoth*. Plura fanaticam rabiem præseferentia occurrunt tum in Missionarii ejusdem Ultrajectini opusculis variis, tum in aliorum, quæ partim retuli, partim loco & ordine convenientibus sequentur.

In primis cui sano non oléte fanatismum videbitur attentata illa anno 1709. Kalendis Junii ab homine privato, inter hæreticos latenti, neque tolerato usquam inter Catholicos, à tali inquam attentata *solemnis denuntiatio Constitutionis*, quam universa consensu maximo, & debitâ submissione acceptavit Ecclesia? Audiatur nihilominùs Jansenianæ egregium specimen temeritatis: *Denuncia-*

nuntiatio solemnis Bullæ Clementinę, quæ incipit VINEAM DOMINI SABAOTH, *facta universæ Ecclesiæ Catholicæ ac præsertim omnibus Hierarchis ejus, tanquam evertentis doctrinam gratiæ, quâ Christiani sumus, tanquam resuscitantis Pelagium cum suis asseclis, tanquam objicientis Ecclesiam extraneorum scandalo, dissidia jam nimium diu durantia acerbiùs exulcerantis, atque sub sensûs Janseniani involucro, prima & certissima Christianę pietatis fundamenta, hoc est gratiam Dei per se efficientem, & prædestinationem electorum gratuitam hæretico carbone notantis.* QUASI TUBA EXALTA VOCEM TUAM, *Isaię cap.* 58.

Hactenus sola epigraphe, cui tota egregiè convenit lucubratio, digna authore Ægidio de Witte Jansenista *Candido*, & similium *Candidorum* principe, quæ dignitas sufficientem ei tribuere visa fuerit authoritatem, ut Constitutionem Pontificiam toti denuntiaret Ecclesiæ, tanquam omnimodè exitialem, & ab universo fidelium cœtu feriendam anathemate.

Sic igitur Ecclesiam alloquitur pag. 2. "

„ Nullatenus dubito, quin si in Spiritu Sancto legitimè congregeris ò Sponsa Christi, „ Bullamque Clementis XI. anno 1705. 17. Kalendas Augusti editam maturâ deliberatione excurias, eandem compertura sis „ multo evidentiùs, & periculosiùs alienam „ ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus Sacrorum Conciliorum & cunctorum „ probabilium Patrum &c. „

Pag. 3. "Quis fando explicet, aut lachrymis „ æquet, quantum fidei tuæ vulnus infligat, „ quantam veræ Christianę pietati perniciem „ afferat, quæ scandala, quæ fomenta dissidiorum, quæ errorum & impietatum „ seminaria in se contineat hujusmodi Constitutio „!

„ Quid enim damnatâ à filiis tuis salutari „ Jesu Domini nostri gratiâ, reliquum esse „ potest, nisi ut recedat à te Spiritus Christi tui, ut arescant filiorum tuorum corda, „ ut Deus aversetur superbam hæreditatem „ suam, ut auferatur à te regnum ejus, ut „ religio sancta concidat, & Pelagiano errori fastuosissimè triumphanti, ac rua pomęria latè depopulanti, ultimam imponat coronidem adventus Antichristi? „

„ Cape porro experimentum ò Sponsa Domini! Rem ritè examina: confer Augustiniana & Janseniana dogmata, & deprehendes non ita lucere Solem in meridie, quàm „ Ipreusium Præsulis cum Doctorum tuorum „ apice Aurelio Augustino, suavissima concordia splendeat. „

Constitutio Theol. propugn. Tom. IV.

Ego verò Ægidii in exoticis & falsissimis assertionibus confidentiam minimè veritus, ajo, non aliam inter Aurelium Augustinum & Cornelium Jansenium esse concordiam in materia damnatarum à Summis Pontificibus Propositionum, quàm calidum inter & frigidum, lucem inter & tenebras, catholicam doctrinam inter & hæreticam. Istud à me non inaniter jactari restimonio luculentissimo sunt superiora mea volumina, præsertim primum, quod totum ferè de gratia est, & clarissimis Augustini textibus confutanr Quesnelli dogmata, quæ Jansenianis consona esse neque Quesnellus ipse, neque Ægidius inficiari voluerit.

Novimus autem hanc esse frivolam hæreticorum omnium næniam, Augustinum inclamantium, tanquam sibi in omnibus patrocinantem. Ita Calvinus initio Libri sui de æterna Dei prædestinatione, ad objectam sibi veteris Ecclesiæ authoritatem, respondere non dubitat: *Augustinus ipse adeò totus noster est, ut si mihi confessio scribenda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abundè mibi sufficiat.... Constabit quàm solidè omni ex parte mihi suffragetur.*

De libero arbitrio in librum 3. Pighii *Augustinum* (inquit) *asserui prorsus esse nostrum.*

Ibid. sub finem: *Ergo etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus totus sit noster.* Unde hæc Calvini gloriatio est: Se *nibil, quàm Augustinum sequi ... promptum esse recognoscere, quantâ fide ac sinceritate veram ac genuinam Augustini mentem explicarit.* In Librum 2. Pighii ait: *Doctrinæ meæ nullum caput est, quod non prope ad verbum sępius apud Augustinum occurrat.* Paria cæteri hæretici de sua cum Augustino concordia autumant, aut mentiuntur. Rationem reddit Claudius Sanctesius Ebroicensis Episcopus lib. de reb. Eucharist. repetit. 6. cap. 9. *Observare*, inquit, *licet, adversarios sive nostra destruendo, sive sua asserendo, solidis & certis scripturis carere, atque in omni controversia ad unum Augustinum, tanquam ad Sacram anchoram confugere; non quod ab eorum partibus stet; sed quoniam tam multa, actam variè scripsit pro re natâ, ut facile fuerit omnibus post illum hæreticis, aliquid de ipso contorquere, atque aliorsum, quàm ipse dixerit, vertere.*

Ad repetitionem examinis à tota Ecclesia in Concilio Oecumenico faciendi, prout Ægidius postulat, ipse respondeat Augustinus lib. 2. Operis imperfecti. *Quid adbuc quæris examen, quod factum est apud Apostolicam Sedem? Ergo hæresis non adhuc examinan-*

da ; sed coërcenda potestatibus Christianis.

Pergamus nihilominus hujus Jansenistæ *Candidi*, veriùs rabidi, quantumlibet insulsas audire vociferationes : pag.5. " Quoniam „ igitur Clementi lubet, ut næniæ illæ fastidiosissimæ de quæstione facti, de silentio „ obsequioso, & de sensu obvio, quæ nimium „ diu & scribentium manus, & impressorum „ exercuere præla, & legentium oculos defatigarunt, à nobis abigantur, faciant quod „ lubet. „ Ibid. " Facit hoc ergo hodie Clemens Pontifex tuus; sed facit juniorum „ Pelagianâ fallaciâ tinctorum, qui assistunt „ ei, consilia sequens ; sed facit ab antiquis „ Prædecessorum suorum documentis recedens ; sed facit à Scripturis Sanctis, à Sacrorum Conciliorum Canonibus, & probatorum in hac materia Ecclesiasticorum procerum traditis clarè devians. „

Pag.6. " Quod ergo, aut unde, O prudentissima mater ! in tam magnis angustiis „ sperandum nobis consilium aut præsidium? „ Nullum jam utique ab Urbe Roma, quæ à „ variis dolosissimis stratagematibus circumventa, in Molinianas tendiculas immisit „ pedem. *Egressa est iniquitas à senibus* Vicariis tuis, *qui videntur regere populum tuum. Conjurasse contra te videtur universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum.* „ Remanente penes solum Ægidium veritate fidei & religionis. An neque istud est contra Pontificum, *contra* totius Romanæ Urbis, contra Episcoporum omnium *erigere se authoritatem*? Et si universitas populi Christiani videatur contra Christi Ecclesiam conspirasse, ubinam & cum quibus reperiet Ægidius *unitatem*? Quomodo Ecclesia inter mortales erit hoc tempore catholica, seu universalis? Sinamus tamen Denunciatorem prosequi, quoniam insanire constitutum habet ; suamque dum ingeminat solitudinem, omnes quasi inflicto anathemate, à suo consortio abdicare.

Pag.8. " Totam salutem nostram, adeoque & illius totius gloriam homini tribuentes, graviter fulcit Bulla Clementis..... „ infirma est ipsa religionis arx : terra infecta „ est à lue Pelagiana .... cadit corona capitis „ nostri. Denique, nisi ponatur promptus „ obex, totus mundus propediem post Molinam & Lessium abierit in errorem. Exurgite igitur ò Sacri Proceres, erigite charæ matris vestræ naviculam, quam ipse Navarchus in syrtes agit, à præsentissimo ac „ diro naufragio. „

Pag.9. " Deprehendetis ipsam veram ac „ genuinam Salvatoris nostri gratiam Clementinâ Constitutione feriri atque aboleri" Quod nulla hactenus Academia, neque Clerus Gallicanus in comitiis generalibus congregatus deprehendere potuit, Ecclesiâ universâ Bullam istam Pontificis admittente. Ita vera gratiæ fides, & doctrina, Catholicos omnes fugiens Sedi Apostolicæ obsequentes, ad solos se receperit Ægidium de Witte, Petrum Hollen, Matthiam Torkium & paucos similes Janseniano conspersos pulvere. Novatores. Pag. cit. " Ex his (inquit Ægidius) „ commonstranda erit Synodi illius universalis congregandæ plena ac suprema necessitas. „

Regerimus nos illud Augustini lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. ultimo: *Haud verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi congregatione Synodi damnata sit ; cùm potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit .... Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversus Deum .... hanc etiam gloriam captura intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur ; cùm potius vigilantiâ & diligentiâ Pastorali, post factum illis competens, sufficiensque judicium, ubicumque isti Lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.*

Prosequitur tamen Ægidius pag. 11. " „ Profectò quàm non satis hodiè in horrore „ Pelagiana Romæ sit pestilentia, vel ex eo „ solo constare potest, quod abominabilis ille Liber Cardinalis Sfondratii, cui nomen: „ *Nodus Prædestinationis dissolutus*, Pelagium, Cœlestium, Julianum multis capitibus supergressus, ibidem exquisitissimis „ ornatus approbationibus in prælum jerit. „

Denique eâdem pag. " Constitutionem „ (inquit) jam sæpius memoratam denuntio ut „ inimicam gratiæ Dei, ut fautricem humanæ superbiæ, ut calumniatricem insignis „ Episcopi (Jansenii) ut destructricem Hierarchici Ordinis, per ea quæ extorqueri „ mandat perjuria, ut omnis boni, quod à „ solâ Christi gratia manare potest, obtruncatricem, omnis mali iliadem, animarum „ ruinam, salutis excidium, & apertam, & „ inevitabilem stragem „. Altet veriùs dixerat stragem & inversionem cerebri Ægidiani, si priùs aliquid rectitudinis habuerit & sanitatis.

Denunciationem comitata est epistola ad singulos Episcopos, quam hic pariter exhibeo „. Illustrissime Domine ; Ne, quæso, „ satyræ

„ fatyræ loco habeas denuntiationem adjun-„ ctam, neque consacerdotem tuum repu-„ tes, quasi unum de filiis Belial; quia ex „ multitudine doloris & mæroris mei locu-„ tus sum ... Quid mirum si zelo Christiano „ commota sunt viscera mea, dum prætérito „ veluti & neglecto Augustino, sub petillustris „ Jansenii nomine, ipsa eadem SS. Patris dog-„ mata, per Clementem XI. in Apostolica „ Petri Sede considentem Pontificem, con-„ spexi damnari, repudiari, & hæreticâ no-„ tâ affici.... Jansenio cadente necesse est Au-„ gustinum cadere, & simul victoriam, ipso „ olim duce, ab Ecclesia de Pelagio repor-„ tatam. „

„ Hæc res me incendit, ut obtestationes „ has in chartam conjicerem, & vos ad con-„ gregandum ope Principum vestrorum (sic „ enim antiquitus fieri solitum, ex Historia „ Ecclesiastica discimus) universale Conci-„ lium pro avertenda Pelagiana peste, & sal-„ vanda mutuis auxiliis, Salvatoris vestri „ gratiâ excitarem.... Cœterùm pro certo ha-„ betote, me nihil unquam detrimenti à Cu-„ ria Romana passum, ut ne fortassis suspi-„ cemini me in denunciationem hanc indu-„ ctum exulcerato animo descendisse... Insti-„ tui & vobis stimulos addere, ut quo ad „ horrificam illam Bullam Clementis XI. „ conventu Synodali examinandam, repro-„ bandam, amoliendam, & ad perjuria, ex „ illius extorta subscriptione, in dies latiùs „ ac latiùs proserpentia, judicio vestro œcu-„ menico restinguenda, celeritet convo-„ letis. „

Si ex Ægidio quæram, quâ polleat au-thoritate, ut omnes Christiani Orbis Episco-pos ad Concilium vocare præsumat, qui ne unum quidem denunciationis schismaticæ re-perire potuerit approbatorem, nisi forsitan occulto suffragio Matthiam Torkium, & Pe-trum Hollen, aliàs *Gratianum*, eundem-que inepto magis vocabulo *Amos Prophe-tam*? Respondebit pro solita sua temeritate Ægidius, non aliâ quàm sua sibi authoritate opus esse, ubi in discrimen vocatur Dei Ec-clesia.

Verùm Quesnellus, quantumlibet do-ctrinâ Denuntiatori consentiens, ad tantam nihilominus exhorruit audaciam, & in Res-ponsione ad geminas Archiepiscopi Camera-censis epistolas *Denunciationem* vocat *scrip-tum infortunatum, absurdum, scandalosum, te-merarium & planè intolerabile*.

Quas censuras ægerrimè ferens Ægidius in *Augustini Iprensis vindicati vindiciis ube-rioribus* sect. 1. pag. 9. sensum suum ita expri-mit: *Perculit me, fateor, insolita hæc, & ingens à via æquitatis & justitiæ exorbitatio, et submississimè inclinor, atque humilior sub ma-nu Dei, quando viros, cæteroquin multis ti-tulis venerandos, in usque adeò aperta & obvia præcipitia, velut animi gratiâ provol-vi cerno.*

Ibid. " *Ex jam dictis, vel me tacente, res ipsa loquitur, quantoperè rem faciat à no-ta probitate sua alienam, & cordato viro in-dignam Paschasius Quesnellus in sua ad Epi-scopum Cameracensem Responsione, dum illic Denuntiationem nostram, nec à se eversam, nec labefactatam, imò nec lectam insectatur con-tumeliosis vocibus* SCRIPTI INFORTUNA-TI &c. ut suprà. *Nemini quippè viro probo licitum est, tales aculeos infigere scripto, quod non infirmaverit, seu quod non demonstrave-rit, atrocia ista convitiorum nomina, certà & perspicuè promereri.*

Respondere autem Quesnellus meritò poterat, nullâ lectione operis, nullo examine opus esse, ubi solus titulus malitiam continet censuris dignissimam, nec mitioribus quàm quæ inflictæ sunt. Ita Illustrissimus Camera-censium Archiepiscopus in prima ad Ques-nellum epistola pag. 5. de eadem Ægidii De-nuntiatione pronuntiat: *Hæc opella blasphe-miam frontispicio inscriptam gerit. Solus titu-lus impias contra judicium S. Sedis enunciatio-nes complectitur.* Archiepiscopus autem ille neque de imperitia argui potest, ut constat ex pluribus ab eo editis lucubrationibus polemi-cis: neque de pietatis defectu, cujus vitæ integritas toti Galliæ & Belgio conspicua est, religio etiam & demissio animi illustri testatis-sima exemplo, cùm opusculi sui *Maximes des Saints* Pontificiam censuram primus ipse in Concione publica suscepit, & veneratione maximâ amplexus est.

Candorem denique in eo ipse prædicat Ægidius in memoratis *Vindiciis uberioribus* sectione primâ, sic exordiens. *Quibus efferam laudibus, quibus celebrem encomiis, quo præ-conio vocis exornem, quo studio prosequar, aut qua demum grati animi testificatione comple-ctar candorem illum egregium Domini Fenelo-nii Archiepiscopi Cameracensis, qui quanquam à Doctrina nostra toto Cœlo, Terrâ & Oceano alienus sit, tamen &c.*

Eâdem sectione pag. 6. *Magno* (inquit) *rursus encomio ob nativam sinceritatem suam decorandus mihi est D. Fenelonius, quando de Jansenio germaniùs & expertè edicit* pag. 34. edit. 1. Secundæ verò pag. 22. *Nullius unquam Scriptoris textum tam fuisse perspicuum, tàm evolutum, & planum, tamque inidoneum, qui æquivocationem reciperet: totum systema ipsius insilire in oculos, & ad singulas propè pa-ginas Lectoribus inculcari.* Quod

Quod Archiepiscopi judicium sic Ægidius confirmat: " Nihil certius, nihil exploratius, nihil ab omni controversia remotius est omnibus cordatis, integris & æquis arbitris. Sed & hinc legitimâ consequentiâ fluit, quod nupera ista, de qua litigamus, Constitutio Clementina: *Vineam Domini Sabaoth*, quæ apertè ipsum genuinum, proprium & obvium, atque *in omnium oculos insilientem* libri Janseniani sensum proscribit, nonnisi per meros cavillos,& vitilitigationum inutbanarum stro. phas, atque fallacias ad *Quæstionem Facti*, quæ jam silet, torqueri, pertrahi, aut rapi queat. "

Rationem audi verissimam: "Quando enim (inquit Ægidius) libri perspicuè & clarè damnati sensus itidem planus, perspicuus & clarus est; multò maximas nugas agunt, qui tum ad internas Superiorum mentes confugiunt, qui corda illorum abdita contra manifestè pronuntiatas sententias scrutari volunt; qui ad protestationes clandestinas, actui solemni contrarias, se proripiunt, qui demùm per inutiles quæstiones *Facti*, quod nullum omninò est, nullo unquam tempore terminandas lites fovere & alere non desistunt. Porrò hæc est hujusce præsentis disputationis nostræ imago & vera facies. "

" Legant Arabes, qui latinè callent, legant Tartari, legant Turcæ litigiosum volumen Jansenii: simpliciter, sincerè, candidè intellectum applicando ad obvias atque usu latini idiomatis receptas potestates vocum: legant iidem eodem animo integro Clementinam Bullam: & nemo ex illis hætebit aut vitilitigabitur in quæstione *Facti*: Sive penes se disputabit utrum libri Janseniani sensus per se efficientem edoceat gratiam (exclusâ omni aliâ) vel utrum Clemens XI. Pontifex in sua Constitutione *Vineam Domini Sabaoth* de exordio nuncupata, ipsum libri Janseniani sensum ut hæreticum profligat, prohibeat ac proscribat. Ut tantò magis pudere debeat Christianos, qui suis adhuc præventionibus stabiliri nesciis occupati, cum lis de sensu *Quis*, & *Qualis* perspicuis luculentissimè sententiæ verbis evacuata sit, etiamnum tricari, tergiversari, ac cavillari pergunt, & cum Lucerna Diogenis in foro publico homines quærere medio ac claro die. "

Hactenus Ægidius cujus *rationem* appellavi *verissimam*; quatenus nempe asserit, nullam superesse quæstionem seu controversiam circa *Factum* clarissimum, quale deprehenditur in causa Jansenii, cujus sensus maximè perspicuus noscitur, & hujus condemnatio in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* lucet Sole fulgentior.

Verùm error Ægidii & reliquis passim Jansenianis familiaris est scriptoribus, quod ex damnatione sensûs à Jansenio intenti inferant veluti indubitatum, quòd omnis gratia per se efficiens proscripta sit, quia, inquiunt, omnibus Jansenium legentibus manifestum est, quòd gratiam per se efficientem defenderit; sed ignorat Ægidius vel cautè dissimulat, non omnem gratiam per se efficientem, ut à suis exponitur defensoribus, esse indolis ejusdem & efficaciæ.

Ipsé enim Jansenius lib. 8. de gratia Christi cap. 2. septem enuntiat discrimina suum inter Medicinale adjutorium & physicè prædeterminans Thomistarum: Inter discrimina illud palpabile est: *Prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativum est, Tunc enim est victrix, quando alteram superat. Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est.*

Parum quoque in scholasticis versatum esse oporteat, qui nesciat plurimas esse efficientis perse gratiæ explicationes, etiam inter Angelici discipulos. Ipsa quoque gratia congrua juxtà defensores suos dici potest per se vires suas exercere & operari. Præterea longè aliud est gratiam per se quidpiam efficere, itaut liberum hominis arbitrium resistere, operationemque valeat impedire, ut Catholici docent, aliud gratiam sic operari, ut voluntas obicem ponere nequeat, suspendere atque etiam negare penitus consensum. Aliud denique est omnem gratiam statuere victricem, aliud sic victricem agnoscere, ut simul alia merè sufficiens admittatur. Posterius plurium Catholicorum est: primum Calvini atque Jansenii.

Pro sua autem schismatica Bullæ Pontificiæ *Denunciatione*, audiat Ægidius Ivonem Carnotensem, qui ante sexcentos & ampliùs annos floruit, in epistola 8. ad Richerium Senonensem Archiepiscopum: *Contra Sedem Apostolicam caput erigitis, cujus judiciis & Constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere*. Beatus quoque *Augustinus Triumphus* tempore S. Bonaventuræ Doctor Parisiensis lib. de Potestate Ecclesia-

clesiastica quæst. 10. *Si aliqua (inquit) sunt dubia & obscura in fide, ad Papam pertinet interpretari & determinare, post cujus determinationem, hæreticum est contrarium pertinaciter asserere*. Cum autem de Jansenismo lis potissimùm hic moveatur ab Ægidio, adeat Articulum primum inter quatuor expressos in epistola Cardinalis Noaillii, quam integram aliàs retuli.

In illa Eminentissimus, cum quinque aliis Archiepiscopis & totidem Episcopis, qui Generalibus Cleri Gallicani Comitiis anno celebratis 1705. interfuere, Clementi XI. testatur, qualis illic fuerit Cleri sententia: *Certum (inquit) illi fuit Pontificiis Decretis adversùs Jansenium, nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent: & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse*.

Si autem Ægidius Clerum Galliæ sibi habeat, ut habet certissimè, adversantem, unde præsidium sperare Janseniana ejus Novitas vel Denuntiatio poterit? Non in Germania & Polonia, ubi nonnisi paucissimis nota est, minus etiam in Italia, Hispania, Lusitania, ubi nimium vigiles sunt Fidei Quæsitores, & juxta maleferiatam Ægidii phantasiam Pelagius dominatur. Belgium Austriacum quot habet Episcopos, tot duce Primate suo Eminentissimo Mechliniensium Archiepiscopo, Apostolica Sedes fortissimos pro omnibus suis Constitutionibus numerat heroës.

Quid ab ipsis Lovaniensis Academiæ Theologis expectare valeat, satis novit Ægidius, ex hymno Ambrosiano *Te Deum laudamus &c.* quem Universitas pro accepta Constitutione *Vineam Domini Sabaoth*, jussit solemniter decantari, unde tantam alibi vidimus, lamentantis Ægidii contra Lovanienses Theologos intemperiem.

Quid superest, nisi ut se in causa adeò malesana conspiciens, ab omnibus, præterquam à Petro Hollen, & uno forsitan altero-ve non minùs exotico destitutum, de sua glorietur solitudine, ut suprà retulimus sibi applicantem illud *singulariter sum ego donec transeam*; ideoque merebitur iterum animadversionem Steyaertii, quod inquirentibus, unde ea, si quæ futura est, vineæ Belgicæ devastatio? Responderi valeat: *Singularis ferus depastatus est eam*.

Non poterat Jansenianus hic antonomasticè *Candidus* dare specimen illustrius ex quo colligere nobis liceat, quantum illi Candidorum sectæ studium *pacis* sit, quæ cura ne *contra authoritatem se erigere* videatur, *aut scindere unitatem*.

Antequam hæc à me *Denunciatio* dimittatur, requirere ipsa Lectori forsitan videbitur, ut de authore distinctiùs aliquid indicetur; nam æstimatio Operis ex circumstantia scriptoris non leve solet pondus accipere, vel præjudicium. De Novatore hoc audacissimo & ut *Candidi* sortito nomen, ita & *Candidorum* dicto communiter Principe Jansenistarum, partim præsenti tomo, partim præcedentibus subinde, ut ferebat occasio, memoravimus complura, quæ subruendæ ejus abundè sufficiant authoritati. Alienissimus quidem sum à duobus erroribus ab Innocentio XI. condemnatis quadragesimotertio & quadragesimoquarto inter 65. *Quid ni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?* Et *probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*. Mihi verò in toto opere propositum fuit inviolabile, eritque inposterum, nihil unquam adversariis objicere nisi facta sua verissima, sicut & opiniones doctrinæ sanæ atque Catholicæ non consentientes.

Quantum virum esse oportuit, quàm puræ fidei, quàm stabilitæ virtutibus famæ, quantæ authoritatis, qui censuris atrocissimis afficere audeat Constitutionem Pontificiam, rotius Ecclesiæ judicio saluberrimam, in qua Clerus Gallicanus, etiam reste Cardinali Noaillio, *gaudens & exultans, fidei suæ sensum recognovit, & ita semper se tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure latatus est*.

Quæ verba Eminentissimus Antistes, cum suis in Gallia Collegis, Clementi XI. scribenda censuit, ut olim ab eorum Majoribus adhibita fuerant, cùm Leoni Magno de fide ab ipso firmatâ applauderent. Quantus igitur (liceat iterùm quærere) magister esse debuit supra universam sapiens Ecclesiam, qui summâ obedientiâ acceptam ubique Pontificis Maximi de fide Constitutionem, *denuntiare* præsumpserit, & quidem *solemniter*, velut fidei contrariam, & animis exitialem? Est autem qui authoritatem supplere voluit audaciâ, famosus Ægidius de Witte Gandavensis Presbyter, Theologus Lovaniensis, nullo insignitus gradu Academico; quia Professionem fidei cum promissione obedientiæ Constitutionibus Apostolicis contra Bajum & Jansenium præstare obstante Jansenianâ conscientiâ, non potuit.

Mechliniæ tamen post annos aliquot, occasio se obtulit promotionis; sub Præsule minimè malo; sed qui cum Theologicis leviter

viter tinctus esset, dirigi se & decipi passus est à fautoribus novitatum. Illic Ægidius Parochię præfectus B. Mariæ Virginis, etiam Decani titulo in eadem Collegiata Ecclesia decoratus est. Mox typo editis Opusculis communem methodum administrandi Pænitentiæ Sacramentum vellicare cępit, arrodere confessionem peccatorum venialium, ac viam sternere Sacramento penitus abrogando. Tandem reclamantibus omnium Ordinum Theologis, obortoque inter ipsos Laicos non levi scandalo, & querimoniâ adversus eos, à quibus officii ratio postulabat, ut effrænem illam reprimerent temeritatem, Archiepiscopus eam latâ sententiâ condemnavit.

Quo dein Antistite defuncto, atque ex Sede Brugensi Mechliniam, authoritate Apostolicâ translato Humberto Guilielmo à Pręcipiano, turbata tota Jansenistarum Hierosolyma, seu veriùs Babylon est, facilè prævidens, non fore sibi sub tali Præsule erudito, vigilanti pariter ac forti, novitates disseminandi licentiam.

Solâ perceptâ nominationis ejus famâ, anno 1690. die 27. Maii ita nuntiabat cognato suo unus è Licentiatis Lovaniensibus non vulgaris: *Voici bien des presages, de ceque l' ona à attendre pour les pauvres Jansenistes. Cependant on espere que Dieu n'abandonnera pas la cause des Defenseurs de sa verite.*

Quod latinè redditum sic sonat. *En quot præsagia de iis, quę miseris imminent Jansenistis! Veruntamen speratur fore ut Deus, veritatis suæ non deserat Defensores.* Epistola hæc disponente Deo, manibus excidit cognati, qui eam acceperat, moxque ad ipsum delata Archiepiscopum, ab eodem mihi exhibita fuit.

Dignus hic Articulus mihi visus est, quem ex epistola describerem. Cognatus autem ille erat de quo Melchior Leydeckerus Calvinista in *Jansenismi* Historia citatis quibusdam ejus sententiis ita testatur pag. 275. *Hæc Carolus Bontius, quem laudamus ut Jansenistam ingenuum, ipsoque Patriarchâ* (Jansenio) *meliorem*. Non melioris famæ fuit Bontius ille apud Catholicos in Hollandia, ubi ad Missionem aliquam à Sebasteno Archiepiscopo Jansenianis benevolo destinatus, à tumultuantibus rusticis expulsus fuit.

Non usquequaque inania fuisse licentiati *præsagia* de iis quę *imminebant miseris Jansenistis*, expertus inter cœteros tum ipse Bontius fuit, tum maximè Ægidius. Prior enim à Bruxellensi Capitulo electus Secretarius, opponente se Archiepiscopo, pacificam adire nunquam valuit possessionem: Posterior coactus brevi fuit mutare Sedem, & extra Diœcesim se recipere, aliàs ob rebellionis pertinaciam carceri mancipandus.

Præcipuus offensionis ejus lapis fuit, occasione Diplomatis; quod novus Archiepiscopus, consilio cum suis suffraganeis Præsulibus inito, ediderat pro obedientia ergà Sedis Apostolicæ Constitutiones, nominatim pro non legenda promiscuè Scriptura Sacra idiomate vulgari. Exemplum sui Archipræsulis cæteri passim Antistites secuti sunt: & Mechliniæ Parochi omnes Decretum promulgarunt, præter Ægidium.

Accersitum Archiepiscopus de officio monuit: ille primùm tergiversari, causatus promulgationem in sua Ecclesia à Religiosi Ordinis Concionatore factam. Non sufficit, inquiebat Antistes, tuum est verbo & exemplo oves pascere, proindè Decretum tu ipse fidelibus è suggestu prælege, eosque ad obedientiam hortare. Respondet tandem Ægidius, multa subindè Romæ iniqua statui, ideoque Illustrissimi Decretum non esse expers injustitiæ, cujus ipse constituere se nollet participem.

Ad quod Archiepiscopus, aut isti, inquit, erroneo conscientiæ tuæ dictamini renuntians, mox ministerium tuum imple, aut ego, quod muneris mei est, promptè exequar. Ægidius, quid sibi hæc vellet oratio, satis intelligens, in manus tuas, inquit, Illustrissime Domine, Parochiam & Decanatum resigno, liceat mihi modò tuâ excedere Dięcesi: ad meam regrediar Gandavensem.

Cui Archiepiscopus, vade, inquit, quòcumque te lubentia tulerit; sed cave moras apud nos traxeris, ne tuæ alios contumaciæ pravitas inficiat.

Profectus ad suum Gandavensem Episcopum, ab eodem mox civitate excedere jussus est. Unde in Pagum *Augbemium* se recipiens, ibi aliquamdiu latuit, donec confluentibus ad eum Novatoribus, Gubernator Aldenardensis, veritus machinationis quidpiam, immissâ noctu militum turmâ, conventiculum dissipavit, & interceptis profugientium scriptis, plura detexit iniquitatis mysteria. Cùm igitur, ubi securus pedem figeret apud Catholicos, nusquam reperiret Ægidius, ad Batavos se recepit Ultrajectenses; ubi à Petro Hollen Missionario benignè admissus fuit in numerum eorum, qui non studiis solùm & scriptionibus, sed pecuniâ etiam & facultatibus causam promovent Jansenianam.

Hic Petrus Hollen est, quem superiùs retuli scribentem sub fictitio *Gratiani* nomine, duas epistolas ad Clementem XI. typo editas, in qua-

in quarum posteriore nihil simulans, aut dissimulans, Pontifici verbis clarissimis denuntiat *Parum abesse, quin ipsi dicat anathema.*

Heroëm itaque Ægidium, eumque adeo gloriosum novę Ecclesię Confessorem quomodo non amantissimè amplexus illicò fuisset *Gratianus* ille, & omni subsidiorum genere fovisset? Quanquam & inter hos postmodum non levis exarsit discordia, quæ etiam in publicas prorupit contumelias: tunc rabie, quam contra Sedem Apostolicam conceperant, in se invicem conversâ, mutuis se morsibus dilacerarunt. Objiciebat *Gratianus* Ægidio Jansenianam hæresim, Ægidius *Gratiano* stultitiam. Existimant alii utrumque elogium, à multi temporis amicis se invicem intimè cognoscentibus, adornatum, aptè singulis convenire. Ultimam Ægidius bilem evomuit in Constitutionem *Unigenitus*. Quando à me verba Novatoris referri audies, Lector Catholice, fanaticum indubiè authorem censebis, ubique se prodente potiùs furote, quàm procedente à sanæ mentis Theologo accusatione. De hac loco magis proprio plura.

Interim ex allatis hactenus speciminibus facilè sapiens Lector colliget, quales nacta sit nova Ecclesia Apostolos, quales Romana & Apostolica Sedes adversarios ac persecutores: qualis à rigidioris illis ethicæ Doctoribus hypocritis, exemplo tradita sit patientiæ virtus, quale unitatis & pacis studium, qualis reverentia authoritatis, obedientia, demissio, modestia: Quales quidem à Sanctorum nemine; sed à Luthero, Calvino & similibus novarum hæresum Patriarchis exercitas legimus, atque omnis semper Catholicus detestabitur.

Quæ autem huc usque retuli, quantumvis horrida videantur, & reverà necesse sit apud omnes innovandi libidine non infatuatos, execrabilem reddant hæresim Jansenianam, velut arborem tot scandalosis quotidie & exitialibus fructibus luxuriantem: alia tamen, ad quæ sensim progredimur, graviora longè sunt, & majorem Ecclesiæ minitantur perniciem, si ex initiis de fine liceat ominari.

Antequam ad alia gradum faciam, videtur necessaria ipsius exhibitio Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth*, tam salutiferæ fidelibus, quàm novis hæreticis odiosæ: in qua Lector Catholicus omnia deprehendet ad erudiendam Ecclesiam sapientissimè disposita, omnia Pontifice verè Sanctissimo & reipsa Maximo prorsus digna; quæ non exaraverit manus hominis, nisi assistente illo, & peculiariter juvante, qui fidem suo Vicario promisit nullo tempore defecturam.

CAPUT XXVI.

Constitutio VINEAM DOMINI SABAOTH *Catholicis omnibus acceptissima.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

D. CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

Confirmatio & Innovatio Constitutionum Innocentii Papæ X. & Alexandri Papę VII. adversùs Jansenianam hæresim editarum cum nonnullis declarationibus pro debita illarum observantia adjectis.

CLEMENS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei

Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

VINEAM Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commisso Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere custodire, atque excolere omni studio, atque industriâ jugiter satagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum vepres radicitùs evellendos prudenti, salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscunque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmiùs semper, atque exactiùs observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter roboramus, atque aliàs desuper solicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad fidelem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, necnon Animarum pretioso Unigeniti Dei Filii Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur. Sanè postquam fel. rec. Innocentius Papa X. Prędecessor Noster per quamdam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas Propositiones ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus* excerptas Apostolici censurâ judicii ritè confixerat, rec. mem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores è Christifidelium mentibus prorsus abolendos, publicęque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam Innocentii Prædecessoris Constitutionem, toto illius inserto tenore,

confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, suâ in id pariter editâ Constitutione tenoris, qui sequitur, videlicet: ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus salutem & Apostolicam benedictionem. Ad Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm, ut sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati traditâ Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis, sivè declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur; ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem alias à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet. INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus *Augustinus* Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderémus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, quâ possibilia fiant. Secunda. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id specialiter sæpiùs congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut suprà, Nobis oblatas fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus; eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujusce modi discussionis, ad Divinum implorandum auxilium, multorum Christifidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus; postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè imploratâ Sancti Spiritus assistentiâ, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posse humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit: Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & defini-

definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas prædictas, cœteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, omninò coerceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridiè Kal. Jun. Pontificatus nostri Anno nono. Cum autem sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento damnatas non fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident: Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpotè qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ authoritate, eadem causa discussa est, eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset, quamcunque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejusdem Fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officii, ac maturâ deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus* excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, inustâ scilicet eâdem singulis nota, quæ in prædictâ declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum sæpèdicti Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios, tam manuscriptos, quàm typis editos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii Doctrina, ut suprà, damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur, vel astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christifidelibus, ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel scripto exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem, juxta præsentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo septimo Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo. Subindè verò, quò omnis Apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædecessor, priscum Ecclesiæ morem sequutus, certam edidit Formulam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis, tàm Secularibus, quàm Regularibus personis subscribendam per aliam suam hac in re promulgatam Constitutionem tenoris sequentis, videlicet: ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apostolici Divinâ providentiâ Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimùm, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & Fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus. Quamobrem Cornelii Jansenii hæresim, in Galliis præsertim, serpentem, ab Innocentio X. fel. record. Prædecessore nostro ferè oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem singulari Constitutione ad hunc finem editâ altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices Hostis hominum generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sanè studio Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi Regni Gal-

liæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum exequutioni præcipuè intenti contulerunt, & Charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam Formulam subscriberent nostrâ authoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus *Augustinus* excerptas sincerè damnarent, ac proindè illam à Nobis quantocyùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit: Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, Formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscunque Ecclesiastici Ordinis, tàm Regularibus, quàm Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districtè mandamus; idque intra tres menses à die publicationis, seu notificationis præsentium; aliàs contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta. Formula à supradictis subscribenda. Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii Decimi datæ die 31. Martii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus* excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes literas, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscunque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omninò compellant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, quintodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno decimo. *Sic* equidem Causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolico toties mucrone percussus: Neque enim defuere, nec adhuc desunt, homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potiùs effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantùm in ipsis est, involvere, & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, necnon binas similis memoriæ Innocentii Papæ XII., etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respectivè datas literas in erroris sui patrocinium advocare, temerario planè ausu, non erubescunt: perindè ac si memoratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis literis, se Innocentii X. & Alexandri Septimi Prædecessorum Constitutionibus supradictis firmissimè inhærere, ac à dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeòque Formulæ à præfato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editæ sincerè per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quàm nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsâ

ipsâ admisisset; dictus verò Innocentius XII. Prædecessor, dum sapienter, ac providè prędictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damnatas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis Innocentio X. & Alexandro VII. Prædecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictasque Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset, iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserebat. Præterea iidem inquieti homines sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis, exquisitâ ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuriâ, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti: Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum interiùs, ut hæreticum, damnet; sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio quàm absurda sit, & animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; Et lata demùm filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim; dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolicâ Sede damnatam Ecclesia Universalis exhorruit, adhuc interiùs abjicere, & corde improbare detrectant. Quin etiam eò impudentię nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ Formulæ à memorato Alexandro Prędecessore præscriptæ subscribi licitè posse, etiam ab iis qui interiùs non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quasi verò, contra quam scriptum est; Qui loquitur veritatem in corde suo; Et: Qui jurat proximo suo, & non decipit; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere; dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa non sentiunt; seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt. Hinc est, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidiè in deterius vergit, remedium adhibendum, non minùs demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum solicitudinis debito, quàm plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo, ac precibus excitati; ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impunè pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus, apud eos quoque, qui bonâ, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententiâ Apostolicæ Sedis ampliùs ambigendi supersit locus; Divino priùs, tam privatis nostris, quàm publicè indictis precibus, implorato præsidio, ac re maturè discussâ, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacrâ Theologiâ Magistrorum suffragiis; Primò quidem præinserras Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque, & singula in eis contenta authoritate Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus. Ac insuper, ut quævis in posterùm erroris occasio penitùs præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (nam & impii in tenebris conticescunt) sed, & interiùs obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant; hac nostra perpetuò valiturâ Constitutione: Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere; nec aliâ mente, animo, aut credulitate supradictæ Formulę subscribi licite posse; itaùt qui secus, aut contrà, quoad hæc omnia, & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & pęnis omninò subjaceant, eâdem authoritate Apostolicâ decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus. Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas literas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum

rum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hęreticę pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut singuli in suis respectivè Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis, ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscunque per censuras, & pęnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omninò coerceant, & compellant. Volumus autem ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis Originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinto, Decimoseptimo Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius

Visa de Curia C.A. Fabronus.

Loco ✝ Plumbi.

P.Porta

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI Millesimo septingentesimo quinto, Indictione decimatertia, die verò decimasexta Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini CLEMENTIS Divina Providentia Papę XI. Anno Quinto, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatę fuerunt ad valvas Ecclesię S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellarię Apostolicæ, Magna Curiæ Innocentianæ Montis Citatorii, in Acie Campi Florę, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Joannes Græcus Mag. Curs.

Hæc Constitutio unanimi per Ecclesiam consensu, obedientiâ & gaudio accepta fuit, iis potissimum locis, quibus Janseniana novitas ab initio maximè insidiata est. Lovanii Theologica Facultas solemnes Deo gratias egit Hymni Ambrosiani cantu publico in æde Sacra Patrum Augustinianorum. Clerus Galliæ in Comitiis Generalibus anni 1705. Lutetiæ ingentem animi lætiam, datis etiam ad Clementem XI. literis testatus est; Verùm cum minùs providè illis quidpiam inseruisset, quo nimium videretur Episcopali tribuere authoritati, atque detrahere Pontificię, Sanctissimo Domino displicuere non parum. Undè & occasio fuerunt Brevis Apostolici, quo paterni animi sensum Pontifex gravissimum declarans, Antistites ad debitam Christi Vicario reverentiam, ac observantiam revocaret. Ea Clementis XI. responsio data est eodem anno 1705. Novembris die 19. ad Episcopos Galliæ Parisiis congregatos.

EPISCOPIS GALLIÆ PARISIIS CONGREGATIS.

19. Novembris 1705.

VEnerabiles Fratres &c. Gratulationes vestras, quibus editam nuper à nobis pro comprimenda iniquorum hominum contumaciâ, Constitutionem excepistis, ex datis ad nos litteris vestris magnâ quidem animi voluptate cognovimus, novam inde fiduciam concipientes, non inanem fuisse laborem nostrum, vosque pro pastoralis vestri muneris debito curaturos, ut extinctis prorsus Apostolicæ Sedis judicio Janseniani erroris reliquiis, idipsum tandem sapiant omnes, sintque perfecti in eodem sensu, & eâdem sententiâ.

Verùm uberem adeò gaudii nostri materiam turbavit admodum nonnullarum Epistolarum, aliarumque scriptionum palam editarum delata ad Apostolatum nostrum notitia, quibus nihil magis obtendi, atque adstrui videtur, quam ut summa ejusdem Sedis authoritas multifariam impetatur, perinde ac si nullum hodie Episcopali zelo argumentum dignius occurat, quàm B. Petri Sedis

Innoc. I. Epist. 11. ad Concil. Carthag. Sedis potestatem attenuare, unde ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit. Quodque mirandum magis, quin & dolendum acerbiùs nobis fuit, ista à Fraternitatibus vestris tentari vidimus eo ipso tempore, quo extirpandis errorum radicibus, quibus Ecclesias vestras infici sentiebatis, imploratum à vobis, potestatem vestram planè imparem expertis, & ab ipso Christianissimo, ac religiosissimo Rege vestro instantiùs expetitum brachium, & auxilium paternâ, quâ vos, Ecclesiasque vestras charitate complectimur, libentissimè impendebamus.

Agnovimus in eo sanè consuetam nequissimorum quorumdam hominum astutiam, qui dum Jansenianum virus, quod corde retinent, pœnarum metu proferre non audent, Romanæ Sedi à quâ comprimi se maximè sentiunt, occultum veluti bellum indicere conantur, ac per importunas quæstiones in catholicæ unitatis perniciem, dissensionum semina spargere. Vos autem Ven. Fratres, quorum muneris erat corripere inquietos, nimis turpe est eorumdem potiùs suggestionibus cedere, Ecclesięque turbatoribus, non satis advertentes, vos manum præstare, effusâ nimis de Romani Pontificis potestate scribendi, ac judicandi licentiâ.
Num. 16. Multùm profectò erigimini filii Levi; Quis enim vos constituit Judices super Nos? Nunquid inferiorum est de superioris authoritate decernere, ejusque mandata discutere, judicia examinare? Pace vestrâ dictum sit, Ven. Fratres, intoleranda planè res est, paucos Episcopos, & earum potissimum Ecclesiarum, quarum privilegia, & decora nonnisi Romani
Innoc. I. Epist. ad Conc. Melevit. Pontificis favore, ac beneficio constant, adversus sui nominis, & honoris authorem caput attollere, primæque Sedis jura corrodere, quæ non humanâ, sed Divinâ authoritate nituntur. Interrogate majores vestros, & dicent vobis, non esse particularium Antistitum Apostolicæ Sedis decreta discutere, sed implere. Et quandoquidem Episcoporum Galliæ
S. Leo Epist. 51. S. Leoni Magno de consonantia fidei gratulantium verba producitis, ab iisdem utique discere poteratis, quę vestri similium, quos propterea imitari non pudeat, Antistitum in recipiendis Apostolicæ Sedis definitionibus partes revera sint; Apostolatûs vestri, inquiunt, scripta ita ut symbolum fidei quisquis Redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit.

Longè ergo aberant olim præstantissimi Galliarum Episcopi ab arrogando sibi jure discutiendi Apostolicæ Sedis Constitutiones, quas ut ipsum Eidei Symbolum recipiebant, nec multum temporis, aut sedulitatis impendendum censebant, ut de illarum exequtione deliberarent; sed satis sibi esse arbitrabantur, si earum tenorem ad confundendos hæreticos memorię commendarent; docebantque insuper (quod vos maximè animadvertere oportet) Romani Pontificis definitiones non ex Gallorum fide dijudicandas; sed contrà fidem suam ideò firmam, ratamque agnoscebant, quòd Definitioni Romani Pontificis consentiret. Audite illos S. Leoni ista subdentes: *Doctrinæ post Deum vestrę debet quisque fidelis, ut constanter teneat, quod credebat, debet etiam infidelis, ut à perfidia suâ, agnitâ veritate, discedat, & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat*. Hæc Patrum fides, hæc majorum traditio, hæc constans veterum Gallicarum, sicut & cęterarum totius Christiani Orbis Ecclesiarum regula, quæ quorumlibet demùm novitiis humanorum ingeniorum adinventionibus oppugnari potest, labefactari omninò non potest. Neque S. Gelasius Epist. 11. ad Episc. Dardan. Vosipsos, Ven. Fratres, præclara vestra aut Sacrarum literarum peritia, aut in evolvendis priscis Ecclesię monumentis studium ac diligentia ignorare patitur, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quod inquam, sedes B. Petri Apostoli de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.

Profectò si vel ipsam Apostolicę Constitutionis nostræ formam, & quidem non à nobis recens adinventam, sed à Prædecessoribus nostris longâ sæculorum serie usurpatam observare placuisset, quâ omnibus Archiepiscopis, & Episcopis Constitutionis ejusdem

ejusdem exequtionem, & observantiam integram authoritate Apostolicâ præcipimus, committimus, & mandamus, edoceri vel ex ea satis poteratis, nos hac in causa non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non expectare sententiam; Sed obedientiam injungere, obedientiam, inquam, illam, quam B. Petro Apostolo, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, ac nobis, nostrisque Apostolicis Decretis, atque mandatis in ipso Sacræ vestræ inaugurationis limine solemni jurejurando polliciti estis.

Ægrè quidem, Ven. Fratres, in hoc invito argumento versamur; memores enim tenuitatis nostræ, non ut dominantes in Cleris apparere affectamus; sed subditi omni humanæ creaturæ propter Deum esse cuperemus, atque vtinam datum nobis esset humiliori loco consistere; at verò cùm neutiquam privatam nostram; Sed Apostolicæ B. Petri Sedis, in qua non immeriti solùm, sed & inviti Divino sic disponente judicio præsidemus, causam agamus, postquam diù, multùmque studio pacis, & unitatis amore tacuimus, pluraque nimis audacter, ac perperam adversus ejusdem Apostolicæ Sedis jura, dignitatemque gesta, charitate Christi, quæ patiens est, & paternâ prorsus indulgentiâ toleravimus, dum inordinato pravoque processu impunitarum transgressionum quotidie augentur excessus, & crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ, & amore concordiæ, amplius dissimulare nobis, aut silere non licet, & locum Unigeniti Filii Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, quem indigni tenemus in terris, ultra negligere nec possumus, nec debemus. Videmus enim, Ven. Fratres (quod non sine intimo paterni nostri cordis mærore loqui compellimur) vestris potissimùm in regionibus plurima in dies ab iis, qui se catholicos profitentur palam scribi minuendis, convellendisque hujus S. Sedis juribus, eâ profectò, ut minimum dicamus, libertate, ac licentiâ, quæ nonnisi hætherodoxis Ecclesiæ hostibus gaudio, Orthodoxis verò, piisque scandalo, ac luctui, nemini certè fructui aut utilitati esse possint. Iis porrò

S. Leo Epist. 51.

vel ipsa quandoque nonnullorum Episcoporum scripta consentire nimis deploranda, nobisque minimè ferenda res est, quasi non eadem Apostolica judicia pro sancienda regula Fidei à Summis Pontificibus lata, quæ paucos ante annos divinâ, æque ac summâ per universam Ecclesiam authoritate niti, omnis Gallicana Ecclesia, datis ad Prædecessores nostros literis palam professa est, modò fere infirma debeant, ac veluti nutantia reputari, nisi superveniente vestro, paucorum scilicet Episcoporum judicio fulciantur.

Currebatis benè, Ven. Fratres, & Majorum vestrorum secuti vestigia ad Apostolicam Sedem, tamquam ad Fidei arcem, totius disciplinæ metropolim, & unitatis Catholicæ centrum, quo omnium Ecclesiarum lineas collimare necesse sit, ne aliò distortæ, ruinam inveniant, & ad Beati Petri Fidem nunquam deficientem, quâ hæreticorum errores peremptorio decreto prosternuntur, fidenter non minùs, quam humiliter confugiebatis. Quare ergo tam citò transferimini penè in aliud Evangelium, ac si Fidei arcem, & disciplinæ Metropolim, vt minùs tutam explorare tentetis, lineasque vestras non ad unitatis Catholicæ centrum deducere, sed ipsum potius centrum ad lineas vestras exigere velle videamini, ac demum B. Petri fidem nunquam deficientem agnoscere erubescatis.

Videte, quæso Ven. Fratres, & in conspectu Superni Pastoris, qui nos omnes in veritate sua judicaturus est, sollicitâ mente perpendite, num istud sit, quod vestri muneris, quin & honoris esse profitemini, & in quo Gallos semper potiores fuisse gloriamini, Sedem scilicet Apostolicam colere, an potius lædere; num sit Romanæ Ecclesiæ jura, honores, privilegia, & authoritatem conservare, defendere, augere, ac promovere, quod prævio consecrationi vestræ juramento pariter spopondistis, an potiùs eadem jura convellere, honores imminuere, privilegia, & authoritatem velut in dubium revocare. Satius profectò vobis, satius & clarissimis, quibus Gallia vestra floret, ingenijs foret adversus hæreticos dimicare, quàm petræ illius, ad quam omnes

omnes demum hæreses allidendæ, & per quam conterendæ sunt, soliditatem quotidie in quæstionem vocare, firmissimumque Ecclesiæ fundamentum, supra quod totius Ecclesiastici ædificii altitudo consurgit, quasi velle concutere, quod planè est Ecclesiæ ipsius arma obtundere, clypeumque hostibus ministrare.

S. August. Serm. 15. de SS.

Et quidem cùm, ut magnus olim fidenter ajebat Leo, præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis esse nequeat ulla constructio, videte Ven. Fratres, ne ista porrò causa sit, cur post tot annorum curricula numquam in Ecclesiis vestris pax vera fuerit, nec unquam futura sit, nisi, ut vos ipsi non ita pridem loquebamini, profligandis erroribus, Romanæ Sedis invalescat authoritas, & clarâ, firmaque de rebus ad catholicam fidem pertinentibus prolata sententia caliginem omnem discutiat, animos fluctuantes componat, dissidia prohibeat, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituat. Tum demum unanimes idipsum sentietis, & non erunt in vobis schismata, cùm primæ Sedi, unde Sacerdotalis unitas exorta est, humili adhæsione consentietis: tunc à subditis vobis ovibus integram obedientiam exigetis, cùm ea Romanæ Ecclesiæ, cui subjectos vos esse cognoscitis, pleno animo præstiteritis.

Epist. 54.

Maneat ergo, Ven. Fratres, suus Episcopali Ordini honor, ac dignitas; sed quos posuerunt Patres nostri terminos non excedat. Romanam Ecclesiam Ecclesiarum omnium matrem & magistram nulli inferiores Antistites judicare, aut docere præsumant, aut post ejus judicare judicium; sed quæ Romanus Pontifex (veteres vobis Gallicanos Canones recitamus) secundum Sacrum suum ministerium authoritate Apostolicâ decreverit, in summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur, & maximè ab his (ut olim Gallus Antistes, & quidem non ignavus Episcopalis amplificator juris admonuit) qui in illis regionibus habitant, in quibus Divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & catholico lacte nutrivit.

Concil. Pontigon. anno 876.

Hincmar. Rhem. in præf. lib. de divorc. Clothari.

Non ut confundamus vos, hæc scribimus, sed pro pastorali nostra sollicitudine, quam vobis etiam debemus impendere, ut Fratres & Filios charissimos admonemus, rogamus, & obsecramus in Domino Jesu, ne à veritate longiùs aberrantes, effusâ nimis de Apostolica Sede amantissima Parente vestrâ, unde vobis religionis, propitio Christo, fons, & origo manavit, & de ejus Constitutionibus, & Decretis loquendi scribendive licentiâ, ceteris per universam Dei Ecclesiam offendiculo esse pergatis. Dispensatio enim nobis credita est, & ad nostrum tendit reatum, si contra paternarum regulas sanctionum, B. Petri, ejusque Sedis causam deseramus; quoniam si negligenter ea, quæ malè usurpantur, omittimus, excessûs viam aliis aperimus. Nemo ergo vos seducat inanibus verbis, aut falsâ vobis protendendæ magis authoritatis vestræ promissione blandiatur. Discamus omnes non altum sapere; sed timere, cùm scriptum sit: Rectorem te posuerunt, noli extolli, cumque Domino admonente studere debeamus, ut qui major est in nobis, fiat sicut minor, pudeat, quod qui minores sunt, majori se æquare, quin & præferre quodammodo velle videantur. Charitatem sectemur, sine qua nihil sumus, quæ non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, multò minùs, quæ sua non sunt, tentare præsumit. Maneat dispositio veritatis, ipso Christi verbo firmata, quod etiamsi cœlum & terra transierint, præterire non potest, ut scilicet B. Petrus Apostolus, cujus adhuc in sede sua vivit potestas, & excellit authoritas, confirmare debeat Fratres suos, non ipse à Fratribus confirmari. Unitatem demum Catholicæ Ecclesiæ, rejectis vanis, & inutilibus contentionibus, quæ magis præstant quæstionem, quàm ædificationem Dei, firmiter custodiamus; unitatem, inquam, quæ ut à majoribus nostris accepimus, in eo potissimùm sita esse dignoscitur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Et Apostolicam benedictionem vobis omnibus, Ven. Fratres, quos sincerâ in Christo charitate diligimus (quare & vobis liberiùs ad utilitatem vestram loquimur) amantissimè impertimur &c.

Episcopi Galliæ inter Epist. S. Leonis 51.

S. Gregor. lib. 7. Epistola 28.

S. Leo Serm. 2. de Assumpt.

S. Leo Serm. 3. de Assumpt.

Hactenus Summus Pontifex, cui satisfacere non poterat hæc à se exarata reprehensio, si eam Clerus silentio dissimularet; ideo errati à Præsulibus commissi excusationem congruam postulavit. Hanc Eminentissimus Parisiensium Archiepiscopus, suo & Comitiorum, quibus præfuerat, nomine, concinnandam assumpsit: Verùm concepta ab eo Epistola minimè placuit Sanctissimo: quapropter ab eo non admissa; sed penitus rejecta est. Quod ubi Regi Christianissimo innotuit, voluit omnino ejus pietas, ut Christi Vicario fieret satis; sed non tam facile fuit de modo cum Archiepiscopo convenire. Tandem, jubente efficaciùs Rege, ut mora ulterior abrumperetur, concepta fuit Epistola eo modo, qui videretur offensum optimi Pontificis animum pacaturus. Videre illam, & discutere maturiùs, antequam mitteretur, Rex ipse voluit, quæ & Regi placuit, & eo mandante à Cardinale Archiepiscopo subsignata est. Authographum in scriniis Romanæ Curiæ servatur: è quo laciniam citavi sæpiùs, & nunc integrum Lectoribus descriptum exhibeo.

Beatissime Pater.

CUM intimo doloris sensu accepi, modum illum, quem Clerus noster Gallicanus in Comitiis habitis anno 1705. tenuit, occasione Constitutionis à Sanctitate Vestra editæ adversus Jansenianum errorem, quæ incipit: Vineam Domini Sabaoth, visum fuisse eidem Sanctitati Vestræ diversum ab eo, quem olim Majores nostri occasione Constitutionum à Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. eâdem in re editarum, tenuerunt, adeoque præfatam Sanctitatis Vestræ Constitutionem, non eâ, quæ par erat, veneratione, atque obedientiâ ab eodem Clero acceptam fuisse. Quod sanè cum à mente ipsius Cleri prorsùs alienum fuerit, officii mei, & æquitatis esse duxi Beatitudini Vestræ quid rei esset aperire, maximè cum iis Comitiis præfuerim, eâque de causa votorum omnium particeps, ac præcipuus testis extiterim.

Testor igitur, primò in Comitiis prædictis Clerum nostrum verè in animo habuisse, Sanctitatis Vestræ Constitutionem eodem prorsus obsequio, eâdemque obedientiâ accipere, & amplecti, quâ Majores nostri omnes Sanctitatis Vestræ Prædecessorum Bullas adversùs Jansenium acceperunt, & amplexi sunt.

Secundò, cùm Clerus dixit, Constitutiones Summorum Pontificum à corpore Episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare, mens ejus non fuit necessariam esse ejusmodi acceptationis solemnitatem, ad hoc ut illæ tanquam regulæ credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant, licèt aliquando ista solemnitas non mediocris esse possit utilitatis, ubi natus est error; ultima Jansenistarum munimenta, ipsisque effugium omne in nostris partibus, principio ab his concesso, intercludere operæ pretium duxit.

Tertiò, non sibi arrogavit Clerus, ut sanctiones Pontificias examini suo judicandas subjiceret, sed in ipsis, quod olim scribebant Leoni Magno Episcopi Gallicani; *Gaudens, & exultans fidei suæ sensum recognovit, & ita se semper tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætatus est*.

Quartò, certum illi fuit, Pontificiis Decretis adversùs Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem & de Apostolicis adversùs Bayum, & Molinosum, & librum vulgò dictum *Maximes de Saints*, Definitionibus professurum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset.

Quæ cùm ità se habeant, & genuinam nostrorum Episcoporum sententiam explicent; Sanctitatem Vestram enixe precor, ità de Ecclesia Gallicana sentiat, ut illam credat, qualem scripsit Innocentio II. S. Bernardus, *fortem in Fide, pacificam in unitate, devotam in obedientia vestra, promptam ad servitium*; Sic etiam hodie affecti sunt omnes Episcopi nostri; Ego verò debitæ Apostolatui vestro obedientiæ primus omnium faciam satis.

Apostolicæ Sedi quanta debeam monebunt me semper religio, gratus animus, & insita erga Romanam Ecclesiam reverentia, neque necessarius erit ad confirmandam omnimodam hanc meam observantiam aspectus Purpuræ illius, qua honestor, & in omnibus summa cum veneratione, & obsequio me exhibeo.

Parisiis 28. Junii 1711.

SANCTITATIS VESTRÆ &c.

Epistolam Eminentissimi mittere voluit Rex ipse, atque per suum in Urbe Oratorem Pontifici tradi simul cum literis suæ Majestatis, quibus Sanctissimum reddebat certiorem; quòd non alia mens fuerit Antistitum in Comitiis generalibus anni 1705. dum Constitutionem Apostolicam acceptarunt, quàm debitam præstare Christi Vicario reverentiam. Non inutile erit ipsam Regis Epistolam scriptam 27. Junii è Gallico Latinè reddere.

„ Quemadmodum exploratum nobis est, Regni

„ Regni nostri Episcopos in Comitiis anno 1705. cum facultate nostra celebratis, „ acceptando Beatitudinis Vestræ Constitutionem, aliud non intendisse, quàm suam „ ei ostendere venerationem, approbavimus „ præsentem Cardinalis de Noailles Epistolam, qui ut Comitiis illis præfuit, scribit Beatitudini Vestræ velut testis eorum, „ quæ intuitus coram est, & de Confratrum „ suorum novit sententia. Nos quoque Sanctitatem Vestram obsecramus, ut firmiter „ persuasum habeat, nos authoritatem nostram libenter omni tempore impensuros, „ ut debita Ecclesię Capiti & Christi Vicario reverentia in ditionibus nostris conservetur, atque intimo affectu nos à Deo expetere ut diuturnam tanto Pontifici in bonum Ecclesiæ tribuat incolumitatem.

CAPUT XXVII.

Quanta pace *&* *modestiâ* *Quesnellus* passus fuerit anathema *inflictum* *versioni* *suæ* *Gallicæ* Novi Testamenti cum observationibus Moralibus: *An non* erexerit se contra authoritatem, aut sciderit unitatem.

TUrbarum omnium, quibus Ecclesia, potissimùm Gallicana, hoc tempore concutitur, origo est, Quesnelliana Novi Testamenti versio Gallica (vulgò *Testamentum Catalaunense*) cum observationibus moralibus. Opus in tomos quatuor dividitur, qui à Clemente XI. anno hujus seculi octavo mensis Julii die 13. speciali Diplomate condemnati sunt, censuris longè mitioribus, quàm eorum merebatur perversitas. Accessêre qostmodum Propositionibus Notę graviores, quod infamiæ incrementum, exigente Quesnelli eique adhærentium pertinaciâ, Constitutio *UNIGENITUS* justissimè pariter, ac sapientissimè adjunxit.

Ut nempè superioribus temporibus, ita recentissimè experta est Ecclesia, hæreticos, istiusmodi mansuetudine non emendari; sed audentiores reddi, atque ferociores, quasi cognita sua satis innocentia, vel culpa levior non tantas contra se excitare debuerit tempestates: ita Sedis Apostolicæ clementiam in duritiam convertunt, iis quodammodo similes *Leopardis*, *quibus cum benè feceris*, *pejores fiunt*, ut de militibus suis custodibus Martyr Ignatius conqueritur, epistolâ ad Romanos.

Quesnelli itaque aliàs tantopere affectata charitas, pax, modestia, demissio audiatur in ejus *Dialogis* circa Pontificiam Operis sui censuram. Pag. 55. "Quando errores „ & excessus, quibus scatere liber dicitur, „ exhibiti fuerint ejus authori, & fautoribus, „ confusione hi operient facies adversantium, & de calumnia publicè convincent „ eos, qui Pontificem fraudibus circumvenientes ad iniquam adeò impulere sententiam „.

Pag. 157. "Cui tale Decretum videbitur tolerandum, in quo fictitiorum obtentu lapsuum, quorum nullus indicatur, Romana Curia Testamenti novi versionem fidelissimam cum *Annotationibus moralibus*, „ anathemate proscribit, tanquam Verbi „ Dei corruptionem damnabilem & errorum „ etiam impiorum hæresumque congeriem „ manifestam, postquam librum illum Antistites & Doctores eruditi approbaverunt, „ velut Catholicum ubique & perutilem „.

Pag. 191. "Totum imputatur virulentorum nequitiæ Censorum .... Condemnatio „ ista opus tenebrarum est, & horrendæ conspirationis „.

Pag. 196. "Sola ignorantia, passio, æmulatio, & calumnia Diabolica accusationes „ errorum adversus *Observationum Moralium* tomos instituere potuit „.

Pag. 210. "Passio violenta & cupiditas „ Decretum dictavit ... Omnibus formis Canonicis destitutum est, & Sanctissimis judiciorum Ecclesiasticorum regulis contrarium, itaut meritò dici possit judicium „ enuntiatum tyrranicâ potestate, non authoritate canonicâ „. Hactenus Quesnellus. Nonne humilis ista & *pacifica anathematis tolerantia est?* Ita suos Quesnellus docuit *non erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Statuamus igitur Cæsarem, aut Principem quemcumque temporalem, Decretum quodpiam edidisse, non omnibus, ut accidere solet, subditis gratum, aliquibus odiosum; quod si privatim forsitan deprecari quibusdam animus fuerit, dignus veniâ videri poterit conatus, etsi utcumque temerarius, quandoquidem Principis est attendere non adeò, quid singulorum gustui accommodatum sit, quàm quid communi conveniat utilitati, de qua judicium ad ipsum pertinet Principem eiusque Senatum, non ad inferiorem quemlibet, etiam dignitatis inter ceteros eminentis subditum; minùs ad privatum homuncionem qualis *Dialogorum* author noscitur Quesnellus. Suppone proinde scriptorem istiusmodi in causis seculi & temporalibus Decretum Cæsaris, Regis aut Principis tali-

bus vellicare conviciis, ut dicatur *Decretum Diabolicam continere calumniam, judicium enuntiatum esse tyrannicâ potestate, non authoritate legitimâ, ut æquitatis regula postulabant*.

Quid, ubi talis improperii in scriptis publicis author innotesceret, subiturum supplicii existimas? Eo tempore quo Quesnellus latuit Bruxellis videre illic potuit virum nobilem ferali expositum pegmati, ligatum funibus, ut quem conscripserat libellum, videret lacerari manu carnificis, in rogum injici, atque infami absumi incendio, ipse verò ad triremes eâdem Senatus Regii sententiâ condemnatus est. Longè plura & deteriora sunt quæ suis Quesnellus *Dialogis* inspersit contra Summum Pontificem & Romanam Curiam, quàm quæ addictus ille triremibus Nobilis libello suo inseruerat contra statum politici in Belgio Moderatores.

Verùm Nobili isto Quesnellus in hoc callidior fuit, quod ille in Belgio Austriaco, Senatûs illius jurisdictioni subdito, suum imprudens Libellum ediderit; Quesnellus in Hollandia, satis conscius, non rigidam illic inquisitionem institui in Scriptores Operum contra Pontificem, ejusque in gubernanda Ecclesia Administros: neque, si Scriptores istiusmodi deprehendantur, dignos reputari supplicio. Major videri poterit Gerberonii temeritas, quando Bruxellis, quæ pars Diœceseos Mechliniensis est, contra loci ejusdem Antistitem absurdissima quæque scribere ausus fuit Libellis variis de ejusdem *sententiis & Agendi ratione*.

In primo eorum ait pag. 26. *Meditatur Archiepiscopus in has Provincias introducere regimen Gallicum, millies magis injustum & crudele, quàm sint Tribunalia Inquisitionis.* Sed latebris suis fidebat, & nequitiæ typographi, in quo prævaleret lucri cupiditas religioni. Gerberonii tunc impunitas animos addidit Quesnello, ut contra ejusdem Archiepiscopi Decretum datum anno 1695. die 15. Januarii in lucem protruserit infame Opusculum fallaci titulo *Humillimæ exhibitionis* in quo pag. 30. Sic enuntiat: " Nescio an unquam prodierit Decretum magis veritati contrarium, quàm tuum quomodocumque accipiatur ".

Pag. 36." Noli credere nos esse tam stolidos, ut terreamur tuo Decreto veritatibus ad salutem necessariis adeò adversante ".

Pag. 45. " Totum Decretum à principio ad finem palam omnibus ostendit, neque amorem veritatis aut justitiæ, neque zelum pro bono Ecclesiæ; sed spiritum odii, vindictæ, invidiæ illud peperisse ".

Pag. 46." Quomodo igitur Decretum tuum æstimari poterit nisi velut omni Pastorum ac fidelium obedientiâ & reverentiâ indignum? "

Pag. 49." Conqueri desine. Decretum tuum adeo non approbatur communiter, ut potius ejus injustitia ubique obvia omnes ad indignationem provocet atque contemptum ".

Pag. 62. " Possetne aliquis absque Divini offensione Numinis & crimine calumniæ tali applaudere Constitutioni "? Nondum Lector Catholice intelligis, quomodo Jansenianí sint *pacifici, humiles, modesti, patientes silentio obsequii & reverentia in tolerandis censuris* etiam judicio suo *injustis*, quales esse necessariò oportet omnes novam hæresim sequentes, vel suam refrænantes quidlibet effutiendi licentiam.

Sed ne divertamur longiùs à propositis Quesnelli *Dialogis*. Illic tono magistrali Sedem Apostolicam Quesnellus de judicii peccato gravissimo commonet pag. 180. dicens: " Postulabat æquitas, ut non tam properè, furtim, & crudeli inhumanitate damnaretur author (Quesnellus tam benè de Ecclesia meritus) sed redderetur certior de iis, quæ in opere reprehendenda viderentur. " Pag. 190." Satis apparet, totum condemnationis negotium esse effectum instructissimæ fraudibus conspirationis. "

Nonne multum injurius Quesnello videbitur, aut nimium rigidus Censor, qui eum negaverit, scriptis talibus mereri laudem *patientiæ pacificæ in tolerando anathemate*, etiam ut prætenditur *injusto*, aut putaverit *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*? Spiritus ejus turbulentus, & schismaticus, studens membra, etiam nobiliora à visibili Ecclesiæ capite separare, se prodit ampliùs in iis, quæ subjicio:

Pag. 74. dicitur " Romana Curia adversus Cardinalem Noaillium amaro erat animo: neque alia subfuit ratio condemnandi Operis ab Eminentissimo illo approbati, nisi ut suas Curia illa iras ostenderet contra approbatorem. "

Pag. 157." Decretum istud indignationis injustæ effectus est: ideò rejici debet ac supprimi. "

Pag. 210. " Vocari magis debuit aliquorum sanctio Cardinalium, quàm Pontificis. Causa instituta est in Congregatione S. Officii. Circumstantiæ hujus expressio studiosè in Diplomate prætermissa est ad fallendum Regem ejusque Proceres & Senatum. Ita opus tenebrarum promoveri fraudibus oportuit, " Pag. 235.

Pag.235." Adeò contra librum & Eminentissimum ejus approbatorem furit armata calumniis Factio. Quod egit Romæ contra Librum, atræ conspirationis fœtus est cujus pars non minima Regularibus adscribenda. Jure potest Archiepiscopus Decretum contemnere, adhærendo judicibus, quos patriæ leges & natura quodammodo, ipsi præ cæteris constituunt. Si ad hos se converterit, judicium consequetur sapientiâ, & justitiâ plenum."

Pag.263." Horrenda deduci ex Decreto poterunt, si dissimulatione & silentio vires ceperit. Deberet ea causa discuti & definiri in Tribunali, quale & Eminentissimi dignitas calumniis afflicta & rei pollutæ magnitudo."

Pag. 238." Res ea ad Regem pertinet, tanquam Sacrorum Canonum custodem, & protectorem. Exigunt autem Canones Tribunal Episcoporum duodecim ut de uno sententia feratur". Quesnelli nihil interest subruaturne Ecclesiastica libertas, dummodò lucubrationem suam ad fidei Catholicæ & animorum interitum, Satanico elaboratam studio adversus anathema tueatur. Prætermisso scilicet Supremo Christi Vicario ad Regem attinet impedire, ne Liber ullus ab uno Galliæ approbatus Episcopo, à Sede Apostolica proscribatur, nisi priùs duodecim Antistitum in eodem Regno sententiâ fuerit condemnatus. Istiusmodi pro deponendo Episcopo figit sibi Clerus Galliæ conditionem; sed eam requirere ad libri cujuslibet ab uno approbati Antistite condemnationem, soli hactenus in mentem incidit Quesnello, ut novæ fidei, ita & legum novarum mirifico inventori. Episcopi Aptensis, Lucionensis, Rupellensis hanc sibi impositam à Novatoribus legem ignoravere, quando Sedis Apostolicæ judicium prævenientes, in eundem Quesnelli Librum tulere sententiam. Ignoravit & Eminentissimus Noailles quando illorum Antistitum documenta Pastoralia è Parisiorum finibus proscripsit.

Si Rex Christianissimus legum Ecclesiæ custos & protector est, Sacrorumque Canonum, cur non etiam Legum & Canonum à Comitiis Oratorii generalibus pro illa Congregatione decretorum? Cur legitimæ adeò potestati se Quesnellus submittere noluit? Anno 1678. in Comitiis illis ad excludendas in posterum ab illo ordine novitates, statuta fuerat doctrinæ regula, quæ *ab omnibus Comitiorum Patribus subsignata, eorumdem nomine Regi oblata est*. In eodem scripto *juraverunt in verba formulæ* (seu regulæ) *nec se ab illius tenore, ne transversum quidem unguem unquam discessuros*.

Cum autem extra Comitia aliqui novitatibus addicti, fixo à Præpositis Canoni refragarentur; post alterum triennium, dum Congregationis Comitia habentur, prolata sunt Regia mandata, quibus jussi omnes proprio Chirographo formulam munire, ejusque doctrinam ex professo amplecti. *Edictum per Provincias missum: mandata Visitatoribus executio. Omnes ad hanc necessitatem adacti, ut vel obtemperent, vel quasi jussis rebelles è Congregatione pellendi, ad extremos regni limites ablegarentur, aut expirerentur pejus aliquid. Ut utrique necessitati*, inquit Quesnellus, *me subducerem, meum amicorumque consilium fuit.*

Ita habet epistolâ scripta anno 1687. ad P. Henricum Noris, qui post Sacrâ Purpurâ donatus fuit. Rebellis igitur è Domo Parisiensi abire jussus, Aureliam ad ligerim secedere compulsus est, atque inde maluit fugâ se in Belgium recipere, quàm Regi & Præpositis obsequi.

Dum in latibulo suo degeret Bruxellensi anno 1695. junxit se tumultuantibus Jansenianis; quin typis edito Memoriali Gallicò contra Decreta Caroli Secundi Regis Catholici de non *promovendis ad Officia aut Beneficia suspectis de Jansenismo, Rigorismo aut Novitatibus, & ne Magistratus Laici, quocumque titulo aut prætextu, etiam possessionis, causas susciperent Ecclesiasticorum, quos Episcopi sive propter mores, sive propter dogmata censuerint castigandos*. Quæ Decreta jussu Regis Catholici in Belgio promulgaverat Serenissimus Elector Bavarus eodem anno die septima Novembris.

Adversus ea refractarii primùm Illustrissimos Brabantiæ Ordines, dein illius Provinciæ Senatum, Romæ etiam Summum Pontificem scriptis contra Regem maximè contumeliosis, interpellare non sunt veriti. In illis piissimus Monarcha proscinditur tanquam fœdifragus & perjurus, tanquam authoritatis Pontificiæ contemptor, & gravissimæ reus injustitiæ contra dictamina & leges, etiam naturæ. Adeò Quesnellus & ejus asseclæ sunt *pacifici*, in duris contra se Constitutionibus *patientes*: tantum abest, ut audeant *se erigere contra authoritatem aut scindere unitatem*.

In memoratis præcipuè Quesnelli *Dialogis* plurima passim sparsa habentur similia iis, quæ superiùs exhibui. Verùm omnia hìc describere longum nimis esset, & forsan lectoribus tetricum, tot simul congestis hominis apertè schismatici sordibus, absurdis inquam, contra Sanctissimum Clementis XI. Decretum declamationibus & contumeliis detineri; allata hìc ex infinitis specimina abundè sufficere vi-

ſe videntur, ut affectata Janſeniſtarum modeſtia, Charitas, tolerantia & *pacis* ſtudium de turpi fallacia & veriſſima hypocriſi convincatur.

In Proceſſu contra Queſnellum juridico, appellato *Cauſa Queſnelliana*, objiciuntur ei cum probationibus luculentis ſequentes Articuli: Primus: *Quod poſtquam anno 1678. in Comitiis Oratorii Berulliani omnibus & ſingulis ejuſdem Congregationis injunctum fuiſſet ſubſcribere* Formulæ *rejiciendi in ſcholis hæreſim Janſenianam, & ipſe pertinaciter recuſaſſet ſubſcribere Galliam deſerverit, & quamvis Presbyter, latitaverit in Belgio Catholico ſub veſte laica.* Secundus: *Quod ibidem & in vicinis Provinciis plures turbas & diſſidia excitaverit: Presbyteros commoverit adverſus proprios Epiſcopos, Clerum Batavicum impulerit adverſus Summum Pontificem....*

Decimus: *Quod pertinaciter adhæſerit* (imò Ducem ſe præſtiterit) *Factioni eorum, qui adverſus Eccleſiæ Decreta, & edicta Principum conjurarunt, librum & Doctrinam Janſenii tueri. Quod illa Factio latè per Galliam, Belgium, Hollandiam ſit diffuſa, & à Factioſis vocetur* Ordo: *Quod illa Factio habeat ſuas, uti vocant, Abbatias, Prioratus, Collegia, Domos, Hoſpitia & Eremos: Quod illa Factio plures complectatur Seculares, & Regulares, quorum aliquos Viſitatores, alios Priores, alios ſimpliciter Patres, alios Fratres appellant: Quod à morte Domini Arnaldi, quem* Patrem Abbatem *nuncupabant, Pater Queſnel Factionem hanc conſiliis ſuis rexerit ſub titulo* Patris Prioris.

Quod varias inſtituerit viſitationes, exigens à præcipuis, ut ad ipſum referrent quæcumque poſſent promovere dictam Factionem: Quod ad eum effectum procuraverit diſtributiones pecuniarum, quibus procuratores Factionis tam Romæ, quàm Pariſiis & alibi exiſtentes poſſent cauſas Factionis ſuſtinere. Articulus decimusquartus: *Quod tam ſcripſerit, quàm ab intimis ſuis receperit literas Regi noſtro Catholico, Regi etiam Chriſtianiſſimo & utriuſque Adminiſtris; imò & Summis Pontificibus, Cardinalibus & Epiſcopis graviter obtrectantes, quodque illos, à quibus ejuſmodi literas recepit, continuaverit colere ut intimos.*

Sunt nempe illi paſſim in novo *Ordine* Sanctiſſimi; quia in talibus virtutibus præcipuè ejus religio ſita eſt, ſimilis ei, quæ ab Hormiſda Pontifice deſcribitur epiſtolâ ad Poſſeſſorem: *Per hunc ferè jugem annum quorumdam Scytharum, qui Monachos præſeferebant ſpecie, non veritate, profeſſione non opere, ſubtili tectas calliditate verſutias, & ſub religionis obtentu ſamulantia odiis ſuis venena pertulimus:.... Sed quando corda malè ſibi credula unitatis obtemperant inſtitutis? Quando induit obedientia humilitatem opinionibus ſuis vallata ſuperbia? Quando acquieſcunt paci, contentionum ſtudiis aſſueti, ſola certamina amantes de religione captare, & mandata negligere? Nunquam apud eos charitas novo commendata præcepto, nunquam pax Dominico relicta diſceſſu.*

Una pertinacis cura propoſiti, rationi velle imperare, non cedere: contemptores authoritatum veterum, novarum cupidi quæſtionum: Solam putantes ſcientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate ſententiam: eò uſque tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis putent inclinandum eſſe judicium: nec in numero Fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderint cedere nolle ſententiæ. Docti crimina ferere, obtrectationum venena componere, integrum Eccleſiæ corpus odiſſe, ſeditiones inſtruere, invidiam conciture, & pro obedientia ... obſtinationem pertinacis amare ſuperbiæ.

Non poſſet coloribus magis genuinis depingi indoles Janſeniſtarum. Quotidianæ & typis vulgatiſſimæ ſunt eorum contra Morales Theologos, quos Caſuiſtas nominant, infames ſatyræ: ab illis ſcilicet introducta fuerit morum omnis inter Chriſtianos corruptio. Quemadmodum autem hanc in ſcholaſticos contumeliam primùm excogitavere hæretici, hos ponè ſequi hodiernis placuit Novatoribus, quibus nihil largius eſt, quàm conſcientia, de qualibus S. Bernardus obſervat ſerm.65. in Cant. *Repleti ſunt Pharifaico ſpiritu, liquantes culicem, & glutientes camelum.* Familiaris ipſis eſt pro ſanctitate inobedientia, atque rebellio, contemptus omnium cenſurarum & anathematum Eccleſiæ, ſuperbia & nata ex ea pertinacia, odium omnium non faventium ſuæ novitati, rabies, calumniæ contra adverſantem quemlibet, cujuſcumque Ordinis vel Dignitatis.

Inſignem ſe nobis exhibet Queſnellus novæ ethicæ Doctorem in famoſis, quos hic diſcutio *Dialogis*, in quibus pag. 282. ſic concludit: *Non igitur commovere nos debet Decretum* (*Clementis XI.*) *utpote nullius roboris aut effectus. Ne quidem hic locus eſt quæſtioni, an ſaltem non eſſet melius obedire.* Imo Theologia Moralis nova & mirificè rigida definit, peccatum hìc non leve fore obedientiam.

Pag. 283. *Decretum illud datum eſt non ſolummodo ſine cauſa & ratione, ſed inſtigante dominandi ſpiritu, & affectatione chimericæ authoritatis abſolutæ, atque arbitrariæ...*

Crede-

Crederesne te non peccaturum fovendo principia adeo perniciosa, ac nata subvertere, ac perdere omnia in Ecclesia? Vergunt enim ad omnium Dominum constituendum hominem passionibus, erroribus, deceptioni obnoxium. Periculo istud exponitur majori ex eo, quod ubi ex ejusmodi opinione quidpiam perperam decretum est, nequeat retractari. Jubemur obedire cæco modo sicut mancipia, imò sicut bestiæ, quibus neque intellectus est, quo justitia ab iniquitate discernatur, neque conscientia, quæ ab injustitia abhorreat, ne in consensum animus prolabatur. Oratio ista rebellionis omnis contra Supremam sive Ecclesiasticam, sive Laicam potestatem aptissimum fundamentum est. Quæ enim hæresis non obtendit pro se stare Divina Oracula & veritatem? Quæ rebellio pro se non militare justitiam?

Potestatem igitur Supremam, quam sive Pontifici pro gubernanda Ecclesia, sive Regi pro Republica concessam omnis probè Catholicus agnoscit, declinare, eludere quivis refractarius facilè poterit, modò in aliquo Jansenistarum Lyceo, Quesnelliano potissimùm institutus. Illic mandatum omne displicens edocebitur contemnere tanquam injustum, ex dominandi libidine, cupiditate, aut quocumque alio inordinato animi motu, non ex amore boni publici aut ratione æquitati congruâ profectum: talibus imperiis prætendere Principem potestatem absolutam, arbitrariam, tyrannicam, cæcâ nostrâ & asininâ obedientiâ stabiliendam: proinde ne quidem probabile esse quod jussibus parere expediat.

Quin & ab iisdem rigidioris ethicæ Doctoribus disces, illicitum esse, & gravi obnoxium peccato, talibus se decretis submittere; cum sit fovere tyrannidem, & authoritatis chimericæ perniciosissimum exercitium, miserrimam simul subditis imponere servitutem. Denique ex talibus præmissis sequitur Quesnello & Jansenianis omnibus familiaris conclusio, Decretum qualecumque, suo non accomodatum gustui, esse irritum, nullius roboris aut effectus, nullâ dignum reverentiâ, ab omnibus despiciendum.

Fallaciam hanc, ut cæteras passim, à superiorum temporum hæreticis acceptam ad usus suos nova secta, quâ in similibus potissimum valet, dexteritate convertit. Julianus Pelagii & Cælestii succenturiator strenuus profligatam à Zozimo Pontifice simul & Honorio Imperatore dolens Pelagianam hæresim, non est veritus tantam proscindere authoritatem. Querebatur, Romæ omnia facta esse obreptionibus.

Planctus ejus legitur apud Augustinum lib. 1. Operis perfecti cap. 10. ubi ait: *Romanos Clericos jussionis terrore perculsos non erubuisse, prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem sententiam .... pronuntiarent.* Eodem lib. cap. 3. luget, *seditionum Decreto exclusam esse de Ecclesiis censuram virtutum* (Pelagium & Cælestium).

Iterùm apud Augustinum lib. 3. contra Julianum cap. 1. idem hæreticus refertur dicens: *Apud Judices non potuimus agere causam nostram; quia nemo de rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab odio, irâ, & amicitiâ vacuum pectus attulerit, quales non fuerunt, qui de causa nostra judicarunt; quia priùs eam cæperant odisse quàm nosse.*

Non minore eloquentiâ author Apologiæ pro Petro Abailardo contra sententiam Sedis Apostolicæ, velut Mellifluì Doctoris fraudibus impetratam, declamat, dicens: *Renuntiavit Apostolico Bernardus, & statim à Romana Sede literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt. Damnatur aureum os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis: damnatur, proh dolor! absens, inauditus & inconvictus... Cujus unquam Jesu bone, culpa tam æquos habuit Judices, ut non utrimque causæ latera ventilarent? ... Isti clausis oculis palpant negotium, & quasi oculati rerum cognitores arcu iniquitatis intento, toxicum subitò jaculantur.*

Lutherus in Leonis X. Constitutionem quantis invehi solitus fuit clamoribus & conviciis, tanquam execrabilem Antichristi Bullam! Tomo 2. pag. 35. *Constat*, inquit, *Romæ rem actam sine ordine, vehementer obsistente Cardinale Sanctæcrucis, & aliis multis.* Quanquam ut magis imminuat Diplomatis authoritatem, *Bulla* (inquit) *Coloniæ Lovaniique nata, fuit excusa antequam evulgata. Stylus est Fratralis, & multum abhorrens à stylo Romano.* Quasi tamen non satis malitiæ vel peritiæ in Fratribus sit, conjecturam suam & iras convertit præcipuè in Eckium dicens: *Verosimillimum est, hanc prolem esse monstri illius Joannis Eckii, hominis ex mendaciis, hæresibusque contusi & consuti.*

Quesnellus etiam superiùs totius contra se procellæ causam non minimam tribuit Regularibus, quibus subsidium accesserit & patrocinium unius è Clero Eminentissimi, non minùs odiosi hæreticis recentioribus, quàm fuit Eckius Lutheranis.

Hic mihi minuenda viri probè Catholici, amici, & semper honoratissimi admiratio, qui lectis Quesnelli contra Decretum Apostolicum *Dialogis*, non se continuit, quin exclamaret: Quantum Quesnelli in defen-

denda

denda causa pessima ingenium! Quanta & Christianæ Reipublicæ jactura atque calamitas, quod vir ille se dederit in reprobum sensum! Quanta enim scripturus pro veritate Catholica fuisset, qui tam speciosis mendaciis novit pro errore tam multiplici, & hæresi decertare!

Ego verò, inquiebam, etsi Quesnello in patrio suo idiomate eloquentiam non denegem, eamque fucis comptam speciosis, & mendaciis copiosam, qua simplices & multi & instabiles decepti miserè capiuntur; non tamen in hoc ingenium Novatoris adeò miror, utpote crassissimis errorum tenebris obnubilatum, neque legitimi aliquid, ubi accurato examine discutitur, usquam conficiens argumenti. Istud à me non asseri temere; sed tribus tomis superioribus ubique evictum, quivis Theologus deprehendet.

Neque in ipsis Quesnelli contra veritatem agnitam fallaciis, multum ejus mirari valeo ingenium; sed aliquam potiùs lectionis diligentiam, quæ prætęritorum hæreticorum fraudibus, quæ passim referuntur, cognoscendis incubuit, ut suis usibus coaptaret: unde imitationis ipsi, non inventionis, si quæ foret gloria, deberetur.

CAPUT XXVIII.

Quàm pacifica fuerit Quesnelli, & sociorum patientia in tolerando anathemate contra Propositiones 101. *An non erexerint se contra authoritatem, neque sciderint unitatem?*

1 GAllica Novi Testamenti versio Quesnelliana, cum *Observationibus Moralibus* frequenter edita, & magno Jansenistarum studio in omnibus Europæ regionibus divulgata, suspicionem movere cęperat Episcopis quibusdam & Doctoribus Catholicis, ne sub velamine pietatis lateret inserti subdolè erroris, etiam hæretici perfidia, futura simplicibus exitialis. Et quidem, si pernicies subesset, eo foret vitatu difficilior, quod ipso præseferret titulo sanctitatem, *Meditationes Christianas*, imo *Moralis Evangelicæ compendium*. Quis in ejus lectione, pro qua vadem se præstiterat Cardinalis Archiepiscopus, periculum putet subversionis?

Tanta, fateor, authoritas minùs providè Operi concessa, nata fuerat plurimis funesta accidere, nempè simplicibus; Verùm doctis & sapientibus, quibus exploratum est, quâ ratione Antistites & in dignitate Eminentissimâ constituti suas largiri aliquando soleant prolixis Operibus approbationes, non semper ipsorum sententia videbitur, quidquid in volumine legitur approbato. Ut enim Ecclesiæ Præsules multitudo premit undique ac penè obruit negotiorum, non multum temporis suppetit scriptionibus istiusmodi accurato examine discutiendis.

Quaptopter necessarium est, alienæ operæ subsidio utantur, adhibendo Theologos, quos penes se habent, peritiâ, prudentiâ, virtute conspicuos; quorum suffragiis minore erroris periculo fidunt, quando authorem ipsum pluribus sibi probatissimum occasionibus & scriptionibus noverunt, neque ullius unquam erroris noxii suspicione vel levissimè afflatum. Si verò, ut aliquando mærentes conspeximus, Antistitem contingat in bona, quam de Ministris suis conceperat opinione decipi, ut non semper facile est, veram ab hypocrisi discernere pietatem, animumque catholicum ab hæretico, tunc nihil pronius est, quam libros aliquos subdolè compositos, intextisque scatentes erroribus recipi ut sanos, & commendari ab Episcopo, etiam Cardinale. Quod verisimile est evenisse Eminentissimo Noailles, in approbandis Quesnelli tomis quatuor Novi Testamenti Gallici & *Observationum Moralium*.

Quomodo enim Eminentissimus, conscius erroris hæretici, qui totius Jansenianæ hæresios fundamentum est, atque ut talem in Gerberonio condemnavit, approbasset in secundo Quesnelli Articulo & sequentibus non paucis? Singularis igitur ista Quesnelli fallacia fuit, & ingenio digna schismatico, ad defensionem sui Operis contra Apostolicum anathema concitare Eminentissimum approbatorem, veluti si causa ipsius præcipuè ageretur, neque posset, libro cadente, stare approbatoris authoritas, vel fama immunis à maculis, quibus damnata à Pontifice lucubratio notatur.

Oppositum censuere omnes qui rectè sapiunt; facilè scilicet ab Eminentissimo diluendum quidquid suspicionis forsitan sinistrę ex approbatione minùs providâ conflari sibi ab adversariis sive ignorantibus, sive malevolis potuisset. Tantummodo abdicandus ipsi liber erat, & approbatio retractanda. Quo facto, iniquissimus, judicio omnium, & dignus odio proborum haberi debuisset, quisquis ex approbatione, ut oportuit, revocatâ atque destructâ, ansam infamiæ vel accusationis arripuisset. Manifestâ istud patuit experientiâ, quando Librum antea à se approbatum, Eminentissimus Pontificiâ edoctus sententiâ abjecit, prohibuit, condemnavit.

Frenduit tunc quidem Quesnellus cum male-

malesanis aliquot, & inflatis superbiâ Jansenistis, quibus in errore quolibet magis obstinatio Diabolicæ similis, quàm Christiana placet humilitas. Hæc enim Catholicos docet, cujusvis hominis angustis circumscribi limitibus prudentiam: errorem qualemcumque mox ubi innotuerit, deserendum, &, si vulgi animis possit esse noxius, publicè reprobandum. Quod laude digno consilio à Parisiensi Archiepiscopo præstitum gratulamur.

Alia quæ ad nimiam retractationis moram attinent, & Constitutioni *Unigenitus*, non qualem omninò decuit quoad omnes circumstantias acceptationem, hìc non discutio. Talibus locus forsitan esse poterit alibi si Majoribus videatur. Nunc ad Constitutionem *Unigenitus* convertamur, examinaturi, quam ea *pacificè*, quantâ *patientiâ* demonstratione, quantâ *authoritatis* reverentiâ & conservandæ solicitudine *unitatis*, à novis excepta fuerit Augustini discipulis.

Quemadmodum cęteris passim Constitutionibus Apostolicis audacissimè repugnantem vidimus Ægidium de Witte, alias *Candidum*, aliàs *Albanum*, sic nemini cedere voluit, sed impugnatæ inter Belgas sanctionis *Unigenitus* gloriam prępripere omnibus infami Opere, cui titulus est: *Instructio data populo Fidelium circa Bullam recentissimè Româ transmissam nomine Clementis XI. Pontificis, quâ prohibentur Articuli* 101.

Sic statim initio Fideles Ægidius commonet. *Dimanavit nuperrimè ex Urbe Constitutio, quæ multos indubiè stupore afficiet, utpote quæ edita videatur, ad subruenda penitus religionis & pietatis Christianę fundamenta, ad hominem miserum Divinæ gratiæ subtrahendum, ut solis fidat corruptæ naturæ viribus, sine fidei lumine, sine Christo, sine Deo ejusque dilectione, beatitudinem expectet immortalem.*

Ex tali Præfatione, quid toto secuturum sit opere, facillima conjectura est: neque mirabitur quisquam talem Ægidianæ fæcunditatis sobolem, qui viderit *Jansenianam* ejus *Panegyrim* cum tribus contra damnationis Romanæ sententiam *Apologiis*: postea *Apologiam novam pro sacrosanctâ doctrinâ Jansenii Episcopi Iprensis*: Dein *Augustinum Iprensem vindicatum, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., & Clementis XI. ereptum & erutum*: Eidem libro additam *Denunciationem solemnem Bullæ Clementis Undecimi Vineam Domini Sabaoth*, & plura ejusdem furfuris Opera scaturientia ex eodem latice: ista, inquam, quisquis legerit, nequaquam mirabitur præsentis *Instructionis* vesaniam.

Hanc ego, aut similem tunc temporis Romæ degens expectaveram minimè dubius, neque diu differendam; quia moras non patiebatur Jansenianæ periculum Ecclesiæ, imo certum hæresios, si Ægidio credimus, *Sacrosanctæ*, excidium, nisi collectis undique viribus obsisteretur; antequam Constitutio communi ubique gentium submissione acceptata robur caperet nullis inposterum impugnationibus quatiendum.

In fine Libelli scribitur datus festo Sanctorum Simonis & Judæ anno 1713. eodem quo Pontificis edita Constitutio est, quia, ut dixi, novæ hæresi tutum non erat, in tam præsenti discrimine procrastinari remedium. Non satis Ægidio fuit *Instructionem* venum exponi publicè; sed necessarium censuit, eandem Supremo Bruxellis Senatui, penes quem Belgii totius Austriaci gubernatio tunc erat, cum Libello supplici exhiberi, ut Constitutionem, juxta Ægidium Religioni, pietati, fidei Catholicæ exitialem, perturbatricem etiam pacis & tranquillitatis publicæ, nequaquam sineret in illis Provinciis divulgari.

Senatus Libellum typis editum cum altero manuscripto ad singulos misit Episcopos, eorum de utroque exploraturus sententiam. Fuit ea, qualem dari decuit à Præsulibus orthodoxis; non modò rejiciendos Libellos; sed authores etiam, si innotuerint, graviter puniendos. Itaque Constitutio, permittente Senatu, neque alio uspiam inferiore Magistratu, aut Judice obsistente, ab Episcopis more solito promulgata est.

Anno sequente alia prodiit lucubratio, molis longè majoris Gallica, eaque exceptis Hexaplis, quæ secuta postmodum sunt, præcipuam Quesnelli exhibens Apologiam, sub titulo hoc ancipite & fallaci, *Clementis XI. Pontificis Constitutio Latinè & Gallicè cum animadversionibus in Propositiones centum & unam censurâ notatas*. Opus quidem anonymum est; omnibus tamen circumstantiis, stylo potissimùm & audaciâ, ubique Quesnellum loquitur genitorem. Spiritus ubique Quesnelli emicat impudens, & schismaticus, authoritatis Apostolicæ contemptor, Constitutionum omnium sibi non placentium hostis apertissimus, & proculcator maximè irreverens.

Ex sola præfatione facilè judicabitur de opere: ex conclusione quoque specimina proferam minimè obscura, quibus Articuli præsentis pateat hypocrisis fingens *pacificam* novæ sectæ *patientiam* in tolerandâ *excommunicatione & anathemate* etiam *injusto*, quasi

quasi Quesnellus cum suis horreat *erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Specimina videamus in ipsa primùm Præfatione: *Reperient*, inquit, *in hoc Opere etiam imperiti, collectionem textuum, quibus non solummodò manifestum fiat* Observationum Moralium *authorem nihil docuisse, nisi quod à Sanctis illis Doctoribus traditum acceperat; sed suam etiam accendi ampliùs lectione continuà pietatem: invenient veritates Catholicas, quas Constitutio proscribit, expositas iisdem Sanctorum textibus claritate admirabili, & unctione omnimodè Divinà. Si autem aliquibus Apologia præsens aeris nimium, & vehemens videatur, considerent illi Diplomatis iniquitatem ad summum perversitatis apicem provectam.*

Non dicitur quidem Constitutio inordinatis animi affectibus dictata; sed asserere haud veremur, passionem acerbissimam non potuisse modos loquendi concipere magis horridos, & minore justitià applicatos. Verumtamen alienissimi sumus à lædendà reverentià & veneratione debità authoritati adeò eminenti, quam in Petri successore & Christi Vicario omnes agnoscimus.

At fierine posset ut homini Christiano luctum non exprimerent, et planctus publicos fallaciæ, quibus expositos videmus Ecclesiæ Præsules, etiam Supremos; dum contra innocentiam præoccupati, aures præbent nimis faciles hominibus fraudulentis & sine verecundia calumniantibus justos, similes iis, de quibus dicitur Psalmo 10." Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde? „

Advertendum nihilominus in Constitutionis exordio est, quod postquam exhaustæ ibi fuerint phrases amarissimæ, & modi loquendi maximè violenti, quales Socinianismi vix mereretur impietas, non producuntur dogmata, nisi quæ proscribit Constitutio. Reverà aut exordium illud postulabat propositiones alias, aut propositionibus aliud debebatur exordium.

Ibid. *Verba amaritudinis adeò stupendæ, totidem characteres & signa clarissima sunt oculis omnium patentia, è quibus facilè perspiciant etiam maximè rudes, modò non penitus iniqui, qualis genius construendo Bullæ ædificio præsederit.*

Verissimè quoque dicetur dominans in Constitutione acerbitas, ejusdem esse remedium, futurumque fuisse ut Bulla magis ad nocendum esset idonea, si major in ea apparuisset moderatio. His tamen omnibus nequidquam obstantibus, recurrit undique metuendi ratio, ne malis in Ecclesia innumeris causa Constitutio eadem futura sit. Neque publicus contra eam populi clamor, neque tot Opera typis edita, quibus Bullæ injustitia & errores evidentissimè demonstrantur, impedient ejus artifices, quin ex ea quantum poterunt emolumentum eliciant.

Si nunc silentio se continent, non continebunt perpetuò; sed aliquando elatis vocibus prosilient foras, atque fatali hoc armati Diplomate aberrationes suas dogmaticas, quibus Pontificia sanctio suffragatur, velut fidei articulos prædicabunt; nos verò ab iisdem accusabimur tanquam hæretici, propterea quòd adhæserimus traditioni, quam constat Bullæ esse directissimè contrariam.

Præfationem finiens moneo, Propositiones omnes & singulas esse veras, non solummodò secundùm se, quod toto Tractatu demonstrabitur; sed etiam secundùm omnes Operis circumstantias, quas maximè attendi oportuit. Ridiculum enim foret, & sapienti Judice indignum, Articulos juxta ipsorum solummodò verba acceptos, & pro libitu sensui affixos exotico ferire, aut fingere condemnatos; sed ostendere præterea necessarium est, sensus illos damnationem promeritos, eo volumine contineri. Istud autem nullus unquam ostenderit, quandoquidem è Propositionibus ne una quidem fit, quin talibus in libro affecta, & determinata reperiatur modificationibus, ut si quis eandem nihilominus condemnare præsumpserit, oporteat eum omnibus æquitatis regulis nuntium remittere, seque velle sibilis exponere universorum.

Mihi quidem perdifficile appareret, inter Catholicos Scriptorem reperiri polemicum, quem in confutanda istiusmodi hypocritæ impudentià virtus patientiæ non deficeret. Sed & cum tanta adversarii, quasi debellarà Constitutione, triumphans jactantia, nihil illic probationis afferat, nihil pariter argumentis Theologici exigit confutatio. Quod ait de Sanctis Patribus Quesnello ubique faventibus, abundè à me totis tribus tomis superioribus de falsitate convictum est, & parum, quod superest de disciplina, convincere pergam ubicumque visa res fuerit postulare.

De unctione Spiritus Sancti, quæ in damnatis dicitur sentiri Propositionibus, de suis hæresiarcha quilibet erroribus fundamento non absimili, sed fallacissimo poterit affirmare. Rectiùs sibi gratularentur adversarii, parcitu m enunciationibus pluribus, quæ accurato perpensæ examine, censuram poterant promereri.

Ex istiusmodi Præfatione conjectura Lectori facilis erit de reliquo Opere, quod quilibet inspiciens deprehendet, spirare ubique apertis-

apertissimum Sedis Apostolicæ contemptum; neque minùs definitionum omnium & censurarum; quantumvis mendaciter suam, suorumque Quesnellus reverentiam erga authoritatem, soleat prædicare, & summam fingere à schismate aversionem. Quodnam autem talia scripta, typis publicè divulgata, indicant in suis authoribus studium pacis, quàm speciem patientiæ?

Si referre voluero, quæ in singularum vindiciis Propositionum contra Pontificis sententiam effutiuntur absona protsus, & perabsurda, cùm liber quadringentarum propemodùm paginarum sit, præsentis voluminis partem necesse fuerit occupare non minimam. Sola adversarii prolixa conclusio impudentiam ejus centies iteratam exhibet, & declaratissimam adversus Christi Vicarium rebellionem; *Primò* (inquit) *evidens est sanctione Pontificiâ condemnari ingentem numerum Propositionum, quæ iisdem, aut æquivalentibus verbis traduntur à Sanctis Patribus.*

Non minùs clarum est, Propositiones alias ferè omnes in sensu proprio nonnisi Augustini, & aliorum veterum Sanctorum dogmata continere, & quidem perspicuè adeò; ut nonnisi oculis, & bonâ utcumque fide opus sit ad illud deprehendendum. Articuli etiam complures traditi sunt à Patribus, tanquam in Scripturis fundatissimi. Ingens quoque eorum numerus præcipua constituens religionis & ethicæ Christianæ capita, concuti nequit, nisi destruendo penitùs Christianismum. Plures in Sacro Codice leguntur verbis, sive iisdem, sive in eundem prorsus convenientibus sensum: aliqui ipsis terminis, & in sensu obvio acceptis Lectori exhibent dogmata fidei. Prætereà Articuli quidam fide minimè bonâ excerpti fuere, neque meliore condemnati, in quibus nemo, cui aliquis pietatis sensus est, quidpiam reperiet, nisi pietati congruum & ædificationi.

Hæc omnia ad Factum pertinentia, ut toto præsenti demonstrata sunt opere, in conclusione supponere possum tanquam constantissima veritatis ac prorsus indubitatæ.

Hactenus Janseniana Quesnelli confidentia, qualis omnium passim hæreticorum est, qui tum se evicisse causam contra Ecclesiam vociferantur, quando Scripturarum, & Patrum sententias aliquas corruptionibus versionum, truncationibus, interpretationibus perfidis, in sui traxerint patrocinium erroris. Eandem Macedonio perfidiam exprobrat S. Athanasius vel quiscunque Operis author est, Dialogo 3. de Trinitate: *Quemadmodum* (inquit) *Manichæi & Phryges, omnesque adeò hæreses dictitant, se ita credere ut Sancti Apostoli tradiderunt, ita & tu facis.* S. Gregorius in 15: caput Jobi capite 15. *Hæretici* (inquit) *ut ea, quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ Professionis Magistros dicunt: eumque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio falsâ præsumptione gloriantur.*

Eunomius à magistro suo Aëtio dolis insigniter instructus, ab initio Apologiæ suæ, hac illudere parat Lectoribus præfatione ut refert S. Basilius lib. 3. contra Eunomium. *Eam verò, quæ jamdiu apud Patres obtinuit, piam traditionem, tanquam amussim quamdam aut regulam, exponendo præmittamus, ut quæcunque dicuntur, tutiùs per eam possimus judicare.*

Adeò hæretici omnes semper Patricii haberi voluere; etsi satis consciii, nihil se habere à Patribus, præter verba mutila, corrupta, explicationibus alienis, & Patrum sensui contrariis violata atque pessumdata.

Non ibi sistit Quesnelliana Conclusio: à Propositionibus gradum facit ad oppositam eis Clementis XI. definitionem. *Constitutio* (inquit) *damnat in sensu proprio & obvio Articulos, qui iisdem verbis à Sanctis Patribus, ipsisque Scripturarum oraculis consecrati sunt, qui nihil continent, nisi sententias Patrum, & ab iis traduntur, veluti veritates in Divinis literis fundatæ, suntque religionis & Ethicæ Christianæ capita præcipua, ac regulæ pro disciplina maximè essentiales.*

Denique proscribit Constitutio Propositiones fide divinâ necessario credendas. Tales autem prohibens enuntiationes, censuris durissimis, saltem singulas tanquam falsas, easque defendi prohibens sub pœna excommunicationis; talis, inquam, Constitutio quid aliud meretur, quàm rejici? Neque benignius formari potest de ejus Authore (Clemente XI.) judicium, quam si dicatur deceptus, quòdque, si imbueretur meliùs, vellet ipse resarcire damnum, quod suæ Sedi, & maximè veritati intulit censura, tot feriens Propositiones Catholicas, tot stabiliens errores, imò & hæreses, ut simplex earum expositio implendo libro sufficeret.

Atqui ex annotationibus in Propositiones sequitur, Constitutione prohiberi ingentem enuntiationum multitudinem, quales descripsi, atque, ut ex ipso liquet Diplomate, infligi earumdem inposterum in sensu proprio et obvio defensoribus, excommunicationem: utque paucis omnia complectar, ex deductis sequitur, Constitutionem negare, quod illis Propositionibus affirmatur, proindè negare veritates pluri-

plurimas Orthodoxas, earumque negationem aliis praecipere. Aliud itaque non meretur Constitutio, nisi ut rejiciatur. Quid à Constitutionis propugnatoribus valeat opponi disputatis à me contra eam hactenus, & ineluctabili argumentorum robore probatis, assequi nequeo.

Quapropter nullus superest praetextus verisimilis, qui nostrae obicem afferat conclusioni; videlicet, Constitutionem adeò acceptari non posse, adhibitis etiam quibuscunque explicationibus, aut determinationibus, ut oporteat eam repelli, ac rejici absolutè, utpotè quae explicari nullâ congruâ valeat ratione, quandoquidem, qui configuntur Articuli, in sensu proprio & obvio, in quo proscribuntur, non exhibent, saltem plerique, nisi veritates Catholicas momenti maximi, & fide ab omnibus credendas.

Pag. 343. *Hactenus ostensum est, quod, si Constitutio proscribat sensum, quem Propositionum verba per se exhibent, censeri debeat proscribere Scripturam Sacram, & Traditionem, sive doctrinam Ecclesiae constantem atque perpetuam. Dicamus amplius & absque ullâ auxesios specie: Religio & Christianismus Constitutione subvertitur.*

Pag. 347. *Quomodolibet Constitutionem accipias, nullà potest ratione sustineri: si Articulos ferias significatione communi & obviâ intellectos, censura est erronea; imò haeretica; quia multi ex illis Articulis sunt veritates momenti gravissimi, traditae à Patribus, nonnulli etiam partem fidei Catholicae constituunt.*

Pag. 349. *Necesse est igitur ut vel Patribus renuntiemus, vel Pontificiae Constitutioni. Luctuosa conditio! Verùm cum evitari nequeat, quis in electionis necessitate dubitet, quae partium amplectenda sit?*

Pag. 352. *Constitutio ne quidem à toto Cardinalium Collegio approbata fuit; sed quatuor tantum aut quinque communicata.*

Pag. 354. *Si Constitutio admittitur, quandoquidem Propositionum condemnatio, sit universç proscriptio Traditionis, necesse est hujus Sacram & inviolabilem disrumpi ac destrui penitus catenam, & antiquae fidei substitui novam, quae nata primùm fuerit die 8. Septembris 1713.*

Pag. 357. *Constitutio haec haberi nequit, nisi tanquam judicium erroneum, & argumentum invictissimum, Sacris Ecclesiae fastis, ad perpetuam rei memoriam inserendum, adversus chimericam Pontificum falli nesciam authoritatem.*

Pag. 358. *Constitutio haec omnibus rectè sentientibus videbitur agger idoneus, quem torrenti scriptorum, authoritatem istiusmodi promoventium objiciant, progressumque impediant periculosae adeò imaginationis. Quidni & aperiat oculos iis, qui imprudentèr hactenus errore fuerant praeoccupati?*

Pag. 361. *Si Liber prohibitus est propter Articulos secundùm se, & sensu obvio intellectos, evidens est, ipsam condemnationis sententiam mereri potiùs anathemate configi, quàm librum, ob rationes crebrò superiùs inculcatas, & quia proscriptos inter Articulos, ne vel unus est, qui juxtà aequitatis regulas, & sepositis fallacibus tricis non sit omnimodè consonus veritati.*

Pag. 362. *Ne una quidem Propositio inter condemnatas est, quae justo potuit proscribi judicio, & cavillationibus remotis. Unde librum prohibitum, meritò censebimus purissimum, ubique perquàm accuratum, & maximè catholicum; ideo non ille; sed illum feriens Constitutio, verè obnoxia condemnationi est: &, si quidem nullum in mundo Tribunal est, à quo sperare liceat mutationem sententiae, est apud Superos, nullam patiens vicissitudinem, in quo ipsa anathemate percutitur Constitutio, velut causa erroris & scandali, opus praeoccupationis intuitu ejus, cujus nomen gerit (Clementis XI.) opus conspirationis, passionis, vindictae & furoris, respectu aliorum, qui illi promovendo tot impendère molimina; qui ut Episcopos ad Constitutionis admissionem inducerent, omnibus usi fuere artibus, atque istud tandem consecuti sunt, ut pars Antistitum, declarationem ediderit probrosam, quae magno eis passim dedecori vertitur, & insigne futurum est apud posteros monumentum ignominiosae servitutis, quâ Pontificio se jugo subjecerint.* Hucusque Quesnellianae vindiciae.

Nunquid igitur Judices esse nos oporteat admodum iniquos, si tales Augustini Iprensis discipulos asseruerimus *erigere se contra authoritatem* Romani Pontificis, & plerorumque Antistitum, *aut scindere unitatem*, quantum in ipsis est, Pontifices inter & Episcopos, atque hos inter & communem turbam fidelium?

Nihil sibi Quesnellus vindiciis praesentibus egisse videretur, nisi Jansenianam haeresim ab inferis revocatam, subrutâ Christi Ecclesiâ, in Throno victoriae collocaret. Hunc praecipuum *Observationibus Moralibus* fuisse finem intentum, qui censuerit, non temerarius videbitur divinator ei, qui ex tomis meis superioribus primum saltem perlegerit.

Quomodo igitur hic animum suum Quesnellus iterum prodat, audiatur pag. 364."
„ Quem non rapiat argumentum tam evi-
„ dens, & communi omnium intellectui ac-
„ commodatissimum, ex ipsa ultrò Constitu-
„ tione prosiliens, ad convincendos etiam
„ maximè

„ maximè præoccupatos, quod Janfenifmus, fpectrum adeò horrendum, quo tot annis terror incutitur poteftatibus, non aliud fit, quàm inanis phantafiæ fœtus, & meriffima chimera?

„ Confideremus Propofitiones de gratia, quas Conftitutio profcribit anathemate. In his confiftere neceffe eft Janfenifmum *Obfervationum Moralium*, ipfiufque pariter authoris. Nemo enim vocabit in dubium, quin Articuli tantâ curâ, tanto ftudio ex illo opere decerpti, fint adverfariorum judicio præcipui, quofque tanquam maximè duros, cenfuerint magis obnoxios condemnationi. In his autem nonnifi genuina attendenda eft fignificatio, una verbis propria, five lectoris cujuslibet intellectui occurrens illicò: altera à vocibus aliena & extranea. Juxta priorem omnes Articuli funt veterum & Sanctorum Patrum, à quibus traduntur, ut jacent, iifdem prorfus verbis, aut æquivalentibus, ut à me oftenfum eft probationibus, quibus nihil unquam verifimile opponetur, quidquid fit de fignificatione aliena & extranea, quæ nocere Propofitionibus non poteft, neque latam contra eas fententiam ab injuftitia excufare.„

Pag. *366.* " Adverfarii itaque contra Janfenifmum elamores ad ravim ufque efferant: horridis eum, quantum voluerint, depingant coloribus, fola fufficit Conftitutio, ut omnis accufatio diluatur. Conftitutio larvam detrahit & horrorem fictitium. Terrere Janfenifmus alibi poffet: Sed in Conftitutione nihil habet, quod metum parere valeat, aut averfionem. Conftitutio omne quod latuerat, myfterium pandit, omnemque Molinifmi ac Sfondratifmi detegit iniquitatem.„

„ Janfenifmus pietatis Chriftianæ, atque humilitatis doctrina eft ab Auguftino & cæteris Sanctis Doctoribus tradita, qui contra Pelagianos & Semipelagianos pro Divinæ gratiæ gloriâ dimicarunt: eft Evangelium omnipotentis gratiæ Jesu-Chrifti, eft Evangelium Pauli Apoftoli & omnium Sanctorum. Quantæ gloriæ eft Janfenifmus ifte! Quantæ Confolationis! Faxit Deus ejufdem victricis gratiæ viribus, ut in ejus profeffione fideles ufque ad vitæ terminum, Deo animam reddamus.„

Profequitur author pag. fequenti fibi objiciens " At (inquies) Doctrina Propofitionum expreffa vocibus fenfu proprio & obvio intellectis non condemnatur à Pontifice...remotiffimum ab illo fenfu eft quod Clemens XI. profcribit; reprobat fenfus impios & hæreticos eofdem prorfus, quos Propofitionum author clariffimè deteftatur (& fuperiùs diximus à Propofitionibus alienos effe & maximè extraneos)

Tum fibi refpondens " Utinam (inquit) Conftitutionem tam benignâ nobis liceat interpretatione donare, atque ipfe Pontifex motus tandem generali fcandalo, cujus caufa fuit condemnatio Propofitionum, adeò dilucidam Conftitutioni & falvandæ fidei neceffariam rribueret fignificationem!.... Verùm ad quamcumque partium fe vertat Pontifex, Janfenifmus authoris, cujus Propofitiones funt, femper erit inaniffimum phantafma.„

Pag. *369.* " Porrò fi Author ille non fit Janfenifta, quis tandem erit? Si Janfenifmus ejus merè fit imaginarius, fi fomnium, fi illudens vifio, cujus unquam Janfenifmus rei aliquid habebit, five erroris alicubi confiftentis? Iftud eft ad quod pervelim lectorem attendere.„

Attendimus nos quidem, & provocatoris votum attentio noftra procul dubio fuperat; Inter Propofitiones Quefnelli de gratia, aliquas effe certifsimè hæreticas, argumentis Theologicis è Scriptura, è Conciliis & Sanctis Patribus etiam Auguftino, & definitionibus Romanorum Pontificum totius Ecclefiæ confenfu atque obedientia confecratis, oftendi loco proprio ram luculentè, ram perfpicuè, ut folâ latini idiomatis intelligentiâ Lectori opus fit ad capiendum. Neque vereor, ne ullis cujufcunque adverfarii in vitilitigando verfatifsimi rationibus, aut fraudibus tam multiplex mea ac fuci omnis expers demonftratio fubvertatur.

Propofitiones illas prorfus congruere quinque Janfenianis, cenfurâ hærefios juftifsimè condemnatis, per fe pariter indubitatum eft, & probationibus à me indeclinabilibus oftenfum. Viderer etiam aliquibus, plufquàm oportuit, inculcaffe; nifi ea foret novæ hærefios pervicacia, quæ vel ex præfenti capite manifefta eft, ut nullam priftinæ Ecclefiæ tempora viderint, difficiliùs inflectendam. Ideò non tam converfioni magiftrorum, quos fuperbia, & nata inde contumacia peffumdedit, quam inftitutioni fimplicium, quos Janfeniana forfitan feduxerat hypocrifis, fubvenire poterit five mea, five quæcunque alia Conftitutionis propugnatio. Plura in memoratam hactenus adverfarii conclufionem animadverrenda effent; fed priùs quod ex ea fupereft audiatur.

Pag. 375. *Longè magis vigiles & folicitos reddere nos debet Conftitutio. Diffimulare non poffumus Romanæ Curiæ præoccupationem pro* Car-

Cardinale, cujus aberratio multiplex Pelagiana toti comperta est Ecclesiæ. Novimus Constitutionem opus esse propriè Jesuitarum, quorum tantus ardor, tantum studium est, ut Pelagiana hæresis dolosissimis obducta coloribus in Ecclesiam invebatur. Videmus quàm parum reverentiæ deferant Sanctis Patribus quandoquidem eorum sententias, iisdem prorsus contextas vocibus,circa victricem gratiam, Constitutio proscribat: Videmus pariter, quàm perniciosam aperiat funesta eadem sanctio januam, ad omnia S. Augustini dogmata funditus subruenda.

Conspicimus tandem, illam universis scholæ Molinisticę circa gratiam erroribus authoritatem tribuere, vel favorem. Neque Constitutioni sufficit, triumphum concedere Jesuitis, quoad Articulos, connexionis aliquid habentes cum materia de gratia; in Canonem prætereà Sacrorum dogmatum refert cæteros eorum excessus circa virtutes, circa formidinem servilem, Pœnitentiæ Sacramentum, & alias momenti gravissimi quæstiones. Armemus nos igitur magnis animis & viribus: coram Deo ex imo cordium ingemiscamus cum Ecclesia humiliata. Compatiamur ejus afflictioni: maneamus inviolabili constantiâ affixi perpetuò veritati, cujus notitiam divino impertitam beneficio accepimus.

Non fascinent nos vana circa obedientiam dogmata, quibus nullus in his circumstantiis locus est; sed memores teneamus illud Apostoli monitum datum Galatis capite primo: „ Licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit „. *Veritatem tanto firmiùs conservemus, quantò amplius moliuntur homines eam nobis eripere: Semper fideles simus in reddendo ei testimonio non verbis solùm; sed vel maximè actionibus: Suffocemus in animis nostris amaritudinem omnem & acerbitatem.*

Confisi denique prorsus Deo, qui sua non desinit invigilare Ecclesiæ, promisitque se in medio ejus custoditurum perpetuò veritatis depositum, nulli obnoxium mutationi. Consolemur invicem, & nos ipsos spe firmâ videndi luctuosos turbines & tempestates redditâ Ecclesiæ malaciâ dissipatas, sublatum scandalum, & veritatem gloriosâ victoriâ triumphantem. Amen: amen. Huc usque adversarius, quem Quesnellum ipsum esse, si ex ungue Leonem cognoscimus, temeritas, impudentia, jactantia, mendaciorum non minùs diserta profusio, quàm verborum, universa denique scriptionis ratio apertissimè convincunt; quanquam adjutorem ei compositionis domesticum, magistri haud segniter sectantem vestigia non videamur posse seni sub annorum & laborum pondere fatiscenti denegare.

Nunc ad expendendum, quem retuli, conclusionis terminum nostra aliquantùm attentio convertatur.

Eminentissimus, Adversarii judicio, Archipelagianus, est Cardinalis Sfondratius propter librum posthumum *Nodus Prædestinationis*, qui in lucem prodiit operâ Scotistarum, postea à variorum ordinum Religiosis Professoribus, contra Gallorum quorumdam Antistitum denunciationem acriter defensus. Nullam ego in hoc certamine partem habui, neque habebo in posterum; Sed quam mihi semper proposui Ecclesiæ Catholicæ contra novos hæreticos defensionem, unicè prosequi cupio, contentiones Scholasticas aliis, quibus id pugnæ genus placuerit, relicturus.

Ne quidem Societatis, cujus Theologus, etiam racens, à Quesnellianis ubique denuntior, sententias uspiam propugno, nisi quousque cum cæteris Catholicorum scholis consentiunt. Verum semper mihi statui contra hæreses, aut novitates noxias à Sede Apostolica condemnatas disputanti, non argumentis contendere adiaphoris, aut uni scholæ quantumlibet orthodoxæ propriis, sed communibus, & in tota receptis Ecclesia.

Nihilominus ab Adversario dignitatis minimè vulgaris declaror proditus Tomo meo primo non Molinista solùm, sed Molinismum tradens exquisitissimum & verisimilitudinis limites maximè excedentem *le Molinisme le plus outré*. Si igitur Pelagianum esse & Molinistam, judicio Quesnelli, non sententiis; sed solo different vocabulo, facilè apparet, qualem me oporteat inter Pelagianos esse, nempe maximum, *le plus outré*.

Molinistæ autem cęteri, ni fallor, quando legerint de minoribus se erroribus ad Pelagianismum, ut prætenditur, attinentibus accusari, quàm Tomum mei Operis primum, à Scholarum passim omnium Theologis eximiè laudatum, ab Episcopis & Cardinalibus etiam in Gallia, me neque rogante, neque conscio defensum, non sibi anxiè laborandum ducent, aut implenda vindiciis volumina, ut impactam hæreseos calumniam amoliantur; si adhuc minùs eorum, quàm meo sensui ea macula conveniat.

Non quidem zelus Domûs Domini, neque solicitudo omnium Ecclesiarum; sed novę solummodo convincitur Quesnellum comedisse, quando suos monuit tam seriò, tam patheticè ut *vigilent atque arment se magnis animis & viribus*, ne Constitutionem UNIGENITUS invalescere patiantur. Quid nempe eâ potest esse perniciosius, si opus præcipuè

pnè noscitur esse Jesuitarum, ut esse perhibet testis, penes novam Ecclesiam irrefragabilis Quesnellus, cujus ibi authoritas pro omni ratione est, & assertio qualiscumque probatione non indiget?

Rogarem aliàs, ut quod de Constitutione jactatur tantâ confidentiâ, eam favere hæresi Pelagianæ, aliquo istud nobis argumento probabili persuadere, viri illi magni, & mirabiles Theologi conarentur; quod hactenus videre non licuit. Clamoribus eorum inconditis non terrebimur magis, quàm Tridentini Patres eâdem frivolâ Pelagianismi calumniâ à Lutheri & Calvini sectatoribus impetiti.

Constitutionis justitiam, Adversariorum errores, etiam hæreses, præsertim de gratia & libertate, omni Theologicorum genere argumentorum demonstravi Tomo potissimùm primo, duobus sequentibus errores de virtutibus Theologicis, de timore, aliisque materiis, pariter non leves, & proinde æquissimè confixos; Nihil simile ostensum est hactenus, neque ullo tempore ostendetur contra Pontificiam, quam defendimus sanctionem. Triumphus gratiæ victricis frustra à Jansenistarum vindiciis expectatur: ad eum procurandum non magis idoneæ sunt, quàm fuerit *Institutio Calvini*, & postea *Cornelii Jansenii* dictus præposterè *Augustinus*.

Quod adversarius omnibus contra Jansenium definitionibus insultans ait de Jansenismi phantasmate & hæresi imaginaria, scopum ampliùs detegit authoris, & similium contra Bullam UNIGENITUS scriptorum; subdolam videlicet Jansenianæ hæresios defensionem. Tempestatum verò ac turbinum, de quibus mendax adversariorum lamentatio est, qui alii motores incentoresque sunt, quàm Quesnellus & ejus socii ac vindices, contra Christi Vicarium rebellione publicâ, & scandalosissimâ conspirantes? Tranquillitas, ut ab iisdem solis contra Constitutionem tumultuantibus, Ecclesiæ fuit erepta, in eorum unicè potestate est, ut quàm citissimè restituatur.

CAPUT XXIX.

Insigne specimen Quesnellianæ mansuetudinis, venerationis erga Episcopos &c. elucens in animadversionibus ejusdem Authoris circa deliberationes Gallicanorum Præsulum anni 1713. & 1714.

1 Quàm alienum fuerit Quesnelli ingenium ab *erigendo se contra authoritatem, aut scindenda unitate*, exemplis vidimus luculentis adeò compertum, ut supervacanea ulterior adversus ejus hypocrisin demonstratio videatur: Verùm superiora specimina solos ferè impetebant Pontifices, eorum Curiam, & omnia indè promanantia contra novam hæresim Decreta; præsenti autem capite palam fiet ejus in vellicandis Episcopis impudentia. Et quidem prætereo hic contra Archiepiscopos Mechlinicusem, & Parisienses tres scripta ignominiosa; neque alia referam seu vetera, seu recentiora præter famosissimas ejus Animadversiones in Acta Episcoporum, Parisiis jussu Regis Christianissimi congregatorum sub finem anni 1713. & initio sequentis. Acta illa integra dabit Tomus præsens, postquam finis impositus fuerit Propositionibus. Sufficiet hìc nobis eorum Præfatio & conclusio in compendium redactæ, cum Quesnelliana contra utramque sententia.

Episcoporum conventus die 23. Januarii 1714. declaravit se *lætitiâ summâ agnovisse in Constitutione Clementis XI. doctrinam Ecclesiæ*. Quam declarationem Quesnelliana temeritas sic aggreditur: *Undenam igitur accidit, Fideles communiter, & publice in ea Bulla non agnovisse, nisi prorsus oppositum; doctrinæ videlicet Ecclesiæ subversionem? Quomodo Bulla eadem, quæ tantâ* Episcopos implevit lætitiâ, *tantum ubique excitavit scandalum; quantum nusquam aliàs fuerat auditum? Sed & quomodo illa Antistitum congregatio eam consecuta notitiam est, ut* in Bulla doctrinam Ecclesiæ agnosceret?

Non aliter, quàm Propositiones plerasque spoliando significationibus propriis & genuinis, ut exoticas eis substitueret atque chimericas, quarum nullum in Observationum Moralium *opere vestigium est. Depravationem istam nemo est qui deprehendere non statim valeat in ipsa Præsulum* Instructione Pastorali. *Quid ipsâ fieret* Instructione; *si methodo simili de ea ferretur judicium, quandoquidem intellecta secundùm se, amplam adeò præbeat censurarum materiam?*

Denique quod Congregatio in Bulla vocat doctrinam Ecclesiæ *non convenit omnibus Bullæ partibus: Sæpe non est nisi purus putus Molinismus, qui & in* Pastorali Instructione *conspicitur, quæ vel propterea probrum erit Cleri Galliæ sempiternum.*

Ita Quesnellus contra Romanum Pontificem, contra Galliæ Clerum definit, omnium Judex: Ubinam autem non inveniet Molinismum propriè dictum & prout ab aliis scholis distinguitur, qui acutos adeò oculos habet, ut eum detegat in Bulla *Unigenitus*, & in *Pastorali* quadraginta Antistitum *Instru-*

ctione

ctione, à sexaginta aliis ejusdem Regni Episcopis adoptata? Censebunt illi meritò, quod novum hunc Theologum obcæcaverit hæresios suæ contra Pontificem, eique obedientemEcclesiam defendendę,malesanus amor,& ad furorem usque provecta pertinacia, ut videre se autumet, quod aberrantis phantasiæ illusio aut somnium dictarit.

Quàm festivè aliàs cum Magistro suo Arnaldo, contra hæresios, tanquam imaginariæ fictionem declamare solitus est, ejusque serios insectatores exponere risui, quasi nocturnorum lemurum artifices; sive, ut vocare ei placuit, *Visionarios*! Bene habet quod saltem in Apostolorum Symbolo nullus Articulus sit, clarè oppositus novæ hæresi; alioquin Censuram Molinismi in novę Ecclesiæ tribunali non effugeret.

In hoc enim judicio nullum in materiâ de gratia occurrit medium inter Jansenii dogmata, & Molinæ, imò Pelagii; ut Pelagianum esse & Molinistam, vel non Jansenianum, *termini* dicantur *convertibiles*. Calumniam hanc frivolam, ut cæteras passim criminationes, & fallacias didicerint Adversarii à suis majoribus seu prodromis, hæreticis superioris potissimùm & penultimi seculi. Antiquiores prætereo: quos novi Theologi minùs forsitan legerint: Exempla satis perspicua suppeditant Lutherus & Calvinus cum suis uterque discipulis.

Calvinus in primis lib. 2. Institutionis cap. 3. *Audiamus* (inquit) *Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici sophistæ, totam vetustatem nobis adversam pro suo more criminentur; in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur.*

Ubi videmus Sorbonicos eodem tunc à Calvino decoratos elogio, quo nunc à Quesnello Theologos Societatis, quin & Scholarum omnium Jansenio contrarios.

Juxta Kemnitium in locis Theologicis parte 1. *de Viribus humanis*, nulli magis Pelagianis erroribus addicuntur, quàm Dominici & Francisci Sanctissimæ pariter ac doctissimæ Familiæ. *Post Lombardum* (inquit) *circa annum Domini 1200.insecuti sunt Franciscus & Dominicus, quorum posterior rursus Cassiani doctrinam canonizavit. Ex illorum latibulis anno Domini 1250.Monachi progressi in Scholis cœperunt Cathedras docentium occupare, & appellantur Sententiarii, qui omnes in loco de libero arbitrio cum Pelagianis errarunt.*

Ibid. *Romanus Pontifex apertè canonizavit Pelagianismum.*

Eodem convitio Calvinus ipsam lacessivit Tridentinam Synodum, cujus hæresim ait fuisse etiam Pelagianâ deteriorem. Sic in Antidoto Concilii Tridentini adversus ejus Acta atque Decreta sessionis 6. sub initium, asserit, Patres illos *aliquantò inverecundiùs insaniisse, quàm Pelagium.*

Ibid. pag. 328. *Quis* (inquit) *Sacrilegium hoc excuset, quod suis etiam inventis justificandi vim arrogare non dubitant? Id ne Pelagius quidem unquam tentavit... Humanis legibus tantum deferre, nunquam illi venit in mentem.*

Hieronymus Zanchius Tract. Theolog. lib. 1. c. 6. Thesi 7. generatim Pontificios Theologos Pelagianos facit: Hubertus Sturmius lib. de Prædestinatione, *deteriores Pelagio, aut meros Pelagianos.*

Dordraceni in Synodo ajunt: *Pelagianorum erroribus, tametsi verbis denegare* (Pontificii) *videantur, reverà participant.*

Rursum Kemnitius in examine sessionis sextæ Tridentinæ: *Hoc* (inquit) *memori mente reponamus, & noverimus, non seriò; sed pro forma tantùm fieri quando Pelagianismum damnant Pontificii.*

Idem hæreticus ibid. *Inspiciat Lector Decreta Tridentina, & agnoscet, quàm generaliter & insidiose sine justa & necessaria distinctione utuntur verbo adjuvandi. Nec calumniosè verba torquemus; ex Andradio enim Concilii interprete didicimus, quam sententiam sub illis verborum involucris texerint; nam & Cassiani manifestè Pelagianas sententias.... quarum etiam quædam in Arausicano Concilio disertè damnatæ sunt, Andradius Tridenti in ipso Concilio publicè defendit.*

Jesuitas præcipuè Kemnitius impetit Pelagianismi calumniâ, ut Andradius refert scriptor probè Catholicus lib. 4. Orthodoxarum explic. dicens: *Tota Kemnitii disputatio versatur in accusando Societatem Jesu Pelagianismi, quam eo solo miraculo ait cæteris hominibus præstare, atque canonizari voluisse, quod Pelagium nunc demum, post tot secula excitaverit, in vitamque revocaverit.*

Ibid. *Reprehenderit Kemnitius Patres Societatis Jesu, quod iisdem Sacrarum litterarum testimoniis, iisdem argumentis, quibus olim Pelagius, arbitrii libertatem firmandam susceperint.*

Ibid. *Ne verò procacitate & impudentiâ cuiquam concessisse Kemnitius videretur Colonienses Societatis Jesu facit falsi criminis reos, nempe qui iisdem Augustini sententiis suam confirment, quas ipsummet tandem improbasse, et acriter reprehendisse certò sciebant.*

Quæ Pelagianismi accusatio, etsi sapientum judicio frivola fuerit; quia tamen Lutheri & Calvini sectatoribus, ad se contra Eccle-

Ecclefiam ftabiliendos profecit, eam fibi minimè prætermittendam credidere novi Theologi, utpote qui memoratis hæreticis maximè funt affines, non incongruè fibi ab eis exiftimant mutuandum quidquid artium, mendaciorum, perfidię eifdem ceffiffe profperè eventus docuit. Talibus & circumveniuntur fimplices, & malevoli fe decipi gaudent, ut debitæ Chrifti Vicario obedientiæ fe fubducant, atque in folis labiis, quanquam neque Catholicum femper fonantibus, retineant Religionis fpeciem.

In tota denique relata adverfi Operis parte, verbis penè fingulis, fe prodit hęrefios novæ indoles turbulenta, correptionis & jugi omnis impatiens, authoritatis, etiam fupremę facrilega contemptrix, in unctos Domini contumeliofa.

Simulatione & hypocrifi Quefnellus opus habuit in famofis *Obfervationibus Moralibus*, de quibus omnis contentio eft. Illic enim, ut errores fuos & hærefes obtegeret pallio Sanctitatis, afceticum agere oportuit, & cum pietatis fpecie affectare quidquid virtutum pofset in moribus defiderari. Hinc profluxerit dolofa & meritò damnata præfeus enuntiatio: *Pati potius in pace excommunicationem et anathema injuftum, quàm prodere veritatem, eft imitari S. Paulum: tantum abeft ut fit erigere fe contra authoritatem, aut fcindere unitatem*. Verùm ubi detecta eft fallacia, genius fe prodit hæreticus, & abjectâ modeftiæ larvâ, foras profilit, quæ latuerat rabies, ut in referendis proximè laciniis lector ampliùs perfpiciet.

Pergit Adverfarius: *Voces reverentiæ & fubmiffionis* (*quas* Paftoralis *Antiftitum* Inftructio *exprimit*) *funt valdè æquivocæ. Non magnum reverentiæ fpecimen eft, Conftitutionem non admittere, nifi cum multitudine explicationum, quarum defectus minimus eft, non effe multum confentaneas rationi. Neque eft undè magnificè adeò prædicetur* Submiffio, *quando Pontificis judicium non admittitur, antequam examinatum fuerit, & interpretationibus, modificationibus, determinationibus donatum, pro libitu eorum, qui fubmiffionem vocibus profitentur: de quo fi Romana Curia non oftendat publicè, quam concepit animo indignationem, indè fit, quod profpiciens, fe causâ malâ implicitam, diffimulare potius eligat, quàm exponere fe periculo perdendi omnia; fi tam importunâ in circumftantia, fuas prorumpere palam iras permitteret.*

Sic Novatoris ingenium, totum in maligno pofitum, res maximè innocuas, virulentæ inftar araneæ, in venenum novit con-

vertere, Clementiffimum Pontificem contra tot Præfules fibi fubmiffos & catholicos concitans; ut quantum in ipfo eft *unitatem* funefto fchifmate diffolvat. Rationem Antiftites Pontifici expofuere, ob quam Documentum ediderint Paftorale; nullus in tota ea epiftola fermo eft, nullum indicium de aliquo vel minimo Conftitutionis Apoftolicæ vitio, nullum de ejus tenebris, quæ opus habuerint fuarum lumine explicationum; fed ut finiftris, & à mente Pontificis, Bullæque, quantumvis dilucidæ, alienis fenfibus janua obftrueretur.

Ipforum de hoc audiatur teftimonium Epifcoporum in epiftola ad Clementem XI. data Nonis Februarii 1714. *Decrevimus edere Paftoralis Documenti communem quamdam formulam; Hæc enim ratio & utilior, & expeditior nobis vifa eft, ut non modò evellantur & profligentur errores, juftâ cenfurâ non ita pridem notati; fed ut etiam de iifdem Propofitionibus, quæ illos continent, difputandi ac litigandi, tricarum ac novitatum avidis animis, omnis tollatur occafio: Erit igitur Paftoralis ifthæc inftitutio, velut præfidii ac munimenti loco à nobis pofita, adverfus alienas à vero fenfu Pontificiæ Conftitutionis interpretationes, quibus magnos & uberes, quos omnis Ecclefia certò fperat, & jam percipit ex Apoftolico Decreto fructus interturbare, vel peffumdare iniqui homines, irrito conatu moliuntur.*

Nullum hìc indicium inobedientiæ, nullum volendi modificare, five reftringere, vel corrigere Conftitutionem. Explicationes & commentaria in ipfam à Sancto Spiritu dictatam Scripturam prodeunt quotidie, & prodiere pridem à Sanctis Patribus, nemine proptereà ipfis Sacrilegii calumniam inferente, quafi in Sacro Volumine reprehenderent aliquid tanquam à veritate devium, vel modo expreffum incongruo, ut neceffarium ei foret ab interprete emendari. Epifcopi, ut vidimus, explicationum fuarum reddidere rationem, fubmiffioni & reverentiæ Summo Pontifici debitæ, nequaquam officientem; cur aliam longè difparem temerariâ oportet fingere conjecturâ?

Si Janfeniftarum molimina & fines peffimos, quos innumeris, ac minimè dubiis quotidiè produnt effectibus, Antiftes quifpiam, vel Romanus Pontifex declaret fidelibus, ne decipiantur cum fuarum pernicie animarum, omnia mox Janfeniftarum clamoribus & querelis perftrepunt; quafi judicium de internis, ad folum Deum pertinens temerè fibi homo vindicet, quod tamen à Chrifti Vicario fibi arrogatum minimè fuit;

sed quod experientiâ quotidianâ, & factis scriptisque eorum notissimis acceperat, absque erroris periculo declaravit.

Quisquamne sapiens, atque exploratam habens decimam partem eorum, quæ ex ipsis Jansenistarum vindiciis retuli, mitius poterit de authoribus judicium ferre, quàm in quacunque legitur Clementis XI. sanctione? Galliarum Antistites Catholici, quantumlibet suis addicti libertatibus, non tamen ex animis dimittent, ad quam eos, & Sacramenti religio, & ipsius institutio Christi Domini adstringit, *obedientiam*. Fratres eos scribere Romanus Pontifex dignatur, neque dedignantur illi, se Patris omnium Fidelium agnoscere Filios, atque præstare debitam Parenti optimo reverentiam ac submissionem.

Verùm novus Theologus, & asceticus hypocrita, in quo neque obedientia deprehenditur, neque religio, cujus omne studium est damnatas pridem opiniones noxias, & hæreses suscitare, ne ullâ valeat authoritate cohiberi, necessarium sibi ducit dissidiorum ubique zizania inter Catholicos disseminare: committere inter se Episcopos, & hos iterum cum Pontifice, ut collisis ab invicem viribus, hæresis impunita robur securiùs capiat, & incrementum.

Iniquissimè etiam Quesnellus de Gallicanorum Antistitum pietate judicat & religione, quando Romanum Pontificem *perditurum in Galliis omnia* supponit, si apparentem aliquem in Episcopis reprehenderet defectum *reverentiæ* aut *submissionis*. Juxta suam scilicet irreligiosi & rebellis animi dispositionem, præsumit homo schismaticus tot Clarissimorum Antistitum metiri, atque restringere fidem, sapientiam, pietatem. Sed non fluxa illis & instabilis virtus est, ut Jansenistarum existimat vel mentiri audet temeritas.

Audiamus Quesnelli cætera: *Pontifex condemnat Articulos centum & unum in sensu eorum proprio & obvio: condemnat ut minimum tanquam falsos: quandoquidem solummodo licitum relinquatur eos impugnare; non autem defendere conjunctim, vel divisim, sic igitur eos Episcoporum proscribit Congregatio. Quis autem istud conciliet cum explicationibus violentis, quas plerisque Articulis* Instructio *tribuit* Pastoralis?

Propositiones singulas condemnari *saltem ut falsas*, non asserit explicitè Constitutio; sed convenire singulis & quidem sensu non extraneo intellectis, censuram aliquam ex iis, quæ in Constitutione recensentur. Cum igitur in Censurarum serie reperiatur feriens Propositiones aliquas veluti *captiosas*, quod vitium, ut olim fraudulentis Idolorum Oraculis, convenire potest pluribus enunciationibus æquivocis: cumque subinde non facile sit discernere inter sensus earum geminos, uter magis proprius & magis obvius sit; imò circumstantiæ authoris & ipsius operis faciant verba in sensum propendere deteriorem, prohiberi meritò possunt, & dictante sapientiâ debent, quando hic sensus admodum perniciosus est, & praxi sive exercitio plurium comprobatus.

Non multa nobis in quærenda istiusmodi Propositione adhibebitur opera: exemplum ipse est qui modò discutitur Articulus: *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Unus scilicet sensus apparet obvius ad speculationem potiùs attinens, quàm ad praxim, ubinam enim in Ecclesia contingit his temporibus excommunicatione sive anathemate percuti eos, qui noluerint prodere veritatem? Ipsius exemplum Apostoli fictitium est. Alter sensus obvius; qui legenti cuilibet controversiarum non penitus ignaro, statim in mentem veniet, Articuli practicè, ut oportuit, intellecti est, continens suppositionem, quod aliquando in Ecclesia Catholica fiat, ut quis propter *veritatem*, quam *prodere*, seu abnegare detrectaverit, excommunicatione feriatur.

Talem subesse Articulo sensum quilibet judicabit, præcipuè in iis Christiani Orbis partibus, ubi aliqua juramenti contra Jansenianam hæresim constituti, & sectariorum contra illud pertinacissimorum notitia est. Denique sensum hunc non meræ speculationis; sed practicum Articulo tribuet, quisquis eum meminerit decerptum ex Opere ascetico *Observationum* non metaphysicarum, sed *Moralium*, sive pertinentium ad mores in suis lectoribus dirigendos. Circumstantia evidens concurrit authoris, qui famosissimus ubique post Arnaldum est tam Janseniani systematis defensor, quàm adversarius Legis illud deserere, atque ejurare præcipientis sub excommunicatione refragantibus inferenda. Nomine autem veritatis ab authore intelligi Jansenianam perspectissimum est, neque ab ipsis negabitur adversariis.

Asseruerant Galliæ Antistites, se confidere, quod sua *Pastoralis Instructio* optimum productura esset in Diœcesibus effectum, destructionem scilicet errorum, impediret dissidia, & noxias Constitutionis Pontificiæ interpretationes.

Respondet Quesnellus pro sua modestiâ, & Episco-

& Episcopalis reverentiâ *authoritatis*. *Perversa nimium* Instructio *est*, *ut fructus ex ea sperare liceat tam salubres*. *Mirificè supponi deberet in omnibus patientia, ut silentio tolerarent farraginem enormium adeò calumniarum*, *ineptiarum puerilium*, *& interpretationum*, *quæ vel ridiculæ sunt*, *vel erroneæ*. *Unicus quem pariet* Instructio *effectus erit exponere contemptui omnes Episcopos à quibus fuerit adoptata*.

Ita privatus homuncio, suæ, ut aliàs mentiebatur, *conscius tenuitatis*, excipit Eminentissimum Principem Cardinalem de Rohan, cum quadraginta aliis Galliarum Episcopis, quorum nominibus & authoritate *Instructio* edita est: Sic arguit sexaginta aliorum Antistitum sapientiam, qui *Instructionem* suo calculo approbatam, adoptare minimè dubitaverunt. Quid acerbiùs à cujuscumque hæresios Prædicante contra tot Reverendissimos Præsules expectari potuisset? Sed non ibi sistit Quesnelli impudentia.

Reperientur (inquit) *Episcopi proculdubio non pauci*, *à quibus* Instructio *assumetur*. *Ex quo autem genere erunt isti*? *Ex eorum scilicet*, *qui ducti considerationibus terrenis*, *vilibus & charactere Antistitum penitus indignis*, *parvipendentes officii sui debitum*, *non verebuntur suam lædere conscientiam &* Instructionem *veluti fœtum suscipere adoptivum*. Tot iterum clarissimos Antistites proscindere publicè tanquam muneris sui ac debiti immemores, atque temporalia præferentes commoda religioni, juxtà Quesnellum minimè est *contra authoritatem se erigere*, *aut scindere unitatem*.

Ita prosequitur. " At etiam fortè non „ deerunt, qui nolent genua flectere novo „ isti idolo, ad quod recusandum sola *Instru*„ *ctionis* lectio sufficiet: tantùm componere „ oportet Constitutionem cum explicationi„ bus Molinianis, quas ei *Instructio* tribuit, „ ipsa inquam lecta *Instructio* sufficiet, ut „ quilibet agnoscat, quod eidem adhærere „ foret prodere veritatem, & vocare in ludi„ brium religionem „. Nonne hæc potiùs cuicumque Lectori Catholico sufficiunt, & quidem abundantissimè, ut agnoscat, adversarios istiusmodi *abesse* maximè procul *à patiendo pacificè* censuras Ecclesiæ, neque minorem eorumdem hypocrisin esse, & fictitium horrorem, ne contra *authoritatem se erigere* videantur *aut scindere unitatem*?

Quis unquam hæreticus & furens contra sententiam, quâ damnabatur, magis impio eam scommate insectatus fuit, quàm *Idoli*, quo omnes simul ei consentientes Antistites in sacrilegam classem redigit idololatrarum? Quesnellus scilicet, ut omnes præteriti temporis hæreticos superavit fraudibus, nulli cedere voluit rabie & contumeliis. Quàm putida igitur & explodenda ejus hypocrisis est, quoties alibi vindicias sui nimium acerbas reprehendens, modestiam in scribendo commendat & mansuetudinem!

Quæ in præsentibus contra Instructionem Pastoralem *Animadversionibus* sequuntur pro defensione dogmatum singulorum, non expendo, ne repetitione superfluâ eorum, quæ contra singula copiosiùs disputavi, me lectoremque frustra fatigem. Notare hic sufficiat, quòd toto Quesnellus hoc suo opere sibi persimilis, ad Propositiones singulas Episcopos lacessat probris adeò, ut solius Quesnelli eloquentia videatur par esse potuisse, tantæ contra Antistites coacervandæ multitudini contumeliarum. Proposito hic mihi satis sit fini, post relatum adversarii exordium, convincendæ ejus hypocrisi peridoneum, exhibere *conclusionem*, exordio & toti convenientem Operi.

Pag. 130. " Videntur (inquit) *Instructio*„ *nis* authores (Episcopi) studuisse, ut nihil „ omitterent, quo fidelis populus offendere„ tur. Læsus fuerat eorum convitiis contra „ *Observationum Moralium* scriptorem, ip„ sorum fide pessimâ, calumniis, & fictarum „ ineptiis explicationum. Non minùs irrita„ bitur excessibus elogiorum, quibus exor„ nant Pontificem & Constitutionem, quâ, ut „ persuadere cupiunt *fides à Pontifice fuerit* „ *in tuto posita*. „

„ Quomodo talia conciliare poterunt cum „ judicio quod Christiana tulit Respublica „ (le Public) quæ Constitutionem esse cen„ suit religionis exitium, uti & Christianæ „ ethicæ & disciplinæ; plagam denique ma„ ximè funestam, quæ fidei Ecclesiæ unquam „ illata est „? Talem merebantur coronidem Animadversiones, quibus Orbi Christiano Quesnellus ostendere voluit, quàm esset *pacificus* & *patiens* in tolerando *anathemate*, ut ait, etiam *injusto* contra suum *Observationum Moralium* opus: Quàm longè abfuerit ab omni contra Majores irreverentia, quâ *se erigere* videretur *contra authoritatem*, *aut scindere unitatem*.

Neque nostrâ indigent correptione, quę suam adeò manifestè præferunt turpitudinem, & magis augent infamiam authoris, quàm ulli potuissent, de quibus conqueritur, adversarii, Antistites scilicet, & Summus Christi Vicarius. Cùm ea Quesnellus scriberet, nondum rebellionis suæ tot nactus fuerat socios; plures ad Generale Concilium appellantes, Constitutionem *Unigenitus* tantisper admitte-

re detrectabant, usque dum explicationis quidpiam à Sede Apostolica adveniret: quâ ratione videri voluerunt suam potius suspendere obedientiam, quàm penitus denegare.

Quidquid sit, vix alia hodie refractariis supersunt è superiori ordine, præter paucorum Antistitum Gallorum, quæ ostentent nomina: cetera supplent vocabulo *le public*, cujus indefinita significatio est, neque tam facilè latinè redditur: interim Jansenistis ad fallendos simplices apparet peridoneum; ut quando nullos vel paucissimos habent alicujus famæ aut nominis suffragatores, videantur adscribere sibi totius populi consensum, subinde etiam universæ Reipublicæ Christianæ, quasi palam se pro Quesnelli Propositionibus & contra Bullam *Unigenitus* declarantis.

Qualiscunque autem sit istiusmodi ambulans adhue in tenebris multitudo, compertissimum toto Christiano orbe est, eos qui contra Bullam vociferantur hoc tempore, aut loquuntur publicè, paucissimos esse, & nonnisi angusto orbis angulo conclusos: angulum voco paucas in sola Gallia Diœceses, quæ in Pastores inciderint refractarios, & in Christi Ecclesia, donec reconciliati fuerint, non amplius à Summo Pontifice numeratos.

Quoties in Jansenistarum Opusculis lego familiare istud ipsis *le Public*, quo publicum & quasi commune allegare solent consentiens sibi populi testimonium, semper mihi in memoriam redit plebei cujusdam *Catoir*, cui cognomen Gallicum obvenerat *tout le Monde*. Ridiculi nominis occasio fuerat, quod in lusu coram conferta hominum multitudine, cùm dubitatio occurrisset de lapsu pilæ: num fixos intra limites fuisset; unus ille è contendentibus, ad spectatorem populum conversus, ut pro se suffragia eliceret, cùm neminem conspiceret sibi annuentem, confidentissimè tamen adversariis occlamare cœpit, testimonium pro se dare universos, *Tout le Monde le dit*. Parum aberat quin præfidentis mendacium assertoris adversarios falleret, & jam erant, ut acquiescentes, lusûs reliquum prosequerentur; cùm ex eis aliquis animadvertens, plures è spectatoribus obmurmurare; audiamus, inquit, testimonium distinctiùs singulorum. Ecce autem, instituto examine, deprehenditur ne unus quidem impostori consentiens. Tunc illum aggredi pars victrix, & quærere ubinam esset spectatorum ipsi annuentium universitas *Tout le Monde*? Ille obmutescere: & suam damnare silentio temeritatem coactus, ferre debuit, se omnium partim sibilis excipi, partim indignatione: quam unius lepida mox terminabat conclusio, sonorè clamantis *Tout le Monde est Catoir*, quod inde abiit in proverbium contra eos, qui in vindicando sibi totius multitudinis consensu perfaciles sunt, etiam ubi vix aliquem reperiunt suæ sententiæ suffragantem.

Janseniani satis conscii, se nimis facilè de mendacio convincendos, si jactarent publicè, cunctos Quesnelli novitatibus addictos esse, & à Constitutione *Unigenitus* alienos, non audent passim vocabulo uti adeo generali *Tout le Monde*; sed ei substituunt *le Public*. Hæc autem jactatio vix minùs mendax convincitur, quàm prior. Ubinam enim terrarum hactenus judicium istud commune publicum innotuit, ubinam auditum est?

Vidimus appellationes recentes typis editas septem in Gallia Antistitum & inferiorum ibi aliquot Ecclesiasticorum, quibus si addideris Presbyteros quinquaginta circiter in Belgio partim Austriaco, partim Hollandico, in quibus unicus Theologiæ Doctor obscurus est, his totum comprehenditur, quod magnifico, sed fallacissimo nomine *le Public* à Jansenistis continuò decantatur; quasi communis torrens fidelium ad ipsos confluxeret, altisono murmure, & querelâ publicâ Pontificiam reprobans Constitutionem.

Nos *Publicum* illud Quesnello adeò familiare contra ipsum veriùs retorquebimus: in Gallia centum & ampliùs, in Belgio Austriaco omnes & singuli Episcopi publicis diplomatibus Bullam *Unigenitus* admisere, suisque præscripsere fidelibus observandam. In cæteris Christiani Orbis regionibus partim Decretis publicis eadem promulgata est, partim sine istiusmodi solemnitatibus, consensu aliunde palam notissimo acceptata.

Unde nemo nobis adimere poterit, quin verissimè dicatur Christiana *Respublica* Constitutioni *Unigenitus* obedire; proinde damnare Quesnelli Articulos omnes Censuris iisdem, quibus à Sede Apostolica proscribuntur. Occinere igitur nobis imposterum illud suum *Publicum*, quasi commune fidelis populi suffragium, adversarii desinant, seque continentes intra schismatici sui conventiculi angustias, de catholicæ quasi consentientis sibi Ecclesiæ testimonio *publico*, si quid eis, non dico bonæ fidei, sed vel pudoris, vel honestatis *publicæ* superest, gloriari ampliùs non præsumant.

Multiplicem hactenus Quesnelli, eique adhærentium hypocrisin, religionis, pietatis, obedientiæ, mansuetudinis, charitatis penitus expertem, in Propositionis hujus examine, luci publicæ exposuimus, quantum sufficit; ut nemo nisi insanissimè decipi, atque in damnationis barathrum se præcipitem agere stolidè volens, novis hisce asceticis, verissimis

simis illusoribus contra Sedem Apostolicam, Ecclesiarum omnium Magistram, inposterum aures præbeat, sed eos veluti aspides surdas, & missos ab inferis fugiat basiliscos.

CAPUT XXX.

Propositionis fructus aliqui in ipso ejus authore exhibentur, in primis fuga è sua Congregatione & Regno Galliæ, ne prætensam proderet veritatem.

1 INdomitum Quesnelli atque indocile ingenium, pronum in dissidia, schismata, ac rebellionem innumeris didicimus argumentis, non ex aliorum relatione, quæ posset esse obnoxia deceptioni, vel calumniæ, sed ex propriis ejus scriptis, maximè typo editis, quæ sua esse haud negaverit, quamvis forsitan prodendum se, cùm scriberet, antequam caperetur, minimè fuerit suspicatus. Sed ingentium authores criminum perpetuò latére Deus non patitur, ejus communiter providente justitiâ ut etiam vivi, & ab hominibus puniantur publicâ saltem delictorum infamiâ.

Rebellionem Quesnelli adversus generalia Ordinis, seu Congregationis suæ Comitia superiùs indicare cœperam ex Processûs contra eum juridici Articulo 1. Proposui autem solam Articuli inscriptionem, cujus nulla pars revocabitur in dubium. Nunc authentica produco Comitiorum Acta, quorum sapientia & æquitas cuivis lectori Catholico se facilè manifestat, & solis potest Novatoribus displicere.

Qualis antea Quesnellus fuerit, nescio, neque unquam mihi animus fuit inquirere: Solùm reperio scripta ejus contra Decretum Romanum, quo editæ ab eo Dissertationes in S. Leonis Opera consiguntur anno 1676. proindè biennio ante Oratorii Comitia. Scriptis autem illis contra Decretum nihil unquam legeram simile, ab ullo exaratum Catholico: adeò illic omnia mentem indicant irâ percitam, & præ furore omnis impotem rationis.

Egregia hæc præludia fuere totius secuturæ contra Sedem Apostolicam rebellionis. Si in hoc stetisset ejus temeritas, existimari forsitan potuisset, Decreto illo exulceratum adeò ejus animum fuisse, ut vindictę spiritu contra Petri Cathedram fremere cœperit, cum schismate tamen retinens animum qualicunque integritate fidei orthodoxum. At quid movere eum potuit nisi novorum dogmatum, novæ hæresios amor fatuus, ut contra Congregationis suæ Præpositos, non domûs unius aut alterius; sed universos in Comitiis generalibus constitutos insurgeret?

Ipsam doctrinæ formulam hic à me necessariò referendam video, ut Theologus quilibet innovandi libidine non pessumdatus dijudicare valeat, an tantum ea debuerit Quesnello incutere horrorem, ut exilium perpetuum & miserrimum, illius præponeret acceptationi. Congregatio itaque anno 1678. die 16. Septembris sessione 6. sic definivit.

„ Juxta Resolutiones plurium Comitiorum nostrorum, præsertim juxta Decretum Quinti, renovatum in Sexto, cui conventui ultimus, novo robore addito, subscribit. Liberum erit nostris Theologis tenere ac docere tum Oratorii domesticos, tum externos, in Seminariis, Collegiis & cęteris Congregationis domibus opiniones omnes receptas, & tradi solitas in Ecclesia, nemine prohibente. Neque imponi poterit necessitas addicendi se uni potiùs, quàm alteri.

„ Quandoquidem Congregatio sibi semper gloriæ duxerit conformandi se penitus sententiis, propensionibus, praxibus Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, ac sponsa ejus qui est Sapientia æterna, statuit semper pergere in rejiciendis omnibus, quæ illa non admittit, & recipiendis omnibus, quæ illa approbat. Hanc normam secuta est Congregatio tempore honoratissimi nostri Patris & Fundatoris Cardinalis de Berulle, ejusque dignissimi successoris Reverendi Patris de Condren, uti & ante recentiora de Jansenismo dissidia.

„ Sic agendum necessariò fuit; cùm primi Congregationis Presbyteri essent Doctores facultatis Theologiæ Parisiensis, quæ inter omnes Orbis Academias celeberrima, in summo gloriæ apice, in perfecta unione, atque concordia se conservat, cum adhæsione inviolabili se affixam retinens Articulis omnibus ab Ecclesia definitis, manens pariter in omnimoda indifferentia circa ea, quæ ab Ecclesia hactenus determinata non sunt. Istud Sapientissima Christi Sponsa, & nos eum illa judicamus nihil detrahere venerationi maximæ, quia Theologi omnes prosequi debent Sanctorum Augustini & Angelici dogmata.

„ Liberum itaque semper erit tenere & tradere prædestinationem gratuitam, & gratiam seipsâ efficacem; sic tamen ut cura singularis habeatur ostendendi, quòd efficacitas ista nullam penitus voluntati inferat necessitatem; sed quod voluntatem excitans, relinquat illi nihilominus agendi &

„ di & non agendi potestatem. Fuit ea semper Congregationis sententia. Cura pariter solicita sit stabiliendi gratias verè sufficientes, quæ adimplendi mandata tribuant potestatem; sed inutiles maneant dum eas voluntas rejiciens, consensum denegat: atque id intelligendum est de omni statu.

„ Qui has sententias amplexi fuerint, reverebuntur, & magni facient cæteros oppositis dogmatibus adhærentes, sive in Congregatione, sive extra illam, ut pacem & concordiam servemus cum omnibus Theologis orthodoxis, ut quantùm possumus, imitemur immensam Ecclesiæ charitatem, quæ sinu suo complectitur & fovet unita sibi membra tam inter se discrepantia. Denique ut se nobis veritas apertiùs pandat, eam humilitatis & charitatis tramite indagemus. Iisdem obstringimur rationibus, ut solicitudine maximâ devitemus Janseuismum, Pontificiis Constitutionibus damnatum, neque sequamur ullum unquam Baji Articulum, qualis est: de operibus infidelium, & plures alii. „

Præterea quædam ad Philosophiam pertinentia, & ad eliminandam ex scholis præcipuè Cartesii novitatem. Non levitate, sed ratione gravissimâ Venerabilis ille Patrum conscriptorum cætus ad præscribendam hanc toti Ordini Formulam adductus fuit. Aliquorum scilicet imprudentia probrosam ac penè exitialem Ordini consciverat calamitatem, Jansenismi infamiam, ac Regis Christianissimi indignationem, eò provectam ut de Oratorii dissolutione, atque extirpatione non semel consilia agitarit.

Verùm Quesnellus, cui Janseniana & Bajana hæresi nihil erat pretiosius, litasset ei facilè totius suæ Congregationis in Gallia interitum. In Belgium profugi inter primas ac præcipuas curas fuit, Montense in Hannonia Oratorium suis instituere novitatibus, & contra decretam in Comitiis admissamque in Oratorio totâ Galliâ Formulam concitare.

Non prætermisere etiam, quæ partium suarum erant Catholici in Regno Christianissimo Sodales, ut Montenses in unione secum fraterna, & sanis dogmatibus continerent, præscripto contra Quesnellianum virus antidoto. Præpositorum in Comitiis congregatorum nomine, ad Patrem Picquery Montensium Rectorem, ita scripsit Pater Thorentier Assistens Generalis mense Junio 1691. conversò ad perniciosum hospitem sermone. *Quid funestius, quàm te conspici declamantem contra doctrinæ regulam, à tot viris vitæ integritate præstantibus approbatam, atque in pluribus sessionibus, seu conventibus à Congregatione admissam universâ; si duos excepero vel tres qui insano studio placendi despectissimæ Novatorum Factioni, deseruere vocationem Dei cognitam, atque in infortunato schismate, subduxere se matris gremio, extra quem nulla salus est?*

Quid luctuosius, quàm audire te insectantem contumeliis, velut infelicem, funestum, ridiculùm doctrinæ Canonem, qui, ut mox aperiam, Congregationem ab exitio liberavit? Quid magis obnoxium offensioni, quàm tot diris invehi contra eos, quos authores ejus asseris ac promotores? Quid scandalosius, quàm famam eis charitatis adimere, & exprobrare, quasi superbiâ turgidi, & dominandi cupidine, gravia in Congregationem mala eaque ignominiosissima intulissent, quasi pravis suis consiliis perverterent ejus moderatores, & zelo præpostero turbarent pacem?

Hactenus Pater Thorentier, cujus epistola tanto plus ponderis apud suos habere debuit, quod non Assistentis solummodo authoritate polleret, sed Congregationem etiam universam Vicariâ ac simul supremâ regeret potestate. Referre nunc juverit Historiam, prout ab eodem describitur, & continet rationem, quâ æquitas, sapientia, imo necessitas Formulæ demonstratur. " Credo „ (inquit) me posse narrationis initium ducere protestando coram cœlo & terra, jurando simul cum Apostolo: Testis mihi est „ Deus, cui servio &c.

„ Ab annis sexdecim aut septemdecim quidam novitatis, & contentionis spiritus è nostris aliquos incessit, propulitque, ut turbas in locis pluribus excitarent: unde non levis orta contra Oratorium procella, concitati contra nos Episcopi, Religiosi Ordines, & Academiæ propter novitates nostrorum non Theologicas solùm, sed etiam Philosophicas.

„ In Præfatione sive epistola, qua Theses Episcopo Andegavensi dicabantur, latino idiomate, hæc legitur gloriatio: *Non alio, quàm Andilii & Arnaldi doctrinæ lacte enutriri filios passus est Generalis noster Præpositus*. Thesis hæc per totam Galliam divulgata, adeò ut ad me usque Parisios penetraret, & Oratorium universum, se factum esse miraretur Jansenianum. Præterea in plerasque domuum nostrarum, præcipuè ad Collegia mittebatur Doctrinæ Formula plena Jansenismo & malâ fide.

„ Initio prohibebat, ne Jansenii dogmata traderentur; sed illico addebatur, efficacem gratiam statuendam esse in victrici suavitate, gratias quasdam debiles vocari posse sufficientes; quæ tamen nunquam

„ destituuntur effectu, propter quem Deus „ illas concedere decreverit: quod idem est „ ac asserere efficaces easdem esse quemadmodum ceteras: ac denique non oportere „ nos explicare nimiùm, quid de libertate „ censeamus; quæ natura ejus sit: Sed in „ statu corruptionis agnoscatur ad bonum „ malumque indifferentia, quæ neque essentia sit, neque pars ejus; sed signum solummodo libertatis, ut ait S.Thomas.

„ Omnis ea fallacia non impedit, quin percipiatur, quòd subtrahendo omnem aliam „ indifferentiam contrarietatis & contradictionis, non relinquatur alia libertati natura, quàm spontaneitas absque coactione. Quis non videat, omnes istiusmodi „ enuntiationes reipsa esse Janseniani systematis fundamentum & compendium, cujus Episcopi doctrina non alium in finem „ prohibita fuerat initio, quàm ut lectoris „ animus deciperetur.

„ Eadem fallendi ratio impulit formulæ „ istius subdolæ authores, ut zelum ostenderent præ cæteris singularem, quasi ad „ coërcenda dissidia, ac præcidendam sinistris de Oratorio rumoribus occasionem, „ ideo prohiberent in sua Formula omnes illas propositiones Philosophicas, quæ præbuerant ansam clamoribus, quemadmodum ipsi nos antea agnovimus, & volente „ Rege finem imponi contentionibus, necesse „ nobis visum fuerat, ut interdicerentur „ iterum.

„ Præcipuus fallacis Formulæ artifex sententias in ea contentas priùs ampliùs extensas, sermonibus diffuderat in tota ea Oratorii parte ad quam ierat visitatum: & cum „ pro imposito sibi munere, inspirare omnibus debuisset Congregationis institutum, „ perfectionem Sacerdotii, & observantiam „ regularum, ipse ingenti collationum multitudine disserebat de duobus statibus ante „ & post primi hominis lapsum, de efficaci „ gratia, quæ sola in hoc statu homini concedatur, & de libertate ad solum redactâ „ voluntarium.

„ Parco Authoris nomini, atque in scrinio absconditas retineo ejus collationes, „ quas non aliâ ex causâ mihi tradidit, quàm „ quia putabat esse ejusmodi, ut ad irretiendum quemlibet, earum lectio sufficeret. „ Differo autem pandere ejus nomen, opiniones & artes subdolas, usque dum necessitas revelationem postulabit. „

Hactenus P. Vicarius Generalis, qui dein commemorat, quomodo Parisiis Oratorii Patres ad suum Archiepiscopus palatium convocatos monuerit, de corrigenda priori doctrinæ Formula, quoad Theologica præsertim, quæ cum singula legeret, reprehendebat. In Philosophicis vetari voluit doctrinam Cartesii, quam & prior Formula proscriptam voluit, & Oratorium fassum fuerat, rixas in suis Collegiis excitasse.

Addiderat Archiepiscopus, Regem non minùs reprimere velle prælia scholasticorum dogmatica, quàm duella Nobilium. Denique ut Regi & Archiepiscopo fieret satis, idem Pater pro ceteris tacentibus loquens, in ejusmodi convenit systema, quale in Comitiis Generalibus communi consensu probatum, & singulorum Patrum subscriptionibus firmatum est.

„ Tum Vicarius cœptam ad P. Picquery epistolam prosequens: " Hæc (inquit) Formula est, quam vocare tibi placuit *infortunatam*, contra quam tantum bilis effundere, tantis agitari intemperiis: Hæc Formula est, cujus artifices & promotores „ tantam, te judice, videntur meriti indignationem, & tantis excipi in tua epistola „ contumeliis.

„ Longè alius fuit sensus tantorum in Comitiis Sacerdotum, quibus ne nunc quidem „ derogare ausus fueris præclaram, quam de „ iis ante conceperas, æstimationem... Cur „ igitur tanta iracundia, tanta in Literis tuis „ personat declamatio contra doctrinæ Formulam, quam Rex Christianissimus postulavit, quam tantus Archiepiscopus nobiscum composuit, quam Comitia Generalia „ aliàs receperant, & secuta postmodum confirmarunt, quam universum Oratorium „ signavit?

„ Ideone tam indignè Formulam excipis, „ quia periclitantem Congregationem illa „ ab interitu vindicavit, conservans Collegia, quæ suppeditant Candidatos, Professores, Divini præcones Evangelii, quæ „ Congregationis, filios scientiis imbuunt, „ quæ denique incolumitas ejus sunt & gloria? An quia reddidit ei gratiam & favorem Principis, antea perditum propter „ horribilem plurium nostrorum in Jansenismo pertinaciam, ut jactare soliti essent, „ *consecrandum lubentissimè* „ *si opus foret, Oratorium veritati?* Ita suas vocabant erroneas opiniones.

„ Num quia sincerè prohibet doceri Jansenismum condemnatum à Summis Pontificibus, ab Episcopis, ab Academiis, à „ Religiosis Ordinibus, ab ipsomet authore, „ à quo nomen ea hæresis accepit?

„ Non enim solummodò à viris doctissimis Calvini & Jansenii adversariis invictissimè ostensum est, doctrinam Jansenii de Liber-

„ Libertate & Gratiâ eandem esse, quæ fuerat Calvini à Tridentino proscripta Concilio, cui accusationi, ne illi quidem, qui scriptionibus orbem implent, responsi aliquid opposuere; sed ipsemet agnovit Jansenius veritatis convictus evidentiâ, quæ in oculos omnium, utramque inter se doctrinam conferentium spontè insilit, lib. 6. de Gratia Christi cap. 34. & lib. 8. cap. 21. *Istam doctrinam Calvini opinioni concinere.*

„ Num denique ideo Formulam aversaris, quia sectandam illa Oratorio exhibet doctrinam maximè securam, & in Ecclesia communiùs probatam, quæ est Doctoris Angelici, & quia nos obligat ad professionem disciplinæ, quam tradidit S. Carolus, & quæ inter recentiores conformior antiquitati est, quâ ratione geminâ ab Oratorio tolluntur omnes obices, qui impedire potuerant, ne omnibus suis ministeriis & functionibus, ullam pareret utilitatem?

„ Quando igitur eam Formulam invasisti conviciis, an non tibi in mentem venit terrificum illud, cui te exponeres Divini Oraculi maledictum: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: Qui vocatis lucem tenebras, & tenebras lucem? &c.* Nonne in utramque præceps laberis iniquitatem, dum criminaris Formulam veluti *infortunatam*, cui suam debet Congregatio incolumitatem, & bona plurima: dum auctoribus ejus & promotoribus insultas velut reis delicti gravissimi; Vestram verò contra Superiores universos inobedientiam, quâ recusatis tollere scandali occasionem, vestramque probare doctrinæ sanæ ac fidei integritatem; talem inquam, inobedientiam æstimari ab omnibus vultis tanquam officii Sacerdotalis debitum, tanquam virtutem, ac teneræ effectum conscientiæ?

„ Verùm ut vestræ nostræque fert indoles regionis loqui candidè, dicam quod sentio: non est Cartesianæ prohibitio doctrinæ, neque aliud Philosophicum, quòd tuum contra Formulam animum commovet, totque adversus eam ejusque authores, tibi exprimit contumelias; sed obligatio est remittendi nuntium Jansenismo, aliterque disserendi de gratia & libertate.

„ Neque istud dissimulas, cum in tua ais epistola: *Præcipuæ, quas patimur, difficultates, prout indubiè meministi, versantur circa Ethicam & Theologiam.* Cum autem de nullis Theologiæ quæstionibus præterquam de gratia in Formula agatur, luce clarius meridianâ est, propterea solùm hanc tibi accidere odiosam.

„ Quare in hac materia non sequeris Doctorem Angelicum, qui tibi in Formula proponitur, quemque ne minima quidem unquam erroris umbra offuscavit? Quomodo Doctor tantâ conspicuus scientiâ, & sanctitate, cum tot aliis, qui eum postea secuti sunt, Theologis plurium spatio seculorum non meliùs Augustinum intellexerit, quàm Jansenius & Calvinus; licèt prior gratias agi cupiat posteriori, propter elucidatum nobis amplius Augustinum? *Propter Augustinum*, inquit, *Calvino potiùs gratulandum.*

„ Cur adeò obduratis animum ad sustinenda, quæ Pontifices & Episcopi damnavere? Horum numero ne quatuor quidem illos excludi patior, qui subscriptionibus suis signatam Alexandri VII. Constitutionem Romam mittere coacti sunt. Nondum perspicitis, quid vos excluserit Leodio? Quid Montibus Hannoniæ tantum vobis apud Magistratum & Religiosos Ordines accersiverit odium & persecutiones? Scio hæreses vobis aliquas fuisse immeritò adscriptas; sed error cui nimiùm adhæretis pertinaciter, animos addidit quibusdam vestris adversariis, ut Reos vos agerent etiam cæterorum: Vulgus quoque credulum indè faciliùs ducitur in suspicionem.

„ An conscientia tua, cujus teneritudinem in epistola causaris, non concutitur timore, ne tibi in Divino imputentur judicio tot mala, quæ Montensi vestro Oratorio evenerunt, quemadmodum tantorum privatio bonorum, & obices fructuum, quos vestra ministeria in Ecclesia peperissent?

„ Credisne excusationis tibi loco fore pertinaciam in adhærendo doctrinæ ab Ecclesia condemnatæ? Non tamen his terminis concluditur universa, quæ vobis imminet, malorum congeries. Dominatio, cui recenter subditi estis, minimè tollet mala pristina; superaddet autem nova veteribus haud leviora.

„ Quæ enim inter nos contentio est modò, Regem diu latére non poterit. Jansenismum ille, ut nosti, è Regni sui finibus proscripsit: Credisne quòd eundem patietur in acquisita nuper ditione subsistere?

„ Frustra vobis blandiamini fiduciâ conditionum, quibus Montensis Civitas Regi tradita fuit, ut salva manerent loci & Civium privilegia, leges, mores & consuetudines: hæc enim omnia, quidquid tibi alirer persuaseris, unicè concernunt regimen civile & politicum, administrationem justitiæ & Magistratûs: Quin etiamsi

eadem

„ eadem extendere placuerit ad leges, causas, & consuetudines scholasticas, & istiusmodi studiorum exercitia, nemo tamen sanæ mentis intelliget de conservandis & protegendis dogmatibus malesanis, erroneis, Ecclesiæ & statui perniciosis. Imò arbitror posse me absque errandi periculo asserere, quòd quantolibet Rex arserit occupandæ desiderio civitatis, majore tamen zelo ferveat religionis, ut quem Provinciis suis exulare voluit Jansenismum, non patiatur conquiescere, in novæ acquisitionis populo, & Oratorii Congregatione latè adeò per Gallias propagatâ. „

Hactenus P. Thorentier, Assistentis Generalis nomine, totum Oratorium administrans: cujus monitum, ut charitate & sapientiâ plenum est, ita Quesnellianorum pervicaciæ ullatenus excusandæ omnem aditum intercludit. Circa præsentem Articulum singulari animadversione dignum est, quod superiùs memoratur, fallacissimum axioma Novatoribus in ipso Oratorio familiare, *Totum veritati, si opus fuerit, Oratorium sponte consecrandum*.

Ubi *veritatis* nomine, ut solerter à Thorentiero advertitur, Novatores intelligunt damnatas suas ab Ecclesia opiniones. Easdem à Quesnello & ejus sectatoribus vocabulo *veritatis* in Propositione 92. accipi manifestum est: *Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*; *Observationes* enim suas Quesnellus non Theoricas, aut metaphysicas esse voluit; sed *morales*, utpote praxi & moribus accommodatas.

Quem autem locum in praxi & moribus hîc sibi fingere author potuit ut *proditioni veritatis* præferatur, excommunicationis & anathematis injusti tolerantia pacifica, si non de Propositionibus istud accipiat in sensu Jansenii condemnatis? Hujus enim Antistitis doctrina juxta Quesnellum, Arnaldum & utriusque asseclas, purissima *veritas* est ab Augustino Doctore maximo pridem tradita, à cæteris dein Patribus, Conciliis & Pontificibus consecrata. Proinde istud sibi persuadentibus omnia potiùs animo obstinatissimo perferenda sunt, quàm Janseniana *veritas* Alexandrinæ subscriptione Formulæ abdicanda.

Tanto novis illis Augustini discipulis Jansenii sensus in pretio est, ut nihil Ecclesia habeat tam Sanctum, cui non renuntiandum sit potiùs quàm *prodatur veritas* prætensa Jansenii, Catholicæ fidei dogmatibus contraria. Pro illa Arnaldum novimus ex non

ignobili in Galliis familia natum, Patriam, Amicos, Consanguineos, chara omnia deseruisse, varias oberrantem extra Galliam Provincias, ubique invisum, ubique expositum carceris periculo, præterquàm in subdita hæreticis ditione: & neque ibi subsistere cum Quesnello & sociis tutò potuit propter frequentia Regem inter Christianissimum & Batavos dissidia.

Ut plurimos istiusmodi præteream prætensæ veritatis Confessores, ac ferè Martyres, quos ad Jansenianæ Ecclesiæ gloriam refert & magnificè laudat Gerberonius toto libro cui titulum fecit *l'Eglise de France affligée*, *Ecclesia Galliarum afflicta*, Ludovico Decimoquarto persequente non absimiles Calvinianis Sanctos Jansenii discipulos, qui quidem magistrum sequuntur in dogmatibus hæreticis; sed non in Christiana humilitate, atque erga Summum Pontificem obedientia, cum plena scriptorum omnium submissione.

Omittere nequeo funestissimos effectus, quos haustâ ex novo Evangelio, patientiâ & pertinaciâ in prætensa Jansenismi veritate invitis superis retinenda, mox videbimus in Portus-Regii Monialibus, & omnis mirabitur posteritas. De his capite proximo.

CAPUT XXXI.

Fructus institutionis & pertinaciæ Jansenianæ in Portus-Regii Monialibus conformis Propositioni 92.

1 PRæmonendus es Lector, geminos fuisse Portus-Regii Conventus Monialium Ordinis Cisterciensis: unum Parisiis, alterum foris, atque hunc subditum Abbatissæ Parisiensi; quia quæ rurale Monasterium occupabant, Urbanis junctæ antea in Civitate fuerant, & ab eis propter multitudinem nimiam separatæ.

Alterum est, Moniales Jansenianas bis fuisse rurali Monasterio expulsas, bis privatas Sacramentorum participatione. Primum earum exilium contigit anno 1664. Alexandro VII. Pontifice, propter rebellionem contra ejusdem Pontificis Constitutiones: Alterum anno 1709. cui occasionem præbuit Monialium pertinacia contra Constitutionem Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth*. Prius exilium brevioris temporis fuit, utpote minus quàm biennio terminatum.

Liberationis tam celeris ratio non fuit conversio exulum, quam minimè sperari posse modis omnibus frustra adhibitis deprehensum est; sed periculum subversionis in aliis, quibus per varia dispersæ Monasteria miscebantur. V Post

Post reditum, qui fuit anno 1665. eum nil emendationis contulissent, sed obfirmationem in pertinacia, mansit suspensio à Sacramentis, donec mortuo Alexandro VII. cui successit Rospigliosus, assumpto nomine Clementis IX., quandam reconciliationis speciem Janseniani fraudibus obtinuerunt. Decepto scilicet Pontificis apud Parisienses Nuntio persuasum fuit, Jansenistas hactenus rebelles, tandem Antistitum quorumdam studiis ad obedientiam & sensum Catholicum reductos esse, paratos subscribere Alexandrinæ Formulæ simpliciter & absque exceptione, quod hactenus detrectaverant.

Subscripserunt reipsâ; sed subdolè: & jurejurando roborata subscriptio est; utque melius adornaretur fallacia, junxêre callidè literas tradendas Pontifici Maximo, quasi omnimodæ suæ erga Apostolicam Cathedram obedientiæ testes, interea dum clanculariis ipsi inter suos protestationibus destruebant, quidquid videbantur publicis professionibus ædificare. Fraudis se inscium fuisse declaravit postea Nuntius. Interim eo circumvento, facile perfidis fuit reconciliari exteriùs Pontifici.

Fructus perfidiæ fuit, ut remanenti & novis semper obstinationis accessibus aucto rebellionis crimini, innumerabilium adderent sacrilegiorum multitudinem tot annorum tempore divinis participando Mysteriis, mente semper schismaticâ, & hæresi affixa Jansenianæ.

Detecto postmodum dolo, iterata fuit Sacramentorum interdictio, & tandem cum omnis Monialium istarum videretur desperata correctio, destructum funditus, jussu Regio, Clemente XI. permittente, rurale Monasterium fuit, cum violato infinitis Virginum fatuarum Sacrilegiis templo.

Ultima Jansenianis illis Monialibus occasio declarandæ suæ contra Ecclesiam rebellionis fuit Constitutio Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth*. Postquam Galliæ Clerus in Comitiis Generalibus pronâ eam obedientiâ amplexus est, uti & clarissima Sorbona, impositum eisdem Monialibus ab Archiepiscopo suo Cardinale de Noailles fuit, ut suam ipsæ quoque jungerent submissionem. Verùm hæc nimium gravis, & aperta eis videbatur Jansenianæ *proditio veritatis*, cujus defensioni omnia sibi semper duxerant conseceranda.

Nihil à Sacerdotibus & Theologis Catholicis prætermissum est, quod ad flectendas mulierum duriores virilibus cervices posset conducere. Sed neque Archiepiscopi, neque Sorbonæ, neque Cleri Christianissimi, neque totius eis assentientis Ecclesię authoritas satis ponderis habuit, ut vel unius domûs mulierculas Scripturarum sibi Patrumque intelligentiam præ omnibus arrogantes, à præconceptis erroribus, quantumlibet impiis, atque hæreticis, reduceret.

Audienda est Monasterii Parisiensis Abbatissa in Libello supplice, quem Regi Christianissimo obtulit contra suarum ruralium rebellionem, & in erroribus pertinaciam; unde ad Janseniani receptaculi destructionem videtur Rex ultimò determinatus.

Sic itaque Abbatissa inter cœtera ait:"Si „ Moniales istæ non adeò aspernatæ fuissent „ Mandatum Eminentissimi Archiepiscopi, „ recusando exequi, quod etiam Senatus „ decreverat, spes forsitan aliqua superesser, „ fore ut succedere tandem posset, quod „ mihi semper proposui, juxta piissimam „ Majestatis Tuæ intentionem, ut charitate „ & mansuetudine devincirem mihi depravata erroribus ingenia, & præoccupata „ miserè à quibusdam Presbyteris adversus „ Ecclesiam notoriè rebellibus, qui toto annorum quinquaginta spatio abusi sunt infirmitate sexûs fœminei, ipsâque conscientiarum teneritudine ut dolosis rationibus „ persuaderent, facturas rem Deo gratissimam si Potestati resisterent Ecclesiasticę „ & temporali.

„ Quandoquidem autem summo meo „ dolore conspicio conatus meos omnes irritos cadere, & spes inde conceptas periisse, dum refractariis istis fixum animo est, „ extrema quæque experiri, ut in rebellione permaneant, ad Regiam Tuam cogor „ protectionem recurrere, ut decernere dignetur media terminando schismati, & „ scandalosæ adeò rebellioni maximè opportuna. Duo solummodo in mea potestate sunt; sed obnoxia malis gravibus, „ quibus sola potest Majestatis Tuæ authoritas obviare.

„ Primum quod à me tentari posset remedium, apparet, si omnes quæ officiis ibi „ præsunt, deponam, submissis in earum „ locum aliis ex Monasterio Parisiensi. Verùm quid tali meâ fieret dispositione, quando Monialibus istis animorum satis est, & „ audaciæ, ut despicere non vereantur authoritatem non solùm Eminentissimi Archiepiscopi, cui etiam ut præposito & Moderatori subditæ sunt; sed ipsius quoque „ Summi Pontificis refragari definitionibus, „ quas universa Christi Ecclesia omni submissione suscepit? Neque satis est illis detrectare obedientiam; sed gloriam inde sibi vindicant & meritum, quasi patientes „ pro-

„ propter justitiam, & pro veritate marty-
„ res. Omnium autem Pastorum voces, tan-
„ quam Satanæ suggestiones respuunt, &
„ aversantur.

„ Tam mirabilem perspectam habens Mo-
„ nialium istarum agendi modum & pertina-
„ ciam, confidere nequeo, futurum ut aliquid
„ defeant, sive Abbatissæ sive Priorissæ sive
„ aliis mittendis à me Officiorum administris;
„ & verisimillimum est, eas non aliter à re-
„ fractariis excipiendas in Portus-Regii Mo-
„ nasterio rurali, quàm anno 1664. & 1665.
„ fuerint in Parisiensi Præsides & Officiales
„ ab Archipræsule Perefixio constitutæ.

„ Modus alter superest, ut omnes ex ru-
„ rali ad Parisiense Monasterium transferan-
„ tur. At multùm dubito, utrum expediens
„ foret obedientibus, quales hîc sumus uni-
„ versæ, miscere turbam rebellium, quarum
„ declarata palam pertinacia tot annos eis
„ accersivit luctuosissimam à Sacramentis
„ suspensionem. Periculum foret, ne rebel-
„ lionis spiritus aliquando glisceret in junio-
„ res aliquas faciliùs corrumpendas. Inter
„ incommoda minimum, quod in eadem do-
„ mo apparet inevitabile, foret divisio ani-
„ morum, & schisma refractarias inter &
„ obedientes, non levibus obnoxium scan-
„ dalis.

„ Exemplum omnibus notissimum est an-
„ ni 1665. propter quod necessaria tunc ju-
„ dicata est fatuarum Virginum à prudenti-
„ bus separatio.

„ Quæ cum ita sint ad Tuum Rex Chri-
„ stianissime thronum supplex accedo, quàm
„ possum humillimè deprecans, ut decerne-
„ re dignetur, quæ judicaverit necessaria
„ aut convenientia ad imponendum dissidiis
„ inter duo Monasteria nimis diu durantibus
„ finem juxta sanctionem datam 3. Augusti
„ proximè præteriti. Quo immortali benefi-
„ cio ego & tota Parisiensis religiosa nostra
„ familia obstringemur ampliùs ut attolla-
„ mus ad cœlum manus, illudque votis om-
„ nibus ac precibus ardentissimis solicitemus
„ ut Majestatem Vestram diu sospitem &
„ hostibus suis omnibus superiorem servet.

Signatum erat *Maria Ludovica Francisca de Rousselet de Chateaurenault Abbatissa Monasterii Divæ Virginis*, vulgò *Portus-Regii*.

Accepto Libello supplice, Rex Christianissimus statuit finem dissensionibus & scandalis, quacunque ratione, seu modo efficacissimo imponendum.

Cùm autem media hactenus omnia obstinatio Janseniſtarum callidissimis instructa fraudibus elusisset, neque videretur speranda unquam rebellium conversio, quamdiu mutuis inter se colloquiis, aut perfidorum consiliis magistrorum foveretur pertinacia, cumque non mederetur satis dispersio per varias domos, aut etiam carcer singularum maximè solitarius, quamdiu ipsum staret Portus-Regii Monasterium, ad quod aliquando redeundi spes, contumaciam aleret; censuit Rex Sapiens, hanc ipsis spem penitus adimendam, totius, cum aliter non posset, Monasterii ac templi ad ima usque fundamenta, destructione.

Optatum nacta est resolutio effectum, nam è viginti duabus Monialibus, ad quas redactus fuerat numerus, aliàs longè frequentior, pleræque primi spatio biennii, studio Catholicorum Antistitum, depositâ obstinatione, Ecclesiæ sunt reconciliatæ, & salutiferis restitutæ Sacramentis.

In Abbatissæ Libello supplice vidimus Virgines fatuas sic ex Quesnelli Articulo præsenti profecisse, ut Sacramentorum privatio ab ipsis sibi gloriæ verteretur, & non exiguo merito, quasi *paterentur propter justitiam, & pro defensione veritatis coronarentur martyrio*. Hinc quoque colligimus traditum à Quesnello dogma, non merè Theoricum esse, sed ad praxim maximè pertinere, ad animandam in suis utriusque sexûs discipulis contra omnes Ecclesiæ censuras, & pœnas quaslibet pervicaciam, ne Janſenianam *prodant*, seu deserant *veritatem*, quia *pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem*.

CAPUT XXXII.

Documenta, Monita, Orationes ad obdurandas Portus-Regii Moniales, ab earum seductoribus composita.

1 IN supellectile chartarum, quæ penes Moniales illas extitit, erant documenta quædam ad præsentem attinentia Propositionem, & perquam idonea nutriendis in schismate rebellibus, contempta Sacramenti Sanctissimi privatione. Lacinias hic paucas refero.

„ Nihil est, quod magis natum sit affige-
„ re Christianum, quàm remotio à Sacra-
„ mentis, præsertim Eucharistico, quo con-
„ tinetur, quidquid dulcedinis in vita Chri-
„ stiana est. At quidquid etiam moliantur
„ homines, ut Christum nobis auferant, la-
„ bor omnis frustraneus est; auferre enim
„ nobis illum nequeunt, cùm teneamus &
geste-

„ gestemus pectore, si amemus: Afflictiones „ ipsæ amori huic serviunt accendendo magis. Vult Christus Divinam præferri, ut „ præfert ipse suo Sacto Corpori, veritatem, „ securas simul esse nos jubens, futurum ut „ omnia chatitas suppleat. Omnis nostra „ Sacramentorum privatio utilis est ad augendum in nobis Jesu Christi desiderium, „ ad nos ipsi uniendas magis, & copiosioribus cumulandas benedictionibus. „

Percipis Lector, quod alias monui, non accipiendum Quesnelli Articulum, velut metaphysicum, quasi casum respiciat mere possibilem; sed ut ipso Operis sui titulo præfertut, partem esse *Observationum Moralium*, & ad *Evangelii Ethicam*, atque exercitium pertinere, quod ubiuam locum obtinet, nisi in excommunicationibus, vel privationibus Sacramentorum propter pertinaciam in retinenda mordicus hæresi Janseniana, quæ sectatoribus & potissimùm sectatricibus *veritas* divina est, & rebus omnibus, quæ in mundo sunt longè pretiosior, si quidem *Christus ipse eam Sacro suo præferens corpori, præferre etiam nos docet*, adeò ut veritati, quæ Romanam deserens Ecclesiam, ad solum se recepit Jansenistarum conventiculum, Sacramenta omnia libentissimè immolanda sint, & sine Viatico, sine unctione Sacra, sine precibus Sacerdotis & Ecclesiæ suffragiis emoriendum potiùs, quàm Janseniana hæresis, specioso adumbrata nomine veritatis, à novis Augustini discipulis deserenda.

Aliud eodem spectans datum rebellibus solatium & incitamentum ad pertinaciam est, quod subjungo:

„ Si novum est interdici Monialibus Divi„ ni participationem Corporis ob rationem, „ quæ pro interdicto nostro obtenditur; non „ tamen novum, neque insolitum est, pro„ hiberi Sanctis usum Sacramentorum, quin „ & privari eos Fidelium communione. Mi„ nimè mirum est, si quod accidit, quando „ tam Sancta erat Ecclesiæ gubernatio, & tot „ Sancti numerabantur Episcopi, contingere „ videamus etiam hoc tempore inter tot vi„ tia, in tanta rerum omnium confusione & „ corruptela „: quando, si quid pristinæ supereft Sanctitatis, in solo residet, & persecutionem patitur rurali Portus-Regii Monasterio, ejusdemque fœderis dispersa hinc inde exigua Electorum multitudine.

Pro praxi insigne adhuc sequitur monitum solatio Janseniano plenum. " In ea pri„ vatione ponendus ob oculos est Joannes „ Baptista, qui annos triginta transigere vo„ luit à Christi facie separatus: exemplum „ considera Sancti Pauli Eremitæ, qui annos „ ferè centum vixit in deserto, itaut neque „ Eucharistiam unquam sumpserit, neque ul„ li interfuerit Missæ Sacrificio, aut aliam „ exercuerit actionem exteriorem, quæ vide„ retur communionem habere cum Ec„ clesia „.

Quid contra virgines fatuas talibus imbutas monitis & documentis, poterant Episcopi, quid summus Christi Vicarius efficere, ut rebellioni implicitas ad obedientiam revocarent? quod inter supplicia maximè formidandum habet Ecclesia, & remedium adversus crimina præsentissimum hactenus censebatur, inutile ad retrahendum ab hæresi reddidit novorum hypocrisis asceticorum, pœnas execrentium in gloriam, remedia in venenum.

Aliud de Joanne Baptista exemplum ad confirmandam in hæresi pertinaciam placuit Nestorio Cœlestium literis consolanti: *Noli* (inquit) *ægreferre Venerabilis, perferens* fortiter persecutionem patiendam, *præsertim asserentibus veritatem...Quia & sanctis, qui ante nostram ætatem extiterunt, gratæ fuerunt ærumnæ: & ipsæ quidem temporales erant; veritas autem æterna. Sic Joannes Baptista de peccato arguens Herodem, & quidem Regem existentem, capite condemnatus est; sed non formidavit; Christum enim habebat caput; quod non posset abscindi. Sic Paulus hoc modo quoque & Petrus interfecti sunt. Et quid ampliùs dici opus est? Ita actum est semper per diversas tentationes pietate currente. Noli igitur à veritate deficiens, eam prodere.*

Excommunicatio scilicet & anathema, quo Nestorius & Cœlestius feriebantur, injustum eorum judicio erat, ut solet pœna sectatum omnium à reis iniquissima reputari, utpote propter justitiam & veritatem hæreticam illata. Quapropter, inquit Nestorius, nos talibus Joannis Baptistæ, Pauli Apostoli, atque ipsius Apostolorum Principis roboratos exemplis, non decet ad vitandum istiusmodi anathema *prodere veritatem*. Illud potiùs pati fortiter, & pacificè, *est imitari Sanctum Paulum &c.*

Non temerarius videbitur, qui Quesnellum, sicut in cæteris passim hæreticorum veterum & recentium sectatorem, existimaverit hanc Nestorii legisse sententiam & ab eo mutuatum. Similis jactata fuit à Theodoreto constantia, quando Nestorio adhæsit adeo pertinaciter, ut maximè singulare Divinæ misericordiæ beneficium & potentissimæ effectus gratiæ prodigii instar visa fuerit ejus conversio.

Sic nempe ipse scripserat hæresiarchæ Nestorio: *Nullus tua persuadeat Sanctitati, quod*

quod ego Præful esse desiderans, clausis oculis, velut recta dogmata, Ægyptiaca (Cyrilli) *scripta susceperim .... His autem quæ contra tuam venerationem injustè, atque iniquè patrata sunt, nec si mihi utramque manum quis abscinderet, potero præbere consensum, Divinâ procul dubio mihi cooperante gratia, & infirmitatem animæ sublevante .... Nullum tempus nos per Divinam gratiam, commutatâ fide, nec polypodas, nec chamæleontes ostendet, quod illi quidem petras, hi verò folia juxta colores proprios imitentur.*

Idem Scribens Andreæ Constantinopolitano Nestorianarum partium Monacho abuti sacrilegè ausus est Pauli sententiâ, *Fidelis autem Deus, qui non patietur, neque nos, neque vos tentari, supra id quod possumus;*

Ista Theodoreti in Nestorii defensione obstinatio, neque superbum minùs, quàm temerarium promissum, de ea nullo tempore, quocumque etiam intentato supplicio, dimittendâ, occasionem ingerit digressioni.

Quantumlibet novæ hæresios magistri discipulis inculcent necessariam in acceptis dogmatibus constantiam, neque bonorum temporalium jacturâ, neque pœnis gravioribus infringendam ut in se receperat Theodoretus ambarum potiùs abscissionem manuum subiturum, quàm Nestorio dicturum anathema, paucissimos tamen è novarum partium sectatoribus reperias, qui pingui spoliari malint beneficio, vel officio, quàm anathema dicere Janseniano volumini & traditis in eo damnatisque dogmatibus.

In ipso extitit Theodoreto exemplum memorabile timoris utilissimi, pertinaciam, ut videbatur, insuperabilem, dejicientis. Prolixa eadem; sed tamen dignissima relata est historia ex Chalcedonensi Concilio Act. 8.

„ Residentibus omnibus ante Cancellos Sanctissimi Altaris, Reverendissimi Episcopi „ clamaverunt: Theodoretus modò anathe- „ matizet Nestorium.

„ Theodoretus Reverendissimus Episco- „ pus transiens in medio dixit: Preces ob- „ tuli Imperatori, & Libellos obtuli Reve- „ rendissimis Episcopis agentibus locum Ar- „ chiepiscopi Leonis: &, si vobis videtur, „ legantur coram vobis, ut sicut sapio, co- „ gnoscatis.

„ Reverendissimi Episcopi clamaverunt, „ nihil relegi volumus: modò anathema- „ tiza Nestorium.

„ Theodoretus dixit: Ego per Dei gra- „ tiam ab orthodoxis sum nutritus, & ortho- „ doxa docui; & non solum Nestorium & „ Eutychen; sed & omnem hominem, qui „ rectè non sapit, aversor, & alienum exi- „ stimo.

„ Episcopi clamaverunt: clarè dic anathe- „ ma Nestorio & dogmatibus ejus.

„ Theodoretus dixit: verè non dico, nisi „ quod modo novi Deo placere, priùs satis- „ facio vobis ... Calumniam passus sum: om- „ nem hæreticum anathematizo, Nestorium „ & Eutychen & omnem hominem opinan- „ tem duos filios, anathematizo.

„ Episcopi clamaverunt: Dic apertè ana- „ thema Nestorio.

„ Theodoretus dixit. Ego nisi exposuero, „ quomodo credo, non dico. *Credo autem:* „ & cum diceret: Episcopi clamaverunt: Iste „ hæreticus est, iste Nestorianus est: hære- „ ticum foras mitte.

„ Theodoretus Reverendissimus Episco- „ pus dixit; Anathema Nestorio, & ei qui „ non dicit Dei Genitricem Mariam: atque „ in duos filios partitur unum filium unige- „ nitum.

„ Judices dixerunt, omnis jam dubitatio „ de Theodoreto est soluta; quippe Nesto- „ rium coram nobis anathematizavit.

„ Omnes Episcopi clamaverunt: Theodo- „ retus dignus est Sede Ecclesiæ: orthodoxum „ Ecclesia pastorem recipiat: Theodoreto „ Catholico Doctori reddatur Ecclesia. „

Necessarium non fuit ad flectendam Theodoreti contumaciam *utriusque manus abscissionem* minitari, sola cum anathemate suffecit Episcopatûs intentata privatio.

O! si quod simile hoc nostro tempore malis nostris decerneretur remedium, probabilis apparet plurimorum opinio, pari illud non destituendum effectu; si nempe Constitutionis UNIGENITUS adversariis, quantumcumque se imperterritos ostentent & feroces, electio proponeretur, aut diplomatis admittendi, aut dimittendi Beneficii, & privatam inposterum vitam extra fidelium communionem, extra Principis gratiam ducendi ingloriè, quantumlibet immortalem in nova Ecclesia gloriam promitteret schismaticorum manipulus, paucissimos invenires novi exercitus heroes, adeo fatuè generosos, ut miseri esse mallent, omnibus odio Potestatibus, toti execrabiles Ecclesiæ; quàm contra Quesnelli & Jansenii hæresim obedientes, cum cæteris loqui fidelibus, forsitan & sentire.

Aliud pro Monialibus Portus-Regii monitum legitur: " Expectanda vobis est ex- „ communicatio; verùm non video quid ea „ vobis afferre valeat magis terrificum, „ quàm quod toleratis hactenus, aut quæ ra- „ tio movere vos magis debeat ad obedien- „ dum Pontifici, quàm moverit aliàs ad pa- „ rendum Archiepiscopo... Asseri nequit abs-

que

„ que hæresi, aut potius quadam specie idololatriæ, quod ratio, quæ vos obsequi non sivit Parisiensi Antistiti, non impediat eadem obedire etiam nunc sive Papæ, sive cuicumque Episcopo. „

Aliud non minùs idoneum ad fovendam Monialium contra omne anathema obstinationem est, quod sequitur. " Quando „ amor Dei diffusus est in cordibus nostris, „ non est in potestate omnium simul nos „ persequentium, eundem evellere; quamdiù „ autem amor ille in nobis est, non solùm in „ Ecclesia sumus; sed ipsamet Ecclesia. At „ mali eo carentes possunt esse in Ecclesia, „ atque in sublimi quidem gradu positi; verùm ipsa propriè Ecclesia non sunt. „

Moniales Portus-Regii frustra Christus admonuit, audiendam esse Ecclesiam, atque ei rebelles habendos esse velut Ethnicos & publicanos: Quæcunque Pontificis, quæcumque Episcoporum jussio Jansenianæ deprehenditur contraria hæresi, recipienda non est, quidquid excommunicationum in eos detonet & anathematum. *Injusta* enim omnia necesse est reputari, quæ Augustinianæ, ut à Jansenio exponitur, non sunt consona veritati.

Amor Dei rebellibus istis ad omnia sufficit; sed qualis ab omnibus jactari solet hæreticis, quando summos Ecclesiæ Præpositos aspernantur. Neque periculum eis est, ne ab Ecclesia expellantur, dum ipsamet Ecclesia sunt; unde necesse est ab Ecclesia separari, quotquot ab illarum communione Monialium divelluntur.

Ab ipsis Janseniana secta incunabulis eò collimavit, ut vera Christi Ecclesia, desertis Romanis, in solis Sancyrano, Barcos ejus nepote, Jansenio, Arnaldo, Troyes, Claudio Seguenotio, & secutâ ab illis institutionis propagine consistere crederetur.

Istud suis Sancyranum sectatoribus proponere solitum, jurato accepimus testimonio Joannis de Jovaud Abbatis & Secretarii Generalis Ordinis Cisterciensis, quod à Superiore interrogatus Potestate dedit anno 1638. Refert Sancyranum de statu præsentis Ecclesiæ sic disseruisse. " Rogabat Sancyranus, quid „ Ecclesiæ nomine intelligis?

„ Respondebam, cœtum fidelium compositum ex Summo Pontifice, Prælatis, Doctoribus, Presbyteris, Religiosis & populo.

„ Sancyranus autem, O quantum (inquit) „ remotus à veritate es! Ecclesia iis tantùm „ rebus consistit, quæ fuerunt ante sex secula superiora: præsens congregatio Pontificis, Prælatorum, Pastorum, Doctorum, Religiosorum & populi, quos videmus vivere sub iisdem legibus, non alio sensu dici potest Ecclesia, quàm quòd in locum veræ Ecclesiæ successerit; quemadmodum aqua cœnosa & fœtida eundem alveum „ occupans, quem olim aqua limpida & salubris, ejusdem fluminis nomine appellatur. Neque hæc Ecclesiæ corruptio solùm „ in moribus est; sed in pluribus etiam dogmatibus.

„ Perpauci sunt, qui Ecclesiæ filii dici mereantur. Si me audire & sequi constituis, „ evidenter tibi ex doctrina Patrum & Conciliorum demonstrabo, usque quæ secula duraverit vera Ecclesia; quo tempore destrui cœpta sit. Tempus ædificandi, tempus destruendi: Deus ipse Ecclesiam dissolvit: tempus ædificandi transiit. Episcopi, Ecclesiastici, Religiosi plerique spiritu Christianismi, spiritu gratiæ & Ecclesiæ destituti sunt. „

De eodem Novatore Illustrissimus Isaacius Habert Vabrensium Episcopus in sua Fidei Catholicæ contra Jansenianos defensione par. 2. pag. 20. ait. *Nunquam discipulos initiandos suscipiebat, quin inciperet à depressione, reprehensione & contemptu doctrinæ communis, ingeminanda oculis clausis, retorto capite, elatâ manu, gestu severo, & quodammodo repellente: Ignorantia, tenebræ, errores stupendi, cæcitas ubique*; Præterquam scilicet in Sancyrano, & institutis ab eo utriusque sexûs discipulis; nam de suis quæ enuntiaret dogmatibus auditus sæpius jactâre est, ut habetur ex jurato Secretarii Generalis Cisterciensium testimonio, cujus partem superiùs retuli, *quod ea non ex Libris didicisset; sed legeret in ipso Deo, qui est veritas æterna, quodque in omnibus sequeretur ductum interiorum illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi identidem à Deo suggeri sentiebat*. Ibid. *Tanta* (inquiebat Sancyranus) *discernendarum mihi est prærogativa animarum, ut quas semel observavi, dignoscam electæne à Deo sint, an reprobatæ*.

Quæ mulier directoris adeò sapientis, Sancti & cælitus illuminati non gaudeat institui documentis?

Insinuare se noverat Sancyranus Monialibus Portus-Regii, quas tempore non multo ad eam redegit insaniam, ut præter ipsum ejusque sectatores audirent neminem, atque supra universam sui seculi saperent Ecclesiam.

De Arnaldi Sorore ita testatus est Lingonensis Episcopus anno 1638. die 11. Julii Supremo Franciæ Cancellario, & antea Literis ad Macloviensem Antistitem datis " Itarapie-

„ rapiebatur Maria Angelica colloquiis Sancyrani, ita iis mentem impleverat, ut non „ loqueretur, nisi de Ecclesia primitiva, de „ Canonibus, de consuetudinibus primorum „ Christianorum, de Conciliis, de Patribus, „ præcipuè de Sancto Augustino.

„ De tam incongrua cum proximis agendi ratione edoctus, monebam Mariam „ Angelicam: sed profectu exiguo; nam & „ me ipsum iisdem sermonibus detinebat, „ identidem memorans S. Augustinum de „ gratia, & S.Paulum de Prædestinatione. „

Monialis hæc quamdiu Portus-Regii campestre Monasterium stetit, culta ibi fuit honore præcipuo inter omnes Sancyranæ institutionis beatas; imò in Portus-Regii Kalendario inter dies præcipuè memorabiles, de illa Angelica plures legimus, quàm de ceteris simul omnibus istius Monasterii virginibus Jansenianâ sanctitate conspicuis.

Die 8. Septembris celebratur, memoria nativitatis ejus & baptismi, qui fuit anno 1591. Die 27. Octobris anniversarius est primæ professionis emissæ anno 1600. cum annum ageret ætatis nonum: biennio post benedicta fuit Portus-Regii Abbatissa. Benedictionis dies in Kalendario notatur Septembris vigesimus nonus. Mense Majo die 7. legitur secunda professio, quæ fuit anno 1609. Denique die 6. Augusti memoria recolitur obitûs, qui fuit anno 1661. ætatis 69. & 11. mensium.

Quandoquidem Alexandri VII. Constitutio incipiens *Regiminis Apostolici*, quâ juramenti Formula omnibus Ecclesiasticis, etiam Monialibus præscribitur contra Jansenianam hæresim, prodierit solùm anno 1664. patet Mariam Angelicam prius è vitâ migrasse, atque ita ad hanc regulam non potuisse religionem ejus & obedientiam explorari. Superstitum verò contra juramentum illud & Pontificium Regiumque mandatum rebellio famosa fuit, animata quatuor exemplo Antistitum, quorum unus non ultimo numerandus loco fuit Henricus Arnaldus Andegavensis Episcopus dignus Antonio Arnaldo Frater. Consecrationis ejus dies anniversarius incidens in 29. Junii referri in Portus-Regii Kalendarium meruit.

Alius inter Sanctos illos magis celebris à novis Augustini discipulis prædicatur, ut mirabilis Taumaturgus, plurimis se invocantibus beneficus. Non dubito quin misericordia Dei superexaltet judicium, & quantumlibet fundatum appareat dictum vetus, pœnitentiam seram rarò esse veram; tamen etiam aliquos singulari Dei clementiâ in vitæ termino converti, historiis quibusdam partim certis, partim verisimilibus comprobatum est.

Specimen clarissimum mortalibus etiam peccatoribus ne desperent existere servator voluit in uno ex duobus secum pendulis, qui cùm vitam in latrociniis consumpsisset, in fine tamen victricis auxilium gratiæ consecutus, pœnitentiam egit, quæ salutem in eo stabilem & perpetuam operata est.

Fieri itaque potuit ut Jansenianus aliquis Antistes post simulatam aliàs perfidè conversionem, post subscriptionem etiam Formulæ contra apertissimum ejus sensum, atque adeo contra mentem Pontificis, juramentum candidum exigentis; antequam tamen exhalaret animam, crimen perfidiæ detestatus fuerit.

In hac hypothesi potuit defuncti apud Deum valere intercessio, pro gratia se invocantibus impetrandâ.

At cum in eo neque ullum apparuerit pœnitentiæ de crimine jam palam noto indicium, neque abdicatæ, sicut oportuit, hæresios Jansenianæ; imò præcipui Sanctitatis ejus mirificæ præcones eum velut exemplar constantiæ in retinendo Jansenii systemate magnificè ostentare soleant, ignoscere nobis pariter debebunt, quod istiusmodi seu prodigia seu beneficia ejusdem post obitum, ut ajunt, obtenta patrocinio veluti partim à versipellibus Jansenistis, ad hæretici confirmationem erroris, sacrilegè conficta, partim à simplicibus nimis leviter credita, inter apocrypha rejiciamus. Dum viveret notus potissimum sectatoribus suis, in Jansenii dogmatibus obsirmatus, fucata ejus sanctitas, velut scutum inexpugnabile proponebatur Portus-Regii Monialibus, quo omnia Pontificum contra novam hæresim fulmina cassa redderentur & irrita, unde non minùs elisa corruerent; si in tenaces Jansenismi virgines contingeret evibrari.

Inter monita à me referri cœpta reperitur etiam hoc decimum quintum: " Quanta „ consolatio, sorores dilectissimæ, est scire, „ quod omnium qui in mundo sunt Episcoporum Sanctissimus, semper vos ad Altare præsentes habeat, quod vos reddat „ omnium participes Sacrificiorum, quod „ vos, ipsumque se vobiscum offerat, quoties offert æterno Patri unigenitum filium: „ quod approbet vestram agendi rationem, „ eique tribuat authoritatem!

„ Non poterit fides vestra in posterum „ condemnari, nisi feriatur eâdem damnationis sententiâ fides Sancti: non poteritis „ ampliùs de rebellione contra Pontificem „ & Ecclesiam accusari; nisi eodem Sanctus „ crimine involvatur. Non adhuc poterit superbia

„ superbia vobis tribui Diabolica; cum ejus
„ sequamini actiones, quo universus ordo
„ Antistitum nihil habet submissius. Si in-
„ torqueatur excommunicatio, sat vo-
„ bis debet esse solatii, quod sciatis, vo-
„ bis esse cum illo sancto communionem,
„ eumque vos semper in suo gestare corde,
„ quo complectitur Christum Dominum.

„ Edita ab illo Pastoralis institutio, seu
„ Decretum, vobis clypei instar esse debet,
„ contra omnes impetus, & insidias inimi-
„ corum. Exemplum ejus & sapientiam op-
„ ponere debetis rationibus omnibus frivo-
„ lis, quæ vobis ad labefactandam vestram
„ constantiam objicientur, & simul rejicere
„ qualecumque suboriri vobis possit de
„ actionibus vestris dubium; quandoquidem
„ certissimum vobis esse debeat, ejus vobis
„ esse sectanda vestigia „.

Sic unus in Janseniano sensu retinendo obstinatissimus, ideoque Portus-Regii Sanctis adscribi meritus, norma omnibus illius sectę tutissima est quę prçvalere debeat Summi Pontificis & Episcoporum omnium authoritati. Fierine potest ut homines rationis compotes ad eam, novitatis libidine, redigantur insaniam?

Verùm quid ampliùs mirer ignoro: num credulas adeò reperiri tot mulieres, an viros & Theologicâ gloriantes peritiâ, etiam mysticâ, non malevolos solùm; sed etiam impudentes adeo, ut talia scripto tradere audeant, & tantâ confidentiâ affirmare.

Finem impono Monitis Jansenianis, ad usum Portus-Regii conscriptis, ubi expendero quod ibidem legitur numero nono: " Si
„ quis vobis dixerit; Subscribite condem-
„ nationi Antistitis (Iprensis) etiamsi nescia-
„ tis, sitne justa, an injusta; Aliàs igno-
„ miniam incurretis inobedientiæ & pertina-
„ ciæ: sequetur dein excommunicatio; idem
„ istud est juxtà Gregorium Magnum, ac di-
„ cere: abnegate Jesum Christum, qui ipsa
„ est veritas, & eodem Christo nutriemini,
„ abjicite fidem, & mensæ fidelium accum-
„ betis: desinite esse Christianæ coram Deo,
„ & merebimini comedere panem filiorum
„ Dei „.

Jansenium, qui dogmata sua universa judicio Pontificis tum in Libro, tum publicis Testamenti tabulis plenissimè submisit, minime damnat Ecclesia; sed opiniones, quas si Pontifex aliquando reprobaturus esset, præviâ ipse sententiâ abdicavit. Propterea de ejus salute sperare longè melius cuilibet prudenti catholico licebit, quàm de Antistitis pertinacis, quantumlibet à Portus-Regii Theologis prædicati tanquam *inter omnes Episcopos Sanctissimi* cum plurium post mortem attributione prodigiorum.

Monitum proinde salubrius amplectamur Vincentii Lirinensis & simul Cardinalis Aguirrii. Ita prior in Commonitorio ad orthodoxos cap. 11. *O rerum mira conversio! Authores ejusdem opinionis catholici, consectatores verò hæretici judicantur: absolvuntur Magistri: condemnantur discipuli. Conscriptores librorum filii regni erunt; assertores verò gehenna suscipiet.*

Rationem reddit & applicat casui nostro Aguirrius in defensione Cathedræ Petri disp. 19. sect. 3. dicens: *Timeant igitur Sectatores Baji & Jansenii, quicumque ii sint, ne fortè utroque ipsorum Prodromo labe hæresios formalis exempto ob quandam bonam fidem, aut subjectionem animi erga judicium Romani Pontificis, ipsi è contra eam notam subeant instar Donatistarum, & æterno igne ardeant.*

Hinc discant Virgines istiusmodi fatuæ, quod prætensa unius sanctimonia Episcopi, ejusque in defendenda hæresi pertinacia minimè tutas reddere valeat imitatrices erroris.

Neque illic excusatio admittetur, quasi Virgines illæ ignoraverint, utrum justa fuerit an injusta, quæ contra Jansenii sensum, prout in ejus libro, & quinque excerptis indè Propositionibus exprimitur, lata à pluribus Pontificibus est sententia. Talis affectata non vacat crimine ignorantia. Lex enim lata à legitimo Principe, & legitimè promulgata, nesciri haud præsumitur, & hic nonnisi inanissimus ignorantiæ obtentus est, dum quod prælucente Apostolicâ Sede Ecclesia velut hæreticum detestatur, paucæ quædam mulieres cum Episcopo, & quidem alieno, retinere volunt, quasi catholicum. Janseniana hæc fallacia non hoc primum, aut elapso proximè seculo excogitata est: sed ab ipso pridem Hieronymo aptissimè confutata.

Quidam Origenis & Ruffini assecla, errores totâ disseminabat Urbe, semper ingeminans illud: Ita sentit Origenes. Aggreditur virum Hieronymus sciscitans ut refert in Apol. contra Ruffinum lib. 2. cap. 2. *Benè sentit* (Origenes) *aut malè? Nescio* (inquiebat Novator) *jurans Deo teste, quod usque ad præsens, certi aliquid & definiti de hac quæstione non teneret.* Tum Hieronymus: *Miraris, si contra te fratrum scandala concitentur; cum id nescire te jures, quod Christi Ecclesiæ se nosse fatentur?* Cur tanto studio inculcare omnibus conaris Origenis sententias, nescius sintne Catholicæ, an ab Ecclesiæ dogmatibus abhorrentes?

Jansenium ut Augustinum alterum celebrant

celebrant adverfarii, ubicumque candidè, quod fovent animo, eloqui conceditur, abfque punitionis periculo. Et quidem Portus-Regii Directores & Moniales, fi nefcivissent, essetne doctrina Janfenii orthodoxa, an hæretica, non inseruissent novo fuo Kalendario inter æternâ dignos memoriâ viros *Janfenium Epifcopum Iprenfem*, cujus mortem annuntiant die 4. Maii *1638*.

Cui perfuadere illæ poterant, ignotam fibi effe Janfenii de gratia doctrinam, quæ ut fuprà ex Lingonenfis Epifcopi teftimonio vidimus, non loquebantur nifi de gratia & prædeftinatione juxta S. Pauli, ut ajebant, fententiam, & Auguftini? Ab Arnaldo edoctæ indubiè didicerant, quod ait in Apologia Gallica pag. 92. *Deum, quemadmodum Salomoni ædificationem Templi, ita Janfenio refervaffe doctrinam de Gratia clariùs elucidandam*.

Verùm mendacifsima illa Janfeniani fenfûs affectata ignorantia, fraudulentis novę hærefios Doctoribus vifa fuerit pallium maximè idoneum, quo tum Monialium, tum juniorum etiam Sacerdotum contra Ecclefiam rebellio, & in hærefi pertinacia obtegatur; quoties fe urgeri viderint ad rejiciendas quinque Propofitiones non in fenfu fictitio, fed tradito in Janfenii volumine.

Lepida eft in hoc genere fallacia, quâ me circumvenire fperaverat unus è Duacenfibus Theologis, qui à Rege Chriftianifsimo ante annos aliquot expulfi in exilium fuerunt, derectis fcilicet à *falfo Arnaldo* eorum molitionibus, pro ftabiliendo in Academia, aliàs maximè Catholicâ, Janfenifmo.

Unus (inquam) ex illis totâ ditione Gallicâ exulare juffus, Lovanium fe receperat, ibi veluti Confeffor gloriofus ac penè Martyr benevolè exceptus in Adriani VI. Collegium à Præfide Gummaro Huygens, qui ab Innocentio XI. Pontifice & Carolo II. Hifpaniæ Rege fufpenfus etiamnum erat, & ufque ad obitum permanfit, ne Magiftrorum Regentium adfcriberetur numero. Is itaque Pontificii Collegii Præfes, minimè Pontificius, quomodo poterat non complecti benignifsimè tanti meriti exulem? Hic autem confpicatus prævalere Lovanii Theologos Catholicos, fperare non poterat Academicam promotionem. Quapropter amicorum confilio, in curam fe animarum ingerere conatus eft, ad quam blandis moribus, & modeftis utcumque compofitus videbatur.

Sed difficultas occurrebat non exigua, quod non appareret, quomodo pro Confefsionibus audiendis facultatem emungeret à Mechlinienfi Archiepifcopo Janfenianis adeò infenfo. Recens adhuc erat Duacenfis exilii memoria, neque verifimile erat nomen exulis Archiepifcopo & examinatoribus excidiffe, etiamfi faciem forfitan hactenus non vidiffent. Spes unica erat in me partim pietatis & mifericordiæ obtentu, partim precibus Monialium, partim ipfius candidati artibus decipiendo. Lovanium adveneram cum Archiepifcopo, cui eram à Sacris confefsionibus & intimis confiliis. Emittuntur ad me Moniales duæ ex iis, quæ ægris ferviunt in publico Nofocomio & liberam habent exeundi poteftatem.

Exponunt illæ, quanto poffunt encomio, zelum cujufdam Presbyteri in vifitandis ferè quotidie infirmis, confolandis & ad omnia Chriftianorum hominum officia, pœnitentiam præcipuè inftituendis. Verùm (inquiebant), deeft ipfi hactenus facultas Archipræfulis pro adminiftrando Pœnitentiæ Sacramento, quam fi confecutus fuerit, pollicetur, fore ut ægrorum folatio & faluti, fummâ fe diligentiâ impendat. Nomen callidè fubticebatur, cujus ut ftudiofa apparebat reticentia, finiftræ mihi fufpicionis occafio fuit, magis etiam quòd, ubi quærerem tam pii nomen Presbyteri, tergiverfari miferas confpicerem, & facies verecundiâ fuffundi. Dein nominis primam folummodo fyllabam hallucinando trepidè efferunt, mox & partem aliam, fed corruptè, quafi nominis haud fatis memores.

Audito ego nominis initio, facilè affequebar reliquum: tunc nomen, ut erat, enuntians, hiccine, inquiebam, eft pro quo approbationem petitis? Hærebant illæ iterum paulifper retentæ pudore, tandem voce tremulâ confitentur. Nefcitis, reponebam ego, Presbyterum illum effe inter Janfeniftas Duaco à Rege Galliæ ejectum; imò retentis intra fines regni ceteris, toto excedere juffum Franciæ Dominio?

Novimus, inquiunt, in hanc incidiffe miferum calamitatem, occafione fratris fui natu majoris, qui familiaris aliquibus non bonæ famæ Doctoribus deprehenfus, in fufpicionem fecum traxit infeliciter juvenem, tunc inter Theologos adhuc tironem. Nos autem, Reverende Pater, fecurum te reddere poffumus de juvene hoc Presbytero, effe minimè Janfeniftam.

Quibus ego, hominem, ajebam, mihi ignotum non damno; fed neque damnare poffum judicium Regis Chriftianiffimi. Fieri quoque potuit, ut error aliquis in hoc judicium irrepferit. Non finit tamen prudentia, me intercedere apud Archiepifcopum pro viro hac notato infamiâ, nifi is mihi fuam innocentiam probaverit. Ne acta quidem Dua-

censia, & quidquid præteritum est, discutio; si nunc saltem bonæ frugis & fidei se esse ostenderit, nihil ampliùs requiram. At unum vos moneo, ut ei seriò denuntietis, quòd si Jansenismum animo foveat, frustra me accessurus sit, ut decipiat; nihil enim referet nisi confusionem.

Sat magno virginibus istis responsum hoc solatio fuit, cum de Candidati bonitate & innocentiâ non dubitarent. Ille responso adeò favente à mediatricibus accepto, me convenit totus ad demissionem compositus: ait se eum esse, pro quo à Monialibus intercessum: involutum se quidem fuisse calamitate Duacensium; sed unicè propter fratrem ætate provectiorem; se enim juvenem tunc nonnisi rudimentis Theologicis imbui cæpisse; proinde minimè se tunc fuisse studiis comparatum, ut se controversiis immisceret.

Addebat neque se esse modò; quia, etsi tempus absolvendo cursui Theologico sufficiens interea transiisset; se tamen maluisse hactenus à spinosis scholæ difficultatibus abstinere, atque contentum iis, quæ ad ædificationem sui & proximi scitu necessaria sunt, unicè ferè Theologiæ mysticæ se dedisse. Quantum autem ad Jansenismum attinet, se minimè ei addictum; sed observantiâ, quæ potest esse, maximâ submissum omnibus Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ definitionibus etiam contra famosas quinque Propositiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. condemnatas.

Tum ego laudatâ eatenus prudentiâ illius & religione; non igitur, ajebam, detrectabis agnoscere, Propositiones illas in Jansenii extare volumine, ex eo legitimè excerptas eodem prorsus quo illic defenduntur sensu, à Pontificibus prohiberi, cùm dilucida & iterata de hoc toties fuerit Sedis Apostolicæ declaratio.

Ad quod Candidatus, damno, inquit, Propositiones in quibuscumque extant vel extiterint unquam libris, etiam Jansenii: damno omni sensu, & omnibus censuris quibus à Romanis Pontificibus proscribuntur.

Itaque, inferebam, fateris illas fuisse à Jansenio, in suo Opere traditas. Hic Candidatus ad quæstionem adeò claram, quæ responsum exigeret didacticum, quo se vel Jansenianum proderet, vel ostenderet probè catholicum, hæsitare & latebras quærere: Jansenii Librum, inquiebat, utpote prohibitum, non lego.

Legisne, insistebam, Pelagium, Arium, Lutherum, Calvinum, & quidquid istiusmodi pestium est? Neque tamen si ursero, ut hæreses velut ab iis traditas, & sensu detestabili in eorum contentas Operibus averseris, rejicias, condemnes, iniqua tibi videbitur postulatio; sed illicò anathema dices dogmatibus prout tradita ac defensa sunt ab iis, quibus ab Ecclesia attribuuntur.

Ad quod Candidatus, nosti, inquiebat, mi Pater, quid Arnaldus & alii contra damnationem Janseniani sensus scripserint.

Novi, reponebam ego, quid scripserint illi, quidque à Catholicis scriptoribus responsum sit; Tibi verò Arnaldus cum suis aliquot Sectatoribus, tantæ authoritatis est, ut eis adhærere malis, quàm Supremo Christi Vicario, universis per Orbem Episcopis & Academiis? Siccine approbationem expetis ab Archiepiscopo, quem deseris, ut partes sequaris Arnaldicas à tota reprobatas Ecclesia?

Candidatus iterùm allegans suam Theologiæ scholasticę ignorantiam, ajebat, se difficilibus & odiosis nolle disputationibus immisceri.

Falleris in supposito, monebam ego, nulla Catholicos inter disputatio, nulla quæstio est de sensu Jansenii, damnatusne merito sit; cùm Pontificia de hoc definitio atque Ecclesię consensus latére neminem possit; de hoc nobis contra Jansenistas solummodò, qui in numero fidelium non habentur, contentio superest.

Candidatus, quonam, ait, assensûs genere agnoscere me oportet, Propositiones quinque esse Jansenii, & in ejus sensu hæreticas, fideine Divinæ, an Humanæ tantummodo? Præterea num istud mihi jurejurando affirmandum est?

Cui ego: O Domine mi; Tu te Theologiæ Polemicæ asseris imperitum; ego verò Te peritissimos inter tuarum partium Doctores collocandum censeo; quidquid enim subtilium maximè cavillationum à vestris hactenus excogitatum est, præsenti colloquio arte callidâ inseruisti. De jurejurando quod à te exigerem, nullus mihi sermo fuit, nulla cogitatio, neque de fide Divina, sed de agnitione simplici, ut proponi quæstiones solent in examine, de quibus quid simpliciter & absolutè Candidatus censeat, interrogatur.

Essetne responsio congrua, si ad obvias quæstiones reponeres interrogationem, sitne examinatoris intentio juramentum in singulis tuis responsionibus petere ac fidem Divinam? ut itaque rescias quid mihi in præsentiarum sufficiat, est confessio simplex, qualem fidelis quilibet sine cunctatione, dubio, aut errandi formidine præstare consuevit de Pelagii, aliorumque hæreticorum sententiâ.

Denique Candidatus, tenera, inquit, conscientia mihi est, quæ de sensu Jansenii ejusque

ejusque Libri, asserere mihi prohibet, quod ignoro.

Ego ajebam, quod de ignorantia iterùm memoras, & quàm non innoxia ea sit, neque excusabilis, jam ostendi: Quod autem de conscientia causaris tenerâ, perspicio teneram esse nimium, & scrupulosiorem, quàm conveniat Confessario, præcipuè miserorum in Nosocomiis.

Ad inexpectatam adeò sententiam Candidatus obmutuit, maluitque Tribunali Pœnitentiæ non admoveri, quàm Jansenianam *prodere veritatem*.

Sed diù nimiùm Moniales nostræ Belgicæ, cum suo Sancto exule, nos à Portus-Regii Sanctis, propter eandem *veritatem patientibus*, abstractos detinuerunt. Præter monita & documenta, quibus novæ Ecclesiæ Apostoli, virgines suas fatuas dementare quotidie magis soliti erant, ut nihil ad omne genus fallaciæ & fovendam in hæresi pertinaciam deesset, nostris etiam orationibus abusi sunt, quas ad suorum venerationem cultumque Sanctorum, Janseniana devotio applicaret.

Orationes istiusmodi quatuor Latinas reperio typis editas Parisiis anno hujus seculi decimo: *Pro novis Sanctis ad usum Portus-Regii ruralis. I. Deus qui famulum tuum N. Sacerdotem virtute constantiæ in persecutione roborasti, ex ejus imitatione tribue, pro amore tuo prospera mundi despicere & nulla ejus adversa formidare. Per Dominum &c.*

II. Deus qui Beatum N. Confessorem tuum atque Pontificem Evangelicæ veritatis gratiâ sublimasti, tribue quæsumus, ejus nos semper & eruditione proficere, & Oratione defendi.

III. Deus qui nos per famulum tuum N. Abbatem ad agnitionem tuæ veritatis venire tribuisti, concede propitius, ut ejus fidei adjuvemur meritis, cujus admiranda vitæ instruimur exemplis.

IV. Deus qui familiam tuam famuli tui N. ædificare dignatus es exemplis & effectis ejus ardentissimæ charitatis, concede ut ejus intercessione temporalibus non destituatur exemplis, & spiritualibus semper proficiat incrementis.

Quid versutissimum Dæmonis ingenium ad illaqueandas animas, & in præceps obstinatissimæ rebellionis, damnationisque luctuosissimæ pertrahendas magis idoneum excogitare potuit? Ignosce, Lector Catholice, si ad finem te avidiùs anhelantem in una tanto tempore detinuerim Propositione; volentem me properare, sistit Jansenianæ malitiæ nunquam exhaurienda fœcunditas, & si quod fuerit ex longitudine tædium, confido varietate materiæ sublevatum.

Nonagesima tertia Propositio damnata.

Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. *Observat. Moral. in Joannis cap. 18. v. 16.*

CAPUT I.

Damnata Propositio convincitur de falsitate & pernicie.

Quesnellus Christum Dominum suis hic Vicariis opponens, quod horum vitio & excommunicationibus indebitis læditur, Divinâ ipsius Sapientiâ, Justitiâ, Bonitate aliquando sanari asserit, quemadmodum vulneratum Petri gladio Malchum, Jesus tactu corporis benigniore, restituit integritati. Ubi notatu dignissimum est, quod fraudulenta Quesnelli assertio complectatur non sola censurarum vulnera, quæ hominibus inferuntur; sed etiam quæ opinionibus. Hæc quoque scilicet præcipiti à Pontificibus festinatione infliguntur, curanturque aliquando æquiore providentiâ Salvatoris. *Observationum* autem illud *Moralium* Opus multorum annorum studio, & arte compositum astutissimâ conspicimus, ut nullam author præterierit Divini Codicis particulam, cui non assuerit Commentarii quidpiam novitatibus faventis, ubicumque locum reperire sibi visus est, recipiendæ istiusmodi capacem perfidiæ.

Talis ipsi apparuit Sacra de Malcho historia, quam tamen nonnisi fallaciâ ad eam valuit, detorquendo turpiter, trahere animadversionem. Quid enim Primorum Pastorum, qui propriè Romani Pontifices sunt, præceps festinatio infligit vulneris, quod ab ipso postea sanari oporteat Christo? Quid zelus eorum, qui non secundum scientiam esse dicitur, rescindit, quod ab ipso restituendum Servatore sit, ut Malcho auriculæ

illata à primis Pastoribus excommunicatio, aufert communionem fidelium & Sacramentorum; arcet ab Ecclesiasticis officiis,ipsoque in Ecclesias ingressu.

Quandonam autem illa Christus per se, & non per suos Vicarios restituit? Quandonam ab illo vulnere sine eorum ministerio sanat? Sanctificantem gratiam Pontifices excommunicatione non auferunt, sive justa sit, sive injusta. Proinde quando propter crimina meritò excommunicaris, Deus postea pœnitentibus gratiam restituit, non illa est,quam Ecclesia, sed Deus ipse ante latam ab Ecclesia excommunicationem eripuit. Si verò injusta, ut à Quesnello supponitur, sententia, fuerit, quid ea, ipso Judice, potuit auferre, quæ penes eundem semper nulla est? Siquidem juxta Articulum ejus 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*: atque adeò excommunicatio justi semper irrita est, & nulla.

Neque *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per Primos Pastores, nisi de consensu saltem præsumpto totius corporis* juxta Quesnelli Articulum 90. Quandonam autem præsumi poterit consensus adeo generalis totius corporis, ubi sententia supponitur injusta? Talis igitur excommunicatio si expers roboris, imò nulla est, nihil vulneris potest infligere, nihil quod medicinâ Christi egeat vel curatione.

Audiantur de hoc centum Galliæ Episcopi in Documento Pastorali à quadraginta ut aliàs monui Antistitibus edito & plusquàm sexaginta aliis adoptato. " Non est verum " (inquiunt) quod Jesus sanet vulnera, scilicet excommunicationes injustas, quas " præceps Primorum Pastorum festinatio inflixit. Tunc enim solummodo Christus " excommunicationi mederi dicendus esset, " quando eam quantumcunque injustam, " avertere à se innocens oppressus non posset. De talibus nempe ait Augustinus lib. " de vera Religione cap. 6. *Hos coronat in occulto Pater in occulto videns*. Aliàs vel excommunicatio non lædit, atque ita nulla " sunt vulnera, quæ Christi egeant medicamine, vel si lædat, vulnus non sanatur, " nisi absolutione, post humilem submissionem & satisfactionem congruam, à Pastoribus obtentâ. "

Observationi itaque *Morali* tam insulsæ nequaquam præbita est materia à Sacro Codice; sed à malesano interprete novitatibus ubique intrudendis nequiter intento, contra Spiritus Sancti mentem perfidè conficta. Quis autem figmenti istiusmodi scopus seu finis esse authori potuit, quis effectus in Lectoribus, quorum turba maxima, imperiti sunt & simplices? In horum gratiam, seu potiùs scandalum & interitum, opus pestilens compositum est, atque editum gallicè, & aliis linguis vulgaribus, distractâ quaquaversum multitudine exemplarium infinitâ.

Fieri non potest, quin talis *Observatio Moralis* in plebe rudi, & fluxæ fidei muliercculis, quin & in pluribus supra vulgus sapere volentibus, si in doctrina sana non optimè fundati sunt, reverentiam minuat erga Ecclesiæ Præpositos; quod quam ingratum Deo censeat Angelicus Doctor, ex ejus discimus 2. 2. quæst. 33. art. 4. ubi expendens illud Exodi cap. 19. *Bestia quæ tetigerit montem, lapidabitur*: & lib. 2. Regum cap. 6. de Oza arcam Dei tangente, *iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei*.

In utrumque Textum sic Angelicus loco citato: *Tunc Prælatus inordinatè videtur tangi, quando irreverenter objurgatur, vel etiam quando ei detrahitur: & hoc significatur per contactum montis & Arcæ damnatum à Deo*. Matthæi cap. 16. legimus Christum dixisse Apostolorum Principi: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*.

Hæc Christi verba maximam apud omnes Catholicos Petro & ejus Successoribus conciliant anthoritatem. Verùm ubi novitatibus dediti novum audierint directorem, inverso quodammodo ordine agentem, quasi solutum habeatur in Cœlo, quod Petrus ligaverit in terra, non tantopere commovebuntur, si ligari se à Summo Pontifice conspicient; cum enim vel in maximè reos vibrata excommunicatio soleat eorum judicio esse nimium *festinata*, *zelo* scilicet excommunicantis *inconsiderato*, facilè animum inducent, ut confidant à Supremo è cælis Medico remedium afferendum vulneri, quod sine ejus mandato Vicarius præproperè inflixit, & ab eodem restituendum Domino, quod servus traditâ abusus potestate *zelo rescidit inconsiderato*.

Ex jurato testimonio quod interrogatus juridicè de Sancyrano dedit Joannes de Jovaud Cisterciensis Ordinis religiosus Abbas & Secretarius generalis anno 1638. die 17. Junii, habemus, *Sancyranum* non semel leviter;

viter; sed *constanter affirmasse, contritionem perfectam ad Pœnitentiæ Sacramentum esse necessariam; imperfectam sive attritionem non sufficere: ante absolutionem Sacramentalem præsupponi remissionem peccatorum contritione impetratam: perperam conferri absolutionem statim post Confessionem: usum hunc communem quidem esse, sed abusus potiùs nomine appellandum*.

Sententiam hanc Launoyus, Arnaldus & plures istiusmodi reformatores Ecclesiæ renovarunt, contendentes necessariò priùs absolvi hominem debere in Cælis, quàm remissionis accipiat beneficium in terris. Qui error, ubi invaluerit, sternit semitam ad Wiclefi Articulum undecimum in Constantiensi Concilio damnatum: *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat esse excommunicatum à Deo; & qui sic excommunicat, est hæreticus*.

Quandonam expectari poterit, aut supponi futurum ut aliquem Jansenii, Arnaldi, Quesnelli discipulum superis displicere adeò Jansenia ni fateantur, ut contra eum præcipuè ob pertinaciam in hæresi, excommunicationis jussio cœlitus dimanatura sit? *Jansenistam enim esse est esse probè Catholicum*, inquit Gerberonius pag. 65. contra *Moralem*, quam nominat *laxiorem Archiepiscopi Mechliniensis*.

Martinus Steyaert *Notas* ediderat in hæreticos quinque Jansenii Articulos: atque insurgente in se propterea Ægidio de Witte, *Notarum* vindicias *crisi* ejus opposuit; cum autem Ægidium appellatio offenderet Jansenistæ, explicuit mox Steyaertius quid illo nomine significatum vellet, non aliud scilicet, quam hominem, *qui Jansenii doctrinam tuetur ac profitetur, sicut usu venire novimus in nomine Thomistæ, & Scotistæ, ut nimirum ab authore aliquo nomen tale quis accipiat, qui illius doctrinam tuetur ac profitetur*.

Circa quod in *Prosecutione Criseos* paginâ 20. Ægidius sic animadvertit. *Eo duntaxat, quo describit pacto* (Steyaertius) *Jansenistas haberi & esse, magno duceremus honori; quid enim gloriosius in hoc genere &c.*

Si etiam, Arnaldo teste in Apologia pro Jansenio pag. 92. *Quemadmodum Deus reservaverat Salomoni ædificationem Templi, ita reservavit Jansenio materiam de Gratia clariùs elucidandam*; qua ratione Deus doctrinæ talis sectatoribus, & propter eam infligi anathema jubebit unquam, aut jubere poterit? Ideò securus denuntiat Quesnellus in Epistola à se composita & typis edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 30. *Majore pollent ingenio Romani, quàm ut existiment, nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*; quia juxta præsentem Articulum, ad excommunicandum requiritur Christi mandatum, quod contra suæ vindices veritatis, & propter ipsas vindicias dari à Servatore non posse, per se evidens est. Concurrit quoque Articulus Quesnelli nonagesimus.

Pars scilicet Ecclesiæ, eaque cæteris præstantior doctrinæ excellentiâ, & puritate, vitæ pariter integritate & sanctimoniâ, neque latis, neque ferendis contra se excommunicationibus consentit, aut consentiens *præsumi* unquam poterit, pars inquam dogmatibus Jansenii obfirmatissimè addicta. *Ecclesia* autem licet *authoritatem excommunicandi habeat ut eam exerceat per Primos Pastores*, non tamen nisi *de consensu, saltem præsumpto totius corporis*.

Non igitur multo opus est ingenio Romanis, aut cujuscumque nationis Theologis, ut postquam legerint tot schismaticas contra Bullam *Unigenitus* scriptiones à Quesnelli fautoribus quotidie prodeuntes, judicent eos *sententia excommunicationis Pontificibus reservatæ* minimè *terreri*: nimis hebetem esse oportet, qui de hoc inposterum dubitet; sed & nimis simplicem, ne dicam fatuum, qui talium hypocrisim prò vera accipiat sanctitate aut religione.

Neque magni acuminis indicium est, aut candoris, asserere, excommunicationes contra se esse invalidas, irritas ac penitùs nullas, & tamen *infligere vulnera*, quæ à Christo postea sanentur, rescindere, quæ ab ipso etiam postmodum restituantur. Quod nullius roboris est & reipsa nullum, non existit, nec nisi falsa apprehenditur imaginatione: Sed difficile erronibus malitiâ & pertinaciâ obcæcatis, uti & hypocritis, est, ut semper cohærentia faciant aut loquantur.

Non etiam Lector Catholicus se decipi sinat mendacibus Quesnelli & cæterorum gloriationibus Jansenistarum, quoties Divinæ gratiæ aut Servatoris tribuunt beneficæ operationi, quod suâ ipsi malitiâ moliuntur & subinde perficiunt. Fraudulenta istiusmodi gloriatio conspicitur in præsenti Articulo: *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.* Art. 96. *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*.

Quidni ratione simili glorientur Anabaptistæ, Labadistæ, Queckeri, seu Tremuli cum Illuminatis, Pauperibus de Lugduno, & infi-

& infinita istiusmodi sectarum multitudine, quæ univetsis Potestatibus invisæ sunt, nullius Principis munitæ præsidio?

Quousque illæ profecere hactenus, non suis studiis, machinationibus, fraudibus, minus etiam Dæmonis consilio & operâ effectum agnoscunt; sed Divinæ torum providentiæ, bonitatis, gratiæ beneficium esse mentiuntur non minore confidentiâ quam Jansenistæ.

Paucissimi inter hæreticos tam parum sobrii sunt, quàm Lutherus, qui gloriatur à Dæmone se didicisse aliqua quæ contra Romanam scripsit Ecclesiam, quibus tamen quousque penès innumeros profecerit, satis exploratum est.

Jacobus Gilbert inter recentiores in Belgio Jansenistas locum promeritus non infimum, ad sublime dignitatis fastigium in Duacensium Academia, tempore brevissimo evectus fuit; quod ut prodigii instar pluribus visum, ipse velut singulare divinæ beneficium gratiæ prædicare dein solitus est; quasi sanare Christus hoc modo voluerit vulnera, quæ annis ab hinc aliquot in fama passus fuerat ob suspicionem nempe publicam criminis, ut ferebatur, non unius.

Coactus Sedem ac Diœcesim mutare aliquoties, relictis etiam beneficiis non planè modicis, tandem & Belgium deserere sibi magis expediens judicavit. In Galliis benignum facilè reperit susceptorem. Belgio autem excedens insalutato hospite (cuidam enim se addixerat Congregationi) schedam in cubiculo reliquit, qua superiori gratias agens pro omni præstito humanitatis officio, locum, quo se reciperet non indicabat, sed solum illud *spiritus vocat me in desertum*.

Ecclesiæ præerat tunc Innocentius XI., cujus tempore, occasione dissidii ipsum inter & Regem Christianissimum circa jura, vulgò *Regalia*, celebratus Parisiis fuit Cleri Gallicani Conventus, atque in illo Decreti sunt quatuor Articuli adversantes sententiis in reliqua per Orbem Ecclesia communissimis, circa Summi Pontificis authoritatem.

Voluit quoque tunc Rex Articulos illos in omnibus Academiarum suarum Theologicis Cathedris sustineri. Cum autem voluntas Regia in Gallicanum Belgium perlata & Duacensibus indicata esset, illi unanimes excusarunt se, parati deserere Cathedras potiùs & Præfecturas Collegiorum, quàm mutare; qua imbuti hactenus fuerant, sententiam quatuor Articulis non consentientem. Reipsâ è præcipuis Doctoribus aliqui relictis omnibus Officiis, Beneficiis & Dominio Gallico in Austriacum se recepere.

Quapropter Rex Christianissimus, perspectâ Duacensium in suis sententiis firmitate, cùm & nimiæ videretur obnoxium turbationi in Belgicas Cathedras immittere Doctores Gallos, declaravit satis sibi fore, si unus saltem Articulos illos traderet. Verùm cùm ne unus quidem istud oneris suscipere vellet, oblato quocumque præmio, prorupit Gilbertius, qui pagi alicujus in Gallia Parochum agebat, seque ad docendum Articulos promptum offerens, à Regiis Ministris illicò admissus est, atque in Belgium rediens, Duaci authoritate Regiâ ad maxima quæque promotus.

Doctoris Laureâ apud Belgas donatus non fuerat, neque Theologiam usquam aut Philosophiam publicè professus. Supplere itaque omnia debuit docendi quatuor Articulos voluntas, nisi fortè cum cęteris etiam Doctoratum Gallia contulerit.

Lectionem Duaci nactus Theologicam, cum præcipui Præfecturâ Collegii, dignitate Cancellarii, & Præpositi in Ecclesia principe, visus brevi est dignitatum omnium quoddam veluti compendium. Posterior dignitas jus tribuebat plurima conferendi Beneficia; eo solerter maximè usus est, ut in loca quævis vacantia intruderet homines novitatibus addictos.

Undè à Jansenianis insigniter triumphatum, neque exigua indè, juvenum præsertim & promotiones ambientium, ad novam sectam facta est accessio. Sic Novatoribus visus est Christus voluisse sanare Jansenianæ vulnera Ecclesiæ, quæ aliorum ante Gilbertium sive malevolentia, sive imprudentia inflixerat.

Hæreticam ipse doctrinam in Cathedra primùm obscuriùs, dein firmatâ ampliùs authoritate apertiùs tradere cœpit favore nixus, ut nimis temerè confidebat, Parisiensis Curiæ.

Tandem eò progressa viri audacia est, ut in ipsis, quæ dictabat publicè, insultaret Doctoribus Catholicis, eâ impudentiâ, quæ cùm tolerari diutiùs non posset, ipsi denuntiata est Regi Christianissimo. Hic autem consulto Archipræsule Parisiensi, designavit Theologos, quorum accurato committerentur omnia examini.

Demum indè prodiit censura, quam hìc subjungo.

Nos infrascripti Sacræ Theologiæ Doctores & Professores, jussu Regis Christianissimi, quem nobis aperuit Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis, legimus Quaterniones quosdam de Gratia à Regio Duacensis Academiæ Professore Theologo publicè in Schola dicta-

dictatos: cumque ferret mandatum Regium, ut nostram tum de scriptis, tum de Scriptore ipso, quantum inde colligi potest, sententiam, habito accurato examine diceremus, Quaterniones illos attentione, qua par erat evolvimus; in quibus perspeximus Jansenii Iprensis Episcopi doctrinam Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus ab universo Orbe Catholico acceptis damnatam, non obscurè, obiter, aut strictim; sed apertâ fronte, datâ operâ, & summa contentione, & pervicaciâ, nec sine acrioribus, quæ Novatorum animos redoleant, dicteriis, probari, Pontificum Decreta eludi, & in sensum peregrinum, atque ab ipsorum mente planè alienum, fictitiâ interpretatione detorqueri: tantumque illud virus, quo nihil sit ad Scholarum institutionem magis exitiosum, jis in scriptis ubique serpere, & adeo esse frequens, ut ea nullatenus emendari possint, solaque eorum diserta ejuratio offensionem ex jis natam tollere valeat; unde & is nobis illorum author visus est, qui absque Duacensis Academiæ pernicie ferri non possit, ut pergat ad docendum.

Parisiis 28. Januarij 1687.

Pirot Doctor & socius Sorbonicus Sacræ Theologiæ Professor, Syndicus facultatis.

Saussoy Doctor & Theologiæ Professor apud Regiam Navarram.

I. Robert Doctor & socius Sorboniens, Regius Professor & Ecclesiæ Parisiensis Canonicus & Pœnitentiarius.

B. Guichard Doctor & Theologiæ Professor, necnon Summus Regiæ Navarræ Moderator.

C. l'Estocq Doctor Theologiæ Professor Regens apud Sorbonam.

Similem de Scriptis illis sententiam tulit & publicè etiam è concionantium pulpitis promulgari curavit Episcopus Attrebatensis, cujus Diœcesis Duacum est, eodem anno 1687 die 13. Augusti.

„ Condemnavimus (inquit) & condemnamus memoratum Tractatum, tanquam continentem doctrinam falsam, temerariam, hæresios damnatam Constitutionibus Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. plenum expressionibus contumeliosis, & amaritudine minimè Christianâ adversùs Theologos Orthodoxos „.

Episcopus Tornacensis Gilbertio antea impensiùs faverat, quàm honori suo & Corttracenorum saluti civium expediret, quando eum non solùm Parochum dedit; sed etiam turbulentis concionibus scandala creantem, apologeticis ipse publicè etiam è pulpito Sermonibus defendit; donec subortâ de quibusdam ejus actibus famâ minimè honorificâ, è sua illum Diœcesi sine strepitu maluit dimittere, quàm importuniùs defendendo, suam commaculare forsitan dignitatem. Postea tamen erga illum è Galliis redeuntem, & favore Principis ad tam sublimia Duaci promotum resumpsisse dicitur benevolentiam, cum aliquo etiam commercio literarum; donec novis ejus excessibus ad Thronum Regium delatis, & Theologorum Parisiensium, ut vidimus, judicio gravissimâ notatis censurâ, eum ad quandam inducere palinodiam frustrà conatus, indocilem expertus est & obstinatum.

Interim Antistes ipse apud aliquos suspicionem incurrere cœperat conniventiæ & collusionis: Ad quam remotiùs amoliendam à se maculam, hanc contra eum epistolam typis edidit anno 1687. die 27. Junii.

„ Frater charissime, ingenuè fateor, me paululum hæsisse, utrum aliquid reponerem; cùm enim viderem te, tantâ animi firmitate, ne ab uno dumtaxat tuorum Scriptorum apice hactenus deflectere voluisse; vix sperabam mea responsa tibi profutura.

„ Ægrè tulit Dominus de Bagnoles (Minister Regius) te... in damnatas, atque ab omnibus rejectas de Christi gratia propositiones tam præcipiti animi impetu proruisse; sed quod maximè dolendum est, à præconcepta semel opinione nullatenus velle decedere. Sperabat Illustrissimus Præfectus, meâ operâ aliquid de insita animo tuo, obstinatâque opinione detractum iri; sed hactenùs frustra. Significas, Frater, te nihil nisi justum & religiosum defendere, cùm ais, quicumque caret gratia efficaci, mandata Dei non solum non adimplet; sed nec adimplere potest. Et hic est totius tui de gratia systematis cardo, atque ut ita dicam, occulta macula.

„ Sed quodnam, amabo, Frater, discrimen intercedit, inter tuam puram putam doctrinam, & primam è quinque ab Innocentio X. atque Alexandro VII. damnatam Propositionem disertis verbis à Jansenio Iprensi conceptam „? Hactenus Antistes.

Rex autem Christianissimus inito cum suis consilio, Gilbertium tanquam perniciosum, & in Academia Catholica minimè tolerandum, non solùm è Cathedra; sed etiam Duaco in exilium expulit, quod audaciæ suæ debitum vulnus, nullis sanare fraudibus hypocrita potuit; Sed crescente semper pervicaciâ, auctum adeo est, ut mutato sæpius exilio, tandem turbulenta vita in Lugdunensi fuerit castro, seu carcere terminanda.

CAPUT II.

Undenam Janseniani, vulnerum sibi à Primis Pastoribus inflictorum sanationem expectent?

1 SI Janseniani vulnerum suæ inflictorum hæresi sanationem expectent serió à Servatore Christo, insanire non minùs dicendi sunt, quàm Judæi, ad Messiæ alterius adventum fatuè anhelantes.

Verùm ea Jansenistarum jactantia, potiùs irretiendis simplicibus, & in damnatissima hęresi retinendis, *velut sanatio* excogitata est. Spe istiusmodi inanissimâ miseri lactantur, obduranturque in pertinacia. Sic neque nova eos terret qualiumcumque comminatio, aut evibratio censurarum. Firma scilicet concipienda fiducia est, fore ut vel Pontifices tandem Christi jussibus obsequentes, enuntiata quælibet contra Jansenismum anathemata retractent, aut eadem à Concilio abrogentur œcumenico, aut denique *vox populi* omnem suppleat definitionis defectum.

Tali viâ prodromos suos egregię profecisse conspiciunt Calvinistas, Lutheranos, & plures similes Ecclesiæ Catholicæ, in fide & moribus reformatores. A multitudine deceptorum gregalium sperant, quod *à Primis* nequeunt *Pastoribus*. Non obscurum hujus indicium est in pluribus eorum hoc tempore contra Bullam *Unigenitus* opusculis, inter quæ famosum *Temoignage de la verité*, *Testimonium veritatis*; juxta quod in consensum denique totius Christiani populi resolvitur fidei fundamentum.

Quocirea interrogatus nuperrimè in Belgio Quesnelli discipulus in examine pro Cura animarum, *Quodnam est fundamentum tuæ fidei?* illico respondit: *Est veritas ambulans in populo*. Unde Jansenismum aliquando in Throno fidei & veritatis communi fidelium acclamatione collocandum, spem suis facit Quesnellus minimè dubiam; quandoquidem, ut ait in *Notis* typo editis contra Epistolam Domini Steyaert pag. 17. *Adeò non persuadetur sensum ab authore* (Jansenio) *intentum esse hæreticum, ut jam demùm credere cæperit orbis Catholicus, nihil in eo non esse Catholicum*; Licèt, quemadmodum deplorat alibi, nondum dispositio appareat sufficiens, ut omnis illata Jansenio injuria aboleatur.

In Processu contra Quesnellum juridico, seu *Causa Quesnelliana*, Articulus nonus est: *Quod dixerit publicè, nondum advenisse tempus reddendi justitiam Jansenio, & illatam ipsi injuriam reparandi: & interim ipse per minaces literas jactaverit, se aliquando Jansenij defensionem suscepturum contra Clerum Gallicanum*.

In probatione Articuli profertur audax Quesnelli epistola ad quemdam Præsulem, cui singularem aliàs debuerat reverentiam. Data fuit epistola mense Novembri 1697. in qua sic Quesnellus pag. 1. " Si libuerit nobis „ Dionysij Raymundi opus iteratis in lucem „ typis edere, aut redigere in compendium; „ aut divulgare iterum refutationem Patris „ Annati, apparebit publicè, illatam fuisse „ famæ (Jansenij) Antistitis præstantissimi „ injuriam maximam; Posteritatem autem „ quæ justitiam reddet Jansenio, reddituram „ quoque ejus adversarijs; Sed modo maximè diverso, & posterioribus parum „ honorifico „.

In alia non minus prolixa lucubratione, quæ incipit: *Legi amice chare*, Quesnellus mentem suam explicat magis dilucide". Non „ agitur (inquit) de reddenda nunc Jansenio „ omni justitia ipsi debita, neque de reparanda omni injuria ipsi ab adversarijs illata. „ Non istud facile esset hoc tempore. Inimici ejus adhuc nimiùm potentes sunt; judi- „ ces autem nondum satis instructi lumine.

„ Expectandum est, donec lapsu tem- „ poris defervcat in prioribus passio; dissi- „ pentur autem tenebræ in posterioribus: ne- „ cesse est, ut, quæ potestates Ecclesiasti- „ cæ & Seculares intulere vulnera, ipsæmet „ sanent. Quærere autem ex te licear, ap- „ paretne tibi talis hodie in plerisque Prin- „ cipibus & Episcopis, animorum constitu- „ tio, quæ spem faciat fore ut ipsi istud in se „ suscipiant?

„ Interim perit quodammodo Ecclesia; „ quia subtrahuntur ei, aut redduntur inuti- „ les Ministri plerique maximè idonei, & ex- „ cluduntur ab officijs; qui subscribere re- „ cusant Alexandrinæ contra Jansenium For- „ mulæ.

„ Quod igitur præsenti nobis tempore „ agendum, & magis urget, est dispicere „ an istiusmodi subscriptionis negotium in „ eodem nunc statu sit, quo fuit quando „ omnia videbantur potiùs toleranda, quàm „ præstanda subsignatio; an verò res hodie „ sic illustratæ sint, ut subscriptio non damnet, nisi Propositiones, præscindendo à „ sensu Jansenij. Hoc autem existimo à me „ demonstratum in opere quod vidisti „.

Opus illud est *Defensio Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum contra Melchiorem Leydeckerum Ultrajectensem*: qui titulus mendacissimus est, cum vocari potius liber de-

buc-

buerit oppugnatio Romanæ Ecclesiæ & Romanorum Pontificum, utpote in id unicè intentus, ut persuadeat, librum Jansenii nunquam Romæ legitimè fuisse examinatum; Sed cæco modo, & fallaci testimonio aliquorum Jansenio adversantium, temerè Pontifices credidisse, quod Propositiones quinque in Jansenii volumine sensu hæretico contineantur, dum ostenditur, nihil aliud toto fustineri opere, præter doctrinam in Augustino ab Ecclesia approbatam.

Quæ veritas, inquit Quesnellus, cùm tempore Innocentii XII. Romanæ demum Curiæ eluxerit, meritò Pontifex ille Alexandri VII. Constitutiones *Ad Sanctam*, & *Regiminis Apostolici*, eum ipsa Juramenti formula reformavit, totum reducendo anathema ad Propositionum sensum obvium, à Janseniano longè diffitum. Istud totius Quesnelliani Operis mendacissimi simul & perniciosissimi compendium est.

Mendacium Clemens XI. Constitutione *Vineam Domini Sabaoth* abundè convicit, & librum perfidiâ plenum, ad tenebras perpetuas condemnavit. A Clementis Prædecessoribus, atque ab ipso Clemente sensus quinque Propositionum obvius indubiè proscribitur, isque jurejurando juxta Alexandrinam formulam rejicitur, abdicatur; Sed idem pariter obvius in Jansenii volumine est. Ridiculos autem se & nequissimos produnt adversarii, quando nunc sensum fingunt obvium, qui nemini sanæ mentis obviat, & exoticus ac imaginarius est, sive ut eorum apud Innocentium X. Oratores in Libello supplice trium columnarum solemniter declararunt, qui non nisi *malignè Propositionibus affingi posset, quem legitimè tamen sumptæ non habent*.

Prosequamur in Quesnelli consilio, ex quo discamus, undenam Jansenianæ veritati inflictorum à Pontificibus vulnerum sanatio expectanda sit". Videris (inquit) mihi an„ nuere; Sed velles istud Bullâ aliquâ stabi„ liri. Vellem & ego; Si nobis obtingeret, „ Romanæ Curiæ dominari, atque ea esset „ rerum nostrarum conditio, ut Romanos „ adigere possemus ad Bullam istiusmodi „ componendam, quæ nostro congrueret „ desiderio, in eandem tecum irem facilè „ sententiam. Expectari posset Constitutio „ confirmans omnia, quæ meo opere con„ tinentur. Sed, mihi crede, salus Ec„ clesiæ & veritatis non est ponenda in Ro„ manis Constitutionibus: nimio id foret „ obnoxium discrimini. Utamur potiùs me„ diis, quæ nobis se offerunt modò, ut ad „ plenam omnia disponamus victoriam „.

Sic ea non amplius à Christo, neque ab ejus Vicario & Constitutionibus Apostolicis; sed à Quesnelli & Sociorum artibus adventura est. Quando enim eam à Sede Apostolica, aut ab ejus Sanctionibus, plenam acciperet nova Ecclesia victoriam de ipsis Romanis Pontificibus, eorumque contra Jansenium definitionibus? Futurum aliquando ut in Thronum Apostolicum succedat, qui dogmatica Prædecessorum Decreta, oppositis Constitutionibus subruat, temerarius nimium sit, qui opinari audeat vel levissimè.

Vidimus quidem aliàs Walonium Româ scripsisse ad Arnaldum, Bruxellensi latibulo absconditum anno 1689. 26. Novembris: *Sub Pontificatu Innocentii XI. intolerabilis erat procedendi modus lentissimus, ita ut penè nihil ageretur*. Anno 1691. die 1. Septembris *Si præsens Pontificatus* (Innocentii XII.) *quantumcunque miserabilis quoad regimen, & res dogmaticas, perseveraverit, poterit in Congregatione S. Officii aliquid boni fieri contra Molinismum*. Et anno 1697. die 26. Octobris: *Nihil fiet contra Decretum Archiepiscopi Mechliniensis & ei adhærentium. Pontifex in Quæstionibus istis est O in cifra*, seu nihil intelligit.

Nihilominus Alexandrinæ contra Jansenium Formulæ subversionem, quo omnia Arnaldi, Quesnelli, Walonii collimabant studia, neque ab illo Pontifice, neque ab ullo ejus Prædecessore, unquam elicere potuerunt. Quin imò Innocentius XI. omnes ex Lovaniensibus Doctoribus, qui Jansenio faverent, suspendit à Magistrorum Regentium Collegio, quod *stricta* dicitur *Facultas*.

Innocentius quoque XII. quantiscunque tentatus hypocritarum fraudibus, & importunis precibus, atque clamoribus solicitatus, adeo à præcedentium Pontificum vestigiis ne latum quidem unguem dimoveri potuit, ut omnia contra Jansenium definita, etiam Alexandrini juramenti formulam, Decreto Apostolico & duobus ad Belgii Episcopos Brevibus solidissimè confirmarit.

Priori quidem Brevi Janseniana calliditas tenebrarum quidpiam affinxit; Sed illud mox Innocentius Brevi altero clarissimo dissipans, Breve prius tam congruè ac dilucidè explicuit, ut Quesnellus, qui ex omni ligno noverat sibi sculpere, ut dicitur, Mercurium, nonnisi Sycophantam se ridiculum ostenderit editione opusculi *Defense des deux Brefs, defensio duorum brevium*, quasi ea suffragarentur Jansenio, aut aliquid Alexandrinæ detraherent Formulæ, vel mutationis quidpiam inducerent, quo rigor pristinus emolliretur. Quod eùm de primo Brevi Innocentius XII. jactatum intelligeret, infringere Brevi poste-

riore voluit mendacium adeò perniciosum, atque à sua mente alienissimum.

Sic igitur Pontifex Episcopis Belgii de hac Jansenistarum cavillatione conquerentibus respondit die 26. Novembris anno 1696." „ Non sine admiratione intelleximus nonnullos istis in Diœcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam, seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. decimâ sextâ Octobris anni 1656. editam, necnon formularium ab ipsomet pronuntiatum; cùm dicto Brevi utrumque specificè confirmetur, & omnino intenderimus & intendamus, eisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur, vel dematur à prædicto formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte; Sed quod in omnibus & singulis ejus partibus, uti mandavimus, mandamus etiam adamussim observari „. Hactenus Innocentius XII.

Quesnelliana autem utriusque Brevis simulata *Defensio*, quæ impugnatio subdola nominari debuisset, cùm in Urbem delata est, aliud non retulit, quam indignationem Sedis Apostolicæ & condemnationem. Adeò spem illi non in Christo, ut callidè simulant; sed in fraudibus ponere solent, atque mendacijs. Confirmando huic judicio serviunt ipsius Walonii epistolæ ex Urbe datæ ad Arnaldum; proinde & Quesnellum, qui contubernalis & à secretis erat, atque in scriptionibus Arnaldi adjutor.

Ita Walonius Româ die Februarii 1694. *Non parum nos affligimur Decreto nuperrimè hic locis solitis affixo. Decretum istud difficultatem præcipuam adeò non tollit, ut videatur eam potiùs augere... Expedit tamen non ostendere foris sensum nostrum, donec Brevia perspexerimus. Tota illa Romanorum agendi ratio movet commiserationem.*

Idem 3. Februarii 1694. *Brevia* (ad Episcopos Belgii & Academiam Lovaniensem) *circa Formulam juramenti Alexandrinam non sunt meliora Decreto. Pessimum in illis est, quod in Belgio illa formula stabiliatur, præcipiendo subscriptionem, absque exceptione, aut explicatione, in sensu obvio & quem ipsius verba exhibent.*

Attamen Quesnellus, dolorem statuit alto premendum pectore, imò exteriùs ad fallendos simplices, & in Jansenianis dogmatibus retinendos, lætitiam fingit quasi partâ victoriâ: de qua ne cuiquam suorum locus dubii relinquatur, occurrit, *Defensione duorum Brevium*, veriùs illorum interpretatione mendacissimâ, quæ dici debuit utriusque Brevis dolosa subversio, qualis etiam Romæ habita, damnationis sententiam effugere non potuit. Idem de similis farinæ opere, *Defensio Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum* supra animadvertimus.

Ita Quesnellus neque *plenam*, ad quam se omnia disponere ajebat victoriam, à Christo ejusque præsidio expectat; sed à suis fraudibus & mendaciis. Vidimus quidem subinde exercituum duces acceptâ clade, quasi de victoria plaudentes, quod, etsi campo cedere coacti, priùs tamen ingenti strage hostiles copias affecissent, suaque multò levior quàm hostium jactura sit. Atque istud quidem inter militaria numeratum stratagemata facilè excusatur; Sed in rebus fidei non par ratio est: in his candor & veritas semper intemerata requiritur. Talibus, non verò figmentis, aut quocumque exeogitatis fine mendaciis, Religio Christiana à Servatore & Apostolis tradita, semper prædicata à Discipulis, fovenda etiam ac nutrienda est à Posteris.

Sed mirum non est Ecclesias invicem oppositas regulis uti, dirigi, proficere contrariis. Jacobum Gilbertum Duacenæ aliàs Academiæ Cancellarium inter novæ Ecclesiæ Confessores ac penè Martyres, qui singularem in Portus-Regii Kalendario mereri poterat commemorationem, superiore capite spectavimus: novis eumdem adhuc speciminibus, dignum Quesnellianæ perfidiæ imitatorem, cum quibusdam sodalibus videamus.

CAPUT III.

Occasione fictitii Arnaldi patuit undenam Janseniani damnatæ suæ novitatis vulnera sananda confidant.

1 Gilbertus à Sorbonicis Doctoribus & suo Episcopo, atque altero vicino sibique aliàs nimiùm benevolo Antistite condemnatus, Duaco discedere, suspenso officiorum omnium exercitio, à Rege Christianissimo compulsus, sapientiam in exilio discere debuisset: debuissent etiam alii eorumdem cum ipso dogmatum sectatores; Sed de timore humano rectè dicitur, quòd Dei timori sanctissimo, & saluberrimo à Quesnellianis perperam applicatur, cohibere illum posse manus, non animum. Fures & latrones metu patibuli, à criminibus abstinent in publico, at in solitudine, & tenebris, quæ certam promittunt flagitiis impunitatem, quid non audeant?

Sic & Jansenianæ Sectæ Theologos quosdam Duacenos, quantumlibet adversarios Tho-

Thomiftarum, docuerat metus exilij locutiones in publico affectare Thomifticas. Sic Rivette S. Theologiæ Licentiatus & Profeffor Regius ad amicum fcribens *Gratia* (inquit) *fufficiens reddita eft hic neceffaria; fi non fufficiat ad actionem, ad quam conceditur, fufficit ferè ad nos liberandos ab infidiis adverfariorum. Cæterùm ab eo nomine abftineo quantùm poffum: neque utor, nifi folicitè femper additâ voce alienante, SENSU THOMISTICO.*

Epifcopus nempe Attrebatenfis, qui unus hodie ex appellantibus contra Conftitutionem *Unigenitus* eft, author eis fuerat, ut dum Academiæ Cancellarius exilio mulctandus effet propter apertam nimium & temerariam Janfenifmi profeffionem, ex infortunio ejus difcerent effe cautiores. Confilium hi Antiftitis fui, quem fibi benevolum noverant, funt fecuti in publico, etfi animum retinentes novitatibus addictum; proindè hanc retulere ab eodem fuo Præfule defenfionem, in cenfura quâ anno 1687. die 13. Augufti notaverat hæretica Gilbertii Cancellarii Scripta difcipulis publicè dictata.

Ipfimet (inquiebat) *quos nimia quorumdam in judicando licentia, reddere voluerat fufpectos, quafi adhærerent huic* (Gilbertii) *doctrinæ, tam dilucida, tam certa, tam authentica nobis dederunt de fenfuum fuorum candore & puritate teftimonia, ut dubitari nequeat, quin in materia de gratia, doctrinæ fint penitus Orthodoxæ.*

Theologos iftos illufiffe Epifcopo, patuit poftea manifeftè, quando confilia malignantium prodita funt à *Fictitio Arnaldo*. In hoc nomine ne lector hæreat ignarus, qui fortè hiftoriam in aliquo ex Tomis fuperioribus relatam non viderit; paucis iterum fignifico Theologum fuiffe Catholicum, qui confilium fecutus Regis Chriftianiffimi, innotefcere hactenus publicè non voluit.

Confpicabatur ille Cancellarii exilium reddidiffe quidem focios ejus cautiores; fed non faniores, utpote qui cùm retinerent mordicus totum Janfenii de auxiliis gratiæ Syftema, vocibus in publico utebantur Thomifticis, quibus apparerent Catholici, atque ita invigilantium fibi adverfariorum diligentiam eluderent.

Fraudem hanc ipfe ratus nimium deteftabilem, & Ecclefiæ maximè perniciofam, licitum fibi cenfuit ftratagemate detectam elidere. Thefes feptem ftudiosè compofuit, damnatam Janfenii de gratia doctrinam apertè & fine fucis, fine ambagibus continentes: propofuit eas præcipuis Arnaldi & Quefnelli in Duacenfi Academia cultoribus, ut fuum de iis fcripto legitimo, coram Notario & teftibus judicium promerent.

Quod ut faciliùs emungeret, literas dabat ad fingulos humaniffimas, fubfignatas *A. A.* quibus ajebat, tales effe modò compertas fibi rerum circumftantias, ut candida & aperta declaratio fuæ commiffa fidei conductura plurimum effet ad Dei gloriam & Ecclefiæ utilitatem. Edocebat eos fimul quomodo formanda effet refponfionum infcriptio, cùm locus, quem incoleret, neceffitate fic exigente, hactenus celaretur. Non deerant etiam in literis aliqua, quæ viderentur Arnaldo propria, nifi quod ftylus Gallo-Belgam, five Walonem potiùs fapere videretur, quàm elegantiam Arnaldi.

Unde fimplicitatem eis nimiam verus poftea Arnaldus exprobravit. Verùm cùm plures circumftantiæ, ut dixi, viderentur Arnaldo propriæ, hominum aliàs callidorum, delufa aftutia eft, ut fubfcriptionem *A.A.* quæ multis poterat nominibus convenire, fic interpretari non dubitaverint ut effet *Antonius Arnaldus*; five quia ftyli Gallici ignorantiâ Walonem detegere nequiverunt authorem, five quia exiftimaverint Arnaldum ftudio fuam voluiffe elegantiam occultare, ne, fi fortè in adverfantium manus literæ incidiffent, facilè fcriptor innotefceret.

Quidquid fit, ab Arnaldi clientibus maximâ acceptæ lætitiâ, creditæ ftatim funt Arnaldicæ, effectumque confecutæ, quem fibi artifex ftratagematis propofuerat. Illi itaque mox inter fe celebrare conventicula, literas quifque fuas producere, quibus eos vir tantus, tam celebris dignaretur. *Thefes* feptem proferebant *ad mentem Divi Auguftini irrefragabilis gratiæ Doctoris*. Pulchra infcriptio: neque illorum quifpiam diffentiebat, aut vocabat in dubium, quin fubjectis apprimè Thefibus conveniret. Unicus fupererat, nec leviter angebat metus, ne approbationes adeò folemnes & authenticæ in manus incciderent hoftiles, Theologorum fcilicet Pontificiis faventium Conftitutionibus.

Janfenii enim fenfum in quinque Propofitionibus condemnatum, in oblatis Thefibus refufcitari, tam apparebat evidens, ut nullis poffet cavillationibus offufcari. Undè approbationum detectio, futura effet approbantium ruina: cujus exemplum recens adeò habebatur in Gilbertio, propter doctrinam fimilem in exilium pulfo.

Prima Thefis à putatitio Arnaldo propofita erat " Gratiam efficacem ... neceffariam „ effe, ut quis verè & propriè poffit opera „ bona exercere, tentationes fuperare &c. „ fatetur quifquis in Traditione Ecclefiæ, in „ Au-

„ Augustino, aliisque Sanctis Patribus pere-
„ grinus non est.

„ Secunda: Igitur qui gratiam aliquam
„ sufficientem, ab efficaci distinctam, in
„ hunc amissæ innocentiæ statum invehunt,
„ mirum quantum ab Augustini mente defi-
„ ciunt, qui naturæ integræ gratiam suffi-
„ cientem tantùm; lapsæ verò efficacem tan-
„ tùm attribuit. Hæc si indubitata Augusti-
„ ni principia, vel minimùm concutias, to-
„ ta cælestis illius doctrinæ compages solva-
„ tur necesse est.

„ Tertia: At quid de gratia sufficien-
„ te sensu Thomistico? Minùs displicet, quia,
„ nisi hallucinari velis, particulam includit
„ alienantem, & nebuloso tempore occu-
„ lendis gratiæ Evangelicæ Mysteriis est per-
„ idonea. Interim cùm vox illa, & res vo-
„ ce expressa purioribus Ecclesiæ seculis
„ ignora fuerit, illam meritò ex sana Theo-
„ logia relegandam judicamus.

Thesis quarta & quinta ad peccatum attinens Philosophicum vix aliquid singulare continet, nisi quod afferat nullam Juris naturalis ignorantiam excusare à peccato.

Unum hìc breviter velut transiens annoto, ineptissimam fuisse peccati Philosophici in Propositione ab Alexandro VII. damnata descriptionem, quasi illud esset quoties *non cogitatur actu de Deo*: undè & absurdissima educebatur conclusio actum qualemcumque cum tali ignorantia, seu veriùs non cogitatione actuali de Deo, non esse offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Erat quidem Professoris istius opinio, quòd impossibilis esset cogitatio, quæ non esset de Deo, quia, inquiebat, omnis cogitatio est de Deo, vel de creatura; hæc autem cùm sit ens *ab alio*, Deum in obliquo connotat.

Impossibilitate quidem supposità, evidens est, nullam ex tali Systemate secuturam in moribus corruptionem; Sed cum explicatio & valdè fragilis sit, & dictatis reservata Scholasticis, non exprimatur in eo, quod typis editum ad disputandum proponitur, non potest non Propositio esse digna censuris omnibus, quibus à Sede Apostolica proscribitur, videlicet quòd sit *scandalosa*, *temeraria*, *piarum aurium offensiva*, *& erronea*.

Quapropter meritò mihi semper visa est Professorum istiusmodi imprudens levitas, neque toleranda, qui Theses obtrudunt exoticas, reservando sibi ratiunculæ quidpiam, quod in Cathedra sustinere valeant, quasi inde sibi conciliaturi famam ingenii; cùm plerunque nihil referant, nisi inanissimæ improperium jactantiæ. *Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus.*

Ad Arnaldum fictitium redeamus.

" Thesis Sexta: Sed quomodo cum illa
„ peccati Philosophici Censura conciliari
„ potest bicornis voluntatis indifferentia, &
„ Aristotelicæ libertatis definitio: *Libertas*
„ *est Potentia, quæ positis omnibus ad agen-*
„ *dum prærequisitis, potest agere & non agere*;
„ Cum utique non possit tam vitari quàm
„ non vitari quod ignoratur? Cave ad sen-
„ sum divisum & compositum, aut ad indif-
„ rentiam judicii confugias; Vana sunt enim
„ illa Neotericorum effugia, declinandis se-
„ mipelagianorum terriculamentis malè ad-
„ inventa. Satius igitur nobis videtur & S.
„ Augustini principiis conformius, ejusmodi
„ libertatem in flexibili ad libitum volunta-
„ tis indifferentiâ, & in expedita ad utrumli-
„ bet potentiâ consistentem, post peccatum
„ Adæ porsus rejicere.

" Thesis Septima: Inferes illicò necessi-
„ tatem induci in actiones humanas. Apage
„ illa inania consectaria, centies ex famosis
„ quinque Propositionibus perperam accer-
„ sita, & centies explosa. Necessitatem
„ quidem naturæ & immutabilitatis in hoc
„ viatoris statu abhorremus: aliam verò
„ quamlibet necessitatem, nihil est quod re-
„ formidemus, Duce Augustino de Civitate
„ lib. 5. cap. 10. *Si autem definitur necessitas,*
„ *secundum quam dicitur, necesse esse ut ita*
„ *sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam ti-*
„ *meamus ne nobis auferat libertatem.* Hanc
„ necessitatis cum libertate concordiam de-
„ inceps agnoscet, quisquis catholicè sen-
„ tiet, & pestiferam peccati Philosophici
„ doctrinam seriò ejurabit.„

Acceptis Thesibus Jacobus Gilbert exultans in suo exilio, eas promptissimè approbavit insigni encomio: *Doctrina* (inquit) *in Superioribus Septem Thesibus contenta, per Apostolicam traditionem ad nos transmissa est, à gratiæ Doctore Divo Augustino tradita, & genuinum Romanæ Ecclesiæ sensum hac super materia dilucidè exponit, adeoque ab omni errore, erroris que periculo est longè remotissima.*

Valde conveniens & æqua visa est hæc approbatio tribus Baccalaureis Joanni Baptistæ Malpaix, Joanni Bruneau, & Basilio du Bron, uti & Joanni Francisco Malpaix, qui Ecclesiæ Collegiatæ Canonicatu à Gilbertio Præposito donatus, hanc ei grati animi tesseram reddere voluit, ut approbationem ejus cum tribus illis Baccalaureis, suo calculo confirmaret.

Adrianus Wille Licentiatus, verbo *existimo* aliquid majoris modestiæ præseferre maluit: *Has* (iniquit) *septem Conclusiones attente*

tentè legi, maturè consideravi, & doctrinam in illis contentam, per Apostolicam Traditionem ad nos transmissam esse, atque ab irrefragabili gratiæ Doctore Divo Augustino traditam, nullumque errorem continere; sed genuinum Romanæ Ecclesiæ sensum hac super materia censeo, ac existimo.

Brevior est; sed eundem sensum complectitur approbatio Francisci de Laleu Doctoris, Petri Rivette Licentiati, & Petri de Ligny Baccalaurei: *Hæ Septem Propositiones de Gratia, de Peccato Philosoqhico, & de libertate humana, Doctrinam continent verè Augustinianam, & orthodoxam, ac proinde nulli Censuræ obnoxiam.* „

His absolvitur totus approbantium numerus. Cur plures non accesserint, testatur solito suo candore, & fert ægerrimè Canonicus Malpaix, quod eadem secum sentientes, scripto non audeant profiteri: *Quod plures* (inquit) *à Thesium approbationi retrahit, est quod magis Jesuitas timeant, quam Deum. Satis conspicantur eadem illis Thesibus contineri dogmata, quæ tradidit Gilbertius, ideoque ab eadem sibi metuunt* (exilii) *sorte.*

Ex ipsis subscribentibus complures eodem territi supplicio, Approbationem manu tremula consignarunt. Ita Petrus Rivette putatitio Arnaldo respondet. *Approbationis nostræ usum tuæ committimus prudentiæ, de qua non ambigimus, quin tanta sit, quanta ad præsens negotium est necessaria. Si enim approbatio nostra Jesuitis innotesceret, nihil prætermitterent molitionis, ut nos perderent.* Adrianus Wille: *Non sint magna* (inquit,) *formidine subscribo; sed quia securum me esse jubes, nihil inde evenire posse mali, tuæ fidem habeo assertioni.*

Simili ratione Petrus de Ligny: *Nisi esses omnium mortalium in tractandis negotiis vtrsatissimus, & peritissimus non levi exponeremur periculo accipiendi ex Aula Epistolam* LETTRE DE CACHET, *quâ pelleremur in exilium, approbatarum Thesium mercedem. Ingens profectò foret Ecclesiæ detrimentum, si contingeret, Dominos de Laleu & Rivette exilio mulctari.*

Generosior autem ipse de Laleu, etiam ad Martyrium, si opus foret, pro Jansenianí confessione Evangelii, se promptum exhibet, sic Arnaldo suo imaginario respondens: *Quod attinet ad scriptum, quod tibi mittimus, tuæ relinquo prudentiæ, ut eo utaris prout Dei gloriam exigere judicaveris. Non facio animam meam pretiosiorem me.*

Idem: *subscripsimus*, inquit, *quemadmodùm pro veritate judicaveras expedire: atque istud ego quidem tantò majore præstiti lætitiâ, quod in memoriam mihi redierit, quomodo aliàs admiratus Dei judicia in causa Gilbertii, indita fuerit mihi cogitatio, electum me esse à Deo, ut magis indè proficerem, quàm ipsi.*

Quomodo tali animatus Vaticinio, non quidvis audeat Doctor, tam mirificè divinitus illuminatus? Non tamen temerarius esse vult, & zelo forsitan intempestivo, detrimentum magis, & obicem afferre veteri reducendæ in Ecclesiam doctrinæ, quæ Pelagianismo scilicet invalescente, quodammodo tenebris obsita & sepulta est. A Joanne Vergerio Abbate Sancyrano, ab Arnaldo, & recentiùs à Quesnello, Gerberonio, Ægidio de Witte istud didicerit.

A Quesnello in primis Arnaldi discipulo docemur Propositione nonagesimâ quintâ. *Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum; adeò remotus est à simplicitate Apostolorum & supra communem captum Fidelium. Neque satis advertitur quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.*

Iterum Quesnellus in *Colloquiis circa Decretum Romanum prohibens Novum Testamentum Catalaunense cum observationibus Moralibus* pag. 103. *In hac Fæce seculorum, in hac disciplinæ corruptione, omnis penè spiritus Apostolicus extinctus est.* Dicitur *omnis penè*, quia scintillæ quidpiam, desertis Pontificiis, superesse reliquum creditur in Jansenianis.

Gerberonius anno 1697. sub ficto nomine *Martini du Chesne* edidit *Disquisitiones duas de Prædestinatione gratuita & gratia per se efficaci*: pag. 77. relatis Innocentio I. Zozimo &c. Pontificibus, qui olim Pelagium condemnarunt, hanc mendaci dignam hypocritâ suggerit annotationem: *Vigor hic Apostolicus in Catholicis victricis, seu se ipsa efficacis gratiæ, & gratuiti Divinæ prædestinationis propositi, veritatibus asserendis, amputandisque vel tenuioribus hæresios Pelagianæ surculis, utinam in iis, qui Ecclesiæ post tantos Pontifices præfuerunt, non defuisset! Illa jam non doleret, Christianam de Christi gratia & prædestinatione fidem, succrescentibus in ipso Domini agro novarum opinionum Zizaniis, penè suffocatam: illa, ut apertiùs loquar, non se ferè totam gemens & lugens miraretur Pelagianam.*

Postquam Disquisitiones illæ, quam meruerant damnationis sententiam subierant, obductâ facie prodiere iterùm sub larvâ, seu mutatâ solùm Epigraphe in *Historico-Theologicas Dissertationes* &c. Nunquid bellè, & con-

congruè tutiori ac rigidiori Ethicæ? Sed quid à definitionum Apostolicarum hostibus, & contemptoribus obstinatis expectes documenti salutiferi, & reformationis seriò adamatæ? Nobis audire semper & sequi securius est Ecclesiarum omnium Matrem ac Magistram.

Non saniùs de Ecclesia hujus temporis judicium fert Ægidius de Witte, semper paratus contra Apostolicam Sedem furere, & insanire. In *Denuntiatione*, ut vocat, *solemni Bullæ Clementis XI. Vineam Domini Sabaoth* pag.6. Sic alloquitur Ecclesiam: *Conjurasse contra te videtur universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum.* Pag.8 *Infirma est ipsa Religionis Arx* (Roma) *Terra infecta est à lue Pelagiana*; quia præter Jansenistas, adscribere militiæ Pelagianæ universos, Jansenii sectatoribus proprium est: discere illud potuerunt à Calvinianis & Lutheranis eàdem calumniâ contra Tridentinum suos vindicantibus Patriarchas.

Idem in *Depulsione excommunicationis in Matthiam Torkium* latæ pag. 8. *Sed quod denique, ajet quis, ingentibus bisce malis, confusionem penè Babylonicam Ecclesiæ invehentibus perfugium? Certè nullum expectandum ab Urbe Romà, quæ totius ægritudinis, quâ à planta pedis usque ad verticem Ecclesia luctuosè atteritur, præcipua & prima causa est.*

Sed nimiùm à Duacenis divertimur. Notare cœperam, quòd Dominus de Laleu, quantumlibet fervidus novæ Ecclesiæ Apostolus, non tamen judicet, magnum illud, & plenum mysterio, reformationis negotium, præcipiti consilio & molitionibus præproperis, exponi oportere discrimini. Cujus suæ providentiæ specimen dat phantasmati Arnaldino scribens: *Exultarem gaudio; si ea advenisset temporum conditio, ut quæ meditamur, palam prodere liceret, & liberè eloqui Augustini dogmata utendo etiam phrasibus Augustinianis! Fateor, non satis perspectas mibi esse rerum & temporis circumstantias, ut ferre judicium securè valeam. Cæterùm caveamus studiosè, ne prædefinitam à Deo horam festinatione nimiâ præveniamus. Gilbertius etiam crediderat exoptatum tempus eluxisse; sed eventus docuit contrarium.*

Non inanem fuisse Novatoris hujus formidinem, non minus ipse proditus, sui didicit experimento exilii. Videre jam Lector cœperis, an novi isti Ecclesiæ reformatores, reverà in Christo, ut simulant, an verò in machinationibus suis occultis & subdolis, spem ponant restituendi quod in doctrina sana diuturnitate temporum, & maximè perniciosis, ut autumant, Pontificum contra novam Ecclesiam Constitutionibus collapsum aut vulneratum est.

Sacrilegam hanc Jansenistarum fiduciam, solis nitentem fraudibus, perfidiâ, mendaciis, atque perjuriis, operæ pretium est non accersitis aliundè testimoniis; sed ipsorum scriptis convincere.

In solis hìc sisto Duacensibus, atque ab ipsorum ordior duce Cancellario Jacobo Gilbert, de quo superiùs præmisi aliqua, quibus lectoris animus congruè ad sequentia disponatur. Hic homo tantâ Regis Christianissimi benevolentiâ promotus, nullis præcedentibus meritis; sed demeritis non levibus, cui omnis meriti loco, fuisse creditur declarati voluntatis scribendi, contra receptam in reliquis Orbis partibus Pontificiam authoritatem quàm in Galliis ampliorem; hic, inquam, ad quælibet maximè sublimia promotus, ut Theologiæ tirones innocuos falleret, propinatumque illi hæresios venenum haurirent securiùs, sic eos monuit tractatu de Gratia pag.70. *Reflectant omnes, me ad eam, quâ Divinâ providentiâ, & præter meritæ promotus sum, dignitatem, non pervenisse, nisi eâ professione præstitâ, quam Formulâ suâ exigit Rex noster circa Propositiones damnatas: imò ad illam formulam addidisse me, præfatas Propositiones damnare me in omni sensu, quo Constitutiones Apostolicæ damnarunt eas, & deinceps damnabunt.*

Postea autem ad septem Thesium authorem scribens, *Evangelicam*, inquit, *de Christi gratia doctrinam sanasti à Vulnere, quod ei Alexander VII. suâ inflixerat Constitutione, & cujus nondum penitus obducta est cicatrix.*

Duo hæc inter se quis conciliet invicem maximè opposita? Quæ ut Lector quilibet, etiam non Theologus percipiat, ponat sibi ob oculos Formulam ab Alexandro VII. propositam, cui Gilbertius jurejurando, ut Rex Christianissimus imperaverat, se subscripsisse profitetur [b] Ego Jacobus Gilbert Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. „ Maii 1653., & Constitutioni Alexandri „ VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum „ Pontificum me subjicio, & quinque Propo- „ sitiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab „ eodem authore intento, prout illas per „ dictas Constitutiones Sedes Apostolica „ damnavit, sincero animo rejicio ac damno „ & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc „ Sancta Dei Evangelia.„

Componat, inquam ista, qui potest: *Alexander VII. damnando quinque Propositiones in sensu intento ab eodem authore Jan-*

sen-

senio, inflixit vulnus Evangelicæ doctrinæ de Christi gratia. Et *me Constitutioni eidem subjicio, & quinque illas Propositiones in sensu intento ab eodem authore Jansenio, prout illas Alexander VII. damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro.*

Perjurium evidens est, si eo animo Gilbertius juraverit, quem officiis & beneficiis potius postea, clanculum declaravit. Aliud est in quo se à perfidię saltem crimine non liberabit. Post condemnatum ab Attrebatensi suo Antistite Tractatum suum de gratia, velut hæreses continentem, ab eodem Episcopo jussus composuit lucubrationem, cui titulus: *Jacobi Gilbert Explicationes & Retractationes quarumdam Propositionum, in Tractatu suo de Gratia occurrentium, quæ aut explicandę, aut retractandæ visę fuerunt.* Scriptum istud ab authore subsignatum est Insulis die 27. Julii anno 1687. coram Attrebatensis Seminarii Moderatore misso ab Episcopo.

Quæ quàm seriæ, quàm sinceræ fuerint *Retractationes*, collige ex eo quòd dein, acceptis septem Thesibus, cum Duacensium suorum approbationibus [nam ipse in exilium missus abeat] sic responderit Petro de Ligny: *Consolatur me plurimùm Thesis eum vestris de gratia æquissimis judiciis; quia in illa simul & compendium & confirmationem perspicio mei de Gratia Tractatus.*

In Retractationis memoratæ Articulo 31. ait: *Gratiam sensu Thomistico sufficientem, quę det posse etiam propinquissimum, libenter admittimus.* Triennio autem post inter suos confidentiùs, quod censebat, enuntians, ad Quæstionem, quid statuendum esset de gratia sufficienti Thomisticè, respondit: *Cùm vox ipsa & res voce expressa purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit, illam ex sana Theologia relegandam judicamus.*

Triennio ante cùm intelligeret Gilbertius Tractatum suum de gratia denuntiatum esse Regi Christianissimo, atque ab eo commissum examini Sorbonicorum, nihil promptius habuit, quàm pallio se cooperire Thomistico, Thesibus nempe eodem anno 1687. editis, ubi n. 49. ait: *Dum videmur à gratia sufficiente in sensu Thomistarum recentiorum recedere, nullo modo recedimus à re per illam in sensu Thomistico importata.* Inter suos autem postea aperiens mentem, ut jam retuli, *Cùm vox ipsa & res voce expressa purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit, illam ex sana Theologia relegandam judicamus.*

Inter Jansenistarum Duacensium heroes vix ulli cedebat audaciâ Petrus de Ligny, juvenis quidem Baccalaureus, & licèt nonnisi Philosophiæ Professor, arrogabat sibi scientiam supra ætatem, etiam supra suos quorum Theologicam agnoscit, & prædicat peritiam. Ad amicum scribens ait: *Quidam vir doctus judicat sufficientem gratiam Molinistarum esse errorem; ego autem illam censeo esse hæresim; gratiam verò Thomistarum esse stultitiam.* Ubi digna humili & sapiente Augustini discipulo, sui supra *virum doctum* æstimatio meretur animadversionem.

Optimo ut vidimus, Jansenianis usui eadem Thomistarum gratia est, quando necessitas postulat ut censeantur Catholici. Ita moniti suprà fuimus ab uno ex novatoribus illis non infimo Petro Rivette, ubi ad amicum scribens, *Gratia sufficiens* (inquiebat) *reddita hic est quodammodo necessaria: Si non sufficiat ad actionem, ad quam dicitur sufficiens; sufficit tamen utcumque ut nos ab insidiis liberet adversariorum. Cæterum voce illa utor, quàm possum parcissimè, & semper sollicitè addendo particulam alienantem SENSU THOMISTICO.*

Ita Præpositis Ecclesiæ illuditur, & Sycophantæ ad omnia Beneficia & Officia reputantur idonei. Quidquid enim illi antea obtruserint manifestè hæreticum, atque ut tale a Sede Apostolica sæpius in Jansenio damnatum, detersâ omni maliriâ expurgatum satis inposterum videbitur, ludicrâ illâ sufficientis gratiæ sensu Thomistico, professione.

Audiatur iterum præfervidus noster Augustini Batavi discipulus Petrus de Ligny, & quidem non in quadam temerè ad amicum datâ epistolâ; sed in professione fidei ultroneâ ad patrocinantem sibi & benevolum Antistitem exaratâ attentione maximâ, & juxta intimum animi sensum, utpote Deo in testem invocato: *Illustrissime Domine*, inquit, *Declaro coram Deo, quod constantiâ inviolabili adhæream omnibus Arnaldi sententiis quem semper amore & æstimatione prosecutus sum velut Theologum cæteris omnibus superiorem. Hoc duce, credo me securiùs abdita S. Augustini dogmata investigaturum.*

Elevatio Arnaldi *supra omnes Theologos*, & Inviolabilis in omnibus ejus dogmatibus obfirmatio extendit se multò latius, quàm Theologum deceat Catholicum, & quidem securitatis & rigoris præ cæteris studiosum: complectitur enim doctrinam Jansenii universam ab Arnaldo sępius magnis encomiis, etiam contra Constitutiones Apostolicas approbatam atque defensam, ultra Propositiones plures ab Alexandro VIII. de Sacramento Pęnitentiæ &c. censuris meritò notatas.

Professio Articuli 3. est: *Declaro coram Deo, me credere quod libertas indifferentiæ in statu naturæ lapsæ non nisi chimera sit, humana*

na inventio inter Pelagianæ reliquias Philosophiæ.

Art. 4. *Coram Deo declaro me credere quòd post lapsum Adæ nulla prorsus detur gratia sufficiens; sed efficax solummodo: quòd Molinistarum circa id sententia sit semipelagiana, & condemnata in Congregatione de Auxiliis; sententia quoque Thomistarum sit exotica & mera stultitia.*

Art. 5. *Declaro coram Deo quòd credam nos absque gratia efficaci non solum nihil agere; sed neque posse: atque hanc veritatem comprehendi Articulo primo inter quinque oblatos Alexandro VII. & ab eodem Pontifice approbatos.*

Art. 6. *Declaro coram Deo, me credere quòd Prædeterminatio physica, eo modo quo in Thomistarum scholis exponitur, sit prorsus contraria doctrinæ S. Augustini, & quòd solutiones illic adhiberi solitæ sensus divisi & compositi, uti & indifferentiæ judicii sint cavillationes inanissimæ, quarum nullum in Patribus reperiatur indicium.*

Idem scribens eodem tempore ad amicum: *Protestor tibi* (inquit) *quòd remotissimus sim ab opinione, vel potius, si ita mavis, ab errore asserente libertatem indifferentiæ ... Ea novitas est Molinæ, & sola Thomistarum socordia eam recipit falsitatem & adoptat.*

Quantumlibet studiis immersus & serius appareat hic Baccalaureus; attamen etiam subinde ei nugari lubet, velut cùm Arnaldo fictitio scribens ait: *Speramus fore ut Servator tibi vires tribuat sufficientes, non sensu Thomistico; sed Augustiniano, ut pergas diruere funditus illum iniquitatis Colossum à Molinæ sectatoribus tot fraudibus, atque calumniis fabricatum.*

Dilucida hæc sunt, quæ nullis valeant tergiversationibus eludi, vel interpretationibus frivolis excusari, specimina audaciæ ac temeritatis Jansenianæ, nullam reverentis authoritatem, etiam Pontificiam: prohibet enim illa contumelias jactari in eas sententias, quas permittit eadem doceri liberè ac prædicari. Sed quomodo tantis succensus ignibus Jansenista non oderit cane pejus & angue eos, quos noverit adeo novæ hæresi infestos?

Gilbertius in retractatione, quam jussu Attrebatensis Episcopi composuerat anno 1687. Art. 25. *Displicet mihi* (inquiebat) *me dixisse, Molinæ sectatores in assertione gratiæ merè sufficientis non effugere Pelagii errorem de gratia meræ possibilitatis, &, si alicubi, hic maximè fateor, me videri potuisse Jansenii spiritu abreptum.*

Sed neque æquitas, neque bona fides aut religio eundem retinuit Novatorem, quin ipsam quoad omnia revocaverit, destruxerit Retractationem triennio post scribens Baccalaureo de Ligny: *Me consolatur plurimùm Thesis, & quod de ea tulisti judicium. Video ibi Tractatus mei de gratia & compendium simul & approbationem.* Atque ita Gilbertius, quidquid triennio ante & à Sorbonicis Doctoribus, & à suo Antistite notari viderat tanquam hæreticum, & ipse mox visus fuerat retractasse, hic integrum restituit, suamque penitus subruit palinodiam.

Verùm non tam citò nobis Professio Baccalaurei dimittenda est. Art. 8. ait: *Declaro coram Deo, me credere, quòd nulla detur in jure naturali ignorantia invincibilis: atque ita quisquis jus illud non servat, in quacumque fuerit circumstantia, peccato obnoxius est, & supplicio coram Deo;* licèt sæpe ignorantia illa superari sine gratia nequeat, neque ulla in hoc statu mortalibus obtingat sufficiens; sed efficax solummodo juxta Articulum 4. Efficax autem gratiæ auxilium non dari omnibus satis manifestum est. Undè facilè foret elicere hæreticam Jansenii Propositionem tertiam: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.*

Nodum hunc solvere si nequeat, instar Alexandri Macedonis, facilè mox scindet acinace, autoritatem denegando omnibus contra Jansenium Decretis, ut mox amplius videbimus.

Art. 9. *Declaro coram Deo me credere, quòd sit abusus intolerabilis, absolvere pœnitentem, antequam præcesserit emendatio, & quòd administrare Sacramentum eis, quorum dolor provenit solùm ex metu gehennæ, sit illud profanare.*

Paucis mensibus antequam hæc de Ligny scriberet, prodierat Decretum Apostolicum Alexandri VIII. feriens Articulos 31. inter quos legere poterat hunc 17. *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.* Et 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu; sed abusu.*

Diu verò antè, videlicet anno anno 1667. die 5. Maii ediderat Alexander VII. Decretum prohibens censuras & contumelias utrique de Attritione contendentium parti, ut sequitur.

„ Sanctissimus Dominus Noster &c.
„ Cum acceperit non sine gravi animi mœ-
„ rore, Scholasticos quosdam acriùs, nec
„ absque Fidelium scandalo, inter se con-
„ ten-

„ tendere, an illa attritio, quæ concipitur
„ ex metu gehennæ excludens voluntatem
„ peccandi cum spe veniæ, ad impetrandam
„ gratiam in Sacramento pœnitentiæ requi-
„ rat insuper aliquem actum dilectionis Dei,
„ asserentibus quibusdam, negantibus aliis
„ & invicem adversarii sententiam censuran-
„ tibus, Sanctitas Sua enixè cupiens pacis
„ vinculum inter fideles servari, omnem
„ scissuræ fomitem extinguere, auditis votis
„ Eminentissimorum ac Reverendissimorum
„ DD. Cardinalium adversùs hæreticam pra-
„ vitatem Generalium Inquisitorum, necnon
„ Dominorum Consultorum & Qualificato-
„ rum Sacræ Congregationis ejusdem Gene-
„ ralis Inquisitionis, hoc præsenti decreto in
„ virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna
„ excommunicationis latæ sententiæ, huic
„ Sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejus-
„ dem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præ-
„ cipit cunctis & singulis Fidelibus quocum-
„ que gradu ac dignitate, etiam Episcopali,
„ & majori, imò & Cardinalitia fulgentibus,
„ ut, si deinceps de materia Attritionis præ-
„ fatæ scribent, vel libros aut scripturas
„ edent, vel docebunt, vel prædicabunt,
„ vel alio quovis modo pænitentes, aut
„ Scholares cæterosve erudient, non audeant
„ alicujus Theologicæ Censuræ, alteriusve
„ injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alte-
„ ram Sententiam, sive negantem necessi-
„ tatem aliqualis dilectionis Dei in præfata
„ attritione ex metu gehennæ concepta, quæ
„ hodie inter Scholasticos communior vide-
„ tur, sive asserentem dictæ dilectionis ne-
„ cessitatem, donec ab hac Sancta Sede fue-
„ rit aliquid in hac re definitum.

„ Statuit prætereà Decretum hoc seu
„ illius exemplar, ad Valvas Basilicæ Prin-
„ cipis Apostolorum de Urbe, & in acie
„ Campi Floræ affixum, omnes ubique exi-
„ stentes arctare & afficere ac si unicuique
„ personaliter fuisset intimatum „.

Verùm neque Alexandri VII. neque VIII. penes novam Ecclesiam magna est authoritas: longè gravioris ponderis est Arnaldina & Vergeriana, seu Sancyrani Abbatis, quorum posterior passim creditur author præcipuus libri de *Frequenti*, seu potiùs rarissimâ *Communione*, quem Arnaldus aliquibus additis, in lucem dedit.

Ex illo autem utraque, quam retuli, Propositio, cum pluribus aliis, desumpta est, & tacito authoris nomine, ab Alexandro VIII. condemnata. Sed vel propterea, & simul ob reprobationem quatuor Articulorum Cleri Gallici, meruit Pontifex ille à Walonio, Arnaldo, Quesnello & reliquâ Ecclesiâ novâ, sive ut à suis vocatur *Familia Sancta La sainte Famille*, feriri anathemate, etiam post obitum, ut ex Walonii literis à me aliàs narratum est. Alexandro quoque septimo, præcipuè post mortem titulus *Sanctissimi*, judice Walonio, minimè convenit. Idem Pontifex juxta Gilbertium, ut supra vidimus, *intulit Christi gratiæ vulnus, cujus cicatrix nondum, ut oportuit, obducta est*.

Denique si Baccalaureum nostrum de Ligny audire placuerit, quidquid Alexander VII. & ante eum Innocentius X. definivit, malevolentia ipsorum fuit, vel turpis ignorantia, sinentium se à deceptoribus circumveniri. Sic amico Baccalaureus sensum suum aperit: *Certissimè persuasum habeo, Iprensem Antistitem* (Jansenium) *fuisse in suis dogmatibus condemnatum artibus factionis Molinisticæ, neque ullam ab eo traditam fuisse de gratia doctrinam, nisi acceptam a Doctore gratiæ Augustino: Quin imò credo, nullum unquam Pontificem dedisse argumenta magis evidentia authoritatis suæ erroribus obnoxiæ, quàm infligendo anathema quinque Propositionibus in sensu à Jansenio intento: Quapropter nullo angor scrupulo in lectione librorum omnium de Jansenismo tractantium,* quantumlibet à Pontificibus prohibeantur.

Idem in alia epistola *sumus hic in regione admodum scrupulis addictâ, quantum attinet ad libros prohibitos. Passim hic homines legere non audent libros tractantes de Jansenismo, veriti ne in Constitutiones impingant Pontificias; ego verò cum persuasum prorsus habeam, Pontifices in condemnatione Jansenii fuisse deceptos, nihil in hac lectione patior difficultatis*.

Circa Jesuitas autem Jansenio præcipuè adversantes *Assequi nequeo*, (inquit idem Baccalaureus) *quomodo fieri possit, ut Christiani, Religiosi, & quidem nominantes se Jesu socios, sic opponant se Jansenio tantæ integritatis Antistiti, ut nullâ existimari valeat dignus reprehensione*.

De reprehendendo nunc non agitur defuncto Antistite; Sed de abdicanda ejus doctrina, cui ipsemet nuntium remisisse noscitur, quando eam secuturo Pontificis judicio sponte & sæpius in vita; moriens quoque disertissimè submisit. Suo autem Baccalaureus scribens Præsuli, cui fidem suam aperire constituit integram, sic prosequitur Articulo 10. *Declaro coram Deo, me credere, quod in hac seculi corruptione confessarii ad officium suum congruè instituti, restringere debeant usum communionis frequentem, quodque cibus ille calestis in venenum convertatur lethiferum plerisque illum sumentibus absque eximia cordis pu-*

ritate, & amore Numinis ardenti.

Quanta debeat esse ea cordis puritas, & quàm fervidus Dei amor, intelligimus ex Propositione vigesima tertiâ inter 31. ab Alexandro VIII. anathemate perstrictas, ubi dicitur: *Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers*, quæ cum excerpta sit ex libro Arnaldi *de frequenti Communione*, & Baccalaureum videtmus Articulo 1. *coram Deo declarantem, quod constantia inviolabili adhæreat omnibus Arnaldi dogmatibus*, facilè quoque intelligitur, qualis ab eo amor & puritas requiratur, ut non convertatur communio in venenum.

Quàm igitur Sanctos supponere debemus istiusmodi novæ Ecclesiæ Presbyteros, quos, si stipendio opus habeaur, aut obstringantur beneficio, intuemur Missæ Sacrificium ferè quotidie celebrantes! Sed quidquid forsitan de Presbyteris sit, compertum fuit ab initio malignantis Ecclesiæ, in id collimasse ejus apostolos, ut Eucharisticam sumptionem rarissimam plebi fidelium redderent, ac penè nullam. Quod ex *Corona Sanctissimi Sacramenti* exploratissimum fit.

Illic *Christus* dicitur *suæ solitudini relinquendus*, & plura similia. Quod opusculum propterea, ut aliàs monui, gravissimis censuris à Sorbonica facultate condemnatum est. Aliquandiù Sancyrani credirum fuit; quia pluribus ab eo lucubrationibus contra Sorbonicos vindicatum; quamvis postea ejus Sectatoribus visum fuerit expedire, ut damnationis infamia conjiceretur potiùs in *Mariam Angelicam* Arnaldi sororem & dignam Portu-Regio Monialem.

Pergit Baccalaureus Art. 11. *Declaro coram Deo, me credere quod Monachi sopiant imperitam plebem, & in prava peccandi consuetudine retineant, promissâ criminum impunitate & fiduciâ quarumdam indulgentiarum pro articulo mortis, quas affigunt nescio quibus devotionum quisquiliis, quę neque mutandis moribus serviunt, neque ad animorum pertinent conversionem, sed sistunt in cultu quodam exteriorę, & semijudaico* Art. 12. *Declaro denique coram Deo, me credere quod inter devotiones illas plebejas sint scapulare, Rosarium, Zona & Confraternitates aliæ, quodque obsequium redderet Ecclesiæ, qui devotiones illas phantasticas aboleret, utpote plus habentes nugarum Theatralium, quàm veræ pietatis.*

Hæc omnia produnt in Novatoribus animum à Religiosis, præsertim mendicantibus, insigniter alienum; Constat enim Scapulare, Rosarium, Zonam & similes devotiones atque Confraternitates à Religiosis istiusmodi potissimum promoveri, & quidem fructibus optimis & copiosis.

Recitatio Rosarii, judicio Catholicorum omnium, occupatio homine Christiano dignissima est, tota consistens in professione fidei, quæ Apostolorum Symbolo continetur, dein in Dominica Oratione atque Salutatione Angelicâ, cum clausula quæ authoritate Ecclesiæ Salutationi Angeli & Elizabethæ addita, usu piissimo omnium Fidelium nemine præter hæreticos obganniente, consecrata est. Habent ne adversarii aliquam novas inter Portus-Regii Orationes magis piam, quàm Dominicam ab ipso nobis compositam Servatore? His tribus, ut dixi, Symbolo Apostolorum, Salutatione Angelicâ & Oratione Dominica totum absolvitur Rosarium.

Quod ad Confraternitates attinet etiam cæteras, quas non solummodo inferiorum Antistitum; sed Apostolicæ quoque Sedis approbavit authoritas, earum pariter institutio saluberrima est, qua obstringitur adscripta plebs Fidelium, diebus præcipuè festis tempus notabile impendere Orationibus, & aliis incumbere pietatis exercitiis. Obligatur quoque Regulis ad frequentem usum Sacramenti pænitentiæ & Eucharistiæ, dum aliàs differrent plurimi in menses aliquot, imò ad tempus usque Paschale.

Si hæc omnia, & longè plura religionis, etiam misericordiæ & charitatis opera, quæ confratrum regulis præscribuntur, non sint nisi devotiones mimicæ & phantasticæ, si totæ terminentur cultu semijudaico, si denique obsequium præstaret Ecclesiæ, qui hæc abrogaret, edoceat nos Baccalaureus, quid illis omnibus abolitis, ipse ad excitandam & fovendam populi religionem atque pietatem opportuniùs substituendum censeat ac saluberiùs. Documentum nobis brevissimum suggerit Quesnelli. Art. 68. *Dei bonitas viam salutis abbreviavit in fide & precibus.*

Præter alia præscribi solita Confraternitatibus, nonne fides & preces, ut jam ostensum est, Rosario continentur? Salutis autem semita, prout à Quesnello velut adæquata traditur, percommoda libertinis est, quæ eos liberat præceptis jejunii, confessionis & aliis difficultates afferentibus non exiguas.

De posteriore hoc Articulo differendi occasionem rursus offeret Propositio Quesnelli 94. Præsenti autem capite, diutiùs videbor forsitan, quam juvenis unius mereretur temeritas, referendis ejus & confutandis excessibus inhæsisse. Verùm licet ætate juvenis, & gradu non nisi Baccalaureus; in nova tamen Ecclesia viris magnis & Doctoribus non impar ab illo tempore habitus fuit, zelo, fran-

fraudibus, hypocrisi, labore nemini secundus. Unde in spem magnam alebatur propagandi novi Evangelii in Provincias etiam remotas, destinatâ primis ejus laboribus exilii tempore Poloniâ.

Illuc eum se recipisse novimus, famamque ut inde scribitur, captasse etiam nobilitatis magnæ, quæ Belgio communiter ignota est. Rei potiùs familiaris angustias indicat Gilbertius anno 1690. amico literis nuntians: *Dominus de Ligny Academiam deserere debebit; nisi ei de subsistendi mediis provideatur. Deseruisset jam inde, nisi eum retinuissem promisso vacaturo proximè Canonicatu.* Mirificam in nova Ecclesia fecisse se de suis meritis existimationem, non ignorabat ipse Baccalaureus, sic amico scribens eodem anno: *Dominus Rivette & de Laleu indubiè mihi discessum ex Academia minimè suadebunt, utpote satis conscii, me Dei adstipulante gratia, posse aliquid efficere adversùs virulenta dogmata Jesuitarum.*

Ejusdem sententiæ se profitetur Dominus Rivette in literis ad amicum eodem anno 1690. *Eadem* (inquit) *mihi æstimatio est de Domino de Ligny, nostro Philosophiæ Professore. Confido futurum ut aliquando sit Academiæ nostræ utilissimus. Acri præditus est ingenio, zelo fervido contra Molinismum & addictissimus Ethicæ puriori.*

Istius Ethicæ specimina quædam dare voluit in Professione fidei ad benevolum, ut vidimus directa Antistitem. Addo alterum superioribus simile: Amicum sic consulit: *libros de Jansenismo tractantes lego absque ullo conscientiæ remorsu; sed dubium mihi incidit de operibus justè damnatis, qualia sunt Lutheri, Calvini, Jurii & similium hæreticorum. Rem mihi facies gratissimam, si tua in hoc mihi eruditione subveneris.*

Nonne digna rigidioris Ethicæ Sectatore dubitatio est? Ne verò existimes, lector, dum superiùs Baccalaureum hunc vidisti adeò Jesuitis infensum, benevolum fortè esse Ordinibus Religiosorum cæteris, indolem sequitur Janseuii sectatoribus communem, quæ est Religiosos odisse universos licèt præcipuè feratur rabies in Jesuitas.

Ita juvenis hic de Ligny postquam in epistola quadam non malè sentire visus fuerat de quodam Sacro Ordine, in fine nihilominus monet neque fidendum monachis, neque multum ab eis sperandum boni, egregio concludens epiphonemate *Mais apres tout, Moines sont Moines; sed denique Monachi sunt Monachi.* Sic etiam loquens de Regio Duaci Collegio, *incommodum* (inquit) *nostro accidit Regenti, seu Præsidi, quod duo inde Professores* (Philosophiæ) *præcipui discedamus, non nisi duobus remanentibus, & quod pejus est, uno ex iis Monacho.*

Ut tam mirabili finis imponatur historiæ, superesse lectori videbitur nomen Arnaldi fictitii revelandum. Candidè dico, me ignorare: quidquid tamen obscuræ de eo notitiæ ad me pervenit, lubens communico. Omnia ille documenta authentica, & scriptas ad se tanquam ad Arnaldum literas deposuerat penes Patrem Payen Societatis Duaci Collegium tunc temporis moderantem, volueratque ut hic cuilibet ea inspicere, ac legere cupienti exhiberet.

Suam de hoc dispositionem Arnaldus fictitius, epistolâ typis editâ publicam reddidit; ne fides sua & veritas à quopiam posset in suspicionem postea vel dubii vocari. Commissum sibi negotium Religiosus quâ fide susceperat, executus est, tacito semper nomine authoris, quod ne mihi quidem aperuit, etiam quando mox Leodiensis Collegii gubernaculo admotus me Lovanio ad se humanissimè invitavit atque excepit hospitem familiarissimè, de ipsa agens Arnaldi fictitii historia, quantum à me honestè poterat desiderari, non enim patiebatur me humanitas petere, quod animadvertere satis poteram, datâ ab eo silentii fide non posse revelari.

Accepta autem à Rectore commissio sufficiens vero Arnaldo apparuit argumentum, ut eum velut stratagematis authorem, multis incesseret contumeliis. Sed accusationem illico Pater ille scripto publico refutavit. Unde in alios è Societate Antijansenistas, suspicionem Arnaldus & querimoniam convertit, sed & ab illis repulsus, hæsit palpitans in tenebris, ubique impingens miserè, ubique offendens. Dectectorum verò aliqui Jansenistarum, aut eis faventium, statim ac fictitius Arnaldus, stratagematis successum epistolâ ad Doctorem Academicum typis editâ divulgaverat, induxere Attrebatensium Antistitem, ut Patrem Payen adigeret ad omnia sibi tradenda fictitii Arnaldi documenta. Verùm de hoc factus certior, qui ea Patri consignaverat, recipere ab eodem maluit, atque ad ipsum deferre Christianissimum Regem.

Inde secuta sunt reorum exilia, & Academia Duacensis puritati ac famæ pristinæ restituta est, pace simul redditâ & tranquillitate, quæ feliciter durat in hunc usque diem; etsi reis aliquibus post annorum plurium pœnitentiam, & Professionem fidei Duacum reditus concessus sit.

Qui chartas omnes ad Regem Christianissimum pertulit; se modum hunc excogitasse fassus est, ut hæresim perniciosiùs quo-

tidiè ſerpentem, & ſuâ plurimos fallentem hypocriſi, in lucem pertraheret, ab Eccleſiæ Præpoſitis & Protectore Chriſtianiſſimo faciliùs extinguendam. Rex, ut erat verborum parciſsimus, documenta omnia accipiens, ſtratagema, inquiebat, video noſtris ſubinde militaribus ſimile, tu autem cave, ne velut author tuis innoteſcas adverſariis.

Sic ille ſine ſtrepitu in Belgium reverſus ſe continuit adeò ſolerter, ut ne hodie quidem de eo certi quidquam eruperit. Hoc unum inter noſtros communiùs creditur, velut ab aliquo Regis Miniſtro intimo reſcitum, quod denuntiator ille fuerit è Clero ſeculari Presbyter. Mihi difficile creditu apparet, unicum fuiſſe hujus ſtratagematis executorem, quidquid de induſtrio inventore ſit.

Aliquid luminis mihi acceſſiſſe viſum eſt ex colloquio quod non diù poſteà mihi obvenit cum Sacerdote ordinis ſecularis, qui & doctiſsimus erat & apprimè Catholicus, zelo contra novos hæreticos atque hypocritas ardens. Is, cùm ſermo incideret de Arnaldo fictitio, unum hoc ſibi elabi paſſus eſt, *Nemo totius hiſtoriæ magis conſcius eſt, quam Ego*. Nolui ulterius, ſive diſtinctius aliquid, quàm quod ultro panderet, interrogare; ne fortè, quod celatum magis cuperet, importunâ viderer velle inquiſitione emungere. Inde quidem ipſum ſtratagematis exequendi, forſitan & excogitandi, participem fuiſſe, non apparebat temerarium ſuſpicari.

Quidquid ſit, non multis poſtquam mecum egerat menſibus, dilata ejus promotio eſt, quam hodiedum tenet, ampliſsima; etſi meritis ejus inferior; quia vir omnimodè præclarus, non ad privatum eâ utitur commodum; ſed ad publicam Eccleſiæ utilitatem; ut qualiſcumque ei accedens dignitas, non niſi majoris ſemper meriti inſtrumentum ſit.

Denique ut præſenti finis capiti imponatur, non temeraria ſolùm, ſed etiam Sacrilega eſt Queſnelli, eique adhærentium præſumptio, ſi revera ſibi perſuadeant, quod præ ſe ferunt, futurum aliquando, ut quæ Janſenianæ hæreſi à Romanis Pontificibus infliguntur vulnera, ab ipſo ſanentur humani generis Servatore. *Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato: Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.*

Verùm non adeò inſanire credidero novæ hæreſeos Doctores; ſed in ſua induſtria, in ſuis artibus, dum inter ſe confidentiùs loquuntur & ſcribunt, ut vidimus hactenus, ſpem omnem collocant, quam ad oſtentationem tantummodo, ac deceptionem, publicè ſimulant, ſe non niſi in Chriſto & ejus gratiâ figere. Candidior Gilbertius, ut ſupra retuli, ad Arnaldum fictitium ſcribens: *Evangelicam* (inquit) *de Jeſu Chriſti gratiæ doctrinam liberaſti à vulnere, quod ei Alexander VII. inflixerat, & cujus nondum ſatis obducta eſt cicatrix.*

Non itaque à Chriſto eſt expectanda amplius doctrinæ iſtiuſmodi Evangelicæ *ſanatio à vulnere quod præceps*, ut perſidè fingunt, *Primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato*. Sed prætenſa ſanatio, invaleſcens pertinacium rebellio eſt. Hæc ſcilicet invitâ Sede Apoſtolicâ, invitis Epiſcopis, Janſeniſmum reſtituet, ut contra Pontificum, ipſiuſque Tridentinæ Synodi definitiones, ſe Lutherana & Calviniana hæreſis tumultibus ſtabilivit.

CAPUT IV.

Teſtimonium veritatis *à voce populi, ut prætenditur, acceptum*, ſanandis vulneribus, *cuicumque hæreſi* inflictis, *aptiſſimum oſtenditur*.

1 Gravis hìc aſſumitur contra adverſarios accuſatio, quæ ubi probata fuerit, ſufficiet convincendis de hypocriſi maximè perfida; quâ ſcilicet omnem illi primis Paſtoribus, etiam in Concilio œcumenicò congregatis modum adimunt ullam inpoſterum reprimendi hæreſim, quantumvis ob impietatem & blaſphemias deteſtabilem. Quæ enim nova ſecta obtendere, ſaltem mentiendo ut noſtri hodiè adverſarii, non poterit *vocem publicam, clamorem populi*, ſibi ſuffragantis?

Hoc ſcuto quælibet armata hæreſis ridebit ſecura, & aſpernabitur omnes Romanorum Pontificum, quantumlibet ab Epiſcopis receptas, quin & Conciliorum Generalium definitiones atque anathemata. Non igitur neceſſe Novatoribus eſt, quærere alibi ſuæ hæreſios Servatorem: non medicum ſanandis ſuis vulneribus idoneum: totum reperiunt in *clamore populi* ſive fictitio, ſive alicubi forſitan exorto; inſtigatione videlicet Parochi Schiſmatici ſimul ac hæretici, commiſſam ſibi multitudinem ſeditioſis ſermonibus atque concionibus excitantis.

Remedium iſtud hactenus Catholica ignoraverat Eccleſia; cumque in novis primùm Theologis illud obſcuriùs legerem, ut nationis atque indolis ſum, ſiniſtris non admodum deditæ ſuſpicionibus, mirabar equidem inculcatam toties de *voce publica* & *Clamore populi* mentionem; donec tandem anno hujus

hujus seculi decimo quinto, in plenam prodiit lucem mysterium iniquitatis, libro famosissimo cum hac epigraphe *Temoignage de la verité*, *Testimonium veritatis*.

Illic tota Christianorum Ecclesia luxandum facilè perspicit, quidquid unquam crediderat, Sacrosanctis Pontificum & Conciliorum definitionibus confirmatum. Semper enim illis opponere hæretici poterunt *vocem populi* secum insanientis.

Contra pestilentem adeò novitatem, sacrilegii & impietatis omnis facilè productricem exarsit illicò Clerus Galliæ, atque ipse Regis Christianissimi Senatus. Prior in Comitiis Generalibus congregatus pluribus ex opere Propositionibus excerptis notas gravissimas inussit, etiam hæresios, Schismatis, impietatis atque blasphemiæ: Senatus autem non solum prohibuit opus; sed in authorem quoque, Typographum, atque divulgatores sedulò inquiri jussit pro meritis puniendos.

Documentum de hoc publicum è Regesto Senatûs extractum lector accipe."

" Die Jovis 21. Februarii anno 1715. tempore matutino: Ingressi sut Regii Administri, qui Guilelmo Francisco Joly dè Fleury Regis causidico referente ita fati sunt.

" Inter lucubrationes varias, quæ circa præsentis temporis de Religione quæstiones, in lucem editæ sunt, tum contra prohibitiones Regni pristinas & generales, tum contra specialia interdicta anni 1712. diei tertiæ Februarii & contra diploma anni 1714. 14. Februarii, nulla prodiit, quæ Ministerii nostri magis debuit excitare vigilantiam, quàm ea, cui titulus est *De Testimonio veritatis in Ecclesia*, *dissertatio Theologica*, *in qua examinatur*, *quale istud testimonium sit*, *tam in communi*, *quàm in particulari circa Constitutionem ultimam*, *ut sit praecautio fidelibus*, *& Apologia Ecclesiæ Catholicæ adversùs hæreticorum Protestantium exprobrationes*.

" Prolixitatis nimiæ foret, omnes referre contumelias, quæ toto Opere sparsæ sunt; ut autem uno veluti aspectu intuendum exhibeamus genium in omnibus libelli hujus partibus dominantem, sufficit dicere, quòd ubi author loquitur de Constitutione, non vereatur sæpius repetere, quod *mereatur anathema*: quando sermonem instituit de *Pontifice*, judicat eum esse, *quem honor & securitas Ecclesiæ postulat Concilio œcumenico denuntiari*, *ut contra illum juridicè procedatur*, *& cui interim Ecclesia suis precibus petere à Deo debeat palinodiam*, *& veræ gratiam conversionis*.

" De Episcopis Constitutionem recipientibus agens, describit eos, non quasi *Patres*, *& Pastores*; sed veluti *idola & mercenarios*, *quos Regiæ indignationis timor*, *aut spes favoris induxerit ad ipsum Christum Jesum anathemate condemnandum*.

" Est etiam in eodem Opere visa nobis exponere Lectores longè majori scandalo, & graviori adhuc discrimini, assertio quorumdam dogmatum circa authoritatem Ecclesiæ falli nesciam, quæ totum quodammodo systema, & fundamentum Operis constituunt.

" Pluribus quidem affirmat author, Episcopos esse doctrinæ judices, futurumque semper in Ecclesia *testimonium veritatis* nulli obnoxium errori. At quale nobis præbet indicium, unde ea in Episcoporum judicio prærogativa agnoscatur? *Est*, inquit, *certitudo quæ oritur ex notitia publica & assensu omnium Fidelium*.

" Publicæ huic notitiæ affigit *vocem Dei & Ecclesiæ*, *clamorem fidei & testimonium veritatis*, *quod supra omnes*, inquit, *stabilitas legibus formulas*, *super omnia testimonia est*: *omnia sibi subdita habet*, *omnia judicat*, synodos etiam œcumenicas; quia in ejusdem Sententia Authoris, *conservatio veritatis toti corpori concessa fuit*, *& vel minimam adhibentibus attentionem evidens est*, *quod testimonium publicum corporis Ecclesiæ* (quod juxta ipsum est corpus Fidelium) *fit lex suprema*, *& superior judiciis Episcoporum*.

" Ita judices fidei Episcopos à judicandi munere deponit author, jubendo *Episcopale judicium ab assensu populi dependere necessariò*, *ut vim legis tribuat eorum judicio*, *utque hoc reddatur irrevocabile*. Legem itaque fidei, & promissionum certitudinem suspendit, non ab Episcopis; sed *à testimonio unanimi totius corporis omnium Fidelium*, in gregem transferens authoritatem, quæ solis à Christo concessa fuerat Pastoribus.

" Nihil miri, si, quando loquitur de Præsulum, quoad sententias, divisione, etiam in materia fidei; quando de circumstantiis unde *dijudicari valeat de minore*, *vel majore Antistitum in Concilio libertate*, uti & *majore vel minore adhibitâ illic in servandis judicii regulis diligentiâ*, vult *de omnibus appellari ad publicum & notorium populi judicium*: *De definitionibus* (inquit, *Concilii ferenda nobis sententia est*, *ex impressione*, *quam illa inferent Ecclesiæ* (quam author sic opponit Concilio) *assen-*

su

„ *su aut dissensu Fidelium*, *commotione*, „ *ac tumultu populorum*, quod testimo„ nium iuxta authorem est, *etiam præscin*„ *dendo à majore suffragantium numero, pro*„ *batio simplicissima, signum certissimum de* „ *fide testium*, *ideoque de Cathedræ authori*„ *tate*.

„ Eò usque author protendit suorum „ dogmatum excessus, ut sensum tribuens „ tam novum, quàm temerarium sententiæ „ S. Cypriani, dicere audeat, quod cum sit „ Cathedra *una*, *integra quoque sit in singu*„ *lis membris*.

„ Perspicitis consectaria perniciosa, quę „ ex his principiis profluere necesse est. Ec„ clesiæ authoritas nulli obnoxia errori ab „ ipso agnita authore, velut unum è præci„ puis religionis fundamentis, tamquam *co*„ *lumna & firmamentum veritatis*, non esset „ imposterum nisi fundamentum fragile, in„ certum, & facile subruendum, quando pen„ deret à certitudine nixa judicio populi, & „ præterea ut ibi dicitur, notorietate; quan„ doquidem aliquibus subinde apparet evi„ dens, quod prorsus oppositum videtur cę„ teris. Vacillaret proinde necessario fides, „ quando ut definitio ferretur, sive pro ma„ jore, sive pro minore contendentium par„ te, necessariò consulenda esset, tanquam „ certa veritatis regula exteriorum *notorietas* „ circumstantiarum, quam differentium ab „ invicem ingeniorum dispositio varia, ap„ prehendere solet modis maximè diversis.

„ Quod igitur privato cuilibet videretur „ notoriū & evidens, definiret regulam fidei: „ & inconcussum testimonium veritatis, quæ „ debet una esse in Ecclesia, submitteretur „ judicio tam fluxo, tam vario Fidelium sin„ gulorum. Tali ratione fides nostra, cui pro„ prium est in submissione fundari, solâ nite„ retur evidentiâ arbitrariâ: proinde defice„ ret nos regula certa & immota, populis in„ ter se quoad sententias divisis: neque su„ peresset nobis aliquid, unde nostra valeret „ fides imposterum determinari. Oporteret „ itaque aut majorem sequi suffragantium è „ populo numerum, aut reducere se ad præ„ valentes ingenio.

„ Verùm cur majori fidelium multitu„ dini plus inerit roboris ad definiendum, „ quàm majori numero Pastorum? Num se„ duci nequeunt populi? Si consulere neces„ se est sapientiores, erit eorum semper in„ ferior numerus: Quis etiam certò statuet „ de charactere ad judicandum congruo, & „ qui pręvalere debeat aliis, contrarium ali„ cubi sentientibus? Quanta confusio & na„ scitura perplexitas!

„ Quot inter se pugnantia! Secta quæ„ libet jactare poterit, similem sibi esse fidei „ firmitatem: atque ita prolabentes in ean„ dem, quam Protestantibus nos aliàs toties „ exprobravimus, varietatem & incertitudi„ nem, non habebimus deinceps characte„ rem, qui religionem veram à sectis distin„ guere valeat maximè perniciosis. Si agere„ tur de quopiam doctrinæ articulo, vel mi„ nimæ obnoxio dubitationi, postularet à „ nobis debita Ecclesiæ reverentia, ut omnis „ à nobis molitio suspenderetur, usque dum „ Ecclesia suam de libro pronuntiaret sen„ tentiam, ut temporalis potestas se junge„ ret spirituali.

„ Verùm quandoquidem, quod impu„ gnatur dogma, sit ex præcipuis authorita„ tis Ecclesiasticæ, in fidei materia funda„ mentis, cumque Systema authoris tam „ apertè contrarium sit doctrinæ universalis „ Ecclesiæ, ipsiusque speciatim Cleri Galli„ cani, censuimus, nihil ampliùs desiderari, „ ut juxta muneris nostri rationem à vestra „ æquitate & sapientia peteremus condem„ nationem operis adversantis tum paci Ec„ clesiæ, tum statûs politici publicæ tranquil„ litati.

„ Denique vel inde opus meretur Tri„ bunalis vestri illustrissimi censuram, quod „ contumeliis non levibus impetat Potesta„ tes, etiam maximè venerandas, & trans„ grediatur promiscuè non solummodo leges „ Regni generales; sed etiam particulares „ latas die 3. Februari anno 1714. quas in „ suas Curia tabulas retulit. Quapropter con„ cepimus scripto conclusiones, ut lucubra„ tio illa supprimatur, inquiri jubeatur in eos, „ qui illam composuerunt, ediderunt typis, „ aut distribuerunt, & ut petamus iterari fa„ ctas à vobis antea in similibus occasionibus „ prohibitiones.

„ Egressis Ministris Regiis, hanc tulit „ senatus sententiam viso libello, cui titulus „ est: *De Testimonio veritatis in Ecclesia Dis*„ *sertatio Theologica, in qua discutitur, qua*„ *le istud testimonium sit tum in communi*, „ *tum in particulari circa Constitutionem ul*„ *timam, ut præcautio fidelibus sit, & Apolo*„ *gia Ecclesiæ Catholicæ contra exprobratio*„ *nes Protestantium* 1614.

„ Idem libellus typis editus est sine no„ mine authoris & typographi, absque pri„ vilegio & facultate. Partes ejus variæ le„ ctæ fuerunt, uti & Decretum ejusdem „ Curiæ 3. Februarii 1712. Diploma Re„ gium 14. Februarii 1714. in Curiæ tabulas „ relatum die 15. ejusdem mensis: & simul „ Conclusiones Procuratoris Generalis Regii „ initâ

„ initâ deliberatione, Curia justitiam administrans circa conclusionem Procuratoris „ Generalis Regij, decernit, ut memoratus „ libellus supprimatur & suppressus maneat.

„ Ideo præcipit ut quicumque ejus „ exemplaria habet, defert ad Fiscum „ ejusdem Curiæ: prohibet insuper omnibus „ typographis, bibliopolis, propolis circumforaneis & cæteris ne typis edant, vendant, „ distribuant libellum istum sub pæna addicendorum Fisco exemplarium, & solutionis mille florenorum ... etiam punitionis „ corporalis.

„ Mandat prætereà ut inquiratur in eos „ qui typis ediderint, composuerint, distraxerint, aut distribuerint eundem libellum, „ ut juxta Conclusionem Procuratoris Generalis statuatur quod conveniens videbitur. Jubet pariter servari & mandari executioni Decreta superiùs relata, nominatim quod prodiit 14. Februarii 1714. & „ Curiæ hujus tabulis inscriptum est die 15. „ ejusdem mensis; quo interdicitur omnibus „ ne inposterùm componant, typis edant, „ vendant vel distribuant aliquem libellum „ vel lucubrationem ullam scriptam pro defensione libri à Pontifice interdicti, vel „ Propositionum ab eodem damnatarum „ Constitutione receptâ, & sigillo Regio legitimè munitâ.

„ Denique vetat omnibus, ne contra „ præsens Decretum aliquid attentetur, dignâ aliàs pænâ reis tanquam pacis & quietis publicæ perturbatoribus non defutura". Ita Senatus Regius anno seculi hujus 15.

Simile Rex ipse Diploma ediderat anno ante; gravissimè prohibens Constitutionis *Unigenitus* authoritate suâ legitimè promulgatæ, omnem inposterum impugnationem. Cujus suæ Regiæ Sanctionis, si quis uspiam transgressor existeret, haberi eum jusserat, ut supra, pacis & quietis perturbatorem, ac veluti talem pro gravitate criminis puniri.

Utinam autem, ut cæterarum in Galliis legum, par esset Decreti utriusque pro religione in Curiæ tabulas relati obedientia, par Magistratuum ubique pro illo vigilantia, & contra reos executio pænarum! Paulò severior forsitan castigatio paucorum, exemplo cæteris esset salubriori, neque adeò Gallicana, imò universa tot amarissimis & maximè scandalosis contra Constitutionem scriptionibus turbaretur Ecclesia.

Verùm quando ipsos inter Ecclesiasticos, & quorum multis debita titulis erga Constitutionem obedientia debuerat norma esse cæterorum, perspicitur ea transgressionis publicæ quotidiana temeritas, quæ omnibus probè catholicis horrori est, hæreticis risui & triumpho, quid à quibusdam inferioribus expectemus, quorum in sola superficie religio est, omne in excogitandis novitatibus studium, omnis labor in vellicandis Constitutionibus Apostolicis & dilacerandâ eorum famâ, qui Summo Christi Vicario adhærentes, pro ejus authoritate, religiosâ fortitudine præliantur. Importunioribus quibusdam Adversariis dici posset. *Vos estis sal terræ; si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Si vos, per quos condiendi sunt quodammodo populi*, non *metu persecutionum temporalium*, sed innovandi libidine & effræni in erroribus contra Ecclesiam defendendis pertinaciâ, *amiseritis regna cælorum, qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur; cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?*

Quando rumor increbuit de tractatu inter novos aliquos Augustini discipulos, cum pseudo-reformata Anglorum Ecclesia, unde novorum foret Protestantium cum antiquioribus concordia, mirabar initio, nullum comparere Opusculum, quo fides omnis abrogaretur rumori tam propudioso, & ii quorum fama adeò graviter lædebatur; cùm sibi tam benevolos nacti sint Gazetarum in Hollandia Scriptores, non curaverint hactenus Novellis istis, totam pervagantibus Europam, verbum inseri, quo fabula sibi tam noxia subverteretur. Interea crescente in dies rumore & cum eo Novatorum infamiâ & scandalo pusillorum, admirationem mihi aliquis eximere voluit, causatus utriusque partis eò vota pridem & studia collimasse. An is rectè censuerit judicent alii. Interim quædam mihi inde cogitatio oborta est, non inutile inquisitionis de hoc quidpiam instituere capite proximo.

Interim suprà spectavimus Senatus Regii Parisiensis de Quesnellianæ *veritatis Testimonio* judicium, omni parte æquissimum. Superest de eodem audienda gravior Cleri Gallicani sententia data anno 1715. die 22. Octobris.

Propositio I. excerpta è libri illius pag. 27. & 28. " Impressio quam fecit Constitutio „ (Unigenitus) in animis hominum, & judicium, quod de ea tulerunt (qui contra „ eam tumultuati sunt) est vox Ecclesiæ & „ testimonium veritatis. „

CLERUS GALLICANUS: Hæc *Propositio est hæretica*.

Propositio II. ex pag. 29. " De hoc testimonio dixit Paulus Apostolus: *Ecclesia „ est columna & firmamentum veritatis*. „

CLERUS GALLICANUS: *Propositio est hæretica*.

Pro-

Propositio III. ex pag. 29. "Idem testimonium est, quod Augustinus vocat virtutem Dei, & clamorem fidei. „

CLERUS GALLICANUS : *Est falsa & S. Augustino injuria*.

Propositio IV. ex pag. 29. "Testimonium illud est superius omnibus formalitatibus, omnibus testimoniis : sunt illa ipsi subordinata : omnia ejus subduntur judicio. „

CLERUS GALLICANUS : *Est haeretica & schismatica*.

Propositio V. ex pag. 29. "Ad illud (Testimonium) Scriptores inter Polemicos praecipui retulerunt semper & referre debuerunt Quaestionem celebrem de authoritate Conciliorum oecumenicorum. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio VI. "Implicant se & oberrant in circulo sine fine, qui alibi (extra illud testimonium) quaerunt decisionem Quaestionis de Conciliorum authoritate. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio VII. ex pag. 29. "Ad hunc reducti terminum haeretici (seu pressi hoc testimonio) nullam adversùs Praescriptiones nostras afferre possent difficultatem solidam. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est falsa*.

Propositio VIII. ex pag. 83. "Luxato hoc fundamento, non subsistunt ampliùs nostrae contra haereticos praescriptiones. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est falsa & haeretica*.

Propositio IX. ex pag. 83. "Testimonium illud publicum in Ecclesia subsistens, est quaedam lex suprema, cui omnia corporis membra subjecta sunt. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio X. ex pag. 86. "Publicum illud Ecclesiae Testimonium (quod juxta authoris systema est approbatio aut resistentia populorum) est lex suprema judicii Episcoporum. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio XI. ex pag. 87. "Attentè considerandum est, quod vox Episcoporum non sit vox Ecclesiae (idest clamor populorum) sed vox Ecclesiae debeat esse regula vocis Episcoporum. Unde patet quod vox Ecclesiae sit aliquid supra vocem ipsorum Antistitum. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio XII. [ex pag. 95. "Istud est quod dicere me coëgit ab initio Dissertationis, quòd clamor publicus Ecclesiae (sive quod notorietas publica nos docens quid operata in fidelium animis fuerit definitio fidei) sit testimonium praecipuum & certissimum. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio XIII. ex pag. 96. "Ab omni alio appella ad illius testimonii notorietatem : de Concilii definitione judica ex impressione, quam illa fecerit in Ecclesia. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio XIV. ex pag. 99. "Nemo itaque sibi persuadeat, quòd Episcoporum authoritas, in judiciis suis Ecclesiasticis non dependeat à fidelium approbatione. Ecclesiae consuetudo illam requirit necessariò, ut judicia vim legis obtineant, neque unquam valeant revocari. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio XV. ex pag. 90. "Conclusio doctrinae hìc superiùs stabilitae : Judicia Episcoporum dependent necessariò à corporis fidelium approbatione. S. Paulus ei subjicit Prophetas. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica*.

Propositio XVI. ex pag. 129. "Quoad veritatem istiusmodi, cujus decisio postular examen aliquod, definitio Concilii semper dependet à testimonio Episcoporum absentium. Ita accidere posset in Concilio Ducentorum vel trecentorum Antistitum ut major numerus amplecteretur malam partem. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica & schismatica*.

Propositio XVII. ex pag. 128. "Episcopi absentes habent jus reclamandi, & ut semper audiantur. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica & schismatica*.

Propositio XVIII. ex pag. 128. "Non ita ponenda est tota authoritas Cathedrae in Concilio, quantumcunque oecumenico, ut adimatur illa Episcopis absentibus. „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica & schismatica*.

Propositio XIX. "Vae illi, qui non suscipit examinandam doctrinam illam (condemnatam à Pastoribus unitis Pastorum capiti). „

CLERUS GALLICANUS : *Propositio est haeretica & tendens ad Phanaticismum*.

Pro-

Propofitio XX. ex pag. 29. "Tota Ecclesia Testimonium fert contra Constitutionem (Unigenitus.),,

CLERUS GALLICANUS: *Propofitio eft falfa.*

Propofitio XXI. ex pag. 29. "Constitutio meretur anathema.,,

CLERUS GALLICANUS: *Propofitio eft blafphema & impia.*

Propofitio XXII. ex pag. 35. "Constitutio offendit veritates religionis communiffimas, & condemnat, non dico expreffiones facræ Scripturæ & traditionis; fed modum loquendi pietatis Chriftianæ maximè ufitatum.,,

CLERUS GALLICANUS: *Propofitio eft impia & blafphema.*

Propofitio 23. ex pag. 66." Generalis vox Ecclefiæ eft contra Constitutionem,,.

CLERUS CALLICANUS: *Propofitio eft falfa.*

Propofitio 24. ex pag. 67."vix erat Constitutio apud nos divulgata, quin fuerit horrori & confternationi probis omnibus,,.

CLERUS GALLICANUS: *Propofitio eft falfa & blafphema.*

Propofitio 25. ex pag. 29." Subfiftens in Ecclefia iftud Teftimonium (populi) eft fcriptura æquè digna veneratione in fe ipfa, quàm teftimonium fubfiftens in fcripturis Divinis,,.

CLERUS GALLICANUS: *Propofitio eft blafphema & hæretica.*

Propofitio 26. ex pag. 120." Approbatio aut reprobatio, quæ eft in multitudine Fidelium, five impreffio de novitate, vel conformitate cum doctrina vetere, quam impreffionem in ipfa multitudine facit definitio fidei propofita, quando occurrit fententiarum diverfitas, eft probatio maximè fimplex & fignum certiffimum de fide teftium, ac proinde de authoritate Cathedræ,,.

CLERUS GALLICANUS: *Propofitio eft hæretica.*

Si in Propofitionis ultimæ facta à me verfione appareat quidpiam minùs lucidum, ex ipfo forfitan textu Gallico lector fenfum meliùs percipiet: *l'aveu, ou le desaveu du corps des Fideles, c'eft a dire l'impreffion de la nouveauté ou de conformité, avec l'ancienne doctrine, que fait fur l'Eglife une definition de foy, qu'on lui propofe, c'eft dans le cas de partage la preuve laplus fimple, & le Signe le plus decifif de la fidelité des temoins, & par confequent de l'authorité de la Chaire.*

Retuli hactenus Cleri Gallicani datum in Comitiis Generalibus judicium de Propofitionibus è prætenfæ *veritatis Teftimonio* excerptis. Juverit addere eorumdem Præfulum contra librum ipfum moderatiffimam Cenfuram.

„ Primum ac præcipuum Paftoralis officii munus eft, commiffæ ac traditæ femel Fidei depofitum inviolatè fervare: in illa autem tuendâ tantò ftudiofiùs invigilare Nos opportet, quantò periculofiùs ipfam aggrediuntur Novatores, qui velut perfonam veritatis fibi circumponendo, nobifcum fe rectè fentire fingunt, ut hac arte fimplicibus & incautis fidelium animis, impietatis fuæ venenum faciliùs infundant.

„ Hoc nuper facere tentavit Author Scripti cui titulus *Du Temoignage de la verité dans l'Eglife*&c. Sanctas ille ac fublimes Ecclefiæ regulas, inconcuffum Catholicæ Fidei adversùs hæreticos robur ac præfidium ponere quidem fufcipit; fed à perverfis illis hominibus in hoc folùm differt, quod ifti non viderentur fibi abftrahere fe poffe ab eorum poteftate *quos fpiritus Sanctus pofuit Epifcopos regere Ecclefiam Dei*, nifi ab ejufdem Ecclefiæ finu, conftitutis fibi novis conventiculis, difcederent; ille verò multò audacior, ut nemini fubdatur, fingat in ipfa Ecclefia novum regiminis genus, quo inftituta à Chrifto Domino gubernatio funditùs evertitur.

„ Fatetur fcriptor ille vifibilem & confpicuam Ecclefiam, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt; verùm illam eandem in certis temporum articulis fic denfâ caligine involutam exhibet, ut vix poffit internofci.

„ Quin per illas tenebras ac tempeftates, quas oportet effe, ut qui probati funt, manifefti fiant, & in quibus, ut fua Chrifti promiffis conftet fides, tunc maximè neceffe eft nec latére, nec ignorari Ecclefiam, fufficere ait Author, fi illa ab iis detegatur & dignofcatur, qui funt recto ac fimplici corde, quofque fuæ non excæcant cupiditates.

„ Nihil certè inftituto Chrifti magis adverfum dici potuit, qui Ecclefiam fupra montem conftitutam voluit, ut effet clara atque confpicua, cujus & in fole tabernaculum pofuit, ut luceret univerfo Orbi, & non folùm juftis, fed etiam peccatoribus vifibilis femper exifteret.

„ Ab iis ergo Ecclefiam quoque confpici poffe neceffe eft, quos fua vitia perturbant, & qui nondum funt recto in fimplici corde; hoc quippe ut affequantur, indigent ipfius Ecclefiæ ope & Sacro miniftetio quod Chriftus in ipfa inftituit ad per-

„ fectionem & consummationem Sanctorum, „ & in ædificationem corporis sui, quod est „ Ecclesia.

„ Revereri etiam videtur Cathedræ Sacerdotalis authoritatem, cui omnes fideles „ obsequi tenentur, sed ab iis, qui soli jus „ obtinent sedendi in ea Cathedra, in qua „ pro Christo legatione fungentes, divina „ oracula proferunt, authoritatem illam „ transfert ad cætum fidelium, quorum delegatos tantùm & interpretes Episcopos „ habendos putat, nec aliud uniuscujusque „ munus esse, quàm ut sententiam declaret „ illius Ecclesiæ, cui præest, & quæ illum „ mittit, sicut Pater misit Filium.

„ Quod attinet ad Concilia generalia, „ ubi Spiritûs Sancti præsentiam testatur „ Congregatio Sacerdotum, edita ab eis in „ fidei rebus judicia, vim judiciorum Ecclesiæ, ut putat ille, non obtinent, nisi ex „ approbatione populi, cùm tamen Christus „ certissimè sit in medio congregatorum Præsulum, qui illos doceat, qui illos mittat, „ qui ad finem usque seculorum dictet „ quod illi prædicent & doceant, qui & declaravit & confirmavit ipse, se in Apostolis suis, atque adeò in eorum successoribus „ obaudiri.

„ Imò & prolatorum maximè concordibus animis Decretorum, idem scriptor veritatem explorari & pendere statuit ex consensu vel dissensu populi,& affectu per ipsa „ Decreta illorum animis impresso, cùm „ constet imperitam vulgò plebem examinandis valde esse imparem Quæstionibus „ illis, quæ in Conciliorum cætibus tractari solent; nihilominus illud populi judicium author appellat vocem Ecclesiæ, testimonium veritatis, vocem etiam Dei, „ fidei clamorem,testimonium omni ritu potentius, omni testimonio robustius, cui „ cætera omnia testimonia cedant, quodque „ demum cæterorum sit norma atque judicium.

„ Illud idem testimonium donat nomine supremæ legis in Ecclesia, quam legem „ audet dicere esse illam, quam Christus ipse „ scripsit per Spiritum Sanctum in cordibus „ fidelium, quæ explicet mortuam literam, „ id est, Sacras Scripturas, quasi pro nihilo „ habenda esset illa Ecclesia, quæ sola Sacrorum Librorum est fida custos, atque „ indeficiens interpres, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat.

„ Vult quoque ut dedifcant fideles, in „ suis ipsorum cordibus gigni fidem ex auditu & per verbum Christi, quod tutissimè „ & jure suo soli Episcopi prædicant, quos „ in Apostolorum persona cum omni sua potestate misit ad docendum omnes gentes, „ ita ab ipsis Epistolam Christi visibili modo „ ministrari, ut illa eadem in ipsorum cordibus intùs operante Spiritu Sancto efformetur.

„ Episcopatum unum esse confitetur, „ eundem & indivisum, quem tamen quandoque constare, ait, paucorum Episcoporum numero, etiam à legitimo suo capite, „ seu à Cathedra principali, unde unitas Sacerdotalis exorta est, dissidentium, & absque perfecta illa totius fraternitatis & unanimitatis Episcoporum cohærente concordiâ, quibus in solidum & regendam Ecclesiam suam, & servandum Fidei integræ „ Depositum Christus commisit.

„ Demum libelli Author nihil non movet, ut Christi grex metuat & caveat à „ Pastoribus sibi per Christum præpositis: „ hos itaque lacessit & percutit, si queat hoc „ pacto dispergere oves, & eas à via veritatis & justitiæ in viam mendacii & iniquitatis divertere.

„ Tumque damnatos à Sanctissimo Pontifice & ab Episcopis errores, quos ipse ausu temerario defendendos suscipit, in tuto „ fore confidit,si Pontificem & Præsules con. vitiis & maledictis impetat, nec attendit „ fortes ac fideles Christi ministros nec infringi aut debilitari, *quasi sint subtractionis filii in perditionem*, *& non potius fidei in acquisitionem animæ*, sed alacriores & „ robustiores effici ad fidem tutandam, veritatique testimonium exhibendum.

„ Sunt ista infausti hujus libelli, perniciosæque illius doctrinæ & Sacris Litteris „ palàm adversæ, præcipua capita, quibus „ non solùm in hac causa, adversus omnem „ Ecclesiæ & Catholici dogmatis tenditur „ unitatem, sed etiam cunctis hæresibus resumendi vires, atque in pristinos usus insurgendi latus campus aperitur.

„ His itaque de causis, auditis primùm „ Illustrissimis ac Reverendissimis Episcopis, „ quibus prædicti libri examinandi cura à „ Nobis erat commissa, Nos Archiepiscopi, „ Episcopi, aliique Ecclesiastici Viri Parisiis „ congregati, invocato priùs Christi nomine, & cœlesti implorato auxilio,

„ Pronuntiamus hanc doctrinam in libro qui inscribitur *du Temoignage de la verité dans l'Eglise*,edito sine nomine Authoris & Typographi anno 1714. contentam, totoque Opere passim disseminatam, „ esse seditiosam, temerariam, scandalosam, „ eâque subverti ordinem à Christo Domino „ in Ecclesia regenda institutum, eamdem in-

„ injuriosam Sanctæ Sedi Apostolicæ & Episcopis, falsam, erroneam, schismaticam & hæreticam, atque à cunctis fidelibus rejiciendam. Datum in Comitiis generalibus Cleri Gallicani habitis Lutetiæ Parisiorum in aula majoris Monasterii Augustinianorum anno Domini 1715. die 29. Octobris. „

Si tot Illustrissimorum Antistitum authoritas, quam aliàs irrefragabilem judicari nova Secta voluit per Saneyranum in suo *Petro Aurelio*, non satis hodie penes eamdem ponderis habeat, audiatur Saucyranus ipse primus novę illius fundator Ecclesiæ eodem lib. in 8. Cauf. Spong. pag. 218. *Nec patitur Ecclesiæ disciplina, ut à solemni Illustrium Antistitum judicio, ad privatorum hominum suffragia provocetur. Hoc novum in Ecclesia, hoc inauditum, hoc demum plenum scandali, & schismatum patens via... Quid minùs ferendum, quàm eos, qui Episcopos de privatorum doctrinis sententiam ferre indignantur, privatos quærere Censores, qui de Episcoporum judicent judicio?*

Longè etiam minùs tolerandum est, quòd non ad privatorum tantummodo Doctorum, contra aliquos in Gallia Episcopos; sed vulgarium etiam opificum, rusticorum ac mulierum, cæterorumque ex infima & imperitissima plebe requirantur sententiæ adversùs Summum Christi Vicarium, etiam ubi Regionum omnium Antistites nactus est sui judicii approbatores.

Plebem, inquies, sustentat quorumdam authoritas Episcoporum. Verùm ab eorum hic authoritate præscinditur, ubi vox populi in supremo ordine & super omnia collocatur, etiam supra universorum judicia Antistitum. Deinde quid paucorum in Regno aliquo refragatio Præsulum valet contra communissimam Regionum omnium Sedi Apostolicæ conjunctarum sententiam? Arianorum aliorumque subinde hæreticorum Antistitum longè majorem numerum, majorem eis adhærentium ex omni ordine quam contra nos adducere possunt Constitutioni *Unigenitus* rebelles.

Exhibeant palàm, quos adeò magnificè jactant, tomos geminos nominibus & subscriptionibus refertos, quæ comparatio fieri potest ad multitudinem infinitam Pontificii suffragantium ex omni Natione; quæ sub cœlo est? Perspecta mihi satis est Belgarum frequentia & religio, ut sine temeritate, aut erroris periculo asserere valeam, hanc solam Christiani orbis particulam, quantumlibet Calviniano Schismate & hæresi aliquibus in provinciis ab Ecclesia infeliciter divulsam, millionem & amplius subministraturam fidelium Pontifici Romano ejusque obedientium Constitutioni.

Denique toto orbe suffragantium nomina non tantum duo *tomi* non caperent, sed vix geminæ Bibliothecæ. Verùm ut *pauperis est numerare pecus*, paucitatem refragantium ipsa indicat computatio singulorum. Contra paucitatem istiusmodi novitatemque, sicut olim contra similem Donatistarum, munivit Catholicos Augustinus: nobis pariter solicitè monendi sunt horum temporum Fideles, ne speciosis quibuscumque fraudibus circumveniri se patiantur, ut malesani & à cæcis alicubi Pastoribus, concitati populi clamores audiant, contra sententiam in supremo Ecclesiæ Tribunali, applaudentibus totius penè Christiani orbis Episcopis, definitam.

Nimium desipiunt, qui contra tutissimam hanc Divini Spiritus tubam, rebellium aliquot auscultant murmuri Novatorum; quasi eos debeamus credere *Salvatores sanantes vulnera, quæ præceps Primorum*, ut Quesnellius somniat, *Pastorum, festinatio infligit sine ipsius mandato, restituentes quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*. Tales nobis veriùs ut Antichristi sunt repudiandi, detestabiles perturbatores Ecclesiæ, fidei corruptores, simplicium denique seductores pestiferi, perniciesque certissima animorum.

CAPUT V.

Digressio occasione rumoris de facienda veterum Protestantium cum quibusdam recentioribus unione.

1 Digressionem voco; Quesnelli tamen Articulo maximè convenientem; siquidem rumori subsit veritas: Quid nempè in Hollandia nuper molitionibus suis antichristianis Quesnelistæ effecerint, ad sanandum vulnus, quod Clementis XI. contra Sebastenum Archiepiscopum dispositione sibi senserant inflictum, partim indicavi aliàs, partim posteà attingetur.

Successibus Factioni Schismaticæ congruis non caruit machinatio; undè non desperaudum illa sibi autumaverit de secuturo conatuum in Anglia effectu, eoque in Gallias usque & Belgium extendendo. Dispositio autem ad illam concordiam à Jansenistis cum separatis pridem ab Ecclesia Protestantibus ineundam, altiùs repetenda est.

Ludovicus à Sancto Amore Sorbonicus, Doctor unus è Jansenistarum oratoribus, pro impediendo quinque Propositionum anathemate, ad Innocentium X. missis, postquam

Romæ quantâ potuit industriâ causam illam egerat; sed infeliciter, reversus cum suis est in Gallias per Helvetiam, instructus literis commendatitiis; quibus effectum, ut humanitate & benevolentiâ singulari, etiam convivio ab hæreticorum præcipuis exciperetur, veluti Doctrinæ communis de gratia & libertate strenuus defensor.

Famosi hic operis author est, quod inscribitur *Diurnum Domini à Sancto Amore*. Istud veluti mendaciis & calumniis plenum, atque ad resuscitandam post anathema Jansenianam hæresim arte maximè subdolâ compositum, à Sede Apostolica, & Regio Parisiis Senatu condemnatum est, atque infami incendio addictum.

Nihilominus decerpta indè lacinia, in qua non videtur mentiendi ratio fuisse, audiri poterit pag. 563. ubi narrat quòd Basileæ Buxtorfius linguæ Hebraicæ Professor celebris, secum agens amicissimè, conquestus multum fuerit de receptâ nimiùm Molinæ circa gratiam doctrinâ: ajebat debere eam ab Ecclesia eliminari; Augustinianam verò (Calvini aut Jansenii sensu explicatam) debere à Pontifice solemni per totam Ecclesiam definitione stabiliri. Ubi hunc Papistæ ad reformatos accessum fecerint, non stabit, inquiebat, per Reformatos, quin omnis adhibeatur conatus, ut tandem etiam in materia Eucharistiæ inter partes conveniat.

Istud dictorum à Buxtorfio compendium est, cui Santamoreus sic respondit: *Fateor Augustini dogma palmare esse, fecundum in primis pietate & charitate Christianâ, accommodatissimum ad excitandas utriusque partis pro altera curas & deprecationes: idoneum ad eliciendos pro fratrum errantium salute sinceros gemitus, ut in viam redeant, non imposito onere credendi id, quod fides reipsa non exigit.*

Juxta Buxtorfium, Santamoreo non diffitente, Jansenismus ad Calvinismum gradus proximus est. Quapropter etiam Joannes de Labadie è Jansenista Ambianensi Montalbanum se conferens, Calvini hæresim publicè professus est, ac deindè in Hollandiam secedens, novæ hæresios artifex fuit, cujus secta pessima nomen sortita à fundatore, *Labadistica* dicitur.

Is Montalbano ad Ambianenses suos, aliàs in Jansenismo socios exaravit epistolam in qua sic enuntiat: *Nostis, quòd eorum essem è numero, qui Jansenistæ appellantur, quales & vos esse mihi perspectum est. Facilè deprehendetis omnes* (Jansenianos) *aut prorsus, aut partim consentire Reformatis: solo eos timore aut pusillanimitate retineri, humanos eis dominari respectus*. Et paulò superiùs: *Reverà suppositâ de prædestinatione & gratiâ, qualem Jansenius explicat, quamque solam ostendit esse veram & Orthodoxam, prorsus eadem est, & integra doctrina Ecclesiæ Reformatæ.*

Sola diversitas est in quodam loquendi modo, de quo indubiè brevi inter partes conveniet. Quæ cum ita sint, nonne hoc est plus quam Semireformatum esse?.. Nonne hoc est cum Calvino admittere liberum arbitrium servum, concupiscentiam dominantem, necessitatem ad malum, Jesum Christum liberatorem electorum tantum, impotentiam implendi mandata &c.?

Acquoya pagus in Hollandia prope Leerdamum Cornelio Jansenio Iprensium Antistiti patria fuit: Frater Ottho Jansenius vir probè Catholicus. Huic post Episcopi mortem, & editionem famosi Operis gratulatus plurimum est de tam pulchro Systemate, Calviniani de gratia nucleum continente, Paulus Calonus Calviniani Evangelii Minister Leerdamensis, datâ hac ad ipsum epistolâ die 13. Februarii anni 1641.

„ Die 5. hujus mensis vir honoratus „ Hagæ-comitis exhibuit mihi volumen in„ gens & præclarum Fratris tui, prælo com„ missum ab ejus Sacellano juxta Testamen„ tum à Fratre tuo conditum. Continet liber „ hic defensionem unius ex præcipuis reli„ gionis verè Christianæ articulis sub nomi„ ne Sancti Patris Augustini.

„ Istud ipsum dogma est, quod apud „ nos constanter traditur & prædicatur: pro „ cujus defensione dilectissimus Frater tuus „ testatur, se multa Lovanii sustinuisse præ„ lia, multa indigna perpessum: atque ecce „ jam inde à Pontificio apud Bruxellenses „ Nuntio, Jesuitarum artibus concitato, li„ ber idem proscriptus est. Gratias ago Deo, „ & agam publicè pro tam propitio lumi„ ne, quo Fratris tui intellectum illustrare „ dignatus est.

„ Laudem meretur Frater tuus singula„ rem, quem prædicare nunquam desinam; „ Deum precatus, ut parem erga te ac tuos „ omnes misericordiam exerceat, ut non in „ illo tantùm puncto Fratrem imiteris; sed „ humanam omnem contaminationem, & „ falsam religionis larvam abiiciens, ad an„ tiquam, Catholicam, Apostolicam Roma„ nam, quæ Acquoyæ publicè prædicatur, „ & à Celsissimo Principe, & Provinciarum „ Magistratibus, contra adversariorum no„ strorum vim defenditur, propediem rever„ taris.

„ Mox ubi Fratris tui librum nactus „ fuero, ad gregis mei ædificationem illo,

„ ut

„ ut par eft, utar. Intereà flagito ut pacem „ & unionem colas cum filio meo Paftore, „ tuo legitimo, ad quam etiam ipfum, quan„ tum confcientia ejus & munus patietur, „ hortatus fum quinto Februarii, quo die de „ libro Fratris tui primùm refcire quidpiam „ mihi licuit. Denique Deum oro ut te, di„ lectiffime, cum tuis omnibus incolumem „ fervet. Datum Leerdami die 13. Februa„ rii 1641. Tibi obfequentiffimus, & falutis „ tuæ ftudiofiffimus Paulus Calonus Ecclefiæ „ Leerdamenfis Paftor.

Similis de Janfenii libro fenfus fuit Gifberto Voetfio apud Hollandos celebri, qui fcriptis antea controverfiis cum Janfenio & Liberto Fromondo, fido Janfenii Achate contenderat: Jacobus quoque Friglandius Calvinianus ibidem magni nominis, Janfeniano huic volumini applaufit mirificè. Hugo Grotius multorum operum condemnatione Romæ notiffimus, è libro Janfenii fpem ajebat affulgere minimè levem concordiæ brevi fecuturæ fuam inter Hollandicam Ecclefiam & Romanam.

Ex eo autem præcipuè Janfenium laudabat, quòd non nimiùm fe adftringeret definitionibus Pontificum, quin ab iis recederet facilè, cùm oppofita occurrerent, ut putabat, teftimonia veterum. Samuel Marefius Calvinifta Groeninganæ in Frifia Academiæ Doctor Apologiam Noviffimam fcripfit pro Janfenio, in qua interrogat pag. 18. *Cur magis Leydenfis, vel Groeningana Academia hærefios accufabitur in Belgio, quàm Lovanienfis, quæ hæretica declaratur, & feritur anathemate?*

Errat in hoc facto Marefius; nam licèt aliqui Lovanienfium damnatis Janfenii dogmatibus adhæferint pertinaciter, ideoque ab hærefi nequeant excufari, nunquam tamen ex illa Academia quifpiam declaratus à Sede Apoftolica hæreticus fuit; multò minus univerfitas, in qua defuere nunquam, etiam Janfenii tempore, fidei Catholicæ defenfores; imò nullus hodie Theologiæ Doctor eft in toto Magiftrorum Regentium Collegio, quod *Stricta Facultas* dicitur, qui non fe Janfeniano quinque Propofitionum fenfui contrarium profiteatur, nullus qui non Formulæ Alexandrinæ jurejurando fubfcripferit, aut fubfcribere paratus fit, quoties legitimæ vifum fuerit Poteftati. Nullus denique eft inter eos, qui Clementis XI. Conftitutiones tam *Unigenitus*, quàm *Vineam Domini Sabaoth* non admiferit, non ei fe promiferit penes omnia pariturum.

Quid cum uno quopiam inferioris ordinis Doctore, & duobus, aut tribus aliarum facultatum maleferiatis capitibus, Magiftelli ibi aliquot Grammaticæ aut Philofophiæ contra fuos in Theologicis præceptores, contra omnes Belgii, & totius ferè orbis Epifcopos, ipfamque Sedem Apoftolicam, & Conftitutiones ejus Sanctiffimas temerè garriant, aut infaniant, parum referret Reipublicæ Chriftianæ, nifi teneros puerorum & adolefcentium animos, quos inferioribus iftiufmodi difciplinis inftituendos fufcipiunt, non etiam fpiritu imbuerent Schifmatico, atque omnis redderent poteftatis Ecclefiafticæ contemptores.

Gloriantes quidem audio iftos infimi fubfellii præceptores fe rebellis agminis fui duces præter unum è Theologiæ Doctoribus inferioris, ut dixi, ordinis, nactos effe duos juris interpretes, & Medicum unum; cui Bafilius Magnus, ut olim refponderat præfecto culinæ Imperatoris, tuum eft de pulmentis fententiam ferre, non Divina eloquia judicando decoquere, hic ratione fimili diceret: Tuum eft Medice de apozematibus & decoctis, de cataporiis & fimilibus ftatuere corporum medicamentis, non de Theologicis, contra Summum Chrifti Vicarium, contra tot centenos ubique terrarum Epifcopos, eifque adhærentem Ecclefiam.

Indignans etiam hic increparet Hieronymus fuis fuperiora ftudiis tractantes Grammaticos, Philofophos, & Medicum: Epiftolâ ad Paulinum *Quod Medicorum eft*, (inquit) *tradunt medici, tractant fabrilia fabri, fola Scripturarum ars eft* (proinde & fcientia Theologica) *quam omnes fibi vendicant, quam garrula anus, quam delirus fenex, quam fophifta* [Medicus, Grammaticus] *verbofus lacerant, docent antequam difcant... Adducto fupercilio grandia verba tonantes inter mulierculas* [& pueros] *de Sacris Literis philofophari*, fuumque præfumunt fupra, imò contra Pontificium de fide & dogmatibus erigere tribunal.

Unus è duobus Juris Doctoribus, qui Conftitutioni *Unigenitus* refragantur, librum confcripfit; quem fpeciofo hoc decoravit nomine *Jus Ecclefiafticum univerfum*, quem cenfuere alii convenienti magis nomine appellandum *Jus Ecclefiafticum fubverfum*; ideoque à Sede Apoftolica meritò condemnatum.

Idem author fuis antiecclefiafticis confiliis, & fuo indignis Sacerdotio refolutionibus, eam Cleri Hollandici partem, quæ & rebellis Pontifici eft, & à Janfenii erroribus non vult recedere, in rebellione fovit & Schifmate. Alterum Juris Doctorem haud novi, nifi quod dicatur paffim antipontificius & authoritatis Ecclefiafticæ in pluribus nec levibus contemptor. Re-

Redeo ad prætensam Jansenianos inter & alios hæreticos spem concordiæ. Jansenius anno 1620. ita scripserat Lovanio ad Sancyranum: *Concilio Dordraceno finis impositus est. Illud à multo tempore habeo Flandrico expressum idiomate: Latinum, quod ad te mitterem exemplar, consequi non potui. Vix differunt Dordraceni à doctrina Orthodoxorum* (nempe Jansenistarum) *in materia de prædestinatione & reprobatione, prætermisso quid-quid durum sonabat in doctrina Calvini; si exceperis, quam retinent de prædestinatione certitudinem, justitiam perdi nesciam, & quosdam alios errores.*

Calviniani autem suspicantur Jansenium, ex illo Concilio non parùm in suo Systemate profecisse. Ita Joannes Franciscus Ottius Minister Tigurinus in oratione de Causa Janseniana ipsos alloquens Jansenii Sectatores, *Quid si* (inquit) *Jansenio vestro Patrum Dordracensium Canones, Augustini intentiùs inspiciendi causam attulerint? Quia eadem disputationum materia & argumentum, idem ferè tempus: nec Jansenio, utpote vicino, acta, scriptaque Dordracenorum ignota esse potuere. Vestram Auditores fidem voco, an non ea, quæ jamjam ex Jansenii ejusque asseclarum doctrina propositurus sum, cum nostra confessione consentiant adamussim atque conveniant* &c.

Anno 1650. editus à Jansenianis fuit Catechismus Gallicè Scriptus *de gratia*, cumque esset perniciosissimus, & condemnatos in Bajo Articulos apertè resuscitans, exarsit in eum mox zelus Apostolicæ Sedis, & eodem anno die 6. Octobris eundem proscripsit tanquam *continentem quamplures sententias, aliàs per felicis recordationis Pium V. Gregorium XIII., Urbanum VIII. damnatas.*

Nihilominus ut magno studio, & industriâ singulari compositus censebatur à novis Apostolis, ad novæ Ecclesiæ ædificationem plurimùm conducturus, noluerunt eum damnationis tenebris sepultum relinquere; sed tamen cum sint etiam conscientiæ, ut quidem persuadere simplicibus hypocritæ conantur, valdè teneræ, nè viderentur Apostolicam negligere, & contemnere prohibitionem, alium Catechismo titulum præfixere anno 1679. nempe *Elucidationes quarumdam difficultatum de gratia* &c.

Quanquam & plures reperio cum Catechismi nomine editiones etiam Belgicas, quæ annum omnes præferunt 1650. etsi evidens sit ex illis aliquas esse multò recentiores.

Praxes istiusmodi penes rigidioris, &, si ipsis credimus, securioris Ethicæ magistros, infinitæ sunt in omni genere, quarum non exiguam copiam, vel ex præsenti meo Opere studiosus lector colligere possit, locis pluribus indicatam, prout materiæ, & circumstantiarum visa fuerat exigere varietas.

Catechismus ille, ubi primùm prodiit, vehementer conturbavit catholicos, quos metus incessit non panicus, Jansenismum, qui inter viros hactenus & mulieres aliquot fatuas se continuerat, etiam pueris inposterum instillandum. Inde autem summa fuit exultatio hæreticorum, qui sicut Jansenianam heresim, ita & suam videbant eo opere in ipso Ecclesiæ sinu quotidiè latiùs propagandam.

Inter cæteros Samueli Maresio, Calvinianæ, ut supra memorabam, Theologiæ in Frisia Professori, placuit adeo, ut novis eum typis cum elogio donaverit: Sic ille in Epistola Dedicatoria: " Cùm nuper esses apud " te, ostendebas mihi Catechismum gratiæ " Jansenistarum, quem Lutetiâ attuleras: & " mirabaris meritò, rem eò devenisse in " communione Romana, ut plurimis nunc " inciperet arridere illa gratiæ salutaris do- " ctrina, quæ olim tam diras persecutiones " in Protestantibus Reformatis passa fue- " rat. "

Et sub medium: " vel hinc liquebit " confirmari celebria illa quinque capita " de prædestinatione, Redemptione per " Christum, libero arbitrio, conversione " peccatorum, & perseverantiâ Sanctorum, " quæ contra Remonstrantium strophas vin- " dicavit, asseruit, explicavit ex Dei Ver- " bo celeberrima Synodus nationalis Dor- " dracena ante annos triginta duos præter- " propter celebrata, & in quibus omnibus " nobis consonos habemus doctissimos Jan- " senistas, adversantibus & ringentibus Je- " suitis. "

Melchior Leydeckerus Calvinisticæ Ultrajecti apud Batavos Theologiæ Professor prolixas edidit Theses anno 1679. & 1680., quas *Historico-Theologicas* vocat. De *Jansenismo* pars una est, altera *de vario Jansenistarum fato*. Parte 2. quæ anno 1680. defensa ab eo publicè, & typis prodiit divulgata, eundem de gratia Catechismum Thesi 56. ita prædicat. " Libellus sanè lectu dignissimus " est, ut qui medullam Janseniani voluminis " continet, & retundit felicissimè omnes Je- " suitarum contra gratiam calumnias.

" Implevit hic latè statim Christianum ferè " orbem, multosque à Jesuitis aversos, Jan- " senii fide imbuit; quorum simul aperuit " oculos, ut viderent injustas Pontificum in " Iprensem iras, vanasque Bullas, quibus " im-

„ imperio, non ratione, doctrina de gratia, „ quæ conscientiam urget, premebatur.„

A pressione itaque illâ, judicio Leydeckeri, Calvinianam de gratia doctrinam expediunt Janseniani, Catechismis scilicet eandem ingerendo mentibus etiam puerorum, si quidem *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu*.

Ne autem postea auditis Catholicæ fidei dogmatibus, Janseniana paulatim diffluant, occurrit Sectæ vigilantia libellis aliis innumeris, idiomate præsertim Gallico editis, & elegantioris illicio scriptionis, rapiendis ad se ex omni ætate, sexu, ordine hominibus subdolè accommodato.

Callidissimum autem & maximè pestilens Novatorum, Quesnelli potissimùm, consilium fuit, non ita apertè, & denso nimiùm agmine conglobatum ob oculos ponere uno quodam aspectu exhauriendum totum Janseniani sui Systematis virus, quod ità facilius deprehenderetur; Sed illud potiùs locis pluribus dispersum, atque intextum studiosè variis pietatem aliàs sapientibus documentis, ut nunquam faciliùs veneno quis capitur, quàm ubi cibo, vel potui exquisitissimo immixtum, conditumque proponitur.

Is modus Jansenii Sectatoribus semper maximè idoneus apparuit ad irretiendos sibi proselytos; ideoque familiarem eis redditum videmus, & usitatissimum. Placuit idem etiam Joanni Wierts, de quo dubitant non pauci, fueritne Calvino faventior an Jansenio. Erat enim ex Belgio quidem Catholico Antuerpiâ Oriundus; sed dein ad Batavos se transferens, Principi Auriaco erat à Consiliis, Prædicantium hæreticorum cætibus non tantùm interesse; sed præesse etiam solitus.

Ab eo simulatissimam pietatem, & verissimam hypocrisin exhibens ipsâ suâ epigraphe, anno 1676. liber prodiit *Centuria colloquiorum Dei & animæ, quibus Jansenianam de gratia doctrinam è campo disputandi Martio in placidum meditandi Elysium compendiariò transducere conatus est Joannes* Wierts *Antuerpiensis*.

Verùm Apostolica Sedes, quæ splendidis verborum phaleris non deluditur, librum istum non ad campum ducere Elysium; sed ad Stygios lacus accurato examine deprehendens, Ecclesiæ finibus interdixit.

Wiertsius ex Hollandia librum suum dono miserat Antuerpiam ad virum nobilem, cui cum ipse postea Antuerpiam veniens non placere donum conspiceret, errasse se ajebat, quod omisso in epigraphe Episcopi Iprensis nomine, pro *Janseniana doctrina* non posuerit *Augustinianam*. Ita quibus Calvinus non displicet, & in pretio est Jansenius, Augustini nomen usui est, ad declinandam apud Catholicos hæresios exprobrationem.

Pusillanimes nimium videntur Calvinianis novi istiusmodi Augustiniani, qui ab Ecclesia Romana, à qua constat eos dogmatibus & rebellione contra Pontificem defecisse, secessionem apertiùs non profiteantur; sed mendacissimâ pergunt simulatione imponere quasi Romanis adhæreant, quibus toto animo & totis viribus adversantur. Ideo vel ut socordiam & fidem malam eis exprobrat Leydeckerus, quos aliàs *viros graves* nominat, & qui *Augustiniani esse* professione publica cupiunt.

Ita anno 1679. Thesi 66. non assequens quid eos in Romana Ecclesia amplius retinere valeat, *Commovetne illos*, inquit, *reverentia visibilis unius capitis in terris? At scripserunt jam de duplici Ecclesiæ capite*. Imò tot summos fecere Pontifices, & in suis quosque Diœcesibus suprema capita quot sunt Episcopi; quanquam & horum ita limitant potestatem, ut nullum legitimum, nullum validum sit potestatis Ecclesiasticæ exercitium, nullus clavium usus, nisi consensu saltem supposito plebeorum, etiam mulierum, omnium denique fidelium.

Apertiùs hic mentem suam exposuit nova Secta sustinens Quesnelli Articulum 90. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per Primos Pastores, de consensu saltem præsumpto, totius corporis*. Cujus assertionis scandalosam duritiem adeo non emolliunt ejus vindices, ut suis illam defensionibus augeant plurimùm. Quidquid enim ex Patribus probationis adferunt, ad hoc reducitur, quod claves non uni homini; sed Ecclesiæ, sive universitati fidelium datæ fuerint, quales quidem ita sententias congruè omnes interpretantur contra hæreticos orthodoxi, ut potestas clavium non ab uno dependeat Petro, ita ut cum ipso emoriatur, neque ejus participes reddantur cæteri; sed quod in totius bonum Ecclesiæ, potestas Principi Apostolorum, & in eo Successoribus tradita sit, atque hoc sensu toti Ecclesiæ.

Verùm quando istiusmodi effata Patrum accipere libitum est pro restringenda potestate Pontificum in excommunicando, quasi exercitium necessariò habendum sit nullius roboris, nisi ubi tota fidelium communio consenserit, vel consentire fuerit præsumpta; evidens est probationem istiusmodi adduci ineptissimè; aut si quid valeat ad limitandam Pontificis aliorumque Antistitum facultatem excommunicandi, ut ejus exercitium dependeat à *consensu, saltem præ-*

sum-

sumpto fidelium etiam cæterorum & quidem omnium, eadem ratio concludet necessariò, authoritatem etiam in ferendis legibus, in dispensando, in solvendis vel ligandis peccatoribus à simili pendere *totius corporis consensu*, hæc enim omnia ad claves pertinent, eorumque actus totidem sunt illius exercitia potestatis.

Neque dogmatis perniciem multùm imminuit, quod additur sufficere totius consensum Corporis *saltem præsumptum*; non enim præsumi poterit consensus omnium, quoties aliquos, imò vel unum constiterit reclamare. Quandonam autem supponi poterit tanta universis Ecclesiæ filiis unio, charitas, submissio, humilitas, prudentia, ut unius excommunicati fautores, & amici omnes præsumi valeant excommunicationis sententiam approbare, itaut non cuperent eam suspendi, aut in mitius supplicium commutari?

Quis non in Sacramento Pœnitentiæ absolvi desideret, aut pro eo cupiat quispiam amicorum? Quis non adversarium aliquem patitur, qui mallet ejus absolutionem differri, donec in lite vel contentione aliquâ prætensam dederit satisfactionem? Quandonam Pontifex, Episcopus vel Concilium etiam Oecumenicum, legem tulerit adeò subditorum omnium gustui accommodatam, ut legislator præsumere sapientet valeat, eam displicere nemini?

In tales excessuum abyssos attentata à Novatoribus Ecclesiæ reformatio præcipites agit sibi temerè credulos, dum Magistri, ut mihi quidem persuasissimum est, & non levibus alibi probabile reddidi argumentis, nihil penitus credunt, sicut oportet, ad justitiam & salutem.

Audire adhuc aliquantulùm pergamus novæ Ecclesiæ confœderatos. Leydeckerus in Thesi superiùs allegari cœpta hortationem prosequitur, ut Janseniani tam strenuè cœptam à Pontifice & Romana Ecclesia discessionem, majoribus animis perficiant.

An eos (inquit) *in Romana communione retinet spes reformationis instituendæ, quæ omnis periit valentibus Jesuitis* (Dominicanorum maximè suffultis præsidio)? Sic enim sequitur: *Quin potius manebunt semper oppressi viri docti, eò laborantibus non tantum Jesuitis; verum etiam Dominicanis.*

Thesi 28. unicè desiderat Leydeckerus, ut Jansenistæ candidè enuntient *non dari in homine potestatem resistendi* (ulli gratiæ) *quia fatentur gratiam semper efficacem esse, ac rejiciunt seu Jesuitarum, seu Dominicanorum sufficientem.*

Sed, inquit Thesi 52. inter defensas anno 1680. die 2. Junii: *Cordatiores illis Papæ adulatoribus fuere Lovanienses* (aliqui) *qui in sua perstiterunt mente, atque vehementissimè sunt invecti in Jesuitas, omnium perturbationum causas; nec defuere in hunc usque diem in universitate Lovaniensi Doctores, qui Jansenio adhærent, quidquid impotens Papa fulminaverit.*

In Thesibus anni 1679. ait num. 26. *sanè, quæ Jansenius dicet de libero arbitrio, stante insuperabili prædeterminatione & gratia* (quę nulla sufficiens, nulla nisi efficax, & nullo modo superabilis conceditur) *dicet Calvinus, dicemus & nos.*

Ex his & pluribus, quæ in juridica de Sancyrano referuntur instructione, verisimilis redditur de eo fama, quæ apud Franciscum Annatum Christianissimi Regis Confessarium in Responsione ad Scriptum de *Fide humana*, sub finem legitur, dixisse Abbatem illum Jansenii Magistrum, *quod Calvinus benè senserit, malè locutus sit*, apertè nimium afferendo nullum esse liberum arbitrium, utpote quod in homine lapso penitus perierit.

Calviniani quoque non minùs suę, quàm Jansenianæ sententiæ, probè conscii, inter quos Antonius Cregut Calvinianæ Ecclesiæ Professor Theologus, festivissimè sibi plaudunt hoc anagrammate: *Cornelius Jansenius*, cui iisdem, sed aliter dispositis characteribus conveniat *Calvini sensus in ore.*

Vidimus & nos Jansenium superiùs Calviniani Conciliabuli Dordracensis de Divinæ gratiæ auxiliis judicium approbantem: & Jansenii Sectatores passim, etiam hodierni, agnoscere coguntur suam & Calvinistarum sententiam ab invicem non discrepare.

Ita Quesnellus sub nomine Doctoris Germain in *Traditione Ecclesiæ Romanæ de gratia* anno 1690. tomo 3. pag. 152. *super materia de gratia non est solidum dissidium Catholicos inter & Calvinistas.* Ibid. pag. 188. *Calviniani plerique verè & regulariter reconciliati sunt cum Catholicis in materia de gratia.*

Pag. 197. *Manifestum est, Calvinistas non tueri ampliùs gratiam, quę necessitat voluntatem & destruit liberum arbitrium.*

Pag. 200. *Calvinistæ jampridem de gratia non sustinuerunt, nisi dogmata Catholica, exceptis aliquibus modis loquendi, & Quęstionibus, quę tantùm sunt de voce.*

Denique pag. 201. *Prętensis Jansenii discipulis vertendum est bonori, quòd circa concordiam gratię cum libertate, dogmata profiteantur quę & confirmantur ab Ecclesia, & reducendis ad eam hęreticis sunt maximè accommodata.*

Quid

Quid ad similia Calvinistæ? Rident inanissimam Jansenistarum gloriationem, quasi de procurata suis laboribus & studiis conversione Protestantium Reformatorum. Contra inquiunt illi, nostris est debita scriptionibus gloria de ipsius Jansenii, eique adhærentium ad nos accessione. Calviniani præco Evangelii inter suos celebris Petrus Jurieux libro de Spiritu Arnaldi, Quesnelli & utrumque sequentium discipulorum ait: " Verum est „ quod ad nos omninò accesserint in mate-„ ria de gratia; sed accedentes ad nos, vo-„ luerunt nos à se avertere, attribuendo no-„ bis sententias, quas ipsi certissimè sciunt „ nos neque tradere, neque tenere; quæ in-„ signis perfidia est. „

Relatæ Quesnelli sententiæ non leves exigerent annotationes: sed nimium nos ab instituto diverterent. Ad illud, quod dixerat, sibi suisque vertendum gloriæ, sua dogmata & ab Ecclesia probari, & reducendis hæreticis esse maximè idonea, quid responsionis à quovis Catholico expectare potuit, quàm quod talia affirmanti frons debeat esse meretriciâ impudentior? paucis ego te, Quesnelle, convenio:

Quid? An Bajani Articuli, hæreseos aliisque respectivè censuris ab Ecclesia proscripti, & à vobis post anathema, audacissimè tot editis typo lucubrationibus resuscitati, censendi sunt ab Ecclesia, quasi detergente omnem anathematis fuliginem, hoc tempore *probari*? pars illorum non exigua, Constitutione *Unigenitus* in famoso tuo Opere iterum condemnatur.

Probanturne ab Ecclesia quinque hæreses Jansenii, à vobis toties cum universæ Ecclesiæ perturbatione & scandalo renovatæ? Probanturne ab Ecclesia Opiniones triginta, quibus hæreseos aliarumque respectivè notarum Alexander VIII. infamiam justissimè inflixit, & quarum contra Pontificis Sententiam pars maxima à vobis apertissimè instauratur?

Propter doctrinam quidem; sed minimè *probatam ab Ecclesia*, cum Arnaldo ex Gallia profugus, & neque in ditione Leodiensi, neque in Belgica inter Catholicos toleratus, Leodiensis etiam jussu Principis ad carcerem conquisitus, tandem in Bruxellensi latibulo solis tenebris tutus, degere potuisti, atque inde impiorum more intendere arcum ad sagittandum in obscuro rectos corde, religiosos scilicet à tua hæresi aversos, Doctores, Episcopos, Cardinales, ipsum supremum Christi Vicarium, atque ejus omnia & inferiorum Antistitum Decreta tuæ adversantia novitati.

Sed neque in his latebris semper tibi licuit esse securo. Tandem enim solerti plurium annorum indagine deprehensus, post Arnaldi obitum, mox potestate tum Ecclesiasticâ, tum Regiâ abductus in carcerem es. Jubes quidem nos credere, quod magnificè jactare solitus es, te inde *Divinâ Providentiâ liberatum*, cui tunc primùm fides adhibebitur gloriationi, quando persuasum fuerit, omnia nefariorum scelera esse Divinæ Providentiæ adscribenda; quasi omnium author dici Deus valeat delictorum; licèt Divino dictante Spiritu scriptum sit *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*.

Solent etiam cæteri cum Quesnello hæretici se suosque, ubi quid castigationis vel supplicii, Divinâ humanâque exigente justitiâ, patiuntur, Divinorum oraculorum sacrilegâ animare applicatione, ut illo gloriosorum Martyrum ad Tyrannum Babylonicum responso: *Potens est Deus, O Rex, liberare nos de fornace hac*. Neque minùs novę Ecclesiæ Apostoli confirmare suos in hæresi possunt, quam Theodoretus, cùm insaniens Nestorio adhæreret, Andream Constantinopolitanum, earumdem partium monachum consolabatur Paulinæ imitatione sententiæ: *Fidelis autem Deus, qui non patietur nos, neque vos tentari, supra id quodpossumus; sed faciet etiam cum tentatione proventum.*

Julianus quoque Pelagii & Cœlestii Sectator, atque defensor acerrimus contra Edicta Pontificia ac Regia suos animabat ad pertinaciam libro edito maximè fallaci *de Bono Constantię*, ut videre est apud Bedam Præfatione in Cantica, & apud Augustinum lib. I. Operis perfecti cap. II. *Spem & fidem habemus*, inquit, *in Deum, qui frequenter desperatas temporum liberavit ruinas*.

Sic & juxta novi Doctoris ascetici mentem, indiciis innumeris ubique obviis manifestam, obfirmandus in suis & Jansenii dogmatibus animus est, quidquid Pontifices obstrepant, censurarum fulmina vibrantes: quia *Iesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Iesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*. Julianus loco citato addiderat: *Constantiam tamen quam usque ad mortis horam Deus exerceri voluit, si nullus in præsentiarum sequeretur effectus, æterna remuneratione donabit*. Quæ remuneratio, qualis sit, malo suo sentit hæreticus. Demum quamcunque simulent istiusmodi authores impietatis, & magistri perfidiæ, habere se in Deo & Christo ejus fiduciam, mera simplicium delusio est, & mendax ostentatio. Undenam autem inflictis hæresi suæ & novitati vulneribus

bus remedium expectent, magis aperiet caput proximum.

CAPUT VI.

Quem medicum & qualem medicinam vulneribus nova Ecclesiæ sanandis, præstituant adversarii.

1 SI nos, inquiet Quesnellus, adversariorum nomine designes, jam declaravimus non alium nos medicum desiderare, quàm *Jesum*, non aliam medicinam, quàm ejus *gratiam*. Ita quidem legimus in Quesnelli Articulo præsenti 93. & 96. Novimus etiam talia ab ipso in opere ascetico ad circumveniendum simplices studiosè composito, simulari; sed ubi inter suos confidentiùs loquitur, & scribit, satis indicat, futurum se aliquando Janseniani Systematis tot afflicti ac læsi Constitutionibus instauratorem.

Videri de hoc potest juridicus contra eum Processus, sive *Causa Quesnelliana* Art.9. cujus hic titulus est: *Quod dixerit publicè, nondum advenisse tempus reddendi justitiam Jansenio, & interim ipse per minaces literas jactaverit, se aliquando Jansenii defensionem susceptarum contra Clerum Gallicanum*. Gilbertius verò ad Arnaldum scribens, ei totam *sanationis* gloriam attribuit: *Sanavisti*, inquit, *Evangelicam de Christi gratia doctrinam à vulnere, quod ei inflixerat Constitutione suâ Alexander VII. & cujus nondum penitus obducta est cicatrix*.

Ægidius autem de Witte Candidorum princeps Jansenistarum, hanc neque Arnaldo, neque Quesnello concedere laudem constituit, quam sibi potius arbitratur debitam; ut opus nuperum in primis celebre contendit ipsâ suâ epigraphe: *Augustinus Iprensis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. ereptus & erutus; sive Apologeticus Cornelii Jansenii per Ægidium Albanum, nuper in civitate Metropolitica Mechliniensi Decanum & Pastorem Ecclesiæ Collegiatæ & Parochi alis B. Mariæ. Anno afflictæ gratiæ 70. æra vulgaris 1711.*

Albanum modò se vocat, communiùs *Candidum*: utrumque lingua Belgica significat *de Witte*. Albani autem nomine hic uti mavult, ut in decursu Operis Clementem XI. Pontificem alloquens dicere quasi majore valeat authoritate, *sine te moneri à tuo conpresbytero & cognomine*.

In ipso titulo accuratè notatum tempus videmus, quo affligi à Romanis Pontificibus cœpit Evangelica juxta Jansenium gratiæ doctrina. Conspicimus eam simul è damnatione *ereptam & erutam*, non per humani generis Redemptorem *Jesum*, sed per *Ægidium Albanum* Pontificis Maximi *compresbyterum & cognominem*.

Duacensis Canonicus Malpaix Præbendâ à Gilbertio Præposito donatus, conquerens de Alexandri VIII. contra 31. Articulos Diplomate, sic ad amicum scribebat die 2. Februarii 1691. *Vaticani fulminis fragor ad nostras usque terras auditus est, nosque illius ictum evadere non poteramus, nisi Alpinis illud rupibus allisum innoxie concidisset*. Quid isto sanandi modo cogitari potuit præscutius, contra omnes Pontificum sive præteritas, sive futuras inposterum Constitutiones? Qualescunque enim fuerint, si Jansenianis Novitatibus adversæ, semper fingi poterunt allisæ Alpibus periisse.

Non igitur ultramontanis novatoribus opus ampliùs erit sanatione vulnerum, utpote quæ nulla fuerint, omni Vaticano fulmine intra montes semper emortuo. Tonitrua quidem horrida sunt tironibus, qui nondum istiusinodi boatibus assueverunt; sed sonitus inanes sunt, quando impacta rupibus fulmina procul interierunt.

Gabriel Gerberon in Historia generali Jansenismi tomo 3. pag. 86. Modum non minùs facilem suggerit; ut singulari Christi medicamine opus non sit, quamcunque damnationis sententiam, sive contra libros, sive contra opiniones Apostolica Sedes vibraverit. *Aliquis* (inquit) *justam conceperat indignationem adversùs iniquissima libris excellentibus, qui nunquam interire debuissent, illata supplicia. Nihil illi inspirabant, nisi amorem veritatis, & gratiam Salvatoris; damnabantur tamen ad incendium... Indignatione adeò justâ commotus author, lugebat illam bonorum operum sortem infelicissimam in quodam poëmate, cui titulus erat, Unguentum adversùs combustionem. Quodam hujus poematis loco Pontificem seducentem & seductum vocaverat Antichristum. Monitus autem postea ab amico, displiciturum multis Antichristi vocabulum, explicuit se, & quod sibi exciderat, correxit.*

Explicatio nempè & correctio in eo posita fuit, quod ediceret se Antichristi nomine non intelligere eum, qui in fine mundi futurus noscitur, sed ejus in affligenda Christianorum justitiâ præcursorem.

Unguentum idem adversus combustiones omnes similes, & damnationis sententias extendere Janseniana facilè noverit industria. Quacumque enim infame Anti-Christi vocabu-

bulum expositione lenire conatus fuerit, nunquam tamen ejus tantopere emollietur durities, quin sonet absurdissimè, & impactum Pontifici, ejus apud simplices plurimùm detrahat authoritati: facilè enim censebitur anathema injustum, quod evibratum ab Antichristiano prodierit Tribunali: tum quoque, si usquam, licebit confidere futurum, ut *Jesus sanet vulnera, quæ præceps Primi Pastoris festinatio infligit sine ejus mandato: Jesus restituat, quod ille inconsiderato zelo rescidit.*

Unguentum aliud aliquantò mitius, curandis tamen istiusmodi vulneribus utcumque idoneum, eximia Quesnelli ars medica excogitavit in Epistola, nomine *Abbatis ad quemdam Romanę Curię Prælatum*, occasione sententiæ ab Alexandro VIII. latæ contra Articulos 31. Illic pag. 31. dicitur *satis notum esse, quàm parùm conferat Pontifex ad condenda Decreta, & quàm ineptus sit, ut multum conferat.*

Confirmat illud Walonius de Innocentio XII. ad Quesnellum ita scribens 1697. 26. Octobris. *Pontifex in quæstionibus istis* [dogmaticis] *nihil intelligit.* Simile Ludovicus à Sancto-amore non infimus Jansenistarum apud Innocentium X. legatus, de isto refert Pontifice, quasi suam fassus fuerit ignorantiam.

Quesnellus animadvertens non sufficere ad destruendam Romanorum diplomatum authoritatem, si Pontifices, quorum nomine prodeunt, scientiâ non emineant Theologicâ, modò tales habeant Consultores; etiam hos censuit ad classem ignorantium remittendos, Epistolæ citatæ pag. 31. dicens: *Maxima pars Cardinalium & Theologorum* (qui adhibentur ad infligendas Propositionibus censuras) *nihil intelligit.*

Pag. 43. *Censores Romani judicant, non prout veritas exigit, aut ratio; sed pro libitu, ferientes, quidquid non consentit ideis suis Theologicis, quæ sæpe falsissimæ sunt, vix aliquid habentes de Theologia Patrum.*

Quod *unguentum* desideres *adversùs* Romanorum anathematum *ustulationes* præsentius? Ita Divini Medici defectum supplet Ecclesiæ Reformator Quesnellus. Imò quod suggerente spiritu non bono, ipse contra Christi Vicarium conceperit, satis ponderis habere judicabitur in Reformata Ecclesia, ut dicatur *Jesus sanare vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio inflixit sine ejus mandato; Jesus restituere quod ipsi inconsiderato zelo resciderant.*

Non ex sola Pontificum, Cardinalium, Consultorum prætensâ ignorantiâ, Jansenianum componitur adversùs anathemata quæ-

libet *unguentum*, injustitia simul illud ingreditur, & omnis generis iniquitas. Sic primus istius inventor remedii, non unum neque vulgare malitiæ, atque nequitiæ genus, impacto *Antichristi* nomine complexus est.

Ad Apostolicam Cathedram elevato Alexandro VIII. devoti Arnaldo & Quesnello in Hollandia Missionarii, rumore decepti, quo creditus ab aliquibus ante Pontificatum fuerat, minùs benevolus erga Religiosos quosdam, præ cæteris Antijansenianos, hanc ad eum dedêre gaudii sui testem epistolam.

„ Sanctissime Pater, una omnium, qui „ Christum verè diligunt, lætitia est, Te Ec„ clesiæ à Deo datum esse Pastorem, qui il„ lam non ab exteris solùm hostibus, aper„ tè eam impetentibus defendas; sed etiam „ à domesticis, qui Christianæ fidei, ac pie„ tatis leges adulterando, gregem Christi „ pestifero pabulo corrumpunt: eos verò „ Apostolico vigore tuearis, qui in partem „ solicitudinis vocati, pascendis ovibus sibi „ commissis sedulò invigilant.

„ Hæc, Beatissime Pater, omnium „ Christi Fidelium communis lætitia, nos, „ qui in fœderato Belgio Catholicæ plebis, „ quæ nobis obvenit, curam gerimus, sin„ gulariter affecit: ac immensas Deo grates „ rependimus, quòd eum te nobis Summum „ Pontificem dederit, ad quem in angustiis, „ quibus hic premimur, tutò confugiamus, „ & quem juxta Ecclesiæ leges, in majoribus, „ hoc est fidei præsertim ac morum causis, „ fidenter consulamus, Apostolico tuo ju„ dicio tam ea, quæ sentimus, ac docemus, „ quàm quæ ab aliis nobis objecta, non pa„ rùm nos in obeundo nostro munere impe„ diunt, summâ animi demissione ac filiali „ obedientiâ subiicientes „.

Benignè excepit supplicum preces Pontifex Maximus, quidque de præcipuè agitatis, atque Ecclesiam turbantibus quæstionibus credendum, quomodo agendum esset, edocuit Decreto, quo triginta & unus Articuli configuntur die 7. Decembris 1690. Istud Decretum est, de quo Gerberonius relatæ epistolæ authoribus addictissimus, & eorum vicissim ali solitus benevolentiâ, ita scripsit Dialogo secundo inter Jesuitam & Abbatem pag. 39. *Censura illa ambigua scandalum est Romanæ Curiæ, S. Officii dedecus, & Pontificatus Alexandri VIII. opprobrium.* Pag. 40. *Quamcunque in partem vertatur hoc Decretum, non potest nisi opprobrio esse suis authoribus.* Pag. 41. *Quod mihi modò de Decreto dixisti, abundè sufficit, ut illud velut infame & scandalosum reiiciatur ab omnibus, quibus est religio.*

Idem Decretum est, de quo Canonicus Duacensis Malpaix Epistolâ adeò lugubri conqueritur die 2. Februarii 1691. *Versa est cithara in luctum. Mira Catastrophe! quando nobis hic abblandiebamur fiduciâ, fore ut Roma* (tantis ut credebamus dotato virtutibus Pontifice) *faveret justitiæ & veritati, Vaticani contra nos fulminis tonitru in nostrum usque Belgium personuit, nosque miserè percutiens prostrasset, nisi Alpibus feliciter allisum elisumque interiisset.*

Istud Decretum est, propter quod, & aliud contra Gallicanos quatuor Articulos, Pontifex in alterum Janseniano judicio conversus est quodammodo *Antichristum*. Sic enim Walonius in epistola ad Quesnellum anno 1691. die 7. Martii: *Non solus tu Pontificem defunctum* [Alexandrum VIII.] *atro notari jubes excommunicationis calculo: adduci ego non potui, ut vel uni ex novem solemnibus exequiarum officiis pro eo in Basilica S. Petri celebratis interessem: neque ad aram pro ejus anima orare, & ne vel meminisse ejusdem potui.*

Huic proinde Pontifici simile quid contigit à Jansenianis, quod Dei Filio à perfidis judæis, hodie *hosanna* conclamantibus, mox *Crucifige, crucifige*. Arnaldus ad Walonium scribit die 3. Octobris 1692. *Pontificatus ejus, qui Decretum contra 31. Articulos edidit, etiamnum malè olet, unde fiet, ut quod ad ejus minuendam authoritatem dicetur, meliùs influat*. Destructâ scilicet calumniis, & quibuscumque frivolis obtentibus authoritate Pontificis, Arnaldus cum suis autumat, se destructurum facilè, quidquid definitionis dogmaticæ contra Jansenianos editum ab eo fuit. Tali ratione fingit Quesnelli hypocrisis, *Jesum quandoque sanare vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit, sinè ipsius mandato*: fingitur *Jesus restituere quod ipsi inconsiderato zelo rescindere* supponuntur.

Innocentius XI. a Jansenistis æquè ac à Catholicis meritò laudatus fuit, & verè Sanctissimi nomine prædicatus, quando prohibuit Articulos 65. solicitantibus præcipuè Lovaniensibus. Tunc Neercasselii judicio, *Os Domini locutum est*; Sed ubi Pontifex idem prohibuit, ne Gummarus Huygens & aliqui ejus socii, ad Magistrorum Regentium illic numerum eligerentur, parùm abfuit, quin *tyrannorum maximus* declararetur; certè Decretum hoc Arnaldus Epistolâ ad eundem Neercasselium Episcopum Castoriensem datâ vocat *injustissimum & maximè tyrannicum quod unquam Orbis vidit*.

Ipsi Sanctissimo Pio V. impingit Gerberonius *pertinaciam*, & voluntariam quodammodo cæcitatem in nolendo percipere Michaelis Baii, pro suis Propositionibus ab anathemate vindicandis, æquissimas, ut ait rationes. Ita Gerberonii Dialogus 2. inter Abbatem & Jesuitam anno 1693. pag. 22. *Non adeò miramur nequitiam eorum, qui Curiam Romanam deceperant, quàm Pontificis* [Pii V.] *inflexibilitatem, qui manebat adeò praeoccupatus, ut, quidquid Baius ipsi exponeret omni candore, & submissione possibili, non sufficeret, ad eum ab errore revocandum; nempe quod scriptum fuerat, manere debuit scriptum. Atque ea videtur esse etiam hodie Romana Cancellariæ regula.*

Postquam integro seculo & ampliùs suis sepulta tenebris jacuerant Baii opera, placuit Gerberonio, suppetias undique ferentibus cæteris Jansenianis, omnia novis typis iterum in lucem protrudere, additis etiam pluribus, quæ hactenus latuerant, manuscriptis.

Neque ibi stetit Novatoris audacia; sed vindicias addidit impudentissimas damnatorum dogmatum, postquam obedienti erga Sedem Apostolicam obsequio, & consensu adeò unanimi universa damnationem receperat Ecclesia, ut, teste ipso Cardinale Noailio in epistola anni 1711. ad Clementem XI. *nulla circa eam mutatio expectari valeat, nulla tentari vel admitti appellat o*. Verùm quid tam firmiter stabiliri in Ecclesia potest, quæ sufficere authoritas Novatoribus, hæresim introducere, aut veterem volentibus resuscitare?

Post relatam Sanctissimi & doctissimi Pontificis Pii V. contra Baii Articulos sententiam, *Animadvertendum est*, inquit Gerberonius, *quòd Delatores & impostores suis fraudibus & mendaciis Pium V. ita circumvenerunt, ut tandem ab eo censuram & Diploma adversùs Baii sententias extorserint, Michaele Bajo non solùm non audito, nec vocato; sed nullâ quæ sciatur, nisi levissimâ institutâ disquisitione, & absque librorum Michaelis Baii examine, quos si vel aperuissent, fraudem Delatorum comperissent & nequitiam.*

Sic omnes contra novitatem aliquid definientes Pontifices, quantumlibet Sanctos & doctos, quâ geminâ notavi laude, & quidem in gradu prorsus eximio, hunc Maximum Christi Vicarium floruisse, necesse est Jansenistarum judicio fuisse admodum iniquos & tenendis Ecclesiæ gubernaculis ineptos, qui in definiendis fidei & sanæ doctrinæ Articulis, atque oppositis condemnandis, incurii fuerint & negligentes cum gravi pernicie animarum.

Sic nempe Gerberonius post sequentes ibi

ibi *Animadversiones* aliquot similes, concludit: *Ex quibus aquiores arbitri deducunt, non inutilem modò ... Sed magis in Catholicæ veritatis perniciem, quàm in errorum extirpationem, latam esse censuram hanc*. Quis igitur alium desideret Salvatorem, quam Gerberonium, ut *sanet vulnera, quæ præceps Pii V. festinatio inflixit fine ipsius mandato*?

Sic abundè Gerberonius *restituit, quod inconsiderato zelo resciderat* Pontifex. Abundè, inquam, totum Gerberonius restituit; quia latam aperuit januam, restituendis quoque cæteris, quæ Romani Pontifices, etiam Ecclesiâ universâ partim apertè, partim tacitè consentiente, damnarunt. Eò respiciunt, eò contendunt omnia Novatorum studia, ut omnes Sedis Apostolicæ Sanctiones sibi incommodas subvertant, reddendo Fidelibus ob prætensam injustitiam odiosas, evanidas, & ad refrænandam hæresim inutiles.

Quesnellus in Epistola *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 30. *Certum est*, inquit, *Decreta civilia magis justa esse, & æquitati conformia, quàm Decreta Curiæ Romanæ*. Poteratne jactari quidpiam sive in Sedem Apostolicam contumeliosius, sive ad reducendas quaslibet hæreses, ejus authoritate condemnatas, magis idoneum? Pag. 15. præmiserat: *In Censuris Romanis modica apparet æquitas & amor pacis*.

Ab eo quidem tempore quo Arnaldus, Quesnellus, Gerberonius è Gallia profugientes, uti & Ægidius de Witte è Belgio Catholico, opportunitatem nacti sunt scribendi quidlibet impunè, vix aliis ætatem reliquam impenderunt lucubrationibus, quàm novam promoventibus hæresim, & Sedis Apostolicæ impugnantibus authoritatem. Hac enim subrutâ, facilè videbatur inferiorum contra se Antistitum Diplomata aspernari, quibus etiam, quoties sentirent suæ adversantia novitati, detraxere liberaliùs.

Experti illud fuere omnes Belgii Austriaci Præsules, in Galliis etiam Archiepiscopi Aquensis, Parisiensis, Remensis, & Episcopi inferiores plurimi. Sed nemo magis, istorum quatuor tenebrionum expositus furori fuit, quàm supremus Christi Vicarius cum assistentibus sibi Cardinalibus & Theologis; tunc potissimùm, quando novæ Ecclesiæ Evangelium tomis quatuor comprehensum, censuris gravibus à Pontifice Maximo condemnatum est.

Continebat illud *Novum Testamentum*, Gallicè à Quesnello redditum *cum Observationibus Moralibus*, quibus nihil magis subdolum ulla unquam hæresis meditata est: ideoque tot annorum spatio elusit fidelium non gregalium solummodo & privatorum; sed & Antistitum religionem, suorumque vigilantiam adversariorum. Detectâ autem tandem fallaciâ contra tomos illos excitari in Ecclesia cœpit zelus variorum ordinum etiam Episcoporum.

Sed mederi illi non poterant, neque serpens latè contagium impedire; tum quia per omnes illic Provincias se diffuderat, tum vel maximè quòd præter pestiferos aliquot ex Novatoribus propugnatores, etiam patronos nactum fuerat Antistites duos vel tres, quos pietatis species initio fefellerat, neque dedocere satis errorem poterat paucorum authoritas coepiscoporum.

Ab his, prout semper moris fuit in caussis majoribus, ad Sedem Apostolicam recursum est, contra cujus authoritatem teste Angelico 2.2. Quæst. 11. Art.2. *nec Hieronymus nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit*.

Precibus igitur variorum, etiam Antistitum benignè inclinatus Clemens XI. contentiosi Operis examen institui curavit, quanto potuit studio, atque ipsemet pro suâ notâ omnibus sapientiâ, & in polemicis ad fidem & mores pertinentibus singulari peritiâ, non passus est suam etiam operam ac diligentiam desiderari. Tandem accuratissimo expleto examine, & auditis eorum, quibus discussio commissa fuerat, Cardinalium, aliorumque in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis, qui unanimi consensu librum prohibendum esse censuerunt, Pontifex enuntiavit sententiam, illorum judiciis convenientem.

Proscriptus itaque liber est, tanquam *Sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibens damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, & alteri versioni Gallicæ dudum à felicis recordationis Clemente Papa IX. ... damnatæ in multis conformis; à vulgata verò editione, quæ tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque pro authentica haberi debet, multipliciter discrepans & aberrans. Notas insuper & observationes continet, habentes quidem speciem pietatis; sed ad virtutem ejus abnegandam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinæ, & Propositiones seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, aliàs damnatæ, & Jansenianam hæresim manifestè sapientes*.

Videbatur hic finis impositus dissidiis; sed unus Quesnelli assecla perfidus, mendaciis suis & calumniis luctuoso Schismati materiam primus & præcipuam subministravit.

Parisios ille ex Urbe redux sparsit inter suos, quasi Romæ exploratum habuerit, Quesnelliani Operis proscriptionem non esse pro-

propter vitium lucubrationis; sed Eminentissimi Approbatoris; qui Romanam Curiam offenderit præsidens Comitiis Cleri Gallicani anno 1705. ubi Constitutio *Vineam Domini Sabaoth* admissa quidem fuerat; sed modo erga Sedem Apostolicam, ut ipse Pontifex declaravit, minùs, quàm decuit, reverenti: pro quo, ut exigebat Christi Vicarius, & ipse Rex Christianissimus jussit, satisfactio tandem aliqua data est anno 1711. à Cardinale Archiepiscopo, nomine totius Cleri, qui Comitiis interfuerat.

Literis nempe ad Clementem XI. datis, quas comitabantur Regiæ, exposita benignius fuit memorata Constitutionis acceptatio, cum professione obedientiæ erga Sanctam Sedem; cui nihil voluerint Comitia detractum. Satisfactionem hanc triennio præcessit condemnatio Quesnelliani libri, scilicet anno hujus seculi octavo. Anteà autem narrator mendacissimus, & totius incentor dissidii, Parisios appulerat, & quidem pingui ab ipso Pontifice beneficio donatus. Hanc vicem ingratus & perfidus benignitati reddidit, similis illis militibus quos Ignatius Martyr Epistolâ ad Romanos comparat Leopardis, *quibus cum benefeceris, pejores fiunt*.

Is itaque, secutâ postmodum Quesnelliani libri proscriptione, divulgavit, Pontificiam hanc sententiam effectum esse indignationis, pridem à Pontifice conceptæ adversùs Cardinalem Archiepiscopum; seque id colligere ex eo quod Romæ valedicens alicui rerum conscio, ex eo Intellexerit, non debuisse Archiepiscopum Parisiensem insultare adeò SediApostolicæ,alioquin etiam penes hanc esse unde nimia ejus elatio deprimatur. Istud cum in libello quopiam famoso legerem,detuli ad ipsum, qui accusabatur minarum. Risu ille & indignatione excepit calumniam,ajebatque hominem sibi quidem valedixisse; sed nihil à se dictum simile; proinde mendacium esse dignum proferente, ut confirmetur effatum vetus *Cretenses* & Jansenistæ *semper mendaces*, sive ut Gallica fert paræmia, *il ment comme un Janseniste*.

Quapropter mihi semper visa sunt periculo plena, & gravibus obnoxia calumniis Colloquia, cum novæ sectæ promotoribus, si neminem tui testem habueris. Amant illi cum Ecclesiæ potissimùm Principibus sine arbitro agere, ut dein referre & mentiri impunè quidlibet valeant in locis maximè remotis.

Hac usi fallaciâ sunt ab ipsis Jansenismi incunabulis, quando damnatis ab Innocentio X. quinque hæreticis Jansenii Propositionibus Ludovicus à Sancto-amore, cum cæteris Jansenistarum Oratoribus, Româ in Galliam reversus, suum edidit *Diurnum*. Composuerat illud ex istiusmodi relationibus, & quasi vivæ vocis oraculis, solo suo & sodalium nixis testimonio, cui tantùm fidei à Catholicis habendum est, quantùm consensûs tribuendum Systemati dogmatico. Hoc Santamorei Evangelio totus ferè nititur *Prologus Galeatus Panegyreos Jansenianæ*. Authore Ægidio de Witte, & pars non minima *Generalis Historiæ Jansenismi* à Gerberonio editæ. *Diurnum* illud à Sede Apostolica damnatum, Parisiis etiam infami addictum incendio fuit; verùm adversùs omnia Vaticani fulmina, & imperatos à Principibus rogos, promptissimum tradidit Janseniana Factio *unguentum* superiùs indicatum, mille scilicet instructam fraudibus & mendaciis rebellionem.

Fructus aliqui referendi sunt narrationis illius perfidæ, quam de valedictione sua Romana commentus est calumniæ artifex inhumanus, & bonis omnibus detestabilis. Quesnellus in Dialogo circa Decretum Romanum quo feritur *Novum testamentum Catalaunense cum Observationibus moralibus*, p.74. ait" Romana Curia adversus Cardinalem Noaillium irritata fuit, neque rationem habuit aliam condemnandi operis ab Eminentissimo illo approbati. Voluit ita Romana Curia suas in Cardinalem iras ostendere, atque hoc modo terrere cæteros,ne quis in posterum audeat Romanis se molitionibus opponere.

Pag. 157. " Decretum istud, quod injusta peperit indignatio, rejici debet ac perpetuò supprimi... Quis patiens ferat Sanctionem, in qua obtentu fictitio errorum, quorum nullus allegatur, Romana Curia Novi tastamenti versionem fidelissimam, tanquam Divini verbi damnabilem corruptionem, & annotationes morales maximè utiles, ac penitus orthodoxas, sapientissimorum judicio Antistitum, & præstantium eruditione Doctorum approbatas, configit nihilominus, atque ab universa proscribit Ecclesiâ, veluti errorum, impietatum, hæresum congeriem manifestam?

" Inde Metropolis Gallicanæ Archiepiscopus Cardinalis, & plures alii Antistites cum cæteris libri approbatoribus, per calumniam publicè, & magno fidelium scandalo denuntiantur tanquam Sacri Codicis corruptores, doctrinæque fautores temerariæ,seditiosæ,hæreticæ,, , &c.p.180. " Postulabat æquitas, ut non ita properè, furtim, & crudeli inhumanitate damnaretur

„ tut author; sed redderetur certior de iis, „ quæ in suo opere reprehensione digna vi- „ derentur. „ Pag. 90." satis apparet totum „ hoc condemnationis negotium, esse con- „ spirationis subdolæ effectum.

„ Textum verò Novi Testamenti de- „ pravatum esse adeo, ut condemnari merea- „ tur, observationes etiam seditiosis, teme- „ rariis, perniciosis, erroneis, & manifestè „ Jansenianis propositionibus, sive quinque „ Propositionum erroribus imbutas esse, ne- „ mo sani judicii adducetur ut credat, „ Ibid." „ Totum veriùs imputatur virulentorum ne- „ quitiæ Censorum „ Pag. 191." Imò dam- „ natio ista opus tenebrarum est, & horridæ „ conspirationis „ Pag. 196." Demonstratu „ facile est, quod sola ignorantia, passio, „ æmulatio, & calumnia Diabolica accusa- „ tiones Jansenismi, aut aliorum errorum, „ adversùs *Observationes* instituere potue- „ rit „.

Pag. 210." Passio violenta & cupiditas „ Decretum dictavit, omnibus formis Cano- „ nicis destitutum, & Sacratissimis judicio- „ rum Ecclesiasticorum regulis contrarium, „ ita ut meritò dici possit judicium enuntia- „ tum tyrannicâ potestate, non authoritate „ Canonicâ „.

Pag. 226." vocari magis debuit De- „ cretum quorumdam Cardinalium, quàm „ Pontificis. Causa hæc instituta est in Con- „ gregatione S. Officii, sive Inquisitionis. „ Hujus circumstantiæ expressio studiosè in „ Diplomate prætermissa est ad fallendam „ Curiam & Regios Administros... Ita opus „ tenebrarum promotum est. „ Vereor ne prolixa & nimis forsitan continua Quesnellianorum textuum congeries tædio lectori sit; ideo antequam prosequar, responsionis quidpiam interserere juverit.

Ordior à postremo. Suam ignorantiam & simul malevolentiam prodit adversarius, quando ex modo procedendi usitatissimo, & noto omnibus in Romana Curia non peregrinis, mysterium fingit; veluti reddilurus inde Sanctionem de fallacia suspectam. Condemnatio lata est juxta formam Brevibus Apostolicis solitam, in quibus Pontifex ipse, non Sacra loquitur Congregatio Cardinalium: neque ejus necesse est fieri mentionem. Sic à Clemente IX. prohibitum fuit Rituale Aletense: sic ab eodem Pontifice versio Gallica Novi Testamenti impressa Montibus Hannoniæ: sic ab Alexandro VII. Versio Gallica Missalis Romani.

Quid verò sententiæ Pontificiæ detrahere debet, quod audire priùs voluerit Eminentissimos S. Officii Cardinales, ejusdemque Sacræ Congregationis gravissimos Theologos & Consultores, viros doctrinâ, sapientiâ, æquitate spectatissimos, ac prorsus majores omni exceptione? Si eos Christi Vicarius non consuluisset, non evasisset oppositam adversariorum calumniam, quasi ex odio vel ignorantiâ, & pro mero libitu, vel seductus fraudibus denuntiantium; non ex debito rationis, & æquitatis dictamine judicasset. Sacrum quidem Inquisitorum nomen hæretici Principibus & populo semper reddere conati sunt odiosum, mille confictis de eorum duritię, crudelitate, injustitiâ narrationibus.

Illos fabularum figulos ut in cæteris passim, ita & in hoc imitati strenuè sunt Jansenistæ. Gerberonius avertere volens Belgarum animos à præclaro, & Catholicorum omnium veneratione dignissimo Archipræsule Mechliniensium Humberto Guilielmo à Precipiano, censuit nihil se contra eum scribere posse odiosius, quam quòd *meditetur in Belgii Provincias inducere regimen Gallicum, millies magis injustum & crudele, quam sint Tribunalia Inquisitionis*. Ita Gerberonius in libello typis edito *de sententiis & agendi ratione Archiepiscopi Mechliniensis* pag. 26.

Certissimum est & totius Europæ experientiâ compertum, quòd ubicumque viget hoc Tribunal salutiferum, fides & religio perseveret integerrima, nullis turbetur hæresum monstris Respublica; ibi verò unde exulare illud cogitur, mille erroribus & novitatibus identidem pullulantibus corrumpatur, pessumdetur Ecclesiæ doctrina non absque innumerabilium strage ac pernicie animorum. Adde seditiones, intestina bella, civium cædes, agrorum depopulationes, incendia & ruinas Urbium, defectiones Provinciarum Regnorumque à Principibus legitimis.

Citari ad examen operis sui Quesnellus non debuit; non enim de authore censuris feriendo agebatur; sed de opere, quod cum typis editum, ad intelligentiam omnium esset, non deerat modus Pontifici, Cardinalibus & Theologis seu Consultoribus S. Officii, quo illud perciperent, etiam sine interprete. Ita de hæreticorum etiam mortuorum scriptis semper in Ecclesia, & in Conciliis quidem œcumenicis judicatum est.

Notum quoque Sedi Apostolicæ est & pridem fuit indocile Quesnelli ingenium, ut nihil luminis; sed fallaciæ & obscuritatis plurimum ab ejus expectari Commentariis sive explicationibus potuisset. Immeritò autem de censurarum duritie conqueritur; cùm si quod dicere liceret earum vitium, illud non excessui, sed defectui potiùs tribuendum videretur, nam nimiâ quodammodo, certè tali

tali indebitâ authori mansuetudine judicantium, tacitæ fuerunt censuræ, adhibitis longè graviores, quales sunt *contumeliarum non in Ecclesiam solum; sed etiam in potestates seculi*: prætereà censuræ *impietatis, blasphemiæ & hæreseos*: quas notas variis respectivè libri illius Propositionibus convenire, declaratum postea fuit Constitutione *Unigenitus*: cujus judicii æquitas à me hactenus, ut confido, luculentè satis ac perspicuè demonstrata est, & confirmaturum me in posterum spondeo, etiam copiosiùs; si quæ talibus digna vindiciis, oppositio adversariorum visa fuerit postulare; sed non existimo futurum; cùm, quæ crediderant validiora contra Constitutionem spicula, tomis quatuor confracta videant atque protrita.

Quapropter concludere mihi contra *Colloquia* Quesnelli licet, frivolam esse omnem ejus declamationem rhetoricam adversùs sui Operis proscriptionem, & censurarum veluti duritiem atque iniquitatem; unicum verò prioris sententiæ, ut monui, defectum esse, nimiam lenitatem, omissis scilicet, quos liber pestilens merebatur, censuris *blasphemiæ, impietatis*, & *hæreseos* manifestæ. Has, exigente Quesnelli impudentiâ, supplere Constitutio *Unigenitus* debuit: unde & malesana ejusdem declamatoris convincitur jactantia, quasi librum affligere sola potuerit injustitia, calumnia, passio vehemens, & spiritus vindictæ.

Ostensis ad solis lucidissimi radios criminibus damnati operis, inanissimus authoris est, & nequissimus ad vociferationes istiusmodi, & convitia recursus. Non majoris ponderis sunt, quæ in iisdem Colloquiis sequuntur spiritu dictata Schismatico, & Apostolicæ Cathedræ contemptus. Post exagitatum scurriliter S. Officii Qualificatorem, cui imposita fuerat facienda in S. Congregatione relatio Operis Quesnelliani pag. 228. "Videntur (inquit Quesnellus) Romani Comœdiam exhibere voluisse. Si Dominus Moliere viveret, Comœdiam inde componeret dignam Theatro. Scena foret Romæ in Palatio S. Officii. Quis risum teneret perspiciens in Theatro bonum Patrem S. Lazari Gallicè balbutientem?

"Verùm res agitur nimis seria, quàm ut in ludum illam convertere liceat: magis lacrymas poscit talis subversio justitiæ, tam pudenda Episcopalis Ordinis aspernatio, & Romanorum cæcitas ministrorum, qui se columnas Ecclesiæ credunt, neque vident quòd ejus subruant fundamenta, veritatem erroris nomine condemnantes. Non ego judicium istud ludibrio expono: ipsum se exponit, undequaque ridiculum". Imò nonne Quesnellus ita nugas agens maximas in causâ religionis, atque de supremo Ecclesiæ Tribunali, de sententia ab ipso Christi Vicario pronuntiatâ thrasonem magis scenicum refert, quam serium Ecclesiæ reformatorem?

Pergit pag. 235. "Adeo Factio & calumnia furit adversùs librum & Eminentissimum ejus approbatorem".

Ibid. "Romana molitio adversus librum atræ conspirationis effectus est, cujus pars non minima Regularibus adscribenda. Jure potest Archiepiscopus Decretum Romanum contemnere, adhærendo judicibus, quos ipsi patriæ leges, & natura quodammodo constituunt. Si ad hos se converterit, judicium consequetur sapientiâ & justitiâ plenum."

Pag. 236. "Horrenda deduci ex Decreto poterunt; si dissimulatione & silentio vires capere permittatur. Deberet ea causa discuti & decidi in Tribunali, quale & Eminentissimi dignitas, calumniis assidua, & rei magnitudo postulat."

Pag. 238. "Res ea ad Regem pertinet, tanquam Sacrorum Canonum custodem & protectorem. Exigunt autem Canones Episcoporum duodecim tribunal, ut de uno feratur Antistite sententia."

Quò non Schismaticum Novatoris ingenium temeritatem protendit, & impudentiam? Auditumne unquam in Christi Ecclesia fuit, librum ab uno probatum Antistite, non posse à Sede Apostolica condemnari, vel ad judicium illud requiri duodecim sententiam Episcoporum?

Istud sibi juris constituit Galliæ Clerus, ut à Sede Episcopus deponatur; verùm ea ad librum quemlibet, etiam privati Theologi, suffragante Episcopo editum extensio, Quesnellianæ figmentum industriæ est, ad nihil aliud utile, quàm ut Jansenistarum, omnia innovare, invertere, pessumdare volentium, studiis novam præbeat materiam, & argumentum.

Pag. 267. "Nonnulli Romæ omni lumine destituti depravationes Sacrilegas (in illa Novi Testamenti versione Gallicâ) videre se arbitrati sunt. Mirabilis cæcutientium temeritas Censorum, qui tenebras suas anteponere præsumpserint lumini tot insignium eruditione virorum, qui judicium de libro tulerant prorsus oppositum".

Pag. 269. "Non nisi cæca præoccupatio aut quidpiam sceleratum magis, Censores illos ad tam iniquam, & Sacris Canonibus, atque ipsis Apostolicis Constitutionibus repugnantem sententiam, instigare po-

„ potuit. „ Pag. 274. " Utinam cum Romanis suis Pontifex debitâ prudentiâ & æquitate in judicio de hoc opere processisset! „ Non cogeremur dolore maximo videre authoritatem, & honorem Apostolicæ Cathedræ, expositam adeo improvidè, & implicitam causæ pessimæ per imptudentiam & passionem eorum., quibus nimium „ solet fidere Sanctissimus. Oro Deum intimo affectu ne crimen adeo enorme puniat „ (in Clemente XI.) quemadmodum Sacrilegium Joakim Regis Juda ultus est in „ ipso Rege ejusque Regno, & posteritate. „ Sed vehementer metuo ne hoc Decretum „ pluribus aliis recensitis superiùs Sanctionibus junctum, ac multis præterea ejusdem Curiæ excessibus, gravissimum tandem accersat suis authoribus supplicium. „

Sanctissimus verò Pontifex & quotquot habuere partem aliquam in Quesnelliani Operis examine & condemnatione, satis securo de his animo sunt, neque est cur eos unquam sui facti pœniteat: Si autem tot exitialium sctiptionum Quesnellum haud pœnituerit ante mortem, pœnitentia indubiè eum manserit perpetua, nec profutura, procul à felicitatis culmine, ad quod eum nuper typis edita imago impia provexit. Quod ea me inferorum fecerit janitorem, faciliùs condono, quàm quod Sanctissimum Pontificem eò detruserit, bajulis quatuor integerrimis Cardinalibus, quorum, pro omni crimine est consilium, quod dedisse eos supponitur adBullam *Unigenitus*. Tales imagines, talia scripta sunt Novatorum *Unguenta*, & *remedia*, quæ *sanandis vulneribus*, qualiacunque Apostolicæ definitiones *inflixerint*, apparent opportunissima.

Talibus olim imaginibus & libellis infamibus Lutherani & Calvinistæ apud imperitam plebem contemptum & odium creaverunt Sacerdotibus, Religiosis, Episcopis, Cardinalibus, ipsisque Pontificibus: atque indè est quod omnia contra se, ab Ecclesiasticis constituta judicibus floccifacientes, dicere Quesnelli sensu potuerint: *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*:

Sed nonne furente dignior hæretico, quàm Romanæ Ecclesiæ Sacerdote, est comparatio impii Regis Joakim cum Sanctissimo Clemente XI. Pontifice? Ille Divina volumina quotquot reperire potuit, exussit: hic solummodo *Observationes* Quesnelli perniciosissimas, Novi Fœderis Textum Sacrum ad impietatem, ad blasphemias, ad hæresim detorquentes, ut ex Evangelio Christi facerent Evangelium hominis minimè sani, minimè orthodoxi.

Si flammis addicere non liceat librum hæreticum, quia Sacrorum simul textuum verba continet, nulla unquam scriptura corruptissima committi incendio potuisset; verborum enim mutatio, vel additio hæretica communitet non adeò frequens est, quin pleraque alia remansetint integra: neminem autem hactenus ea incessit religio, quæ talia Scripturarum volumina tradi ignibus prohiberet. Estne libet ullus adeò hæreticus, qui non aliquibus è Sacro Codice textibus penes verba integris; sed sola tantùm interpretatione perversis ad suæ firmamentum hæreseos abutatur?

Contra hanc Novatorum versutiam Catholicos pridem duxerat præmuniendos Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 35." Videas eos (inquit)" volare per singula quæque Sanctæ Legis volumina... lege Pauli „ Samosateni opuscula, Prisciliani, Eunomii, „ Joviniani, reliquarumque pestium; cernas „ infinitam exemplorum congeriem, propè „ nullam omitti paginam, quæ non Novi aut „ Veteris Testamenti sententiis fucata & colotata sit; sed tantò magis cavendi, & pertimescendi sunt, quantò occultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant; sciunt „ enim fœtores suos nulli fere citò placituros; si nudi & simplices exhalentur: atque „ idcirco eos cœlestis eloquii velut quodam „ aromate aspergunt. „

Idem cap. 37. " Si quis interroget quempiam hæreticorum, undè probas, unde doces? continuò mille testimonia, mille „ exempla, mille authoritates parat de lege, „ de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, „ quibus novo & malo more interpretatis ex „ arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitatur. „

Talia opuscula qui combusserit, ut combusta à Catholicis fuêre omni tempore, is, Quesnello judice, flagitium committit & Sacrilegium, quale Regis impii Joakim gravissima Dei ultio secuta est, & omnis semper detestabitur posteritas.

Prosequamur paululum adhuc in damnatis adversarii *Colloquiis*. Pag. 276. " Consultoribus sub Clemente XI. nimiùm mites „ visæ fuerunt censuræ adversus Gallicè editum Montibus Testamentum Novum à „ Clemente IX. Pontifice vibratæ: vel potius reperti modò sunt Examinatores nimiùm acerbi & vehementes, quàm ut futilis illius censuræ limitibus se continerent. „ Ut autem ad infames rogos damnaretur

„ Versio Catalaunensis, opus fuit persuadere Fidelibus, quod *ipsum Novi Testamenti textum exhibeat damnabiliter*, *nec sine ausu temerario vitiatum*. Quam atrocem esse calumniam sustineo, & censores provoco ut vel minimum ejus argumentum proferant. „

Argumenta ego complura protuli Tomo I. in Prologomenis cap. 16. quod cum à nemine videam hactenus confutatum, uti & cætera à me satis, ut autumo, dilucidè & copiosè deducta, non est cur supervacaneâ vindicem apologiâ. *Colloquia* sua Quesnellus undequaque Schismaticis faventia, simili terminat conclusione pag. 279. " Decretum illud „ continet tot errores minimè tolerandos, „ ut numerari necesse sit inter cassa, irrita, „ & quorum nulla penitus habenda sit ratio. „

Pag. 281. " Decretum ex omni parte „ evanidum est & nullum; cum datum „ fuerit sine causa, sine forma Canonica, „ contra omnem rationem, solâ nixum prætensâ Pontificis authoritate, quemadmodum supremâ ita & absolutâ. „

Pag. 282. " Non igitur nos commovere „ debet Decretum istud, utpote prorsus nullum, sive nullius ponderis & effectus. Ne „ quidem hîc locus est dubio, vel quæstioni, „ utrum saltem non expediat obedire potiùs, quàm refragari. „

Denique pag. 283. " Decretum fœtus „ passionis est, expers penitus rationis, conditum instigante spiritu dominationis, nixum supposito authoritatis fictitiæ, absolutæ scilicet & arbitrariæ. Credereſne te „ non peccaturum, fovendo persuasionem „ adeo noxiam, & natam perdere ac subvertere omnia in Ecclesia? vergit enim ad „ constituendum omnium Dominum, hominem passionibus, erroribus, deceptionibus obnoxium. Majori istud periculo exponitur, eò quod, dum istiusmodi dogmatis opinione injustè quidpiam Pontifex statuit, vel definivit, obstet eadem, ne ullo „ tempore retractetur. Præcipitur nobis obedientia cæca, ut pareamus veluti mancipia, imò bestiæ, quibus neque intellectus „ est ad discernendum à bono malum, neque „ conscientia, quæ injustitiam aversetur ne „ ei quomodocumque consentiamus. „

Non poterat Quesnellus, conveniente magis coronide Schismaticos finire Dialogos. Somnia sua, imò studiosè à se excogitata mendacia veluti fundamentum, & quidem unicum Apostolico affingit judicio. Certissimum autem mihi est S. Officii Consultores, quorum perspecta omnibus sapientia est, à fundamento illo fictitio ad suam hic sententiam confirmandam prorsus inepto, fuisse remotissimos. Illam enim arbitrariam potestatem omnia statuendi ac definiendi pro mero libitu sine ratione & contra justitiam, nemo Pontificibus prudens attribuit Catholicus, affingunt nobis hæretici, à quibus suam hanc calumniam, ut passim cætera, mutuatus creditur Quesnellus.

Cui autem Theologo, cui homini nisi fatuo venire in mentem posset, ut Pontifici suaderet, ferendam pro libitu & nullâ apparente veritate aut justitiâ, contra librum sententiam, definiendo, quod ad *abnegandam virtutem pietatis subdolè deducat*, quod *in eo passim occurrant doctrinæ & Propositiones seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, aliàs damnatæ, & Jansenianam hæresim manifestè sapientes*?

Istud verò à S. Officii Consultoribus, accurato libri præmisso examine, non temerè fuisse judicatum, confirmavit aliud post triennium examen, quod ab octo præstantissimis Theologis, coram duobus non solâ purpurâ sed & eruditione & pietate Eminentissimis Cardinalibus toto biennio maximâ diligentiâ iteratum est, additis longè gravioribus censuris, quæ in priore damnationis sententiâ fuerant prætermissæ, quales sunt *blasphemiæ*, *impietatis*, *hæresios*.

Neque posteriorum aliquam fuisse nimis duram, ex meis contra Propositiones disputationibus, existimo plusquam sufficit, patuisse: neque putem (certe à nemine ostensum fuit hactenus) me quidpiam duriùs de ullo ex damnatis Articulis enunriasse, quàm ejusdem mereretur perversitas. Nunquam hæreticorum judicio ulla eorum sententia justè condemnata est, nunquam juris ordo & forma debita servata: semper judices fraudibus accusantium circumventi, vel lapsi ignorantiâ, vel pravis affectibus obcæcati, odio, invidiâ, cupiditate, vindictæ spiritu impellente, ipsam proscripsere injustissimè veritatem pariter & Sanctitatem.

Ab annis quadraginta quinque Franciscus Simonis in Libello aureo de Fraudibus hæreticorum parte 3. fraudem hanc indicat quartam *Apostolicas sententias errorum condemnatorias sugillare ut subreptitias, suppositititias, extortas*. " Canes (inquit) videre „ est rabido morsu in saxum sævire, quo „ sunt petiti. Caninum hoc habent hæretici, „ ut alia pleraque, rictum, dentes, latratum, rabiem: eâ gratiâ, ut opinor, à „ Joanne Apostolo Apoc. cap. 22. inter *canes* „ *foris* residere jussi.

„ Si Decretum fidei exierit missum, dictatumque divinitùs, Involant in Decretum,

„ tum, ipsumque dente maledico proscin-
„ dunt furenter. Quidquamne gravius, sa-
„ pientius, sanctiusque vidit Ecclesia,
„ quàm Nicænum Concilium trecentorum
„ decem & octo Patrum? Uspiamne Episco-
„ porum Synodus œcumenica Decretum
„ extulit deliberatius, exactiusve ad amus-
„ sim Apostolicæ Traditionis, quàm est Ni-
„ cænum illud, quod Ecclesia universa pro
„ Fidei Symbolo utendum sumpsit in omnes
„ annos? Attamen inventus est Sabinus Ma-
„ cedonianâ sordens hæresi historicus, qui
„ & authoritatem Nicænorum Patrum ener-
„ varet,& Nicænum Decretum pro subrepti-
„ tio extortove haberet.
„ Etenim ut refert Socrates lib. 1. cap.
„ 6. *Eos, qui Niceæ coacti erant, imperitos &*
„ *inscios vocat, neque veretur ipsi Eusebio*
„ *Cæsareensi ignorationis vitium falsò objice-*
„ *re; neque illud secum cogitat, eos, qui ade-*
„ *rant in Concilio, licet fuissent imperiti, ut*
„ *ipse prædicat, animis tamen à Deo illustra-*
„ *tos, & Spiritus Sancti gratiâ imbutos, nul-*
„ *lo modo à veritate aberrare potuisse.*„

Quesnelli eruditionem non latuit querimonia Juliani Pelagianarum partium Episcopi apud Augustinum lib. 3. contra Julianum cap. 1. *Apud judices non potuimus* (inquit) *agere causam nostram; quia nemo de rebus dubiis benè consultat, nisi qui ab odio, irâ, & amicitiâ vacuum pectus attulerit, quales non fuerunt, qui de Causa nostra judicarunt; quia priùs cœperunt Causam nostram odisse, quàm nosse.*

Quandonam scilicet audiuntur hæretici, nisi exaudiantur? Non autem frustra Quesnellus talia hæreticorum exempla legere solet, quin ex illis proficiat, arripiatque istiusmodi, cùm meliora deficiant, causæ suæ præsidia imitator industrius. Tale etiam recentius repererit apud Lutherum, qui errores suos à Leone X. damnatos sentiens, ut legitur tomo 2. Operum ejus, accusare Pontificem cœpit impiæ tyrannidis, quasi in suis lucubrationibus damnatus fuerit non vocatus, neque auditus, neque convictus. Unde placuit hæresiarchæ solemnem instituere appellationem ad futurum Concilium.

Malè cessit authori ea molitio; Quid enim convenientibus in unum Patribus lucratus est,nisi ut hæresis majore celebritate, majore quoque authoris dedecore ab universo damnaretur Concilio? Verùm Luthero astutior Quesnellus appellare novit nullo suo periculo. Perspectum satis habuit, publicum Europæ Statum nullatenus dispositum ad Convocationem Synodi OEcumenicæ, propter dissidia inter Christianos Principes tam frequentia, & formidinem bellorum continuam, ut satis appareat verisimile priùs vitæ nostræ terminum futurum, quàm initium Concilii.

Proindè talis appellatio, si legitima foret, modum præstaret securissimum, spargentibus hæresim qualemcumque, ut impunè auderent quidlibet, neque in Ecclesiæ esset interim potestate, exitialem maximè pestem reprimere; sed grassari quotidie latiùs permitteretur, non solùm annis pluribus; sed fortè seculis; ut enim plus quàm sesquiseculum transiit, intra quod, ut maximè desiderasset Pontifex, non potuisset, neque posset hoc tempore ditionum omnium Antistites congregare, atque à suis retinere Diœcesibus avulsos, quantùm negotiorum gravitas & multitudo, in Synodo tractanda exigeret.

Quis igitur interim necessitati prospiciet Ecclesiæ, atque hæreticam reprimet temeritatem? Perspicimus hic loco Christi, longè alium ab hypocritis sibi constitui Servatorem, atque ita medicum *sanandis vulneribus*, quæcunque Pontifices *inflixerint*; quia juxta hæreticos semper novitas damnatur perperam, sententiâ præcipiti, & sine Christi mandato; imò Deo potiùs, veritate & justitiâ repugnantibus. Hic sensus Quesnelliani Articuli absurdissimus quidem est; sed ab authoris intentione apparet minimè alienus; suorum scilicet dogmatum librorumque intuitu.

Quandonam enim Quesnelli Opus aliquod vel dogma sanctio Pontificis proscribendo læsit, & non statim à Quesnello adhibita *unctio* est, qualis à me hactenus multiplex commemorata? Neque præsentes solùm *Dialogi*; sed & diù antè edita Quesnelli Epistola nomine *Abbatis ad Quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, *Notæ* ejusdem *in Decretum Indicis*, quo *Dissertationes in S. Leonis Opera* supprimuntur, *Unguenta* prætereà Quesnelliana sunt, libelli acerbissimi contra Clementis XI. Dispositionem circa Hollandiæ Missionarios & suspensionem Archiepiscopi Sebastenii ab Officio Vicarii Apostolici, ac deinde contra depositionem ejusdem, ac remotionem: denique post obitum contra privationem Sepulturæ Ecclesiasticæ & orationum.

Alia non refero omnem quodammodo excedentia numerum scripta Quesnellistarum rebellium contra varias Sedis Apostolicæ sententias. Catalogum sexaginta Operum anonymorum, quæ solus edidit Gerberonius exhibet juridicus contra eum Processus, vix pauciora sunt Ægidii de Witte, plura etiam Antonii Arnaldi &c. Quæ omnia *unguenta* Jansenistarum sunt, authores eorum *Medici*, & quodammodo Salvatores Ecclesiæ novæ adver-

adversùs quælibet à Primis Pastoribus *inflicta* vel infligenda in posterum *Vulnera* perniciosis novæ Sectæ libris, atque opinionibus.

Tales (inquam) illa medicinas, tales medicos, etiam à sui exordio semper in promptu habuit, contra omnia sibi adversantia Romanorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum Diplomata. Quotiescumque enim *Vulneris* sibi quidpiam *infligi* ab his senserit, illico solita fuit protrudere Opusculum aliquod, infame quidem & anonymum; quod tamen penes imperitam multitudinem sufficeret pro Apologia: atque hoc sensu dictum ab hypocrita intellige: *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*.

Non his tamen exhauritur ars medica & chirurgica Jansenistarum: habet præterea instructissimas omni fraudum genere officinas. Fallacias autem istiusmodi exponere, vel enumerare singulas, non unius capitis est; Sed Tractatum exigit, Francisci Simonis Opere longè prolixiorem; quia ne una quidem è recensitis illic Fraudibus est, quam legens quilibet non statim videat, ut à veteribus pridem hæreticis progenita fuit, à Jansenianis imitatione accuratissimâ adoptari. Ut autem vulgò dicitur, quod facile sit inventis aliquid addere, paucis arctari additionibus non potuit fœcundum novæ Sectæ ingenium.

Illarum partem non modicam toto meo hactenus sparsam Opere, Lector diligens deprehendere potuit: poterit etiam in examine Propositionum quæ supersunt. Verùm ullusne sol occidit, qui non aliquid novi monstri contra Bullam *Unigenitus*, à Novatoribus conspexerit parturiri?

CAPUT VII.

Spes ridicula novitati concepta è Concilio Œcumenico; magis etiam è voce populi.

1 Novi systematis scopus est, omnem authoritatem falli nesciam demere, non solùm definitionibus Apostolicæ Sedis, & quidem communissimo consensu Antistitum receptis, ut est Constitutio *Unigenitus*; sed ipsis quoque Conciliis Œcumenicis, eamque in sola *voce populi* collocare. Quis autem de voce illa quidpiam certi statuat, à qua parte stet multitudinis major numerus?

Insignis vesaniæ foret velle multitudinem Fidelium solis Galliarum finibus concludere; percurrant autem adversarii totum extra Gallias Orbem, quàm latè Catholica extenditur Ecclesia: interrogent populos alibi universos, utque in eis, quoniam ita cupiunt, omnis sexus, ætatis, conditionis homines nobiles, milites, mercatores, omnium artium opifices, cives, & rusticos, servos etiam, bajulos, mendicos, & si quod aliud infimæ sortis hominum est viros inter & mulieres, interrogent, inquam, universos & singulos, cui malint adhærere judicio: Pontificisne Romani Constitutionem dogmaticam, tanquam fidei & morum regulam proponentis, cui consensu partim tacito, partim expresso cuncti Antistites suffragati sunt, si paucissimos in Galliis excceperis; an verò cum paucissimis istis Constitutionem fidei tanquam hæreticam detestari?

Fallor, si interrogatio tam absona benignis auribus accipienda judicabitur, & non mille potiùs execrationibus repellenda. Recursus itaque Jansenistarum ad istiusmodi figmenta præsidii, quem non convincent mediocriter Sapientem, ipsismet adversariis causam suam videri perditissimam, neque ullum esse in Ecclesia Tribunal, ullam authoritatem, cujus velint obedire sententiæ, nisi suæ faverit opinioni? Si in Concilio damnentur Œcumenico, sufficiet aliquos ex præsentibus Quesnellianarum partium Episcopis definito fidei Articulo fuisse refragatos, qui quando, sive finitâ Synodo, sive antea ad proprias Sedes redierint, cum prætensa populi voce, reclamare poterunt, atque hoc modo totum reddere inanem Concilii OEcumenici apparatum.

Ad aliquam obtendendam contumaciæ suæ speciem rationis, non deerunt, ut litigare volentibus desunt nunquam, prætextus frivoli, qualibus hæretici solent credulam sibi imperitæ plebis decipere multitudinem, sibique colligatam in rebellionis trahere societatem. Potuerint etiam aliqui ejusdem Factionis Episcopi suis ab initio remansisse in Sedibus, sive valetudinis, sive alterius allegatione rationis, ab itinere ad Concilium se excusantes: reverâ autem ideo non interesse Concilio maluerint, ut quidquid ibi statutum definitumque fuerit suis opinionibus non conveniens, valeant illud liberiùs reiicere, irritumque suo reddere arbitratu. Prompta eis semper erit appellatio à præsenti Synodo, juxta veritatem & justitiam non judicante ad aliam Divinis Scripturarum Oraculis & Patrum vestigiis religiosiùs, ut confiditur, instituram.

Aliud quoque movere septem refractarios Antistites posset, ut Concilium adire minimè sibi expediens ducerent. Quocunque scilicet pro Quesnelli dogmatibus ardore fervent,

veant, suisque in Diœcesibus, quodammodo velut Pontifices summi è Cathedra loquantur quidlibet, & scribant intrepidè: at ne in Galliis quidem celebrari eos audivimus hactenus singularis famâ scientiæ: extra Gallias autem sola notos reddidit contra Bullam *Unigenitus* publicâ & obstinata rebellio. Proinde quomodo exiguus ille refractariorum, neque valde eruditorum manipulus comparere in Concilio auderet? Quomodo os pro novitatibus aperire, totius antea Ecclesiæ anathemate condemnatis? Quomodo easdem contra tot instructissimos Scientiâ Theologicâ ex omnibus nationibus Episcopos defendere?

Quapropter nunquam mihi videri potuit istiusmodi ad OEcumenicum Concilium appellatio seria, sed quæsita solùm obducendæ contumaciæ larva, & inanissimum appellationis simulacrum. Præterea quot exceptionibus Novatorum obnoxia esset, si, quam hoc tempore desiderare se simulant, Synodum contingeret celebrari! Quæ satis libera civitas videretur? Nulla in Italia, Hispania, Lusitania, ubi Sacra viget adversùs hæreticam pravitatem Inquisitio: nulla placeret ditio Principi subjecta probè Catholico, & Sedis Apostolicæ reverenti. Omnes etiam qui convenirent Episcopi, hoc ipso fierent Novatoribus suspecti, quo noscerentur authoritati favere Pontificiæ, nullamque credere ejus sententiam, quâ Fidelibus universis fidei regula præscribitur, obnoxiam esse erorris periculo. Exceptio contra eos Libellis pluribus recentissimè declarata est.

Constat autem omnes extra Galliam Ecclesias authoritati istiusmodi Pontificiæ suffragari. Omnium igitur, præter Gallicanorum Antistitum, judicia in Concilio OEcumenico pro Constitutione *Unigenitus* nullius ponderis forent; quia erroneo juxta adversarios principio niterentur, non Canonico Bullæ, & damnatarum in ea Propositionum examine. Sed num Gallorum saltem Præsulum legitimæ censebuntur sententiæ? Quotquot antea Constitutionem probaverant, numerum supergrediuntur longè centesimum, adeòut si computum ineas, deprehensurus sis pertinacibus oppositos plures decuplo.

Tum his obiicere non minùs promptum habitura est paucitas Quesnellistarum, quòd disquisitionem in Concilio debitam neglexerint, inhærentes improvidæ suæ ante Concilium admissioni.

Denique quantumlibet operosa, etiam supervacanea instaurata Disquisitio in OEcumenico fuisset, nihilominus certa nunquam cedere authoritati novitas, comminisceretur facilè novi quidpiam figmenti, quo formata post omne studium Censura, decretumque anathema eludatur. Puduerit, inquiunt Quesnelliani, Episcopos præcipitis sui prioris judicii imprudentiam, & iniquitatem agnoscere, atque ita illatam veritati & justitiæ plagam convenienti sanare palinodiâ: nimium quoque indulserint respectui humano, nolentes displicere Pontifici & forsitan Principi; si hunc noverint Constitutioni Apostolicæ patrocinari.

Sic vivente Ludovico XIV. ut erat verâ religione Christianissimus, quicumque Antistites, à Quesnelli & novitatibus alienos, & Apostolicæ Sedis reverentes ostenderent, proclamabantur à Jansenianis illicò veluti Episcopi magis politici & Curiales, quàm Ecclesiastici, utpote qui secundo Aulæ utriusque Favonio velificari magis cuperent, quàm remigatione difficili, neque omnis experte desiderii, seculi torrentibus obluctari. Indignissima quidem est in tantos Ecclesiæ Præsules jactata à Novatoribus contumelia.

Ratio autem à Quesnello brevi periodo comprehenditur, extendens se multò latiùs, quàm ad congregandos Parisiis Episcopos. Sic in *Dialogis circa Romanum Decretum prohibens Novum Testamentum Catalaunense cum Observationibus Moralibus* pag. 103. *In hac* (inquit) *fæce seculorum, in hac disciplinæ corruptione omnis penè Spiritus Apostolicus extinctus est*.

Undè non mirum, quod pridem antea in scripto contra Illustrissimum à Marca Archiepiscopum Tolosanum pag. 60. Sodalium suorum, pro veritate fidei Jansenianæ, & similis Ethicæ puritate dimicantium, deplorans fortem miseram, *Cernimus* (inquit) *potestates omnes spirituales, æquè ac temporales in eorum armatas perniciem*.

Ante Quesnellum Joannes Vergerius Abbas Sancyranus, ut de eo scribit Isaacius Habertus Episcopus Vabrensis in Defensione Fidei parte 2. pag. 20. *Nunquam discipulos initiandos suscipiebat, ut ex ipsorum immediatè testimonio cognovi, quin inciperet à depressione, reprehensione, & contemptu doctrinæ communis, ingeminando oculis clausis, retorto capite, elatâ manu, gestu severo, & quodammodo repellente, Ignorantia, tenebræ, errores stupendi, cæcitas ubique*.

Neque ab eo tempore, quantumvis improbè laboraverint Jansenius, Arnaldus, Quesnellus & eorum Socii, prætensa illa cæcitas, ab Ecclesiæ Præpositis arceri potuit, sed in iisdem remansere tenebris, nolentes recipere lucem à tantis oblatam Reformatoribus, quin eam iteratis sæpius censuris & exe-

exec rationibus proscripserunt.

Quid igitur spei, quid non potiùs desperationis à talium Conventu Antistitum Quesnelliana reformatio concipere potuit? Non ignorant illud homines illi præditi ingenio minimè hebeti; quantumvis perverso; sed fiduciam mendacio simulant, ne in damnatione à Sectatoribus deserantur. Quod illusionibus istiusmodi irretiant simplices, mulierculas & plebem credulam, non adeò mirum est, quàm quod aliquos ex ipso Episcopali Ordine tam inanibus valuerint circumvenire fallaciis. Salutem hæresi promittunt ab universorum conventu Antistitum, quorum singulos, paucis in Gallia exceptis, eam certissimè nörunt inflicto à Sede Apostolica anathemate pariter detestari.

Non tamen nullo suo commodo excogitavere adversarii hanc ad Concilium appellationem; dum enim in omnium simulant Episcoporum judicio spem, atque fiduciam, videntur non temerarium justitiæ ac veritatis suscipere patrocinium. Sed & verisimile noverunt, vitæ suæ priùs terminum spectandum, quàm Concilii initium OEcumenici. Interea quidlibet innovantes, quæ eos authoritas coercere poterit? Magis tamen, quæ sanationem pollicetur hæresi medicina adversùs anathema Pontificium, ab universi Christiani populi clamoribus derivatur.

Medicinam istam fictitiam veriùs alii præsens toxicum appellant, cui depellendo, ut Scorpionum ictibus, oleum ipsis expressum Scorpionibus medetur, ita solum sufficere apud adversarios deberet, deductum ex ipsorum inculcatis passim testimoniis argumentum. Sic nempe Ægidius de Witte vehementissimus aliàs contra Bullam *Unigenitus* declamator, in *Augustino Iprensi vindicato* pag. 280. *Benè subductâ* (inquit) *ratione, Moliniano, aut Pelagiano contagio jam nunc contaminata videtur longè maxima Reipublicæ Christianæ pars, atque intrepidus veræ gratiæ amatorum cœtus, si numerum aut copiam spectes, liberi arbitrii decomptoribus, adeoque & deceptoribus non parum cedere.*

Si Moliniano contagio, quod juxta famosissimum hunc Jansenii Vindicem, à Pelagiano minimè vel perparum differt, contaminata videatur pars longè maxima Reipublicæ Catholico-Christianæ, evidens apparet Ecclesiæ Catholicæ partem longè maximam adjecturam calculum Constitutioni, cui Molinianos obedientiam præstare ubique promptissimam, omnibus, maximè adversariis, exploratum est. Quis igitur, nisi malesanus ab imbuto istiusmodi dogmatibus *populo vocem* expectet Constitutioni *Unigenitus* contrariam?

Idem author in *Denuntiatione solemni Bullæ Vineam Domini Sabaoth* pag. 6. sermone ad Ecclesiam converso ait "Conjurasse vi„ detur contra te Universitas populi Chri„ stiani à minimo usque ad maximum, abiens „ post Molinam, & Pelagium.„ Talis populus, quò ampliùs vociferabitur, recrudescere semper magis faciet vulnera, novo Jansenii & Quesnelli de gratia systemati à Pontificiis inflicta Constitutionibus. Quò itaque ampliùs augebitur clamor populi, necesse est crescat etiam novæ Ecclesiæ clades, & desperatio.

Sancyranus juxta testimonium jurejurando confirmatum Abbatis & Secretarii Generalis Cistercienfium Joannis de Jovaud interrogaverat, *Quid Ecclesia nomine intelligeret*; respondente Jovaud: *Cœtum Fidelium compositum ex Summo Pontifice, Prælatis, Doctoribus, Religiosis & populo*; Sancyranus: *O quantum, inquiebat, remotus es à veritate! Ecclesia iis tantum rebus constituitur, quæ fuerunt ante sex secula. Præsens Congregatio Pontificis, Præsulum, Doctorum, Religiosorum & populi, quos videmus vivere sub iisdem legibus, non alio sensu potest dici Ecclesia, quam quod in locum veræ Ecclesiæ successerit, quemadmodum aqua cœnosa & fœtida eundem alveum occupans, quem olim aqua viva limpida & salubris, ejusdem fluminis nomine appellatur.*

Neque hæc Ecclesiæ corruptio solùm in moribus est, sed in pluribus etiam dogmatibus. Perpauci sunt, qui Ecclesiæ filii dici mereantur... Tibi demonstrabo usque quæ sæcula duraverit vera Ecclesia, quo tempore destrui cœpta sit. Tempus ædificandi: tempus destruendi: Deus ipse Ecclesiam dissolvit.

Gabriel Gerberon *Notis* in Epistolas Jansenii ait pag. 179. *Jansenius statuerat in Ecclesiam introducere puras S. Augustini de gratia & prædestinatione sententias, penè illic incognitas.* Verùm Janseniano illo Opere ab Ecclesia statim ac prodiit, eliminato, & prohibitis omnibus ejus vindiciis, remanserit illa Augustinianarum de prædestinatione, & gratiâ veritatum ingnorantia.

Quid igitur clamoris salutiferi in tali materia speres ab ignorante, quin & communissimè Pelagiano aut Semipelagiano *populo*, ut iterum testatur Gerberon in *Responso ad discordiæ Jansenianæ Enarratorem Dispunctum* pag. 5. dicens: *Undenam putas, Pelagiana, aut saltem Semipelagiana hæresis novissimis his temporibus Christianum penè totum inundat orbem, nisi quia, præterquam quod omnes nascuntur Pelagiani, Christianæ plebi subducuntur Catholicæ, quas de gratia Chri-*

Christi, & prædestinatione, post Scripturas & Augustinum, Sancti Patres protulerant, veritates, & his subductis, nihil Christiano populo oggeritur, quàm ... Pelagianorum assertiones?

Cui proinde sanæ mentis homini persuadebitur, quòd partim *pelagianâ*, partim *semipelagianâ hæresi totum penè Christianum orbem inundante, subductisque Christiano populo Catholicis Scripturarum, & Sanctorum Patrum de Prædestinatione & gratiâ veritatibus, dum nihil ei oggeritur, quàm Pelagianorum assertiones*, nihilominus populus ille nonnisi sana approbaturus sit dogmata, & spuria rejecturus, atque ita vox ejus de Romanorum Pontificum, atque Conciliorum Generalium sententiis securissimè declaratura, sintne verbo Dei scripto ac tradito, atque adeò Catholicis veritatibus convenientes, an oppositæ? Quesnellus Articulo 95. *veritates*, inquit, *eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis*.

Quæ igitur prudentia dictabit, ad erroneum istiusmodi tribunal referre dijudicandas omnes Apostolicæ Sedis & universorum Antistitum de fide & religione sententias? Quis sapiens inter vicina ambulans præcipitia, ducem sibi eligat cæcum? Diceres mentecaptum, qui tali vitam suam salutemque committeret.

Non minùs videntur desipere adversarii, quando negatâ Summo Christi Vicario, & Episcopis universis falli nesciâ authoritate, fidem suam salutemque suspendunt ex judicio multitudinis, quam censuerint non modo vitiis contaminatam; sed etiam erroribus, & quidem hæreticis pessumdatam. Hanc nihilominus fide pessimâ sibi fingere patrocinantem, semper novatoribus promptum est, atque hujus figmento subsidii, omnia cujuscumque tribunalis, maximè legitimi tidere anathemata: quidquid vulnerum sentiunt novitatibus inflictum, hoc illico sanare remedio, quod ipsis generalis medici Salvatoris instar fit. Hoc sensu intelligitur fictitius *Jesus* Quesnelliana *sanare vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituere, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*.

Antequam fallacem Articulum dimittam, dissimulare nequeo, admiratum me sæpius fuisse adversariorum impudentiam, quòd ubi contra eos legitimum affertur præjudicium, ex hæreticorum ipsis consentientium applausu, qualis fuit prodeunte olim Jansenii volumine, & nunc ubique personat occasione recentissimæ contra Ecclesiam rebellionis: adeo erubescere nesciant, ut non vereantur oggerere nobis identidem illud Quesnelli ex mendacissima ejus *Traditione Ecclesiæ Romanæ de gratia* tomo 3. pag. 201. *prætensis Jansenistis honori vertendum est, quod circa concordiam gratiæ cum libertate, tradant doctrinam, quæ & probata est ab Ecclesia, & magis accommodata reducendis ad Ecclesiam hæreticis*.

Qualis jactata ea sit à Quesnello approbatio Ecclesiæ, ignorare ipse non poterat ex latis contra Jansenium censuris; luculentiùs autem postea edoctus est Constitutionibus *Vineam Domini Sabaoth*, & *Unigenitus*, ut prætеream Alexandri VIII. anathema contra Articulos 31., quorum aliqui de gratia sunt, longè plures in Bulla *Unigenitus* feriuntur. Gloriationem autem Quesnelli de conversis doctrinæ suæ præsidio hæreticis, repressam aliàs vidimus à Calvinista Petro Jurieux in libello de SPIRITU ARNALDI: *verum est*, inquit, *quod ipsi* (Jansenistæ) *ad nos omnino accessérint in materia de gratia; sed accedentes ad nos, conati sunt a se nos removere, tribuendo nobis sententias, quas sciunt à nostris minimè sustineri, quę insignis perfidia est*.

Verùm ut Diaboli, quantumlibet inter se discordes, ubi tamen de odio Dei, & procurandâ hominum pernicie agitur, studia jungunt & rabiem, ita hæretici Calvinistæ, Lutherani, Jansenistæ quantumvis invicem in pluribus adversi, in oppognandis tamen Pontificiis definitionibus, quibus dogmata tribus illis sectis communia proscribuntur, maximè unanimes sunt, consilia conferunt & vires; potissimùm contra Bullam *Unigenitus*, quâ nihil est novis hæreticorum Ecclesiis infestius, nihil firmandæ fidei & doctrinæ Catholicæ magis idoneum. Conspirationis autem istiusmodi contra Bullam ratio paulò distinctius exponenda est.

CAPUT VIII.

Ratio medicorum ex Germania, Anglia, Hollandia concurrentium ad sananda vulnera, quę Sectis hæreticorum pluribus Constitutio Unigenitus *inflixit*.

1 Comperta omnibus sunt non Jansenistarum solummodo; sed etiam Lutheranorum & Calvinistarum studia, pro defendendis contra Bullam *Unigenitus* Propositionibus Quesnelli. Tanta sollicitudo, & hæretica, si ita vocare liceat, charitas urget tres illas Ecclesias, ut Quesnelli causam non aliter, quàm propriam suscipiant, curandis ejus vulneribus non secus im-

impendant operam, quàm si commune periculum esset, communis calamitas.

E Lutheranis Quesnello medicamina contulere Joannes Frickius Ulmensis, Joannes Wolfangus Jegerus Tubingensis, Gottlob Fridericus Jenichen Lipsiensis. Calvinianus indubiè est author *Reflexionum nulli addictarum parti*, quemadmodum & Novellarum, sive, ut dicitur, Gazettarum in Hollandia scriptores. Anglos etiam cum Quesnellianis momenti maximi consilia contulisse, dudum fama divulgavit: certiora de tractatuum successibus nondum innotuere: in maturiora forsan tempora, & prosperas magis circumstantias reservantur.

Quæ sive in *Reflexionibus* Calvinianis, sive in Lutheranorum opusculis Constitutioni objiciuntur, nihil continent, quod ab *Augustini Vindicati* & à me in responsionibus contra Jansenistarum oppositiones, abunde non reperies confutatum: quorum scilicet causa & damnatio communis est, similes esse decuit apologias. Quod igitur unicum mihi propono præsenti capite exequendum, est ostendere, Jansenianos cum Lutheri & Calvini asseclis, dogmatici similitudine Systematis moveri potuisse, ad ferendas Quesnello suppetias, adversùs Constitutionem *Unigenitus*, sive, ut Quesnelliani Articuli figuram prosequar, ad *sananda* collatis studiis & artibus *vulnera*, quæ tot Propositionibus Clementina Constitutio *inflixit*.

Præcipuam Quesnelliani Systematis partem brevi complector epitome, cui Jansenium cum Lutheranis, Calvinistis, eorumque Patriarchis concinere in speciminibus aliquot audiemus, plura vitandi tædij gratiâ prætermissuri.

Primò: Deus non vult omnes homines salvos fieri.

Secundò: Christus pro nullius reprobi salute mortuus est.

Tertiò: Nulla datur in hoc hominis statu gratia merè sufficiens.

Quartò: omnis in hoc statu gratia efficit omnem effectum, ad quem conceditur, & cujus in talibus circumstantiis capax est.

Quintò: omnis gratia effectum illum obtinet virtute insuperabili, & cui voluntas humana consensum nequeat denegare vel suspendere.

Sextò: sine tali auxilio, non tantùm nihil boni operis fit; sed neque fieri potest.

Septimò: omne bonum opus & ejus præmium est purum Dei donum.

Octavò: sine gratia omne deliberatum opus est peccatum.

Nonò: omnia opera deliberata sine fide sunt peccata.

Decimò: sunt etiam omnia peccata sine amore Dei.

Undecimò: Ex timore gehennæ nullum potest animus vitare peccatum.

Duodecimò: Amor concupiscentiæ, quo desideramus nobis Deum, est peccatum si absit charitas.

Articuli isti duodecim sicut Quesnellianorum dogmatum pars aliqua sunt communis Jansenianis & utriusque superioris seculi hæreticis, videbantur etiam à recentissimis eorum Sectatoribus exigere communem solicitudinem pro sui contra Bullam *Unigenitus* defensione.

Primus Articulus à Quesnello traditur Propositione 12. "Quando Deus vult salvare „ animam, quocumque tempore, quocum„ que loco, effectus indubitabilis sequitur „ voluntatem Dei„. Salutem in pluribus non sequi compertissimum est, ideoque juxta Quesnellum plurimi sunt, quorum Deus salvare animam non voluerit. Jansenius Tomo I. Editionis Lovaniensis col. 514. "Erronea est „ sententia recentiorum, qui exponunt lo„ cum Apostoli I. Tim. II. vult omnes homi„ nes salvos fieri, de voluntate salvandi om„ nes quantum in se est.„ & Tom. 3. col. 374." „ Expositio enim ea ab errantibus introdu„ cta, à veris gratiæ defensoribus graviter „ improbata est.

Ibid. col. 1013. "Non potest statui vo„ luntas generalis, quâ Deus omnes homi„ nes in damnatione primi peccati positos „ velit salvos fieri, & ex qua voluntate ge„ neralia remedia sint omnibus præparata.„ Col. 1014." Circa eos, qui reprobandi sunt, „ Deus ante omnem prævisionem peccati „ actualis habet voluntatem fixam eos relin„ quendi in eo statu, ex quo cæteros libera„ re statuit: ille autem citra dubium est per„ ditionis & damnationis status.„ Col. 1018." „ Profectò sic se cum cæteris gerit, ac si ne„ minem liberare; sed omnes damnare sta„ tuisset, non sufficientem redemptionem ac „ gratiam præparando„.

Calvinus lib. 3. Institutionis cap. 24. in 1. ad Timoth. cap. 2. "Quo nihil aliud profectò „ (Apostolus) significat, quàm Deum nulli „ hominum ordini viam ad salutem præclu„ sisse. „ Ibid. "Pueriliter ergo hallucinan„ tur, qui hunc Pauli locum prædestinatio„ ni opponunt: Si Deus, inquiunt, indiffe„ renter vult salvos fieri, falsum est alios ad „ salutem, alios ad exitium æterno ejus con„ silio esse prædestinatos: Aliquid fortè di„ cerent, si Paulus hic de singulis homini„ bus ageret. „

Ar-

Articulum 2. tradunt Propositiones Quesnelli quatuor, nempe trigesima: "Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter." Trigesima prima. "Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat." Trigesima secunda: "Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris." Trigesima tertia: "Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me".

Acceperit ea Quesnellus ex Jansenio Tom.I.col.546."Christus non pro totius mundi redemptione crucifixus & mortuus est; sed tantùm pro iis, qui salvantur." Tomo 3. col.390. "Christus pro infidelium in infidelitate morientium, aut justorum non perseverantium salute mortuus non est, nec sanguinem fudit, nec semetipsum redemptionem dedit." Ibid."Imò non magis pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatus est".

Calvinus in cap.17. Joannis": Christus proprii gregis solummodo fuit solicitus, & pro Electis suis duntaxat oravit." *Contra remonstrantes* in specimine Amstelodamensi Art. 43. " Non est tamen Christus secundùm consilium, mandatum & commissionem sui Patris mortuus pro omnibus... Sed pro solis Electis". Simon Simonius contra Schegzium lib. 2. fol. 24. scribit:" Christum tantùm Electorum gratiâ se ipsum exinanivisse, formâ servi assumptâ.".

Articulus 3. traditur à Quesnello Propositione 9. " Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus". Prop.10. " Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare". Prop.11." Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet".

In tribus his Quesnelli Propositionibus indefinitè exprimitur gratia, quæ nobis ex Christi meritis obvenit: subjectum autem indefinitum in quibuscunque enuntiationibus dogmaticis æquivalet universali, ut idem sit ac si dicatur *omnis gratia Christi*.

Jansenii idem sensus fuit Tomo 3. col.250. " Post lapsum Adæ nullum datur adjutorium verè sufficiens, quin simul efficax sit." Ibid. col.254. " Gratia sufficiens videtur monstrum quoddam singulare gratiæ.

Ita visum quoque fuit Sinnichio Jansenii ardentissimo defensori. Hic anno 1650. die 26. Februarii Thesim quartam sic posuit:" Imaginaria est & inutilis in hoc statu gratia sufficiens." Et anno 1649. 16. Octobris Thesi quarta ait: "Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est; sic ut meritò proindè petere possimus: à gratia sufficienti libera nos Domine".

Ab hoc Sinnichii errore liberavit Ecclesiam Alexander VIII. damnans eum inter triginta unum, quorum triginta fuerant à Jansenii sectatoribus traditi. Jansenio & ejus discipulis errandi occasio videtur præbita à Calvino in Antidoto ad sessionem 6. Concilii Tridentini. " Motus (inquiebat) Spiritus Sancti sic est efficax, ut fidem semper gignat". Chamierus Calvinista induxerat Bellarminum quærentem, " An posito auxilio gratiæ homo possit legem implere, vel si maluerit prævaricari," ad quod hæreticus respondit Tom.3. lib.3. cap.6." Si illud auxilium gratiæ intelligatur, extrinsecum, verum esse; si intrinsecum, tunc semper operari.

Petrus Molineus in epistola citata à Maldero Antuerpiensium Episcopo t.2. fol.485." Pessimum (ait) quod reperio in opinionibus istis nuperis, est gratia ista sufficiens, quam dicitur Deus dare omnibus hominibus". Complectuntur hæc Quesnelliani compendii, ut patet, etiam Articulum 4.

Quintum manifestè continet Propositio Quesnelli Decima jam relata:" Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare." Docuit eam priùs Jansenius Tom.3. col. 97." Adjutorium gratiæ ante lapsum Adæ tale erat, ut ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, salvaque maneret illa voluntatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò tale est, quod suapre efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipsius libero arbitrio subjaceat".

Et col.103." Nullum adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur aut non utatur, ut illud deserat aut non deserat, consentiat aut non consentiat si voluerit, ad medicinale adjutorum ullo modo pertinere potest".

Moneudus est hìc lector Catholicus, ne à fraudulentis Jansenii mangonibus se decipi patiatur, quasi Jansenius præterea in boc statu adjutorium aliud verè internum, sive gra-

tiam meritis Christi, hominibus concessam agnoscat: ajo ego certissimum esse, paratus quemlibet, qui in disceptationem vocare voluerit, convincere, quòd nomine medicinalis adjutorii non aliquam specialem; sed omnem veram & interiorem gratiam Christi meritis impetratam Jansenius intelligat. Profiteor enim me tanto pridem studio in hujus Episcopi opere versatum, ut vereri non debeam, ne ullus ejus defensor sobdolus me circumveniat.

Errorem istum de Janseniani sensûs intelligentia indicandum censui; quia Theologos etiam insignes, in eo quibusdam fallacibus Jansenii fautoribus nimis credulos deprehendi.

Calvinum hìc, ut passim alibi, Jansenius ducem habuit. Sic Hæresiarcha in Antidoto sess.6. Tridentinæ sub initium". In eo „ hallucinantur, quod motum nobis offerri „ somniant, qui mediam electionem nobis „ relinquat. Nihil autem de efficacia illa „ cogitant &c.„lib.2. Institut. cap. 3." Medium quem sophistæ imaginantur voluntatis motum, cui obsequi, vel repellere libera sit, apertè excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.„ Capite præcedenti dixerat". Gratia [omnis] voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo „.

Superiùs Chamierum dedi asserentem omne gratiæ *auxilium intrinsecum necessariò operari*.

Sextus compendii Articulus ad Quesnellum pertinet, traditus ab eo sæpissimè, in primis Propositione 2. *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest.* Prop.3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis*. Prop.4. *Ita Domine omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis eadem operando in illo* per gratiam efficacem; quia alia in hoc statu non agnoscitur à Quesnello. Prop. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ* [quo modo auxilium indicatur efficiens] *exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum* Prop.42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei: sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*.

Similes sunt Propositiones quatuor præcedentes. Certum est ex superioribus, nullam, etiam juxta Quesnellum, esse in homine lapso gratiam, nisi Christi, sive ut idem author sæpe alibi, & Jansenius passim vocat *medicinale adjutorium*: quale penes utrumque novatorem non est aliud, quàm efficax: & omne aliud juxta erroneum utriusque judicium foret inutile. Sententiam Quesnelli jam dedi pluribus Propositionibus significatam: eodem deduci possent plures aliæ.

Clarissima quoque est Jansenii lib. 1. de Gratia Servatoris Col. 81. "Cujus [inquit] „ medicinali gratiâ & adjutorio nisi vires „ pristinæ restaurarentur, tam est impossibile „ voluntati ut bene velit, & operetur, quàm „ homini cæco ut videat,vel surdo ut audiat, „ vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, quamvis eis & lux & species, & scipiones & omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant.„ Frustraneum hìc foret congerere eodem conspirantia Lutheri, Calvini & utrique adhærentium dogmata; cum iste eorumdem sensus omnibus adversariis ac amicis exploratissimus sit.

Articulus 7. juxta Quesnelli mentem convenit cum Propositione 69. *Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*. Eadem fuit Jansenii sententia Tom. 3. col. 193. " laudem „ (inquit) boni operis bonæque voluntatis „ partiri cum Deo, impium esse patet ex eo, „ quod post lapsum hominis tota laus bonæ „ voluntatis, atque operis in solam gratiam „ referenda sit „. Tom. 1. col. 269. " Pelagianæ phrases sunt,gratiam provocare, allicere, cooperari voluntati „.

Præiverat Lutherus Tom. 1. Resolutione Propositionum Lipsiensium Conclusione 2."Frustra garritur distinctio sophistarum, „ actum bonum esse totum à Deo, sed non „ totaliter; est enim totus & totaliter à „ Deo „. Calvinus in Antidoto sess. 6. Tridentinæ sub initium". Postquam singulari „ Dei beneficio factum est, ut Pelagii impietas repudiaretur... mediam viam excogitaverunt, ut in homine justificando neque „ totum Deo, neque nihil darent... Nihil „ tandem aliud continet eorum definitio, „ quàm tritum illud Scholarum dogma: partim gratiâ Dei, partim operibus propriis „ justificari homines, ut aliquanto se magis „ verecundos ostendant, quàm fuerit Pelagius „.

Ibid.cap.6.:" ait Nihil laudis refundi in liberum arbitrium ex bono opere; sed totum Deo tribuendum". Rursus in sessionem 6.sub initium". Sed in quo hominem Deo socium „ adjungunt? quia gratiam Dei, quam repudiare posset, liberè recipit... Quantum „ ex virtute Dei detrahunt! „ lib.3. Institut. cap.24."

cap.24." Neque id quemadmodum vulgò ac-„ cipiunt, qui inter Dei gratiam, volunta-„ tem, cursumque hominis partiuntur:.. „ Quod si apertè impium est, non dubitemus „ nostris voluntatibus aut studiis nihil relin-„ quere „.

Octavus Articulus Quesnellianos continet non paucos; in primis hunc 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum*. 42. *fine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Præluxerat Quesnello Jansenius Tom.2. col.631." Ita periit libertas abstinendi à pec-„ cato (sine gratia) ut nec in ullo quidem „ opere omnis peccati culpam [homo] pos-„ sit effugere.„Ibid." Ita inducta est peccan-„ di necessitas, ut in omni actu, quo legem „ sibi videtur vel servare, vel transgredi, „ reus alicujus peccati teneatur „. Paria habet Col.496.497.523. &c.

Calvinus etiam lib. 2. Institut. cap. 3." „ Gravi telo confoditur ejus ingenium, cum „ omnes quæ inde prodeunt cogitationes ut „ stultæ, frivolæ, insanæ, perversæ irriden-„ tur „. Lib.3. Institut. cap.14." Est male-„ dictum, nec modò nullius ad justitiam pre-„ tii; sed certi ad damnationem meriti, quid-„ quid cogitat, meditatur, perficit homo, „ antequam Deo per fidem reconcilietur „.

Idem Quesnelliani Systematis sensus est; quod enim traditur Propositione ejus 40. *fine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*, apprimè convenit cum eo quod ex Calvino jam retuleram *esse certi in damnationem meriti, quidquid homo perficit antequam Deo per fidem reconcilietur*; quia juxta Quesnelli Propositionem 27. *Fides est prima gratia*, juxta 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Ita quod Calvinus unicâ docet periodo, tribus à Quesnello assertionibus enuntiatur distinctiùs.

Articulus 9. continet Propositionem Quesnelli 42. superiùs relatam: *sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei: fine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*. Præterea habemus ex Prop. 40. *fine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*: Prop.26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*, & juxta Propositionem 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, unde sequitur manifestè compendii Articulus 9. quod omnia opera deliberata fine fide sint peccata. Sic docuerat Jansenius Tom. 2. de statu naturæ lapsæ col.553." sola absentia fidei sufficit, ut om-„ nia opera infidelium vera sint peccata „.

Lutherus in epist. ad Gal. cap.4." Ope-„ ra extra fidem facta, ut maximè in speciem „ Sancta videantur, sub peccato & maledi-„ cto sunt,„Bucerus in epist. ad Rom. cap.14. ver.23." Quod fide caret, non modò ingra-„ tum; sed & abominabile est coram Deo„.

Decimus Articulus multis Quesnelli Propositionibus congruit: in primis Quadragesimæ quartæ: *Non sunt nisi duo amores, undè volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur, amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Prop.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium internus, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

Tam necessaria ad omnes actus, charitatis obligatio, non est inventa primum à Quesnello; tradita prius fuit à Jansenio Tom.2. de statu naturæ lapsæ col. 509." Nullum omni-„ no fieri potest opus bonum, hoc est fine „ peccato, nisi in finem, in quem referri ve-„ ra sapientia præcipit, hoc est in Deum pro-„ pter se dilectum referatur „. Col. 511. de operibus infidelium moraliter bonis ait: " „ Hæc est ratio cur hujusmodi opera... sint „ peccata, quia non ad illum finem referun-„ tur, quo vera sapientia referenda esse „ præscribit „.

Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini sess. 6. in can. 7." Ideo peccant infideles „ quidquid agant, quod facta sua non ad le-„ gitimum finem referunt „. Iisdem Augustini testimoniis assertionem confirmat, quibus utitur Jansenius. Iterum Calvinus lib.3. Institut. cap.14." Quia ergo scopum non re-„ spiciunt, quem Dei sapientia præscribit, „ tametsi officium bonum videtur, quod „ agunt, fine tamen perverso peccatum est.„ Chamierus Calvinista lib. 4. cap. 10." Non „ est necesse aliquem operari propter Dia-„ bolum ut peccet; sed sufficit omninò non „ operari propter Deum „. Petrus cognomento *Martyr* in epist. ad Rom. cap.2. de infidelibus ait": Præclara eorum opera, licèt „ quoad ipsos peccata essent; tamen ex sua „ natura vel genere, cùm accederent ad illa, „ quæ Deus in lege præcepit, damnari non „ poterant humano judicio: coram Deo ta-„ men prava fuisse, ideo non est dubium, „ quod ad congruum finem minimè refe-„ rentur.

Undecimus Articulus convenit Quesnel-

liano 61. *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Et 62. *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*.

Jansenius Tom. 3. col. 572. " Impossibi-„ le est ut ille, qui in peccandi proposito con-„ stitutus est, solâ pœnæ formidine ita mutet „ voluntatem, peccatum detestetur, ut non „ peccet; nam hoc proprium officium chari-„ tatis est„ col. 587." Præceptum bonum ex „ timore nequidem concupisci potest; sed „ solâ charitate. „ Col. 584." Justitia, quam „ ex formidine quis operatur ... non est ve-„ ra; sed ex affectu inquinato orta. „ Col. „ 577." Timens, quidquid ex illo timore fe-„ cerit, nihil ex animo, nihil ex corde, ni-„ hil volenter, nihil coram Deo; sed tantùm „ in speciem coram hominibus operatur. Hinc „ non est amicus rectitudinis, nec Dei; sed „ potiùs hostiles erga eum animos gerit. „

Lutherus in *Assertionibus Articulorum contra Bullam Leonis* Assert. 4. " Imperfecta „ charitas morituri secum fert necessariò „ magnum timorem, qui se solo satis est fa-„ cere pœnam purgatorii, & impedire intro-„ itum regni. „ Ibid. Assertione 6. " Con-„ tritio, quæ paratur per discussionem & col-„ lectionem & detestationem peccatorum, „ qua quis recogitat annos in amaritudine „ animæ suæ, ponderando peccatorum gra-„ vitatem, multidinem, fœditatem, amis-„ sionem æternæ beatitudinis, & acquisitio-„ nem æternæ damnationis, hæc contritio „ facit hypocritam; imò magis peccatorem. „ Idem hæreticus Sermone de pœnitentia. " Quò magis timore pœnæ & dolore damni „ conteruntur, eò magis peccant, & affi-„ ciuntur suis peccatis, quæ coguntur, non „ autem volunt odisse. „

Articulus 12. docetur à Quesnello in Propositionibus variis: inter quas est 44. superiùs relata, dein & 54. *Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat*. Prop. 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum* (eadem interiorum animæ facultatum ratio est) *bonum vel malum faciunt*.

Jansenius Tom. 3. col. 525. " Concupiscentia respctu Dei amor vitiosus est. „ Col. 526. " Spem Christianam deprimunt, qui „ eam subtrahunt charitati & quodam sinceritatis adulterio puritatem Divinæ & gra-„ tuitæ charitatis in concupiscentiæ amorem, „ aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem „ vertunt. „ Col. 530." Absit ut ita Chri-„ stianus propter retributionem operetur, „ ipsum Deum mercedem, tanquam sibi uti-„ lem expectando. „ Lutherus in Assertionibus Articulorum contra Bullam Leonis Assertione 6." Contritio quæ paratur, per amis-„ sionem æternæ beatitudinis, facit hypo-„ critam, imò magis peccatorem. „

Calvinus in Antidoto Concilii Trid. ad sess. 6. can. 25. " Dei judicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto „ ejus amore manat. „ In can. 31. " Cum „ ingenuam à filiis suis obedientiam requi-„ rat Deus, servile (seu mercenarium) hujus-„ modi obsequium non repudiabit modò; „ sed & procul etiam rejiciet. „

Parallelum hactenus deductum Quesnelliana inter dogmata Constitutione *Unigenitus* proscripta & tradita aliàs à Jansenio, Calvino, Luthero, atque ab eorum Sectatoribus, non nisi speciminis loco est, ad longè plura, si opus videretur, facile producendum. Verùm allegata sufficiunt, ut indubitata appareat ratio, ob quam Jansenii, Calvini Lutheri asseclæ sonoris adeò planctibus lugeant Quesnelliano *inflicta* Systemati *vulnera*.

Doctrinæ scilicet societas ignorare eos non finit, ejusdem pariter se esse damnationis participes, Quesnellique *vulnera* sibi esse communia: Quapropter ad ea *sananda*, collatis consiliis, viribus, & omni accersito undique medicaminum genere, sibi statuunt concurrendum, nihil relinquendum esse apud homines & inferos intentatum, ut extrema pernicies à nova Ecclesia avertatur.

Franciscus Simonis Tractatu de Fraudibus hæreticorum Parte 3. Fraudem hanc tertiam posuit. *Ad sententiam errorum suorum condemnatoriam lamentari miserabiliter*. Quod variis exemplis ostensurus, sic præfatur: " Hæreticos indigitans S. Hieronymus „ in Michæam cap. 1. *Plancturi sunt* (inquit) „ *aliquando Dracones, quando viderint draconem maximum captum, & in hamo pendere piscantis, & mire desolatum, & lugebunt quasi filiæ Sirenarum*.

„ Hoc mihi visus est dicere: Si quando er-„ rores sui Patriarchæ condemnatos viderint „ ab Ecclesia, & Successore Piscatoris Pe-„ tri, Supremo Ecclesiæ Pontifice, tum ve-„ rò planctus & lamenta edent hæretici erro-„ ribus ipsis periculosiora, ni caveris. Draco „ maximus quidam erat Arius, cujus errores „ postquam damnaverat Nicæna Synodus, „ planctus quidam draconum, luctusque Si-„ renarum personuit Ecclesiâ totâ. Fuit is in „ primis Inctuosus Constantiæ Constantini „ Imperatoris sorori: exinde aliis plurimis „ perniciem attulit. Constantiam quidem plan-

„ planctu suo expugnavit Arianus Sycophanta Presbyter, quem dicere liceat plangere doctum... planctu draconis, & luctu Syrenis victa Constantia, quam veri planctûs materiam paraverit Ecclesiæ universæ, historiæ meminerunt. „

Longè familiarior alia, quàm Draconum & Sirenum, est similitudo frequentibus probata experimentis in vilissimâ porcorum prosapiâ; paucorum etiam mensium & hebdomadarum nefrendibus. Lepidum est, quod in nupera Viri Nobilis rusticatione accidit præsenti non incongruum instituto. Quidam è Clero Jansenianus, à Nobili invitatus ad prandium, cui & intererat Religiosus ut Romano maximè obediens Pontifici, ita Constitutionem *Unigenitus* non solùm omni submissione recipiens; sed etiam contra adversarios solitus defendere.

Finito prandio, Nobilis ut duos illos inter se committeret, sermonem instituit de Bulla *Unigenitus*, cujus occasione Ecclesia Gallicana tantis motibus agitatur. Agitatur enimverò ait Jansenista, & agitabitur semper majoribus; donec perpetuis illic silentii tenebris nefasta Constitutio sepeliatur.

Ad quod Religiosus: sepelietur illa in Regno Christianissimo Kalendis græcis; quin imò, crescente in dies numero eorum, qui se Constitutionem recipere profitentur, exiguus qui superest reluctantium Episcoporum manipulus, facilè poterit vel ad obedientiam quaqua ratione adduci, vel ob contumaciam castigari: ut quos forsitan ex inferioribus pravum Antistitis exemplum perverterat, ab imitatione deterreat inflictum Superiore authoritate supplicium.

Ad quæ concitatior apparens Jansenista, dabit, inquiebat, veritatis defensoribus Deus, qui ipsa est veritas, gratias & animos afflictionibus non inferiores. Interim quidquid acciderit, beati Christo judice, erunt quotquot persecutionem passi fuerint propter justitiam.

Martyres, ajebat Religiosus, non supplicium; sed causa facit. Neque vanis fidamus obtentibus, quales nunquam hæreticis desunt; clarissima autem Christi sententia est: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.

Nobilis probè Catholicus, video, inquiebat, vestrum neminem à sententia discessurum: & quidem de Jansenianis potissimum Doctoribus audivi pridem observatum, conversionem eorum, si quæ fuerit, censeri prodigii instar.

Addebat Religiosus, imò dicito prodigiorum maximum.

Jansenista se hic utrimque pungi sentiens, sint, inquiebat, Jansenistæ, si qui reperiantur uspiam extra phantasiam malevolorum & ignorantium, sint quales à vobis reputantur, in erroribus obstinatissimi, ego profectò neque Jansenii, neque Quesnellii; sed veritatis & Augustini unicè discipulus sum.

Studiosa tamen adeò, subsumebat Nobilis, propugnatio Quesnelli & in eo Jansenii, indubitatum erga eos & illorum dogmata, videtur prodere affectum. Sic enim naturâ omnibus inditum, ut simile simili gaudeat, ejusque suscipiat defensionem. Exemplum in promptu est, ut sermonem nimis serium, certaminis spectaculo amœniore terminemus.

Quo dicto convocat famulos tum suos, tum villici, jubetque instructos baculis, circuli formâ consistere, villicum autem in circuli medio rotare caudam nefrendis seu porcelli, qui mox stridulo clamore excivit, quotquot in vicinia erant, ejusdem generis animalia. Accurrêre autem undique, atque impetu tanto, velut acta rabie irruerunt in circulum, ut nullis arceri satis verberibus possent: sed ne quid funesti accideret famulis propugnatoribus, liberum projici nefrendem oportuerit. Sic ab immundissimis animalibus didicit Jansenianus Presbyter, non indignari, compellantibus eum nomine, quod importuna novi systematis defensio merebatur.

Nos quoque rationem colligimus, propter quam juncti Jansenianis Calvinistæ pariter & Lutherani, tanto concurrant undique studio, ad ferendas Quesnello contra Pontificem suppetias; quia videlicet causa illis omnibus communis agitur, communia omnibus dogmata feriuntur, idem omnes impetit anathema; illud ipsi quidem ab Ecclesia separati, obduratique minùs sentiunt; hæreticæ tamen ostentatio charitatis, erga Symmistam & fratrem, Vaticano fulmine in tot suis dogmatibus saucium, compati eos jubet, atque ut ferocia in Sedem Apostolicam animantia, etiam furere, quando & ratio deficit, & proficere aliter desperant.

Tales Quesnello medici sunt, Salvatoris loco; cùm enim hic vulnera à suo Vicario æquissimè inflicta hæresi, & comitantibus eam erroribus, sanare detrectet, Quesnellus undequaque sibi mutuanda censuit medicamenta, etiam ab inferis; quoniam frustra esset à superis expectaturus, juxta illud; *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo*.

CA-

CAPUT IX.

Confutatur Frivola Quesnellianæ Propositionis Defensio.

1 PRæcipuum Quesnelliani exercitûs contra Apostolicam Constitutionem armamentarium continent Hexapla; sed absurdus adeò præsens Articulus est, ut pro universis ejus vindiciis aliud Janseniana solertia non repererit, quàm unicum Sacri Codicis textum eò minimè pertinentem, & quandam Origenis sententiam non minùs à proposita Quæstione alienam. Nihilominus objectio utraque discutietur.

Joannis 9. *Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras: & cum ejecissent eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus, & vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: credo Domine, & procidens adoravit eum.* Inde concludere adversariis placuit: igitur rectè à Quesnello dicitur *Jesus quandoque sanare vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio inflixit sine ipsius mandato: Jesus restituere, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

Argumentum simile est illi, quo ad impingendam Pontifici Romano, vel Augustissimo nostro Imperatori tyrannidis calumniam, reum ejus criminis ostenderem Principem Saracenorum, seu Imperatorem Turcarum.

Quid enim Ecclesiæ Christianæ Primi Pastores, seu Pontifices commune habent cum istis Pharisæis, ut horum iniquitas nostros quoque convincere valeat injustitiæ Summos Præsules? Pharisæi sceleratissimi, hominem, quem à cæcitate Christus liberaverat, quia ejus beneficium confitebatur, è Synagoga nefariè ejiciunt: Ergo etiam Supremi Ecclesiæ Præpositi similia committunt, & quidem hoc tempore, ut de hac eorum injustitiâ Fideles oporteat edoceri in *observationibus* non metaphysicis, non theoricis; sed *moralibus* ad dirigendos inposterum mores hominum magno studio concinnatis.

Num etiam Christus Ecclesiam hac instituit ratione, ut si quæ *vulnera* à *Primis infligantur Pastoribus festinatione* forsitan *nimiâ*, non efficere debeamus, ut ab ipsis Pastoribus sanatio præstetur; sed eam expectare sufficiat à Christo? Hinc & summorum contemptus Antistitum & infinita orietur scandalorum congeries.

Denique ut superiùs Gilbertum Academiæ Duacensis Cancellarium Arnaldo vidimus applaudentem, quòd *doctrinam de Christi gratiâ sanaverit à vulnere, quod ei Alexander VII. inflixerat, & cujus nondum satis obducta est cicatrix*; vidimus & Quesnellum ad feliciora anhelantem tempora, & meliores hominum dispositiones; quibus, quidquid illatum aliàs fuerat Jansenio injuriæ, resarcire liceat, inflictisque ejus doctrinæ mederi vulneribus.

Innumera istiusmodi de plagis Janseniano incussis systemati, lamenta suspiriaque ad faventiores circumstantias, dubitare neminem sinunt, quin de Sedis Apostolicæ contra libros quosdam & dogmata censuris, veluti de inflictis per eas veritati vulneribus in Propositione sermo sit; proinde via lata sternitur perennaturis erroribus & rebellioni, dum contra omnes Pontificum sententias, medicamen & sanatio ab ipso expectabitur totius humani generis Salvatore.

Nullam autem tali sensui, ut patet, occasionem præbuit Historia Sacra de Cæco illuminato; sed sola novi hujus interpretis confinxit nequitia.

Non minor ea est in objiciendo Origene Adamantio hom. 14. in cap. Levitici 24. ubi juxta editionem Latinam Parisiensem anni 1604. à Genebrardo Theologo Parisiensi Divinarum, Hebraicarumque Litterarum Professore Regio cum Græca veritate collatam, sic legimus. *Interdum fit ut aliquis non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur: sed ipse non ante exiit; hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus: & ita fit ut interdum ille, qui foras mittitur intus sit & ille foris, qui intùs retineri videtur. Vis tibi ostendam & alium, qui à nullo ejectus exiisse dicitur? Scriptum est de Cain, quia exiit à facie Dei.*

Magis innocua, ut liquet, Originis sententia est quàm ut aliqua veri specie in suum trahere possit adversarius patrocinium; perfido autem more suo ita Gallicè reddidit. *Il n'arrive que trop souvent, que celui qui est monté sur le Tribunal pour juger les peuples, ne se conduit pas, d'une maniere proportionée a la sublimité d'un ministere si saint: ainsi souvent il arrive ou qu'il condamne des innocens, ou qu'il delivre des pecheurs des liens de leurs crimes, etant luy meme lié par ses propres pechez, & consultant son inclination plutot que la justice, quand il s'agit de lierceux qui luy sont soumis; il se prive alors luy meme du pouvoir de lier, & de delier, qu'il exerce selon son caprice; & sans avoir egard aux mœurs des personnes, qui dependent de lui.*

Quæ versio hunc sensum exprimeret latinè:

tinè: *Non nisi nimis sæpe accidit illum, qui Tribunal conscendit, ut judicet populos, non se gerere eo modo, qui tam sublimi & sancto conveniat ministerio, atque ita contingit sæpe ut innocentes condemnet, aut liberet peccatores à criminum vinculis, suis ipse sceleribus constrictus; & inordinatas potiùs animi propensiones consulens, quàm justitiam, ubi de ligandis subditis agitur, vel solvendis, ipse se ligandi, atque solvendi spoliat potestate, quam inconsultè ac malesano exercet judicio, nullâ habitâ morum in subditis ratione.*

Hic sensus corruptissimus versionis Gallicæ est, in qua primum occurrit vitium, dum pro *interdum* ponitur *non nisi nimis sæpe.* Alterum momenti præcipui est, quod ubi dicitur *non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ*, per quos intelliguntur *Episcopi* indefinitè, & evidens est ex immediatè antecedentibus, ac totius capitis contextu, adversarius, pluralem numerum vertit in singularem, non minùs subdolè additâ circumstantiâ *ut judicet populos*, quo dictum de Episcopis iniquis, de Summo Pontifice accipiatur. *Ecclesiæ* nempe suæ *præesse* convenit Episcopis, etiam inferioribus & singulis. *Judicare* autem *populos* altiorem indicat potestatem.

Plura quæ in versione Gallica sequuntur odiosa, & Romano Pontifici interpres perfidus affingit, in citato Origenis textu minimè leguntur, ut lectorem facilè collatio convincet. Præterea in textu agitur de excommunicatione homini inflictâ; circa quam facilè errorem contingere posse non tantùm Episcopis; sed etiam Pontificibus, à nemine vocatur in dubium; Propositio verò damnata errorem & injustitiam primis objectam Pastoribus non restringit ad vulnera inflicta hominibus; sed amplissimè patet ut etiam de librorum, dogmatum, ac fidei læsionibus intelligatur.

Denique nec Origenes illatam ab homine excommunicationem vult à Christo immediatè sanari, ut in proscripto Articulo intendit Quesnellus.

Mirabiles igitur apparent nostri hìc adversarii, confixarum à Clemente XI. Propositionum vindices, qui quidlibet probare noverint ex quolibet, locos maximè improprios authorum veterum, Divinorumque oraculorum, in cujuscumque alienissimi dogmatis trahendo patrocinium, corruptione saltem adhibitâ, qualem vix ausus fuerit Lutherus, aut alius illo impudentior hæreticus.

Verùm dissimulatis etiam omnibus Sacrorum Textuum depravationibus, perspiciunt satis homines fraudulenti, ne sic quidem in illis fundamenti satis esse ut legitimi cujusdam speciе ratiocinii Quesnellianus Articulus inferatur: ideo coacervare temerè sententias veteres malunt; quàm eas ad legitimi alicujus formam deducere argumenti.

Ratio manifesta est, quia cùm veritas una sit, ut nequeat duobus invicem oppositis convenire, non foret Novatoribus facile, columnam & firmamentum veritatis, quod est Ecclesia, concutere, aut ejus nixum authoritate convellere judicium, ut contrarium ei mendacium stabiliatur.

Verùm quid sophista dolosus sibi credulis simplicibus verisimile non faciat, sententiarum veterum corruptarum fallacissimis passim allegationibus? Quapropter Galliarum Antistites in Comitiis Cleri Generalibus anno hujus seculi decimo quinto, adversùs venenum, quod infamibus suis Hexaplis imperitæ multitudini propinare Quesnelliani cœperant, opponendum providè censuerunt salubre antidotum, solemnem ejusdem Operis condemnationem, quam subjungo.

„ Sacratissimum, cui inaugurati sumus „ Ministerium non impleremus, nisi in id cu„ ras nostras libentissimè impendamus, & „ super-impendamus ipsi, ut sua fidei „ sinceritas integritasque constet; hoc „ ipsum bonum depositum, quod nobis „ custodiendum commisit Spiritus Sanctus, „ cum posuit nos Episcopos regere Ec„ clesiam Dei, urget Nos ut vigilan„ tes simus in omni Instantia super Israel, ne „ homines profanarum novitatum cupidi, „ seduci faciles, nec satis tenaces Apostolici „ præcepti, *Nolite omni spiritui credere*, sen„ sim, atque etiam sine sensu incidant in la„ queos, quos absconderunt pedibus eorum, „ Religionis hostes.

„ Hoc animo ducti, qui semper in Ec„ clesia vigebit, cùm accepissemus, spargi „ in vulgus librum cui titulus, *Les Exaples* „ *ou les six colomnes sur la Constitution Uni*„ *genitus*, diligenti discussione præviâ, nostri „ muneris esse duximus, adhibere conatus „ omnes ad hunc librum tam noxium fideli„ bus excutiendum de manibus. In eo scrip„ tor renovat errores è libro nuncupato *Re*„ *flexions Morales*, justissimè à Sanctissimo „ Romanæ Ecclesiæ Pontifice Clemente XI. „ Constitutione *Unigenitus*, & ab Episcopis „ proscriptos: hujus libri sententias nedum „ Scripturæ Sacræ, Conciliorum & Patrum „ dictis consentaneas efficere (quod quidem „ fidenter in se receperat, quo lectori sim„ plici & credulo imponeret) quin imò mul„ ta passim testimonia ex iis veri lucisque „ hausta fontibus, vitiare atque adulterare, „ ausu planè temerario non est veritus.

„ Nos

„ Nos à Christo constituti, qui fidei
„ depositum custodiremus, & sederemus de
„ doctrina judices, hanc personam, & has
„ longè maximas gravissimasque partes, non
„ pro dignitate, officioque sustineremus, nisi
„ eximios, qui nobis præiverunt, quique in
„ Fide ab omni detrimento conservandâ toti
„ fuerunt, Episcopos secuti, tam pernicioso,
„ infestoque Operi meritam Censuram infli-
„ geremus.

„ Quæ cum ita sint, auditis eâ de re,
„ qui in illam cognitores dati fuerantIllustris-
„ simis Episcopis, ipsâque causâ pro ejus
„ gravitate suis omnibus momentis ac pon-
„ deribus, ut oportuit, libratâ, producto
„ coram libro, qui inscriptus est, *Les Exa-
„ ples*, divino Numine suppliciter invocato,
„ obtestati Spiritum Sanctum ut nostris men-
„ tibus lumina præferret:

„ Nos Archiepiscopi, Episcopi, cæte-
„ rique Ecclesiastici viri Delegati ad hæc Co-
„ mitia generalia Cleri Gallicani, pronuntia-
„ mus, libro cui titulus *Les Exaples, ou les
„ six colomnes sur la Constitution Unigenitus.
„ à Amsterdam chez Gerard Kuyper, pres
„ l'hotel de Ville*, 1714., renovari errores
„ sæpius à Sancta Sede, nominatim Consti-
„ tutione *Unigenitus*, & ab Episcopis con-
„ demnatos, eoque contineri doctrinam in-
„ juriosam Sanctæ Sedi & Episcopis, scan-
„ dolosam, erroneam, hæreticam, & cre-
„ berrima è Scriptura Sacra, Conciliis, &
„ Patribus falsata testimonia.

„ Datum in Comitiis generalibus Cleri
„ Gallicani habitis Lutetiæ Parisiorum in
„ aula majoris Monasterii Augustinianorum,
„ anno Domini Millesimo Septingentesimo
„ decimoquinto. Die 25. Octobris.

Huc usque Censura Præsulum justissima, nisi quod, si pestiferi Operis pravitatem consideres, multò mitior sit ejus merito. Plenum ubique fallaciis deprehenditur ad reducendas hæreses in Bajo atque Jansenio sæpius condemnatas, dolosissimè compositum.

A Palmatii; sed nimis facilè convincendâ calumniâ statim duxerat ipsa Præfatio initium, de Cardinale Casino ex Sacro Capucinorum Ordine ad Eminentissimorum Patrum Collegium bonis omnibus applaudentibus promoto. Illic inducitur Cardinalis tanquam Constitutioni contrarius adeò, ut antequam ederetur, pro ea impedienda, adierit Clementem XI. atque in genua provolutus, quantis potuit precibus oraverit.

Quæ Fabula, ut primùm Illustrissimi Grassensis Episcopi Literis ad eum delata fuit, offendit gravissime, duxitque Cardinalis, ut hic sequitur, Illustrissimo respondendum: *Quàm ego optimè sentiam de Sanctissima illa Constitutione, novit Summus Pontifex. Quid homines contra veritatem effutiant, non curo; qui enim judicat me, Dominus est. Ante illius Constitutionis publicationem nullum mihi de illa negotium fuit; probis quippè & doctissimis viris, ex quorum numero ego esse non poteram, fuerat commissum examen. Post illius publicationem, tanquam fidei dogmati in sinceritate spiritus illi adhæsi, adeò ut pro illius tuitione sanguinem & vitam profundere sim paratus.*

Idem Cardinalis in Epistola data ad Reverendissimum Patrem Michaelem Angelum Ragusanum Capucinici Ordinis Generalem: *Tantum* (inquit) *à veritate abest quod de me dicitur; quasi me provolverim in genua coram Pontifice, ut eum à promulgatione Constitutionis averterem, quin potiùs supplex Sanctissimum orassem pro ejusdem editione.*

Recentioribus iterùm typis *Hexapla* prodiere; omissâ tamen Historicâ Præfatione. Omissionis autem ratio redditur, quòd in prolixiorem ea reservetur materia narrationem. Veriorem ego rationem arbitror, quod ab amicis moniti Hexaplorum authores de convicto nimium manifestè mendacio contra Eminentissimum Casinum, alto deinceps duxerint illud sepeliendum silentio: absque aperta tamen palinodia, quæ extra omnem usum in nova Ecclesia est, & attentâ communi hæreticis superbiâ, impossibilis.

Quales habeat nova Ecclesia medicos, *unguentarios*, Salvatores, qualia unguenta & medicinas curandis vulneribus, quæcumque fuerint inflicta, vel infligi aliquando poterunt à Primis Pastoribus, facilè collegerit Lector ex iis, quæ totis novem capitibus contra præsentem Articulum allegavi. Medicus nempe adorando *Jesu Christi* nomine, sacrilegè usurpato, supponitur in primis Quesnellus ipse post Arnaldum, Jansenium, Sancyranum.

Similes medici sunt quotquot hi reliquere suæ institutionis scriptores polemicos, damnatorum dogmatum audacissimos vindices, inter quos non infimo loco sunt Gabriel Gerberon, Eugenius de Gelder, & Candidorum Princeps Jansenistarum Ægidius de Witte. De Arnaldo Jansenistarum cùm viveret, Protomedico, testimonium supra audivimus Jacobi Gilberti Duacensium Cancellarii in sua ad eum Epistolâ magnificè gratulantis quòd *Doctrinam de gratia liberaverit à vulnere, quod ei Constitutione suâ inflixerat Alexander VII. & cujus nondum satis obducta est cicatrix.*

Non leve vulnus Jansenianis intulerat Alexandri VIII. contra 31. Articulos definitio.

tio. Adversùs hanc Walonius fubminiftratâ ducumentorum, quafi medicaminum copiâ, imploraverat opem *Familiæ Sanctæ*, quæ occulta in Bruxellenfi degebat latibulo. Arnaldus, qui *Patris Abbatis* titulo, *Familiæ*, imo toti Ordini præerat, preffus fenio, & totius novæ Ecclefiæ folicitudine diftentus, curam hanc committendam cenfuit Quefnello, qui *Patris Prioris* nomine, fecundas in *Familiæ* & univerfi *Ordinis* regimine partes tenebat.

Verùm eventus docuit, judicio ipfius Walonii, nondum eum in tanti Gymnafio Doctoris adeo profeciffe, ut triginta gravibus fanandis vulneribus ars ejus & induftria fufficeret. Opufculum Quefnelli quafi *Epiftola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, cùm à Walonio inventum fuerit minùs habens, operofioribus eguit Arnaldi fuppetiis, totâ fcilicet parte nonâ *propofitarum Steyaertio Difficultatum*.

Ipfæ quidem poftea *Difficultates*, non minùs, quàm Propofitiones, opus medico habuere, ut pote à Sede Apoftolica, expreffis fingulis diftinctè partibus, condemnatæ, quemadmodum & *Epiftola Abbatis*.

Non ceciderunt tamen incaffum lucubrationes ambæ; Janfenianis enim lectoribus talia fuggeffere adversùs prohibitiones omnes medicamina, qualia à Doctoribus Schifmaticis poterant expectari. Specimina ex illis abfurdiffima fæpè aliàs protuli.

Remediis faucios fanantibus, falubriora meritò cenfentur, quæ impediunt ne quidquam vulneris inferatur. Talis remedii artifex haberi voluit Malpaix dignus Gilbertio difcipulus, doctus Vaticani fulmina velut mediis allifa alpibus, diffipataque contemnere.

Quot artis iftiufmodi peritos offendit Conftitutio *Unigenitus*? Suâ Quefnellus non innocentiâ, non veritate; fed cavillandi peritiâ fretus in *Dialogis circa* priorem *Obfervationum Moralium condemnationem*, Pontificem provocabat ad explicitam, diftinctamque fuorum dogmatum, quæ difplicuerint exhibitionem; fimul tamen non obfcurè fignificans, fingula fe à cenfurarum infamia vindicaturum.

Minis iftiufmodi minimè territus Pontifex; fed tamen provocatione temerariâ authoris, magis etiam precibus Chriftianiffimi Regis, & Gallicanorum Antiftitum excitatus, poft iteratum toto biennio diligentiffimum examen, perniciofiorum dogmatum centum & unius catalogum exhibuit; Quamvis neque fic, ut profitetur Conftitutio, & me oculi convicerunt, exhaufta fuerit exitialium fen-

tina Propofitionum.

Non in folis Alpibus præfenti diplomati Quefnellus infidias paravit, ne fulmen in Gallias, Germaniam, Belgium penetraret; fed in ipfâ illud fuffocare voluit Italiâ, ac totius Chriftiani Orbis Metropoli, infamium illuc tranfmifsâ copiâ Libellorum, quibus Pontificis judicium profcinditur ut iniquiffimum; damnata autem, cum fociis novitatibus, hærefis, de Ecclefiæ anathemate triumphans, veluti fupra Thronum Apoftolicum collocatur.

Libelli ifti, quamvis ferè omnes anonymi fint, multitudine tamen fuâ, non exiguum effe authorum iftiufmodi numerum, fatis indicant. Totidem Quefnellianis Medici funt, *Jefu* nomine indigniffimè appellati, ad *fananda* concurrentes *vulnera*, quæ Summi *Paftoris*, eique adhærentium ubique Præfulum authoritas, maximâ æquitate & fapientiâ *inflixit*.

Medicinas autem five unguenta, quæ tot medicorum partim excogitavit induftria, partim à fuis Majoribus, potiffimum hæreticis, mutuata eft, vix faciliùs, ut ita dicam, enumeres, quàm fidera firmamenti. Unguentorum hic & quorumcumque nomine medicaminum non aliud intelligo, quàm mendacia, calumnias, fatyras, clamores feditiofos, fchifmaticos libellos, machinationes fubdolas, fraudes denique omnis generis.

Plurimas ego toto præfenti Opere, prout materia exigere videbatur, locis propriis indicavi; fequentur etiam non paucæ, antequam finem attigerit lucubratio. Celebris Tractatus eft Francifci Simonis *de Fraudibus hæreticorum*, à Baij, Janfenii, eofque fectantium nominibus abftinens; nemo tamen eft in hodiernis controverfiis utcumque verfatus, qui non intelligat fraudes fingulas ab antiquioribus inventas hæreticis, à Baij & Janfenii difcipulis, Quefnello præcipuè & ejus contra Ecclefiam vindicibus adoptari.

In qua accufatione fi veritatis à me limites excedi aliquis autumet, aut durius quidpiam de adverfariis enuntiari, publicè moneri me haud ægrè patiar, etiam gratias habiturus monitori; modò non confufis clamoribus, fed diftinctis objectionum capitibus duxerit infiftendum. Seligat itaque ex toto *Francifci Simonis* Opufculo *fraudem* quamlibet hæreticorum veterum, in me recipio ut eandem in Quefnello ejufve fectatoribus probatione non unicâ clariffimè demonftrem; fed & quàm exigua pars illa fallaciarum eft, quibus novam hodie Ecclefiam cernimus abundare, feque contra Romanæ, Catholicæ, & Apoftolicæ definitiones erigere, ac procaciter tueri!

Medicamina ea sunt, quibus præsens Quesnelli Articulus confidere suos docet, fore ut prætensus suus ac verè fictitius novarum fautor hæresum *Jesus sanet vulnera, quæ Primorum Pastorum* debita solicitudo ac religio, penes Quesnellum *præceps festinatio infligit*. Quamvis autem fraudibus fœcundum adeo ingenium Jansenistarum sit, ut illas velle uno capite exhaurire, similis quodammodo videretur temeritas ei, quâ immensum puer Oceanum in fossæ perexiguæ vel conchæ angustias assumeret redigendum. Ut tamen sine congruo Articulus concludatur revocandæ breviter Lectori in memoriam sunt medicinæ seu fraudes Ecclesiæ novæ servatoribus magis familiares. Inter eas primo loco est confictum Divini Codicis & Traditionis Sacræ, Augustini præ cæteris patrocinium. Aliud figmentum sequitur de imperitia Romanæ Curiæ, in primis Summorum Pontificum.

Prohibeat igitur Sedes Apostolica Libros & Articulos dogmaticos qualescumque, in promptu semper Quesnelli discipulis erit præscriptum à protomedico suo unguentum: *Satis notum est, quàm parum Pontifex conferat ad condenda istiusmodi Decreta, & quàm ineptus sit ut multum eò conferat. Maxima pars Cardinalium & Theologorum, qui adhibentur ad propositionum examina, nihil intelligit.* Quando autem lata fuerit sententia à Pontifice non solùm Sancto; sed etiam doctissimo, ut imperitiam ei affingere ne hæreticorum quidem auderet impudentia, tunc locus fingitur circumventioni.

Ita Gabriel Gerberon, in nova editione omnium operum Michaelis Baii cum audacissimis Gerberonii vindiciis, in quibus post relatas Pontificum contra Baij Articulos censuras, atque hujus palinodiam, ita monet. *Animadvertendum est primò, quòd isti delatores ac impostores suis fraudibus ac mendaciis PiumV. ita circumvenerunt, ut tandem ab eo censuram ac Diploma adversùs has sententias extorserint, Michaele Bajo non solùm non audito, nec, vocato, sed nullâ quæ sciatur, nisi levissimâ institutâ disquisitione, & absque Librorum Michaelis Baij examine, quos si vel aperuissent, fraudem delatorum comperiissent ac nequitiam.*

Non tam leniter Clementem XI. tractandum censuit Quesnellus in Colloquiis contra priorem famosi sui operis condemnationem scribens: Pag. 210. *Sententiam dictavit passio violenta & cupiditas. Decretum nihil habet formæ Canonicæ, omnibus judiciorum Ecclesiasticorum regulis est contrarium adeò, ut dici possit judicium latum tyrannicâ potestate: quique illud tulit*, Pag. 219. *non corrector: sed proditor*. Pag. 229. *Quis sibi temperet a lacrymis conspiciens talem justitiæ subversionem? Quanta cæcitas eorum qui se columnas Ecclesiæ arbitrantur!*

Talibus contra solemne Sanctissimi Pontificis judicium censuris colloquia illa plena sunt, talibus unguentis, ad sananda facilè *vulnera* quæcumque, sive quæ, ut Quesnellus ait, *præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: sic Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*: tot nempe Janseniana & Bajana dogmata, adde etiam Calviniana, quæ dum Quesnellus tam salubriter in Ecclesiam, sub Augustini nomine reducere conatus fuerat, Clemens XI. imprudenti suo anathemate eliminat.

Idem Pontifex Constitutione *Vineam Domini Sabaoth*, resciderat cavillationes omnes Jansenistarum; sed nullo negotio restituit Ægidius de Witte lucubratione perbrevi, quæ *Denuntiationis solemnis* magnifico titulo, non solùm Constitutionem Pontificis configit tanquam hæreticam; sed ipsum Christi Vicarium in facie totius Ecclesiæ declarat pag. 5. *juniorum Pelagiana fuligine tinctorum, qui ei assistunt consilia sequi, ab antiquis Sanctorum Prædecessorum suorum documentis recedere, à Scripturis Sanctis, à Sacris Conciliorum Canonibus, & probatorum in hac materia Ecclesiasticorum procerum traditis clarissimè deviare.*

Eadem Constitutio Petro Hollen apud Ultrajectenses in Hollandia Missionario, si credere fas est, Apostolico, occasio fuit scribendi nomine Petri Gratiani Epistolam alteram ad Clementem XI. ubi pag. 3. *Miserrime Clemens*, (inquit) *quomodo te eximam à tyrannide & hæresi?* Ibid. *Parum abest, quin dicam tibi anathema.*

Rursum Ægidius de Witte in *Depulsione excommunicationis latæ in Matthiam Torkium*, pag. 15. *Ejiciat ex animo suo qui potest, ego ex meo ejicere nullâ ratione possum, quin Clemens noster semipelagianis erroribus afflatus sit. Hinc illa Vaticana fulmina, hinc illa proborum sub Jansenismi titulo infectatio & oppressio... Hinc omnium penè lerna malorum, quibus Ecclesia universa longè latèque affligitur, & prope concidit.* Sic omnis medicinæ brevissimum fit compendium, asserendo Pontificem esse *Semipelagianis erroribus afflatum, atque hinc illa Vaticana fulmina prodire*, quæ proinde uullius roboris esse valeant, nullum dogmatibus vulnus infligere, nisi penes imperitos & simplices, originis undè emissa sint fulmina, ignaros.

Excusare aliàs Jansenistæ conati fuerant quod

quod in occulta clavi propè Aldenardam detectâ deprehenderentur *Romam* vocare *Massiliam*, & Pontificem *Patrem Generalem* Massiliensium, sive Semipelagianorum; at postmodum crescente audaciâ, & versâ in rabiem hypocrisi, confirmandis potiùs, quàm excusandis istiusmodi appellationibus student.

Idem Ægidius in *Denuntiatione solemni* pag. 6. *Nullum*, (inquit) *sperandum nobis auxilium aut consilium ab Urbe Roma, quæ à variis dolosissimis stratagematibus circumventa in Molinianas* (sive ut author explicat, Semipelagianas) *tendiculas immisit pedem. Egressa est iniquitas à senibus judicibus Vicariis ejus, qui videntur regere populum tuum O Mater Ecclesia!* Pag. 11. *Quàm non satis hodiè in horrore Pelagiana Romæ sit pestilentia &c.*

Ideo judicia Romana de libris vel dogmatibus, penes novos istos Augustini discipulos vel nulla, vel non nisi levissima infligere possunt vulnera, quæ non Divino egeant Medico; sed ipsi abundè sufficiunt Jansenistæ, Romanarum judices & contemptores censurarum. Neque multis opus habent argutiis, aut disputationibus, declaratione perbrevi & plena totum absolvitur. Quesnellus in *Epistola Abbatis ad quemdam Romanę Curiæ Prælatum* ait pag. 39. *Ministri Curiæ Romanæ à Factionibus seduci se sinunt ad ferendas de Propositionibus censuras*, adeo ut *certum sit Decreta Civilia esse magis justa & conformia æquitati, quam Decreta Curiæ Romanæ*.

Denique sive Romani cujuscumque judicii modum, sive finem consideres, non aliud meretur sententia, quàm contemptum, ut quidem ex Quesnelliana sequitur hypothesi pag. 21. *Romanum Tribunal videtur esse carnificina, sive latibulum latronum, ubi judices insidiantur hominibus ut eos damnent antequam locum præbeant defensioni*. Et pag. 15. *Censurarum Romanarum scopus est fovere discordiam inter Religiosorum Ordines & Theologos Catholicos*.

Quot verba, tot calumniæ malesanæ. In primis quod asseritur de condemnatione hominum antequam locus fuerit defensioni; nullus mortalium ibi condemnatur, nisi citatus, & si comparere voluerit, auditus. Proscriptio tamen librorum, & dogmatum, quæ voluminibus continentur, ut satis illa intelligi à Sede Apostolica possunt sine interprete, evidens est quod non exigat citationem authoris. Quod infamia Operis redundet in authorem, præsertim ubi doctrinæ perversitas enormis est, imputet ille suæ sive malitiæ, sive imprudentiæ & temeritati. Quis verò æquus & sapiens dixerit non licere Pontifici, ubi pestifera voluminis doctrina compertissima est, authorem, quisquumque fuerit, in Decreto reprehendere nisi auditus priùs fuerit, aut vocatus?

Nonne sic ipsi quotidie adversarii & scrupulosi hypocritæ, in suis scriptionibus liberè & atrocissimè vellicant quoslibet sibi contrarios scriptores, Religiosos, Episcopos, Cardinales, ipsosque Pontifices, etiam quos neque viderint unquam neque audierint, nisi in scriptis forsitan aut diplomatibus?

Quidquid sit, lector Catholicus, imò quilibet rationis compos consideret, quo loco penes novos Augustini discipulos sint sententiæ latæ in Tribunali, quod instar *latibuli latronum* sit, ubi Decreta conduntur iniquissima passim & perniciosa; quam fidem illa facere debeant; quàm potiùs inepta sint, ut, nisi fortè apud fatuos, infligant vulnera veritati, quæ opus habeant omnipotenti Medico ut sanentur.

Dilucidè & sine ambagibus profitetur Quesnellus in *Epistola Abbatis* pag. 4. *Quando Romana Decreta aut injusta sunt, aut per factiones extorta, aut per passionem lata, aut nata sunt in Ecclesia potiùs turbas excitare, quàm boni aliquid afferre, tunc nostro utimur jure, & apertè declaramus, nullam nos eorum habere rationem*. Quid istud juris sit ibidem explicat: *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant nisi errores, & quando in forma legitima eos damnant, laudamus & approbamus sententiam, quanquam tribunal agnoscere non possimus. Habemus* scilicet, ut dicitur pag. 18. *nos istud singulare præ cęteris, quo nobis bene est, & quod perpetuò retinebimus, ut eàdem semper procedamus semitâ, quidquid opponant Censores Romani, & quodcumque Decretum ab hoc emanaverit Tribunali*: Et quidem pag. 30. *Ipsis Romanis plus ingenii est, quàm ut credant nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*.

Nugatur itaque Quesnellus, atque hypocritam agit strenuè, quando Theologum se fingens mysticum, præsenti Articulo ait: *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*. Satis enim aliunde suis prospicit Quesnellus, ut nullo Divini Servatoris opus habeant prodigio, nullo auxilio cœlesti: sufficit *Spiritus Schismaticus & hæreticus*, quo *plenam* esse *Epistolam* septem rebellium Episcoporum ad Innocentium XIII. datam sub finem anni superioris, declaravit ipse Innocentius Decreto anni hujus 1722. 8. Januarii.

Prorsus simili *spiritu plena* est *Epistola* Quesnelli sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*; neque minùs plenæ sunt Arnaldi *Difficultates propositæ Domino Steyaert*, præcipuè pars nona. Quisquis enim tali spiritu animatus est, nihil vulneris sentit, aut metuit à Vaticano fulmine, utpote pectus gerens adversùs omnia induratum anathemata.

Verumtamen non omnibus tale contra Ecclesiæ censuras propugnaculum, sive remedium adversùs vulnera arridere potest; quia nimis apertè Schismaticum: pluribus placet hypocrisis, ut cum animo hæretico appareant Catholici. Talibus allubescit potius consilium *appellandi ad Testimonium veritatis*, situm in *voce populi*; quam alicubi à furentibus suscitatam presbyteris, præponere non erubescunt totius Christiani Orbis Episcopis & populis, qui Summo Christi Vicario adhærentes, Constitutionem ejus, animo promptissimo amplectuntur. Alius obvelandæ malæ fidei, & pertinaciæ modus est Constitutionem reiicere obtentu Appellationis fictitiæ ad Synodum Œcumenicam, quam Novatores neque sese viventibus celebrandam existiment, neque si celebrari contingeret, ad eam vellent accedere; sed & frivolis undique quæsitis obtentibus declinarent.

Quomodo enim paucissimi ditionis unius Antistites, quorum peritia Theologica in nullo hactenus, quantum scire licuit, eluxit specimine, congredi auderent cum tanta multitudine Episcoporum, acumine ingenii, scientiâ Canonum, & Theologiæ, nec minus eloquentiâ præstantium, quales inter Catholicos & Romano Pontifici obedientes in singulis Christiani Orbis regionibus minimè desunt?

Ideò nescio quis sapiens in animum suum inducere valeat, ut arbitretur, serias esse tales hoc tempore appellationes, aut Synodum Œcumenicam reverà ab istiusinodi appellantibus desiderari. Certissima enim foret eorum condemnatio, quam eludere ars nulla posset, aut tergiversatio impedire: Unde vel obediendum perspicerent, vel Ecclesiâ excedendum. Primum difficulter pateretur superbia, quæ totius Orbis præsumit sibi inclinare judicium. Posterius [quidquid forsitan in aliquibus de religione sit] non permitteret vitandæ studium infamiæ, & pinguium cupiditas, vel possessio Beneficiorum.

Quis igitur in istiusinodi rebellium Appellationibus aliud concipiat, quàm perpetuę consilium pertinaciæ cum qualiscumque Catholicismi professione conjunctum?

Quæ tam nefaria intentio non tribuenda est Episcopis; sed perfidis eorum consultoribus, quorum hypocrisi miserè circumventi, in eorum autumant eruditione, sapientiâ, & pietate suam collocari tutissimè religionem.

In illorum quoque numero, quos veluti pertinaces incesso hactenus, comprehendere nolim eos, qui tandem Constitutionem *Unigenitus* admittendo, ab improvida videntur Appellatione recedere; etsi, nescio quo consilio, huc usque differant tam gloriosâ sibi, quàm ovibus salutiferâ, Ecclesiam palinodiâ ædificare.

Interim nos in Quesnello & ejus sociis artem mirabimur singularem medicandi vulnera quælibet Jansenianæ hæresi & comitantibus eam novitatibus inflicta. Nullum enim hactenus Decretum Pontifex, aut Sacra Cardinalium Congregatio, nullum quiscumque Archiepiscopus, aut Episcopus, nullum Academia, etiam Sorbonica edere potuit Jansenianis aut Bajanis erroribus infestum, quin statim in publicum prosilirent opuscula famosa, & novitatum contra ipsos judices acerbissimæ vindiciæ.

Damnata Michaelis Baii dogmata contra Sanctissimum Pium V. Pontificem, ejusque successores Gregorium XIII. & Urbanum VIII. propugnavit Gabriel Gerberon: librum Jansenii contra Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Antonius Arnaldus, Jacobus Gilbert, Ægidius de Witte: Arnaldi Apologias contra Pontifices & Sorbonam Arnaldus ipse & Paschasius Quesnellus.

Aggressi pariter fuere sententiam Alexandri VIII. contra 31. Articulos Arnaldus, Gerberon & Quesnellus. Expositionem fidei hæreticam à Gerberone compositam, à Parisiensi Archiepiscopo damnatam, sustinuit contra Archiepiscopi sententiam Gerberon ipse, & Quesnellus. Causam Archiepiscopi Sebasteni, eique & Jansenio adhærentium in Hollandia Missionariorum, contra Sedis Apostolicæ declarationes sæpiùs iteratas, & tandem roboratas anathemate, nihilominus tueri perrexit audacissimè Quesnellus:

Idem famosum *conscientiæ casum* & Jansenianam ejus *Resolutionem* à Clemente XI. reprobatam, ab Eminentissimo etiam Noaillio jussam revocari, Quesnellus retineri voluit, quasi consonam veritati ac justitiæ. Jansenistarum pro conservando Jansenii sensu hæretico velut Catholico, fallacias & cavillationes à Clemente XI. Constitutione *Vineam Domini Sabaoth* prohibitas convulsasque non solùm defendere præsumpsit Ægidius de Witte; sed eas tanquam fidei regulas præscribens, ipsam Sedis Apostolicæ Constitutionem universæ denuntiavie Ecclesiæ, veluti veneno turgentem

tem lethifero, & prorsus hæreticam.

Ad celeberrimam tandem devehimur Constitutionem *Unigenitus* contra centum & unum Articulos. Quot eam Opusculis statim vidimus à Quesnello, ejusque commilitonibus impugnari! Finem Scriptionibus istiusmodi ne Regia quidem in Galliis authoritas imponere potuit. Ad illud porrò nova hæresis ascendit audaciæ fastigium, ut Quesnellianos omnes Articulos detersâ Censurarum infamiâ ab omnibus asserat retinendos: Bullam autem *Unigenitus* anathemati subjiciendam.

Celebriora hic ego solùm contra Baii, Jansenii, Quesnelli hæresim retuli judicia Sedis Apostolicæ, consensu Ecclesiæ communissimo recepta, simul & obstinatorum adversùs ea scandalosissimam rebellionem; at quisquis Arnaldicas contra *Steyaertium Difficultates* & Gerberonianam pro *Jansenismo historiam* legerit, videre in utroque authore potuit longè plura Schismaticæ præsumptionis specimina: inter cætera, ampliùs quàm quinquaginta libros pestiferos contra variorum Pontificum & Congregationum Sacrarum tum Inquisitionis, tum Indicis sententiam reperiet laudatos, quasi ab omni pravitatis suspicione immunes.

Denique nullus liber à novæ sectæ Scriptoribus hucusque editus cernitur, quantumvis impius & exitialis, nullum dogma tam horridum & apertè hæreticum, quod si aggredi quis voluerit, non offendat illico novæ Ecclesiæ defensores. Si illud fulmine feriatur Apostolico, aut vulneris quidpiam ab inferiore accipiat Tribunali, parata mox sentit remedia accurrentium undique Medicorum, quibus nihil insanabile, nihil rescissum, quod eorum non assumat industria restituendum.

Circumforaneorum quorumdam vulgò *Operatorum*, mirabar aliàs Parisiis præsidentem jactantiam, ipsâ arte multis indubiè gradibus superiorem; alioquin nullus morbo, nullus vulneri succumberet, qui excogitato ab illis medicamine uteretur. Regiam illam scilicet obambulans Metropolim, inter cætera visu digniora spectabam affixa ubique programmata, quæ *Operatorum* istiusmodi nomina indicarent ac domicilia, cum ingenti morborum ac vulnerum catalogo, quibus Medicorum eorumdem industria, si promissis fides est, *infallibiliter mederetur*. Colligenti itaque mihi mala simul omnia, quæ tot programmatibus exprimebantur diversa, nullum videbatur superesse, quod *operatorum* omnium artem fugeret, aut superaret jactantiam.

Magnificis hisce promissoribus, seu illusoribus non multùm absimiles mihi videbantur Arnaldus, Quesnellus, Gerberon ex Gallia tunc in Belgium profugi, qui ut suis ibi Jansenianis hospites se commendabiles redderent, ostentare mox cœperunt libellis pluribus, singularem peritiam sanandi vulnera, quæcumque novæ hæresi Pontifices, & inferiores Episcopi cum Academiis ubique gentium intulissent.

Sectari quidem demissionem animi videri voluit Quesnellus, quando debitam suis studiis & artibus gloriam, Christo tribuere maluit, asserendo, *Jesum quandoque sanare vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesum restituere, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*. Verùm hæc affectata nimiùm Quesnelli humilitas, impia hypocrisis est, cum blasphemia, imponens Jesu Sanctissimo inflictorum hæresi vulnerum sanationem, restitutionemque novitatum, à Christi Vicariis justissimè proscriptarum.

Deterior ea Quesnelli temeritas apparet, & perniciosius mendacium illo, quo mulier mariti furta quotidiana, quibus vivere soleret ipsa percommodè, non aliter vocabat, quàm *Divinæ providentiæ beneficia*. Mirabantur scilicet vicini familiam ali lautè adeo, & quodammodo splendidè, cui neque à patrimonio prospectum esset, neque ab officio, arte, aut mercaturâ: vicinorum murmure excitatus Parochus, creditam suæ curæ matrem familias de vitæ ratione & mediis interrogat: illa solito inhæret responso vivere se *Divinâ providentiâ*; non acquiescenti tamen Parocho; sed providentiæ modum exponi sibi distinctiùs cupienti, tandem evolutum est iniquitatis mysterium, fatente muliere, *Mon mary travaille en poche*: *Maritus meus laborat in crumenis*.

Addebat tamen illum neque in prandio, neque in Cœna Divinæ hujus beneficentiæ oblivisci; sed Christianam hanc semper benedictionem, magnâ devotione præmittere: *Benedic Domine nos & hæc tua dona, quę de tua largitate sumus sumpturi per Christum Dominum nostrum*; Quæ quidem in tali circumstantia oratio blasphemiam sapit; minùs tamen impiam, quàm Quesnelliana Propositio, sensu authoris intellecta, Deum faciens damnatarum ab Ecclesia hæresum instauratorem. *Jesus quandoque sanat vulnera, quę pręceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi indiscreto zelo rescindunt*.

Eugenius de Gelder post defensum sæpius Jansenium, Sociis suis & Doctoribus audentior, artem suam medicam extendere voluit ad Michaëlem Molinos, junctum fœdere

Jau-

Jansenianis; vulneribus autem non solùm gravissimis; sed pudendis etiam & infamibus laborantem. At non eò usque provectam esse suam industriam, malo suo comperit. Cœteri iniquitatis filii, Eugenium suis in sordibus derelinquentes, cùm educere non possent, zeli præcipitis damnavere; ut enim, monuere alii Eugenio callidiores, præveniendæ Dei bora non est, quâ liberè eloqui dabitur, quod adbuc silentio premendum est. Nondum scilicet satis viribus firmati sumus: neque satis fracta adversariorum potentia. Ita cum Quesnello Jansenianos inter Medicos Duaceni; quorum tamen, ut suprà vidimus, speculationi practica longè impar sapientia deprehensa est.

Nonagesima quarta Propositio damnata.

Nihil pejorem de Ecclesiæ opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. *Observ. Mor. Rom.* 14. *v.* 16.

CAPUT I.

Propositionis perversitas compendio exhibetur.

1 INstructio Pastoralis centum & ampliùs Gallicanorum Antistitum circa præsentem Articulum, & nonagesimum quintum, ita Diœcesium suarum Fideles alloquitur. " Satis persuasum nobis est, Fra„ tres charissimi, vos pro amore & reveren„ tiâ, quibus Ecclesiam prosequimini, lege„ re absque indignatione non posse descrip„ tionem hodierni statûs horridam, quæ „ in posterioribus Quesnelli Propositionibus „ Sancta Christi Sponsa depingitur.

„ Videbitis ibi Authorem Articuli ve„ luti Potestatibus omnibus superiorem, de „ cunctis sibi judicium arrogare. De Pastori„ bus enuntiat eos quasi tyrannos *dominatum* „ *exercere supra fidem Fidelium, & fovere* „ *divisiones propter res, quæ nec fidem læ*„ *dunt, nec mores: quòd veritates eò devene*„ *rint, ut sint lingua quasi peregrina plerisque* „ *Christianis, & modus eas prædicandi sit ve*„ *luti idioma incognitum; adeò remotus sit à* „ *simplicitate Apostolorum, & supra commu*„ *nem captum Fidelium: Neque satis adver*„ *tatur, quòd hic defectus sit unum ex signis* „ *maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, &* „ *iræ Dei in Filios suos.* „

Duobus istis Articulis, Illustrissimi Præsules, jungere potuissent hunc 96. *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis; ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ.* Hæc, duce Quesnello, omnium passim contra Ecclesiam declamatio Jansenistarum est: *Misera Dei Ecclesia! Quomodo gubernaris hoc tempore?* Inquiebat devotus Arnaldo, & Quesnello Discipulus Malpaix in Epistola anni 1692. die 2. Februarii, occasione Diplomatis Alexandri VIII. contra Propositiones 31. cui Novatorum calamitati altera accesserat Sanctio à Belgii Episcopis edita adversùs lectionem promiscuam Scripturarum in idiomate vulgari.

Novos addebat gemitus injectum Jansenianis Tornacensibus frænum fortius à Vicariis, defuncto Antistite minùs indulgentibus. Constitutio dein Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth* præcludens omnibus Jansenianis aditum evasionibus, bilem adeo movit Ægidio de Witte, ut in acerbissimas prorumpens de Ecclesiæ regimine querelas, Naviculam Petri ab ipsis in abyssum demergi Rectoribus vociferaretur palàm, famosis *Augustini Iprensis*, sive Jansenii *Vindiciis*, & altero non minùs impudenti Opere, cui titulum fecit. *Denuntiatio solemnis Bullæ Clementinæ Vineam Domini Sabaoth.*

His & pluribus istiusmodi saluberrimis Sanctionibus, præcipuè Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. contra Baii & Sociorum Articulos: sed longè maximè ejusdem Urbani dein Innocentii X. & Alexandri VII. Bullis contra Jansenium, inter quas non infimo loco est præscribens odiosissimam Jansenistis jurandi formulam; his, inquam, omnibus Quesnellus offenditur gravissimè, ad obitum usque implacabilis, quidquid subinde perniciosiore hypocrisi aliud finxerit. His denique Decretis & definitionibus Ecclesiæ Præpositi, *partim dominatum exercent supra fidem fidelium, partim fovent divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

Utraque memorata Ægidii lucubratio materiam mihi copiosam prabuit ad insectandum superiorem Articulum, & detegendam Authoris, eique adhærentium indolem schimati-

maticam prorsus, & omnis expertem reverentiæ. Manifestus hic nimiùm & nullâ arte excusabilis temeritatis excessus ipsi displicuit Quesnello, quantumlibet in destruenda Ecclesiæ authoritate Ægidio consentiret; quin & documentis ei similibus non semel præluxerit & exemplis. Verùm ut facilius est ignem domui injicere, quàm figere terminos incendio, ita & Magistri perfidi discipulos faciliùs in Schismata pertrahunt & errores, quàm deceptorum animos intra affectatæ modestiæ & hypocrisis contineant limites.

De Hæreticis istiusmodi scribit Hieronymus ad Ctesiphontem *Magistrorum silentia profert rabies Discipulorum: quod audiverunt in cubiculis, in tectis prædicant.*

Quanquam & quæ Quesnellus palàm in memoratis tradidit Propositionibus, semina appareant maximè congrua producendis fructibus, quales in Ægidio visa dein fuit Quesnelli reprehendere moderatio, non præsaga forsitan anathematis contra suum Moralis Evangelicæ compendium excerptasque inde tanto numero Propositiones.

Tunc enim rabies illum corripuit Ægidianâ vix mitior: tunc denunciavit Concilio Œcumenico Bullam *Unigenitus*, ut Constitutio *Vineam Domini Sabaoth* ab Ægidio accusata est. Imo quinquennio ante Bullam *Unigenitus* infamem Quesnellus Satyram composuit & typis edidit, Colloquiorum nomine contra primam suis Operis condemnationem; Satyram, inquam, edidit, de cujus temeritate & malitiâ meritò dubites an non palmam præripiat secutæ cuilibet ad Cocilium provocationi.

Verùm ut præsentem hìc solum discutiamus Articulum, triplex in eo ceroitur perversitas, in gravissimis totidem contra Summos Ecclesiæ Præpositos sita calumniis. Prima est quòd *inimicis Ecclesiæ pessimam de ea ingerant opinionem.* Seconda *quòd dominatum exerceant supra fidem fidelium.* Tertia *quòd divisiones foveant propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores.*

Ex tribus his criminationibus nulla est, quam argumento vel levissimè probabili adversarius unquàm stabiliat. Et quidem ad primam quod attinet, non aliam scandali rationem Quesnellus profert, præter geminam quæ in eodem sequitur Articulo, & solâ ejusdem nititur asserentis authoritate, quæ nullius penes Catholicos ponderis est, nullius fidei; quantumlibet ille à fatuis Portus Regii Monialibus *Elisæi* nomine, divini instar celebretur oraculi.

Status Ecclesiæ non potest Hæreticis non esse miserabilis & luctuosus, quoties eorum illa damnaverit errores, atque represserit audaciam: tunc exercere dicitur tyrannidem supra fidem, & debitam Christianis hominibus libertatem: tunc perturbare Ecclesiam definitionibus non necessariis, & damnationibus contumeliosis.

Hanc Novatorum nequitiam ostendere exemplis non foret compendii brevis, quod præsenti mihi capite propono; sed deductionis amplioris, ad quam neque materiæ me copia deficiet, neque studium obsequendi lectoris desiderio, quem scio cupidum esse notitiæ de Quesnellismo accuratissimæ. Hìc paucis tantummodò interrogo adversarios, ut edicant, quid Magistrum suum movere potuerit, ut *Christianis* suis *meditationibus* in lingua editis vulgari ad usum omnium utriusque sexus fidelium, insereret adeò infanda, & Supremis Ecclesiæ Moderatoribus contumeliosa.

Si talia Sectæ cuipiam impegisset hæreticæ, nemini appareret dubium, quin lectoribus suis horrorem hæreseos illius incutere voluisset, atque ita eos in fide, ac religione catholicâ confirmare. Quesnellianis quidem improperiis non dissimilia apud hæreticos contra nostram scripta Ecclesiam facilè reperies, neque cum legeris, dubitabis quo ea consilio, quo fine edita spargantur in vulgus; ut turba scilicet imperita contra Romanos Pontifices concitetur vehementiùs & removeatur longiùs à conversione.

Modus ille novi passim Evangelii præconibus familiaris est, ut quod veritate nequeunt, commentis istiusmodi & calumniis perficere conentur: Vocatâ scilicet in odium & contemptum Sede Apostolicâ, suam ipsi supra fidelium cœtum sperant erigere authoritatem.

Gloriantem vidimus aliàs Quesnellum in subdola sua & mendacissima *Ecclesię Traditione* Tomo 3. de suis dogmatibus veluti ad reducendos in Ecclesiæ sinum hæreticos optimè accommodatis. Illic nempe pag. 201. *prętensis*, inquiebat, *Jansenistis honori vertendum est, quòd circa gratię cum libertate concordiam, dogmata tradant tum Ecclesię judicio comprobata, tum reducendis ad Ecclesiam hęreticis accommodatissima.*

Approbatio quidem fictitia est; eâ tamen suppositâ, fateor ultrò nihil esse in tali concordia, quod remorari hæreticos debeat à regressu ad Ecclesiam. Si enim cum necessitate simplici, sive coactionis tantummodò experte, admittatur concordia libertatis sufficientis ad meritum, neminem hodie habebit hæreticum dissentientem, nec habuit à multo tempore. Quicquid enim subinde durius

rius loqui visi fuerint Lutherus & Calvinus, utrumque tamen Jansenii sententiam inter quinque hæreticas tertiam tradidisse compertum est.

Ut nempè Jansenii locis pluribus doctrina conspicitur, *Ad merendum & demerendum in statu naturę lapsę non requiri libertatem à necessitate; sed sufficere libertatem à coactione;* perspicua quoque Lutheri enunciatio est tomo 3. de servo arbitrio: *Sequitur, nos necessariò operari: necessariò dico, non coactè ... hoc est homo cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo nolens facit .... sed sponte & libenti voluntate.*

Ibid. *Facimus volentes & lubentes pro natura voluntatis: quæ si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potiùs est, ut sic dicam, noluntas.*

Bucerus quoque Lutheri Discipulus libro de concordia doctrinæ, Magistrum suum explicans ait, *quòd solam libertatem à necessitate negaverit: sed libertatem à coactione concesserit.* Videri de hoc potest Bellarminus lib. de gratia & libero arbritrio cap. 4. in medio.

Imò Calvinus contra Pighium scribens de libero arbitrio lib. 2. ait: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse fateor, & constanter assevero, ac pro hæretico habeo quisquis secùs sentiat.*

Pergat igitur Quesnellus, quantùm liberit insanissimè gloriari in *Notis ad Epistolam Steyaertii* p. 17. quasi adeò *non persuadeatur, sensum ab authore* (Jansenio) *intentum esse hæreticum, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in eo non esse catholicum.* Omni scilicet hæretico sua & Magistri sui sententia catholica est, & Scripturarum Patrumque testimoniis, Augustini præcipuè consecrata.

Nos Apostolicæ Sedis & Catholicorum omnium Antistitum, Academiarum, Doctorum judicio credere malumus, Jansenianam de gratia & libertate ad meritum requisitâ, concordiam esse hæreticam: Malumus etiam oculis nostris credere, quinque Propositiones hæreticas esse totius Janseniani operis veluti nucleum & accuratissimam quoad præcipua Epitomen.

Ridicula Quesnelli sententia est in Traditione Ecclesiæ Tom. 3. p. 188. *Calvinistas plerosque verè & regulariter reconciliatos esse cum Catholicis in materia de gratia.*

Catholicos ibi intellige Quesnellum ipsum & ejus sectatores. Cum talibus Calvinistas facile fuerit conciliari; non quasi abjectis illi Magistrorum erroribus ad saniora dogmata conversi sint, quandoquidem eadem, quæ cum Jansenianis tradere conspiciuntur Calvinistæ hodierni, à primis sectæ suæ fundatoribus acceperint: quæque à Quesnello vocatur Calvinistarum reconciliatio, aliud reverà non sit, quàm perfidus Jansenistarum à Catholicis ad hæreticos transitus, & apostasia à fide.

Undè fundamento non destituitur insultatio Petri Jurieux inter Calvinianos celebris, dum libro de *Spiritu Arnaldi* ait: *verum est, quòd omninò ad nos accesserint in materia de gratia; sed accedentes ad nos, conati sunt nos a se removere: & nobis attribuunt sententias, non solùm quas non tenemus; sed etiam quas à nobis alienas esse certissimè noverunt: quæ insigniter iniqua criminatio est.*

Sed quoniam Quesnello tam honorifica visa est sua divinæ gratiæ cum libertate concordia, quasi reducendis ad Ecclesiam hæreticis perquàm sit idonea; licèt ab his longè veriùs dicatur, adducendis ad se Jansenistis aptissima; ex ipso quærerem Quesnello, aut quoniam ad Tribunal Numinis evocatus est, ex pervicacibus ejus discipulis, num etiam reducendis ad Ecclesiam hæreticis præsens ejus conducat Articulus; *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores?* Adde Art. 95. *Veritates eò devenerunt ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum.* Art. 96. *Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis.*

Art. 97. *Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquàm indigna; ut sint in Ecclesia.*

Art. 99. *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in Ecclesia sua posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.*

Art. 100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos! Tempus hoc advenit .. Haberi & tractari à Religionis Ministris tanquàm impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum est hominibus piis morte corporis mors terribilior.*

Neque istud Quesnelli monitum ad solam pertinet speculationem; sed ad praxim, & hodiernas maximè circumstantias; quia, ut præmittitur, *Tempus hoc advenit:* & ibidem mox sequitur: *Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo*

bolo Dei servum. Denique Art. 101. *Nibil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

Quesnellianis Apostolis talia de Ecclesia nostra prædicantibus responderent indubiè Moscovitæ Schismatici, Genevenses, & Batavi Calviniistæ, cum quotquot in Germania sunt Lutheranis, nihil similis persecutionis defensoribus & Prædicatoribus veritatis in suis metuendum conventibus, vel Ecclesiis, magnam illic esse veritatis reverentiam, suas utriusque fori Potestates à talibus procul abesse & abhorrere excessibus: ideò oportere novis illis Apostolis cerebrum excidisse, quando tali eos autumant ratione allici ad Ecclesiam Romanam, in qua confusionem asserunt Babilonicâ deteriorem.

Nihilominus credere nos Quesnellus jubet, se suosque studia jungere opportunissima Gallicanis Episcopis, ad procurandam fratrum errantium conversionem, & reductionem ad Ecclesiam.

Propter hos nempe non solummodò permitti, sed commendari omnibus oportuit, contra tot Apostolicæ Sedis & Ecclesiæ, etiam non ita pridem Gallicanæ, Conciliorumque prohibitiones, Sacri Codicis in vulgari idiomate promiscuam lectionem: abstineri quoque à prohibendis Hæreticorum voluminibus. Sic enim Quesnellus in animadversionibus contra Decretum suas feriens *Dissertationes in Leonis magni opera* numero 18. reprehendit, quòd eodem Romano diplomate proscribatur Synodicon Anglorum:

Quando (inquit ingemiscens subdolè Quesnellus) *omnis opera conferri debuit ad sanandos, & reducendos eos, qui ob unius duritiem Pontificis se ab Ecclesia separarunt, præpostera capiuntur consilia, nihilque prætermittitur quod eosdem semper ampliùs irritare valeat, & ab Ecclesia Romana avertere, eorum opera configendo. Quod in iis pravum occurrerit, expediret dissimulare &c.* Plura istiusmodi sunt Quesnellianæ politicæ pro hæreticorum conversione documenta; sed ipsa hic solicitudinis ostentatio mera hypocrisis est, & insanissimè quæsita, fidem Apostolicam accusandi occasio.

Quis autem modus superest Ecclesiæ, evadendi linguam maledicam Jansenistarum? Si libros Catholicorum prohibet propter commissa contra Regulas Indicis delicta, replent omnia questibus, quasi à charitate & justitia alienum sit lucubrationes authorum pietate & eruditione præstantium, multa in se utilia continentes, proscribere propter defectus non repugnantes fidei: aut si aliquid istiusmodi est, christiana mansuetudo Ecclesiæ postularet, inquiunt, de eo moneri authorem, ut corrigeret quod censuræ foret obnoxium; non verò damnationis ferulâ illicò divexandus est; undè non solùm ipsi ignominia inferatur, sed etiam jactura typographo.

Tridentinæ quoque Synodi, ajunt, intentio fuit, libros hæreticorum, ad subversionem fidelium compositos arcere procul ab Ecclesia, non debito pestilentibus libris supplicio, levioris errati reos involvere orthodoxos. Talis aliàs Quesnelli eique adhærentium querimonia est. Nunc autem ejusdem hypocritæ prudentia versatilis reprehendendam sibi statuit hæretici voluminis, quale illud apertissimè *Synodicon Anglorum* est, prohibitionem etiam simplicissimam, quia offendendus inde prospicitur animus hæreticorum, magisque ab Ecclesia avertendus.

Denique si liber aliquis anonymus, & nullius censoris legitimi, aut alteriùs Doctoris firmatus testimonio, vel decerptæ ex eo Propositiones absurdissimæ ad Tribunal Sedis Apostolicæ, vel Comitiorum Episcopalium deferatur, clamitat Quesnellus, suggerente Walonio, tantorum esse minùs conveniens Præsulum dignitati, distrahi eos examine librorum, quos neque ut suos vellet agnoscere author, neque ullus Approbator defendere; sed deferrent universi.

Istius tamen generis, paucissimis exceptis, sunt libelli omnes hoc tempore Christianam turbantes Ecclesiam, & si fieri posset, etiam corrumpentes. Necesse igitur erit infinitam permittere exitialium operum farraginem, atque in solas animadvertere adversantium Quesnello & Jansenio scriptiones.

Talis Ecclesiam gubernandi ratio novatoribus placet unicè: Hanc si Apostolica Sedes, & Antistites Catholici inierint, relictâ novis hæreticis liberrimâ disseminandi impunè quidlibet facultate, *tunc non dominatus exercebitur supra fidem fidelium: tunc non fovebuntur divisiones & schismata propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores: tunc minimè mala inimicis Ecclesiæ ingeretur de ea opinio.* Partes nobis singulæ accuratiùs discutiendæ sunt.

CAPUT II.

Expenditur prætensus *supra fidem fidelium dominatus*.

1 Novum Testamentum cum *Observationibus moralibus* Gallicè in lucem prodire cœpit ab annis, ut ex ipso Quesnello discimus, vix minùs quadraginta, approbante Illustrissimo Vialard Eminentissimi Noailles in Catalaunensium Sede Antecessore. Quid autem tunc temporis fuerit, unde præsentis Articuli à Quesnello occasio desumpta sit, non reperio præter Constitutiones adversùs Jansenium, & si forsitan remotiora attendere libuerit, definitiones contra Baii & aliorum quorumdam Lovaniensium Propositiones.

Ad Bajum quod attinet, jussus quidem est, quæ prava scripserat retractare, quod non est dominatum & tyrannidem, ut hic intelligitur, supra fidem fidelium exercere; sed legitimam à Christo Domino concessam suo Vicario potestatem.

Exercitium idem pietatis fuit & misericordiæ erga ipsum Bajum, quem in suis contra doctrinam sanam & fidem Catholicam erroribus relinquere, etiam post inflictum eis à Summo Pontifice anathema, non charitas fuisset; sed crudelis & exitialis indulgentia. Errorum authoribus eorumque discipulis saluberrimè semper ab Ecclesiæ Præpositis imperata palinodia legitur, approbantibus ipsis, atque obedientiam urgentibus, quibus ad Ecclesiæ defensionem Deus gladium concessit, piissimis Imperatoribus.

Sanctus Leo Pontifex Epist. 85. ad Septimium contra Pelagianos: *Qui se* (inquit) *correctos videri volunt, errorem suum & ipsos erroris authores damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis & dudum peremptis nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrum Ecclesiæ, talium possit societate vitiari*.

In quem locum Franciscus Simonis de fraudibus hæreticorum parte 3. fraude 2. animadversionem suggerit eruditione suâ dignam & sapientiâ, dicens: " Sed ô rem difficilem, atque arduam hæreticis, damnare errores vel suis, vel suorum Patriarcharum nominibus affixos! Senserunt istud Pelagiani Episcopi octodecim, qui tractoriæ Zozimi Epistolæ subscribere detrectarunt inter omnes pertinacissimè. Omnium nomine Julianus Episcopus Eclanensis libellum fidei scripsit, misitque ad Zozimum Papam, quo primùm quidem quid sentirent, vafrè explicuit, tum quid deterreret ne subscriberent Pelagii, atque Cælestii damnationi, exposuit.

„ Hic verò quid prætexerent illi Diabolicis virtutibus tam exercitati, nisi charitatem, castumque Dei timorem? Huc redibat ratio: Homines apprimè Catholicos, absentes, inauditos, quorum hæresim non cernas, neque invenias usquam, damnare hæreseos, non sinit Dei timor, non charitas. Liceat ergo neque damnare, neque probare; sed nescire, atque silere.

„ Sed hæc ipsi quàm piè, quàm religiosè „! libel. fidei pag. 4. *Istud autem Sanctitatem vestram specialiter admonemus, ne ad vestram reprehensionem factum putetis, quod sic absentium damnationem ob Dei timorem subscribere non audemus, docti per Scripturas humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri, dicentis: Non eredes auditui vano, nec consenties cum iniquo fieri injustus; Et ne multitudini quis eredendum putaret, adjunxit: Non eris cum pluribus in malitia: Et iterùm, priusquam interroges ne vituperes quemquam...*

His & cæteris testimoniis confirmati, metuimus in absentium, & nobis inauditorum capita dictare sententiam; nisi cum præsentes fuerint confutati. Quamvis igitur Sacerdotalis officii sit, Christianæ charitatis eos qui se libellis purgarunt, Catholicos confitentur, & damnabilia sibi objecta condemnant, liberâ authoritate defendere, & in dubiis rebus de unoquoque meliora sentire; tamen dudum promissam æqualitatis libram mediam inter utrumque servantes, nec damnamus inauditos, nec defensamus absentes.

In quem locum sic iterum Franciscus Simonis ". O teneros hæreticorum animos! Pelagianam & Cœlestianam hæresim damnaverant duo Pontifices Romani, Innocentius atque Zozimus: & quidem Zozimus recognitâ causâ tam anxiè, ut non vitarit invidiam mollioris animi erga factionem Ecclesiæ rebellem: *Pelagii atque Celestii condemnatio per totum orbem missa, subscriptionibus Sanctorum Patrum erat roborata...*

„ Ecce autem Episcopos octodecim timor Dei & charitas impedivit, ne sententiæ Ecclesiæ totius suum nomen subscriberent; imo amore pravorum dogmatum, atque impiorum magistrorum, simulque hæreticâ superbiâ excæcati sunt, usque adeò, ut quod videbant omnes homines, ipsi soli non viderent, damnatam ab Ecclesia hæresim docuisse Pelagium, atque Cælestium, tum verò usurpare sibi auderent hanc legem: *Quod viderunt oculi tui loquere*. Atque hæc quidem Latinorum, ac ferè

„ ferè Siculorum Epifcoporum octodecim cæcitas fuit „.

Idem poft pauca : " Non defuere quos „ exemplo, & fortè perfuafione Siculorum „ Epifcoporum, incefsit charitas quædam „ Diabolica, & Dei timor minimè falubris, ne „ vel fubfcribere omnino, vel fine cautione, „ atque exceptione fraudulentâ auderent.

„ Erant quoque in exigendis ab inferiore Clero fubfcriptionibus lentiores quidam: Epifcopi verò illi, quos major agebat „ fidei ardor, cùm perfpicerent, haud fatis „ præfidii effe in Pontificiis Decretis, ad exfcindendam hærefim, tot fraudibus fefe „ augentem, remedium communi malo Africæ atque Italiæ ab Imperatoria poteftate „ petendum cenfuerunt, effectumque eft „ Auguftini, ut videtur, & fortè Alipii, arcanis cum Valerio Comite confiliis, ut Honorius Imperator Epiftolam illam dederit „ ad Aurelium Carthaginenfem Epifcopum, „ quâ robur illud adjunxit Pontificiæ authoritati, quod par effet abrumpendis tergiverfationibus Pelagianorum, ne fententiæ „ Zozimi fubfcriberent.

Libet ex Imperatoria Epiftola delibare quædam : *Dudum quidem fuerat conftitutum, ut Pelagius atque Cæleftius infandi dogmatis repertores, ab Urbe Româ, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur .... fed quia obftinati dogmatis pertinax malum, ut Conftitutio geminaretur, coëgit .... præcipuè tamen ob quorumdam Epifcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum difputationes vel tacito confenfu aftruunt, vel publicâ oppugnatione non deftruunt .... Religio tua competentibus fcriptis univerfos faciet admoneri, fcituros definitione teftimonii tui, banc fibi definitionem effe præfcriptam, ut quicumque damnationi fuprà memoratorum, quo pateat mens pura, fubfcribere impiâ obftinatione neglexerint, Epifcopatûs amiffione mulctati in perpetuum communione priventur ...*

Non patietur Sanctitas Tua Sectæ deteftabilis homines in injuriam religionis, nova & inufitata meditantes, fecretis tractatibus occultare facrilegium, publicâ femel authoritate damnatum. Una enim eademque culpa eft eorum, qui aut diffimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præftiterint.

Tum Simonius," Habes (inquit) Lector, „ Majeftate Sacrâ dignam fententiam. Habent Reges Principefque exemplum illuftre, quo fibi conceffam à Supremo Dominatore potentiam ad protegendam Ecclefiam & Religionem, ibi potiffimum adhibeant, ubi Ecclefiarum Epifcopos aut pertinacia invafit fubfcribere detrectantes formulæ fidei à Sede Apoftolica præfcriptæ, aut „ fegnities, parùm curiosè exigentes Inferioris „ Cleri fubfcriptiones.

„ Afflixit Pelagianam Factionem graviter „ Imperatorium Edictum, caroque ftitit Auguftino & Alipio confilium Ecclefiæ faluberrimum, & diligentia, quâ funt ufi ad injiciendam Honorio folicitudinem tam fanctam.

Hac fcilicet ratione Pelagianis vifi funt *dominatum exercere fupra fidem fidelium, & fovere divifiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* Dominatus fiquidèm tyrannicus Pelagianis cenfebatur, & quidem fupra fidem Fidelium, jubere eos fubfcribere lato in Pelagium atque Cœleftium anathemati, quos ipfi ftatuerant animo innocentes, aut quorum nullum faltem perfidæ hærefeos crimen ducerent exploratum.

Quæ ad factum pertinens quæftio neque ad fidei referenda effet diffidium, neque mores attingeret; ut proinde ideò commovens Ecclefiam, diceretur fovere divifiones propter res nihili, neque fidei vulnera inferentes, neque difciplinæ.

Hæc quidem Pelagianis hæreticis cavillatio tunc familiaris fuit, ut eft præfenti tempore Janfeniftis, univerfa Janfenii dogmata, etiam maximè hæretica, fubducere volentibus condemnationi.

Unde quot eorum profiliere lamenta contra præfcriptam ab Alexandro VII. omnibus in Gallia Ecclefiafticis profeffionem fidei, juratis fubfcriptionibus affirmandam! Iftud erat dominari *fupra fidem fidelium*; exigere fcilicet, ut præftito Sacramento, affererent, quod certum minimè crederent, imò cujus oppofitum retinerent animo indubitatum.

Cui enim Janfeniano competiffimum non videatur, librum, cui quintuplex hærefis à Pontificibus adfcribitur, ab omni effe errore Theologico immunem? Utrùm contineat (inquies) liber ille quinque imputatas hærefes, vel non contineat, quid iftud fidei divinæ, feu primæ virtutis Theologicæ intereft? Quid morum aut pietatis? Janfeniftarum hæc dolofiffima allegatio difcuffa ftudiofiùs, atque convulfa fortiùs fuit Tom. 1. Hic verò accufatio *de Dominatu fupra fidem fidelium* materiam novam fuggerit fat copiofam, quâ præfentis capitis parte reliquâ occupemur.

Joannem Eckium & præcipuè Cardinalem Caëtanum criminatio Lutheri, Quefnellianæ fimilis, impetivit. Ab iftiufmodi adulatoribus Leo X. Pontifex inflatus & inftigatus contra Lutherum dicitur, ut ad palinodiam eum compelleret, qui dominatus Luthero intolerabilis vifus eft, & quodammodò tyrannicus.

Ita Pontificem Tom. 2. Operum Monachus humilis, aut superbiâ potiùs insaniens hæresiarcha alloquitur: *Sine me Optime Leo, hic & meam aliquando causam agere, verosque tuos hostes accusare. Notum esse arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis Sancti Sixti Legatus tuus imprudens, & infelix; imò infidelis, in cujus manu ob tui nominis reverentiam cum me & omnia mea posuissem, non hoc egit ut pacem statueret, quam uno verbulo potuisset facile statuere; cum ego tunc promitterem silentium, & me finem causa meæ facturum, si Adversariis idem mandaretur. At homo gloriæ cupidus cæpit mihi palinodiam mandare.... Unde quidquid post hæc secutum est, non Lutheri; sed Cajetani tota culpa est, qui ut silerem & quiescerem, non est passus; quod tum summis viribus poscebam. Quid enim ampliùs facere debui?*

Dein multis interpositis submissionem insigni dignam hypocritâ repetens, sic prosequitur: *Venio, Beatissime Pater, & adhuc prostratus rogo, si fieri potest, manum apponas, & adulatoribus istis, pacis hostibus, dum pacem simulant, frænum iniicias.*

Porro palinodiam ut canam, Beatissime Pater, non est quod ullus præsumat; nisi malit adhuc majore turbine causam involvere.. Contentiones odi; neminem provocabo; sed provocari rursus nolo. Provocatus autem, Christo Magistro, elinguis non ero. Poterit Tua Beatitudo brevi & facili verbo contentionibus istis ad se vocatis, & extinctis, silentium & pacem utrimque mandare; id quod semper audire desideravi. Proinde mi Pater Leo; cave sirenas istos audias, qui te non hominem; sed mixtum Deum faciunt, ut quævis mandare & exigere possis. Non fiet ita, nec prævalebis.

Adversus Eckium sic ibidem expostulat Lutherus: *Aperuit oculos suos Satanas, & servum suum Joannem Eckium, insignem Christi adversarium extimulavit indomitâ gloriæ libidine, ut me traberet in arenam insperatam, captans me in uno verbulo de Primatu Romanæ Ecclesiæ mihi obiter elapso. Hic thraso ille gloriosus spumans & frendens jactabat pro gloria Dei, pro honore S. Sedis Apostolicæ, omnia se ausurum, & de tua inflatus abutendâ sibi potestate, nihil certiùs expectabat, quàm victoriam; non tam Primatum Petri, quàm suum Principatum inter Theologos hujus seculi quærens, ad quem non parvum momentum habere ducebat, si Lutherum duceret in triumpho.*

Quisquis hæreticos sibi statuit fortiter insectandos, effugere non facilè poterit hanc eorum calumniam, quasi non Dei gloriam, non animarum salutem, non Ecclesiæ pacem, non Religionis & fidei incolumitatem promovere studeat; sed suum in cæteros dominatum, ambitione pulsus & invidiâ adversùs eos, quos suo senserit dominatui non obsequentes.

Hæretici quidem dum Catholicæ fidei vindicibus se posse resistere desperant, nihil æquè in promptu habent, quàm postulare ut pacis studio partes utrimquè conticescere jubeantur: quo quidem fraudulento consilio, subinde viri etiam probi, & non infimæ notæ Antistites circumventi reprehendunt ardentioris zeli Theologos, quasi intra discretionis & prudentiæ limites non se contineant satis; forsitan etiam ab omni pravorum affectuum, invidiæ aut vanæ gloriæ motibus non planè liberi.

Modis omnibus & fraudibus egerant Constans Imperator & ejus Emissarii Monothelitæ ut invictissimum fidei Vindicem S. Maximum Martyrem nefandi silentii lege constringerent. Celebris ejus est cum Troilo Dialogus, in quo cum Troilus & Epiphanius protulissent orationem Monothelitis verbo tenus contrariam, *si ita creditis* inquiebat Maximus, *cur me cogitis communicare Typo, qui hæc penitus tollat?*

Cui Troilus: *Non sublatum est, sed jussum est sileri, ut omnes pacem tueremur.*

Ad quod Maximus: *Tacere sermonem est eum tollere; Nam per Prophetam dicit Spiritus Sanctus; non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quam ob rem qui non dicitur sermo, omnino non est.*

Troilus. *Habe in corde tuo ut vis; nemo te prohibet.*

Contra quod insurgens Maximus. *At* (inquit) *universam salutem in corde non definivit Deus, qui dixit: Qui me non confitetur coram hominibus, nec ego confitebor eum coram Patre meo, qui in cœlis est: ac divinus Apostolus docet dicens: corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Si igitur Deus & Dei Prophetæ, & Apostoli jubent confiteri mysterium vocibus sanctum & magnum, ac tremendum, totius mundi salutare, nullo modo utile est silentium..... ne tacentium hominum salus minuatur.*

Epiphanius autèm cum veritati resistere rationibus non posset, accensus irâ, comminationibus indulsit; sed his Maximus minimè territus non minùs liberè respondit. *Ego & conservi mei, eos qui juxta Arium & Apollinarium unam voluntatem & unam operationem dicent, anathematizavimus.*

Istud Epiphanio, Troilo, ipsique potissi-

tissimùm Imperatori visum est dominatum exercere iniquissimum supra fidem fidelium, quibus relinqui debuit, unam vel geminam agnoscendi in Christo voluntatem, operationemque, plenissima libertas.

Christiano autem & verè Maximo digna in fidei confessione constantia, atque in defensione fortitudo heroica martyrium ipsi crudelissimum ab hæreticis obtinuit. Corpus nempè senio, inediâ, vigiliis, ac laboribus fractum, immanibus nervorum ictibus ad mortem usque contundi passus est potiùs, quàm silentii sacrilegi turpitudine animam maculari.

Cùm igitur nullum ampliùs in corpore membrum esset, quod ad motum omnem inutile non reddidissent verbera, non desiit lingua catholicam de duabus Christi voluntatibus & operationibus edere confessionem: & linguâ quidèm à tortoribus erutâ Martyrem non destituit enuntiatio, ut in Actis legimus Martyrii: *linguam illam Theologam, quæque sermonibus fluviorum instar scaturiverat, à faucibus usque, & à continua epiglottide, sceleslissimè præcidunt, ut vocis adempto instrumento, doctrina ei quoque & sermones eriperentur, postea que conticesceret & mutus esset. At verò Egregie Maxime, non eras vel linguâ exsectâ taciturus. Verùm qui linguam perficit omnium, & muto surdoque dedit sermonem, ipse fecit ut præter opinionem loquereris, sermonesque emitteres magis quàm antea articulatos.*

Quid autem tantos nostro tempore planctus elicuit Jansenistis de turbata Ecclesiæ pace, de divisione inter Theologos, quin & inferioris notæ Ecclesiasticos, ipsasque in Gallia Moniales, dissidiorum flammâ nostras quoque Belgii Provincias infeliciter corripiente? Causa propriè fuit, estque hodiedum Diabolica novis hæreticis altè infita obstinatio, & innumeris instructa fraudibus temeritas, fixum ratumque sibi statuens, nullis ab hæresi Apostolicis Constitutionibus, nullis Episcoporum studiis, nullâ authoritate Principum dimoveri.

Occasio autem excitandi tantos in Galliis & Belgio strepitus, pertinacibus Jansenii Sectatoribus præcipua fuit præscriptum contra hæresim juramentum, quo adstringitur quidquid in Gallia Ecclesiastici Ordinis est, etiam Monalium.

Juramenti istius, & Jansenianorum contra illud motuum prolixa historia est, futura, cui libuerit, voluminis non exigui materia, ut fuit hactenus lucubrationum, quarum ipsa nec brevis, nec facilis sit enumeratio.

Novitatis hæreticæ contagium, Jansenii imò Baii temporibus, qui Jansenii prodromus fuit, sopitum potiùs quàm extinctum remanserat, donec Gallis profugis nova in Belgium venena conferentibus, singularis illic Præsulibus imposita est vigilantiæ necessitas, ad sistendam, quam latiùs quotidie serpere deprehendebant, perniciem.

Inde accensa rabies Arnaldi, Quesnelli, Gerberonii, quibus auxiliatricem manum strenuè junxit Ægidius de Witte, Joannes Opstraetius, Andreas Schurius, Petrus Hollen, & similes tam addicti Jansenio, quàm aversi à Pontifice, & Episcopis fidei Apostolicæ inhærentibus, atque doctrinæ in Ecclesia receptæ. Zelo hic præluxere cæteris Belgii Austriaci Antistites, qui occasione consecrandi novi Præsulis convenientes statuêre varia; in primis obediendum omnibus Sedis Apostolicæ sive quoad libros, sive quoad dogmata Decretis, nominatim Regulæ quartæ *Indicis* Tridentini de non legendâ promiscuè in vulgari idiomate Scripturâ Sacrâ.

Hinc Jansenianis hypocritis, mansuetudinem aliàs & modestiam simulantibus, mota bilis, qui nostrum cum vicinis Provinciis Belgium, mox implevere libellis infamibus, de turbata fidelium pace, & Reipublicæ tranquillitate conquerentes. Murmur præcipuum fuit de juramento juxta Alexandrinam Formulam costituto singulis Beneficiorum, & Sacrorum Ordinum Candidatis; sine quo spes nulla Beneficii foret, nulla Ordinis.

Tunc maximè Quesnellus conspicere sibi visus est præsentis Suæ Sententiæ confirmationem: *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimcis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

Quot tunc habitæ Antuerpiæ, Bruxellis, Lovanii à novis Augustini Discipulis conciliabula ad dissipandam adeo sibi terrificam tempestatem! Illic decreta tandem in Urbem legatio, cum ex mendacibus Walonii literis didicissent *miserabilem esse Innocentii XII. quoad regimen & dogmatica Pontificatum, proinde adversùs Molinismum* (quo nomine hìc intellige communem Ecclesiæ doctrinam) *aliquid boni in S. Officio efficiendi aptissimam esse opportunitatem*. Votis quidem minimè respondit legationis successus; attamen supplere eum nôvit Quesnelliana in comminiscendis cavillationibus & fallaciis exercita pridem industria: librum excogitavit pestiferum, & suâ fronte præferentem omnia, quæ totius instituto Operis directissimè adversantur.

Libri inscriptio est *Defensio Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum*, dum toto Ope-

Opere aliud non agitur, quàm ut lectoribus persuadeatur, omnia Romæ contra Jansenium acta, decreta, difinita, falsis niti suppositionibus, & relationibus adversariorum subdolis; volumen Iprensis Antistitis numquam fuisse legitimè examinatum; Pontifices dolo multiplici circumvetos, maledicis temerè credidisse accusatoribus: unde contigerit, quòd Innocentius X. & Alexander VII. dum visi sibi sunt doctrinam Jansenii anathemate configere, intenderint animum in id unicè, quod velut Episcopi illius sententia à delatoribus proponebatur; sed à mente authoris, & libri sensu proprio noscitur alienum.

Omnes itaque totius Orbis Antistites, exceptis quatuor in Gallia Jansenianis, omnes Academiæ in dignoscendis Jansenii dogmatibus, & ab imputato phantasmate discernendis, hallucinati miserè sunt, & hodiedum turpiter deluduntur. Nos verò post demonstratos centies in Jansenii volumine expressos clarissimè, & locis pluribus errores quinque hæreticos, qui Pontificiis sanctionibus condemnantur, mirari satis non possumus, voluntariam & obstinatam adeo in Novatoribus cæcitatem, affectatam ignorantiam, & ad fallendos simplices sibi credulos mendacissimam simulationem.

Egregiæ suæ *Defensioni Romanæ Ecclesiæ*, *& Summorum Pontificum*, alteram Quesnellus addidit non meliori fide *defensionem duorum Brevium Innocentii XII. ad Belgii Episcopos*, quæ vocari debuit *duorum Brevium, & Decreti Brvibus juncti studiosa subversio*. Pars nempe ea purioris, & severioris Ethicæ Jansenianæ est, ut fuit hæreticorum veterum, fallacibus inscriptionibus incautos allicere lectores. Si tales ea fraus Quesnelliana deceperit, Apostolicam Sedem fallere non potuit, cujus anathemate malefida utraque *Defensio* proscripta est.

Interim obligatio imposita jurandi formulâ Alexandri integrâ, absque ullius exceptione partis, visa Jansenii Sectatoribus fuit non toleranda *dominatio in fidem* & religionem *fidelium*, quales ipsi indubiè judicio suo sunt.

Ita Gerberonius in Reflexionibus Religionis & Statûs pag. 7. " Obligare Ecclesiasticos, qui se offerunt ad Sacros Ordines, & facultatem petunt administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, obligare, inquam, eos ut subscribant Formulæ Alexandri VII. est illos obstringere ad mendacia & calumnias, ad falsa testimonia & perjuria, atque ut per tot crimina ad Filii Dei Ministerium accedant.

Iterùm pag. 22. " Exigere subscriptionem Formulæ Alexandrinæ ab illis, qui Sacros Ordines suscepturi sunt, est replere Provincias illas perjuriis & Sacrilegiis; cum subscribi nequeat sine calumnia & perjurio.,,

Ibid. pag. 9. " Scopus eorum, qui omnia adhibent ut jubeant credere, quòd sensus damnatus, sit sensus Jansenii, non potest esse alius, quàm ut sub Jansenii nomine doctrinam subruant Augustini.,,

Pag. 8. " Si solemniter jurejurando profiteamur, sensum hæreticum, in quo quinque Propositiones damnatæ sunt, esse sensum Jansenii, agnoscere oportebit, Doctrinam Apostoli & Augustini de gratia & prædestinatione esse hæreticam.,,

Ratio ab eodem Gerberonio redditur in alio opere, cui, ut Jansenianis solitum esse jam monui, titulus mendax præfigitur: *Ethica Laxior Archiepiscopi Mechliniensis pag. 59.*" Paucissimi, *inquit*, guari quid doceat S. Augustinus, lecto libro Jansenii, non convincentur, Iprensem Augustinum cogitare & loqui eadem, quæ Hipponensem.,,

Quesnellus famosis *quinque Articulis* in iterata editione hanc subtexuit animadversionem. Pag. 22. " Consequitur nunc omnium oculis patère, quàm inani fundamento substructum sit totum illud novæ hæresios figmentum, & quanto se crimine polluerint, qui tantos in Ecclesia motus gratis excirarunt.,, Sic totum Janseniani Operis Systema in quinque Propositionibus, velut compendio damnatum, permitti inposterum debebit ab Episcopis, summisque Pontificibus, nisi Quesnelli judicio haberi maluerint, tamquam gravi *crimine* animum *polluentes*, & pessimam *inimicis Ecclesiæ ingerentes de ea opinionem*.

Jubere scilicet ut Ecclesiastici rejiciant in quinque Propositionibus sensum Jansenii tanquam impium & hæreticum, qui juxta Jansenianos nihil continet, nisi Scripturis congruum & Traditioni, istud iniquissimum est, Quesnello judice, *supra fidem fidelium exercere dominatum*. Expungenda quoque necessariò est Regula quarta *Indicis* Tridentini à Romanis Pontificibus sæpius approbata, etiam non ita pridem ab Innocentio XII. alias imminet censura Gerberonii in *Brevi & necessariâ*, ut vocat, *instructione circa Lectionem Scripturæ Sacræ* pag. 22. " Episcopus, qui prohibet plebi, ne promiscue Scripturam legat in lingua vernacula, non est Pater, neque Pastor; sed tyrannus adimens concessam à Supremo Numine libertatem.,, Quod ut tyrannice, ita & injustissimè *dominari* est in Pietatem *fidelium* & *religionem*. Pag

Pag. 21. " Minimè decet Epifcopos, „ præfertim Belgii, prohibere fidelibus vulgò Divini Codicis lectionem; quia talis „ prohibitio Acatholicis vicinis fuppeditaret arma nova, ad Ecclefiam iterum impugnandam, & accufandam, tanquam non effet Chrifti Ecclefia; fed potiùs Congregatio Diaboli.

In alio Libello Gerberonius eodem tempore fub hoc fraudulento titulo *Defenfio fententiarum & actionum Archiepifcopi Mechlinienfis* pag. 44." Omnes (inquit) quibus ali„ quod veftigium judicii & pietatis fupereft, „ Decretum Archiepifcopi, & aliorum Belgii Antiftitum, femper exhorrefcent, & „ characterem feditionis, erroris, injuftitiæ „ in eo obfervabunt.„

Ægidius de Witte deferere maluit fuam Mechliniæ Parochiam, & in Collegiata Ecclefia Decanatum, quàm Decretum illud Archiepifcopi promulgare.

Contra idem Dialogos edidit, & quidem Dialogo 3. *inter Parochianum & Theologum* pag. 6. ait," Gravi obnoxium pœnæ eft, at„ que in Dei judicio rigidam cogentur Antiftites rationem reddere de damno, quod inde „ fimplices paffi fuerint: ficut etiam de fubfidio „ quod inde acceperint hæretici contra noftræ „ fanctimoniam religionis, *exprobraturi* fcilicet, ut fuprà monuit Gerberonius, *non effe veram Chrifti Ecclefiam; fed Congregationem Diaboli, ejufque Epifcopos non effe Patres, neque Paftores; fed tyrannos, adimentes populo conceffam à Supremo Numine libertatem*. Ita Gerberonius & de Witte concinunt Quefnello afferenti: *Nihil pejorem de Ecclefia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri fupra fidem*, religionemque *fidelium*.

Quemadmodum in omni Regno & Republicâ nihil odiofius eft tyrannide, ita feditiofis, & rebellionem contra Principem aut Rempublicam meditantibus, nulla accufatio apparet ad concitandum populum magis idonea. Vix enim aliud hominibus, & cujufvis generis animantibus charius à natura inditum, quàm libertas: unde ejus amor tam frequentium caufa rebellionum eft. Libertini præcipuè confpiciuntur hæretici, nihil credere volentes, nifi affumptis pro libito opinionibus confentiens.

Et quidem penes novos, quos præfenti Opere præcipue impugnamus, hæreticos, fi quis Epifcopalis Ordinis eft, fupremam, & à nullo dependentem Pontifice poteftatem clavium, pro fuis faltem dirigendis ovibus fe accepiffe minimè dubius fuftinet.

Jus fimile in fua fibi Parochiâ vindicat Parochus: Laicorum turba de ipfis judicat Epifcoporum, etiam in Conciliis congregatorum, ipforumque Pontificum definitionibus, ut fuprà vidimus in famofo Janfenianæ *veritatis teftimonio*. Jus iftud antiquitati incognitum, liberaliter univerfis hoc tempore tribuunt Novatores, ut omne fibi genus hominum concilient, etiam rufticos, opifices, & quidquid cum mulieribus imperitiffimæ plebis eft.

Sic multitudine terrorem incutere geftiunt non foli Apoftolicæ Sedi & inferioribus Epifcopis; fed potentiffimis etiam Principibus ut tolerari ab jis debeant, ne Ecclefia & Refpublica tumultibus concutiatur, atque incolumitas utriufque in difcrimen adducatur præfentiffimum.

Animadverfione dignus eft adverfantium dolus, qui tanto ubique ftrepitu commendant conceffam cœlitùs fidei libertatem, cùm ipfi præ cæteris maximè appareant violenti, ut univerfos fuæ faciant confentire fententiæ; refragari neminem patiantur. Quas non excitavit tragædias Lovanii ab ipfis novæ hærefeos incunabulis contra Doctores *Joannem Schenckelium, Guilielmum ab Angelis*, & alios Bullam Urbani VIII. quâ par erat obedientiâ profequentes! Quefnellus, Gerberonius, Eugenius de Kelder, Ægidius de Witte quantis Catholicos impetivere contumeliis, non exiguam vitæ partem libellis infamibus impendentes!

Omnis Ordinis Sacerdotes, Religiofi, Epifcopi, Archiepifcopi, Cardinales, ipfique Summi Pontifices, Magiftratus etiam fæculi, Principes, ac Reges effugere ftylum eorum maledicum minimè potuere, quoties vifi funt fidei priftinæ tenaces, nolle genuflectere novitati.

Quid locis pluribus paffi fuerint & patiantur etiamnum Conftitutionibus Apoftolicis, præfertim pofterioribus fubmiffi in Gallia Theologi, compertiffimum eft, plaudentibus maximè hæreticis, ingemifcentibus autem univerfis cum Chrifti Vicario Orthodoxis.

Prætenfam Ecclefiæ reformationem exorfus eft Sancyranus *Dominatu fupra fidem* eorum, quos fufcipiebat novitatibus inftituendos, jubebat eos omni abftinere ratiocinio, nullum audire præter fe fidei magiftrum, & hauftis aliunde inftructionibus renuntiare, ut effent *ficut tabulæ rafæ*, admittendis quibuflibet, in Ecclefia hactenus ignoratis, dogmatibus perquam idonei.

Extant de hoc teftimonia authentica, quæ in proceffu authoritate Regis Chriftianiffimi inftituto referuntur. Ita Joannes de Jo-

Jovaud Cistercienfis Ordinis religiofus Abbas jurejurando restatus est anno 1638. die 17. Junii, Sancyranum fibi dixisse. " Adducito mihi quindecim aut viginti Religiosos „ juvenes qui sint instar tabulæ rasæ, nullis „ imbuti aliunde sententiis, omni ratiocinio „ seposito, aures mihi tantùm faciles præbeant, & subjiciant intellectum: in me recipio fore ut sex mensium spatio omnes ad „ supremum Theologiæ apicem proveham.„

Iu eodem testimonio est quòd Sancyranus sæpius *jactaverit, ea quæ enuntiabat dogmata, non ex libris se didicisse; sed legere in ipso Deo qui est veritas æterna: sequi se in omnibus interiorum dictamina illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi à Deo identidem suggeri sentiebat*. Ideò neminem fibi patiebatur contradicentem. Quis nempe in dubium revocare audeat, quæ Deus ipse suggerit, atque in æterna dilucidè conspiciuntur veritate?

Si istud non est dominatum exercere supra fidem fidelium; quid tandem erit? Dominus etiam Caulet, qui dein fuit Episcopus Appamiensis, legitimo hæc paudit testimonio: *Prorsus* (inquiebat) *exploratum habeo, eos omnes qui se Sancyrani subjecerant directioni, eò redactos ab illo fuisse, ut cum ipso solo agerent, à quo tam arcto, & cæco constringebantur imperio, ut illis utrumque necessarium ad indagandam veritatem, eamque à mendacio discernendam, modum eriperet, rationem scilicet & authoritatem: jubebantur abstinere omni ratiocinio, quo dogmatum novitas discuteretur: Arcebantur à cæterorum hominum consuetudine: Persuadebat denique Sancyranus, omnes alios homines falli, ideò meritò à se prohiberi, ne ullum præter se consulerent, aut ulli à se dicta communicarent*.

Tale novæ Ecclesiæ initium fuit, talis fundator, & præcipuus Arnaldi magister atque Jansenii, quorum institisse vestigiis Quesnellum ex juridico contra eum processu discimus, potissimùm Articulo decimo.

Michael quoque Molinos sectæ Quietisticæ author, novis Augustini discipulis percharus, arctoque junctus fœdere, à dominatu supra fidem suorum duxit novæ Ecclesiæ exordium.

De Sacræ fidei Quæsitoribus & Romanorum Pontificum adversus hæreticos vigilantiâ velut inhumanâ tyrannide Lutherani & Calvinistæ quàm miserabiliter lamentabantur! Pro libertate conscientiæ tot se committere prælia causati; ubicumque prævaluerunt nihil minùs, quàm liberum catholicæ religionis exercitium permisere: direptiones Ecclesiasticorum proventuum, exilia, carceres, afflictiones gravissimæ Sacerdotum, & infinitæ aliæ contra Catholicos persecutiones, luculenta præstant testimonia, quàm egregii libertatis circa fidem vindices sint hæretici. Præcipuum tamen Ecclesiam gubernantium crimen est, Quesnello judice, arctare nimium animos fidelium in credendo: *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium*.

Absurdissimum potiùs, & in Ecclesia hactenus inauditum conspicimus hodie tentati ab Adversariis specimen *dominatûs supra fidem fidelium* à Summo Christi Vicario inculcatam. Sed parco, quorumdam viventium ductus reverentiâ, cui non tantum forsitan deferendum arbitrabitur posteritas.

Non istud solùm penes adversarios regiminis nostri Ecclesiastici vitium est, aliud complementum scandali, pravæ de Ecclesia opinionis in hæreticis fundamentum est, *videre illic foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores*; quod injustissimum accusationis caput non minùs accuratam à nobis exigit disquisitionem.

CAPUT III.

Quam indicare Quesnellus visus fuerit præcipuam divisionis materiam, nihil vulneris inferentem fidei, aut moribus. Fallacia convincitur.

1 Baijhic & Jansenii dogmata à Quesnello intelligi, nullus ut existimo in hodiernis versatus controversiis inficiabitur. Esse enim præcipua inter nos & Quesnelli asseclas de utroque certamina, editis utrimque lucubrationibus innumeris manifestum est: Neque illus in Galliis & Belgio Theologus ignorat. Non minùs exploratum omnibus est, Bajanismum pariter & Jansenismum, quos velut hæreses meritò insectamur, à novis istiusmodi Augustini discipulis non nisi phantasmata reputari, & hæreses solum imaginarias. *Sic strena amatoribus veritatis oblata per Joannem Lucam* ficto nomine, & falsâ patriâ *Veronensem*. Pag. 51. *Hæresis Bajana optimè vocatur imaginaria*. Ibid. *Defensores propositionum Bajo & Jansenio attributarum, non nisi Augustinum & veritatem defendunt*.

Antonius Arnaldus in præfatione *Apologiæ pro Jansenio* ait *Propositiones Baij, quæ renovantur à Jansenio, continent doctrinam S. Augustini*.

Quid autem de ijsdem propositionibus nos docet Urbani VIII. Constitutio *in Eminen-*

nenti?" Cùm (inquit) ex diligenti & matura
„ ejusdem libri, cui titulus, *Augustinus*, le-
„ ctione postmodum compertum fuerit, in
„ eodem libro multas ex propositionibus à
„ Prædecessoribus nostris olim, ut præfertur,
„ damnatis contineri, & magno cum Catho-
„ licorum scandalo & authoritatis dictæ Se-
„ dis contemptu, contra præfatas damna-
„ tiones & prohibitiones defendi; Nos huic
„ malo in scandalum totius Reipublicæ Chri-
„ stianæ, & fidei Catholicæ perniciem ver-
„ tenti, opportunum remedium adhibere
„ volentes, Constitutiones Gregorii ac Pij
„ Prædecessorum prædictorum nostrorum,
„ necnon Decretorum hujusmodi, totos &
„ integros tenores, ac datas etiam veriores,
„ præsentibus pro totaliter expressis & inser-
„ tis habentes, motu proprio & ex certa
„ scientia nostra, ac de Apostolicæ potesta-
„ tis plenitudine, hac perpetuò valitura Con-
„ stitutione ejusdem Pij & Gregorij Præde-
„ cessorum Constitutiones prædictas, om-
„ niaque & singula in eis contenta, Apostolicâ
„ authoritate tenore præsentium perpetuò
„ confirmamus & approbamus: librum præ-
„ dictum, cui titulus est *Augustinus*, Arti-
„ culos, opiniones & sententias in dictis Con-
„ stitutionibus reprobatas, atque damnatas,
„ ut à nobis compertum est, continentem,
„ & renovantem, eâdem authoritate per præ-
„ sentes omnino prohibemus, ac pro veti-
„ tis & prohibitis haberi volumus & man-
„ damus„.

Quandoquidem Propositionum Baij resuscitatio malum sit in *scandalum Reipublicæ Christianæ*, & fidei *Catholicæ perniciem vertens*, ut rectissimè à Sede Apostolica monemur, atque ab aliis sæpius monstratum est, Arnaldinam meritò detestantur Doctores Catholici temeritatem, quâ nos credere novator jubet, *Propositiones Baij, quæ renovantur à Jansenio, continere doctrinam Sancti Augustini*: Neque toleranda Quesnelli impudentia est, mentientis divisionem eâ resuscitatione à Jansenio, ab Arnaldo, à Gerberone, à se ipso & singulorum sociis, atque discipulis excitatam, tribui debere Ecclesiæ Rectoribus, versarique circa quæstiones adiaphoras, quarum tum affirmatio, tum negatio sit innocua, nihil læsionis inferens *fidei*, aut *moribus*.

Sed & quidquid Jansenius docuit in quinque famosarum materiâ Propositionum, quas totius judicio Ecclesiæ constat esse hæreticas, prout à Sede Apostolica in sensu Jansenii declaratæ, damnatæque sæpius fuerunt; nihilominus perfrictâ fronte Quesnellus in *Notis adversus Steyaertii Epistolam* pag. 17. asserere audet: *Adeò non persuadetur sensum ab authore* (Jansenio) *intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit orbis Catholicus, nihil in ipso non esse Catholicum*.

Nihil ab Arnaldo, à Quesnello, & Gerberone tradi frequentiùs, quàm Jansenii hæresim merè phantasticam esse, & inane spectrum, terrendis pueris, aut ignorantibus tantummodò idoneum, non est necesse ex eorum lucubrationibus ampliùs ostendere, cùm refragantem ex ipsis habeam neminem. Asserunt scilicet omnes Jansenii asseclæ Arnaldus Quesnellus, Gerberonius, de Witte, eorumque discipuli, Jansenium à quinque hæreticis & damnatis ab Ecclesia Propositionibus fuisse alienum.

Verba tamen nos Jansenii clarissima Propositionibus illis prorsus consona allegavimus sæpius, & ante nos alii; sed obfirmata Novatoribus pertinacia est, & cæcitas nimiùm voluntaria: Conspicerent eas alioquin locis obviis, quemadmodùm conspexere eorum Majores & primi vindices Propositionum: inter quos Lalanius lib. de gratia victrice ejusque Approbatores magnifici Brousse, Bourgeois, Talendier, Feydeau, Herman, Olonergean.

Illic nempe pag. 10. 16. 18. 21. 22. dicitur:"
„ Quinque Propositiones Jansenii in sensu
„ Catholico possunt intelligi. Verissimæ
„ sunt, maximeque Catholicæ eo sensu, quo
„ illas adversùs Jesuitarum errores sustinuit
„ Iprensium Episcopus, & quo illas neque
„ Ecclesia, neque Sancta Sedes damnabit un-
„ quam. Ad eas in materia de efficaci gratia
„ propugnandas universus fidelium cœtus
„ religione obstringitur.

„ Illo sensu negari nequeunt, nisi ab
„ eo, qui Pelagianorum, aut Semipelagiano-
„ rum erroribus implicatur. Propositiones
„ eædem ab omni censuræ periculo absunt
„ longissimè. Fides Ecclesiæ, & doctrina de
„ vera Jesu Christi gratia iis potissimum con-
„ tinetur. Ad sanum illarum sensum stabi-
„ liendum elaborata sunt Opera complura;
„ præsertim omni superior comparatione &
„ encomio, celebris illa (Arnaldi) pro San-
„ ctis Patribus Apologia, quæ jam recens in
„ lucem editur.

„ Sensum denique tam Sanctum, quo
„ Iprensium Antistes, aliique Augustini di-
„ scipuli eas sustinuere hactenus, discernere
„ oportet ab hæretico, quem affirmavere
„ Jansenistarum apud Innocentium X. legati
„ *esse à Propositionibus alienum, extraneum,*
„ *quemque propriè seu legitimè sumptæ non*
„ *habent*; Qui denique eis non nisi *malignè*
„ *affingi potest*„.

Damnatis autem ab eodem Innocentio Propoſitionibus, & declarante diſertiùs Alexandro VII. damnationem afficere ſenſum à Janſenio intentum, prout idem in famoſo ipſius volumine exprimitur, atque defenditur, ac tandem edocente nos Innocentio XII. duobus ad Belgii Epiſcopos Brevibus,& prætereà Decreto ſenſum illum eſſe *proprium & obvium*, *quem Propoſitionum verba per ſe exhibent*, confracta penitùs Janſeniſtarum machina eſt, atque omnis cavillationibus illis interclufus aditus. Quas dein alias ſectæ illius perfidia commenta fuit, debito anathemate perſtrinxit,dejecit Clementis XI.Conſtitutio, quæ incipit. *Vineam Domini Sabaoth*.

Circa propoſitiones illas nullum ampliùs genuiuos inter Eccleſiæ filios diſſidium eſt. *Diviſio* enim cujus in Queſnelli Articulo, mentio fit, Janſeniſtarum ſolummodò eſt ab Eccleſia deficientium. Ab his ſolis diviſio ortum duxit: ab his ſolis perpetuò *fovetur*:quę cum ex hæreſi profluxerit, & publicâ producatur contumaciâ, Queſnello reſpondebimus, *diviſionem* inEccleſia non *foveri*,minùs etiam *foveri* à Sede Apoſtolica, eique obedientibus Epiſcopis.

Quid nobis autem cum obſtinatis palam hæreticis,contra Chriſti Vicarium rebellibus? Iſti ut ab Eccleſiæ capite, ita & à corpore ſeparati, qualemcumque *foveant diviſionem*, non eſt cur ea Eccleſiæ imputetur, neque cur pravam de illa *ingerat hoſtibus opinionem*.

Examinandum ſupereſt, num *diviſio* illa ſit *propter res quæ*, ut Queſnellus aſſerit, *nec fidem lædunt*, *nec mores*.

Janſeniſmus in quinque damnatis Propoſitionibus conſiſtens, præcipua tunc, cùm ſuas Queſnellus in Novum Teſtamentum ederet *Obſervationes*, materia *diviſionis* erat, de qua præſens conqueritur Articulus. Non eſſe autem Janſeniſmum phantaſmatibus annumerandum; ſed Propoſitiones, à quibus propria ejus deſumitur denominatio, eſſe reverà à Janſenio traditas & ab ejuſdem ſectatoribus defenſas, ex ipſorum cœpi oſtendere teſtimonio, demonſtrationem proſecuturus ex ipſo Janſenii volumine. Denique iſtud inter nos & Janſenianos diſſidium, eſſe de quæſtionibus fidei atque in mores quàm maximè influere ſimul patefaciam.

E quinque Propoſitionibus prima eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*. Damnavere eam Innocentius X. Alexander VII. Clemens XI. tanquam *temerariam*, *impiam*, *blaſphemam*, *anathemate damnatam*, & *hæreticam*.

Excerpta propoſitio eſt ex Janſenio lib. 3. de gratia Chriſti cap. 13. col. 334. dicente: *Hæc igitur omnia planiſſimè pleniſſimeque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, & obduratis; ſed fidelibus quoque & juſtis volentibus, conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam; quâ fiant poſſibilia*.

Ibid.Sic concludit:*Ex hac indubitatâ doctrina quædam non parvi momenti, ad hanc rem ſpectantia, inſeruntur & clareſcunt:Primum, eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum & vires; in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia...Secundum non adeſſe ſemper gratiam, quâ poſſimus, hoc eſt quâ illa eadem præcepta implere ſufficiamus: Tertium, hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæcatis, obduratis, & infidelibus... Sed etiam fidelibus & juſtis: Quartum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere; ſed etiam quando volunt*. Hactenus Janſenius.

Propoſitio inter quinque damnatas ſecunda eſt: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Hanc cenſura Pontificia declarat *hæreticam*. Traditur Propoſitio à Janſenio locis plurimis: è quibus unum alterumve exhibeo lib. 2. de gratia Chriſti cap. 24. editionis Lovanienſis col. 200. *Gratiam Dei Auguſtinus, ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam, non poſſe reſiſtere*. Capiti hic præfigitur titulus: *Tangitur natura adjutorii ſufficientis, & oſtenditur nullum dari poſt lapſum, quin ſimul efficax ſit*.

In priore textu de gratia indefinitè aſſeritur, ei juxta Auguſtinum reſiſti non poſſe, quod & condemnati Articuli malitiam continet, & ſuperaddit alteram graviorem, negatam videlicet reſiſtendi gratiæ poteſtatem.

Neque refert quod Janſenius utatur nomine Auguſtini; nemo enim in Janſenio verſatus ignorat, eum ſuas ſolitum ſententias, Doctoris Sancti nomine venditare: Unde & ſuo Operi appellationem tribuit *Auguſtini*. Apertiſſimè omnem à ſe traditam Hypponenſis Antiſtitis authoritate doctrinam, non ſolummodò ſuam eſſe jactat; ſed etiam ab omnibus fide neceſſariò tenendam.

Sic loquitur in præfatione tomi tertii: *Nihil publico utilius fieri poſſe puto, quàm ſi genuina profundiſſimi Doctoris mens, hoc eſt Eccleſię Catholicę ſententia, quam ille explicuit, & contra hæreſes propugnavit de gratia & prędeſtinatione, proferatur*. Ibidem paulò ſupe-

superiùs : *In illa materia versamur, ubi post tot Apostolicę Sedis, Conciliorumque pronuntiata ex Augustini libris verbo sensuque tenus hausta, meritò adversùs hujusmodi adversarios retorquere possumus : Si quis vobis annuntiaverit, prçter id quod ex Augustino accepistis, anathema sit.*

Idem distinctè Jansenius pro secunda sua Propositione hæretica affirmat lib. 2. de gratia Christi cap. 25. *Hęc itaque est vera ratio & radix, cur nulla omnino medicinalis Christi gratia effectu suo careat ; sed omnis efficiat ut voluntas velit & aliquid operetur : Quod quantumvis gratię istius congruę authoribus permirum videatur ; veritas tamen est in Scripturis Sanctis & Augustini scriptis explorata.*

Tertia inter quinque famosas Propositio est: *Ad merendum & demerendum in statu naturę lapsę non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Huic Propositioni à Sede Apostolica universo assentiente fidelium cœtu, censura inuritur hæreseos. Stabiliendo eidem dogmati totum suum Jansenius composuit *Augustinum*. Totum scilicet novi Systematis fundamentum est sæpissimè ab authore decantata, sed intellecta perperam Augustini sententia : *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

Quod nempè Augustinus asserit, de delectatione libera, quæ actus voluntatis est, propositum delectationis objectum deliberatè approbans & amplectens, Jansenius explicat de indeliberata delectatione, quæ vel cælestis est, consistens in præveniente gratia ; vel est terrena concupiscentia ad consensum malum pelliciens voluntatem, ut gratia ad bonum.

Statuit autem Jansenius naturæ lapsæ inter duas hasce oppositas invicem illecebras, luctam perpetuam, quarum fortior in consensum necessariò pertrahat voluntatem; quia *quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

Hallucinatio, ut notare cœperam, Jansenii est in eo, quod ubi Augustinus cum omnibus Theologis & Philosophis asserit subjectas voluntatis imperio facultates, sequi necessariò, & exequi, quod voluntas dominans jusserit, Jansenius errore crasso accipiat, quasi indeliberata delectatio ardentior opposità etiam indeliberatà, voluntatem necessariò determinet ad consentiendum.

Dominium itaque quod Augustinus, ipso dictante naturæ lumine, concedit voluntati in facultates animæ inferiores, & posteriores in operando, Jansenius repugnante ratione omni & lumine naturæ, tribuit concupiscentiæ indeliberatæ, in ipsam hominis voluntatem, quæ juxta erroneum Jansenii axioma, in nullis foret actibus libera.

Quod enim alicubi ait, hominem quoties concupiscentiæ indeliberatæ delectatio ardentior est, quàm gratiæ, peccare quidem necessariò ; sed inter ipsa peccatorum genera, electionem manere liberam, cavillatio maximè frivola est, quæ ab ipso perspicuè destruitur asserente. Vult nempe tentationem impudicitiæ superari posse consensu avaritiæ, vel superbiæ : & contra. Verùm si, ut contendit Jansenius, ardentior illecebra semper necessariò ad se pertrahat voluntatem, quomodo inclinare se homo poterit in objectum superbiæ, vel avaritiæ, atque avertere à luxuria, quando ad posteriorem fuerit tentatio vehementior? *Quod ampliùs nos delectat* juxta Jansenium indeliberatè, *secundùm id operemur necesse est* : existente proinde delectatione indeliberata luxuriæ ardentiore, quàm avaritiæ, vel superbiæ, secundùm priorem *operemur necesse est.*

Conclusio inevitabilis, & Janseniani erroris convictio nimis est manifesta, quam mirum est novæ Sectæ Principem, super omnes se Scholasticos tam claro passim supercilio erigentem, non perspexisse. Sed quem novitatis ambitio in avia propulerit quibus non errorum præcipitiis exponat etiam nolentem! Attendat quoque lector, Jansenium ubique de actibus agere meriti capacibus vel demeriti : neque ullam in hoc statu agnoscere actionem mediam, sive indifferentem.

Proinde quoties de libertate hominis disserit, semper intelligit de libertate ad meritum aut demeritum requisita, atque sufficiente : in quo nullus noscitur Jansenii discipulus refragari. Unde compertissimum est, Propositionem tertiam damnatam à Pontificibus, contineri sensu hæretico locis Jansenii sequentibus : lib. 6. de gratia Christi cap. 6. *Nescio quid manifestius urgentiusque proferri posset ad demonstrandam volitionis cujusque libertatem, etiam illius, quam nos habere necesse est?*

Lib. 8. de gratia Christi cap. 19. *Nulla gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed solà coactio, & necessitas violentiæ.*

Cap. 20. Postquam dixit *inductam esse peccandi necessitatem*, addit : *In nobis non solùm ipsa potentia voluntatis, quæ de se ad malum flexibilis est ; sed & pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas perfectissima.*

Gemini quidem textus sunt, qui aliquos Jansenianæ fallaciæ minùs conscios, in fraudem inducere ut eum crederent, veram agno-

visse indifferentiæ in lapso homine libertatem. Unus est lib.6. de gratia Christi cap.34. *Hominum igitur viatorum non solùm coactionis expertem esse libertatem; sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est ad utrumque indifferentem esse*. Alter cap. 36. *Cæteras humanæ vitæ actiones* (deliberatas omnes viatorum) *quamvis juxta jam tradita Augustini principia, sine indifferentia nihil vetaret esse liberas, reipsà tamen non solùm sine violentia; sed cum quadam indifferentia contradictionis, imo contrarietatis .... fieri credimus*.

Ne decipiatur lector Catholicus, ut credat, Jansenium his verbis sensum hæreticum à suo Systemate amoliri, monendus est ut attentionem convertat, in priore sententia, ad illud *necessitatis immutabilis voluntariæ*, quo explicat Jansenius, quid nomine *indifferentiæ ad utrumque tum contradictionis, tum contrarietatis intelligat*; videlicet *mutabilitatem*, ut neque objecto bono, neque malo, ita affixa maneat voluntas hominis, quin valeat, transeuntibus circumstantiis, desinere amor, eique odium succedere, sive quolibet voluntatis exercitio derelicto prosilire animus ad oppositum, prout contigerit gratiam, vel concupiscentiam esse ferventiorem. In hoc voluntas viatorum discernitur à voluntate Beatorum, Damnatorumque, quòd Beatorum sic afficiatur bono, damnatorum autem malo, ut neutra flecti unquam valeat in contrarium.

Quarta Jansenii propositio est: Semipelagiani *admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*. Quam Propositionem Pontifices declaravere *falsam & hæreticam*.

Tradidit eam Jansenius lib. 8. de hæresi Pelagiana cap. 6. dicens: *In hoc ergo propriè Massiliensium error situs est, quod aliquod primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo credere posset si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in unius cujusque arbitrio & potestate*.

Quinta Jansenii Propositio est. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Censura Apostolica *falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem & hæreticam declarat, & uti talem damnat*.

Tradita à Jansenio Propositio fuit disertissimè lib. 3. de gratia Christi cap. 21. *Nec enim juxta doctrinam antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus, aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide catholica abhorrentem, doceant esse respuendum*. In Parallelo cap. 3. docet esse errorem *Massiliensium*: quo nomine Semipelagianos intelligi omnibus indubitatum est.

Pro fide quidem & justitiâ temporaneâ quorumdam non prædestinatorum, mortuum esse Christum, agnoscit cum suis Jansenius; non autem pro ullius reprobi salute. Ita citato lib. 3. de gratia Christi cap. 21. ait. *Quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos esse prædestinatos, electos & salvandos dicimus...... pro istis in æternum vivificandis mortuus est: pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum; non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur*.

Ibid. *Quæ sanè cùm in Augustini doctrinâ, perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute, mortuus esse, Patrem orasse sentiatur*. Tum addit: *Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum* (non perseverantium in justitia) *quàm pro Diaboli deprecatus fuerit*.

Ubi patet Propositionis quintæ à Pontificibus damnatæ sensum, non solummodò *falsum, temerarium, scandalosum* à Jansenio traditum fuisse; sed etiam, *impium, blasphemum, contumeliosum, divinæ pietati derogantem & hæreticum*. Patet insuper, sensum illum in verbis Jansenii exprimi duriùs, & majore emphasi, quàm verbis, quibus in Constitutione Pontificiâ refertur, atque proscribitur.

Simile advertimus in Propositionibus cæteris, potissimùm primâ, secundâ, tertiâ. Prima scilicet simpliciter tantùm asserit, *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant*: Quæ assertio etsi pro merita censuras omnes, quibus à Sede Apostolica afficitur; in se tamen simplex est, & accipi posset ut scholasticè enuntiata, velut nova authoris opinio: at in Jansenio, ut supra vidimus, traditur velut *planissimè plenissimeque demonstrata S. Augustini doctrina*, quâ *nihil in ipso certius sit ac fundatius*.

Quid

Quid autem Janfenius atribuendo tanta firmitate Propofitionem aliquam S. Auguftino, intelligat, & judicari à lectoribus velir, fuperiùs ex ipfius Janfenii declaratione perfpeximus; nempe effe *doctrinam Ecclefiæ*, & fide neceffariò tenendam; quia, inquit, tractando de gratia & prædeftinatione, *in illa verfamur materia, ubi poft tot Apoftolicæ Sedis, Conciliorumque pronuntiata, ex Auguftini libris verbo fenfuque tenus haufta, meritò adverfùs hujufmodi retorquere poffumus; fi quis vobis, annuntiaverit, præter id, quod ex Auguftino accepiftis, anathema fit*.

Secunda quoque damnata Janfenii Propofitio, benigniùs excerpta eft, quàm in ejus volumine reperiatur. Refert enim eam Conftitutio tanquàm affirmantem quòd *interiori gratiæ in ftatu naturæ lapfæ nunquam refiftatur*; Janfenius verò ampliùs afferit, *refifti non poffe*.

Juxta Propofitionem tertiam, Sedi Apoftolicæ à Catholicis Doctoribus & Epifcopis denuntiatam, & ab ea confixam, *ad merendum & demerendum in ftatu naturæ lapfæ non requiritur libertas à neceffitate; fed fufficit libertas à coactione*: ubi accepta in rigore Propofitio declarat quidem neceffitatem fimplicem in hoc ftatu poffe cum merito ac demerito confiftere; fed à talis neceffitatis in actibus noftris meritoriis ac demeritoriis exiftentiâ abfolutè præfcindit.

Longè autem deterior Janfenii fenfus eft, omnibus naturæ lapfæ actionibus neceffitatem affingens, juxta intellectam præpofterè Auguftini Sententiam: *quod ampliùs nos delectat, fecundùm id operemur neceffe eft*. Quafi omnis nunc humana actio neceffariò pendeat ex delectatione majore indeliberatâ feu gratiæ, feu concupifcentiæ: quarum alterutra femper ardentior voluntatem neceffariò pertrahat in confenfum. In nullis bonis actibus, qui juxta Janfenium, alicui nequeunt fine gratia, reperiri poterit exempta a fimplici neceffitate libertas; fiquidem homo *operanti Deo per gratiam refiftere non poteft*; quod affeructem Janfenium vidimus ad Propofitionem Secundam.

Nullum fieri peccatum à nobis liberè, docet Janfenius lib. 3. de gratia Chrifti cap. 26. ubi allatâ Auguftini definitione ex libro de duabus animabus cap. 11. *Peccatum eft motus voluntatis* (fcilicet inordinatus) *unde liberum eft abftinere*, ftatim fubjungit: *Quam definitionem* (Auguftinus) *fæpe proteftatur, nulli peccato, nifi folius primi hominis convenire*.

Ex allegatis perfpectiffimum eft, Quefnellum & ejus focios ante Conftitutionem *Unigenitus*, turpiter fallere folitos fuiffe, quando fimplicibus perfuafere *Divifionem* inter fe & Pontificios, nullo modo fidem attingere; fed omnem de factis quibufdam non revelatis, & momenti leviffimi effe difcordiam, circa quæ quidquid fenferis, nihil difcrimiinis fides patitur, nihil religio. Turpiter, inquam, fefellere & mendacio perniciofiffimo; cùm enim in Janfenii doctrinâ minimè peregrini fint, ignorare nequeunt quæ indè protuli, & toto ejus volumine difperfa confpicimus, manifeftè hæretica; qualia in fenfu authoris à Pontificibus veriffimè declarata, atque juftiffimè condemnata funt.

Quorfum autem ea, & plura fimilia, quæ à tribus anterioribus Summis Chrifti Vicariis Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. hærefios & aliis refpectivè profligata cenfuris; nihilominùs Janfeniani quotidiè & pertinacifsimè defendunt, perfuadere Quefnellus nititur, effe innoxia, à quibus neque fidei, neque moribus læfio metuenda fit? Et quidem pro honore Ecclefiæ non vulgarem præ fe fert hypocrita folicitudinem, non fine dolore & gemitu, ut apparet, afferens, *Nihil pejorem de Ecclefia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri fupra fidem fidelium, & foveri divifiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores*.

Supponit Quefnellus, fe fuofque in Ecclefia effe; imò membra ejus cæteris puriora; proinde fua pro Janfenifmo & Bajanifmo certamina, effe in ipfis Ecclefiæ vifceribus. Unde luget Theologorum, fibi, ad *Divifionem* ufque, adverfantium ftudia, fcriptiones, clamores non reprimi ab Epifcopis & Superioribus Ecclefiæ Moderatoribus, fed *foveri* potiùs, & novis femper diplomatibus flammas diffidiorum ampliùs accendi.

Deteftabilis perfidia hujus Novatoris, & digna novæ Ecclefiæ Apoftolo impudentia, in præfatione Opufculi, velut *Auguftinianorum Theologorum doctrinam* ab erroribus remotifsimam exhibens, fic Alexandrum VIII. alloquitur: *Difcipuli S. Auguftini, quos invidiosè Janfeniftas vocant, ad compefcendos, quantum in ipfis eft, calumniofos rumores, & obftruendum os loquentium iniqua, palàm & publicè profitentur, proclamant, atque conteftantur, quofcunque in famofis quinque Propofitionibus errores, Conftitutionibus fuis damnarunt Innocentius X. & Alexander VII. Summi Pontifices, eos fe ex animo & femper damnaffe, quocumque tandem in libro, à quocumque afferti reperiantur*. In ipfo Opufculo pag. 30. *Sua ftat quoad nos fidei Catholicæ puritas, quam novus error nullus corrumpit; fua unitati catholicæ integritas, quam nulla Secta*

cta discindit; Sua Apostolica Sedi reverentia, cujus Constitutiones nemo labefactat, nemo temerat, nisi qui fingit nonnullos, imò plurimos esse in ipso Ecclesiæ sinu, qui illis obluctentur, quique errores ab illa primaria Petri Sede damnatos pro damnatis non habeant; cùm è contrario omnes ad unum Catholici, ac præ omnibus Theologi Augustiniani, illorum damnationem promptissimâ, & concordissimâ obedientiâ amplexi fuerint. Verborum numerus vix superat multitudinem mendaciorum.

Non lubet tædio me afficere & lectorem, repetendo Constitutiones singulas, quæ contra Bajum, Jansenium & utriusque discipulos prodiere ab annis centum quinquaginta & ampliùs, ut Quesnellistarum contra singulas rebellionem obstinatissimam demonstrem: exempla toto meo Opere, prout subinde circumstantiæ exigunt ad convincendam adversantium sive hypocrisim, sive perfidiam, occurrunt plurima. Sufficiat hîc eos generaliter provocare, ut vel unum proferant suæ erga Sedem Apostolicam obedientiæ specimen, unum inquam, dum contra suas edi opiniones quamcumque contigit definitionem.

Nota nimiùm ipsius Quesnelli protestatio est in Epistola sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 4. *Quando Romana Decreta aut injusta sunt, aut per factiones extorta, aut per passionem lata, aut nata sunt in Ecclesia turbas potiùs, quàm boni aliquid afferre, tunc nostro utimur jure, & aperte declaramus, nos nullam eorum habere rationem.*

Quandonam autem decerni Romæ quidpiam poterit, novis istis Theologis adversum, quod non aliquo penes eos ex memoratis vitiis censebitur laborare? Imò eâdem declaratur paginâ: *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant, nisi errores, & quando in forma legitima eos damnant, tunc laudamus & approbamus sententiam, quamvis tribunal agnoscere non possumus.*

Quod igitur tribunal nova Secta sibi legitimum statuit? Non aliud, quàm divinum; ad quod appellantem pro *casûs conscientiæ* Approbatoribus, Quesnellum legimus in processu contra eum juridico seu *Causâ Quesnellianâ* Art. 18.

Omnis alia ad generale Concilium provocatio inanis & plena fallaciæ est; quia nempe exploratissimum est convenire nullum posse turbatissimis temporibus, qualia seculo pene integro fuêre, bello gravi: neque meliorum spes admodum propinqua, & novi belli metu vacua est. Interà novitas quælibet sine fræno permittenda, omnique subductus judicio hæreticus, securus plaudere poterit, atque insultare Ecclesiæ.

Quin & suis Quesnelliani prospexere posteris. Quandocunque scilicet convenire istiusmodi Synodum contingeret, tot ei conditiones præfixit Ægidius de Witte in *Augustino Iprensi Vindicato*, & recentior Jansenianæ *Testis veritatis*, ut nulla Synodus Œcumenica futura sit, contra cujus judicium excipere nova Secta non valeat, confictâ potissimùm *voce populi*, Conciliis omnibus Superiore. De hac aliàs forsan plura.

Interim sufficiat demonstrasse mendacissimam Quesnelliani Articuli suppositionem, quasi à Catholicis Theologis excitetur, & ab Ecclesiæ Præpositis *foveatur divisio propter res* innoxias, & *neque fidei* officientes *neque moribus*. Prioris, & præcipuæ partis ad fidem attinentis falsitas, abundè superiùs convicta est: undè facilis sequitur destructio posterioris; quia fides moribus fundamentum est, ut meritò adversariis intorqueamus dictum vetus, exprobrari solitum hæreticis, *Vos estis morum ruina, qui ipsius fidei, supra quam mores ædificandi sunt, nitimini fundamenta subvertere.*

Et quidèm ne à citatis Jansenii Propositionibus divertamur, nonne subversioni morum sufficit, illud, quod ex Augustino perperàm Jansenius adducit: *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Adhibetur scilicet à Jansenio, ut ostendat nos in omnibus semper actibus deliberatis sequi necessariò majorem voluntatis illecebram, sive cœlestis ea sit gratiæ, sive terrena concupiscentiæ, quarum utravis fortior, sive ardentior est, etsi indeliberata, consensum necessariò à voluntate impetret deliberatum. Quo dogmate posito quanta sequatur in moribus pernicies, non multis opus est argutiis ut convincatur.

Si enim, ut statuit Jansenius, lucta perpetua sit inter duas istas oppositas cœlestis & terrenæ illecebræ potestates, neque alterutrius victoria aut clades à libero etiam hominis arbitrio pendeat; sed à majore gratiæ, vel concupiscentiæ delectatione indeliberatâ, evidens est laxari fræna criminibus, neque conatum adhibendum esse, utpotè frustraneum reprimendis, si gratiæ suavitas gradu aliquo superet objectæ delicias turpitudinis aut contrà. Denique si contigerit parem utrimque esse dulcedinem & delectationem, inter utramque suspensus necessariò hærebit animus, neque partium alterutri consentire poterit aut dissentire.

Tali

Tali ſuppoſitâ in humanis actibus neceſſitate, ut rectè monuit Doctor Angelicus in quæſtionibus diſputatis de malo quæſt. 6. de Electione, inducitur opinio hæretica; *tollit enim rationem meriti & demeriti... Tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, laus & vituperium*.

Fatuus nempe legiſlator cenſebitur præcipiens, quod noverit ſubdito non liberum fore ut adimpleat. Idem cenſebitur de hortatore ad impoſſibilia. Inferre etiam alicui ſupplicium propter id, quod vitare non potuit, ſolius barbari aut tyranni eſt. Gratuita poteſt largiri Princeps optimus munera ſervis, etiam nihil agentibus; ſed ea meritorum retributionibus nemo ſapiens annumerabit.

Inſignibus itaque, & pernicioſiſſimis Queſnelliana Propoſitio mendaciis turget, quâ perſuadere omnibus homo ſubdolus conatur, diſſidium inter nos, & ſe ſuoſque leviſſimi momenti eſſe, ad fidei aut morum dogmata, & praxim minimè pertinens: proinde à quacumque parte veritas ſteterit, aut falſitas, nihil inde jacturæ, nihil periculi Eccleſiam ſubire, niſi quantùm ea ſcinditur altercationibus, & pax publica turbatur: Quod non ſibi, ſed adverſariis ſuis iniquiſſimè ſtatuit imputandum. Quæ contra Pontifices, Epiſcopos & Doctores omnes Catholicos calumnia, penes hæreticos quidem facilè, penes Orthodoxorum autem neminem fidem reperiet. Convincenda tamen mihi ampliùs eadem perfidia eſt.

CAPUT IV.

Propoſitionis iniquitas ex quinque primis Queſnelli enuntiationibus ampliùs demonſtratur.

1 Quæ in Janſenii libro horruêre pridèm Catholici dogmata, diſcipuli ejus, mutatis centies phraſibus & figuris, inſeruêre tot ſuis lucubrationibus, ut unus eorum typis edito gallicè Opuſculo *ad amicum Lovanienſem*, eum monuerit, *fruſtranea eſſe Pontificiorum ſtudia ad ſepeliendum tenebris volumen, cujus doctrina tot eſſet ubique vindiciis & omnis generis ſcriptionibus divulgata*. Et quidem Queſnellus experiri nos voluit, quantum ſua valeret induſtria in Janſenii dogmatibus inſerendis Operi, in quo minimè expectarentur, quale eſt quod ipſo titulo vocat. *Compendium Moralis Evangelicæ*. Docet itaque ipſa Queſnelliani Operis inſcriptio, traditam ibi inſtitutionem non merè theoricam eſſe; ſed ad mores maximè pertinentem. Diſcutiamus articulos aliquot.

Juxta primum, *quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Fruſtra igtur peccatorem quemlibet hortaberis, ut concupiſcentiæ motibus reſiſtat, ne pergat indulgere ſenſibus quidquid gratum occurrerit, & ad malum alliciens ſequi; ſed ad pœnitentiam connitatur operibus bonis. Fruſtra, inquam, hæc occines peccatori, qui Queſnelliano aures præbuerit documento. Hinc enim in promptu erit excuſatio: *Dei gratiam* ſemel peccando *amiſi*; proinde nihil impoſterum *remanet animæ* meæ, *niſi peccatum & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*. Non eſt itaque cur mihi Dei aut Eccleſiæ mandata prædices, quæ *labore* aliquo, vel conamine opus habeant, ut ſerventur.

Inſtat hortator Catholicus illo Petri Apſtoli ex Epiſtola 2. cap. 3. v. 9. quo Deus dicitur *nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti*: & Apocalypſeos cap. 3. v. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Prior ſantentia manifeſtè dirigitur ad eos, qui Deum atque ipſius gratiam peccando amiſerant, qui à Deo per peccatum receſſerunt, ideoque debeant per *pœnitentiam reverti*. Idem apparet evidens de ſententia poſteriore, quia ad januam juſtorum ſtare minùs propriè dicitur; ſed intimè illis præſens eſt, quos per ſanctificantem gratiam inhabitat. Non igitur animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam peccando amiſit, oboritur ſtatim *generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*; quando quidem pœnitentiam agere volet, atque ita gratiam Dei, quam delinquendo perdiderat, pœnitendo recuperare. Oſtium quoque quod Deo expulſo occluſerat, aperire iterùm poteſt reſipiſcendo, auditâ ſcilicet voce miſerentis Dei, & oſtium pulſantis ut aperiatur, atque ingredi ſibi iterum liceat. Quemadmodum apud homines modo loquendi uſitatiſſimo dicitur gratiâ Principis excidere, quiſquis eum graviter offendit, ita delicto quolibet mortifero Divinæ amicitiæ gratia amittitur; ſed non propterea Deus omne ſubtrahit auxilium tum naturalis ordinis, tum illum excedens, & gratuitum; quod actualis gratia appellatur. Hæc indubiè ad omne opus ſalutiferum neceſſaria eſt & hominibus, etiam peccatoribus, quamdiu in via ſunt, juxta Auguſti-

gustini & Angelici sententiam non penitus denegatur. Offertur saltem, etiam quibus propter liberam obicis positionem non conceditur.

Isaias Dei nomine universis annuntiat peccatoribus Cap. 1. *lavamini: mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ... Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur*: Ecclesiastici cap. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat? .... Quare moriemini Domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini & vivite*. Cap. 33. *Sic locuti estis dicentes, iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt ... Dic ad eos; vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini, convertimini: impietas impii non nocebit ei*. Denique Christus ipse Matthæi cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis* pondere peccatorum; *& ego reficiam vos*. Quæ omnia valde incongruè dicerentur, neque possent à fallaciæ vitio liberari; si omnis à divina exulans amicitiâ ad eam redire non posset, neque delicta pænitudine expiare, aut agere boni quidpiam, quo se ad reconciliationem disponeret. Supposito Quesnelli Articulo, ne minimus quidem adhiberi posset à peccatoribus conatus ad evitandas criminum occasiones, aut tentationibus resistendum. Quid autem pronius, quàm ut tali institutus dogmate peccator, omnem inposterùm abjiciat conversionis curam, omne studium salutis, & operum bonorum, nullis mundi & carnis illecebris denegare cupiat consensum?

An tali non permittere cursum liberum opinioni, censeri penes Quesnellum debuit, *dominatum exercere* intolerabilem *supra fidem fidelium, aut fovere divisionem propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores*? Si *nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerat ejus inimicis*, quàm talia illic prohiberi dogmata, scandalum nos ab ipsis perperam acceptum, & ab Ecclesiæ Præpositis minimè datum esse ostendimus: credemus etiam Sanctis Patribus quod si de veritate scandalum nascitur, illud potiùs permittendum sit quàm veritas deserenda.

Secundus Quesnelli Articulus est: *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest*. Hæc opinio ab ortu Janseniani voluminis semper in nova Ecclesia obstinatissimè defensa est, veluti totius Janseniani Systematis fundamentum, quo subruto necesse foret universum corruere ædificium, tot fabricatum studiis ac laboribus, tot artibus ac fallaciis stabilitum. De ea proinde sententia intelligere Quesnellus non potuit, quasi ad fidem minimè pertineret aut mores.

Sed, inquit, *Divisio*, quæ ejus oritur occasione, non est justa, cùm mea & meorum assertio sit Augustinianæ fidei de gratia, & Christianæ Ethicæ veluti radix, adeoque neque fidem lædere valeat, neque mores, ut in nostra hypotesi manifestum est. Ita quidem Quesnellus; sed contra ejus hypothesim, Romanæ judicio Ecclesiæ, à fidei & morum regulis longissimè aberrantem invehitur meritò Catholicorum ubique exercitus Theologorum, atque Antistitum. Quid enim hoc novitatis axiomate non introducitur erroris, omnem excusans in bonis operibus, eorumque neglectu segnitiem? Quidquid scilicet omissum est, defectui seu denegationi efficacis gratiæ tribuitur, & quidem nihil ampliùs fieri potuit quàm gratiæ supernaturalis auxilio effectum est; nam *sine Christi gratia efficaci non solum nihil boni fit; sed nec fieri potest*.

Quidquid igitur boni operis factum non est, fieri non potuit. Nullius proinde omissio imputabitur unquàm homini; sed Deo, qui auxilium necessarium denegavit. Unde si quæ uspiam est omissione boni operis culpa, in solum Deum tota convertitur; cùm homo nihil boni sibi possibilis prætermiserit. Quâ verò justitiâ suppliciis deputabitur æternis, qui opera misericordiæ prætermiserit destitutus gratiâ efficaci; si verus est Quesnelli Articulus, *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest*? Quisquamne judex adeò barbarus est, qui ad cruciatus hominem condemnet atrocissimos propterea, quòd non fecerit, quod in sua positum non fuerit potestate, quale foret, quòd unius horæ aut diei spatio ex Italia quispiam non volaverit in Belgium, aut senex pedibus currendo, non superaverit equitem? Rectè Ennodius Ticinensis Episcopus lib. 2. Epist. 19. *Inter homines à recti discordat affectu, qui à subjectis exigit, quæ in potestate non tribuit: Hoc de Deo qua conscientiâ sentiatur, attendite*. Ipse Augustinus lib. de natura & gratia cap.69. *Eo ipso firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus*. Admittitur denique ab omnibus hæc Bonifacii VIII. de Regulis juris in 6.reg.6. *Nemo potest ad impossibile obligari*. Quapropter ubicunque impossibilis esset observatio mandati, perspicuum est necessariam fore obedientiæ omissionem, quam proinde

inde evidens fit, imputari ad culpam, demeritum, vituperium, atque supplicium non posse. Ita non solius fidei; sed & naturæ docemur lumine, adstipulantibus quotquot ubique terrarum sunt, Doctoribus, novitatis libidine non infatuati: Clarissimè ut suprà retuli, S. Thomas de Malo quæst. 6. de Electione: *si non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.*

Si hæc omnia tollens opinio, nullum fidei detrimentum adferat, nullum moribus, undenam illis tandem læsionis periculum inminebit, aut quæ alia censebitur justa Catholicis se à novatoribus *dividendi* ratio? Qualem notavimus in duobus Quesnelli Articulis nequitiam, pluribus sequentibus perspicimus confirmatam.

Tertius sic enuntiat: *Invanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.* Quartus: *Ita Domine. Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

Quintus: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.* Qui quidem tres articuli propinant virus pestiferum: priores duo occultius; sed vel ideò studiosiùs à nobis fugiendi sunt, & eò magis execrabiles, quò ad circumveniendos perdendosque simplicium animos magis subdolè compositi.

Horum primus, qui tertius in Constitutione est, Deo exprobrat in præcipiendo vanitatem, quoties efficacis gratiæ non præstat auxilium, quo impleri ab homine curet, quod imponitur. Sequens indicat ea sola esse mandata homini possibilia, quæ in illo Deus ipse in victo gratiæ præsidio operatur. Alius denique omnia, quæ excogitari ab animorum medicis solent, & ab universa suaderi atque adhiberi Ecclesia, ut disponantur ad pœnitentiam peccatores, non solùm ut inutilia arguit, sed etiam ut noxia, & nata inducere *obdurationem*, quoties non *emollitur*, sive reipsâ non sanatur cælesti animus unctione.

Destruitur errore illo tricipiti saluberrimum Spiritus Sancti monitum *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Solvimur enim omni curâ & solicitudine in exercitio bonorum operum, quando nihil circa ea possumus, nisi quod omnipotens Dei reipsâ perficit inclinatio. Denique nihil doceri potuit perniciosius, atque ad corruptionem non fidei solùm; sed morum etiam accommodatum magis callidè, quàm Articulus idem in Constitutione quintus, peccatores ante conver-

sionem non solùm retrahens, sed etiam absterrens à lectionibus piis, à Sacris concionibus, & quibuscunque ad pœnitentiam incitamentis, monente Quesnello ea omnia conversionem tempore præcedentia, *non inservire, nisi ad cor magis obdurandum.*

Quemadmodum scilicet cæcitatem mentis optare, sibique ultro accersere nemini licitum est, ita neque obdurationem: Propterea peccator in ea Quesnelli sententiâ omnes exteriores gratias, exhortationes, lectiones & quævis alia ad conversionem adminicula, fugere debet tanquam animum ampliùs obcæcantia, si conversionem, sive *emollitionem cordis* à divina interiore gratia, juxta adversarios unicè pendentem præveniant.

Nihilne ab hujusmodi novitatis in Ecclesia hactenus inauditæ præceptionibus horridis, turbæ credulæ metuendum, ne quoties in peccatum aliquod inciderit, omnia ad conversionem monita aversetur, atque ita pronior semper in plura devolvatur crimina, semper magis sibi difficilem reddens, & majori similem prodigio conversionem?

Nullum quidem periculum sive lædendæ fidei, sive disciplinæ metuendum Quesnellus prospicit, & nihil erroris, aut imprudentiæ in 101. Propositionibus à Clemente XI. condemnatis: sed neque Lutherus, neque Calvinus, neque hæresiarcharum alius, pravi quidpiam in suo ab Ecclesia damnatissimo Systemate agnovit; vel agnitum detestabili magis dissimulavit perfidiâ.

CAPUT V.

Quesnellianæ doctrinæ perversitas noxia fidei, & moribus exitialis ostenditur ex reliquis ejus Propositionibus.

1 SExtus Quesnelli Articulus: *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: In isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purificando.*

Art. Septimus: *Quæ utilitas pro homine in veteri Fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis!*

Quæ Deo hìc imponitur à Quesnello durities contra populum Judaicum, adversatur misericordiæ Dei & bonitati in divinis oraculis per Prophetas Sanctissimos prædicatæ toties, & tam emphaticè ingratis peccato-

ribus exprobratæ. Ubinam autem, si istis Quesnelli Articulis creditur, Dei beneficentiam & affectum adeò paternum reperies erga populum præ omnibus electum, atque dilectum gentibus, ut Deus meritò conqueratur adversus eum Isajæ cap. 65. & iterùm per Apostolum in Epistola ad Romanos cap. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem.*

Proverbiorum cap. 1. *Sapientia foris prædicat... Convertimini: en proferam vobis spiritum meum... quia vocavi, & renuistis: Extendi manum meam, non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Eane populi sunt à Deo semper deserti indicia? Expandere manus tota die, animum Dei indubiè significat maximè benevolum, protectionem & opem omnem necessariam, non semel aut leviter; sed constanter & perpetuò offerentis. Alienissimus itaque Deus fuit ab imputata sibi à novis Doctoribus crudelitate, quasi dilectum populum gravasset legibus, quas nosset ejus viribus longè superiores, & nullo penitùs oblato subsidio jussisset à miseris, invalidis, omni destitutis auxilio, sub pœna gravissima observari.

Deuteronomii cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; sed juxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, ut diligas Dominum Deum tuum... Elige ergo vitam ut & tu vivas.* Potestne Deum homo diligere ita ut Charitatis impleat præceptum *derelictus infirmitati propriæ, & impotentiæ* naturali? Solus asserit Pelagius: Deus verò hominem decipere turpiter voluerit; Si tantam præ se ferens erga homines benevolentiam, & præstandæ ab eis obedientiæ desiderium, derelinquere eos pariter decrevisset absque omni adjutorio, quod novisset adeò ad postulatam actionem sufficientemque ejus potentiam necessarium.

Malesana diceretur Dei sapientia; si electionem suaderet exercitii salutaris, quod absque negato à se auxilio naturæ ordinem transcendente, perspiceret impossibile non minùs, quàm Oceani totius absque navigio transitum. Sapientiæ cap. 12. *O! quàm bonus, & suavis est Domine, spiritus tuus in omnibus; ideoque eos, qui exerrant partibus corripis... ut relictâ malitiâ credant in te Domine.* Ecclesiastici cap. 15. *Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa sapientia Dei & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione* cap. 18. *Quid est homo, & quæ est gratia illius?... Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam... Misericordia autem Dei super omnem carnem.*

Ibid. cap. 15. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.... Comparate vobis sine argento, & collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam; in proximo est enim invenire eam.* Denique Isaiæ cap. 5. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?*

Hæc omnia dicuntur hominibus in antiquo Fœdere constitutis, quibus facilem Quesnellus contra Deum suggerit responsionem, & quidem ut ab ultimo Dei improperio ducam exordium, quomodo (inquit vinea) à me miserâ, derelictâ, aridâ & incultâ potuit uvarum copiam tua, Domine, sapientia expectare? *Quid est*, (rogas) *quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci?* liceat mihi, salvâ reverentiâ respondere, vicissim quærendo; Quid mihi, quod noveras necessarium ut *uvas facerem*, præstitisti? Aridam sine aqua, sine cultura, sine custodia permisisti silvescere, obrui sentibus & Zizaniis, omniumque exponi incursibus animalium.

Similiter, inquiet Judæus in hypothesi Quesnelliana: Quæ utilitas homini in nostrò fœdere, in quo nos propriæ relinquimur infirmitati, & simul lex imponitur absque supernaturali gratia impossibilis observatu? Iterum (sed qua æquitate)? à nobis *Deus exigit fugam peccati, & implementum legis, relinquendo nos in impotentia.*

Agitur quidem Art. 6. nominatim de peccatore; at septimus de judæis universim enuntiat: *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati?* Tali autem asserto fides indubiè læditur, tot relatis Scripturarum testimoniis declarata, neque levis indè etiam in mores illius populi derivari debuit pernicies, si tali fuerit dogmate institutus. At inquies, quidquid de judæis fuerit, quidquid etiam de fide; hæc Christianorum intuitu in sola hærens speculatione, nullum videtur inferre posse moribus detrimentum. Ego verò ajo inferri maximum, si junxeris Articulos aliquot sequentes, qualis est octavus: *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit.*

Sexagesimus tertius: *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus; si legem non adimpleat vel adimpleat ex solo timore.*

Sexagesimus quartus: *Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive facien-*

ciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

In ejusdem Novatoris documento 5. pag. 253. legimus: *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sine gratia, sine amore, sine charitate, nihil habet in corde, nisi formidinem servilem.*

Qualis autem timor ille juxta Quesnellum sit, discimus ex damnato ejus Articulo 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

Nunc qualem ea dogmatum textura partim in se contineat, partim connexione necessariâ secum invehat Christianæ non solùm fidei, sed etiam praxeos corruptionem, facilè intelligit quivis mediocriter Theologus: utque etiam non Theologus percipiat, dilucidâ, & quàm potero brevissimâ deductione efficiam.

Vidimus in Quesnelli sententia *Baptizatum adhuc esse sub lege sicut judæum, si legem non adimpleat, vel adimpleat ex solo timore.* Evidens est nullum peccatorem adimplere legem: igitur peccator omnis, etiam *baptizatus adhuc est sub lege sicut judæus.* Atqui esse sub lege sicut Judæum in Quesnelli sententia, est esse *sub dominatione peccati sine gratia, sine amore, sine charitate*; ita ut *nihil habeat in corde nisi timorem servilem.*

Omnis qui sine gratia est, nihil boni, nihil indifferentis agere potest; sed necessariò peccat in omnibus actibus, quia juxta Art. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia Liberatoris.*

Confirmat Articulus 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Art. 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

Art. 41. *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

Art. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sine hoc nihil est, nisi impuritas, nihil nisi indignitas.*

Complures in eundem scopum collimantes Articulos profero, & ex eodem authore, ex eodem collectos opere, sapientissimè denuntiaverunt Antistites, & Summus Pontifex condemnavit, ne de Scriptoris vel Scriptionis intentione cuiquam dubium suboriatur, vel excidisse errorem fortuitò & non intentum stu-

dio quis existimet. Quod filio scilicet minùs perverso, fortè imprudentius elapsum foret, videretur à Patre posse clementissimo dissimulari.

Renovatos itaque hic conspicimus errores à tribus olim Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. justissimè proscriptos; hunc scilicet inter Bajanos vigesimum septimum: *liberum arbitrium sine gratiâ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet* 35. *Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est* 40. *in omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*, quia ut juxta Quesnelli *documentum*, seu *monitum quintum* vidimus, *sub lege esse*, ut omni accidit peccatori, *est esse sub dominatione peccati sine gratia, sine amore, sine charitate, nihil habere in corde nisi formidinem servilem*: in quo statu, ut Quesnellum non solummodo affirmantem; sed operosiùs inculcantem audivimus, nihil nisi peccatum committitur, aut fieri aliud potest.

Omnem Peccatori gratiam denegari antequam reipsâ convertatur, patet in Quesnelli Articulo 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.*

Alia ratio cur in peccatoribus, antequam efficaci gratiâ ad justitiam promoveantur, omnis actio peccatum sit, est quòd juxta citatum Quesnelli *Monitum* 5. *esse sub lege* (quod omini accidit peccatori) *sit esse sub dominatione peccati, sine amore, sine charitate, neque habere aliud nisi formidinem servilem.*

Quæ nempe humana actio esse Quesnello valeat immunis à vitio, si expers fuerit amoris? Sic docet Articulo 44. *Non sunt nisi duo amores, undè volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*: Art. 45. *Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Art. 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.* Art. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.*

Quapropter omnis sibi conscius peccati gravis, antequam Deo per gratiam & pœnitentiam reconcilietur, abstinendum sibi ducet ab omni opere misericordiæ, justitiæ & cujuscunque virtutis moralis; aucturus aliàs actibus singulis multitudinem peccatorum,

Hh 2 ma-

majoremque accersiturus infelicis animæ damnationem: quin omnis peccator adigetur necessariò ad desperandum; quia juxta *Monitum* Quesnelli quod retuli *quintum*, *nihil habet in corde nisi formidinem servilem*. Hæc autem juxta Articulum 67. *Non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*: à quo quid bonitatis, gratiæ, clementiæ, expectare peccator poterit? Unde fit, ut juxta Articulum 60. *Si solus suppliciis timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eò magis ducat ad desperationem*.

Ne orare quidem Quesnellus impium sinit Art. 56. *Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium*.

Reclamantem hìc aliquando audivimus Quesnellum ejusque vindices, veluti adversus calumniam, dum quod ab eo solùm *de impiis* dicitur, interpretamur de pecatoribus quibuscumque. Sed facilis nobis depulsio querelæ est, facilis convictio, quòd Quesnellus hìc ut passim alibi, decipiat incautos. Nam Articulo ejus 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Hæc inter virtutes Theologicas Princeps in nullo propriè peccatore est, ut ipse Quesnellus asserit in 1. Epist. Joannis cap. 3. v. 9. *Nullum peccatum compatitur charitas*. Consentit Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 24. art. 12. *Quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundùm propriam rationem, quę consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia*.

Augustinus lib. 15. de de Trinitate cap. 18. de charitate loquens, *Nullum*, inquit, *est isto dono excellentius: solum est quod dividit inter filios regni & filios damnationis æternæ*. Tractatu 9. in Epist. Joannis. *Anima nostra fœda est per iniqutatem: amando Deum, pulchra efficitur* Ibid. *Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo*. Tract. 2. *Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? Terra erris: Deum diligis? Quid dicam, Deus eris? Non audeo à me dicere. Scripturas audiamus: Ego dixi dii estis, & filii Excelsi omnes*. Proverb. cap. 8. *Ego diligentes me diligo*. Denique S. Petri Epist. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Proinde peccatoris nomine intelligitur is à quo charitas exulat. *Ubi* autem *charitas non est* juxta citatum Quesnelli Articulum 58. *Nec Deus est, nec religio*.

Dicat nunc quilibet communem retinens loquendi consuetudinem; an quoties nominari audit hominem, qui neque Deum habeat neque religionem, non intelligat hominem *impium*, libertinum, & in praxi quodammodo atheum? Evidens itaque est, peccatorem omnem charitate non præditum Quesnello *impium* esse; cùm prorsus sine Deo & religione sit. Confirmatur articulo 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*.

Peccatori, cui totum deest, quid fidei superesse poterit, quid religionis? Ratio ulterior redditur Art. 28. *quia prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio*, quâ peccator esse desinit; & donatur justitiâ. *Fides* quoque per Art. 27. *est* prima *gratia & fons omnium aliarum*. Unde perspicuum fit in peccatore quamdiù pecator manserit nihil supernaturalis fidei esse posse, nihil gratiæ, aut religionis. Rursus juxta Articulum 1. in omni peccatore nihil *remanet nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*.

Cùm dicitur impotentia ad orationem, subintellige salubrem; nam aliàs etiam *impiis oratio* tribuitur Art. 59. sed quæ *novum eis peccatum sit, & quod Deus illis concedit est novum, in eos judicium*.

Denique ut pateat peccatorem omnem esse Quesnello *impium*, aliâ opus probatione non est, quàm quod ex *Documenti* ejus *quinti* pagina 253. jam retuli, hominem constitutum sub lege, *esse sub dominatione peccati, sine gratia, sine amore, sine charitate, nihil habentem in corde, nisi formidinem servilem*: atque hæc quàm impia sit penes Quesnellum, declarat ipse Art. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*.

Quænam in homine, non sibi aliter Deum repræsentante, potest erga Deum esse pietas, quæ non ab eo aversio, quod non ejus odium, quis non horror & execratio? Quidquamne ad impietatem requiras ampliùs? Fidei ac naturæ lumine discimus, Deum esse necessariò optimum maximum, quo nihil esse melius valeat, aut cogitari; ideoque Deum non fore, quidquid vel in minimo ab infinitæ culmine perfectionis deficeret.

Omnis itaque peccator, si Quesnello judice, non aliud animo teneat, quàm formidinem servilem, neque hæc aliter repræsentet Deum, quàm notis adeò sacrilegis detestabilem, necesse est dicatur ad omnem dispositus impietatem, etiam atheismum; quo nulla pronior via est ad omnem in moribus dissolutionem.

Eò tandem delabitur, eò discipulos deducit tanto à Novatoribus affectata fastu cor-

rectio

rectio disciplinæ pariter ac dogmatum, quando in ipsis reformatoribus, si quovis alio nocentiorem crimine hypocrisim exceperis, nihil pietatis reperies, aut religionis. Sunt & alia Quesnelli dogmata, quæ si accuratiùs expendantur, ad introducendam moribus dissolutissimam laxitatem sunt accommodatissima.

Calvino & Luthero quantumlibet spurco, mirificè placuisset Articulus Quesnelli sexagesimus octavus: *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus.*

Adde sexagesimum nonum. *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.* Proinde in omni fidelium opere salutifero quod indubiè fides vel *usus fidei* est, nullum superest propriè meritum, nulla ei debita deprehenditur merces. Hinc ut prædestinationem, ita etiam executionem salutemque sibi vindicant merò gratuitam. Nam si meritum requisieris, illud ab universo Quesnelli de gratia systemate, necesse est fatearis alienissimum. In omnium scilicet sive Theologorum, sive Philosophorum, imò hominum ratione utentium sententiâ ad meritum & mercedem propriè dictam requiritur libertas.

Soli Jansenio & ejus Sectatoribus ea insania placuit, quòd *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiratur libertas à necessitate, sed sufficiat libertas à coactione.* Fatua nimium ea hæresis, etiam Calvini & Lutheri discipulis apparuit; ideò maluerunt cum Patriarchis suis, destructioni libertatis, proscriptionem jungere meriti & mercedis.

Reclamat Quesnellus non displicere sibi libertatem, modò caveatur Molinistica. Frivola cavillatio! Nihil mihi toto opere cum Molina, neque libertatis ad meritum & demeritum requisitæ nomine, aliud postulo aut intelligo, quàm quod à Catholicis passim admittitur, significatum vulgatissimâ definitione, *potestas agendi & non agendi positis omnibus ad agendum prærequisitis*: quam Didacus Alvarez Thomista celeberrimus & de Molinismo nemini suspectus lib. 4. de Auxiliis cap. 14. dicit esse Catholicorum omnium. *Habetur enim* (inquit) *definita in Concilio Tridentino sess. 5. de justif. cap. 5. & Canone 4.*

Contra hanc quidem vidimus insurgentem Gummarum Huygens vulgò *intrepidum*, deducto vocabulo ab audacia, quâ cùm aliquid contra communem sensum temerè assereret, non verebatur addere solitum suum *Dico interpidè.* Sic ille in dictatis publicis Art. 1. observ. 2. *intrepidè negamus illam definitionem: neque enim tanta vel authoritate, vel ratione nititur, ut eam admittere cogamur: nec etiam adeo bene de Theologiâ merita est, ut eam vel explicare teneamur; etenim nimium propendet in Pelagianorum & Semipelagianorum errores.*

Theologi hujus nimiùm *intrepidi* temeritas non parum animos commovit Lovaniensium Sedi Apostolicæ, & doctrinæ veteri addictorum, atque ipsius Innocentii XI. qui, adstipulante Carolo Secundo Hispaniarum Rege, aditum ei ad Magistrorum, Facultatem Theologicam Regentium, Collegium interdixit, suspensione, quam Innocentii Successores voluerunt esse perpetuam.

Contra hanc quidem Walonius litteris ad Arnaldum datis anno 1688. die 13. Augusti acerbè queritur, dicens, *aliud parùm honorificum tam Sancto Pontifici est negotium Domini Huygens. Ratio gemendi coram Deo est, quod tamdiù persistatur in injustitia tam evidenti.* Meruit idem Doctor vindicias etiam à Quesnello in *defensione Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum*,

Sed, ut nihil unquàm defensionis veræ Ecclesia Catholica, & S. Sedes expectare à suis hostibus potest, ita neque à perfidis desertoribus, catholicos se vix aliâ ex causâ simulantibus, quàm ut securiùs decipiant, Apostolicæ Sedis providentiam fraus illa non latuit, neque proditionis effugit supplicium.

Interim Huygenius ille *intrepidâ* suâ remeritate noscitur fuisse tempore non exiguo sive author, sive fautor præcipuus Lovaniensis incendii; potissimùm quando Arnaldus, Quesnellus, Gerberonius è Galliis in Belgium profugi, Bruxellis sibi delegêre latibulum, ne medii quidem diei itinere Lovanio dissitum: inde scilicet succensam dissidii flammam facile fuit, novis identidem immissis facibus nutrire.

Quæ lovaniensium *diviso* si Anglis, Batavis, & aliis Belgio nostro vicinis Ecclesiæ hostibus, sinistram de ea *ingesserit opinionem*, æquitas postulat & veritas, ut ejus occasio non Theologis imputetur antijansenianis, non Episcopis Pontificem sequentibus, longè minùs Sedi Apostolicæ; sed Arnaldinæ & Quesnellisticæ factioni.

Eadem libertatis definitio non magis toleranda apparuit quibusdam Duacenis Arnaldinæ umbræ adoratoribus, quando septem Theses, velut ab Arnaldo compositas, magnificis elogiis approbarunt. Sic nempe Thesi sexta asseritur: " Sed quomodo cum illa pec- „ cati Philosophici censurâ conciliari potest „ bicornis voluntatis indifferentia, & Ari- „ stotelica libertatis definitio: *libertas est po-*

ten

„ *tentia, quæ positis omnibus ad agendum*
„ *prærequisitis, potest agere & non agere*;
„ Cùm utique non possit tam vitari, quàm
„ non vitari id quod ignoratur?

„ Cave ad sensum divisum & composi-
„ tum, aut ad indifferentiam judicii confu-
„ gias; vana enim sunt illa Neotericorum
„ effugia, declinandis Semipelagianorum
„ terriculamentis malè adinventa. Satius
„ igitur nobis videtur, & Sancti Augustini
„ principiis conformius, ejusmodi liberta-
„ tem in flexibili ad libitum voluntatis indif-
„ ferentiâ consistentem, post peccatum Adæ
„ prorsus reiicere.

Thes.7. " Inferes illicò, necessitatem in-
„ duci in actiones humanas. Apage inania
„ illa consectaria, centies ex famosis quin-
„ que Propositionibus perperam accersita, &
„ centies explosa. Necessitatem quidem
„ naturæ & immutabilitatis in hoc viatoris
„ statu abhorremus, aliam verò quamlibet
„ necessitatem nihil est quod reformidemus.

Non fuit satis Petro de Ligny approbas-
se cum Sociis conclusiones illas veluti *con-
tinentes doctrinam verè Augustinianam* & Or-
thodoxam; *ac proinde nulli obnoxiam censu-
ræ* anno 1690. die 18. Novembris; aliquan-
to post dedit specialem fidei suæ professio-
nem, quam misit Episcopo N.N. Jansenianis,
ut quidem credidit, novitatibus faventi.

Professio illa duodecim constabat Arti-
culis, quos veluti Sacramento confirmans,
testabatur, se sanctos singulos *declarare coram
Deo*. Illorum tertius erat " Credo libertatem
„ indifferentiæ in natura corrupta non esse
„ nisi chimeram, inventionem humanam, &
„ reliquias Philosophiæ Pelagianæ. „ Art.4.
„ Post Adæ lapsum nulla datur amplius gratia
„ sufficiens; sed solummodo efficax. Moli-
„ nistarum circa hoc sententia est Semipela-
„ giana, & damnata in Congregatioue de
„ *Auxiliis*, opinio autem Thomistarum exo-
„ tica est & mera stultitia.

Art. 5. " Sine gratia efficaci non solùm
„ nihil facimus; sed neque possumus: con-
„ trarium est Semipelagianum. Hæc veritas
„ deducitur ex primo Articulo inter quinque
„ oblatos Alexandro VIII. & ab eodem Pon-
„ tifice approbatos. „ Pergit Petrus de Ligny
„ Art.6. Prædeterminatio physica, prout in
„ schola Thomistarum exponitur, est prorsus
„ contraria doctrinæ S. Augustini: solutiones
„ quoque per *sensum divisum & compositum*,
„ *& indifferentiam judicii, sunt meræ cavil-
„ lationes, quarum ne minimum quidem in
„ Patribus vestigium est*.

Ad falsi Arnaldi Thesim sextam, ubi di-
citur *tam vitari posse, quàm non vitari*, no-
tanda est hallucinatio Jansenistarum, vel po-
tiùs perfidia, declamantium contra Theolo-
gos orthodoxos, quasi ad libertatem hi requi-
rerent verum *æquilibrium* inter agendi & non
agendi potentiam, ita ut nulla penitus sit ad
alterutrum sive ex gratia, sive ex concupi-
scentia major propensio, vel major ad alteru-
trum difficultas.

Non existimo dignatum iri quempiam
inter Theologos Jansenio adversantes, qui
ita desipiat. Nobis quidem istud malevolè
imponitur; non quòd ita sentire nos adversa-
rii credant; sed ut apud simplices vociferandi
contra Bullam *Unigenitus*, quædam esse ra-
tio videatur; quasi nempe tales foveat ineptias
Pontificia definitio, vel ad eas legitimo va-
leat pertrahi argumento; ideoque *Appellan-
tes*, contra abusus istiusmodi, meritò expe-
tant saniores à Sede Apostolica *Explicationes*.
At scandalum hoc merè fictitium, non aliter
quàm Pharisaicum, despici meretur, neque
per hoc rebellio excusatur; sed magis prodi-
tur perversitas illud obtendentium.

Redeo ad Quesnelli Articulos. Eos *fi-
dem* pessumdare & *mores*, si auferant huma-
nis actibus libertatem, vidimus à Doctore
Angelico, duce rationis lumine confirmari:
atque ea consecutio adeò manifesta, & inelu-
ctabilis est, ut extra infatuatam novitatis spi-
ritu Jansenianam sectam, alium non facile in-
venias refragantem. Sola superest difficultas
in demonstranda hypothesi, seu antecedente;
videlicet Quesnelli Articulos tum bonis, tum
malis actibus tollere libertatem.

Dum bonos actus nomino, solos hic in-
telligo salutares, & ad justitiam vitamque
utiles sempiternam; qui proinde vires exi-
gunt naturæ ordine superiores. Neque Ques-
nellus ullam in homine lapso agnoscit sine
gratia potestatem nisi ad peccandum. Ita em-
phaticè denuntiantem vidimus propositio-
ne 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit,
nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ar-
doris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad
se vulnerandum: Est capax omnis mali, &
incapax ad omne bonum*.

Propositionis hujus falsitas à me loco
proprio impugnata est; hic verò dissimulanda:
quia de bonitate salutiferâ, & supernaturali
præsens currit dissertatio. Sola tradita à Ques-
nello definitio gratiæ, sufficit dissolvendæ pe-
nitùs quæstioni.

Art.10. *Gratia est operatio manus Om-
nipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut
retardare*. Huc confluunt etiam cæteri ple-
rique de gratia Articuli, ideam ejus præcipuè
describentes: qualis est 21. *Gratia Jesu Chri-
sti est gratia fortis, potens, suprema, invinci-
bilis*,

bilis, utpotè quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum. Art. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.* Art. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.* 25. *Deus illuminat animam, & eam sanat, æquè ac corpus solâ suâ voluntate: jubet & ipsi obtemperatur.*

Aliàs monui, & mente memori tenendum est, quòd ubi Quesnellus, aut Jansenius de Christi gratia loquuntur, discerni eam cupiant à gratia, quæ ante lapsum primo homini obtigit, non quasi etiam post lapsum duo gratiarum interiorum & supernaturalium genera agnoscant, quorum unum solummodò efficax sit, alterum quodammodo subdatur hominis arbitrio, atque omni subinde careat effectu, quemadmodum auxilio penès nos accidit sufficienti.

Sic igitur intellige Propositionem Quesnelli vigesimam primam. *Gratia Jesu Christi*, sive omnis gratia supernaturalis, quæ ex meritis Jesu Christi hominibus post lapsum conceditur, *est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum.* In eumdem sensum conveniunt Articuli cæteri superiùs memorati.

Sicut operatio Dei incarnantis, & resuscitantis filium suum, à solo pendet divino arbitrio, non autem ab electione & cooperatione libera humanitatis, ita in hominibus post lapsum omnis gratia supernaturalis interior, *Christi* meritis impetrata, sicut *est imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum*, ita pariter est *fortis, potens, invincibilis*: quæ omnia complectitur gratiæ definitio brevis & clarissima, quæ traditur propositione 10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.*

Definitionem hanc non se extendere ad gratiam primi hominis, quamdiu in statu innocentiæ fuit, convenit inter omnes, nemine dissentiente, Non minùs convenit, quòd in definitionibus subjectum illimitatè positum æquivaleat universali. Ita cum dicitur *Homo est animal rationale*, nemo dubitat, quin *rationale animal* de omni homine prædicetur. Sic quoque cùm legis *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*, non dubites quin omne quod de *gratia* ibi dicitur, de omni gratia intelligendum sit. . .

Subinde monui agi de *gratia interiore & supernaturali*, non quasi ea monitio lectori Theologo sit necessaria; cùm satis exploratum habeat, de tali hic solummodò gratia sermonem esse; sed quia omnibus debitores sumus, ne circumveniatur imperitus, aut hæreat velut in æquivoco, qui gratiarum nomine audiverit comprehendi aliàs dona qualibet indebita, etiam quæ naturæ ordinem non excedunt. Nos verò hìc ut omnes utriusque partis Theologi in istiusmodi disputationibus, agimus de supernaturali auxilio ad omnes actus sallutiferos requisito, & tam necessario ut sine eo non solùm nihil istiusmodi operis homo faciat; sed neque possit.

Hoc stabilito gratiæ significato, Catholicos inter & Jansenistas disceptatio supererat, an post primi hominis lapsum, detur unicum genus gratiæ, idque solùm insuperabiliter efficax, ut à Jansenistis asseritur, an verò præter efficax detur aliud sufficiens quidem; sed quod renitente libero arbitrio destitu atur effectu.

Definita pro nobis videri satis quæstio poterat contra Jansenium, quando hæreseos damnata est hæc secunda ejus, inter quinque propositio; *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur*, & simul quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

Quæ *propositio falsa & hæretica* declarata est; falsitatis censurâ partem historicam afficiente, censurâ hæreseos dogmaticam, quatenus hæc voluntati humanæ deneget potestatem resistendi gratiæ prævenienti, & necessariæ ad singulos actus salutiferos, etiam ad initium fidei. Verùm pertinacibus novæ hæresios defensoribus, Quesnello in primis placuit eam figuris & phrasibus tam variis adornatam restituere, ut metuere videantur, ne sua non satis temeritas innotescat.

Istud pridem observavere Lucionensis & Rupellensis Antistites in Documento Pastorali anno 1711. die 14. Maii in quo hanc referunt Epistolam à quodam *Isole* Quesnellianis partibus devoto, ad ipsum datam Quesnellum anno 1690. die 13. Martii: *Ab aliquot diebus quasdam observationes, quæ mihi quidem arrident maximè, pervolvo: His gravissima quæque dogmata modis innumeris exponuntur, ac semper ad permovendos animos aptissimis. Neque verò est quod lector longius per-*

perquirat : sic exhibentur, sic admoventur atque aptantur inter se ut illorum aspectum devitare nemo possit.... Non, quid positis principiis consequens sit lectoribus dijudicandum permittitur; sed quod innotescere eis volumus, ibi totum exprimitur.

Hoc unum vereor, ne se quædam doctrinæ capita frequentiùs, quàm par est, doceri eaque sibi sæpius ingeri & inculcari animadvertant. Nam id quidem sedulò quæsitum fuisse, manifestum est : & quod assutum est panno, sic eminet, ut pannum ipsum aliquando obruat. Sed mirum, quod à me jam animadversum est, nihil est quod hominibus probari non possit, modo prius admoniti non sint, ut ab illo caveant.

Isolei observationes istæ sunt in Quesnelli librum, tam sæpè Janseniana dogmata inculcantem, ut timeat ne frequens nimium eorum inculcatio suspicionem molitionis subdolæ lectoribus ingerat.

Contra eamdem machinationem etiam duo memorati superiùs Episcopi suos esse muniendos subditos duxerunt in eodem Pastorali documento". Hæc (inquiunt) *gravissima dogmata* sunt, hæc *quædam doctrinæ capita*, quæ ne *lector frequentiùs sibi ingeri in* Quesnelli ad novum Testamentum. *Notationibus animadvertat*, domnus *Isole* subveretur. Hæc denique placita de quibus cupit homines *non priùs admoneri*, ut jam edito opere, nimium sera expostulatio videatur. Hæc Fratres charissimi, ut ipsi satis perspicitis, non sunt Evangelica dogmata, quæ omnes catholici profitentur & agnoscunt. De iis enim nullus fuisset timendi locus, ne quis expostularet.

„ Ea profectò hìc indicantur dogmata, quæ Jansenii defensores propugnant : ii sunt *puri & aperti errores Jansenii* : ea est ipsa *Janseniana* hæresis, quam Episcopus Meldensis in *Observationibus* (Quesnellianis) deprehenderat, quamque cum Thomistarum doctrina, cujus accerrimus propugnator semper extitit, miscere & confundere nunquam voluit.

„ Verùm ea dogmata cum sint in *Observationibus* Quesnelli, modis *innumeris* exposita, *iisque semper ad permovendos animos aptissimis*; cum ea sic *admoveantur, atque aptentur inter se, ut illorum aspectum devitare nemo possit*, cum *certæ doctrinæ capita* lectoribus *sic ingerantur*, ut *sedulò id quæsitum fuisse, manifestum sit*; nonne *Observationum* librum hoc uno jam patet conscriptum esse consilio, ut errorem disseminet, atque erroribus totum, quantus est, scatere, sic ut vanus futurus sit omnis in illo perpurgando labor?„

Ita de Quesnelli libro, & quidem antequam tot excerptorum ex eo dogmatum prodiret condemnatio, censuere isti Galliarum Antistites : Ita Quesnelli aliàs adorator Dominus Isole. Quomodo in totius fidei & virtutum omnium perniciem ea lectorem pertrahat doctrina, tribus tomis superioribus non minus dilucidè, quàm copiosè à me deductum arbitror, & quivis non penitùs rudis ex disputatis contra præsentem hactenus Articulum, facilè colliget.

Denique ut totum brevissimâ simul & perspicuâ complectar epitome: Si omnis *gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*, ut statuit propositio 10. & multis sequentibus confirmatur, obtinet omnis gratia effectum suum necessariò, & quidem necessitate istiusmodi, quam nulla voluntas hominis infringere valeat, aut impedire; sicut humanitas Christi suspendere non potuit Incarnationem Filii Dei, neque creatura ulla obicem suæ ponere creationi, neque poterit resuscitationi ex mortuis. Hæ scilicet ideæ sunt, juxta quas concipi à nobis debeat, si Quesnello credimus, divinæ gratiæ in hoc statu operatio.

Adde propositionem 40. *Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*. Supposito utroque isto novæ Ecclesiæ axiomate manifestum est præsente gratia, abstineri non posse à boni operis volitione; gratiâ verò absente, consentiri necessariò cupiditati.

Quandonam igitur illa salutaris actio à libera pendebit hominis electione, ut ab ea se contineat, vel eamdem absque ullo necessitatis vinculo sequatur? Similis ratio est de peccatis.

Si dicas, Jansenium sapienter animadvertere, quod, licèt absente gratiæ victricis auxilio, necessitas inevitabilis sit delinquendi, inter ipsa tamen peccata electio sit, ut motivo avaritiæ, vel superbiæ superate valeat tentationem luxuriæ; ineptissima cavillatio est, indigna tanti nominis Magistro & ejus sectatoribus, qui erigere se volunt supra omne, quod doctorum hominum & Antistitum est in Ecclesia.

Itane voluntas in delectu peccatorum libera est, ut possit motivo avaritiæ vel superbiæ quod aliquando venialis delicti malitiam non excedit, vincere tentationem luxuriæ, sive libidinis carnalis, quæ à culpa nunquam liberatur mortiferâ?

Quomodo etiam carnis stimulus vinci juxta Jansenium poterit vanâ gloriâ, vel amore

re pecuniæ, si valeat ejus principium, quod totius novi de gratia systematis fundamentum est, *Quod ampliùs nos delectat* delectatione indeliberatâ, & omnem liberi arbitrii consensum præcedente, *secundum id operemur necesse est*? Si igitur delectatio carnis ardentior sit, quàm pecuniæ amor, aut vanæ gloriæ, secundùm priorem *operemur necesse est*.

Neque admisit unquam, aut admittere potuit Jansenius gratiâ ad dandam eleëmosynam, satis hominem muniri adversus illecebras impuritatis. Videre, cui id licitum est, poterit Jansenii lib. 4. de gratia Christi cap. 7. & 9. iterum lib. 8. cap. 3.

Walonium quidem malè habuit, ut in ejus ad Arnaldum Epistolâ legitur, quòd delectationem tum gratiæ, tum concupiscentiæ vocaverit *indeliberatam*, & non dixerit liberam, subintelligendo spontaneam; verùm addebat, *non propterea Jansenii causa nobis deserenda est, atque in idem tandem rediisset explicatio significatum*.

Quesnellus quoque isto Walonii scrupulo, quem ex domestico suo tunc indubiè intellexerit Præceptore, nequaquam deterritus est à concinendo hoc novæ hæreseos triumpho in *Notis ad Epistolam* Steyaertii pag. 17. *Adeò non persuadetur, sensum ab authore* (Jansenio) *intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cæperit Orbis Catholicus, nihil in eo non esse catholicum*.

In alio scripto quod incipit *Mon cher amy*, pag. 1. ut refertur in processu contra eum juridico, seu *Causâ Quesnellianâ* Art. 9. conqueritur Quesnellus, *nimiam adhuc esse potentiam in Jansenii adversariis, & defectum luminis in Judicibus: unde fit* (inquit) *ut cogitari nondum valeat de omni, quæ Jansenio debetur, vindicandâ justitiâ, ipsoque ab illata injuria liberando. Expectare oportet, donec in prioribus passionis ardor vehemens aliquantum remiserit, & in posterioribus tenebræ dissipatæ sint*. Tunc nempe omnia contra Jansenii hæresim definita retractabuntur à Pontificibus, aut velut abolita ab Ecclesia censebuntur.

Hæc Jansenistarum malesana spes indubiè implenda est, quando Judaica alterius Messiæ ex pectatio.

Intereà liquidò demonstratum est Romanæ Ecclesiæ contra Baii, Jansenii, & Quesnelli dogmata, Constitutiones non aërem ferire, aut inanes umbras, sed perniciosæ doctrinæ Articulos, quorum aliquos constat esse impios, blasphemos, hæreticos ut suis respectivè censuris æquissimè notantur, proinde natas ideò *divisiones non esse propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores*; cùm & fidem

destruant, & quidquid virtutum sive divinarum est, sive moralium subrutâ humanorum actuum libertate.

Undè pariter necesse est, infidelium libertinorum, atheorumque largissimam aperiri januam impietati. Denique quidquid inde motuum, *divisionis*, & Schismatis ortum conspicitur, non Sedi Apostolicæ, non adhærentibus ei Episcopis, non cæteris Christi Fidelibus, supremi ejus in terris Vicarii vocem sequentibus, tribuendum est; sed Arnaldo, Quesnello, Gerberonio, Gilbertio, Ægidio de Witte, Eugenio de Gelder & istiusmodi turbulentis, & omnis fræni impatientibus ingeniis, quæ etiam Bajo & Jansenio, Sedi Apostolicæ omnia sua scripta & opiniones submittentibus refragari superbissimè præsumunt.

Isti itaque cum suis Sectatoribus, quemadmodum dissidiorum, Ecclesiam funestè concutientium, authores sunt, unicè quoque *fautores* reputandi, dum paucitati suæ jubent cedere universos, etiam multis in omni genere, gradibus superiores. Hic eorum *dominatus*, ex omni parte illegitimus, in sola conspicitur fundari temeritate & superbiâ. Neque est cur hæc omnia inimicis Ecclesiæ sinistram de ea ingerant opinionem Oportet enim *hæreses esse*: & fuere ab initio Ecclesiæ, neque ulla tam feliciter secula fluxere, ut non Diabolum experta sint, novi quidpiam monstri hæretici parturientem. Ut igitur superiorum temporum hæreses non aspersêre maculam Ecclesiæ, à qua authores, fautoresque pertinacia separavit, ita neque à nova Quesnelliana hæresi labem contrahit hodie Christi Sponsa; maximè dum Bulla *Pastoralis officii* à Sedis Apostolicæ communione repulit universos Constitutioni *Unigenitus* non obedientes.

CAPUT VI.

Turbis & dissidiis initium nova Secta Duce Sancyrano in Galliis dedit innovatione doctrinæ & praxeos circa Sacramenta.

1 NOn minima pars Religionis nostræ sunt instituta à Christo Domino Sacramenta, gratiarum cœlestium fontes uberrimi: utque illa continent præcipua salutis nostræ subsidia, eadem à Novitatibus concuti, ægerrimè ferunt, tum vulgarium multitudo fidelium, tum præ cæteris Doctores, Episcopi, maximè Romanus Pontifex, cui in Petro Apostolorum Principe, totius cura Ecclesiæ, singulari titulo & authoritate commissa est.

Quibus verò consilium fuit, Ecclesiam convellere, ejusque fundamentis, si & ipsa non subruerent, superstruere novam, à Dogmatibus circa Sacramenta & gratiam duxere initium. De gratia actum est superiùs: de Sacramentis nunc aliqua referamus. Inter præcipuos novæ Ecclesiæ fundatores, præter Janseuium indubiè fuere Sancyranus Abbas Commendatarius & Seguenotius Oratorii Berulliani Presbyter, jussu Cardinalis Richelii sub Ludovico XIII. Galliam moderantis, ambo in carcerem conjecti, Vincennensem prope Parisios Sancyranus, *Bastillam* Parisiensem Seguenotius, eodem anno 1638. quo Ipris Jansenius peste mirabili extinctus est; mirabili, inquam, quia in civitate illa præter Episcopum eo anno nullus memoratur contagio mortuus.

Liber Jansenii posthumus, qui tantum strepitûs in Ecclesia excitavit, de auxiliis gratiæ ferè totus est: doctrinæ de Sacramentis & aliis ad praxim pertinentibus innovatio, aliis novæ Ecclesiæ Apostolis commissa: præsentis capitis institutum de solis agi postulat Sacramentis, in quo ordinem temporis sequar potiùs, quàm materiæ.

Illustrissimus Sebastianus Lingonensium Antistes, qui Sancyrano antequam eum satis nosceret, favisse impensiùs noscebatur, anno 1638. die 10. Julii interrogatus de eo fuit jussu Regis. Quapropter postridie adiens supremum Galliæ Cancellarium, tradidit ei declarationem, quam aliquot mensibus antea scriptam miserat ad D. de Harlay Episcopum Maclovienśem. In hac inter Sancyrani dogmata legimus quæ sequuntur." Sacramentum pœnitentiæ non delet peccata. Communio plus valet ad delenda peccata, & disponendum hominem ad beatam mortem, quàm Confessio. Ideò magis expedit peste infectis, aliisque moribundis administrari Sacramentum Eucharistiæ, quàm pœnitentiæ.

„ Confirmatio, Sacramentum Ordinis, & Consecratio Episcopi, tollunt peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam æquè ac Baptismus. Verba absolutionis non operantur remissionem; sed declarant tantùm. Contritio ad Sacramentum pœnitentiæ omninò necessaria est, ut peccata remittantur. Verba Concilii Tridentini explicanda sunt de contritione, ut à quibusdam Lovaniensis Academiæ Doctoribus explicantur: aut dicendum quòd Concilium in hoc articulo erraverit.

Joannes de Jovaud religiosus Abbas Cisterciensis à Sancyrano habitus fuerat, veluti *talentis minimè vulgaribus præditus*, atque *edendis in lucem libris peridoneus*. Is autem familiariter aliquamdiu Srncyrano usus, ejusdem censebatur non ignorare dogmata. Jussus itaque de eo in carcerem detruso ferre testimonium, jurejurando confirmatum, paruit die 17. Junii ejusdem anni 1638.

„ Multa (inquit) de dogmatibus ad Sacramenta spectantibus, & de præsenti Ecclesiæ statu Sancyranus disseruit; inter cætera constanter affirmans, contritionem perfectam ad pœnitentiæ Sacramentum esse necessariam, imperfectam, sive attritionem non sufficere: ante absolutionem Sacramentalem præsupponi remissionem peccatorum, contritione impetratam: absolutionem non esse nisi declarationem remissionis: perperam conferri absolutionem statim post Confessionem: usum hunc communem quidem esse; sed abusûs potiùs nomine appellandum.

„ Opponebam argumenta quædam Theologica, ob quæ Sancyranus graviter me increpans, ajebat Theologiam Scholasticam, ut passim traditur, esse doctrinam noxiam: cumque dicerem, Sacramentum pœnitentiæ in lege gratiæ ex attritis contritos reddere; respondebat esse ineptum loquendi modum Scolasticorum, neque in Sacris paginis, neque in Conciliis fundatum. Multa prætereà dogmata ædificationis omnis expertia tum Sancyranus, tum nepos ejus Barcos, perpetuus avunculi sui suffragator, effutiebant.

„ Cùm non dissimularem, præferre me ejusmodi novitatibus communem praxim Ecclesiæ; Quid, rogabat Sancyranus, nomine Ecclesiæ intelligis? Cœtum, respondebam, Fidelium compositum ex Summo Pontifice, Prælatis, Doctoribus, Presbyteris, Religiosis & populo.

„ Sancyranus autem, ò quantum inquiebat, remotus es à veritate! Ecclesia in iis tantùm rebus consistit, quæ fuerunt ante sæcula superiora.... Cùm ageremus de peccatis venialibus, significabat Sancyranus, ea non esse materiam sufficientem ad absolutionem Sacramentalem, disertè affirmans, in veteri Ecclesia nunquam absolutionem Sacramentalem in confessione solorum venialium impertitam fuisse: Cofessionem, quam S. Augustinus vocat justorum, non fuisse Sacramentalem; sed actum tantummodò demissionis, qui laico cuicunque obvio exhiberi possit.

„ Hæc à Domino Barcos Sancyrani Nepote confirmabantur illo S. Jacobi textu: *Confitemini alterutrum peccata vestra*.

„ Cumque objicerem Concilium Triden-

„ dentinum, quod perspicuè docet peccata „ venialia esse sufficientem absolutionis ma„ teriam; licèt non necessariam: approbas „ ne, quærebat Sancyranus, Tridentinum? „ Et moto capite subjunxit: si cum Tridenti„ no sentias, consentis Pontifici. Imò, aje„ bam, consentio utrique.„

Plura ex eodem testimonio prætermittens addo aliud brevius Alexandri Colas Domini de Promorant Sacerdotis & Abbatis, qui per Sacros Ordines jurans testatur, *se coram audivisse Abbatem Sancyranum debachantem adversus praxim Religiosorum, & omnium hominum spiritualium istius temporis (circa administrationem potissimùm Sacramenti pœnitentiæ).... Dominus le Feron in civitate Carnotensi Canonicus, magnificus Sancyrani præco, similia mihi principia occinuit: inter quæ sunt, pœnitentes nimis facilè & nimis citò à Confessariis absolvi: debere eos multo tempore relinqui in lacrymis & singultibus, donec de peccatis perfectè conterantur. Sine contritione perfecta absolutionem esse invalidam. Dominus le Fere ejusdem Civitatis Canonicus mihi affirmavit, Dominum le Feron easdem sibi sententias conatum inculcare tam importunè, ut videretur sibi velle cerebrum subvertere.*

Maria Aquiaviva Ducis Atrii Filia Monialis Ordinis S. Benedicti die 19. Junii 1638. testata est, à Superiore sua prælectam sibi Epistolam Sancyrani, quâ Novator ille docebat, quòd *invocatio Nominis Jesu æquè efficax sit, ac Eucharistiæ Sacramentum.*

Testabatur eadem Monialis *Superiorem suam quatuor, vel quinque mensibus abstinuisse à Sacra Communione, quo tempore eam Sancyranus exercebat in operibus Pœnitentiæ.*

Denique Nicolaus le Tardif Senatûs Regii Causidicus, qui in Portu Regio Sororem habens, etiam ipse Sancyranum nactus fuerat animæ suæ directorem, de eodem 16. Junii 1638. interposito juramento testabatur, *se ita fuisse à Sancyrano institutum, ut semper crediderit, ad absolutionem requiri contritionem perfectam.*

Docuerat præterea Sancyranus, quòd *Sacramentorum frequentatio sæpius perniciosa sit, quàm utilis, iis, exempli gratiâ, qui lapsus suos veniales non corrigunt: quòd Sacramentum Confirmationis plus operetur, quàm Baptismus: quòd peccata remittat & quoad culpam, & quoad pœnam, quòd ad Sacerdotium non sit consultum admittere eum qui semel deliquisset contra castitatem.* Non erit itaque consultum ad Sacerdotium aspirare ei, qui talis sibi pridem commissi forsitan delicti esset conscius. Sic neque Augustino licuisset ad Sacerdotium promoveri.

Libellus, cui titulus est *Corona Sanctissimi Sacramenti*, aliquanto ante editus, non levioribus turbis ansam præbuerat; à Sorbonicis Doctoribus fortiter impugnatus, ardentibus autem vindiciis à Sancyrano defensus, eidem velut authori à pluribus tribuebatur; sed ubi pudenda nimium apparvêre opusculi dogmata, maluit factio illud adscribere Agneti à Sancto Paulo Sorori Arnaldi in Portu Regio Moniali, ut quidquid contineret Theologicæ obnoxium censuræ, facilius condonaretur ignorantiæ sexûs, atque à multis legeretur avidiùs, quòd à nobili foret Virgine excogitatum.

Sed quidquid pro eo patrocinii imploratum est, quidquid fallaciæ pro ejus impensum defensione, impedire non potuit, quin anno 1633. die 18. Junii Sorbonæ Theologica Facultas gravissimam hanc in libellum ediderit censuram; *Quòd scateat ineptiis, erroribus, blasphemiis, & impietatibus, quæ eò tendunt ut animos à virtutum, præsertim Fidei, Spei, & Charitatis exercitio avertant, modum orandi à Jesu Christo institutum destruant, & introducant opiniones contrarias effectibus divini erga nos amoris, quem Deus præcipuè elucere voluit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & Mysterio Incarnationis.*

Speciminis loco sint quæ exhibeo ex opusculo Gallico latinè translata: num. 11. „ proponitur Inaccessibilitas: Jesus Christus „ maneat in seipso, relinquens creaturas in „ impotentia ad se accedendi.

„ Num. 13. Independentia: non respi„ ciat Jesus Christus animarum merita; sed „ omnia disponat pro libito. Renuntiemus „ potestati, quam habemus, Deo nos sub„ jiciendi in eo quod existentibus in gratia, „ seipsum prouiserit. Non isthic collocemus „ spem nostram; sed maneamus in beata in„ certitudine, quæ independentiam Dei ve„ neretur.

„ Num. 14. Incommunicabilitas: ut „ non dimittat se Christus ad communican„ dum se nobis, inter quos & ejus infinitudi„ nem nulla est proportio: maneamus in no„ stra indignitate tam divinæ communicatio„ nis: æstimemus nos felices, quod divinorum „ donorum nullo modo reddamur participes: „ gaudeamus, ea tanta esse, ut eorum non „ simus capaces.„

„ Num. 16. Inapplicatio: ut Jesus Chri„ stus seipso occupetur, neque ullam in se „ patiatur creaturam seu nihilum: nihil cu„ ret extra se: non offeramus nos illi, ut se „ nobis applicet; sed potiùs ut ab illo reji„ ciamur, propterea quod debeat se nobis

„ præferre : Amplectamur illam applicationis negationem : eligamus potiùs, ut Christus nostri obliviscatur, quàm ut nostri memoria, Christi erga se applicationem interrumpat, eum applicando ad creaturas. „

Quidni tandem omnis Christi, Deiparæ & aliorum Sanctorum invocatio, saltem ut non satis conveniens, reprehendi valeat, ne nostris precibus eorum beatifica ad divinitatem *applicatio* interrumpatur, quando nostri eos memoria ad degentes in terris homines *applicabit*.

Quæ omnia inter catholicos inaudita, meritò eorum animos ad indignationem commoverunt, & graves Sorbonicis expressêre censuras; pergrata autem fuerint Genevensibus, qui etiam à Calvino didicerant, locutionibus quibusdam uti, quæ primâ fronte non videbantur à Catholicis abhorrere, fallendis autem simplicibus poterant esse peridoneæ, ut Calvinus de Mysterio Eucharistiæ vix pejus disserere, quàm soror illa Arnaldica videretur.

Sic nempe hæresiarcha subdolus in caput 26. Matthæi: *verè in cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem, hoc est substantiâ Corporis Christi pascuntur animæ nostræ, ut verè unum efficiamur cum eo.* Et infrà. *Non ergo vacuum & inane signum nobis proponitur; sed verè carnis & Sanguinis Domini fiunt participes, qui fide promissionem hanc recipiunt.*

Lib. 4. institut. cap. 17. *Quemadmodum non aspectus; sed esus panis alimentum corporis sufficit; ita verè ac penitus participem Christi, animam fieri convenit.* Et §. 32. *in Sacra sua cœna jubet me sub Symbolis panis ac vini corpus & sanguinem suum sumere: nihil dubito, quin & ipse verè porrigat, & ego recipiam.*

Quibus omnibus expressionibus adeò, ut apparet, Mysterio Eucharistiæ faventibus, aliud non intenditur, quàm elusio authoritatis, & Sacrorum Textuum, qui pro confirmatione orthodoxæ fidei è Scripturis & Patribus proferuntur, quos hæretici videri volunt admittere tanquam à suis opinionibus non alienos.

Neque securitatem mihi præstare solent maximam aliqua Jansenistarum circa Eucharistiam asserta, quasi adversantia Calvinianis: quando principia quædam illorum considero philosophica, quale aliàs retuli Carthesianum de extensione corporis actuali, quæ ad ejus adeò pertineat essentiam, ut quantum detrahitur extentioni tantumdem necessario essentiæ dematur.

In causa Quesnelliana art. 10. post medium refertur Epistola, qua Quesnellus, tanquam novi Ordinis Pater Prior, sive, ut inscriptio præfert, *Reverendus Pater Provincialis Augustinianorum*, consulitur de mutando Directore viri nobilis, qui Parochum sibi delegerat ruralem Jansenianis partibus addictum, sive ut Epistola exprimit, *unum Amicorum*; sed qui de Eucharistia non sentiret aliter, neque aliter suum sensum exponeret, quàm *Protestantes* (seu Calvinistæ.)

Eo Directore nobilis usus fuerat annis decem vel duodecim, atque eandem hauserat doctrinam, donec, remordente conscientiâ, alium designari sibi petiit instructorem.

Ait author Epistolæ, se pro hac mutatione procuranda valdè solicitari; sed rem difficultatibus non carere &c. in quod & quædam alia ibi antecedentia pro Fisci Procuratore, & ejus nomine Illustrissimus D. Henricus Josephus Vansusteren nunc Brugensium Episcopus, tunc Archiepiscopi Michliniensis Vicarius Generalis sic animadvertit. *Tanta est Quesnelli authoritas, ut ejus solius nutu, etiam cum periculo salutis æternæ omnibus se exponant, si ita jubeat, cæci stolidique subditi, ibi obedientes, ibi morigeri, ubi omnino repugnare, & obluctari deberent.*

Non levem nuper in Gallia strepitum excitavere Theses ad Calvinianam de Eucharistia hæresim deducentes, authoribus aliàs nimium scrupulosis in Constitutionis *Unigenitus* admissione. Noti sunt rumores totâ publici Europâ, de tractatu à quibusdam inchoato Sorbonicis, pro unienda Anglicana Ecclesia Gallicanæ.

Epistola de hoc scripta Londini die 17. Martii anni hujus 1718. intra conditiones pro unione propositas, & quasi concessas exprimit, quod circa *Modum* præsentiæ Christi in Eucharistia, explicatio utrique Ecclesiæ libera relinquatur: quod permittatur usus Calicis laicis: matrimonium Sacerdotibus: exclusio S. Crucis & imaginum: quod Romanus Pontifex agnoscendus sit tanquam primus Episcopus *inter pares*.

Profitentur Commissarii illi se non agere authoritate Antistitum, sed Ecclesiasticorum complurium & Doctorum; qui in eadem secum sententia sint. Addebat Epistola duos illos Sorbonicos, quorum refert nomina, accessisse ad Ministros status, & ab his remissos ad Anglicanæ Ecclesiæ Episcopos, à quibus frigide accepti fuerint, ut non magnum promittat Schismatica hæc legatio successum. Sed nimis citò delabimur ad seculum præsens. Et quidem ad prætensam illam quod attinet unionem, Sancta Dei Ecclesia, in sua ma-

mavult persistere, ab hæreticorum conventiculo divisione, quàm iniquis adeò legibus consentire.

Anno 1646. typis editus fuit liber hoc titulo Reliquiæ Joannis Vergerii Abbatis Sancyrani, ubi pag. 25. citantur Petri Aurelii (vero nomine Joannis Vergerii) vindiciæ quibus asseritur, *clarissimum esse quòd Episcopus resurgere non possit per media statui suo propria; cum hoc ipso quo peccator est, statum amittat ex primævo jure, nec ampliùs in eo sit.*

Videtur assertio consona Wickleffianæ in Constantiensi Concilio damnatæ, quâ dicebatur *Nullus est Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.* In iisdem Reliquiis eâdem pag. refertur ex Sancyrani, seu *Petri Aurelii vindiciis*, quòd *quâlibet vinculi castitatis infractione perimatur Sacerdotium.*

Credit verò Ecclesia Catholica sacerdotium imprimere characterem, qui ut dicitur Tridentini sess. 23. cap. 4. *nec deleri, nec auferri potest.* Et Canone 4. *Si quis dixerit, per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere accipite Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.*

In iisdem Reliquiis pag. 312. referuntur famosæ Sancyrani *Epistolæ Spirituales* typis editæ, quibus dicitur, quod *ad Ecclesiam spectet corrigere malos Sacerdotes, & abscindere si visum fuerit, & tunc amplius Sacerdotes non sint.*

Antequam Sancyrani Epistolas dimittam, geminas producere ex iis oportet exoticas de Eucharistiæ usu sententiás. Prima refertur in Reliquiis pag. 294. *secundùm S. Chrysostomum, vix opus est minore dispositione ad audiendam Missam, quam ad communicandum.* Altera est in iisdem Epistolis juxta editionem Lugdunensem Tom. 1. Epist. 42. pag. 339. *Nunquam oportet referre usum Sacramentorum ad festa Sanctorum, communicando ratione talis aut talis festi.*

Contemporaneus Sancyrano atque eodem anno 1638. quo Sancyranus Vincennensi, ut retuli, prope Parisios carceri mancipatus fuit, Claudius Seguenot Berulliani Oratorii Presbyter, Sancyrani assecla Parisiensi carceri traditus est.

Is librum ediderat de virginitate, cujus Articulos aliquot Sorbona confixit. Inter illos sextus est ex pag. 122. 126. 128. *Attritio non sufficit; sed contritio ex perfecta charitate absolute necessaria est ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ* Art. septimus ex pag. 129. & 130. *Absolutio nihil aliud est, quàm declaratio juridica peccati jam remissi.*

Censura Sorbonica: *Hæ propositiones sunt quietis animarum perturbativæ, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrariæ, imminuunt efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ; & insuper temerariæ sunt & erroneæ.*

Art. octavus ex pag. 184. *Ex ordine & natura rei requiritur, quòd Confessio sit publica.*

Censura Sorbonica: *Hæc doctrina est nova, falsa & periculosa.*

Denique Sorbona concludit: *Præter hæc sic annotata, sunt alia quamplurima sparsim in toto contextu Libri reprobanda, quę omnia Sacrę Theologię Facultas Parisiensis damnavit, & librum tot nævis & erroribus aspersum censoriâ hac animadversione notavit, dignumque censuris, ut ejus Lectione omnes Catholici interdicantur. Datum in Sorbona die 1. Mensis Junii, & confirmatum die 1. Julii 1638.*

Si Attritio non sufficiat; sed contritio *ex perfecta charitate* absolutè necessaria sit ad Sacramentum Pœnitentiæ; si absolutio nihil aliud sit, quàm declaratio juridica peccati jam remissi, ut adversarii istiusmodi contendunt, minùs miror, quod adeò rara penès ipsos confessio sit, & licèt eorum aliqui frequentem suis pœnitentibus, præsertim mulieribus, suadeant, ipsi tamen vix semel annis singulis confiteantur, quemadmodum ex eorum literis in causa Quesnelliana telatis Art. 10. §. 6. exploratum est.

Et sanè cur ceremoniâ tam molestâ, & ut existimant parum utili, utantur frequentius? Quis verò, nisi urgentissimâ necessitate confiteatur, si publica exigatur peccatorum propalatio?

Hujus necessitatem inducere, sive, ut Novatores ajunt, reducere conatus est cum Sancyrano Antonius Arnaldus; subdolè quidem, itaut à suis ambo satis intelligerentur discipulis, non ita ab aliis; quo serpere novitas impune posset, neque in Judicio facile convinci. De Arnaldo Sancyrani Discipulo, novitates post Magistri obitum prosequente, mox distinctiùs agendum est.

Interim Lector sapiens consideret, nihilne in his omnibus lateat, nihilne etiam se palam prodat, quo fidei ac moribus plaga inferatur: dein quibus imputari oporteat divisionis malum, quodcumque inde partes inter contrarias exortum conspicimus, ipsique nobiscum lugere videntur Adversarii; Catholicisne communi adhærentibus doctrinæ; an importunis istiusmodi, atque præposteris Scholarum & Ecclesiæ Reformatoribus.

CA-

CAPUT VII.

Arnaldus quæ tradita acceperat à Sancyrano dogmata, latiùs propagavit, magnâ Ecclesiæ perturbatione.

1 Primus, quo clarescere potissimum Arnaldus voluit, & præsentem Ecclesiæ, in administrando pœnitentiæ Sacramento, praxim convellere, liber extitit *de frequenti communione*. Compositus ille à Sancyrano fuerat cum inscriptione *de pœnitentia*; sed editionis gloriam magister relinquere maluit discipulo; sic Operi pariter consulturus, & famæ Arnaldi, quem successurum sibi novæ Ecclesiæ principem designabat.

Conducebat Operi plurimum quod Arnaldus author communiter crederetur, qui multorum necessitudine, & amicitiâ potens, faciliùs posset non doctorum solummodo; sed etiam Antistitum acquirere approbationes, quæ lucubrationem redderent magis commendabilem, & à condemnationis periculo securiorem: Hæc quoque multo elaborata studio, conciliaret parenti suo credito authoritatem. Neque reverà tota compositio est Sancyrani; sed aliqua ab Arnaldo addita sunt, occasione, seu prætextu refutandi cujuspiam Religiosi, novis istiusmodi directoribus animorum, & Reformatoribus adversantis.

Mutandus etiam Arnaldo libri titulus apparuit, atque ad subornandam meliùs fallaciam, substituenda epigraphe *de frequenti communione*, subintelligendo *de rarissimâ*. Dum autem novi Theologi, hoc instituti volumine, unicum pro peccatis mortiferis, in primitiva Ecclesia agnoscunt pœnitentiæ genus, idque Canonicum, seu publicum, & simul ad statum Ecclesiæ pristinum restituendum, omnia se disponere gloriantur, facilè est colligere, quænam ab ipsis reformatio prætendatur. De hac Ægidium de Witte Arnaldo velut oraculo suo scribentem audiamus 11. Junii 1681.

„ Aliquando subit mihi cogitatio conscribendi aliquid de Sacramento Pœnitentiæ historicè ac doctrinaliter; quia hoc arbitror conducere posse ad collapsos Christianorum mores quadantenus restaurandos.

„ Morini historia, ut multa corrasit, quæ placent, ita in plurimis & omninò displicet. Certè non multum conferet in illum finem, quem jam exposui. Ab hoc negotio, quod alioquin satis est arduum, me deterret una palmaria difficultas, quam hisce vobis exhibeo, ut vel lucis aliquid, vel consilii à vobis hauriam; vereor enim ne idem ipse portas etiam laxitatibus aperiam, qui velim occludere.

„ Sedulò pertractanti mihi, quæ Patres de Sacramento Pœnitentiæ edidêre, hæc ingeritur opinio, non omnia antiquitus, quæ nunc vocamus mortalia peccata; sed eorum pauca dumtaxat, per Sacramentum Pœnitentiæ curata fuisse; reliqua verò privatâ compunctione, ac bonis operibus abstersa.

„ Inducor in hanc sententiam variis argumentis: Aliqua delibabo. Primum statuo, non binam, ut volunt Morinus, Petavius & alii, sed unicam dumtaxat peccatorum mortalium Pœnitentiam veteribus notam esse. Facile mihi est hanc Propositionem stabilire, & omnia adversariorum argumenta contraria convellere. Huic tamen probationi jam non immoror; quòd arbitrer vos hac in re non dissidere, quam & olim in libro *de frequenti Communione* solidè astruistis.

„ Difficultatis, quam proponere decrevi, cardo versatur in hac quæstione, an unicæ illi publicæ Pœnitentiæ omnia peccata mortifera subjecta fuerint.

„ Circa quam opinor in hunc modum: Initio quidem in paucissima peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, sive claves Ecclesiæ animadversum fuisse, paulatimque cùm Christiani mores in deterius irent, & nova eaque gravia crimina erumperent, peccatorum Pœnitentiâ eluendorum numerum excrevisse.

„ Arbitror, sensim & in variis Ecclesiis, variè criminum Pœnitentiâ castigandorum extensionem factam, quæ inter cætera maximè elucet in Canonibus Concilii Eliberitani, & S. Basilii ad Amphilochium. Dilabor ad Augustinum nostrum; quia supervacaneum est de hac materia fusiùs vobiscum agere. Insinuare mihi videtur etiam non omnia peccata mortem æternam inferentia per Pœnitentiæ Sacramentum curata fuisse...

„ Libenter igitur quid super hac Propositione sentiatis, intelligam; nam, si ita est, quis modus hæc evulgandi ut laxitatibus non pandatur via? Et quis modus silendi hanc quæstionem, si de Sacramento Pœnitentiæ historicè conscribatur? An non satiùs abiicienda est istius tractatûs cogitatio? Quod & facere paratus sum. Interim flagito, ut mentem vestram super hac re non gravemini aperire „.

Hanc Epistolam refert *causa Quesnelliana* Art. 10. ubi Procuratoris Fiscalis nomine,

ue, Illustrissimus D. Henricus Josephus Van Susteren sic animadvertit: " Ecce ut famosus „ ille *pro S. Cornelio Athleta* (Ægidius de „ Witte) ad Arnaldum ceu ad ducem suum „ recurrat, seque ejus judicio subiiciat, pa„ratus Tractatum suum ac lucubrationes „ Vulcano consecrare, si ita Arnaldus cen„seat expedire. Utinam lucubrationes, „ quas in materia Sacramenti Pœnitentiæ „ dein edidit ille Arnaldi Discipulus, æter„nis fuissent immersæ tenebris„! Belgium enim totum ad illas linguâ Belgicâ conscriptas plurimum obstupuit, gravissimeque offensum fuit. Alphonsi Archiepiscopi Mechliniensis contra illud Diploma exhibebitur mox, ubi quædam dedero ex libro, quem de *Pœnitentia* prius scripserat Sancyranus; sed editionis gloriam, ut dixi, Discipulo suo Arnaldo relinquere voluit.

Alexander VIII. excerptas ex eo à Belgis Theologis Propositiones varias, ac Sedi Apostolicæ denuntiatas, inter triginta & unam, gravibus respectivè censuris prohibuit ac condemnavit, tacito Authoris ac libri nomine.

Arnaldinæ Propositiones sunt quæ sequuntur: Decima sexta: *Ordinem præmittendi satisfactionem Absolutioni induxit non politia, aut Institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante* Decima septima: *per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus*.

Decima octava: *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet autoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*.

Vigesima secunda: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis Pœnitentiam egerint*.

Vigesima tertia: *Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*.

Ægidio Gabrielis adeò placuit liber Arnaldi de *frequenti Communione*, ut pro suis *speciminibus moralibus*, quibus non parum Belgium conturbavit, plurima ex eo praxi Ecclesiæ non convenientia mutuatus sit, quale est pag. 119. *Per statum firmum & immobilem in virtute Christiana homo judicari debet dignus Eucharistiâ*.

Si arcere à Communione oporteat omnes illos, quorum affectus nondum sunt purissimi, & omnis mixtionis expertes, quique nondum firmitatem in virtute Christiana nacti sunt *immobilem*, non nisi paucissimis christianorum [si ullis] permittenda est Sacra Synaxeos participatio. Nonne istiusmodi rigor, si in Ecclesiam inducatur, ingentibus illic turbationibus occasio erit? Et quis divisionis, qui in animorum Directoribus, & multitudine fidelium orietur, author fuerit & fautor, nisi cum suis sectatoribus Arnaldus?

Horridum hic contra communis praxeos tenaces confessarios & Pastores intonat libro *de frequenti Communione* Editionis latinæ pag. 299. *Sacrilegè & nefariè dilaceratur Ecclesia, si is, qui peccatum mortale commisit, admittatur ad Sacram Communionem ante actam pluribus diebus pœnitentiam*.

Sic etiam author Thesium Lovanii defensarum anno 1690. 26. Januarii; *Impium est dare absolutionem Sacerdoti non multò ante lapso, esto quædam esset celebrandi necessitas, populus ne die festo populus Sacro frustraretur*. Ibidem: *Non est absolvendus de cujus relapsu Confessarius dubitat vel formidat*.

Quantis regulæ istiusmodi nimiùm generales obnoxiæ sint commotionibus, & scandalis, prudentes Confessarii facilè intelligunt. Quamdiu fragiles peregrinamur, quis extra omnem lapsûs, vel relapsûs formidinem est? Quis *firmitatis in virtute immobilis*? Tales quidem Janseniani judicio suo sunt; quod sapientiùs censent alii fatuam præsumptionem.

Non minùs insipiens censura est Matthæi Rovuroy in Namurcensi Seminario Professoris, dum Observ. 7. de gratia ait: *Ex doctrina de gratia per se sufficienti, sequitur non rectè administratio Sacramenti Pœnitentiæ*. Idem de Fide §. 11. *Doctrina de gratia sufficienti ducit ad laxitatem*. Rursus observ. 7. de gratia: *Qui statuunt gratia efficaciam in Prædeterminatione non rectè sentiunt de differenda Absolutione*. Ibid. *Aliud est, quod illos Theologos Thomistas recentiores facit malè judicare de conversione peccatoris, & consequenter de dilatione Absolutionis, nempe certi modi loquendi Sancti Thomæ, & Thomistarum veterum, quos minùs intelligunt; ut sunt hi: Minima gratia, minima charitas sufficit ad Justificationem*.

Cui Thomistæ, cui Scholæ alterius cujuscunque Catholicæ Theologo non bilem moveat Professoris haud admodum provecti temeritas? sed nempe sic institutus fuerat Lovanii à Gummaro Huygens, qui sibi *Doctoris intrepidi*, ut suprà monuimus, nomen assertis audacioribus consecutus est.

Matthæum hunc dignum tali magistro Discipulum à docendi Cathedra amovit Namurcensium Antistes. Similem Illustrissimus Hum-

Humbertus Archiepiscopatui admotus Mechliniensi, reperit in Seminario suo Professorem Joannem Opstraetium, quem mox pariter exauthoravit.

Quesnelli autem & ei adhærentium Novatorum hypocrisis mirabilis est, & confidentia impudens, quâ Ecclesiam ejusque Moderatores supremos accusare palàm audeant, quasi *fautores divisionis*, dum centenis ipsimet, quas ignorare nequeunt, probationibus convincuntur, esse authores fautoresque manifesti dissensionis tanto tempore Ecclesiam divexantis.

Magis etiam insuite eos oportuit; si hæc omnia neque fidem attingere, neque mores autumaverint.

At, inquiunt, dogmatibus istis, utpote consonis veritati; neque *fides læditur*, neque depravatio ulla fit in *moribus*.

Capio, quod juxta vulgare Proverbium, non malè cuique suæ oleant sordes, atque istud in omnibus passim locum obtinet hæreticis.

Quinimò *Joannes Cantor* adversus Steyaertium edens *Refutationem Conclusionum Theologico-practicarum*, in Præfatione ait: *Quis usque adeò in Theologicis peregrinus est, ut ignoret, non elapsum modò; Sed elapsa ante nos plura Secula, à salutari pœnitentiæ, per Concilia & Patres traditæ rigore, plurimum recessisse, & indulgentiâ suâ nimiâ non modò innumeras animas egisse præcipites; verùm & omnes status & ordines, seculares & Ecclesiasticos horrendum fœdasse.*

Joannis Cantoris nomen fictitium est: Author creditur Ægidius de Witte. Difficiliùs divinabirur author libelli belgicè scripti, cui titulus: *Solida & brevis demonstratio, non esse sectam Jansenistarum in Hollandia*. Illic pag.86. quæritur: *Est ne novitas, quod aliquis, qui tantum semel in grave peccatum incidit, nequeat tempore se exiguo convertere? Nonne istud omninò est fundatum in Euangelio?*

Rationem ulteriorem reddit Ægidius Gabrielis in *speciminibus Ethicæ Christianæ* pag.131. *Ratio differendi absolutionem, donec proportionata delictis pœnitentia peracta sit; est quia sanatio spiritualis peccatoris de lege ordinaria, non minori tempore indiget, quàm corporalis; imò majori.*

Ubi author vel supponit conversionem fieri solis naturæ viribus (ut fieri solet sanatio corporis) quæ suppositio minimè Catholica est; vel gratiæ vires supponit non esse majores; sed potiùs minores viribus naturæ, quæ iterum suppositio abhorret à Catholica veritate.

Ut igitur mortifera corporis læsio pluribus eget non hebdomadis solùm; sed etiam mensibus; differenda absolutio statuitur *non minore tempore, imò majori*. Unde Theologus iste Arnaldo devotissimus, in iisdem speciminibus pag.154. & 318. concludit *Praxis mox absolvendi post Confessionem criminum, est praxis & Moralis Diabolica.*

Turbatissimam vidimus Mechliniensem Ecclesiam ante adventum Illustrissimi Humberti, annis pluribus, quibus Archiepiscopatui præfuit Antistes ex Principe familiâ oriundus, & indole minimè malus; sed Theologicis tinctus levius, quàm illius temporis circumstantiæ, & grassantium contagia novitatum videbantur exigere. Is, nescio quo fato, in Lovanienses quosdam inciderat Administros, in Theologicis quidem Antistite haud multò peritiores; sed novæ prorsus deditos factioni. Satis istud erat Novatoribus, ut ea exequerentur consilia, quæ ingentibus Archidiæcesim illam motibus concusserunt.

In Pagis ubi præter Parochum, & Vicarium seu Capellanum, nullus aderat Confessarius, integræ Parochiæ, uno subindè altero ve excepto, dimittebantur sine absolutione, etiam festis Paschalibus: undè rustici utriusque sexûs pro absolutionis beneficio turmatim ad Civitates, & Sacra Regularium tribunalia recurrebant. Reduces nova expectabat tempestas, denegatio Communionis. Percommoda ea Parochis accidebat durities. Sic enim Confitentium multitudine se facilè expediebant; dum Confessionis initio captabant occasionis quidpiam, quo Confessionem abrumperent. Neque sic repulsi pœnitentes ad eosdem facilè Confessarios revertebantur. Quinam ibi tantorum motuum & *divisionum* authores *fautoresque* dicendi, nisi Arnaldinarum partium novatores Parochi, & Confessarii?

CAPUT VIII.

Nova illa ab adversariis excogitata ratio reddendi Sacramentum Pœnitentiæ minùs necessarium, rarissimum, ac penè nullum, non minima perrexit esse divisionis occasio.

1 Habent Novatores, & desides Parochi dogma sibi commodum quo ad moribundos, noctè præsertim frigidâ, & insalubri aurâ vocati, minimè festinent; sed differant in crastinum; Sic enim Ægidius Gabrielis in speciminibus pag. 144. *hæc objectio: Quid si morerer non absolutus? vana & frivola est: vel enim peccator efficaciter intendit converti, vel non: Si effi-*

efficaciter intendit converti, pœnitentiam implebit, & , si moriatur ante absolutionem, solâ voluntate efficaci conversionis salvabitur : Si non intendit, absolutio ipsi oberit ; quia ad illam non est dispositus, sicque addit peccatis suis sacrilegium ad majorem sui damnationem.

Faciliùs nodum solvit, & omnem scrupulum Quesnellus eximit sive crudelitati, sive desidiæ talium Parochorum, Propositione sua 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio* ; proinde vel gratiam habet moribundus, & ipsa est peccatorum condonatio, vel omni gratia destitutus est, sine qua absolutio Sacerdotis irrita erit, & delictis prioribus addet Sacrilegium. Præterea juxta Propositionem 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus*. Tantum itaque moribundus eliciat actum fidei, atque à Deo petat peccatorum veniam, eo ipso viâ salutis graditur ad æternitatem.

Quisquamne unquam Theologus excogitavit hactenus modum, quo in adultis crimina cognita deleantur solis actibus externis? Mirabilis ea inventio Arnaldi est Lib. *de Frequenti Communione*. pag. 521. *Aliquando pœnitentiæ exteriores possunt esse tam magnæ, ut suppleant defectum doloris interni*.

Ad hanc assertionem absurdissimam respexerit indubiè Illustrissimus Abra de Raconis Vavriensium Episcopus, quando in Libro cui titulus *Continuatio examinis libri de Frequenti Communione* pag. 403. iniquam Arnaldi querimoniam sic repellit: *Nemo ex iis quos hic, Arnalde criminaris, quidquam impugnavit, præterquam errores perniciosi libri cujus te authorem venditas : nemo quidquam accusavit, nisi mendacia, quibus eundem librum fulsisti ad subruendum Pœnitentiæ Sacramentum, rescindendo Contritionem, & Confessionem Sacramentalem, totum reducendo ad pœnitentiam quandam Canonicam, & absolutionem Ceremonialem, denique ad abolendum usum Eucharisticæ Communionis, pretextu singularis cujusdam reverentiæ & dispositionis, cujus juxta Sancyranum expertes fuerunt ipsi Apostoli*.

Aliud stratagema subdolum Arnaldi, quo homines à pœnitentiæ Sacramento averterentur, detexit idem Vavriensis Episcopus. Lugebat scilicet hypocrita introductum in Ecclesiam morem, quasi ante non fuerit, confitendi peccata venialia, quo factum, inquit, ut cum Pœnitentiæ Sacramentum justis, & peccatoribus commune fit, constare publicè nequeat ex Confessionis usu, qui mortaliter deliquerint, qui tantùm venialiter, atque ita pro quibus ab interitu liberandis gemere potissimùm ac precari Deum Ecclesia debeat.

Mysterium iniquitatis si nondum, lector assequeris, clarissimè evolventem audi Vavriensem Antistitem in *Examine libri de frequenti Communione* pag. 216. *Lector judicet, quo ista, quam tanto molimine Sancyranus nitebatur inducere, collimet doctrina de abolenda peccatorum venialium Confessione; ut nempe Confessio quæ juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palam interiorem pœnitentium statum, animam emortuam, infamium, & Lethiferorum criminum sordibus opertam. Sic enim Confessionis onus, quod jam inde, & per se satis grave est, efficeretur minùs tolerabile : atque ita metu se prodendi, & reddendi publicè infamem, quilibet à Confessione averteretur; quem præcipuum fuisse Sancyrani scopum, satis exploratum est*.

Sed neque mortalium omnium peccatorum retinere Confessionem animus Sancyrano fuit aut Arnaldo ; Cùm enim ut observavit superius ipse Ægidius de Witte, interpres Magistri sui Arnaldi studiosissimus, libro ejus *de Frequenti Communione* non nisi unicum agnoscatur in veteri Ecclesia Sacramentalis Pœnitentiæ genus, idque Canonicum, quod non attingeret peccata venialia, neque omnia mortifera ; sed graviora solummodò, eaque publica, quæ ut scandalo exteris fuerant fidelibus, publicam requirebant pœnitentiam & reconciliationem.

Cùm fallacissimâ rigoris specie ad normam disciplinæ veteris, præsentem cupiant reformari, aut potius eupere se mendaciter simulent, satis apparet, quid suis perniciosi hypocritæ molitionibus intendant : confidunt scilicet populum, cui occultorum criminum, etiam merè internorum confessio gravis est, ejusdem cum pœnitentia Canonica mutationi facilè consensurum. Sed nondum tempus est, talia exequendi, aut explicandi distinctiùs, nimiùm adhuc prævalentibus cum Romano Pontifice Episcopis, Academiis, Pastoribus & Religiosis Catholicis.

Ideo si horum sapientia & Religio circumveniri, & in novitatis pertrahi patrocinium, aut consensum nequeat, fama & authoritas omni commentorum & calumniarum genere destruenda est. Initium huic stratagemati graviter datum videbimus in sequentibus.

Prosequamur interim discussionem temerariæ novitatis, quæ non leviter Provincias Belgicas exagitavit.

Nacti Jansenistæ, quem superiùs memora-

ravi Archiepiscopum Mechliniensem non valde eruditum, possessumque à novitatum amatoribus, palam prædicare cæperunt contra frequentem Sacramentorum usum, præcipuè Confessionem venialium, ut monui Tomo tertio.

Non defuere tamen tum è saniore Clero, tum è Religiosis præcipuè familiis, qui se novitatibus strenuè opponeret: inter quos R.P. Marcus à Sancto Francisco Carmelitanus Excalceatus, edito Libello *Aurea Fodina* nomine: Addidit dein *Libellum supplicem* adversus iniquas Ægidii de Witte oppositiones, & solitam ipsi in scribendo maledicentiam.

Duo nempe opuscula Patri Marco intorsit audax Ægidius, tam absona, ut ipsos puduerit Archiepiscopi Administros, aliàs ut dixi, à Novatoribus minimè alienos: Archiepiscopus quoque censuit non posse ampliùs tantam impudentiam dissimulari. Ex diplomate Archipræsulis perspicitur utcunque temeritas Novatoris.

„ Alphonsus de Berghes Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii &c. omnibus has visuris salutem in Domino. Ea removere cupientes, quæ progressum in virtute, & fructuosam Sacramentorum participationem possent impedire, cunctis curæ nostræ commissis commendamus non tantùm *usum piorum hominum in Confessione dicentium venialia* juxta Concilium Tridentinum Sess.14. cap.5. Sed etiam frequentationem Sacramenti Pœnitentiæ, *quod pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandis Christus Dominus instituit, magnos quidem fletus, & labores ad novitatem vitæ exigens: sed difficultates allevians multis magnisque commodis & consolationibus, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur*, ut discimus eâdem Sess. Can.1. Ibid. cap.2. & 5.

„ Ideò per præsentes decernimus, ex libellis intitulatis *Aurea Fodina suffossa*, & *Confutatio libelli supplicis R. P. Marci à S. Francisco Carmelitani Excalceati per Ægidium Albanum* (de Witte) *Pastorem & Decanum Ecclesiæ Parochialis & Collegiatæ B. Mariæ Virginis trans Diliam Mechliniæ*, expungendas esse tam provocationes ad ostendendum, quòd aliquis Sanctorum Patrum fuerit Sacramentaliter confessus, quodque aliquis tempore ipsorum fuerit ter Sacramentaliter absolutus, quàm Assertionem, quasi viventibus dictis Sanctis Patribus non fuisset usitata venialium Confessio.

„ Insuper expungendæ erunt censuræ seu notæ in dictum P. Marcum, sive in Præfatione dictorum libellorum, sive pag.5. dictæ *Confutationis*, atque aliter adscriptæ, necnon aliæ à duobus Censoribus nostris junctim determinanda: Et usque dum ea correctio fuerit facta, prohibemus dictos libellos quocunque idiomate imprimi, & quocunque modo distrahi; mandantes populum specialiter doceri de prædicta hujus Sacramenti utilissima institutione, & frequentatione, mediantibus debitis dispositionibus per Concilium Tridentinum requisitis, ac de præmemorato usu piorum hominum venialia confitentium: cumque coram nobis tam verbo, quàm scripto prædictus author pluries declaraverit, se nullam habuisse intentionem inferendi prædicto Patri Marco, aut alteri ullam injuriam, idcirco, & hanc declarationem omnibus, quorum poterit interesse, notam volumus. Actum Bruxellis in Palatio nostro Archiepiscopali die 28. Mensis Aprilis 1687. „

Nescio quid magis hic mirer, nimiam optimi Antistitis in castigando mansuetudinem, an adsistentium ei Ministrorum nequitiam.

Uterque Ægidii libellus scandalosissimus, non alto scriptus consilio, quàm ut communissima piorum praxis fidelium, à P. Marco proposita, & commendata, ludibrio exponatur cum religioso suo authore, uterque, inquam, Ægidii libellus à capite ad calcem nihil continens, nisi impudentem Doctrinæ & praxeos veteris impugnationem, ludibria, & contumelias in P. Marcum, non tamen oculis subtrahitur eorum penes quos est, sed prohibetur tantùm ulterior ejus distractio: neque ea prohibitio absoluta est, sed tantummodo donec corrigatur; cùm faciliùs *Augiæ stabulum* à sordibus mundaveris, quàm ab omnis generis vitiis utrumque Novatoris opusculum.

Persuasit Archiepiscopo Ægidius, & facilè confirmaverint subdoli ejus apud Antistitem patroni, quòd *nullam habuerit intentionem inferendi P. Marco, aut alteri ullam injuriam*. Quidquid scilicet contumeliarum, quidquid scommatum à maledicis in suos jacitur adversarios, non *injuria* ab iis reputatur, sed delictorum merita reprehensio.

Devotum Arnaldo & Quesnello discipulum Ægidium Gabrielis speciminum Moralium authorem citavi sæpiùs. *Specimina* is diviserat in *Christiana, & diabolica*: prioris generis erant Arnaldica, posterioris passim con-

contraria novitati. Offendit liber gravissimè quidquid rectè sentientium in Belgio Theologorum est, à pluribus impetitus, etiam ab Illustrissimo Fierlant Brabantiæ Cancellario, qui hanc suo præmisit Operi Præfationem.

Est animus (inquit) *exhibere dogmata libri, malis avibus in lucem jam toties protrusi, quæ religionis pacem non immeritò multis videntur turbare, & quæ non occultè cum Cornelio Jansenio, & Michaele Bajo conspirant; novum Pœnitentiæ ritum invehunt: ab Eucharistiæ perceptione tam salutari, toticsque, & tam impensè à Sanctis Patribus commendata avocant: verbo uno, religioni & moribus; meo quidem & multorum aliorum judicio, inimica... Nullæ mihi privatæ cum P. Gabriele inimicitiæ: virum amo: non amo doctrinam. Evolvi libellos, quotquot hinc illinc à Belgis Theologis scripti sunt tantâ animorum contentione, ipse partium liber. Nullus crudiùs, nullus importuniùs se gessit hoc authore in Morali sua Christiana ac diabolica.* Quod hic Illustrissimus Cancellarius præfatur, toto ostendit erudito opusculo, quo & *Moralis* illius condemnationem, & laboris tam utiliter impensi laudem egregiam ab Innocentio XI. consecutus est, ut constat literis Cardinalis Cybo, jussu Pontificis ad eum datis die 18. Decembris 1683.

Sententiam Romanam præcesserat Hispanica Inquisitionis Toletanæ die 28. Augusti 1681. prohibens & damnans *specimina* illa *Moralia Patris Gabrielis tanquam continentia Propositiones hæreticas Michaelis Baji, & Jansenii, sapientes hæresim, schismaticas, erroneas, falsas, temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas Christo Domino, Conciliis & Sanctis Patribus.*

Eodem Inquisitionis Hispanicæ Decreto prohibetur liber, qui non minus strepitûs in Belgio excitavit, à pluribus acriter, & solidè refutatus hunc præferens titulum: *Methodus remittendi, & retinendi peccata authore Gummaro Huygens Sacræ Theologiæ Doctore Lovaniensi.* Prohibetur autem *tanquam continens Propositiones Jansenii condemnatas, temerarias, & quæ tam fideles à Sacramento suscipiendo avertere natæ sunt, quàm Confessarios ab eodem administrando.*

CAPUT IX.

De quibusdam aliis circa Sacramenta novitatibus, quibus Ecclesia à Jansenii Sectatoribus conturbata est.

1 SUnt & aliæ novitates circa Sacramentum Pœnitentiæ, undè gravibus in belgio motibus, & *Divisioni* occasio secuta est. Illas Celebratissimus Humbertus Archiepiscopus Mechliniensis anno 1692. Sedi Apostolicæ denuntiavit, inter quas est titulus de satisfactione: *Scholasticæ novitates sunt, dicere, quod satisfactio tantùm sit pars integralis pœnitentiæ, de quo Sancti Patres, Capita, & Doctores sanctæ nostræ Ecclesiæ nihil sciverunt.* Ita Criticus spiritualis sive Ægidius de Witte contra P. Pluskens ex ordine Minorum parte 2. pag. 6. Idem parte 1. pag. 5. *Exercitium operum pœnalium non tantum necessarium est ad satisfactionem pœnarum, quæ reliqua manent; sed etiam ad remissionem culpæ, sive ad reconciliationem cum Deo.* Ibid. pag. 11. *Nihil clarius est, quàm satisfactionem planè destrui; si sequamur hoc principium: satisfactio non est necessaria ad deletionem culpæ: sed poenarum residuarum, aliàs in purgatorio luendarum.*

Plus strepitûs & scandalorum peperit in Belgio relaxatio sigilli in Sacramento pœnitentiæ; atque hæc non à laxis; sed à rigidis Theologis introducta, atque à similibus Confessariis deducta ad praxim. Re delata ad Sedis Apostolicæ Tribunal, inde responsum venit anno 1682. Feriâ quartâ die 18. Novembris: Datum in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Conventu S. Mariæ super Minervam coram Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

„ Præviâ maturâ Consultatione DD. Consultorum, facta fuit discussio sequentis Propositionis: *scientia ex confessione acquisitâ uti licet, modò fiat sinè directa aut indirecta revelatione & gravamine pœnitentis; nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur*: additâ etiam explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex Confessione acquisitæ cum gravamine Pœnitentis, seclusâ quacunque revelatione, atque in casu, quo multo gravius gravamen ejusdem Pœnitentis ex non usu sequeretur: & statuerunt, dictam Pro-

„ positionem, quatenus admittit usum dictæ
„ scientiæ cum gravamine Pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta
„ explicatione sive limitatione, & præsenti
„ Decreto prohibent, ne quis ultra audeat
„ talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere, sub pœnis arbitrio
„ Sacræ Congregationis infligendis: mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant.

Non abstinuere penitus Novatores in Michliniensium Archidiœcesi, donec illuc advenerit Illustrissimus Humbertus, singulari Dei & Sedis Apostolicæ providentiâ, à Brugensi Sede translatus, cujus vel fama fuit malevolis terrori.

Sic enim novarum partium Theologus & Libellorum istiusmodi Approbator ordinarius, auditâ hujus Antistitis ad Archiepiscopatum Regiâ nominatione Cognatum suum Carolum Bontium de ea anxius certiorem fecit, literis ad eum datis 27. Maii 1690. *En quot præsagia, de iis quæ impendent miseris Jansenistis! Sed speratur Deum veritatis suæ defensores non derelicturum*. Textus Gallicus est: *voici bien des presages de ceque l'on a à attendre pour les pauvres Jansenistes. Cependant on espere que Dieu n'abandonnera pas la cause des defenseurs de sa verité*.

Tam vera fuere de novo Antistite præsagia, quàm spes vana de protegendis cœlitus, prætensæ defensoribus veritatis.

Prima scilicet Archipræsulis cura fuit, suos inducere suffraganeos, ut secum unanimes extirpandis novitatibus incumberent, atque in primis urgendæ apud omnes accuratissimæ observationi Romanorum omnium Decretorum, quæ sive libros interdicerent, sive dogmata.

Remotior à sua Cameracensi Metropoli est Civitas Montensis: unde plus hìc audere visi sunt novatores: præcipua ferebatur querela, eaque publica, de quibusdam Oratorii Berulliani Presbyteris, contra quos, & alios è Clero Ecclesiasticos Archiepiscopus tribus in dignitate constitutis, visitationis contulit authoritatem.

Fuere illi Illustrissimus Bassery Brugensium Episcopus, Decanus Montensis, & Martinus Steyaertius multis titulis honoratus. Hi tres commisso sibi munere perfuncti, prolixas ad Cameracensem Archiepiscopum dedere literas die 10. Julii 1690. quarum solummodo pertinentem huc laciniam exhibeo.

„ Ultimum (inquiunt) superest; sed
„ non minimum, quod nuper exortum, non
„ Oratorii solùm Patres; sed omnes passim
„ supradictos pervadit, admittitque disertè
„ à se non solo practicatum Pater Maillart
„ Oratorii Sognienfis, nempe quòd jam passim à Pœnitentibus exigatur, per alios quidem mitiùs, per alios duriùs, ut complicem peccati carnis, præsertim Ecclesiasticum Confessario revelent, veniamque dent, eum superiori denuntiandi, quod
„ nusquam Episcopi aut Pontifices sentiunt,
„ nullibi Sancti vel Doctores tradunt nisi in
„ casu solicitationis.. Cogitari quidem posset, quid in Patrem Maillart statuendum foret, qui excessum suum etiam fassus est,
„ & super quo notabilis fuit querela, ut præsertim patet ex depositione Pastoris Sancti
„ Nicolai.

Non minores fuere Lovanii contra *Doctorem intrepidum* querelæ. Cùm is Collegio Adriani VI. Pontificis Præfectus, alumnorum etiam animos susciperet in Sacris Confessionibus dirigendos, non facilè erat ab eo ad Beneficium aliquod, ad curam animarum, vel Sacrum ordinem testimonium accipere, nisi eodem uteretur Confessario. Variorum autem de eo querimonia confirmata fuit ex quibusdam ejus literis tempore Alphonsi Mechliniensis Archiepiscopi scriptis, & post ejus obitum, sub Humberto ejus Successore in Tabulario repertis. Hæc contra *Doctorem intrepidum* mota tempestas, reliquos inferioris notæ haud parum coercuit.

Famosus quidem, & ipsum *Doctorem intrepidum* audaciâ superans Ægidius de Witte, sub fictitio *Joannis Cantoris* nomine satis notus, in Refutatione Conclusionum Theologico-practicarum de administratione Sacramenti Pœnitentiæ pag. 7. *Confidentis* (inquit) *arrogantiæ est, generatim asserere, perperam adhiberi scientiam ex Confessione habitam, ad Complicis, Familiæ, Sociorum correctionem*.

Accusatus hactenus confidentis arrogantiæ non fuerat Clemens VIII. cujus illud legitur Decretum editum anno 1594. die 26. Maii. *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioratus fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*.

Denique sapientissima est Doctrina Angelici Aquinatis in librum quartum Sententiarum Distinct 21. quæst. 3. *Nec tamen sigillum Confessionis contra charitatem militat; quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit: illud autem quod sub Confessione scitur, est quasi nescitum, cùm non sciat ut homo, sed ut Deus*. Unde Theo-

Theologi communiter statuunt, licitum aliquando Confessario negare peccati notitiam, quam ex sola hauserit Confessione; quia, inquiunt, non hic propriè mentalis, sed realis maximè restrictio est, consignificante circumstantiâ Confessarii, quandoquidem, ut ait S. Thomas *illud quod sub Confessione scitur, est quasi nescitum, cum non sciat ut homo* (qui unicè interrogari potest) *sed ut Deus*.

Rigor hic contra restrictionem communissimo judicio innocuam, & fortè necessariam, magis apparet exoticus in iis, qui in excusandis apertissimis mendaciis contra omnes scholasticos iniquissimè benigni sunt, ut nihil dicam de perjuriorum praxi à Quesnello traditâ, de qua differet Articuli ultimi confutatio.

Nemo contra memoratam Confessarii restrictionem rigidior est Gummaro Huygens, alias (ut diximus) *Doctore intrepido*: nemo in præstando mendaciis patrocinio manifestius magis & temerarius, quàm eodem magistro vix inferior impudentiâ discipulus, qui Lovanii 1696. die 21. Julii in Schola Artium Professor, hanc Thesim à se typis editam defendit publicè. *Mendacii malitia nequaquam ab oppositione cum prima veritate; sed ab oppositione cum jure alterius, cui loquimur repetenda. Quare cessante hoc Jure, aut ab alio eminentiori absorpto, nulla fuerit hæc malitia*. Quale autem à prætensis istiusmodi Augustini Discipulis jus creditur eminentius eo, quo ad suorum obligari se autumant dogmatum propugnationem, à quo proinde quodvis aliud absorbeatur oppositum? Et sanè Professorem hunc tum temporis juvenem profecisse adeò nuper vidimus, ut contra Sedem Apostolicam se erexerit Censorem, Decreta ejus condemnare non veritus iniquitatis & imprudentiæ.

Sunt & aliæ Theologorum nobis adversantium assertiones circa Sacramenta, quæ ut antea in Belgio inauditæ, cùm nuper introduci cæperant, non apparuerunt satis securæ; unde occasio variis inter Theologos motibus data est, ut illas Humbertus Archiepiscopus Mechliniensis Sedi Apostolicæ Judicaverit denuntiandas anno 1692.

Inter illas sunt parte septima Art. 2. *Non Baptizati, qui baptizati creduntur; si cum Fidelibus in Sacramentorum perceptione communicent, non malè de Ecclesia esse dicuntur*, atque ita Janseniani à Pontifice excommunicati, si à suis tales esse non credantur, & cum Fidelibus communicent, de Ecclesia erunt. Securiùs nos insisti credimus Concilii Florentini Decreto pro Armenis: *Per ipsum* (Baptismum) *membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ*. Eodem Decreto discimus, *Primum omnium Sacramentorum locum tenere Baptismum, qui vitæ Spiritualis janua est*.

Quare etiam Primati nostro Belgii & Theologis illic communissimè displicuere propositiones tres sequentes: Prima: *An Sacramentum confirmationis validè conferri possit non baptizato, hactenus non est decisum*. Secunda: *An character Ordinis præsupponat Characterem Baptismi, est vetus quæstio, hactenus indecisa, cujus utramlibet partem sustinere fas est*. Tertia: *si sustinueris characterem Sacerdotii supponere Characterem Baptismi, non ideò satis liquidè cogeris admittere, panem non esse validè consecratum, super quo consecrationis verba protulerit non batizatus ad Sacerdotium promotus*. Tres ultimæ Propositiones unius Theologi sunt, uti & quæ sequitur: *Quid ni impedire posset Ecclesia, ne Episcopus Canonicè ordinatus, & post ordinationem in hæresim lapsus, validè deinceps ordinet?*

Quibus Articulis aliisque facilè centum de Sacramentis, quos brevitatis gratiâ prætermitto, nullam quidem Censuram Archiepiscopus infligit; sed suam solummodo, Denuntiatione ostendere voluit erga Christi Vicarium, & Eminentissimos ab eo constitutos Fidei Quæsitores, observantiam.

Horum enim mandatum Literis Cardinalis Cybo acceperat, colligendi quotquot ipsi viderentur Propositiones, Belgii Provincias conturbare. Paruit Religiosissimus Archipræsul, & vel inde confirmatur Lector Catholicus contra præsentem Quesnelli Articulum, non exerceri à Præpositis Ecclesiæ tyrannicum in *Fidem Fidelium Dominatum*. Præterea qualiscunque adversariis appareat *divisio*, eam minimè induci à Theologis Pontifici obsequentibus, minimè ab ipso Christi Vicario, aut institutis ab eo Sacris Congregationibus foveri; sed à Quesnello eique adhærentibus Antipontificiis, qui nullam reverentur in Ecclesia authoritatem, nullum suis injici frænum novitatibus patiuntur.

CAPUT X.

Quibus attribuenda Divisio orta in Belgio occasione septem punctorum, nisi Arnaldicis & Quesnellianis in Belgio Novatoribus?

1 Non levem in Belgio divisionem peperit definitio *septem punctorum, quæ credi oporteret necessitate medii*. Aliqui Diœceseos Mechliniensis Parochi, freti sive indulgentiâ Antistitis Alphon-

phonsi, sive ei ministrantium maleficâ cum Novatoribus collusione, determinaverant puncta septem veluti credenda ab omnibus necessariò necessitate medii. Quæ molitio graves inter Theologos motus, ac diffidia produxit, & mox Romam delata Summo Pontifici, Cardinalibus, atque Consultoribus displicens reprobata est.

Romanæ Sententiæ refractarii se opposuere in Belgio Novatores, eamque editis vindiciis impugnarunt; sed & ipsæ temeritatis statim pœnas dedêre, Romano diplomate proscriptæ. Arnaldus autem qui tunc recens è Galliâ in Belgium profugerat, zelum suum illico exercere voluit, seque Belgis Novatoribus præstare Antesignanum.

Ut enim nunc intelligo ex Literis Joannis Neercassellii Episcopi Castoriensis, ante Archiepiscopum Sebastenum Apostolici in Hollandiâ Vicarii, datis anno 1680. die 8. Februarii ad P. Picquery Montensis Oratorii Rectorem, ad hunc statim se receperat Arnaldus, antequam ex Hannonia in Brabantium migraret, aut Hollandiam, latebras quæsiturus, quam posset tutissimas, & ad novæ Ecclesiæ præsidium optimè accommodatas.

Has tandem Bruxellis nactus est. Minùs securæ illę Gerberonio, Brigodio & Quesnello post Arnaldi obitum fuere, Archipræsulis randem sagacitate detectis comprehensisque anno 1703. Feriâ quartâ post Pentecosten. Obiter noto fugam Quesnelli è Galliis, Arnaldicâ quinquennio & ampliùs posteriorem fuisse, utpote quæ fuit solùm anno 1685.

Reperit itaque Quesnellus novam Ecclesiam ante suum in Provincias Belgicas adventum, operâ & industriâ Arnaldi non levibus auctam progressibus, animos crevisse novis Theologis, jacta studiosè semina *Divisionis*, omniaque ad rebellionem contra Sedem Apostolicam disponi.

Indicium hujus aliquod nobis exibet Arnaldi ad suum in Urbe Agentem Epistola scripta anno 1681. die 2. Januarii. *Si* (inquit) *vera sunt, quæ hic à Monachis sparguntur, quod Justificatio praxeos Pastorum circa septem puncta* (credenda necessariò necessitate medii) *Censuram Romæ non effugerit, neque etiam liber Patris Gabrielis, nonne cogentur homines judicare, quòd rectissimè faciamus in Galliâ retinendo fortiter possessionem, in qua sumus, contemnendi omnes istiusmodi dimanantes ab Italia censuras; quandoquidem quod fieri conspicimus sub Pontifice tam Sancto, omnem videatur spem adimere, futurum ut majore illic imposterum circumspectione ferantur judicia.*

Idem 16. Aprilis 1683. *Quocunque oculos circumferimus, offerunt se undique rationes multiplices lamentorum. Una ex illis est, quam nuntias, de libro Patris Gabrielis. Non dubito, quin antequam hæ tibi literæ tradantur, Censura ad nos pervenerit. Et adhuc angit te cura ne forsitan ab iisdem Censoribus feriatur Causa Janseniana propter titulum! Candidissimè assero, de eo perparum me esse sollicitum.*

Quid enim istiusmodi Censorum genere agas, qui prompti semper sunt ad condemnandum veritatem quamlibet, ubi vel inanissima fuerit Bajanismi aut Jansenismi imaginatio? Ea Romanorum Idola sunt, quibus consecrari omnia oportet, aut potiùs Idolum ipsis verum est sua gloria. Ea ipsos reddit obstinatissimos in omni suo, quamvis iniquissimo, facto, & maximè pudendo.

Exemplum iterum Arnaldus ingerit, quod præcipuam hîc sibi ait indignationis esse causam, nullo tempore Romanis Congregationibus condonandam; videlicet *proscriptionem non solum prioris opusculi de septempunctis, sed etiam posterioris, quod erat,* (inquit) *innocua præcedentis defensio*, dicta *Justificatio praxeos Pastorum. Hæc omnia me confirmant quotidie magis in Proposito, quod pridem conceperam, minimè curandi; sed contemnendi penitus omnes istiusmodi condemnationes librorum, sive illæ ab Inquisitione emanaverint, sive ab Indicis Congregatione; quandoquidem tot videamus occurrere exempla, quibus signum reddatur valde æquivocum, alicujus illic prohibitio libri, vel condemnatio.*

Eandem Arnaldus materiam adversus Romanas librorum dogmatumque proscriptiones pluribus prosecutus est anno 1692. in lucem edito infami opere, trecentas & quinquaginta sex paginas complectente, quarum vix ulla est, quæ non aliquod rebellionis contra Sedem Apostolicam specimen prodat. Operi titulus est *Nona pars difficultatum propositarum Domino Steyaert*; partem autem hanc cum octo præcedentibus nominatim expressis, singulari Diplomate Sedes Apostolica condemnavit.

Stupenda bonis omnibus, & maximè deploranda apparuit ea senis octogenarii cæcitas & obstinatio, quòd satis prospiciens non procul abesse terrificum Numinis Judicium, maximè sibi conscius vitæ turbulentissimæ, ac penè totius in maledicis, & contumeliosis opusculis, novitates, hæresim, schisma spirantibus contra leges Ecclesiasticas, & politicas transactæ, eam terminare veritus non sit memorato volumine, quo vix aliud magis irreverens, magis scandolosum à per-

ver-

verissimo hæretico contra Sedem Apostolicam, & promanatia inde Decreta noscitur prodiisse.

Scribenti Magistro, & sub annorum pondere fatiscenti strenuam indubiè operam contulit subpar Discipulus contubernalis Paschasius Quesnellus, quemadmodum non sine Magistri consilio & approbatione, suas in novum Testamentum composuerit *Observationes Morales*, unde centum & unus Articuli excerpti Constitutione *Unigenitus* proscribuntur.

Hæc omnia cum præcedentibus considerans lector judicet, an non insigniter pacifici sint Adversarii, & ab omni umbra Schismatis abhorrentes, qui semper nova & exotica circa Religionem moliuntur, nunquam se intra communis Doctrinæ & praxeos Ecclesiasticæ limites continent, in nullis se patiuntur excessibus corrigi; redarguti aguntur in rabiem; omnia questibus, contumeliis, tumultibus replent.

Quapropter, si pacem desideret Respublica, si unionem Ecclesia cum istis novi Augustini Discipulis, hanc sibi ab illis noverit præscriptam legem, ut habenas eis relinquat laxillinas, amplissimam, inquam, innovandi quidlibet facultatem. Tunc & non aliàs Quesnelliana Factio vociferari desinet adversus Ecclesiæ Præpositos, tanquam pessimam hæreticis & Schismaticis ingerentes de ejus regimine opinionem, propter Dominatûs exercitium, quod illic, Judicio Quesnelli, cernitur supra fidem Fidelium, & propter divisionem quæ à præsidibus fovetur circa res innoxias, à quibus nihil metuendum sit fidei, nihil moribus. Plura inquietæ indolis, audacis & Schismaticæ specimina Lectorem expectant in sequentibus.

CAPUT XI.

Non exigua divisionis causa est vulgarium devotionum, & Religiosorum eas præcipuè promoventium inhumana vellicatio.

1 Qui *Causam Arnaldinam* edidit anno 1699. solis ferè Arnaldi Tractatibus, iisque non paucis prohibitis consistentem, in præfatione vitam nobis Arnaldi descripsit ab incunabulis usque ad tumulum, cujus locum, qui in Diœcesi Mechliniensi esse creditur, si rescire Archiepiscopo licuisset, non fuisset passus terram sacram suæ subditam Jurisdictioni, à talibus contrabere cineribus infamiam. Nibilominus Præfationis author Arnaldum nobis exhibens ut Sanctum, Patribus Maximis vix inferiorem, præcipuè luget, quòd *ante septimum ætatis annum Patre optimo amantissimoque orbatus, Præceptorem in eo scientissimum amiserit, uitæque Magistrum, qui Antonii sui ingenium moresque formare, & literis excolere jam tum cæperat.*

Quale istud magisterium fuerit, qualis culturæ initium, proinde qualis jactura filio septenni talem amisisse in Patre institutorem, colligi utcunque potest ex Oratione ipsius Patris, quam patentibus valvis in senatu tanquam Causidicus habere voluit, sed à cognoscentibus ejus furorem senatoribus permissus tantummodò est suam contra Jesuitas Philippicam clausis januis declamare. Specimen ejus lector accipe: *Quando Jesuitæ totâ Gallia exulabunt, tunc securus degam: tunc videbo funestas omnes Hispanorum in Gallia disfractas machinationes: tunc Confraternitates omnes nominis Jesu, Funiculi seu Zonæ, Cuculli, collarii parvi & infinita alia in fumum ibunt ac ventos leves.*

Si in solos odium Jesuitas est, cur quidquid istiusmodi confraternitatum ab aliis institutum noscitur, directùmque tum Religiosis, tum clericis, ejicere Galliâ oportebit? Sed non ea sola declamationis istius labes est, ut plures variorum ordinum, etiam è secularibus animadverterunt, in ea plus aliquid detegentes quàm famæ Authoris conveniens videretur ac Religioni.

Hæc scilicet in suspicionem vocata est minimè levem, ab aliquibus Calvinismi, ab aliis, ut apparebat, mitioribus semicalvinismi, dum hæreseos contagium latè Gallias inundabat. Quod autem Causidicus Arnaldi parens, non solùm tunc ore protulit; sed ad posteros quoque typis voluit derivari; videtur altè animo impressum tenuisse Filius; Cùm ejus passim discipuli & Proselyti eadem premere vestigia deprehendantur. Inter eos ita Joannes Van Heumen tam Antipontificius, quàm Antimonachus Amstelodami Missionarius Epistolâ typis Editâ ad P. Glabais Minoritarum illic Moderatorem, pag. 8. *Quando executioni plenè mandabuntur edicta ordinum Hollandiæ* (contra Religiosos) *nonne Ecclesia Belgica brevi illic mutabit faciem? & tunc Religio non ampliùs alligabitur scapularibus, Rosariis, Funiculis, seu Zonis; sed verbo Dei.*

Vidimus aliàs Petrum de Ligny inter Duacenses Academicos Umbræ Arnaldicæ adoratores in professione fidei Art. 1. *coram Deo declarantem se adhæsione inviolabili addictum semper fuisse omnibus Arnaldi sententiis, quem Theologis semper præposuerit univer-*

versis. Unde sequitur Articulus 11. *Monachos sopire plebem, & in prava offendendi Deum consuetudine detinere, spe impunitatis, & Indulgentiarum pro articulo mortis, affixarum nescio quibus devotionibus ludicris, quæ ad mutationem morum, & conversionem vitæ nihil conducunt; sed sistunt in cultu quodam exteriore, & semijudaico*.

Denique Art. 12. *Inter populares istiusmodi devotiones numerari possunt Scapulare, Rosarium, Funiculus, & aliæ Confraternitates, quodque præstaret obsequium Ecclesiæ, qui devotiones illas aboleret phantasticas, & plus ludi mimici, seu theatralis continentes quàm veræ pietatis*.

Henricus Spoor priùs Sacræ Theologiæ Baccalaureus Lovaniensis, nunc corporum Medicus, singularem affectat in rebus Ecclesiasticis eruditionem. Tractare autem illas solet adeò scurriliter, ut in hac parte nihil concedere videatur spurcissimo inter Calvinistas & experti penitus religionis. In *Querulo Mercurio* Religiosos, Cultum Sacrarum imaginum, & Ecclesiasticas Ceremonias ad Idolorum Sacrificulos, & superstitiones rejicit pag.8. *Si aquas lustrales, si semideos, ad eosque supplicationes, Deos majorum & minorum gentium, divosque omni scientiæ, sceleri & pecudi præsidentes consideraverimus, simulque eorum cultum & ceremonias ad Monachorum supellectilem transtulerimus, Symbolizatio reperietur non exigua. Sed hæc in aures eorum insusurrare decrevi, neque enarrare Panem Tolentinum contra Febrim tertianam*.

Sic ille sive sacrilegâ libertinorum dementiâ circumventus, sive furore percitus contra omnes, quos aliquid operæ vel testimonii contulisse arbitratur ad amovendum à Vicarii Apostolici munere Archiepiscopum Sebastenum. Non attendit autem homo imprudentissimus, talia scripta minimè juvare causam suorum, sed magis prodere.

Noscitur enim è grege sive ovium sive hædorum esse Jacobi Catsii, qui unus è Sebasteni Provicariis, cum eo simul à Pontifice suspensus, ac dein penitus munere privatus, rebellis perstitit atque in notissima omnibus excommunicatione, vitæ infelici terminum posuisse creditur funestiorem. Proinde tam impia Spoorius prædicando super tecta, supponitur audivisse similia in cubiculis, ut pridem in hæreticis observatum est, quod magistrorum perfidia clanculum insusurraverat discipulorum auribus, horum temeritate in compitis divulgari. Unde manifestior redditur mutandi tunc regiminis in illa Missione necessitas.

Alter è Sebasteni Provicariis erat Hugo Van Heussen. Hic cum Joanne Christiano Van Erckel, & aliis octodecim è Clero illo Quesnellianarum partium presbyteris contra Sedem Apostolicam rebellibus protestationem edidit adversus Nuntium Pontificis Coloniæ residentem, die 10. Julii 1709. Præmittunt adoptatam à se Erasmi sententiam ex Epistola ejus 477. novæ Editionis: *Mundus oneratus est tyrannide Fratrum Mendicantium, qui cum sint satellites sedis Romanæ, tamen eò potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici, atque ipsis adeò Regibus sint formidabiles*.

Gisbertus Amstelius causam Sebasteni contra Pontificis sententiam suscipiens; primæ *Expostulationi* hunc titulum indidit: *Expostulatio adversus eos, qui dicunt se de consortio Jesu esse, & non sunt; sed sunt Synagoga Satanæ*. pag.4. illos alloquens societatis Religiosos ait: *Contra Archiepiscopum Sebastenum iniistis consilium ... pium illum Davidem exuistis solio*.

Veriùs exuerunt illum Quesnellus, & ejus socii novatores, dum pravis eum consiliis adduxere in reprobum sensum rebellionis, & pertinaciæ usque in finem, quæ diu nimium abutens Clementis XI. patientiâ, & benignitate; tandem Sanctissimum impulit ut inito prius cum Cardinalibus, & S. Inquisitionis Theologis consilio, eum sepulturâ Ecclesiasticâ & solitis Fidelium suffragiis privaret.

Quapropter nescio cujus unquam hæretici impudentiæ cesserit Quesnelliana, quando temere scriptum à se Articulum 94. usque ad finem vitæ retinere contumax ausus est, ac defendere, quo tyrannici dominatûs Exercitium, & luctuosa Ecclesiam perturbans divisio non solùm asseritur; sed ipsi tribuitur Apostolicæ sedi; quasi ab ea tum originem traxerit, tum perpetuum accipiat fomitem & incrementum: *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic Dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res quæ nec fidem lædunt; nec mores*.

Minimè sistit in relatis hactenus, ingenium novaturiens Quesnellistarum. Citatâ pag.8. prosequitur Henricus Spoor in *Mercurio Querulo*. *Missas facio Reliquias ex putri Catacombe collectas. Quid memorem supplicationes Compostellam, ad limina Apostolorum, ad capita trium Regum? Sileo Divos præliis, urbibus, artibus, opificiis, omnique pecudi patrocinantes. Non enim latet Mercurium, hujuscemodi rebus gazam Monachorum impleri; præsertim si miraculo quopiam aut Indulgentiis usque ad Campos Elysios penetran-*

trantibus fuerint dotatæ .

Sunt ne voces iſtæ Catholici in Theologia Baccalaurei Lovanienſis, an Genevenſis aut Batavi Calviniani, ad impietatem Atheorum magnis paſſibus properantis? Cum talibus niſi uniti fuerimus, *Diviſio* execrabilis Queſnello videbitur, quæ *inimicis Eccleſiæ peſſimam de ea ingerat opinionem*; utpotè *propter res, quæ nec fidei* nocumento ſint, *nec moribus* .

Anno 1700. ſub initium Aprilis ſcribebat ex Urbe Walonius ad Queſnellum. „ Confraternitates variæ ſe præparant ad „ inſtituendas feriâ 5. & 6. hebdomadæ San- „ ctæ Proceſſiones, in quibus ſtrenuè fla- „ gellabitur. Quæ eſt Sancti Marcelli, ſive „ Religioſorum Servitarum, dicitur condu- „ cere ducentos vel trecentos viros, ſoluto „ ſingulis ſex Juliorum ſtipendio, ut ſibi mi- „ nimè parcant. Scandalum ingens eſt, quod „ in Chriſtianorum Metropoli Pœnitentia ac „ religio in rebus talibus conſtituantur: vel „ potiùs devotiones iſtiuſmodi permittantur. „ Remittere eos oporteret ad Hiſtoriam Fla- „ gellantium, quæ hic hactenus non com- „ paruit.„

Idem in Epiſtola ejuſdem anni data 20. Aprilis" Intelligo, pleroſque eorum, „ qui in Proceſſione Sancti Marcelli ſe fla- „ gellabant, aut ferebant machinas Crucifi- „ xi, & candelabra facibus Ceræ candidæ „ onuſta, fuiſſe ex infima plebe bajulos, aut „ ruſticos, ad hoc conductos pretio & ebrios. „ Propinabatur eis vinum largiter, quo ro- „ bur adderetur. Spectaculum hoc, ut ajunt, „ referebat magis pompam bacchanalium, „ quàm piorum hominum proceſſionem.„ Hactenus Wallonius, qui eodem anno viſitationes quatuor Baſilicarum à Pontifice præſcriptas pro lucrandis anni Sancti Indulgentiis reprehendebat ſcurriliter in viris utriuſque fori Principibus propterea quod iter novem milliarium Italicarum conficerent vehiculis ſex equorum.

Hine mirari deſinamus Gaſettarios Hollandiæ referre, atque Ludibrio excipere res Sacras, quas Chriſtianorum in Eccleſiæ Metropoli pietas veneratur, quando videmus talia ab hypocritis, ſingularem in Urbe pietatem ſimulantibus, ad Religionis ludibrium, infenſiſſimis ejus hoſtibus perſcribi.

Ad proceſſionem quod attinet Sancti Marcelli, ea Romæ agentibus, & coram ſpectantibus Catholicis, uſu perpetuo probata adeò atque laudata eſt, ut nullius ibi egeat apologiâ.

Neque Walonius teſtari audet ſe ſcandali quidpiam quod commemorat, coram vidiſſe; ſed refert fide ſodalium, forſitan libertinorum, qui impiis iſtiuſmodi commentis apud ſimplices proficiunt, ſuaque perfidè promovent ſacrilegia. Ut autem mendaciorum nebulas lux ampliùs diſſipet veritatis, quotquot ſpectavere mecum Socii Proceſſionem iſtam anno Sancto à Servitis Patribus directam, eximiis laudibus extulerunt magnificum in eo ſplendorem ad pietatem, pœnitentiam & compunctionem decentiſſimè compoſitum; nihil verò ludicri, nihil quod occaſionem præbere potuerit calumniæ: undè quidquid ſcandali comminiſcitur Walonius, merè phariſaicum eſt, à ſolis malevolis Religioſorum ac Religionis hoſtibus immeritò accipitur, & magis impiâ fingitur temeritate.

Horror Sanctus, quem, ſe verberantium pia Sævitia incutiebat videntibus, & audientibus, ſpectacula potius Martyrum, quàm luxuriam bacchanalium referebat. Cur viles inter bajulos Walonius, non numerat Eminentiſſimos, & præcipuæ nobilitatis Cardinales, qui induti ſaccis, non ſolùm pedites toto tempore incedebant, ſed alternis quoque crucem præferebant altiſſimam: quem laborem neque Walonius, neque ullus facilè Janſeniſta ſubiiſſet. Is nempe Phariſæorum ſpiritus & hæreticorum eſt reprehendere in aliis quidquid boni operis vecors ipſorum averſatur ignavia.

Contra flagellationes voluntarias remittit nos Walonius ad *Hiſtoriam Flagellantium*, quam dolet Romanis non innotuiſſe, ut exterioris iſtud pœnitentiæ genus, tanquam noxium tolleretur. Verùm Hiſtoria illa Romam ſubiens anno 1709. propter ſpurcitias vehementer diſplicuit, atque in prohibitorum voluminum Indicem relata eſt die 4. Martii. Author ipſe fœditatem operis ſubodoratus, monuerat in præfatione, ſe ſcribere *Lectoribus piis, eruditis, caſtis, & non aliis*. Proteſtatio fuit actui contraria; non enim luci publicæ exponi debuit, quod tam multis præviſum fuerat nociturum: neque alium Præfatio uſum habuit, quàm ut caſti communiter obſcænitatem exoſi librum abjicerent, luxuriæ verò Sectatores flagitioſi, illum arriperent legerentque avidiùs. Non mihi animus eſt ſordes illas præſenti illinere operi.

Univerſa autem adverſarii contra uſitatiſſimum pœnitentiæ exercitium ad hoc reducitur accuſatio, *quòd ſit rectæ rationi, pietati, pudori contrarium; quòd ſint Idololatriæ veteris reliquiæ, quas in Chriſtianiſmum ſuperſtitio quorumdam imperitorum ſub devotionis, & pœnitentiæ umbrâ introduxit: exercitium, quod mentes hominum melancholicas ac moro-*

sas, incredibili jucunditate expleat, & voluptate.

Denique concludit author, *ex his locus dubitandi non relinquitur, quin Parisiensis Senatus, dum publicas pœnitentium processiones vetuit, solitariam flagellandi se ipsum reprehenderit insulsitatem.* Imo insulsissima arguendi ratio est, ex prohibitione Processionum istiusmodi, concludere privatorum actuum reprobationem. Universa pœnitentium multitudo, larvatorum erat, quæ suspicionibus alicubi poterat esse obnoxia, præsertim confluente undique turba spectantium plebæorum.

Alios offendere potest nuditas, alios cruentatio nimia, utque nullum adeò sanctum est exercitium, præsertim publicum, cui Diabolus non insidiatur, gliscentes in istud locis aliquibus abusus, quibus nihil commune est cum flagellationibus privatis, occasio esse poterant, cur publicæ prohiberentur, relictâ laudabili, & à nullo hactenus reprehensâ Catholico, consuetudine privatarum. Ineptissima quoque est pro harum reprehensione, allegatio veteris Historiæ de hæretica Flagellantium secta, cui ea verberatio erat pro Baptismate, quo quiquid committeret criminum, velut Baptismate abstergeretur.

Cui mediocriter erudito non ea *Flagellantium* hæresis nota est? Attamen ex tot scientiâ sacrâ imbutissimis sanctis, nulli hunc scrupulum in mentem venisse legimus, ut à spontanea illa castigatione abstinendum sibi duceret, quia hæretici eâ ad omne Sacrilegium abusi sunt. Nonne Sanctorum Patrum, atque ipsius potissimum Augustini authoritate, etiam Divini Spiritûs oraculis stabilire errores pridem voluit, & velle pergit hæreticorum perfidia?

Sanctissimo Jesu Christi Corpore ad artes magicas Diabolus, & ab eo instructi venefici abutuntur. Nemo tamen propterea, præter hæreticos, sacram hostiam criminatur. In S. Carolo Ecclesia laudat quod *nocturnis vigiliis, asperrimo cilicio, assiduis flagellis corpus domuerit.* In S. Cajetano quod *corpus integras noctes interdum verberationibus affligeret*: In S. Maria Magdalena de Pazzi, quod *corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inediâ, vigiliis, nuditate, atque omni pœnarum genere cruciaret.* De omnibus ferè recentiùs in Sanctorum numerum relatis, ea corporis maceratio inter encomia memoratur.

Ignoravere scilicet omnes illi Sancti ex utroque sexu, & ignorare pergit hactenus Ecclesia, *proprii corporis flagellationem esse rectæ rationi, pietati, pudori contrariam, esse idololatriæ reliquias, quas in Christianismum superstitio invexit sub umbra devotionis ac pœnitentiæ.* Nunc primum ex Wallonio & Socio ejus Novatore discimus, *exercitium illud adeò corpus non affligere, ut mentes hominum melancholicas, & morosas incredibili jucunditate expleat & voluptate.*

Quanto alias strepitu Novatores objiciunt *praxim S. Caroli!* Quomodo igitur tantis eam hîc incessunt calumniis? Verùm dicamus candidè, quòd res est, quemadmodum dulce bellum dicitur inexpertis, & minimè congruè judicant cæci de coloribus, ita Janseniani hypocritæ, & delicatuli de corporis macerationibus, quas nunquam fuit illis animus experiri. Nihil frequentius, ut jam monui, nobis illi occinunt, quàm *disciplinam & praxim S. Caroli*; sed præter hypocrisim verbosam, nihil habet ea ostentatio rigoris. Veterem buccinant clamosissimè pœnitentiam, quorum vitâ nihil sive à vetere, sive à nova pœnitentia invenitur remotius. Imponunt onera gravia humeris hominum, quæ ne attingere quidem ipsi digito cupiant.

Alphonsum Archiepiscopum Mechliniensem, Humberti nuper mortui præcessorem consiliarii domestici turbulenti multis implicuere molestiis, concitantes præcipuè in Religiosos Ordines, & usitatissimas illic devotionum consuetudines. Sæpè autem cogitavere consilia, quæ non potuerunt stabilire, unde fructum alium non referrent, quàm commotionem populi, & omnium contra se indignationem.

Cum de Processionibus mentio inciderit, geminas recordor quarum me contigit esse spectatorem. Carmelitani Patres Lovanii, in Processione cum Sanctissimo Sacramento circumferre solent imaginem Deiparæ; contra illam venerat eo anno interdictum ab Antistite, nolente ut filium imago Deiparæ comitaretur. Appellavere Patres ad Internuntium, qui authoritate Apostolicâ sustulit interdictum, & ne à tumultuantibus contrà Novatoribus scandalum fortè publicum crearetur, ipse Internuntius Bruxellis Lovanium excurrit, submissis eò simul à supremo Belgii Gubernatore militibus aliquot prætorianis.

Bruxellis etiam Novatores nomine Archiepiscopi vetuerant, ne imago S. Michaelis Archangeli, quem colit Civitas Patronum, simul cum Sanctissimo, ut mos fuerat, portaretur in Processione. Verùm cum indubitata prævideretur populi seditio, neque leve periculum immineret authoribus novitatis; pridie sub medium noctis misit Belgii Gubernator, unum è præcipuis Administris, qui Archiepiscopum certiorem redderet de peri-

periculo, atque ad interdicti induceret abolitionem.

Latuerat forsitan Novatores Bulla Clementis VII. controversiam clarissimè dirimens anno 1531. 11. Kal. Februarii, in qua sic statuitur; " Ne propter Superiorum sive „ Rectorum novitates, vel austeritates à suo „ bono proposito aut devotione Christi Fi- „ deles abstrahantur, aut aliàs in spirituali- „ bus detrimenta patiantur; sed ut ipsi Fide- „ les ad Ecclesias confluentes sedatis ac pro- „ cul rejectis quibuscunque discordiis, cæ- „ lestis gratiæ munus consequantur... volu- „ mus,& authoritate Apostolicâ ordinamus, „ quòd.... Processio annualis dictæ Cap- „ pellæ (Ecclesiæ de Assenede tunc Diœce- „ seos Trajectensis) quæ semel in anno, vi- „ delicet die Dominico post octavam Paschæ „ celebrari solet, ex nunc ut antea, illo die „ non celebretur; sed volumus quòd authoritate præfatâ ipso die S. Laurentii Marty- „ ris per dictos Rectores, sive per Cappel- „ lanum electum cum Confratribus & Con- „ sororibus dictæ Confraternitatis, cum Ve- „ nerabili Sacramento, ac imagine de sep- „ tem doloribus Beatæ Mariæ Virginis, per „ circuitum & intra limites, sive districtum „ prædictæ Capellæ, ut præmittitur, ad ho- „ norem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ „ Virginis, devotissimè celebretur... Quòd- „ que ut dicta processio devotiùs ac cele- „ brius perpetuis futuris temporibus fieri „ possit, ipsique Christi Fideles ad eam co- „ piosiùs confluant, quo ex hoc ibidem do- „ no cælestis gratiæ uberiùs se conspexerint „ refectos, de Omnipotentis Dei misericor- „ dia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolo- „ rum ejus authoritate confisi, omnibus & „ singulis Christi Fidelibus, verè pœniten- „ tibus & confessis, seu propositum confi- „ tendi habentibus, qui dictæ Processioni, „ & summæ Missæ interfuerint, septem an- „ nos & totidem quadragenas de injunctis „ eis pœnitentiis misericorditer in Domino „ relaxamus, authoritate & tenore dictis, de „ speciali dono gratiæ concedimus pariter & „ elargimur, præsentibus ac perpetuis futu- „ ris temporibus duraturas...

„ Nulli ergo omnino hominum liceat „ hanc paginam nostræ absolutionis, appro- „ bationis, confirmationis, communitio- „ nis, ordininationis, suppletionis, con- „ cessionis, derogationis, statuti, manda- „ ti, & voluntatis infringere, vel ei ausu „ temerario contraire. Si quis autem hoc at- „ tentare præsumpserit indignationem Om- „ nipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli „ Apostolorum ejus se noverit incursurum. „

Malo credere Archiepiscopi Consultores, qui, ut erant in Theologicis levissimè tincti, ex ignorantia potiùs, quàm Constitutionis Apostolicæ deliquisse contemptu; quanquam non omninò excusabilis temeritas fuit, morem in omnibus Belgii Provinciis usitatissimum, à tot viris non eruditione minùs, quàm pietate præstantibus approbatum reprehendere, condemnare palam, quasi irreligiosum,& Divino cultui derogantem.

Inde locis pluribus, ut Diœcesis Mechliniensis amplissima est, commotio orta non levis, & Clerum inter novitatibus deditum, ac Religiosos doctrinæ & praxeos veteris tenacissimos dissensio. Non potuit ea latère vicinos hæreticos, quorum aures & oculi semper intenti sunt, ut materiam eapten fovendo suo contra Ecclesiam odio & despectui opportunam. Denique ex ipsius discimus testimonio Servatoris, necesse esse ut veniant scandala; sed & væ hominibus per quos scandalum venit,

Mirabiles autem sunt, & fuere omni tempore Novatores, ut, dum ipsi dissidiorum & Schismatum ubique spargunt zizania, ubique faces inferunt incendiarias, suis ipsi nos querimoniis præveniant, quasi seriò lugeant emergentes in Fidelium multitudine divisiones; unde *opinionis de Ecclesia* non honorificæ, ab ejus hostibus occasio accipiatur. Omnibus autem manifestum est, qualiscumque ea *divisio* fit, qualecunque scandalum, solis esse tribuendum inquietis, & nova semper molientibus adversariorum ingeniis.

Frustra denique disciplinæ sanctioris, & purioris Ethicæ spiritum obtendunt ii, in quibus deprehenditur, ut in hæreticis communissime, dominari superbia, Apostolicæ Sedis contemptus, odium contra Religiosos, & proprii amor commodi, non charitas, non Justitia, non religio.

Ex iis qui Diœcesim, ut retuli, Mechliniensem, reformationibus exoticis turbarunt, aliquis adeptus postea præcipuam in Collegiata Ecclesia dignitatem, facillimus apparuit, & minimè scrupulosus in restringendis nimium Divinis Officiis, sive sacrificiis, obtendens proventuum ex Fundationibus, lapsu temporis decrementa. Verùm ærario Præfectus, quem novitatis aura non afflaverat; sed Religio urgebat & justitia, iniquis istiusmodi restrictionum molitionibus se quantum poterat opponebat: neque successu pietas ejus caruit, dum litibus, quas continuò intentabat, in judicio evictis, rescissa officia & sacrificia restituit.

Cùm itaque præposteros illos Reforma-

tores non tantùm molestiis afficeret; sed gravibus etiam oneraret litium expensis, memoratus ille prioris Antistitis Consiliarius, & dein Capitulo isti Collegiato Præfectus, cùm se suosque expedire litium sumptibus aliter non posset, deprecari me cæpit, ut quâ videret tum apud Præfectum ærario, tum apud Archiepiscopum valere gratiâ, uterer ad sui pacem Capituli & inter Canonicos charitatem: addebat se suosque universa velle ipsius arbitrio Præsulis committere, rescisso strepitu contentionum.

Speciosa videbatur oratio, donec ab ærarii Curatore edoctus intellexi, non alio istud consilio à Novatoribus tentari, quàm ut novam proximè imminentem suis capitibus & crumenis sententiam averterent.

Aliquanto antè elegerant Capitulo suo secretarium, *quem* Calvinista Melchior Leydeckerns in Jansenismi Historia pag. 275. *laudamus*, (inquit) *ut Jansenistam ingenuum præ cæteris, ipsoque Patriarcha meliorem*; sed Archiepiscopus illum tunc in Hollandia degentem, ad suam noluit divertere Diœcesim, minùs adsciscì Canonicorum Capitulo Secretarium. Prævalens nihilominus in illo cœtu authoritas faventium novitati, retinere mordicùs electionem Secretarii voluit.

Quapropter Ærarii Custos prudentissimum hinc desumpsit, suggessitque mihi consilium, quo facilè foret detegere, num pacis amor, & Antistitis reverentia eos ad hanc impelleret litium deprecationem: *Ut omnis*, inquiebat, *rescindatur contentio, & plenæ Capitulo restituatur tranquillitas, quidquid dissidiorum est, quidquid litium, tam circa fundationes, Officia, sacrificia, quàm circa Secretarii electionem, totum, per me licet, ponatur in Antistitis arbitrio*.

Nihil apparebat consilio isto æquius; sed ut is indolem noverat adversariorum, quærentium unicè quæ sua sunt, & subinde non sua, prædixerat conditionem ab jis minimè admittendam. Veritatem eventus docuit, atque insigni ego confirmatus experimento sum, in ea, quam aliunde de novis istiusmodi Augustinianis conceperam, opinione.

Quod autem illustrius haberi potest ad detegendam in hujus temporis Reformatoribus hypocrisim, fallacemque de *Divisione* querimoniam, quam in ipso Quesnello, per omnem vitam turbulentissimo homuncione, quem nihilominus non pudet, de Summis Ecclesiæ Præpositis palam conqueri, quasi *foveant* iniquas *in Ecclesia Divisiones*, atque ita pessimam *de ea ingerant hæreticis opinionem*?

Ipsi itaque Propositionis authori & ejus asseclis rectiùs intorquebitur illud Hormisdæ Pontificis in Epist. ad Possessorem. " Quando „ acquiescunt paci contentionum studiis af„ fucti, sola certamina amantes de Religione „ captare, & mandata negligere? Nunquam „ apud eos charitas novo commendata præ„ cepto, nunquam pax Dominico relicta di„ scessu est: una pertinacis cura propositi, ra„ tioni velle imperare, non cedere, con„ temptores authoritatum veterum, nova„ rum cupidi quæstionum: solam putantes „ scientiæ tectam viam, quâlibet conceptam „ facilitate sententiam: eò usque tumoris „ elati, ut ad arbitrium suum, utriusque or„ bis putent inclinandum esse judicium: nec „ in numero Fidelium deputant sequaces „ traditionis paternæ; si suæ viderint cedere „ nolle sententiæ: docti crimina serere, ob„ trectationum venena componere, Inte„ grum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones „ instruere, invidiam concitare, & pro obe„ dientia obstinationem pertinacis amare su„ perbiæ.

Et Paulò antè. " Quando induit obe„ dientiæ humilitatem, opinionibus suis val„ lata superbia?

CAPUT XII.

Altera Divisionis causa est præpostera Mariani cultus reformatio.

1 FRanciscus Simonis Tomo 1. de fraudibus hæreticorum, hanc ponit decimam tertiam: *Cultum Sanctissimæ Virginis Mariæ circumscribere peranguste, & scrupulosè, simplicemque pietatem Fidelium erga Dei Matrem arguere impietatis in Deum atque Idololatriæ*. Adcò scrupulosum genus hominum sunt hæretici, ut licèt de Deo impiè sentiant, à contumeliosis in eum atque blasphemis opinionibus non abstinentes, anguntur conscientiâ in cultu Deiparæ à Fidelibus communiter usitato: verentur scilicet, nè debitæ Deo venerationi quidpiam detrahatur. Novatores hodierni, hæreticorum veterum in plurimis vestigia sectantes, non tamen crudè adeò, & barbarè de Beatissima Virgine, eique debito honore, quam de Sanctis quibusdam aliis, & eorum veneratione loqui solent; saltem in publico; sed Religionis obtentu excessus aliquot, ut vocant, rescindi cupiunt. Huc spectavere famosa *Monita salutaria Beatæ Mariæ Virginis ad cultores suos indiscretos*; sed illa minimè *salutaria*, neque Deiparæ convenientia censuit sacra Indicis Congregatio, à quâ Opusculum confixum

fixum eſt; quamvis, temeritate Queſnello ſolitâ, ab eo contra Tribunalis illius ſententiam deiu fuerit propugnatum.

Quàm anxia in *Monitis* iſtis fallacibus apparuit ſolicitudo, ne nimia in Dei Matre fiducia poneretur! Suppetias illis, etiam poſt eorumdem interitum, ferre voluit Andreas Schurius, verſo in linguam Belgicam Officio Beatæ Virginis, atque ita corrumpendo, ut vix aliquid in eo appareat, Calviniſtis, & Lutheranis Deiparæ hoſtibus diſpliciturum.

Quidquid ferè honorificentioris tituli eſt in ejus laudibus, ab Eccleſia approbatum, Schurii expunxit, à nullo probanda Catholico, ſapientia. Eſt autem Andreas Schurius turbulenti paſſim habitus ingenii, ideoque pridem à Miſſionis functionibus amotus ab ipſo ſibi aliàs favente nimium Vicario. Depoſitionem ſub initium ægerrimè Schutius tulerat; poſteà tamen ſe conſolatus eſt, veluti ſic nactus *otium Sanctum*, ſcriptionibus contra communem Eccleſiæ Doctrinam, & praxim opportuniſſimum.

Hìc devotus adeò Arnaldo diſcipulus fuit, ut eo mortuo, nihil acerbius deploraverit, quàm brevem adeò fuiſſe illius apud Batavos commorationem, neque ſibi frequentiùs *ad Gamalielis illius pedes* inſtitui licuiſſe. Verùm quod præſtare Arnaldus nequiit, ſuppleverit poſteà Queſnellus, ad totius Eccleſiæ novæ Regimen, Arnaldo mortuo, aſſumptus.

Prætermiſſis, quæ contra Roſarium, aut alias iſtiuſmodi devotiones ſcripſit, ea ſolùm ex Mariani officii verſione refero, quæ faciendæ in hac materia cum hæreticis unioni, videri potuerint Novatoribus maximè accommodata: & quidem intra ſolos me contineo hymnos, Capitula & Antiphonas aliquot.

Pulcherrima Eccleſiæ oratio eſt *Salve Regina Mater miſericordiæ &c.* quam ita reddit belgicè Schurius, ut hujus temporis hæreticis noverit non admodum diſpliciturum. Pro *Salve Regina Mater miſericordiæ*, ponit *Salvatorem genuiſti qui eſt Pater miſericordiæ*. Pro *vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalve*. Jubemur belgicè legere *Virgo dulcis quæ paris eum in quo ſperamus*; quia *ſpem noſtram* vocare purum hominem videtur iſtiuſmodi Auguſtini diſcipulis periculoſum; Quanquam periculum veriti non ſunt Sancti Patres. Et quidem Auguſtinus Serm. de Annuntiatione D. Virginem alloquens. *Tu es* (inquit) *ſpes unica peccatorum; quia per te ſperamus veniam omnium delictorum, & in te eſt noſtrorum expectatio præmiorum.*

Schurius in eâdem Antiphona non approbat illud *ad te clamamus, ad te ſuſpiramus*: utrobique expungens *ad te* videtur innuere, non ad B. Virginem clamandum eſſe, non ad eam ſuſpirandum; ſed ad ſolum Deum. Non tolerant adverſarii D. Virginem dici *Advocatam noſtram*: advocatum jubentes unicum eſſe Chriſtum.

Ave Regina Cælorum. Regnum illud ſoli Patri, Filio, & Spiritui Sancto tribuere mavult Schurius, & ſcribere *Regina in Cælis honorata*, ſicut Rex aliquis vel Regina Romæ habitans illic honoratur, licèt neque Rex, neque Regina Romanorum ſit. Pro *Domina Angelorum*, Schurius ait: *inter Angelos inſtar Dominæ*.

In Antiphona *Alma Redemptoris Mater*, illud *Peccatorum miſerere* à Novatore vertitur *ora pro infirmis hominibus*, quales etiam Juſti ſunt. Auguſtinum ſuprà non puduit B. Virgini dicere *Tu es ſpes unica Peccatorum*, & in Litaniis Lauretanis tota eam vocat Eccleſia *Refugium Peccatorum*.

In eadem Antiphona non placet Schurio Deiparam appellari *perviam cæli portam*, cujus loco mavult dicere, *Juſtis viam ſternis ad cælum*.

In hymno *Ave Maris Stella* omittitur *Felix Cæli porta*, cui ſubſtituitur iſtud: *Quæ ad Angeli Salutationem Cælum aperis, & paras viam quieti*. Quod ſubſiſteret; etſi poſt conſenſum Angelo præſtitum nihil ampliùs beneficii aut patrocinii nobis à Virgine proveniret. Nos ſalubriùs ab Eccleſia inſtituti, Mariæ cum fiducia dicere non veremur *ſub tuum præſidium confugimus*.

In Hymno ad Primam, Tertiam, Sextam Nonam ſcandaloſum novo Interpreti viſum fuerit illud: *Maria Mater gratiæ*: pro quo legi curat. *Maria Mater quæ nobis paris largitorem gratiæ*. Abrogari voluit *Dulcis parens clementiæ*, atque ejus loco dici *Maria dulcis indole*. In eodem Hymno eſt, *Tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe*: quaſi nimis iſtud magnificum ſit, ita exprimit Reformator *ora Filium tuum ut ipſe nos protegat, & mortis horâ ſuſcipiat*. In verſu ad *Primam* incongrua eidem apparet appellatio *Virgo Sacrata*; quaſi Maria in utero concipiens Dei Filium, novem geſtans menſibus, pariens, lactans, nutriens tanto tempore, prophana fuerit, vel non *Sacrata*, pro quo ſcribitur *virgo pura*.

In oratione ad *Primam* pro *Da quæſumus ut ſua nos defenſione munitos*, potiùs interpres eligit *interceſſione ſuffultos*. Auguſtiùs ſonat *defenſio*, quàm *interceſſio*. Ad corrigendam quaſi nimiam magnificentiam, iſtud *Monſtra te eſſe Matrem*, quod eſt in Hymno *Ave Maris ſtella*, ſtatim additur, *flexis genibus*

bus ante thronum tui Filii.

Ad Matutinum, scrupulosi nostri non approbant illud *Precibus*, *& meritis B. Mariæ semper Virginis*, *& omnium Sanctorum perducat nos Dominus ad Regna Cælorum*. Omittendum statuunt, *& meritis*, quia merita Christi precibus Mariæ, & omnium Sanctorum nobis applicata sufficiunt. Rescindendum itaque pariter judicabitur in Hymno ad vesperas San. cti Josephi quod de meritis illius Sancti dicitur: *Nobis Summa Trias parce precantibus*, *da Joseph meritis Sidera Scandere*: & in oratione; *Sanctissimę Genitricis tuæ Sponsi quęsumus Domine meritis adjuvemur*. Festo etiam S. Francisci de Paula cum universis oramus Fidelibus, ut *ejus meritis*, *& intercessione*, *promissa humilibus pręmia feliciter consequamur*. Lutheranismum sapit & Calvinismum mutatio orationis ad *Laudes* post Nativitatem. Textus Ecclesiæ habet: *Deus qui salutis ęternæ Beatę Marię Virginitate fœcunda humano generi pręmia pręstitisti*. Verso pro *pręmia* ponir *bona* præstitisti. Quis autem negat Catholicus, vitam æternam esse concessam *meritis retributionem*? Solis Novatoribus, nomina *meriti*, *mercedis* & *pręmii* impropria videntur, & veri sensus vacua juxta Quesnelli Articulum 69. *Fides*, *usus*, *augmentum & præmium fidei*, *totum est donum purę liberalitatis Dei*.

Rursus ad Matutinum feria 4. & Sabatho displicet Reformatoribus Benedictio, *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria*: benedici à Deipara nolunt sed à solo Christo: ideò in versione legere nos cupiunt: *Virgo Maria impetret nobis benedictionem à Filio*. Si scrupulosi similes Augustini discipuli spectassent Patriarcham Jacob cum Angelo tota nocte Luctantem, certumque non dimittere eum, nisi elicitâ priùs benedictione, *Non dimittam te*, *nisi benedixeris mihi*, docuissent eum labori tam inutili parcere, & accusassent forsitan superstitionis.

Oratio ad laudes sic habet: *Deus qui de B. Marię Virginis utero verbum tuum*, *Angelo nuntiante*, *carnem suscipere voluisti*, *præsta supplicibus tuis*. Reformator addit *Filiis*, sive justis, ne Patrocinari etiam peccatoribus censeatur.

Specimina hæc quædam sunt, non omnia versionis corruptissimæ ab Andrea Schurio compositæ. Is fructus *otii sancti*, ut vocat, quod ei peperit Apostolicæ ablatio Missionis. Depravationem textuum in vertendo excusare nititur causando stylum ligatum in quo verba reddi eadem nequeant, quæ in soluto, seu prosâ; Sed excusatio fraudulenta est & frivola, nam qui pio ut oportet erga Deiparam affectu est, poëta tam facilis, ut est Schurius, reperiet pro suis versibus verba satis convenientia, quæ latinis æquivaleant, neque laudes Deiparæ detrahant, ab omnibus ei tribui solitas: aut si tam curta penes eum Belgicarum phrasium supellex est; ut latinas preces Belgicis reddere versibus nequeat, ab his rectiùs abstinebit.

Corruptiones istiusmodi, quibus sacrorum voluminum in linguas vernaculas versiones obnoxiæ sunt, justissimam præbuere causam Pontificibus & authoribus regularum *Indicis* Tridentini, ut præscriberent pro operum talium editionibus tot leges, atque præcautiones, ut libelli precum in vulgari Idiomate à Sede Apostolica promiscuè permittantur. Libellus autem iste Schurii anonimus, speciatim ob rationem multiplicem damnatus est.

Magis subdolus fuit author *Monitorum*, ut vocat, *Salutarium Beatę Marię Virginis ad Cultores suos indiscretos*; qui Jansenianæ Sectæ nequitiâ nondum apud nos adeò publicè prorumpente, fefellit faciliùs viros aliquos minimè malos, qui illum crederent verum Deiparæ Cultorem, quibusdam tantummodò adversantem abusibus, qui nimium tribuendo Mariæ, debitum Deo honorem detraherent, ipsique proinde displicerent necessariò Genitrici.

Sed quoscumque alios, etiam Episcopos ea circumvenerit fallacia, Sedem Apostolicam, ut supra retuli decipere non potuit, à qua, diligentiore præmisso examine, opusculum proscriptum est. Ad illud indubiè respexit Franciscus Simonis, quando citatâ superiùs, parte primâ de *Fraudibus hæreticorum*, fraude decimâ tertiâ, scrupulosos istiusmodi Mariani cultûs Reformatores, ut veros exagitat hypocritas.

Non patiuntur novi illi Mystici, quod ab aliquibus dicatur, *ad Christum justitia*, *ad Mariam misericordia pertinere*. Dictum idem reprehenderunt, & velut blasphemiam exprobravere pridem Catholicis Lutherani. Ad quod Regi Angliæ respondit Cardinalis Perronius, & satis tutos se Catholici arbitrantur authoritate Doctoris Angelici in Præfatione ad Epist. Canon. qui postquam applicuisset Beatissimæ Virgini Historiam Estheris Reginæ; *hanc* (inquit) *virgam auream Deus Pater nobis extendit*, *quando charitate maximâ*, *quam ad nos habebat*, *Filium passioni exposuit*. *Humanitatem ejus Virgo Beata tetigit*, *quando Filium Dei in utero concepit*, *& postmodum peperit*, *& sic dimidiam partem Regni Dei impetravit*, *ut ipsa sit Regina misericordiæ*,

diæ, cujus filius est Rex justitiæ.

Sic etiam Gerson Tract. super *Magnificat: habet Maria virtutem influxivam super omnes: Principatum habet dimidium Regni Dei, si sic dici potest, sub typo Esther & Assueri; Regnum quippe Dei consistit in potestate & misericordiâ: potestate Domino remanente, cessit quodammodo misericordiæ pars Christi Matri, sponsaque regnanti.* Hinc ab Ecclesia totâ, Regina Mater misericordiæ salutatur.

Ringantur itaque cum Lutheri & Calvini Discipulis, nostri hic adversarii & quantum furor illis malesanus dictaverit, reprobent, Mariam Deiparam appellari *Reginam Matrem misericordiæ, Reginam Cœlorum, spem nostram, Advocatam, Mediatricem. Spem unicam Peccatorum* vocavit superiùs Augustinus.

Luthero talibus offenso respondet Cocleus in Confut. Artic. 91. *Dic quæso, Luthere, cum Pater omne Judicium dederit Filio, quam possumus apud Filium judicem, habere meliorem Advocatam, quàm ipsius Matrem? Adeone vilis in conspectu Filii sui videtur tibi, ut stante te coram tremendo illo Judice nihil pro te loqui audeat?... Ego verò libenter & magna spe cum Ecclesia dico: Eja ergo Advocata nostra.*

Inter varias colendi Mariam Virginem rationes, seu modos usitatissimos penes omne Fidelium genus cernitur recitatio Rosarii. A pluribus autem animadversum est, Jansenianis proprium esse, devotionem hanc contemnere, & quodammodo odisse.

Petrum de Ligny inter Duacenos propter Jansenismum exules non infimum, vidimus in Professione fidei Episcopo *declarantem*, ut ait, *coram Deo*, quòd censeat *Monachos sopire plebem, atque in suis peccandi contra Deum consuetudinibus retinere, fiduciâ quarumdam indulgentiarum pro Articulo mortis & fretos devotionibus quibusdam ludicrie, quæ neque ad mutationem morum, neque ad Conversionem animi quidquam conferunt; sed sistunt in cultu quopiam exteriore, & semijudaico.* Ibid. Art. 12. *Inter plebeas istiusmodi devotiones numerari possunt Scapulare, Rosarium, Zona, & alia Confraternitates. Ingens Ecclesiæ obsequium censeo præstiturum eum qui talia devotionum figmenta & plus ludificationis mimicæ, quàm pietatis habentia, penitus aboleret.*

Ubi vides, & quilibet pius horret, Sanctissimum Beatæ Virginis Rosarium, cum aliis per totam ubique Ecclesiam frequentatis & probatissimis Mariani cultus exercitiis, inter ceremonias semijudaicas, & Histrionum nugas, temeritate impiâ ablegari. Non in solis verbis contra Rosarium Lovanii stetit indignatio *Fratris Ambidextri*, ut eum cifra nominat Janseniana, Aughemii prope Aldenardam in Novatorum detecta Conciliabulo, diu antequam nova cum Quesnello in Bruxellensibus ejus latebris intercepta est. Istud lectorem moneri oportuit, ne appellationum subinde diversitas pariat confusionem.

Hic igitur *Frater*, ut dicitur, *Ambidexter*, minimè Religiosus (quo aliàs familiariter usus fui, antequam se nimis proderet sinistrum) Conclusiones nactus juridicas dicatas Archiepiscopo Mechleniensi, continere rabiem non potuit contra Rosarium, Scapulare, Zonam & alia istiusmodi devotionis instrumenta, dum ea conspiceret in præfixâ Conclusionibus imagine, exhibente insignia Archipræsulis gentilitia, quæ tenerent *Justitia & Pietas*.

Pendebant scilicet instrumenta illa è brachio, cujus manus Crucem Domini gestabat. Itane, inquiebat, irâ percitus *Frater Ambidexter*, in talibus statuitur pietas nugis? Nec mora: in plura imaginem frustra discerpit, atque ea in terram projecta conculcat pedibus spectante ipso, qui humanitatis gratiâ obtulerat, Archiepiscopi Secretario; &, ut actus solemnior esset, pluribus Academicis. Secretarii nempe erat Conclusiones in Schola publica defendere pro gradu *licentiæ*.

Dicari eas sibi permiserat, & gratum habuerat Antistes, conscius etiam & approbator imaginis præponendæ. Circumstantiæ præterea plures non parum aggravant facinus *Ambidextri*.

Honoratus ipse ab Archiepiscopo erat dignitate inter Aulicos præcipuâ & officio non uno, neque exiguorum fructuum. Et quidem Lovanium missus fuerat, ut vices Archiepiscopi suppleret, assistens actui publicò & Conclusiones, ad Præsulem deferendas accipiens. Eò autem progressa est *Ambidextri* temeritas, ut cum eas privatim tanta, sicut retuli, afficeret contumeliâ, monuerit Candidatum, ne Conclusiones talem præferentes imaginem, traderet sibi in schola publica, aliàs eandem publicè infamiam subituras.

Quando gloriosus adeò Factionis Heros in Schola Academica comparuit, ab omnibus quidem propter reverentiam Archiepiscopi honorificè habitus est, à Novatoribus autem singularis prorsus benevolentiæ testificatione. In disputationibus, uti & solemni convivio, quod promotionem ad licentiam sequi solet, continere se *Ambidexter* visus est; sed cùm ad propria me recepissem, in horto ipse cum pluribus ambulans Academicis, & quidem pro-

probe Catholicis, nam alii à Secretario invitati, si rectè memini, non fuerant, furorem contra Rosarium, Scapulare &c. resumens, imaginem iterum affectam probris laceravit conculcavitque.

Quo sensu, hæc intelligens Archipræsul, acceperit, non diu postea apparuit; quando *Fratrem Ambidextrum* abesse à mensa, Domo, familiâ suâ jussit & pinguiore spoliavit officio; Secretarii autem religionem quibuscunque potuit honorum gradibus compensans, eum in æmuli locum succedere voluit: quem officio illo, dein etiam Vicarii Generalis munere summâ laude administrato, non tantùm ad Episcopales infulas Cæsari, & Senatui commendavit; sed etiam, de secuturo commendationis effectu veluti securus, Pastoralis pedi & mytræ suæ moriens scripsit heredem.

Non vanus vates Illustrissimus fuit, annuente ejus votis Cæsare; & multò magis Pontifice, cui pridem notus & gratissimus cliens fuerat; non solùm cùm pro Archiepiscopo Legationem obiret *ad Sacra Limina*; sed etiam ampliùs postea, quando & Quesnellum cum omni cepit supellectile literariâ, & ex infinita chartarum ejus farragine processum juridicum labore composuit incredibili. Plura quæ referri à me non patitur dignissimi hujus Episcopi adhuc viventis modestia, non tacebit posteritas.

Interim dimisso *Fratre Ambidextro*, alios ex Quesnelli Discipulis consideremus Mariani cultûs, præcipuè *Rosarii* adversarios, seu contemptores. Ridet minimè religiosè devotionem istam Andreas Schurius, scribens pro *libertate*, ut ait, *simplicium in legenda Scriptura Sacra* promiscuè, & quocunque idiomate: ubi Religiosos S. Dominici sic exagitat pag. 133. *Quid miri, Virgines Dominicanorum*, vulgari nomine *Devotas*, *tam fervidas esse pro Rosario? Coronulis istis juvantur gladii, convertuntur Regna, Regiones intercipiuntur.*

Quæ Sarcastica oratio quid velit, satis intelligimus: didicerit scurriles istiusmodi irrisiones Batavus Scriptor ab Erasmo suo Roterodamensi, de quo aliqui dubitant fuerit ne à Luthero institutus, an ab eo Lutherus: Ad commendandam autem omnibus Divini voluminis lectionem, non exigui ponderis Schurio visa est Erasmi authoritas, qui ut Schurius testatur eodem libro pag. 135. *Magis æstimabat lectionem unius capitis ex Evangelio, vel Epistolis Pauli, quàm omnes Rosarii globulos balbutiendo percurrere.* Adeò autem Schurio placet Erasmi religio, ut Epistorum libro 3. Epist. 21. de eo scribere non dubitet:

Me stylus & pietas rapiunt & Candor Erasmi:

Det Deus hæc animo sint rediviva meo.

Salubrius votum æstimo, ut omnium, quæ contra Cultum Virginis Matris, aliaque Religionis Christianæ exercitia & ejus Ministros scripsit Erasmus scandalosissimè, sufficiens in Divino Tribunali retractatio censeatur quæ apud Canisium & alios Mariani cultus vindices refertur: *Per merita omnium, qui in te spes fixere suas & vota, obsecro obtestorque, Virgo intemerata, peccatoris hujus patrocinium apud Filium suscipe, & ejus iram, quam meis flagitiis excitavi, deprecare.*

Joannes Van Heumen è clero Amstelodami Missionarius, Reformationi, uti testatur, unicè intentus, nihil ad eam reperit accommodatius, quàm exclusionem Religiosorum ab omnibus Fœderati belgii Provinciis.

Sic in Epistola typis edita ad P. Glabais Minoritis in Missione Hollandica Præpositum pag. 8. *Quando executioni* (inquit) *plenè mandata fuerint edicta ordinum Hollandiæ* (contra Regulares) *nonne Ecclesia Belgica brevi in Batavia mutabit faciem? Tunc Religio non ampliùs alligabitur Scapularibus, Rosariis, funiculis, Zonis; Sed verbo Dei*, quod novorum consilio Directorum, sine scrupulo legitur ab omnibus promiscuè in idiomate vulgari, & versionibus non dissimilibus Quesnellianæ.

Varia vidi rusticorum & plebejorum ex utroque sexu testimonia, quibus conquerebantur de Missionariorum suorum adversus Rosaria persecutione, quæ eos cogeret Rosaria solicitè abscondere, si iisdem uti cuperent ad orandum tempore Sacrificii.

Aliquanto modestior apparuit, etsi minimè sanus, liber à Joanne Nercasselio approbatus hoc titulo: *Christianæ Considerationes & preces excerptæ ex Scriptura Sacra, Missali, & Sanctis Patribus circa præcipuas obligationes Fidelium*; ubi pag. 91. sic monet: *Consuetudo illorum qui tempore Missæ se occupant precibus ad Sacrificium non pertinentibus, vel recitatione Rosarii, est parum laudabilis.*

Quid autem salubrioris exercitii suggeretur, simplicibus potissimum, rudibus & illiteratis, qui nec legere quidem norunt? Sed neque excitandis piis affectibus materia deest in oratione Dominica, Salutatione Angelica, & Symbolo Apostolorum, si formulæ illæ, ut par est, in Catechismis & concionibus exponantur.

Verùm istis Hollandiæ Missionariis, à quibus liber ille, ad Fidelium ibi institutionem, præcipuè editus est, placent ampliùs nova

nova devotionis adminicula', inducendis etiam Dogmaticis Novitatibus magis idonea. Ex Patribus enim & Scripturis subinde sententiæ deliguntur, donanturque vulgari idiomate, non fide optimâ; & accedente præsertim Jansenistarum Commentario.

Attrahendis ad se mulierculis superbis, & malesanis accommodata est totius Missæ, etiam Sacri Canonis in Linguam vernaculam translatio. Hæc ipsis obtruditur, ut cum Sacerdote Missam celebrante, ipsæ pariter sacrificent. Præ Rosario scilicet ejusque usu sanctissimo, salutaris magis est Missalis in idiomate vulgari lectio, ab Alexandro VII. postulantibus Galliarum Episcopis reprobata.

A memorato Neercassellio, qui Castoriensis Episcopi titulo, Vicarius Apostolicus Batavicæ Missioni ante Sebastenum præfuit, initium illic novitatibus datum est, vocatis in subsidium Arnaldo, quesnello, & Sociis tunc recenter è Gallia profugis.

Schurius ait: *non quidem displicere* sibi *Orationes Rosario contentas*; Sed modum. Rationem hanc exprimit: *Tolerabilius esset, si post decem orationes Dominicas una sequeretur Parthenica*. Conformius nempe istud foret famoso *Monito salutari* 14. attributo *Beatæ Mariæ Virgini ad Cultores suos indiscretos*: *Nolite plus temporis, aut precum mibi, quàm Deo impendere*: quasi precibus ad Deiparam fusis non honoretur Deus, & quidem longè principaliùs, quàm Deipara. Error iste in rudibus magis excusabilis videretur, quàm in istiusmodi Doctoribus, & deceptoribus, in quibus affectata nimium ignorantia, turpis nequitia est.

Scandalosus quoque ab Alexandro VIII. damnatus meritò est Articulus intra triginta unum hìc vigesimus sextus: *Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est*. Quis Fidelium Mariam præcisè ut Mariam laudat, præsciudendo à singularibus, quibus à Deo cumulata est dotibus, & prærogativis? Non ignoraut istud adversarii; sed qualemcunque Divæ Virginis cultum arguere præsumunt, ut vanum & illicitum, nisi quem imperaverit charitas erga Deum.

Animadverterat istud aliàs Franciscus Simonis de Fraudibus Hæreticorum Parte 2. Fraude 13. dicens. " Flagrant omnes Hæretici, simulant, inquam, se flagrare miro studio liquidissimè excoquendi charitatem omni terreno vitio: hoc studio feroces, Fidelium pietatem erga Dei Matrem ad injuriam Dei rapiunt. Hìc ad terrorem simplicium, Paulinum istud 1. Tim. 1. intentare gaudent, *Soli Deo honor, & gloria*. Quis hunc locum Hagiomachus prætercriit? Hic periculum exaggerant pravæ divisionis humani cordis, ut præter Deum aliquid ametur. Infinitus ille est scilicet, atque infinitè amandus, omnem jure suo postulans à nobis, atque omnem absorbens amorem. O miser! (inquiunt) nonne vides, nonne sentis, hominem te amare, & planè *Ancillam Domini*, cum Matrem Dei amas? Vide etiam atque etiam ne quid terrenæ fœcis amor iste admixtum habeat: *Non est pulchra dilectio quæ Deo non tribuit omnia*: Res est magni periculi plena.

„ Fabulam exposuit Martinus Lutherus in iis Commentariis, quibus Canticum Marianum *Magnificat* deturpavit. Terrorem auxit Calvinus in cap. 2. Joannis, atrocem in Mariam ipsam injuriam interpretatus, Deo eripere quod suum est. His illi præceptis simplicem pietatem Fidelium turbare gaudent.

„ Sed planè impii Psalmo 13. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Periculum nullum est, Dei Matrem non amandi castissimè. Nemo Fideles inter, tam brutus homo est, qui Dei Matrem amet colatve, nisi quia Dei Mater est, qui amor cultusque non potest non referri in Deum ipsum. Tendit omnino, quis hoc non videt? Ista Novatorum insania pertinet ad vesaniam Begardorum, qui ut explicui Fraude 11. charitatem affectarunt usque adeò expurgatam omni fæce creatâ, ut nefas sibi ducerent Deum amantes, ullam admittere cogitationem Sacratissimæ humanitatis, & Passionis Christi. Periculum est scilicet, ne amor Dei Matris hæreat in re creata; quia res creata est Dei Mater: est igitur & periculum, ne is amor quo Christus amatur, hæreat in humanitate: quia denique Christus homo est.

„ Apage Satanicos scrupulos, atque omnis sinceræ pietatis perturbatores „. Scrupulosum videas præ cæteris Calvinum in cap. 2. Joannis ad illa verba *quid mihi, & tibi est mulier?* " Cur (inquit) *præcisè negat . . . nec eam Matris jam nomine dignatur? Ne homines nominis materni honorem superstitiosè in Maria evehendo, quæ Dei propria sunt, in ipsam transferant . . . Ne immodicus Matris honor Divinam suam gloriam obscuret. Porro quàm necessaria hæc admonitio fuerit, ex crassis fœdisque superstitionibus, quæ postea secutæ sunt, constat. Facta est enim Maria Regina Cœli, spes, vita, & mundi Salus . . . Cumque has execrabiles in Dei Filium blasphemias damnamus, maligni & invidi vocamur; immò calumniantur, Sanctæ Virginis bonorem hostiliter à nobis impugnari* „.

Quando Batavi à Rege Hispaniæ & fide Catholica defecerunt, Calviniana Factio etiam Antuerpiam penetravit adeò præpotens viribus, ut hagiomachiam in templis publicè ostentare cœperit & pueros edocere Salutationem Angelicam rescissâ posteriore parte quam Ecclesia addidit, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus &c.* Sed repulsis postea hæreticis, cultus B. Virginis, & Sanctorum integritati pristinæ in toto belgio Austriaco restitutus est, restituta quoque oratio Angelica.

Exemplar nihilominùs aliquod libelli, in quo pueris primùm legere discentibus tradi solet oratio Dominica, & salutatio Angelica, superfuit ad nostra usque tempora, sicut tunc editum fuerat cum truncatâ, ut jam retuli, Parthenica oratione. Non defuit Mechliniæ sive perfidus, sive imprudens Typographus qui illud è tenebris eductum novâ luce donavit.

Statim pueris in scholis trivialibus obtrusum; initio cautiùs, nec nisi iis in scholis, quibus præerant Novatores, vel eis addicti, atque obnoxii. Paulatim dissimulantibus quorum erat officium impedire, nova editio illa serpsit eò latiùs, quo liberiùs, donec novo Archipræsuli Humberto atque ipsi Sedi Apostolicæ denuntiata, utriusque proscripta fuit judicio.

Citatus ab Archiepiscopo Typographus aliud non respondit, quàm imprudentiâ suâ contigisse, ut reperiens impressum à sæculo typis Antverpiensibus exemplar, sibi licitum duxerit sequi. Verisimilior aliorum suspicio est, istud non ita casu repertum editumque; sed reimprimendi consilium nequiter datum à Novatoribus. Archiepiscopi autem Officialis, cui cura examinis incumbebat, deprehensus postea est *Frater Ambidester*, neque voluntas, neque industria ei defuit, quâ clientes suos etiam hic infamiæ subduceret, & supplicio.

Quod in Salutatione Angelica, Elisabethæ vocibus dicitur *Benedicta tu inter mulieres* lingua Belgica non exprimeret sine omni æquivoco, cujus una significatio foret Deiparæ contumeliosissima, quasi foret *infra mulieres* cæteras. Quapropter belgarum pietas maximè abhorrens ab omni AntiMariana, in Deum præcipuè redundante blasphemiâ, ipsos impulit, ut prætèrita voce æquivocâ *Onder*, dicerent *boven*, id est *super mulieres* reliquas. Quæ expressio Fidelium illic omnium usu receptissima, offendit hujus temporis Novatores, qui ingenti scandalo & indignatione Catholicorum vocem substituere voluerunt æquivocam.

Quesnellus in *libello supplici* contra Decreta Caroli Secundi Regis Hispaniæ per Electorem Bavariæ in belgio promulgata die 7. Novembris 1695. pag. 20. citat Eminentissimum Bellarminum in quadam haud nominata *Præfatione* reprehendentem varios honoris titulos, quos Christianorum simplicitas Beatæ Virgini imprudenter tribuerit in Litaniis Lauretanis, ipse verò sustulerit.

Præfatio illa quo loco habeatur, in quem librum, Quesnellus non memorat, quærere nos jubet aut divinare. At ne sic quidem assequimur: pridem autem scripto publico, & typis edito, videlicet, *Motivo juris pro Decretis Regiis* contra Quesnellum, & ejus in belgio Socios edito pag. 119. rogatus idem fuerat ut suam de illa *quadam Bellarmini præfatione* fidem liberaret indicando, quænam, & ubi ea Præfatio sit; nam *in iis, quæ extant Bellarmini operibus non invenitur*. Respondit nuspiam Quesnellus, neque pro ipso alius. Provocationem tamen minimè potuit ignorare.

Certè nihil æquè pupugit Novos Augustini discipulos, quàm illa Decretorum Regiorum contra *libellum supplicem* defensio. Responsuros se jactaverant in Belgio, antequam indè discederem. Quæ eorum seu promissio, seu comminatio ad me perferebatur undique, quem certò illi supposuerant esse tam infesti Operis authorem; sed intra verba inania stetere minæ: atque ego has denuntiantibus respondi, me pede firmo expectaturum, quidquid tantæ studia Factionis contra me, sive contra *Decretorum vindicias* molirentur. Sed minas, ut dixi, opera destituerunt.

Sic autem Quesnellus in convicto undique de mendaciis *libello supplice*, Bellarminum memorat " testatum, se rescidisse plures „ versus ex Litaniis Divæ Virginis Lauretanæ, eò quòd essent nimis metaphorici, „ quales *sunt Turris Eburnea*, *Hortus conclusus*, & similes: Se etiam alios expunxisse; quia quamvis patiantur sensum bonum, patiuntur etiam duriorem, ex quo „ Ecclesiæ inimici occasionem arripiunt blasphemandi, ut cum dicitur: *Maria Dei & hominum Mediatrix intercede pro nobis*: „ *Ab omni malo libera nos Domina*. Sunt & „ alia similia. Invocationes enim hujusmodi videntur tribuere D.Virgini, quæ Christo tanquam Deo sunt propria „.

A Quesnello additur, litanias reformandi onus à Paulo V. fuisse Bellarmino impositum. Nos autem ab hominibus fallere solitis, meritò exigimus certioris aliquid documenti, tum de mandato illo Pontificis, tum de

de testimonio Bellarmini, & *quadam* innominati operis *Præfatione*.

Ad rationes quod attinet, respondeo ut in *Motivo juris* pag. 120. neque sensum metaphoricum, neque scandalum Pharisaicum hæreticorum debere quidpiam immutare in ritibus, & precibus Ecclesiæ usitatis; Quidni alioquin expungatur è Sacro Codice illud Christi *Pater major me est*; Quia Ariani eo abutuntur ad negandam Christi divinitatem? Deleri oportuerit etiam illud *Qui manducat hunc panem*; quia & metaphorica locutio est, & inde Lutherani, imò & Calviniani accipiunt suæ confirmandæ hæreseos occasionem.

Quid magis metaphoricum, quàm Apocalypsis & Cantica Canticorum? Atque ex hoc quidem libro quàm multi scandalum imprudenter accipiunt! Non ideò tamen sacræ paginæ mutilandæ sunt: neque prætermittit Ecclesia metaphoras ejusmodi in Horis Canonicis & Sacrificiis, quas nulli licitum est præterire.

Quandocunque mutationis aliquid sive in litaniis, sive in aliis precibus aut sacris ritibus decernere Pontifici, aut institutæ ab eo Cardinalium Congregationi placuerit, mutationem nemo nostrûm noxiis annumerabit novitatibus; Verùm hanc cupimus ut nobiscum adversarii fixam semper regulam teneant, nihil in Ritibus, nihil in praxi communi Ecclesiæ innovandum esse propriâ & privatâ authoritate.

De salubris & necessariæ transgressione Regulæ accusantur illi meritò, ut maximè rei, velut authores, fautoresque unici *divisionis*, cujus culpam in Ecclesiæ Præpositos, præsertìm Apostolicam Sedem, iniquissimè conjiciunt. Ab iisdem in cæteros Ecclesiæ hostes prava omnis de ea derivatur *opinio*.

Antequam adversariorum contra litanias Virginis Lauretanas scrupulos dimittamus conveniendus nobis Quesnellus est aut in demortui ejus locum, non dissimilis successor, ut edoceat, quomodo invenire potuerit titulum *Turris Eburnea* e Litaniis à Bellarmino, Pauli V. Pontificis imperio sublatum; Cum hodie æquè ac antea in sua titulus iste possessione pacificâ reperiatur?

De titulis *Hortus Conclusus*, & similibus quos Quesnellus asserit eodem jubente Pontifice sublatos, informari distinctiùs cupimus, quandonam in Litaniis illis fuerint. *Refugium Peccatorum* Virgini tribuere nova refugit religio; quia, ut nos monet Quesnellianus author famosi Opusculi *Monita salutaria B. M. Virginis ad cultores suos indiscretos*, *non est Deipara refugium peccatorum impœnitentium*.

Cui Monito Quesnellus addit in Observationibus Moralibus circa Novum Testamentum Joannis cap. 9. v. 3. *Peccator pœnitens non est ampliùs peccator apud Deum*. Ideò Maria refugium esse nequit eorum, qui *apud Deum peccatores sunt*; sed tantummodò justorum, qui falsò creduntur ab hominibus peccatores.

Propter istiusmodi titulos, quibus novi Theologi non consentiunt, nova pariter eos devotio non allicit ad Litaniarum istiusmodi lectionem; unde faciliùs condonabitur Quesnello error circa titulum *Turris eburneæ*, quem sublatum è Litaniis credidit, quem oculi nostri quotidiè in iis conspiciunt; Ut enim dicitur, *quod miseri amant*, *facilè credunt*, cum ipse solitus non fuerit eas legere, & titulum illum aversatus, auferri à litaniis cuperet, jam sibi persuaserit expunctum: aliàs mendacium nimis facilè ipso convincetur intuitu oculorum.

CAPUT XIII.

Catechismorum innovatio & corruptio ab Adversariis tentata non levium occasio divisionum.

1 AB anno 1633. in usu communi penès Fœderati Belgii Catholicos fuerat Catechismus avitæ congruus pietati. Verùm anno 1690., favente novitatibus Vicario Apostolico, impressus est alius plurima innovans, quemadmodum utriusque Catechismi inter se collatione redditur manifestum.

De indulgentiis in priore quæritur: *Unde nobis indulgentiæ proveniunt? Respondeo*, inquit: *Ex abundanti thesauro passionis, & satisfactionis Christi ac Sanctorum*. In novo prætermittitur *ac Sanctorum*. Piaculum scilicet Novatoribus est asserere quod nobis *Sanctorum merita suffragentur*. Ideò ut superiùs retuli Andreas Schurius Sebasteno percharus, ejusque præcipuus defensor, Officium parvum B. Virginis vernaculo corrumpens idiomate, ubi ab Ecclesia in absolutione dicitur *Precibus, & meritis B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum*; Expungit *& meritis*: propter quod, & alia non pauca versio illa denuntiari Sedi Apostolicæ meruit, & ab ea proscribi.

De Indulgentiis præterea quæritur in Catechismo vetere: *Quomodo Indulgentias promeremur*: Responsio redditur communis & solida: *Exequendo omnia præscripta ab eo qui illas largitur*: juxta novum *promeremur*

illas eodem medio, quo thesaurus iste primum acquisitus fuit, scilicet tristitiâ, mortificatione, & dolore. Neque Indulgentias lucrari possumus: nisi saltem ita simus dispositi, ut, si in potestate nostra esset, Deo perfectè satisfacere vellemus, dum impedimur morbo, vel aliâ infirmitate.

Sic etiam Van Heussen, unus è quatuor, quos Scbastenus sibi designaverat Provicarios, libellum de *Jubileo* edidit, quo illud redditur parum fidelibus utile, requisitis ad illud iis conditionibus, quæ plerosque ab eo avertant potiùs, quàm alliciant. Ideò opusculum illud fallax visum fuit Romanis Censoribus minimè tolerandum, neque author ad Vicarii officium promovendus.

Prosequamur aliquantulum in Catechismis: Vetus in professione fidei tradit quod *Sanctos eum Christo regnantes honorari & invocari deceat, & quod illi preces nostras Deo pro nobis offerant*: Ejus loco novus substituit flaccidum illud quod *Sancti cum Christo regnantes honorari & invocari possint, & preces suas Deo pro nobis offerant*, quasi cultus ille tantùm permittatur, & licitus vel indifferens sit, non etiam commendabilis tamquam honestus, religiosus, utilis & salutaris.

Meruitne etiam expungi, quod universa de Beatis eredit Ecclesia, illos non suas tantummodo orationes, sed nostras etiam offerre Numini suscipiendas? Clarissimum est in Libro Tobiæ eap. 12. testimonium Raphaelis Archangeli: *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

In Catechismo veteri commendabatur usus Rosariorum & Decadum: in novo nulla de iis fit mentio.

In veteri docebantur pueri *exponenda esse peccata Sacerdoti tamquam judici, qui de illis judicare debeat, sintne remittenda an retinenda*. In novo neque statuitur Sacerdos judex, neque potestas in eo agnoscitur peccata remittendi; Sed tantum quod *nequeat adversus infirmitates nostras præscribere remedia, si eas ipsi non detexerimus*.

In veteri inter ea quæ *post absolutionem peragenda sunt*, monemur satisfactionem impositam implere quàmprimùm. De hoc altum in novo silentium est; quia juxta rigidiores Pœnitentiarios, satisfactio absolutioni necessariò est præmittenda.

Institutio Catechismi veteris ad interrogationem: *Quid intelligitur per Sacerdotem proprium; cui singulis annis semel debemus peccata confiteri*, respondet: *primò proprius noster Parochus, aut qui ab eo potestatem accepit: Secundò proprius Episcopus, & super omnes Romanus Pontifex: Tertiò omnes Religiosi qui ab ipso ad hoc mittuntur*. In novo solus exprimitur proprius Pastor, seu Parochus; quin, inquit Ægidius de Witte in Aurea fodina suffossa, parte 2. pag. 51. *in præcepto Ecclesiæ de Confessione annua per Sacerdotem proprium neque Episcopus neque Pontifex intelligi potest*.

Catechismus prior ad quæstionem *Quis est judex omnium controversiarum fidei?* Respondebat: *Romanus Pontifex, tanquam successor Petri, quem Christus ovium suarum Pastorem constituit, dans ei etiam claves cœlorum: & sub ipso generale Concilium, quemadmodum in Testamento veteri erat Summus Sacerdos eum concilio suo*: Posterior Catechismus interrogationem sic mutat pariter & responsionem: *Quando controversia oritur de fide, estne confugiendum ad Ecclesiam? Resp. Nemo est præter eam, qui de tali controversia sententiam ferre valeat: Cui dum prolata fuerit, debemus absque oppositione acquiescere*.

Præcipua mutationis causa, jansenianæ videtur hæresios introductio; huc enim novæ sectæ studia semper maximè collimant, ut capitalia impietatis illius dogmata ab omnibus suscipiantur: quo posito fundamento superstruendam facilè prævidet totius Janseniani fabricam ædificii.

Catechismo veteri juventus Batavica docebatur, *Neminem creatum esse ad damnationem, sed Deum velle omnes homines salvos fieri*. Ex novo aliud non discitur, quàm *Christum effudisse sanguinem pro salute hominum*; Non *omnium*, quod subdolè ommittitur, ut possit Christus pro non aliorum salute mortuus intelligi, quàm Prædestinatorum. De quo authoris sensu ne dubites, hanc addit gratiæ definitionem: *Est instructio & inspiratio Spiritûs Sancti in nobis, quæ nos facit dignoscere, amare & implere ea, quæ Deus à nobis exigit*.

Proinde omnis gratia facit nos amare, & implere precepta, necesse enim est, difinitionem omni competere definito, quod hîc est *gratia*. Si igitur veram asseris allegatam gratiæ definitionem, cogeris ferè toti Janseniano Systemati, quantumlibet hæretico, tribuere veritatem. Prima scilicet Janseniana propositio, & fatentibus utriusque partis Theologis radix cæterarum est. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus,*

tibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia. Deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

Evidens est, aliqua Dei præcepta esse quæ impleri nequeant sine gratia, qualia sunt fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, quæ constat ordinis esse supernaturalis, imò si Quesnello credimus, propositione 39. *voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum; Virium nisi ad se vulnerandum.* Unde si nulla detur gratia, nisi quæ mandata impleat, perspicuum est, toties illud deesse subsidium, quoties peccatur. Hac ratione liberum non erit homini præstare obedientiam mandato. Nihilominùs hanc quantumvis necessariam trasgresionem absolvere à demerito nolunt recentiores illius artifices Catechismi; *Unde ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas a coactione*: quæ est hæresis Jansenii tertia.

Eadem novi Catechismi enuntiatio continet hæresim Jansenii secundam *interiori gratiæ in statu naturę lapsæ numquam resistitur*. Non enim resistitur gratiæ cui obeditur, sive qua *implemus* quod præcipitur. Denique ut transiliamus Articulum Jansenii quartum, quomodò Christus mortuus fuerit pro salute ullius reprobi, cui denegaverit gratiam omnem necessariam, qua divinis parere jussionibus posset, atque ad gloriam pervenire? Ita à Catechismi reformatoribus inducitur hæresis Jansenii etiam quinta: Et tamen nova ea puerorum institutio superficie sua promittit *præcipua Catholicę fidei mysteria, & maximè necessarias verę pietatis regulas.*

Alius prætereà delatus è Gallia in Missionem illam est *Catechismus* parvus *de gratia*, atque à Belgis Novatoribus Belgico versus idiomate, quod nobis cum Batavis commune est. Prohibitus ille fuerat ab Innocentio X. anno 1657. die 6. Octobris tanquam *continens quamplures sententias per Pium V. Gregorium XIII. & Urbanum VIII. damnatas.*

Decuitne Missionarios Apostolicos cum offensione fidelium, & multorum perniciē, opponentibus se aliis tum è Clero Seculari, tum præcipuè è Religiosis, eandem Domini vineam excolentibus, talem inducere novitatem? Quibus ea Missionariorum & ab his instructorum Fidelium imputanda *divisio*, nisi Arnaldi, Quesnelli & Gerberonii discipulis, qui Magistros istiusmodi è Gallia profugos, nimiâ confidentiâ complexi sunt, eosdemque errorum duces nimiâ secuti levitate?

Geminos adhuc tenet Belgium Catechismos in quibus novitatis, corruptelæ atque adeò divisionis materiam nova secta inspergere meditata est. Sunt isti celeberrimus Mechliniensis ab illius olim Provinciæ Concilio approbatus, & alter Lovaniensis, ad usum Facultatis Artium, pridem compositus, & usu ibi in hæc usque tempora, non levem nactus penes Academicos authoritatem.

Mechliniensis nimio pollet confirmationis robore, quàm ut textum ejus vellicare Novatores audeant: sed opportuna eis semper versio Gallica est, ut verba authorum catholica, in sensum transferant hæreticum. Hæc adhibita perfidia est in expositione Orationis Dominicæ, ubi in textu catholicè dicitur *nos Deus inducere in tentationem, quando eam nobis evenire permittit, neque largitur gratiæ auxilium, quo illam superemus*. Versio Gallica pro *superemus* exprimit *superare valeamus*; quo supposito caderemus necessariò, & tamen demereremur: atque ita prima & tertia stabiliretur Jansenii propositio hæretica.

Quapropter Archiepiscopus Mechliniensis Humbertus suppressis editionibus, in quas lapsu temporis, quidpiam erroris irrepserat, recentiorem substituit tum Belgico, tum Gallico idiomate correctissimam.

Lovaniensis Catechismus, à Liberto Fromondo Testamenti Janseniani executore progenitus, non deberet Novatoribus esse suspectus. Attamen crescente novitatis studio, Arnaldi & Quesnelli Sectatoribus displicere cœpit adeò, ut non videretur eis ampliùs tolerandus. Sic contra illum Gummarus Huygens in Thesibus anni 1687. monuit: *Quod ad illum Catechismum attinet, plura habet quæ meritò improbentur; ut propterea dicta Facultas (Artium) optimè censuerit, substituendum esse alium, aut hunc esse emendandum: quod plures alii mecum optant fieri citò; nam periculum est in mora.*

Thesis hæc scandalo fuit plurimis, concitans in se suumque authorem indignationem omnium rectiùs sentientium, tum Lovanii, tum alibi, ubi Catechismus cum Huygenii Sententiis comparatus innotuit. Nec defuerunt Satyræ acerbiores, quæ ridiculum reddidere adeò denuntiatorem *periculi*, ut nisi re non minùs, quàm nomine fuerit *intrepidus* & nesciens erubescere, Thesios illum suæ pudere debuerit, ac pœnitere temeritatis. Lepidum inprimis & rationum acumine æquè ac salibus mordax opusculum fuit, titulum præferens *Periculum in mora*, ubi doctri-

næ Huygenianæ opponitur Cathechismus, ut colligi haud difficulter valcat, quæ ratio authorem Theseos moverit ad exigendum celerem adeò Catechismi correctionem, denuntiato tam patheticè *periculo in mora*: Bajanis scilicet perunctus erroribus Magister ferebat ægerrimè, quidquid illis videretur contrarium.

Quod Huygenius ait de *Facultate Artium*, desiderante Catechismi alterius *substitutionem*, aut *emendationem præsentis*, facilè credo de aliquibus ad eam pertinentibus Facultatem, in qua nunquam defuere novitatibus addicti, uti nec desunt hodie in Quesnelliana propensi dogmata; ideoque Bullæ *Unigenitus* infensi. Mirabilis ea ibi Philosophorum aliquot, & Grammaticorum præsumptio est, quod majore Facultatis suæ numero; *Theologicâ* etiam *strictâ*, quæ Doctorum Regentium est, universâ Constitutionem Pontificiam, ut par est, acceptantibus, refragari etiamnum audeant, & in rebellione persistere contumaces.

Longè prudentius & salubrius fuisset Huygenii judicium; si Magistellis istiusmodi insipientibus *substituendos esse alios*, *aut illos emendandos censuisset*: *quod plures alii meeum optant fieri citò*; *nam periculum est in mora*: neque periculum tantumodo; sed damnum certissimum; juventutis scilicet talibus commissæ institutoribus corruptio & pernicies. Non enim Novatoribus illis satis est discipulos pravis imbuere opinionibus, quoties explicanda eis doctrina Christiana est; verùm & Grammaticis easdem norunt insinuare compositionibus, tractatibus quoque Philosophicis, potissimùm de Voluntario, libero, necessario, & similibus, qui connexionis aliquid habere videantur cum solitis agitari de Bajanismo, & Jansenismo controversiis.

Neque leve inde patitur tranquillitas publica, disciplina Ecclesiæ, Religio & Fides Catholica detrimentum. Luctuosa enim nimium docet & pridem docuit experientia, institutos à Magistris talibus adolescentes, haustum in Gymnasiis venenum, ætate reliqua raro, nec nisi difficulate maxima dimittere juxta illud:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorē testa diu.

Istud est quod sæpe deplorant Episcopi, & quicumque verè diligunt decorem Domûs Dei, pacem publicam, morum & fidei integritatem, sine qua scholis & populis nulla unio, nulla salus animis expectanda est.

CAPUT XIV.

Adversariorum temeritas in lacessendis Potestatibus, etiam Supremis, causa non minima Divisionis *est*.

1 ÆGidius de Witte in Augustino Iprensi vindicato pag. 335." Remedium Potestatem illam (Pontificiam) fines suos immensis parasangis egressam, in ordinem reducendi, & magna atque innumera mala ex illius imperio ac jugo exorta averruncandi, justum, promptum & efficax non aliud quæri, aut reperiri potest, quàm ex viva mentis applicatione ad illam Sacratissimam, & cum honore, ac reverentiâ omni suscipiendam Salvatoris nostri gnomen ac regulam, *Ab initio non fuit sic*."

Quod de non dimittendâ uxore legitima Christus monuit in lege nova, quemadmodum usum non habuit libellus repudii ante Legem Moysis, solus hæreticus ad *regulam* deduxerit generalem, ut istud omne & solum fieri debeat, vel conveniat, quod factum fuerit ab initio. Inde Lutheranus statuit usum Calicis immeritò laicis denegari, quia *ab initio non fuit sic*, abrogandæ essent vestes Sacræ pro Sacrificio Missæ, abolendæ omnes quæ postea additæ ceremoniæ: cessare deberet festorum omnium quæ ab initio non fuerunt, observatio, uti & Decretorum omnium sive Pontificiorum, sive Synodalium, quibus novi quidpiam præcipitur vel prohibetur.

Unde quæ confusio in Ecclesia, quæ dissolutio oritura sit, facile quivis prudens assequitur. Et quidem de statu Pontificiæ dignitatis conformando, quod Ægidius optaret, primorum Pontificum conditioni, exigeret etiam primorum Fidelium nostris temporibus simplicitatem, innocentiam, submissionem erga Ecclesiæ Propositos, etiam pauperrimos.

Ab initio non fuit sic quod simplex Sacerdos contra suum Episcopum, atque ipsum Apostolorum Principem rebellis insurgeret, ut insurgentem libellis infamibus Ægidium, vidit summo scandalo Belgium; & Provinciæ tum finitimæ, tum remotiores vehementiùs indignatæ sunt. De Galliis, & quibusdam ibi refractariis, etiam Præsulibus nihil (nunc quidem) enuntio. Ad patientiæ exercitium & meriti incrementum permisit Deus nascentem Ecclesiam gravissimis affligi persecutionibus, quas non judicarit secuturis temporibus convenire.

Insigne specimen temeritatis Ægidianæ est in *Augustino Iprensi vindicato* par. 2. cap. 12.

12. "Tertia Romanę Curię ad sublimitatis suę
„ machinam construendam industria in hoc
„ fategit, ut Romanos Imperatores specie
„ exaltandi sceptri sui, in suam causam illa-
„ queaet; qui, ut est natura hominum,
„ sibi facile passi sunt persuaderi, ad Imperii
„ sui Majestatem conducere, si Episcopus
„ Urbis, quæ tum Sedes Imperii erat, autho-
„ ritatis potestate, & præcipiendi arbitrio,
„ cæteris Præsulibus leges figeret.

„ Quare & per Prępectos Provinciarum sua-
„ rum mandabant in rem judicatam mitti
„ quod Pontifices, fortassis aut male informa-
„ ri, aut affectibus ducti, contra fas & æquum
„ in Episcopos statuissent. Hæc industria pro-
„ cul dubio nobis peperit iniquissimam illam
„ Novellam titulo 24. Codici Theodosiano
„ insertam sub nomine Theodosii Junioris:
„ *omnibus Episcopis pro lege sit, quidquid*
„ *sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis autho-*
„ *ritas; ita ut quisquis Episcoporum ad judi-*
„ *cium Romani Antistitis evocatus venire*
„ *neglexerit, per Moderatorem ejusdem Pro-*
„ *vinciæ adesse cogatur, per omnia servatis,*
„ *quæ Divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ*
„ *detulerunt.*

Locus hic non est defendendi sive Constitutionem Cæsaream, sive Pontificiam authoritatem; sed ostendendi, qualiscunque *Divisionis* in Ecclesia authores & fautores, non alios esse hoc tempore quàm Quesnellianos ipsos, fraude turpissimâ de *Divisionibus* conquerentes.

Nihil dignius Catholica Majestate Caroli Secundi, nihil æquius & sapientius decerni poterat, quàm quod anno 1695. die 7. Novembris pro Religionis & fidei incolumitate, quæque inde pendet, tranquillitate populi, in subditis sibi Belgii Provinciis promulgari curavit per Serenissimum Bavarię Electorem, *ut omnibus deinceps vacaturis promotionibus tam ad dignitates Ecclesiasticas, quàm ad officia secularia, excludantur, quicunque deprehensi fuerint sequi Doctrinam Jansenii, vel de Rigorismo, vel de Novitatibus suspecti habebuntur, quemadmodum & eis adhærentes, & eorum Protectores.*

Cùmque idcirco necessarium sit caveri, ne qui de ejusmodi Doctrinis suspecti sunt, ulli Collegio in Lovaniensi Academia præficiantur.... præsentes ad vos (litteras) dirigimus ut vobis (consulibus & Magistratui Lovaniensi) *mandemus & interdicamus, quemadmodum authoritate & jussu Regis seriò interdicimus, ne ulli, qui ejusmodi Doctrinæ adhæret, aut de adhæsione suspectus est, conferatis ullum Regentis aut Præsidis officium, ullam lectionem, ullum Beneficium, quod à collatione vestra, seu in Academia Lovaniensi, seu alibi dependeat: si secus fiat, irrita & nulla erit collatio.*

Ad Senatum Brabantię præter literas contra libros novitatibus faventes, vel detrahentes Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiasticis, alteræ eodem die expeditæ sunt, quibus *seriò interdicitur ne ullos ad se recurrentes Ecclesiasticos, quos Episcopi propter mores aut Doctrinam aggressi fuerint, vel deinceps aggredientur, Senatus recipiat, neve se iis immisceat, aut ullâ ratione præstet patrocinium sive possessionis, sive alio titulo.*

Non defuere Jansenianis calumniæ & interpretationes falsæ, quibus Decreta illa apud Sedem Apostolicam accusarent, velut Innocentii XII. ad Belgii Episcopos Brevibus adversantia: sed neque muneri suo defuere Regii Administri, Archiepiscopus Mechliniensis, aliique, qui perversitatis tenebras veritatis lumine dissiparent. Quæ verò in Belgio easdem Regis Catholici sanctiones mox secuta fuerunt, exprimit *Motivum juris*, quo illę adversus Quesnelli, atque ei adhærentium calumnias vindicantur. Motivi illius initio sic declaratur: *Vindiciarum occasio & necessitas.* " Vix prodierant Decreta Regia ad-
„ versus novitatum in materia Religionis
„ propugnatores & suspectos, quin gravis
„ inter Clericos aliquot observata sit com-
„ motio, & quasi expressis nominibus singu-
„ li in iis notati ac damnati fuissent, ita in ea
„ palàm & privatim invecti sunt: ubique à
„ turbulentis conclamatum, opprimi inno-
„ centes & Sanctissimos quosque Ecclesiasti-
„ cos, damnari in remoto, & nunquam à se
„ viso Tribunali non auditos, non citatos,
„ nedum convictos: contra eos pœnas statui
„ ut gravissimas, ita & iniquissimas: atque
„ adeò violari Belgii privilegia, ab hoc ipso
„ Rege Sacramento confirmata; pessumdari
„ legem ab Innocentio XII. de servando *ju-*
„ *ris Ordine* Episcopis Belgii præscriptam;
„ denique conculcari jura omnia humana &
„ divina. Hæc illi non sermonibus tantùm
„ vociferantur; sed & libellis tum manu-
„ scriptis, tum typo editis quaquaversus
„ divulgant.

„ Neque sua dissimulant nomina; sed
„ Joannes Libertus Hennebel, eorum ad
„ Curiam Romanam Legatus suo & suorum
„ nomine obtulit prolixum Memoriale Ita-
„ licum Sedi Apostolicæ; uti & Guilelmus
„ Vande Nesse Bruxellis dici solitus *Pastor*
„ *S. Catharinæ*, reverà *Vicarius*, Illustrissimis
„ Brabantię Ordinibus libellum illum suppli-
„ cem, seu potius seditiosum obtulit, una
„ cum Memoriali impresso.

„ Of-

„ Offerebatur autem à Pastore, non „ tantùm suo; sed & multorum aliorum nomine. Utrumque libellum die 22. Februarii „ 1696. miserunt Deputati Ordinum Brabantiæ ad Archiepiscopum Mechliniensem „ Belgii Primatem, quem licèt Bruxellis „ præsentem, maluerunt tamen scriptâ communi nomine Epistolâ de hoc consulere, „ ut responsum etiam scriptum acciperent. „ Non distulit illud Archiepiscopus, pro rei „ magnitudine, suoque in Religionem zelo, „ grave & efficax.

„ Quo viso, statuerunt Deputati, nihil „ contra Regis Decreta, vel eorum executionem tentandum, ac proinde rejiciendam Pastoris, eique adhærentium postulationem; sed & contra Memoriale Italicum „ Hennebelli declararunt se omnes Belgii „ Episcopi literis ad Pontificem datis, atque „ etiam ipsa Lovaniensis Academia in Comitiis generalibus idem expressâ declaratione reprobavit. Quapropter videri hactenus poterant Memorialia illa non egere „ alia refutatione; donec tandem nuperrimè „ innotuit, Senatum Brabantiæ fraudulentis „ Memorialium rationibus circumventum, „ in suis ad Serenissimum Bavariæ Electorem literis datis 13. Aprilis 1699. Mandata Regia tanquam inutilia & noxia reprehendere, atque hoc Senatus consultum „ jam typis editum, tanquam Memorialis „ Bruxellensis confirmationem, ei annecti, „ & utrumque non tantùm Gallico idiomate „ impressum serpere per Belgium & Italiam; „ sed etiam Hispanico per Hispaniam..

„ In me recipio evidenter ostendendum, Decretis illis nihil excogitari posse „ æquius, nihil in illis reperiri clementiæ & „ providentiæ Regis non maximè consentaneum: nihil illis opponi præter ineptas cavillationes. „

Sic Author *Motivi juris*, qui propositum eâ fide executus est, ut Quesnellum & ejus Socios de Regiis Decretis conquerentes, ubique de fraudibus & mendaciis convicerit, quæ illi nunquam diluere, nulla unquam verisimili potuerint ratione excusare: ne tentare quidem excusationis quidpiam ausi sunt.

Motivum illud compositum fuit jussu Archiepiscopi Mechliniensis ab intimo ejus Consiliario.

Prævenit autem ipse Antistes, & mox ut sibi ab Illustrissimis Brabantiæ Ordinibus communicatum accepit Memoriale Gallicum oblatum nomine, ut præseferebat, *ingentis numeri Theologorum ex Academia Lovaniensi*, inquiri accuratè Lovanii curavit, quis, & qualis esset ostentatus ille *ingens numerus Theologorum*.

Sinè morâ paruit Universitatis Rector, qui tunc erat Martinus Steyaert, & in Majori Theologorum Collegio in horam primam post meridiem 25. Februari 1696. convocavit *omnes & singulos* Sacræ Theologiæ Professores ac Lectores Monasteriorum Regularium, quibus exhibuit libellum gallicè inscriptum. " *A Messeigneurs Messigneurs les Etats* „ *de Brabant. Un grand nombre des Theologiens de l' Université de Louvain &c*, Item „ alium Libellum, qui incipit *Eminentissimi* „ *Patres: Ad Sedem Apostolicam*, unà cum „ Epistola Doctoris Hennebel data die 26. „ hujus anni: Quæ incipit: *Eminentissimi ac* „ *Reverendissimi Domini: Audeo mittere &c.* „ Petiitque ab illis an libellos offerri curaverint? An saltem illos approbent, & quid „ de illis censeant? Qui omnes & singuli unanimiter declararunt, se in illis libellis nullam partem habere, nec eosdem à se probari.

Idem Academiæ Rector pridie in eodem Majori Collegio Theologorum in horam tertiam convocaverat *omnes & singulos Sacræ Theologiæ Doctores & Professores Academicos.* Comparuere omnes exceptis duobus *Joanne Lovino*, qui infirmitate detentus comparere non potuit, & *Gummaro Huygens*, qui rationem absentiæ non reddidit. " Universi autem „ comparentes, audito prælegi libello supplice, *A Messeigneurs*, ut supra, Responderunt se in *illo Libello nullam habuisse aut* „ *habere partem, nec eundem à se probari*.

„ Præterea (inquit Rector) die 29. ejusdem mensis ex præfatis Dominis sequentes „ una mecum anteriori illi responsioni, & „ declarationi addiderunt, se *libellum illum* „ *omninò improbare tanquam seditiosum, &* „ *suæ Catholicæ Majestati injuriosum*,„. Subscripsere Academici Professores octo.

Hinc collige insignem *Supplicantium* fraudem dum in Memoriali simul oblato Illustrissimis Brabantiæ Ordinibus ajunt *præcipuas contendentium partes esse hinc Lovanienses Theologos cum suis sequacibus, inde sat notos adversarios* (Jesuitas).

Steyaertius; qui tanquam Academiæ Rector, documentum horum omnium authenticum fecit, noscitur fuisse partium aliàs Arnaldicarum, ab Arnaldo Parisiis domo liberaliter exceptus, verùm dum aliquot post annis se Apostolicis contra Jansenium Constitutionibus submittens, pro iis etiam scribere cœpit, tunc omnium in se Jansenistarum, Arnaldi maximè tela convertit anno 1692. donatus ab illis *strenulâ chronographicâ*, quâ salutatur à notis Augustini & charitatis discipulis, tanquam *Vicarius Apostolicus Silvæducen-*

censis Martinus Steyaert, Frater Apostata, Author Schismatis Lovaniensis, vafer novitatum Architectus, Laxonum strenuus Advocatus, innocentum subdolus & ferox persecutor, audax & ferox calumniator, fatuus adulator. Quid boni, quæso, Diœcesis Silvæducensis expectas à tali viro, qui laxiorem viam professus, vos per eam verbo & exemplo in æternum exitium est perducturus?

Dicitur Steyaertius *author Schismatis Lovaniensis*: quia Jansenianorum partibus se subducens, plures secum traxit Academicos. Propterea novem *partibus difficultatum* Arnaldus eum impetiit, Quesnellus *Notis* vehementibus in Epistolam ejus ad *Archiepiscopum Cameracensem*.

Arnaldum, & Quesnellum præcesserat Ægidius de Witte *in Spongia Notarum*, quas Steyaertius ediderat contra quinque Propositiones Jansenii hæreticas in sensu, qui ab eodem authore intentus fuerat, atque in ejus exprimitur volumine.

Non mitiùs excipit Dominus Malpaix unus è famosis exulibus occasione falsi Arnaldi, Vicarios Tornacenses in Epistola anni 1691. 2. Februarii. *Tres Vicarii Generales Tornacenses sunt tres Diocletiani, qui opprimunt miseram illam Diœcesim. Tres isti, veluti flagella iræ Divinæ, percutiunt & affligunt omnes, qui non habent characterem bestiæ, & qui laxitatis imaginem fronte non præferunt. Sufficit, quempiam esse mediocriter honestum, ut muniis omnibus Ecclesiasticis excludatur, sinè ulla spe promotionis. Satis apparet, quo Spiritu agantur tres illi Lupi, qui impunè dilacerant gregem. Nisi Deus brevi finem imponat persecutioni, totam miseram Diœcesim pervertent. Boni Pastores gemunt sub jugo tyrannico: vident perire suos conatus* (pro stabilienda Ecclesia nova) *& multos bonos Ecclesiasticos, qui saniori parti se addixerant, pati naufragium.*

Post Alphonsi Archiepiscopi Mechliniensis obitum spargebantur schedulæ famosæ, & sacrilegæ ad Deum preces vernaculo idiomate, aspergentes infamiâ singulos Belgii Catholici Antistites, qui videbantur posse Mechliniam promoveri: poscebant successorem unicè è S. Augustini discipulis, purioris Ethicæ Doctorem. Mox autem ut assumptus fuit Illustrissimus Humbertus, atque hic animatis etiam Præsulibus suis suffraganeis, cæpit frænum injicere novitati, sensit omnium Jansenistarum in se jacula converti.

Præcipuas eum opprimendi partes sibi vendicavit Gerberonius, latebris suis sisus, & mutato in singulis lucubrationibus nomine, ut in se uno pugnare Jansenistarum legio videretur.

Cùm in moribus, quibus erat Antistes integerrimus, atque ut talis notus omnibus, nihil calumnia reperiret quod specie aliqua veritatis esset obnoxium reprehensioni, universas Antistitum ad sedem aliam translationes, Apostolicâ licèt factas authoritate, velut detestanda maximè *adulteria* libellis pluribus criminatus est.

Contra hanc omnium judicio ineptissimam calumniam, nullâ videri opus debuit apologiâ, quandoquidem in omnibus Christiani orbis partibus exempla occurrant frequentissima, in quibus Præsules etiam sanctitate conspicui, in translationem sui ad aliam Cathedram consentiunt. Ut exemplum Gregorii Nazianzeni, & alia vetusta prætercam, nonne Sanctissimus Pius V. ante Pontificatum maximum duabus successive sedibus applicatus est? Quisquamne ipsi ante Gerberonium crimini vertit, aut culpæ levissimæ?

Quàm sanctus adversariis fuit Gilbertus ad Choyseul, priùs Convenarum, dein Tornacensium Episcopus, à quo jacta in Tornacensi agro tot semina Sanctitatis, luget adeò Malpaisius à tribus post ejus obitum Vicariis pessumdari! Eminentissimus de Noailles tertiam hodie Cathedram occupat, neque in hoc auditur hactenus divexari scrupulo, aut ab aliis accusari. Debuerat proinde Gerberonium pudere temeritatis, saltem ubi de errore monitus publicè à me, & ab aliis fuit. Verùm post monitiones sic prosequitur in libello cui titulus *Defensio sententiarum* pag. 30. *Non existimo nimii rigoris arguendum esse eum, qui in Notis super Decreto Archiepiscopi Mechliniensis interrogavit, an Præsul, qui ex Sponso Ecclesiæ Brugensis factus est Sponsus Ecclesiæ Mechliniensis, non habendus sit potius adulter quàm sponsus.*

Ibidem pag. 25. *Archiepiscopus qui primam Sponsam deseruit ad ducendam alteram nonne adulter & non sponsus est?* pag. 26. *Ne ille juris Canonici imperitus est, qui arbitretur nimis acerbam, ac duram esse intortam Episcopo exprobrationem adulterii, cum de uno Episcopatu ad alium translatus sit.*

Ignoraverit Gerberonius declarationem Pelagii Pontificis, qui apud Carranzam in Summa Concilii Aurelianensis quinti in secunda sua Epistola Decretali ita respondet Archiepiscopo Benigno: *Exigit Dilectio tua consulta Sedis Apostolicæ, si licitum foret Episcopo transire, aut mutari de Civitate in Civitatem; cum quidam Canones (ut tibi videtur)*

tur) hoc fieri prohibeant... Scias, Frater dilectissime,... aliud esse mutare, & aliud mutari. Quod enim in Canonibus legitur, non debere Episcopum de Civitate in Civitatem transire, non de his dicitur, qui authoritate Majorum hoc agunt, ut aliquando exigit necessitas, vel utilitas spiritualis.

Ibidem: *Quapropter, charissime, muta Episcopum causâ necessitatis, aut utilitatis super quo consulere nos voluisti, & alios Fratres nostros, quibus hoc faciendum necessitas, aut utilitas compulerit, agere doce; quia hoc, quod tibi soli scribimus, omnibus fieri mandamus.*

Ad praxim minimè raram etiam piissimorum & Sanctorum Antistitum sibi objectam respondere non dubitat Gerberonii impudentia pag.3. *Hujusmodi translationes hodie valde usitatæ sunt: Sed hoc tantùm probat, id malum magis invaluisse quàm unquam antea. Quod malum originem trahit ab ambitione & avaritia, quæ Ecclesia legibus se nescit submittere.* Quæ omnia dum idiomate scribuntur vernaculo, & imperitorum ac malevolorum manibus obtruduntur, fieri natum est, ut quò translatus venerit Episcopus, velut cupidus æstimetur, & contra Ecclesiæ Canones illegitimè promotus. Undè facilè fiat, utDecretorum ejus authoritas in dubium vocetur, vel suspicionem.

Sed parum ista moverunt Gerberonium; quia istiusmodi lucubrationum scopus noscitur fuisse præcipuus, ut subditos à Præsulum non faventium novitati, obedientiâ liberaret. Sic etiam Dominus Malpaix in Epistola data anno 1691. 2. Februarii adversus Decreta Archiepiscoporum Mechliniensis, & Cameracensis, de non legenda promiscuè scriptura in lingua vulgari exclamat. " Novum scandalum! Adoranda verba, quæ Deus omnibus suis famulis reliquit ad solatium (*solatio habentes libros sanctos*) ipsis sunt erepta è manibus, quasi malus, & perniciosus liber, idque per Archiepiscopos Mechliniensem & Cameracensem (quos alii omnes Belgii Austriaci Antistites secuti sunt).

" Horrenda cæcitas, scandalosæ ordinationes Fratribus nostris separatis, idoneæ quæ ipsos in perpetuum à Communione Ecclesiæ sejungant: perniciosæ & exitiales omnibus Christi Fidelibus! usque quo Domine, usque quo? Quid veteris Ecclesiæ Fideles cogitassent de Episcopo, qui hujusmodi Decretum edidisset?

" Misera Dei Ecclesia! Quomodo gubernaris hoc tempore? S. Paulus vult ut omnes Fideles volvant suas Epistolas: Episcopi autem Romanus, Mechliniensis, & Cameracensis, id nolunt: cui credendum? Priori sinè dubio; scimus enim quia huic locutus est Deus. Iterum dico quale Neophytis scandalum "!

Non minùs impudenter Gerberonius *in defensione sententiarum &c.* pag.15. " Nonne oportet omni æquitati, imò pietati nuntium remisisse eum, qui judicet, non esse conquerendum de Decreto, quod conscientias perturbat, & quod clarissimè convictum est de illata Deo injuria? "

Ibid. pag.24. " Nimis verum & manifestum est, quod Archiepiscopus ediderit Decretum, de quo conquerimur, tanquam de injuria Verbo Dei, & authoritati Regiæ illatâ; & tanquam de mandato quod apertam hæresim exitialem animis complectitur. "

Rursùm Gerberonius in *Brevi & necessaria instructione circa Lectionem Scripturæ Sacræ* pag.22. " Episcopus qui prohibet plebi lectionem promiscuam Scripturæ Sacræ in lingua vulgari, non Pater est, neque Pastor; sed potiùs tyrannus, adimens libertatem à Deo concessam ". Idem in *defensione sententiarum* pag.44. " omnes, quibus aliquod vestigium judicii & pietatis superest, Decretum illud semper exhortescent, & aliquem characterem seditionis, injustitiæ & erroris in eodem agnoscent. "

Iterum in *Brevi & necessaria instructione* pag.26. " Virtutis est non obedire talibus Præpositis: qualis enim foret ista obedientia? Non absimili Nestorius, Julianus, Sergius, & plures alii hæretici Episcopi plurimos simplices suis hæresibus implicuerunt, & pertraxerunt ad Inferos. "

Insignes Gerberonio suppetias tulit Ægidius de Witte, variis præcipuè Dialogis.

In tertio qui est *inter Theologum & Parochianum* pag.7. suggerit dignum suâ industriâ consilium dicens: " Expedit hujusmodi Decreta per usum contrarium abrogare, ad quod conducet, lectionem sacrorum voluminum ob tale Decretum non omittere, eamque etiam aliis, qui curæ nostræ sunt crediti, vel qui nos consulunt, commendare. "

Solent Theologi noxam agnoscere in primis saltèm legis transgressoribus, antequam superior, videns eam à nemine observari, neque contradicens, in cjus supponitur abolitionem tacitus consentire. Verùm istud Ægidii consilium pro abrogandis legibus, sive civilibus, sive Ecclesiasticis, non memini ab ullo traditum authore Catholico; sed

sed tale decuit Candidorum Principem Jansenistarum.

Si Antijansenianus quispiam imprudens, fuisset istiusmodi progenitor laxitatis, quas non contra eum tragædias excitassent Arnaldus, Quesnellus, Gerberonius! Quibus non personuissent Satyris *Literæ Provinciales Ludovici Montaltii*, seu Blasii Paschalis, & aliorum non melioris notæ Opera? Superiùs vidimus Jansenianum præsagium de calamitatibus à futuro mox Archiepiscopo Mechliniensi eodemque Belgii Primate Humberto imminentibus novæ Jansenistarum Ecclesiæ; ideò vicissim hæc contra eum omnia statuit tentanda; immittendum in eum undique libellorum diluvium: dilacerandam ejus famam: Nihil denique prætermittendum, quo conflari adversus eum valeat odium & indignatio populi.

Tres eodem tempore, contra primum Archipræsulis Decretum libellos edidit Gerberonius, Gallicè, Latinè, Belgicè, ut terrorem incuteret non acrimonia solùm; sed etiam multitudo scribentium. Operi Gallico titulus erat *sententiæ & agendi ratio Archiepiscopi Mechliniensis*.

Illic pag.20. dicitur. " Sonorè & publi-
„ cè contra Archiepiscopum querimur; non
„ tantùm quòd statuerit doctissimos & opti-
„ mè moratos Ecclesiasticos perdere; verùm
„ etiam quod illud exequatur viâ maximè
„ irregulari & prorsus inusitatâ.„ Pag.21.
„ Petiit & consecutus est à Rege Hispaniæ ut
„ omnes viæ justitiæ occluderentur omnibus,
„ quos ei placuerit persequi.„

Pag.23." Omnes abusus de quibus Ar-
„ Archiepiscopus in libello supplice oblato
„ Catholicæ Majestati conqueritur, sunt ima-
„ ginarii, & nonnisi ementiti prætextus qui-
„ bus Regem circumveniat, inducatque ut
„ suffulciat violentam atque iniquissimam
„ suam agendi rationem.„

Ibid." sine ulla informatione: sed falsis
„ innixus solummodo ideis Archiepiscopus
„ in quorumdam conjuravit Ecclesiasticorum
„ perniciem, eosque inclementissimè perse-
„ quitur: quia autem nullum in eis reperit
„ errorem, aut alicujus momenti delictum,
„ ideò cogitur contra Ecclesiæ regulas, &
„ normam Justitiæ procedere, atque agere
„ more Sicariorum.„

Pag.26." Meditatur in has Provincias
„ inducere regimen Franciæ, millies magis
„ injustum & crudele, quàm sint Tribunalia
„ Inquisitionis„. Ibid. Archiepiscopus " est
„ simul pars, testis, Judex, executor contra
„ Regis subditos. Nonne hoc est in ha-
„ sce Provincias introducere regimen purè
„ tyrannicum, & contrarium omnibus legi-
„ bus, omnibus consuetudinibus, & omni-
„ bus harum Provinciarum privilegiis, ad
„ quæ servanda Rex Jurejurando se obstrin-
„ xit?„

Facultatem hujus *Regiminis purè tyrannici* juxta pag.21. *Archiepiscopus petiit & consecutus est à Rege Hispaniæ*, atque ita eum fecit violatorem datæ fidei pariter, & juramenti uti & fautorem tyrannidis authoremque præcipuum. Pag.26. *Regimen Franciæ millies magis injustum* asseritur *quàm tribunalia Inquisitionis*. Cumque illud sit quod in Belgii *Provincias introducere medietatus est* Illustrissimus *Humbertus*, conspicimus verbis paucissimis hunc Archiepiscopum simul cum Regibus Catholico Carolo Secundo, & Christianissimo Ludovico XIV. cum omnibus Sacræ Inquisitionis tribunalibus accusari enormis injustitiæ.

Juxta Eugenium de Gelder ardentissimum Janseniani Euangelii in Belgio præconem, in libello, quem *supplicem* vocat, *& ultimam vocem zelatricis innocentiæ ad Innocentium XI.* pag.6. *Tanta Monarchiæ Hispanicæ corruptela est, ut omnia subsellia, dignitates, & ministeria in tota dominatione à planta pedis usque ad verticem repleantur personis corruptis, unicè quærentibus quæ sua sunt, non quæ justitiæ, Regis aut Reipublicæ vel Dei. His autem alii ejusdem farinæ in locum demorientium continuò subrogantur: unde oritur reformationis impossibilitas.*

Verior fuit impossibilitas in Religiosi hujus rectoribus linguam ejus & calamum frænandi maledicum, quod neque carceris molestia, neque præcepti religio potuere. Gabriel Gerberon in opusculo cui titulus est, *Ecclesia Galliæ afflicta* totus est in conquerendo de afflictionibus illic Jansenistarum, velut iniquissimam patientium persecutionem. Similem tentatam ait ab Archiepiscopo Mechlinensi Humberto, qui Regi Hispaniæ persuaserit ut pro sua sibi Diœcesi tyrannicam concederet authoritatem.

Damnatis ad incendium à supremo Geldriæ Senatu tribus Gerberonii libellis infamibus, quos tribus ab eo linguis, eodem tempore editos memoravi, nihil territus idem scriptor mox ipsum invasit Regium Senatum novo opusculo, cui nomen indidit *Defensionis*: ubi pag. 5. ait " *Facilè videre est, sententiam à Concilio Geldriæ contra tres libellos pronuntiatam, repugnare veritati & justitiæ: & ideò virtutis est, eam non agnoscere tanquam regulam opinionis quæ de tribus istis lucubrationibus concipienda est* „. Quæ non Senatui Aquensi, & Cardinali illic Archiepiscopo,

Cardinali Episcopo Gratianopolitano, atque ipsi Illustrissimo le Tellier Archiepiscopo Remensi Gerberonius improperavit? Clerum Gallicanum in Comitiis generalibus congregatum quibus non velut imperitissimum exagitavit contumeliis? Cui non exposuit, etiam puerorum mulierumque ludibrio?

Quesnellus quoque seditiosis scriptionibus Montensem populum contra Magistratum impellere conatus est, quasi introducentem Inquisitionis Tribunal, cujus nomen hæretici innumeris fabulis & calumniis adeò reddidere Belgii Provinciis odiosum. Ipsam suam Oratorii Congregationem turbavit dissidiis & rebellione adeò ut ex Gallia profugere coactus sit in Belgium, ubi mox suos à totius ordinis obedientia, & Constitutionibus avellens, complures fecit etiam Pontifici refractarios, graves Episcopis, & populo perniciosos.

Non pepercere Quesnellus & Gerberonius Eminentissimo de Noailles, in quem Quesnellus Sorbonicos quadraginta Janseniano *Conscientiæ Casui* temere suffragatos exstimulavit, postquam eundem Antistitem Gerberonius lacessiverat ut fidei corruptorem. Denique ubicunque duo illi novæ Ecclesiæ Apostoli cum Arnaldo & Ægidio de Witte fixere pedem, dissidiorum incendia exarserunt.

Referendum aliquid distinctius est ex indicato superiùs Gerberonii opere, *Ecclesia Galliæ afflicta* ubi juxta Jansenianæ fidei, Justitiæ, charitatis regulas describitur, prætensæ persecutionis historia. Pag.2. Sic alloquitur Archiepiscopos & Episcopos in cleri Comitiis congregatos. " Quandoquidem, si „ Comitiorum vestrorum Oratoribus fides „ est, tanta solicitudine incumbitis, ad im„ pediendum, quidquid Ecclesiæ posset unio„ nem dissolvere, tolerare minimè debetis, „ quòd Pastores à populo, Sacerdotes ab Al„ taribus, Religiosi & Moniales à Monaste„ riis avellantur „.

Pag.22." Sanctimoniales illæ (Portus „ Regii) verè Sanctæ Domo suâ expellun„ tur; sed enormi, & totum percellente „ mundum injustitiâ. „

Pag.133." Parisiensis Presbyter virtute „ magis clarus, quàm prosapiâ, Carceri „ (Bastillæ) mancipatus est propter non aliud „ crimen, quàm quòd Ecclesiam amaverit, „ & veram Christi gratiam „. Pag.143." In „ Gallia non solùm Christi Euangelium per„ secutionem patitur, ubi Sanctissimorum „ Dogmatum, & veritatis Evangelicæ De„ fensores mulctantur exilio, aut carcere, „ absque ulla forma justitiæ; Sed & suscepta „ Ecclesiastici juris invasio extenditur in lo„ ca maximè Sacrosancta; quorum prote„ ctionem olim Regum nostrorum pietas sibi „ gloriæ duxerat & honori. „

Similia scripsit & typis edidit Arnaldus, in tanta novæ Ecclesiæ necessitate suam non passus operam desiderari. Sic in Epistola anno 1691. Eminentissimum le Camus Gratianopolitanum Antistitem alloquitur: " Ab „ Eminentiæ vestræ zelo, quo fertur pro ju„ stitia, & vera Regis gloriâ, expecto futu„ rum, ut ubi occasio apparuerit opportuna, „ adlabores quantum poteris, ad tollendum „ scandalum, quod pulchritudinem regimi„ nis ejus commaculat, eritque pessimum „ secuturis seculis exemplum; videlicet quòd „ adeò multi conspiciantur Ecclesiastici ex„ ploratæ pietatis, exules, fugati, captivi „ ob rationes falsas aut frivolas, absque ul„ la forma Justitiæ, nullo dato defensioni lo„ co, nulla spe apparente finis imponendi in„ justissimæ vexationi, cujus rigor in dies „ crescit potiùs, quàm minuatur.

„ Dum enim exulum pietas aliquo in lo„ coreverentiam eis conciliare cœpit & amo„ rem, transferuntur inde in remotiora loca „ & magis incommoda „. Idem in opusculo pro clientibus suis Duacenis exulibus contra *Elusiones Reflexionum* pag.15." In Gallicana „ Ecclesia non judicantur ampliùs Ecclesia„ stici in Dogmaticis: omnia judicia in vias „ facti commutata sunt. Potentia Superio„ rum non est innocentibus præsidio, sed de„ bilioribus oppressioni. Si Episcopus ser„ vare juris ordinem decreverit, ut judicet „ de accusationibus institutis adversus opti„ mos Diæcesis suæ Ecclesiasticos (quales „ Janseniano Antistiti omnes fuerint ejusdem „ hæreseos Sectatores) suscitatur contra „ eum authoritas Regia: Documenta litis „ essentialia ei auferuntur; jubetur ab omni „ desistere processu & indefensam suorum in„ nocentiam relinquere extranei arbitrio, & „ vindictæ inimicorum. „

Aliud moderationis pacificæ in Arnaldo specimen occurrit, ubi contra supremos Belgii Moderatores & Pontificium illic Administrum lucubrationem edidit, hac insignitam Epigraphe *Defensio judicii æqui*. Illic dicitur „ Dominus de Pape (Protopræses) instiga„ tus à Jesuitis opprimendum suscepisse „ Theologorum Lovaniensium Senatum, vul„ gò *Facultatem strictam*, ut impediret, ne „ ad eum eligi posset Gummarus Huygens. „ Dux etiam de Villa-Hermosa Belgii Guber„ nator, inductus ab eodem Supremo Præsi„ de Consilii intimi, indicavit Lovaniensibus „ se non toleraturum ejus electionem; sed „ ve-

„ veritus ne mandato tam injusto, & quod „ eligentium læderet conscientiam, non pa„ reretur, electionem omnem prohibuit.

„ Internuntius Pontificis Doctores quin„ que mandato, ut ajebat, à Romana Curia „ accepto, exclusos denuntiat, absque ulla „ forma justitiæ, contra leges omnes Divi„ nas pariter & humanas „.

Iterum Arnaldus in Epistola quam refert *Causa Quesnelliana* pag. 373. " Internun„ tius in machinationis suæ partes traxit con„ silium intimum, cujus Præses totus Socie„ tati devotus est, illudque suis artibus in„ stigavit, ut Lovanienses torqueret Acade„ micos, ad actum injustissimum simul & ma„ ximè infamem .. Omnia jura clamabant, „ non procedendum ulteriùs; Verùm neque „ legibus neque rationibus auscultatur, ubi „ fixa Decretaque aliquorum persecutio est. „ Citabatur, qui Academiæ à sectetis erat, „ neque absterrebar, quod is contra præsti„ tum jusjurandum obtemperans, Deum „ offenderet „.

Walonius in Epistolâ ex Urbe ad Quesnellum datâ anno 1692. 12. Aprilis: " Quid„ quid mali & injustitiæ in subscriptionibus „ Formulæ Alexandrinæ contra Jansenium „ est, totum ab Aula Galliæ ducit originem. „ Quanta Curiæ illius contra Jacobum Gil„ berrium durities! „ Idem 22. Martii ait. „ Miseri Doctores Duaceni nimis bene se „ defenderunt, quàm ut faventem sibi justi„ tiam sperare à Curia liceret „. Anno 1702. die 4. Martii Walonius ad Quesnellum. „ Qualis Catastrophe miseris Majoribus [in „ cifra *Lovaniensibus*]?

„ Humanitùs loquendo, non apparet, „ quid auxilii expectari valeat ab Aula Ma„ dritensi quæ motum, & directionem suam „ accipit Versaliâ. Obstinatio Regis Galliæ „ est terribilis „. Anno 1692. 8. Novembris. „ In negotio Bullarum Gallia miserè inclina„ vit se circa 4. Articulos Cleri Gallicani. „

Anno 1687. 10. Octobris. " In Galliis „ pœnæ & exilia reservantur viris integerri„ mis, qui Jansenistarum nomine infaman„ tur; uti & Romæ, qui hujus Curiæ præ„ tensionibus, non cæcè consequiunt. At„ que ita probitas, & virtus Christianæ per„ secutionem patitur ubique. „

Krysius è Clero in Hollandia Missionarius Sebastenum Archiepiscopum Comitatus Romam, inde scribebat anno 1702. 1. Aprilis ad Josephum Brigode Quesnelli Secretarium. " Satis redditur manifestum ex nego„ tio Caprivi N. N. [in Archiepiscopi Me„ chliniensis Palatio Bruxellensi] quòd ju„ stitia pedibus conculcetur. Quid Spei su„ per est regioni, ubi justitiæ pulsæ successit „ violentia? Veritas & justitia hic Romæ „ non meliore loco est, ut patet in causa Se„ basteni.

Abundantem hic habes, Lector, congeriem documentorum; unde qualis Ecclesiæ novæ spiritus sit, facilè dignoscas. Multitudine volui adversarios obruere, ne in paucis forsitan excusationis quidpiam comminisceretur hypocrisis.

Ex his verò omnibus fit evidens, Factionis indoles contemptrix & hostis omnium, etiam Supremorum Principum, qui frænum censuerint novitatibus injiciendum. Adde Scurriles Satyras, & virulenta poemata, quibus librum integrum implevere. Quid de mappis infamibus, quarum una exhibet *Turrim Babel*, atque ei comparat Gallicanam Ecclesiam propter Constitutionem *Unigenitus* diversimodè acceptatam:

Altera magis nefaria, collocans in Cœlo *Sanctum Patrem Quesnel* cum Augustino proximum Salvatori: Pontificem verò Clementem XI. ad Inferni supplicia delatum à quatuor Cardinalibus ibi nominatis, meque fungentem munere janitoris. Conveniuntne talia pietati & modestiæ ab adversarus aliàs tantopere affectatæ?

Ferebant priùs ægerrimè illud Constitutionis exordium, quo monemur *ut attendamus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quo nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendidâ pietatis specie prava Dogmata latenter insinuantes, introducunt Sectas perditionis sub imagine Sanctitatis*: Et quoniam ipsi judicari voluêre *ex fructibus*, nonne præclari sunt, & concludendo de authoribus judicio sufficientes, quos retuli hactenus? Supersunt plurima; sed vereor ne nimia sordium accumulatio fastidium adferat Lectori, quando ex allatis liquidissima adversus Quesnellistas convictio est, ipsosmet, & turbulenta eorum molimina perversam hæreticis de Ecclesia *ingerere opinionem*, neque aliam *Divisionis* causam esse, quàm eorumdem contra definitiones Ecclesiasticas rebellionem, in erroribus pertinaciam, in calumniis & scriptis infamibus temeritatem.

Minimè eam fovet; sed neque impedire satis potest Apostolica Sedes, quando omnes Censuræ & anathemata despiciuntur: pridem Janseniani, ut Gerberonius in *Jansenismi Historia* gloriatur, reperêre *unguentum Adversus ustulationes librorum*. Unguentum idem, quod in Censurarum omnium atque anathematum contemptu ac pertinacia situm est, non minùs facilè medetur cuilibet errori, etiam

etiam hæresi, à Sede Apostolica condemnatæ.

Quapropter inter humana præsidia, vix aliud Ecclesiæ superest, quàm attentio in promovendis ad Beneficia & officia, ne eligantur de novitatibus suspecti. Et quoniam inter Jansenianos maximè temerarii, quales fuere præcipui à me hactenus relati, novæ hæreseos propagatores, temporalibus istiusmodi subsidiis non indigent, sive quia pietatem aliàs simulando Beneficium fraudibus, & hypocrisi ab Ecclesia emunxere, sive quia aliundè satis sibi prospectum habent patrimonio, sive quia succursum accipiunt partim ex communi novæ Ecclesiæ ærario, partim ex suorum distractione Operum, quæ quanto vehementiora sunt contra Apostolicam Sedem, contra obedientes ei cum Clero Episcopos & Religiosos Ordines, avidiùs emuntur ab hæreticis & à novitatis semper amante populo; præsertim ubi Regularium quorumdam, à primævo deficientium Spiritu, & libertinorum aliquot Clericorum, tegentium hypocrisi impietatem, Consiliis pessimis nova hæresis commendatur. Alterum à quo ad extinguendam novitatis pestem subsidium expectare Ecclesia valeat, est brachium seculare, ut *quos Ecclesiæ mansuetudo non flectit; potestas Regalis compescat, & conterat*, ut Clemens XI. Regem Christianissimum monuit Apostolico Brevi die 13. Februarii 1703. occasione famosi *Casus Conscientiæ*.

CAPUT XV.

Schismatica Jansenistarum indoles unionem ubique exosa, etiam inter Principes, præcipuè Pontificem, & Regem Christianissimum.

1 Quemadmodum Arnaldus, Quesnellus, Gerberonius è Gallia in Belgium profugi, illud ut supra vidimus, scriptis seditiosis, & Schismaticis implevere, Populum & Clerum contra Religiosos, Missionarios Hollandiæ contra Vicarium, Magistratus Laicos contra Episcopos & Regem, universos contra Sedem Apostolicam concitando, ita Ægidius de Witte experiri voluit, an non posset vetera dissensionum inter Pontificem & Regem Galliæ, suffocata pridem semina suscitare.

Digna Rege Christianissimo & primogenito Ecclesiæ Filio fuit Sanctio, quâ Ludovicus XI. Pium Secundum Pontificem sic alloquitur: *Te Vicarium Dei viventis eâ veneratione prosequimur, ut Sacra, præsertim in Ecclesiasticis rebus, tua monita, velut Pastoris audire, illique parere prompta mente velimus. Te Principem totius Ecclesiæ, Antistitem Sacrorum, Te Dominici Gregis Pastorem profitemur & scimus: teque jubentem sequimur: Tibi & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus. Itaque sicut mandasti, Pragmaticam Sanctionem, Tuæ Sedi infensam, utpote quæ Schismatis tempore, atque per seditionem mota sit, à Regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, dejicimus, stirpitusque abrogamus.*

Abrogationem hanc confirmans Leo X. eum Concilio Lateranensi sess. 11. ait. *Nos maturè attendentes Pragmaticam Sanctionem, vel potiùs ut dictum est, corruptelam, Schismatis tempore à non habentibus potestatem, editam reliquæ Christianæ Reipublicæ, Ecclesiæque Sanctæ Dei nullatenus conformem, & à claræ memoriæ Ludovico XI. Francorum Rege Christianissimo revocatam, cassatam atque abolitam, libertatem, authoritatem, & dignitatem dictæ Sedis violare ac diminuere;... ipsamque notoriæ nullitati subjacere, nulloque nisi alicujus temporis, seu potiùs tolerantiæ cujusdam adminiculo fulciri; etsi Romani Pontifices Prædecessores nostri præfati, prout ipsi suo tempore summopere se optare demonstraverunt, corruptelam & abusionem hujusmodi vel malignitate temporum, vel aliàs illi providere, & in totum occurrere non valentes, suis temporibus tolerasse visi fuerunt; considerante tamen ab ipsius Bituricensis Sanctionis editione vix annos septuaginta fluxisse, nullumque infra hoc temporis spatium, præter hoc Lateranense Concilium, legitimè fuisse celebratum; in quo cùm, disponente Domino, constituti simus, ab ejusdem improbæ sanctionis extirpatione, & totali annullatione, sine nostra ac tantorum Patrum congregatorum notâ, ac nostrâ, & illâ utentium animorum periculo, abstinere, seu desistere non posse, Augustino Teste judicamus atque censemus.*

Demùm Franciscus primus Ludovici Undecimi contra Pragmaticam Decretum confirmans, odiosæ sanctionis reliquias extinxit, initis cum Leone X. Pontifice Concordatis, quæ in Regio Senatu seu Parlamento lecta, & ab eo probata, regesto inserta atque promulgata fuere 22. Martii 1517.

Ita pax optatissima inter Sedem Apostolicam & Regem Christianissimum plenè composita, ac firmiter stabilita duobus Seculis mansit, nisi quod ante annos aliquot occasione Regalium, quidpiam turbari cœperit; sed & dissidii istius flamma feliciter extincta est dolentibus Jansenistis, quo-

quorum spes non minima in Catholicorum Principum, Christianissimi præsertim adversus Romanum Pontificem contentionibus posita est. His scilicet vigentibus fieri natum est, ut neque Pontifices eâ sibi videantur ad Seculares Curias confidentiâ recurrere posse, ad expetendas contra emergentem hæresim suppetias, neque tantus ardor Principibus sit ut Pontificias definitiones armatâ contra refractarios suffulciant authoritate.

Ideò Jansenistarum, vulgò *Candidorum* Princeps Ægidius de Witte dissimulare nequit, suum propter abrogationem Pragmaticæ dolorem *in Augustino Imprensi vindicato* pag. 301 ubi de Concilio Basileensi ait " Decreta illius Rex Galliæ Carolus VII. in rem judicatam misit, conditâ plæclarâ istâ anno 1438. apud Bituriges Sanctione Pragmaticâ, quam si hucusque sartam tectam servassent Galli, eandemque adoptassent, aut ei similem confecissent, vel purè & simpliciter Decreta Basileensium executi fuissent cæteri Christiani Principes, ò quantum turbarum atque corruptelarum abegissent ab Ecclesia Dei, & quantum splendoris contulissent dilectissimæ Sponsæ Christi! .... sed omnem lapidem movit Romana Curia, ut sanctionem illam egregiam, dominatus sui avertuncatricem à cervice suâ depelleret. "

Pag. 302. " Egregiam hanc laudem Romana Curia debuit Pio secundo Pontifici, qui.... Turgestinus, ac dein Senensis Episcopus à Nicolao Pontifice designatus, spe etiamnum altioris gradûs, dejectione propudiosissimâ Romanis exorbitationibus tuendis, toto Spiritu se devovit... Pio secundo ad æternitatem vocato Paulus secundus in cathedra Apostolica succedanens, vicissim omnes conatus suos explicuit Pragmaticæ Sanctioni in Gallia radicitùs extirpandæ. "

Pag. 303. Rex denuo à bonis conceptibus suis trasversum actus, postulatis annuit... Idem Ludovicus Rex instar Vertumni juxta commodorum suorum Cynosuram se duci ac reduci sinens &c.... Ludovico XI. mortuo Filius ejus Francicus Primus cum Leone X. Pontifice indecorum monopolium iniens Sanctissimam illam legem funditus evertit, ac Galliam vix emergere è sua servitute incipientem, denuò miserrimè sub jugum misit.

Pag. 304. " Ita duo juvenes Principes, Rex viginti annorum, Pontifex præter propter triginta octo privatâ authoritate, & singulari coitione inter se solos factâ, dissipaverunt multò plæclarissimum Concilii Generalis opus, quod reformandæ in capite & in membris Christianæ societati à multis seculis Ecclesia viderat. "

Non poterat tali Jansenistarum Principe dignior esse Oratio, quæ abjectâ hypocrisis larvâ indolem sectæ patefaciat schismaticam, & potestatis omnis præsertim Ecclesiasticæ contemptricem. Videt impudens Ægidius ipsum Regem Christianissimum *pellere deiicere, ac stirpitùs abrogare* Sanctionem pragmaticam, ut potè sedi Apostolicæ *infensam, motam Schismatis tempore & per seditionem*. Legit sessionem II. Concilii Lateranensis in qua Præside Leone X. approbatur Pragmaticæ *depulsio, dejectio abrogatio* omnimoda, sive ut dicitur *stirpitùs*.

Ipsa quoque Sanctio declararur *improba, corruptela & abusio*, non nisi *malignitate temporum* aliquandiù *tolerata, à cujus extirpatione & totali annullatione*, inquit ibidem Pontifex, *sine nostra ac tantorum Patrum congregatorum notâ, ac nostræ & illâ utentium animarum periculo abstinere, seu desistere nos non posse, Augustino teste judicamus atque censemus.*

Hæc omnia ob oculos posita habet Ægidius, & ut clarissima sunt, satis intelligit; sed minimè reveritus, *Sanctionem* vocat legem *sanctissimam, opus plæclarissimum Concilii Generalis*, Basileensis scilicet illegitimi, acephali, & durioribus aliàs nominibus appellati.

Denique concordia inter supremam utramque inita potestarem, probata adeò à Regio Senatu, Jansenianâ temeritate ab Ægidio definitur *indecorum monopolium, privatâ authoritate* duorum juvenum Pontificis & Regis, infeliciter initum. Etiam Walonius in concordia cum Innocentio duodecimo inita dolebat nimium cessisse Galliam, ita Quesnello scribens anno 1692. 8. Novembris: *In negotio Bullarum Gallia miserè se relaxavit circa quatuor Articulos*, non minùs Sedi Apostolicæ odiosos, quam fuerit olim pragmatica Sanctio.

Non quasi Jansenistas cura tangat Gallici nominis, honoris, aut emolumenti; Sed quia huic Sectæ proprium est odisse principatum omnem, suis erroribus, & eorum præconibus non benevolum, aut conniventem. Cùm tamen ad ejusmodi nondum evecti sint potentiam, ut summos Principes aperto Marte, & à fronte aggredi audeant, collidere eos inter se, & cum Pontifice conantur, ut fractis mutuâ collisione

ne viribus, novitas doctrinæ, libertate plenâ gaudeat & securitate. Alioquin enim de Rege Christianissimo gloriosæ mem: Ludovico XIV. & ejus Regimine conquerentem supra vidimus Gerberonium, tanquam *injustissimo*, & quo nihil *magis tyrannicum* reperias.

Eugenius quoque de Gelder postquam Madritensem Curiam & totius Monarchiæ Hispaniæ gubernationem accusaverat tanquam iniquitatis plagâ laborantem insanabili, in eodem suo ad Innocentium XI. *Libello supplice, sive ultima voce Zelatricis innocentiæ* Jansenianæ pag. 116. " Galliatum Regis (inquit) hæ sunt maximæ politicæ; in aqua turbida, quam ipse commovit, utiliter piscari: omnibus leges date, à nullo accipere: ab omnibus fidem exigere, nulli præstare: quæ ab aliis in suum favorem quocunque pacto, & quantumvis injusto, concordata sunt, tanquam Camelis ligata, & clavis trabalibus firmata declamare: quæ ipse aliis quibuscumque promissionibus, vel jurejurando stipulavit, si major aliunde utilitas alliciat, tanquam fila aranearum reputare: bella non aperto Marte; Sed clandestina gerere: totum orbem dissidiis scindere, & occultis cabalationibus perturbare: Sacra æquè ac profana, ulnâ proprii interesse metiri, illudque tanquam idolum jugiter in oculis habere; nihil clamare quàm pacem, unionem, libertatem, & nihil causare quàm bella, Schismata, divisionem, & miserabilem servitutem. "

Quæ omnia Pater Eugenius didicit à Jansenio, atque ex ejus *Marte Gallico* mutuatus est, nisi quod ibi comptiùs atque ad imponendum aptiùs deducta, ipse quasi furiis actus nullâ habitâ honestatis ratione, stolidum vertit in compendium.

Neque Religiosissimo Imperatori Leopoldo gloriosæ mem: pepercit illa *vox ultima zelatricis* hæresios vel insaniæ Jansenisticæ potius quàm *innocentiæ* pag. 7. Denique in ipsum Poloniæ Regem Scriptoris hujus rabies se extendit, adversus eum concitans, non solum Pontificem; sed & Poloniæ Dynastas cum populo, & quotquot ubique gentium sunt fidei amantes, & Ecclesiæ pag. 112.

Verùm, inquies, unde tanta novi hujus Apostoli ira adversus Principes adeò à se remotos? Rationem ipse non dissimulat, quæ non est alia quàm eorumdem erga Religiosos maximè Antijansenianos benevolentia. Ægidius autem de Witte, dimissis seculi Principibus & inferioribus ex Ecclesiastico Ordine, adversariis, arma convertit in solos ferè Pontifices, à quibus inflicto, & repetito toties anathemate nova hæresis prostrata est.

Hos igitur impetere statuit telis omnibus veneno illitis calumniarum, quascumque sive ex Lutheranorum, sive ex Calvinistarum, aliorumque eis affinium libertinorum armamentario colligere potuit, ea potissimùm quæ magis idonea viderentur ut Apostolicam Sedem fidelium cœtui redderent odiosam; proinde omnes ab ejus unione, & obedientiâ seduceret.

In primis quæ de Romanis Dispensationibus ait in Janseniani voluminis defensione, sive ut vocat, *Augustino iprensi vindicato* pag. 290 pudet describere, utpotè furente hæretico, quàm Romanæ communionis Presbytero digniora: neque meliora sunt, quæ de excommunicationibus habet pag. 292. sed obcæcavit hominem passio, atque in furorem egit iterata toties Pontificia Janseniani Operis, & hæreticorum ejus dogmatum condemnatio; quam cùm aliter nequeat, ulcisci constituit, authoritatis Pontificæ iniquissima depressione.

Pag. 344. citans Gregorium VII. ita de eo impudenter enuntiat. " Gregorius VII. notus ille dominationis Pontificiæ invector, eò demùm progressus est, ut donationi Pallii annecteret jusjurandum fidelitatis & subjectionis erga Apostolicam Sedem, à quibuscumque edendum Metropolitanis: quin & hoc gravaminis Romanos Pontifices in ipsos Patriarchas Orientis imponere voluisse, cognosci potest ex Innocentio III. cap. 5. in Synodo sua Lateranensi. Ita Pallium istud, quod initio velut officii mnemosynum, & peculiaris cujusdam benevolentiæ tessera mittebatur, in servitutis gravissimæ & indebitæ subjectionis signum ac notam commutatum est. "

Pag. 346. " Immensæ erectionis Pontificiæ industria fuit, commentitia illa farrago Decretalium, à primis Sanctissimis Ecclesiæ Pontificibus ut fingunt, emanatarum, quæ sub Isidori Mercatoris nomine edita, summam veteri disciplinæ Ecclesiasticæ stragem intulit, & novi juri Canonico super antiquorum Canonum ruinâ ædificando, primas veluti imagines ac lineas duxit. "

Pag. 348. lacessit Bonifacium VIII. Pag. 352. dicitur. " Si Dictatuum illorum famosorum ipsius (Gregorii VII.) nomine inscriptorum verus, ut post Baronium non ita pridem adhuc contendit Pater Chri- stia-

„ stianus Lupus, & indubitatus sit author, „ profectò vix hominem typho turgentiorem „ in Throno sive Sacerdotali, sive Regali „ confidentem ab hominum memoriâ aut „ Seculum, aut Ecclesia vidit. Verùm cum „ viti actes in arte criticandi, hosce *dicta-* „ *tus* Gregorio fortiter ac disertè abjudi- „ cent, neque nos Pontificem illum in isto „ genere satis fontem hoc novo adscititio „ crimine maculabimus.„

Ibidem. " Magno incremento Pontifi- „ ciæ potestati fuit collatio Beneficiorum, „ quorum dominium infinitis solertiis, *Ex-* „ *pectativarum*, *Unionum*, *Reservationum*, „ *Resignationum*, *Pensionum*; *Commenda-* „ *rum*, *regressûs & accessûs*, atque aliis ar- „ tibus pedetentim sibi vindicavit Romana „ Curia, & Canonistæ, adulatorium scripto- „ rum genus... Quod non ira mirum; cùm „ ipse Clemens IV. Pontifex anno 1266. „ non esset veritus dicere &c.„

Denique pag. 353. inter abusus à Pontificibus amplificandæ suæ dignitati invectos est, inquit Ægidius, " Decreti Gratiani in „ Ecclesiam cum authoritate invectio vel in- „ trusio; quod, tametsi ex bonis ac malis „ mercibus negligenter sine lima & judicio „ compilatum esset; quia tamen amplifican- „ dæ Pontificiæ potestati insigniter velifica- „ bat, gratanter ac cum plausu à Canonistis „ receptum fuit, & ab ipsis deìn Pontificibus „ Pio IV. & V. ac præsertim Gregorio XIII. „ velut correctius & purgatius Romæ edi- „ tum. At qui saltem specimen aliquod as- „ sentationis erga Romanam Sedem in De- „ creto videre cupit, legat solam quæstio- „ nem tertiam *Causæ nonæ* „ &c.

Sic omnes isti Pontifices Gregorius VII. Bonifacius VIII. Innocentius III. cum Concilio Lateranensi, Clemens IV. Pius IV. S. Pius V. Gregorius XIII. cum Romana Curia & Canonistis velut *adulatorio scriptorum genere*, ab uno Jansenistarum furentium vulgò *Candidorum* Principe, veluti falsitatis damnosissimæ, atque injustitiæ non tolerabilis invectores fautoresque redarguuntur.

Adeò Jansenistæ sunt genus hominum pacificum, omnem hortens in *Ecclesia divisionem*: adeò novum genus Sanctorum sunt humilitatis studiosum & modestiæ: sic impediunt scandala: sic ædificant simplicium turbam fidelium, ipsosque *Ecclesiæ inimicos*, ne sinistram de ea concipiant imposterum *opinionem*.

At insignem adeò Historiæ Ecclesiasticæ, & Juris Canonici ostentare voluit eruditionem; ab affinibus quidem acceptam hæreticis, Schismaticis, & Liberrinis; sed tamen idoneam ut apud temere credulos, & simplices Romanorum Pontificum maculetur fama, & veneratio minuatur.

Ea scilicet contra Summos Christi Vicarios farrago criminationum convenientissima Ægidio visa est pro *Augustino Iprensi*, sive pro erroribus Jansenii, & hæresibus Apologia; quasi consecutio ligitima sit, *Pontifices in aliquibus ad disciplinam pertinentibus sibi nimium arrogant: nullius itaque fidei, nullius ponderis sunt Constitutiones Dogmaticæ contra quinque Jansenii hæreses, quas universa Pontificibus obediens, detestatur Ecclesia*.

Conclusionis dementia in omnium insilit oculos: antecedentis quoque hypothesim convellere sat mihi in promptu est; verùm, ut alterius est generis & instituti dissertatio, ad præsentem minimè pertinens articulum, neque ad alium totâ Constitutione *Unigenitus* reprobatum, à suscepta diverteret nimium quæstione.

Istud autem contra ipsos notandum adversarios, quod talibus vindiciis, à proposito tam alienis, non solùm ineptissimos se prodant, malæ causæ patronos, qui rabie impelluntur potiùs, quàm rationis lumine ducantur: sed & Schismatici spiritus infamiem sibi consciscunt, vel suspicionem.

Lugerent nihilominùs meritò, si satis seriò, suos inter, & Catholicos *divisionem*, ortumque inde scandalum hæreticis, addo & simplicibus inter orthodoxos. Verùm non istud est, quod nova factio deplorat: unicum, quod *divisionis* nomine intelligit, est Catholicorum, atque inprimis Apostolicæ Sedis constans studium, in urgendâ definitionum pro fidei integritate, contra Bajum, Jansenium, & utriusque discipulos obedientiâ. Quandoquidem scilicet fixa illis, atque obfirmata animo pertinacia est, semper erit individua rebellionis comes *divisio*.

Noverit igitur Romana Ecclesia, hanc sibi præscribi à Novatoribus conditionem, hanc legem, ut si pacem cum illis desiderer, si unionem, necesse sit, plenam eis concedere retinendæ perpetuò, & extendendæ quolibet novitatis, etiam hæreticæ facultatem.

Num inter suos saltem pacem coalescere stabilem pariuntur? Superioris utriusque seculi experientia docuit, non diuturnam hæreticis obtingere de Religione concordiam. In quot Sectas, ceu hydræ capita, monstrum Luthero-Calvinisticum conspeximus dispertiri! Jansenianis tamen, autequam Reipublicæ, vel potentis obveniret protectio Principis, vires colligendæ sunt, neque mutuo inter se schismate dispergendæ: quanquam & in

in illis superbia, præcocis amor libertatis, inquieta, & turbulenta indoles, diu tegulis prudentiæ non facilè contineantur.

Vivente quidem Arnaldo, eorum in publicum rarissimè prosiliebant dissidia; sed velut *Patrem* & *Abbatem* universa audiebat prona & venerebatur *fraternitas*; ejus unius arbitrio vix minùs facilè quàm penes nos Apostolicæ Sedis, omnia dirimi solita erant, atque componi. Verùm eo ad supremi tribunal judicis evocato, quamvis Quesnellus communibus Portûs Regii, eique adhærentium suffragiis electus videretur totius novæ Ecclesiæ moderator; non tamen ubique extra Galliam à suis omnibus obtinuit reverentiam & submissionem, quæ Arnaldo præstita fuerat; neque ipse Arnaldus postquam vivere desiit, ut mox videbimus, eam in omnibus suis venerationem retinuit, quam vivus fuerat consecutus.

CAPUT XVI.

Divisio inter prætensos Augustini Discipulos.

1 IN nulla Republica, in nullo Ordine, ne in ulla quidem Schola res fluunt adeò semper pacificè, ut nihil unquam dissidiorum sit, etiam subinde acrium, præcipuè inter Scholas diversas, etsi Christianæ inter se charitatis vinculo conjunctas. Verùm ubique spargere dissensionum semina, ubique ciere turbas, omnibus Ordinibus, omnibus Potestatibus infestos esse, tumultuari etiam inter se, mutuisque se, Cadmæorum instar Fratrum, concidere vulneribus, pessimo hominum, & hæreticorum generi proprium est, diabolicum furorem, non Christianam sapiens charitatem.

Singula hic memorata adversariis convenire, & qnidem in gradu non infimo, ostenditur à me variis contra præsentem Articulum Capitibus, & exemplis ubique illustribus, ac indubitatis. Hic solùm superest, quod postremum in ordine collocavi, bella novæ Ecclesiæ intestina fideli exponere narratione.

Luculentum discordiæ ipsisque irrefragabile adversariis est testimonium Gabrielis Gerberon in opere à se typis edito cum hac epigraphe: *Discordiæ Jansenianæ Enarrator. Omne Regnum in seipsum divisum desolabitur. luc. cap. 4. v. 17.*

Pag. 1. ait." Dissidium, quod Candidos „ inter & minùs puros Augustini Discipulos „ dudum exortum est, jam innotuit; sed in „ quo situm sit, non plurimi norunt. Ut igi„ tur, inquiunt, frumentum à paleis, & pretiosum à vili secernere, & à quibus partibus standum sit, cognoscere valeant Sacræ „ Scientiæ Candidati, hic duximus exponendum, in quibus illi ab istis dissideant, „ proferendasque illorum, qui germanam „ Augustini doctrinam sectantur, adversus „ eos, qui illam adulterant, querelas.

„ Equidèm consentiunt omnes, qui se „ Augustini Discipulos dicunt, in præcipuis „ doctrinæ capitibus (pag. 2.) de gratiæ „ seipsâ efficacis, seu victricis ad singulos „ virtutis actus necessitate, seclusâ omni „ aliâ gratiâ, quæ vires det planè sufficientes: de operibus infidelium, quæ licet ex „ officio bona, ipso non recto fine peccata „ sunt: de natura liberi arbitrii: de statûs „ puræ naturæ repugnantiâ: de morte Christi oblatâ & acceptâ pro Electorum dumtaxat salute; etsi non pro solis electis: de „ voluntate beneplaciti, quâ Deus non „ omnes, sed eos tantùm, quos elegit, vult „ salvos fieri: & circa Jansenium, quòd non „ nisi meram Augustini doctrinam tradidetit.

„ Dissentiunt autem in eo, quòd mitiores usurpent locutiones, quibus in speciem saltem à Molinæ (ab Aquinatis, & „ Ecclesiæ passim) dogmatibus non adeò „ recedere videntur, aliosque, qui istis non „ utuntur, eorumque libros redarguant, despiciant, nec evulgari patiantur, inclamantes, quòd hi duriùs loquendo, non levia „ facessant negotia bonæ, ut vocant, causæ „ in Aulis potentioribus.

„ Qui verò puriores jactantur Augustini Discipuli, non deferendas autumant „ Sancti hujus Doctoris elocutiones. „ Pag. „ 3. Cordatiores hi Theologi molliora, quæ „ alii proferunt themata, Augustino non solum incognita; sed saltem in terminis adversa, plurimùm conqueruntur, ab aliis „ voces usurpari Pelagii magis, quàm Augustini sensum præseferentes, sic ut cum „ Augustino & Jansenio utcunque sentientes, cum Pelagii & Molinæ Schola in multis loquantur.„

Pag. 4." Si ob impendentia mala nec „ deferenda est veritas, nec tacenda, nec „ dissimulanter proferenda, ad cor redeant timidiores Augustini discipuli, „ & virtute induti ex alto, verborum larvas „ deponant, & fortiter impavidèque catholicas de gratia & prædestinatione veritates „ nudas ac sinceras tueantur, Pelagianisque „ opponant dogmatibus, quæ fidem pietatemque corrumpunt. Et ut animadverterent, quantum ab Augustino defecerint, „ &

„ & à germanis illius discipulis ac vindici-
„ bus; quæsitum adhuc est ab eis ...

„ Sextò an dum obedienter ut profi-
„ tentur, ac reverenter Constitutioni Pii V.
„ se subjiciunt (pag. 6.) damnatas in illa di-
„ sertas Augustini conclusiones censeant in-
„ se & ut jacent, censorio stigmate inustos,
„ adeò ut jam nefas sit, illas defendere, ut
„ ab Augustino (juxta Jansenium) efferun-
„ tur: & an existiment vim legum habere,
„ & cunctos obstringere Constitutiones, quæ
„ ne Romæ quidem sunt promulgatæ.„ Promulgatam Romæ non esse Constitutionem Sancti Pii Pontificis, mendacium convictissimum est ipsâ Bullâ Urbani VIII. quæ incipit *in Eminenti*, quam constat & integram continere & confirmare Bullam Sanctissimi Pii, & fuisse promulgatam Romæ affixione publicâ in locis solitis anno à Nativitate Domini 1643. die 19. Junii.

Pergamus audire *Jansenianæ discordiæ Enarratorem* Gerberonium. " Septimò an
„ dum se Gregorii XIII. Constitutionem am-
„ plecti declarant, agnoscant in illa confir-
„ matam Pii V. Bullam, & Articulos in ea
„ proscriptos iterum esse damnatos, ut vulgò
„ existimant, qui illi reverenter se subjici-
„ unt? An falsus fallaxque fuerit Academiæ
„ Lovaniensis Sinichius (Jansenianis parti-
„ bus devotus) apud Romanum Pontificem
„ orator, qui in supplicationibus Papæ exhi-
„ bitis oppositum constanter (sed fide pessi-
„ mâ) asseruit?

„ Octavò an dum Urbani VIII. contra
„ Jansenii Augustinum Diplomati sese obe-
„ dienter ac reverenter subjiciunt, sincerè
„ & ex animo credant, nulla in eam irrepsisse
„ contra mentem & mandata Pontificis; &
„ Jansenium, ut in illa Bulla enuntiatur,
„ multos ex Articulis à Pio V. damnatis, in
„ suo Augustino renovasse ac defendisse: &
„ an mentitos ac rebelles in Sanctam Sedem
„ autument Prælatos (duos, in quos de-
„ nuntiata, & in Belgio affixa publicè Ponti-
„ ficia excommunicatio fuit) & Theologos
„ Belgii, qui propter ejusmodi difficultates
„ diu pertinaciter contenderunt, hanc Bul-
„ lam non esse in Belgio promulgandam?

Pag. 7. " Nonò: An Alexandri VIII.
„ Decretum reverenter recipiendo, damna-
„ tas in illo Augustini & aliorum Patrum as-
„ sertiones sincerâ fide damnent absque ulla
„ exceptione aut distinctione?

„ Decimò, quo animi candore, aut quâ
„ religione paratos se dicant ad jurandum,
„ quòd quinque Propositiones sint Jansenii,
„ & in ejus sensu damnatæ, ut declaratur in
„ Alexandri VII. formula, cui absque ulla

„ distinctione, restrictione & explicatione
„ subscribendum decrevit Innocentius XII.
„ dum ipsi minimè sibi persuasum habent,
„ quod Jansenius ejusmodi Propositiones
„ docuerit, nec nisi meram Augustini do-
„ ctrinam tradiderit?

„ Ultimò; quinam Ecclesiæ bono, ca-
„ tholicæque veritati meliùs consulant; an
„ qui cæcâ indiscretâque observantiâ Con-
„ stitutiones manifestæ subreptionis vitio la-
„ borantes (ut laborare juxta Jansenianos
„ necesse est omnes Bajo, Jansenio, & obsti-
„ natis utriusque Sectatoribus contrarias)
„ pravisque ac falsis suppositionibus obten-
„ tas; si quæ sint, amplectuntur: an qui vel
„ de illis modestè silent, vel ubi justitiæ,
„ vel religionis ratio urget, subreptionis il-
„ larum invicta argumenta sine fictione &
„ adulatione produnt?

„ Ad hæc sine ambagibus, aut tergi-
„ versatione respondeant Theologi, qui se
„ Augustini jactant discipulos, nec tamen
„ omninò abhorrent ab æmulorum ejus locu-
„ tionibus ac contestationibus: vel si, quid
„ circa hæc quæsita sentiant, exprimere non
„ fert animus, saltem eos seu bonæ, ut di-
„ citur causæ nocentes non criminentur invi-
„ diosè, qui dissimulanter loqui nescientes,
„ Augustinianam doctrinam creduntur since-
„ riùs diligere, puriùs tradere, & propugna-
„ re fortiùs: ut *unanimes, uno ore honorifice-*
„ *tis Deum* Rom. 15. v. 6.

Inter mitiores Augustini discipulos Gerberonius potissimùm numerat Joannem Libertum Hennebel, & Joannem Obstraet Lovanienses Theologos. Contra posteriorem invehitur opusculo quod dicitur: *Ad eruditissimum Joannem Obstraet Fraterna admonitio.* Audiendus de eo est *Processus Officii Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis contra Dominum Gabrielem Gerberon..... Religiosum Presbyterum, qui è Gallia profugus, sub veste laica & nomine ficto Augustini Kergré in Belgio per plures annos latitaverat.*

Sic igitur Processus Cap. 3. num. 26.
" Se anonymum hunc admonitorem esse, seu
„ scripti hujus parentem, fassus fuit ad Arti-
„ culum 103. Gerberonius, cujus indefessa
„ pro Factione Jansenianâ solicitudo nemi-
„ nem ex illa impunè patitur signa militiæ
„ suæ deserere, & ad aliena castra transvolare;
„ imo ne quidem sinit Fratres, aut domesti-
„ cos fidei suæ vestiri duplicibus, seu tegi
„ tantisper, donec albescat dies, commu-
„ nium terminorum foliis; quæ, uti anno
„ 1690. Janseniani Duacenses credito Pa-
„ triarchæ suo Arnaldo confidenter scribe-
„ bant, *nebuloso tempore occultandis gratiæ*

„ *Evangelicæ Mysteriis sunt peridonea*.

„ Hinc *dilectissimum* suum Fratrem *Opstraetium*, *qui datæ satisfactionis*, *& Responsorum ad Enarratorem discordiæ Jansenianæ* scriptor habetur & vindex, ita aggreditur, ac *Fraternâ* (ut ait) *admonitione* corripit: pag. 1. *in tam ignavo*, *fœdo*, *ac turpi fœtu*, *forti Opstraetio prorsus absimili*, *te quis agnosceret nisi illius parentem te ipse agnosceres ac tutorem? Heu! quo te vesana falsæ cujusdam pacis cupido abripuit*, *ut pacem cum Augustini hostibus habeas? Adversus fortissimos & candidissimos illius defensores bella moves*, *qui nisi veritate prostratâ*, *vinci non possunt*.

Pag. 2." *Utinam nec tu*, *nec hodierna Schola à Scripturæ & Augustini phrasibus*, *ubi de gratia agitur & prædestinatione*, *unquam recessisses! Non tot à catholica veritate ad Pelagianismi deflexissent deliramenta*, *nec totum penè orbem miraremur*, *ac lugeremus factum esse Pelagianum*.

„ Ex provocatis à Gerberonio mitioribus, & *minùs candidis*, ut vocat, Augustini discipulis Joannes Libertus Hennebel *Responsum* composuit *ad discordiæ Jansenianæ Enarratorem* Gerberonium. Hic autem aliud mox opusculum reposuit hoc titulo: *Responsum ad discordiæ Jansenianæ Enarratorem dispunctum*. Ubi Responsum ejusque authorem, aliàs novis Augustini discipulis æstimatissimum, & pro quo alendo collectæ fiebant in nova Ecclesia, sic excipit Gerberonius pag. 3. Vana, turpia, & viro Catholico indigna sunt Responsa, quæ adversus *Enarratorem discordiæ Jansenianæ data sunt*.„

Pag. 8." Ad Arnoldi Eyben Approbationem quid dicam? Mitiores Augustini discipuli non est mirum si suos habeant assentatores, & ignavi ignavum invenerint Approbatorem.„

Pag. 10." Nova, insolens, & Catholicis Theologis planè indigna via est, quâ Hennebellus aggreditur, doctrinæ dissidia circa gratiam.... ita componere ut.... Lovanienses compelleret ad doctrinæ suæ dimittenda principia, & ea admittenda, quæ eam velint nolint ipsi susdeque subvertant.„

Pag. 11." Si non quæstionis; sed fidei, ac catholicæ veritatis res fuit, ipse (Hennebel) cum suis, veritatis proditor est manifestus, vel saltem infamis desertor in Articulis ab eo exhibitis.„ In alio Gerberonius scripto, cui titulus est: *Memoriale pacis Sacræ Congregationi à Domino Hennebel suo prætensorumque Jansenistarum Belgii nomine exhibitum anno Jubilæi* 1700. *cum animadversionibus ac annotationibus censoriis*, non minùs Doctorem illum & socios exagitat,

Pag. 12." Mirantur eruditi omnes, quòd Hennebellus cum suis, libros commendet adversùs duo præcipua Lovaniensis Academiæ Lumina Bajum & Jansenium.„

Pag. 15." Si Alexandri VIII. Pontificis nomini parcere, ac honori consulere voluisset Hennebellus, nullam Decreti ipsius contra 31. Articulos mentionem fecisset, quod, si Antonio Anauld impavido catholicæ veritatis assertori, & cuidam *juris Pontificii Candidato* (qui ipse est Gerberonius) creditur, non levem Sedi Apostolicæ injuriam fecit, quippe quod, ut eorum argumenta videntur demonstrasse, expressas Sanctorum Patrum sententias, & plurimas damnet Propositiones, in sensu obvio & in terminis in Schola vulgò receptis catholicissimas, adeò ut non nisi collo violenter obtorto adduci possint ad intellectum aliquem malesanum, in quo proscriptæ dicantur, & in quo à nullo Theologorum unquam traditæ reperiantur, ut ex ipsismet *Notis brevibus & modestis* ad ejusmodi Decretum liquet: & non potest nescivisse earum author.„

Passim nempe is creditur Hennebellus ipse: unde & ejusdem minùs explorata redditur bona fides in admittendis etiam cæteris Constitutionibus, & subscribendo Formulæ Alexandri VII. metuunt nempe aliqui, ne forsitan cavillari didicerit à Quesnello, suo aliàs in temporalibus Benefactore, ut apparet, præcipuo.

Gravior & prolixior est Ægidii de Witte contra Hennebellum protestatio in Lucubratione, cui titulum fecit: *Quæsita satisfactio fidei & doctrinæ circa declarationem ab Hennebello oblatam Sedi Apostolicæ*, *nomine suorum die* 10. *Septembris* 1700. Sic autem Ægidius præmonet: *oportet non tempori accommodare sermones*; *sed rectam semper & nusquam inflexam veritatis servare normam*. Theodoretus Epistola 135.

In præfatione sic idem Ægidius." Vix quidquam solet esse inimicius veritati, quàm pax coalescens conventione ambiguâ, distortis, fallacibus, aut obscuris terminis, ac propositionibus ad politicum concentum potiùs fucatamque concordiam, quàm ad fidelem sinceramque unionem excogitatis. In hoc genere nobis numeranda videtur pax adumbrata per declarationem D. Joannis Liberti Hennebel S. Theologiæ Doctoris, quæ non, ut præ-

„ fer-

„ fertur, Belgicæ Ecclesiæ sedandæ idonea; „ sed magis apta videtur tum veteribus enutriendis irritandisque dissidiis, tum novis „ etiam invehendis. Veritas candida, una, „ simplex & indivisa, ac sicut illius amans, „ neque ad dexteram, neque ad sinistram declinat; sic neque ducto in utrumque latus aratro, glebas dexteras & sinistras „ eum subverso calle regio conglomerat & „ confundit. „

Declaratio Hennebelli. " Ut constet de „ illorum obedientia, ac reverentia erga „ S. Sedem, iterum reverenter ac obedienter „ se subjiciunt Constitutionibus & Decretis „ Apostolicis Summorum Pontificum Pii V. „ Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. „ Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri „ VIII. omnesque ac singulas Propositiones „ damnatas, prout eas Apostolica Sedes „ damnat, rejiciunt pariter ac damnant. „

Circa declarationem illam interrogat Ægidius pag. 4." Quousque se illa extendit, „ inclinat, & subjicit obedientia? Quæritur „ utrum Orator propositiones omnes & singulas Pianâ & Gregorianâ Constitutione „ contentas, dignè censurâ flagellatas existimet, & quo sensu, obvio, vel non obvio? „ Aut fortasse aliquo inter utrumque medio? „ Rogamus illum sensum, aut quemcumque „ denium alium, damnatione dignum nobis „ pandi V. G. circa Propositiones has: *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio* „ *non nisi ad peccandum valet. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem*, „ *qualis nunc nascitur*.

„ Circa Bullam Urbani quæritur, utrum „ contra sensum Majorum suorum (Jansenistarum) seriò credat perillustrem Jansenium reverâ peccasse in Bullam Pauli V. „ (vel Pii V. & Gregorii XIII.) adeoque „ fundamento solido Urbani Constitutio nixa fuerit... Item quæritur utrum in dubitationem vocet celebre illud instrumentum „ Joannis Sinnichii (notissimi Jansenistæ) è „ quo patescit Bullam Urbani non modo „ *sub* vel obreptitiè; sed etiam depravatè & „ temerante manu fuisse ab Albizio concinnatam.

„ Circa Bullam Innocentii X. vicissim „ gestiremus ab Oratore intelligere sensum „ obvium, in quo Propositiones famosas „ condemnare oporteat, ne cæcâ obedientiâ contingat nos impingere in legem „ Dei.

„ Ad Bullam Alexandri VII. hæc quæstio fit: utrum alio principaliori fine eam „ emanasse credat, quàm ad asserendum „ Factum Jansenianum: id est quinque Propositiones ex Libro Jansenii, cui titulus „ est *Augustinus*, excerptas fuisse, & in sensu per eundem Jansenium intento damnatas? Utrum credat Factum istud subesse? „ Et, si non credat, rogamus exactè definiri, quid sibi velit & quousque se addita „ porrigat *obedientia*? Nam *reverentiam* „ utcunque capimus.

„ Circa Decretum Alexandri VIII. similiter quærimus: Utrum Propositiones illius „ omnes & singulas debitè proscriptas autumet? Et, si ita, ut assignet sensum proscriptione illâ dignum Propositionum V.G. „ secundæ, septimæ, & octavæ, duodecimæ, „ decimæsextæ, trigesimæ primæ. „

Plura illic simili tenore audax Ægidius prosequitur, cui ab Hennebello oppositus fuit libellus *Satisfactio* appellatus. Lovaniensibus verò aliis, dictis ibi vulgò *Pontificiis*, non satis candida, neque sufficiens visa est *Declaratio* Hennebelli, & *satisfactio*; ideò ab ipsis edita *Declaratio plenior*. Inter posteriores Steyaertius addidit *Responsionem pacificam*, quam conspicatus Ægidius, dimisso Hennebello, & omni abdicatâ specie moderationis, furere cœpit, & in novum adversarium unguibus & dentibus involare, Opusculum edens, cui titulum fecit, *Expostulatio non pacifica adversus Responsionem simulatè pacificam Martini Steyaertii ad Declarationem Joannis Liberti Hennebel. Quid tibi & paci?* lib. 4. Regum cap. 9.

Sic Ægidius præfatur: " importuna narratio est, dum perturbator Universitatis „ toti Belgio manifestus, origo dissidiorum, „ fax simultatum, procella tempestatis, vultum modestiæ simulatè affectans, de concordia & pace differit.... Non caduceatoribus istis onerosis, qui non aliâ lege, „ quàm pravâ dominatione in alienam fidem, omnibusque tanquam servis pecoribus sub jugum missis, pacem initam, atque „ emptam volunt, Ecclesia aut tempus eget.

Similis est totus libellus, nisi quod operosè præterea impugnet Pontificiam in fidei definitionibus authoritatem, & omnia contra Jansenium ejusque discipulos Decreta proterat. Undenam Jansenistarum in Steyaertium aliàs amicum, odia exarserint, aperit Ægidius de Witte in *Spongia Notarum* anno 1688., ubi ita præloquitur. " Origo hujus pugnæ & „ Lovaniensis Theologi (Steyaertii) in hac „ materia genius altiùs repetenda sunt, dum „ Romæ cum cæteris Academiæ legatis ageret, furtim centonem quemdam contexuit „ quo Propositiones quinque heterodoxo „ intellectu à Jansenio traditas fuisse contendit.

„ Quam

„ Quem in scopum collimaverit istud Le-„ nocinium quis edisseret? .... En cento il-„ le primo auctior sub schemate *Conclusio-„ num Theologicarum seu Notarum in quin-„ que Propositiones famosas* in lucem prodit, „ atque ... collusione præter decorem, con-„ cursu præter meritum, in *Bajanorum Col-„ legio* à non Bajano Præside propugnatus „ est.„

Ibid. paulò superiùs mirificam Ægidius in lamentis minimè catholicis exerit eloquentiam. " Nova (inquit) belli nubes, Procella „ Æoli inexpectata, nova prælii tempestas „ exoritur. Ecce Lovaniensis Academiæ „ Theologus, quis hæc olim præsagiisset „ (quando ab Arnaldo Parisiis hospitio tam „ humaniter, tam benevolè exceptus est?) „ Gratiæ per se efficacis ad mortem assecla, „ non ita pridem apud Iprenses Canonicus, „ Clarissimum (Jansenium) quondam Lo-„ vaniensis universitatis Doctorem, Ipren-„ sium Præsulem gloriosum lacessit *Conclusio-„ nibus*, & *Notis* scholaribus .... Sed cum „ ita visum Theologo, vel ita ingratiis de-„ certandum est. Res ipsa loquitur in quem „ certaminis hujus invidia jacienda sit.„

Toto Opusculo doctrinam Jansenii Ægidius suscipit defendendam, uti & plures damnatas Apostolico Alexandri VIII. diplomate Propositiones.

Sublato è vivis Steyaertio, arma Ægidius convertit in Andream Schurium inter novos Augustini discipulos Scriptorem in Hollandia celebrem, qui etsi sententiis ab Ægidio passim non dissidens, quin ut in Epistolis typo editis testatur, *Candidum ejus pectus exosculari* solitus; Cùm tamen duriores ejusdem ac liberiores scribendi modos reprehenderet, effugere non potuit Ægidii Scuticam, qualis fuit *Polemicon, sive bellica expostulatio catholici Philaletis adversus Irenicon, sive Epistolam pacificam Christiani Philireni* (Andreæ Vander Schuuren). *Non veni pacem mittere, sed gladium* Matth. cap. 10.

Sic habet pugnacis Ægidii Prologus: „ Ferendi non sunt importuni, atque intem-„ pestivi illi buccinatores pacis cum dispen-„ dio veritatis ... Dum religionis bases (in „ Jansenio) quatiuntur, dum Pelagius in Ec-„ clesiam intrare parat, dum muros diruit, „ dum arcem obsidet (à solis Jansenii Secta-„ toribus defensam) dum in ædes varias „ flammam conjicit, & jam proximus ardet „ Eucalegon, adhuc de pace, de modestia, „ de silentio verba facere, profectò non fidi „ civis monita; sed hostiles veluti insidiæ „ sunt.

„ Satius ergo fuerat, ut intra suam co-„ chleam cum suo *Irenico* se continuisset he-„ sternus *Philirenus*, & illic, si videbatur, se „ oblectasset sententiâ oris sui, quàm quod, „ si quid aliis adhuc religiosi ignis in corde „ palpitat, falsæ pacis præconio, vel injectâ „ frigidâ conetur exanimare.„

Prologo tam fervido concinunt cætera, quibus dimicat pro quinque damnatorum in Jansenio dogmatum sensu, ut ait, Augustiniano, catholico & fidelibus, qui salvi esse voluerint, inviolatâ constantiâ retinendo. In hujus damnatione confidentissimè asserit, Ecclesiam nihil habuisse partis; sed totum opus fuisse dolosorum quorumdam hominum, Romanos Pontifices decipientium machinationem. Quem autem reveretur Ægidius, cum quo pacem servat, si suis non senserit erroribus consentientem? Ne quidem *Patrem Abbatem*, seu Arnaldum, & substitutum ei communibus novæ Ecclesiæ suffragiis Quesnellum ubi suæ impudentiæ & temeritati offenderit refragantem.

Audire Ægidium lubet in *Augustini Iprensis vindiciis uberioribus*, quâ parte aggreditur Responsionem Quesnelli ad Epistolam Archiepiscopi Cameracensis, pag. 9." Ex „ jam dictis, vel me tacente, res ipsa loqui-„ tur quantopere rem faciat à notâ suâ pro-„ bitate alienam, & cordato viro indignam „ Paschasius Quesnellus in sua ad Archiepi-„ scopum Cameracensem responsione, dum „ illic *denuntiationem* nostram (Bullæ Cle-„ mentis XI. cui initium est *Vineam Domini „ Sabaoth*) neque à se eversam, neque labe-„ factatam, imò neque lectam [Quis crede-„ ret nisi ipsummet testem haberet?] inse-„ ctatur contumeliosis vocibus *scripti infor-„ tunati, absurdi, scandalosi, temerarii & „ planè intolerabilis* ...

„ Percellit me, fateor, insolita hæc in-„ gens à via æquitatis & justitiæ exorbitatio, „ & submississimè inclinor atque *humilior sub „ potenti manu Dei*, quando viros, cætero-„ quin multis titulis venerandos, in usque „ adeò aperta & obvia præcipitia, velut ani-„ mi gratiâ, provolvi cerno.„

Pag. 16." Sed contra hæc omnia objiciet, „ & magnis in cœlum laudibus vehet, ut fa-„ cit contra Archiepiscopum Cameracensem „ Quesnellus, duo scripta Antonii Arnaldi „ adversus Paschalium (pag. 17.) verùm ubi „ collecto animo, & posito nimio erga Ar-„ naldum in hac re studio, accuratiùs illa-„ rum scriptionum vim & fundamenta rima-„ tus fuerit, comperiet bonum in iis dormi-„ tasse Antonium, & qui æmulos suos so-„ phisticæ hallucinationis accusat, ipsummet „ sophismate, quod Dialectici *petitionem* „ *prin-*

„ *principii* vocare folent, à veri orbitâ propalam in binis his Tractatibus deflexiffe. „

Pag. 18. " Nullius ergo ponderis aut pretii funt quæcunque facta, quæ in chimæra Janfenii, ad quam Quefnellus nos remittit, vel aliàs coacervata ullibi funt, ut demonftretur, non damnaffe Pontifices fub larva quinque verfatilium Propofitionum, aut fenfus ab authore intenti gratiam per fe, vel fuâ divinâ omnipotentiâ efficacem. „

Pag. 21. " Hoc nunc pugno, hoc contendo, hoc tueor, & in hoc perfifto, poft Conftitutionem nuperam Clementis XI. (*Vineam Domini Sabaoth*) omnia effugia, ad Prædecefforum ejus Conftitutiones emolliendas, infringendafve, follicitè obftruentis, nullas ampliùs fupereffe rimas honeftas, quibus gratiæ per fe (infuperabiliter & irrefiftibiliter) efficacis falus fub Janfeniani fenfûs velamine evidenter damnatæ, obtinente Clementinâ fententiâ in tuto fit. Non fpernet ut opinor, Pafchafius Quefnellus Scriptorem fibi notum, qui haud ita dudum hanc *Obfervationem* fucco veritatis & Chriftianæ finceritatis plenam Gallicâ linguâ prompfit (in libello *Reflexions fur une lettre pag.* 91.)

„ Tametfi olim quædam offuciæ extiterint circa fenfum & modum fignandi Formularii; nunc fanè poft editam Conftitutionem moderni Pontificis, dubitationum omnium nebulæ diffipatæ funt (Pag. 22.) fenfus obvius, quem ipfamet Propofitionum verba præferebant, & quem non injuriâ excellentes Epifcopi unicam fopiendarum hodiernarum diffenfionum viam cenfebant, nullius ampliùs usûs eft: declaratus eft inidoneus: filentium religiofum erga Factum, quod item inclyti Præfules velut facrum arbitrabantur, abiit, exceffit, emarcuit, à Bulla Clementina profcribitur.

„ Nec eft quod ampliùs quis fibi blandiatur, ut plures Theologi factitabant, fubfcriptionem Formularii, nullum affenfûs interioris, & diferti in condemnationem confenfûs teftimonium continere: Pontifex aliter decernit & fancit, & cuilibet dogmatis Janfenii confectaneo præcipit, ut Decretum recipiat. Huc ufque ille candidus *Obfervator*. Quid ego jam porro ab hifce animadverfionibus alienum, aut eifdem non infignirè confonum pro fundamento meæ *denuntiationis* protuli?

Cur ergo fenfibus juncti disjungimur ftudio? ... Quanto providentius effet, in unum conferremus vires nobis adhuc reliquas univerfas ... quàm ut adhuc divellamur in partes, pertenuis ac pufillus grex, in tantaque certantium hominum pro divinâ gloriâ paucitate, nosmetipfos mutuis vulneribus atteramus. Scire cuperem quò tendant, quid meditentur, quò collimen!, quid tandem expectent aut de diverticulis fuis, aut de tentato adverfum me prælio hi poftremi æmuli mei ... Anne fperant, Romanos Pontifices poft huc ufque actam diuturnam tragædiam, in melius relaturos fua confilia? O! nullas habet fpes gratia, fi tales habet.

Quefnellus fidei fuæ profeffionem in materia de gratia ediderat quinque conftantem Articulis, quæ olim ad declinandum Alexandrinę formulæ juramentum fubornaverant Lalanius & Girardus, probante Arnaldo. Contra eos verò declamat Ægidius in *Quæfita fatisfactione fidei & doctrinæ*, circa declarationem ab Hennebello S. Sedi exhibitam, fuo & fuorum nomine die 10. Septemb. 1700. Contra, inquam, declamat Ægidius pag. 8. *quinque Articulos* vocans *ridiculos admodum*: pag. 10. *ftultos, infulfos, & fine difciplina, ad nihil omnino utiles, nifi ad gerendas lites interminabiles, atque fubverfionem jam quidem audientium; fed cum tempore & docentium.*

Poft Arnaldi obitum à quodam ejus difcipulo Opufculum prodiit hac epigraphe: *Notio humana libertatis ab Antonio Arnaldo delineata*: Unde paucas exhibeo defcriptas affertiones, ut Lector Catholicus difpiciat, an juftæ fuerint contra eas iræ Gerberonii.

Pag. 103. *Si aliquod bonum voluntati ita proponitur, ut omnimodè bonum, & fecundùm omnem confiderationem, ex neceffitate naturali voluntas in illud tendit.* Ibid. *Hinc fequitur, amorem beatificum non effe liberum.* Ibid. Rursùs: *Neque dici poteft, mentem noftram Deum clarè vifum velle amare, quia vult.*

Pag. 104. *Beati qui Deum vident, in amore beatifico liberi non funt. Idem de Chrifto dicendum.*

Pag. 107. *voluntas beatitudinis in communi, etfi voluntaria, non eft libera.*

Pag. 106. *voluntates, quæ funt neceffariæ; fed cum advertentiâ rationis, à voluntatibus liberis non videtur excepiffe Sanctus Auguftinus.* Ibid. *Nonne fatius eft voluntates illas ita diftinguere, ut pofteriores appellemus voluntarias & liberas, cum quibus ftat potentia ad oppofitum; priores verò voluntarias & non liberas?*

Pag. 107. *Meliùs ergo fentire videntur, qui id quod homines ex neceffitate [fine potentia ad oppofitum) volunt, voluntarium effe concedunt, liberum negant.*

Gerberonius ægrè tulit talia ab Arnaldo fcripta, ægrius, fuiffe typis publicè divulga-

gata utpotè interpretans esse è Castris Augustini eatenus defectionem. Non dissimulat dolorem suum in libello cui titulus: *Notationes brevissimæ in Notionem humanæ libertatis ab Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico delineatam, per Hubertum S. Theologiæ licentiatum.*

In præmonitione Typographus rationem reddit, cur *Notationes* illæ luci publicæ committantur, *quatenus*, inquit, *intelligant omnes, veritatis, quæ eadem semper est, lumen, undecunque fulgeat, magis esse sequendum, quàm ignes fatuos, nuda nomina vel Nicole, vel Arnauld, vel si quis est aliorum ejusmodi fluctuantium hominum, quibus multi in errorum voragines incauti adducuntur.*

Quin per Typographum suum ipse loquatur Gerberonius non apparet dubium; quis enim Typographus de Arnaldo, Nicolio, & similibus asserere audeat esse *homines fluctuantes, nuda nomina, ignes fatuos* &c.

Certius audiatur Opusculi author, suo loquens nomine, Gerberonius, Se enim ejus Scriprorem agnovit in *Processu* juridico contra se instituto apud Archiepiscopum Mechliniensem, ut ibi refertur cap.7. num.9. " *Qui* „ *Notionem* hanc *Causæ Arnaldinæ* nuper in „ lucem editæ inseruit, Antonii Arnaldi nomini pessimè consuluisse, mihi & amicis „ Augustinianâ doctrinâ imbutis visus est. „ Ejusmodi *Notionem* legitimum esse celeberrimi hujus Doctoris fœtum, in fide „ istius consarcinatoris equidem crediderim; „ Sed quàm procul ab Augustino in ea Arnaldus deflexerit, nemo non percipit, in „ eo miratus, quàm obnoxia sit mobilitati „ humana mens, etiam in viris fortissimis.

Paucis ante obitum annis, si relatori fides est, fortissimum hunc Augustini vindicem in concilianda gratia cum libertate, ab Augustini castris ad aliena, nescio quæ transvolasse stupent ac dolent ejus commilitones: rident & improperant ejus æmuli.

Tum relatis, ut supra, Arnaldi Assertionibus suas opponit Gerberonius interrogationes. *A Theologis* (inquit) *qui se Augustini profitentur discipulos, quæritur primò: An Augustini contra Pelagianos certantis doctrinæ consonum sit, nullam propriè dictam in voluntate libertatem agnoscere, ubi non manet potentia ad oppositum?*

Secundò an non Augustino contra Pelagianos Ecclesiæ fidem asserenti, & Christi gratiam cum libero voluntatis arbitrio concilianti apertè repugnet, qui docet, quod si aliquod bonum voluntati proponitur, ut omnino bonum, ita necessitate naturali voluntas in illud tendat, ut in illud non liberè feratur: unde nec amor beatificus liber sit; quia mens nostra ad amandum Deum clarè visum, ita est naturaliter determinata, ut dici non possit, Deum clarè visum amare quia vult, & proinde quod Beati qui Deum vident, in amore beatifico liberi non sint: quod & de Christo dicendum.

Tertiò an non Augustino manifestè renuntiet in hac saltem parte, quæ maximi momenti est, qui dum confitetur quòd Augustinus omnes voluntates, quæ cum advertentia rationis sunt, asserat esse liberas; etsi non habet potentiam ad oppositum, qualis est amor beatificus, nihilominus misso Augustino, concludit quod satius sit, voluntates illas dicere non liberas?

Quæritur quartò an Augustini doctrinæ concinat, qui voluntarium cum advertentiâ rationis aliud dixit liberum, aliud non liberum?

Quæritur quintò, an Augustino injurius non sit, qui inde deducit, quòd melius (quàm Augustinus) sentire videantur, qui ad voluntarium cum quo non manet potentia ad oppositum, etsi cum advertentia rationis est, voluntarium esse concedunt, liberum negant?

Quæritur sextò, an Doctoris (Arnaldi) cùm hanc libertatis ideam delineavit, quanticunque sit apud Theologos nominis, sententiæ magis, quàm Augustini adhærendum sit, hujusque deserenda, ut illius teneatur?

Quæritur septimò, an tanti viri famæ consuluerint, qui hanc ipsius de libertate Notionem *latinè & gallicè divulgarunt?*

Quæritur octavo, an amicâ, an inimicâ manu hæc prodita sit?

Quæritur nono, an non homines magis, quàm veritatem diligant, qui quæ in illa idea reprehendenda sunt, ut Augustino prorsus adversa, & ejus responsiones adversus Pelagianos evertentia dissimulant, & verentur redarguere?

Hactenus Gabriel Gerberon, qui, ut audaciâ inter Catholicos non auditâ, minùs etiam decente tam Sancti Ordinis religiosi Theologum, contempto trium Pontificum anathemate, Bajanismi vindicias ediderat impudentissimas, ita rejici aliquas ab Arnaldo Michaelis Baji opiniones, sibi censuit non tolerandum. Talis est trigesima nona: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*; & sexagesima sexta, *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Nos illos Jansenii discipulos mutuis se conficere vulneribus sinamus, nam licèt hic veritas ab Arnaldo stet, velim tamen ex aliquo ejus defensore intelligere, quomodo cum hoc aliàs minimè contemnendo Systemate compositurus sit sequentes Jansenii Articulos Tom.3. editionis Lovaniensis col.632. *Necces-*

cessitas, quæ est voluntaria, quâ simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnat libertati.

Eodem Tom. col.867., & 624. *Hoc ipso, quo volitio est, libera est.* Rursus col.624. *Contradictionis absurditas est, volitionem esse posse, quæ tamen non sit in nostra potestate, nec libera.* Col.628. *Sola necessitas coactionis repugnat libertati.* Col. 658. *Libero sola prementis, cogentisque necessitatis violentia repugnat.*

Istiusmodi Articulis patet & resuscitari geminos quos retuli in Bajo damnatos, & non congruere traditam ab Arnaldo *Libertatis Notionem.*

Supereft ex hujus Sectatoribus quærendum, quomodo is in Apologia Jansenii, atque in ipsa ejus scripserit præfatione: *Non potest sinè voluntaria excæcatione & portentosa pertinacia negari Propositiones Baji, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia doctrinæ S. Augustini?* Ibid. *Augustini doctrina per Iprensem Antistitem potentissimè stabilita est.* Ibid. *Jansenii doctrina continet præcipua fundamenta doctrinæ S. Augustini à Sancta Sede toties approbatæ. Accusationes, ob quas Urbanus VIII. probibuit lectionem libri Jansenii, fuerunt falsæ; uti & informationes datæ Pontifici, quòd liber Jansenii causa scandali esset in Belgio.* Denique *Jansenii Propositiones damnari non possunt tanquam hæreticæ aut erroneæ, quin Sancta Sedes & tota Ecclesia de approbatis erroribus & hæresibus accusentur.*

Quomodò, inquam, ea omnia Arnaldistæ conjunxerint cum traditis ab eo de libertate dogmatibus? Hæc etiam Bajanis à Sede Apostolica condemnatis apertissimè refragantur, quibus anteriora tam insolens præbuere adversus tres Pontifices patrocinium.

Gerberonio in defendenda hæresi Janseniana clarè, & sine ambagibus cedere non vult Ægidius de Witte, quin hujus candor & temeritas impudentiam superat prioris; quasi plus omnibus sapiat, certè plus omnibus audeat, etiam suorum.

Quesnellus & reliqui passim post latum ab Innocentio X. anathema in Propositiones quinque è Jansenii volumine excerptas, magnâ eas facilitate rejiciunt, & quidem post Innocentii XII. Brevia ad Belgii Episcopos, in sensu, ut vocant, obvio; saltèm ubi loquuntur publicè; ad amoliendam à se suisque hæresios suspicionem, in sola se ajunt Facti innocui quæstione à cæteris dissidere Fidelibus, non credentes Jansenium, vel ejus librum talia tradidisse dogmata, in sensu præsertim hæretico & condemnato.

Hâc fallaciâ Janseniani voluminis sensum, reverà impium, atque hæreticum, retinentes animo quasi Catholicum, apparent credulis orthodoxi, cathedris admoventur, & dignitatibus etiam ordinis non infimi. Ægidius verò doctrinæ quantumlibet pestilentis Theologus, minus tamen præ se ferens fallaciæ, in *Augustino Iprensi vindicato* ait pag.255. *Ex his liquet, quod pede firmo & irretorto, persistendum fuerit sive Episcopis, sive Theologis eruditis Belgii & Galliarum regni in ipsa defensione Propositionum, ut per se jacent ac resonant, ac Bulla ista Innocentiana, magisque adhuc Alexandrina, totis viribus oppugnandæ fuerint à verè intrepidis divinæ gratiæ amatoribus. . . . Et mytra & Pedum & Absidæ gradatæ, & cathedræ, & opimi census, & vita denique ipsa constantissimè exponenda fuerant in negotio tanti ponderis.*

Idem in *Vindiciis uberioribus*, pag.43. „ Quidquid, inquit, circumveniantur Pon„ tifices, dormitent Episcopi, sileant eruditi, „ me solum relinquant: Clementinam Bul„ lam (quæ incipit *Vineam Domini Sabaoth*) „ vanis effugiis & cavillis frigidissimis tueri „ pergant: Quidquid demum occlament con„ tra me inimici, vel deficiant à me ami„ ci &c. „ solus ego stabo in acie contra Pontificis Constitutionem, pro universa Janseniani voluminis doctrina: *persistam*, ut supra, *pede firmo & irretorto in ipsa defensione Propositionum, ut per se jacent ac resonant.*

En divisionem inter novæ Scholæ Theologos propter res momenti, non ut Quesnellus nos commonet, levissimi, *quæ nec fidem lædunt, nec mores*; Sed quæ juxta Ægidium *Candidarum* inter Jansenianos partium Principem, ut in ipso *denuntiationis solemnis* titulo loquitur, *evertunt doctrinam gratiæ, qua Christiani sumus, objiciunt Ecclesiam extraneorum scandalo, dissidia jam nimium diu durantia acerbiùs exulcerant, atque sub sensu janseniani involucro, prima & certissima Christianæ pietatis, humilitatis, gratitudinis, spei & charitatis principia, & fundamenta; (hoc est gratiam Dei per se efficientem, & prædestinationem Electorum gratuitam) hæretico carbone notant. Quasi tuba exalta vocem tuam Isa. 58.*

Hanc Ægidii Candidi vocem non audivit; certè minimè secutus est, neque aliis sequi licitum censuit magni nominis Antistes, quem Quesnellus novi sui Ordinis *Patrem Generalem*, licèt inscium, vocare solitus erat. Etenim Antistes ille anno 1711. Clementi XI. scribens, catholicè profitetur, quòd in Constitutione *Vineam Domini Sabaoth*, ipse cum

reliquo Galliæ Clero in Comitiis generalibus congregato [anno 1705.] *gaudens & exultans fidei suæ sensum recognoverit, & ita semper se tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætatus sit.*

Gerberonius autem, etiam ante hanc Antistitis declarationem, considerans ac lugens plerorumque, qui se Augustini discipulos præ cæteris prædicabant, amplecti dogmata, aut saltem vocibus enuntiare, Janseniano minimè consona Systemati, imminere hinc novæ interitum Ecclesiæ præsagiens, scripsit opusculum hoc titulo: *Occasus Jansenismi*; ex quo juridicus contra Gerberonium *Processus* cap.4. refert sequentia:

„ Quod inter gradus, per quos ait ab Augustino deficere Theologos, qui sub eo „ priùs militabant, ponat primò *illum, quod* „ *ejurent eos qui Augustini partium Primipili* „ *firmioresque genuinæ illius doctrinæ vindi-* „ *ces ultimis temporibus fuerunt; videlicet* „ *Michaëlem Bajum & Cornelium Janse-* „ *nium*. Quòd tertium gradum constituat „ hunc: *Plurima admittunt Themata, quæ* „ *Augustinus non modo non habet; sed quibus* „ *totus repugnat; nimirum quòd in Deo &* „ *in Christo vera & propriè dicta sit volun-* „ *tas singulos homines salvos faciendi: quòd* „ *auxilia dentur verè sufficientia, quæ vo-* „ *luntate hominis renitente nonnunquam suo* „ *careant effectu: & quod arbitrii libertas in* „ *eo sita sit, quòd positis omnibus ad agendum* „ *requisitis homo agere possit vel non agere*„.

Denique ut omnis passim hæresis turbulenta est, & à *divisionis* ac superbiæ spiritu dictata, ejusdem prorsus genii fuisse Jansenianam, ab ipsa sua origine, toto in hæc usque tempora progressu, plusquam sufficientibus à me arbitror speciminibus demonstratum. Atque hæc quidem lector, velim non ita accipias, quasi exhausta iis sit *divisionis* Jansenianæ materia; imò pro certo habeas, non esse partem mediam eorum, quę mihi in promptu sunt. Sed ad alios properandum est Articulos; priùs tamen audienda præsentis de-sensio.

CAPUT XVII.

Damnatæ Propositionis defensio sensum Authoris prodit magis detestabilem.

I. INtorquent nobis Hexapla illud Ezechielis 34. *Fili hominis propheta de pastoribus Israel: propheta, & dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? . . . Quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis: quod abjectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia*. Talia tunc temporis improperia convenisse sceleratis populi Israelitici Sacerdotibus, ipso Deo revelante, didicimus; sed ex quo Quesnellus accepit oraculo, à quo fidem faciente authore, vel experimento, eadem ferire nostrorum temporum Pontifices, Sanctissimos Christi Vicarios?

Reflexiones suas *Morales* Quesnellus edidit sub Innocentio XI. quem ipse in *Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag.40. vocat *bonum Pontificem*: Walonius Arnaldo scribens anno 1688. Die 3. Augusti *tam Sanctum Pontificem*, & damnante ipso Articulos morales sexagintaquinque, Joannes Neercasselius cum Episcopi Castoriensis titulo, Apostolicus Hollandiæ Vicarius, in suo diplomate pro commendandâ omnibus obedientiâ erga idem decretum, non dubitavit in eo oraculum agnoscere Spiritûs Sancti, meritò exclamans: *Os Domini locutum est*.

Evecto ad Pontificale solium Alexandro VIII., omnia festivissimis personuere plausibus Arnaldistarum: horum tenemus Epistolam, præcipuorum in Hollandia subscriptionibus insignem, quâ novo Christi Vicario sic gratulantur. *Sanctissime Pater; una omnium qui Christum sincerè diligunt, lætitia est, Te Ecclesiæ à Deo datum esse Pastorem*.

Quæ lætitia in quo fundata fuerit, in quo desierit, discimus ex Epistola Presbyteri Malpaix data ex Belgio anno 1691. die 2. Februarii: *Versa est cythara in luctum: Mira Catastrophe! Quando nobis hic blandiebamur, quasi Roma faveret veritati & justitiæ; fulmen Vaticanum contra Articulos 31. ad nostras usque terras auditur, & nos percussisset, nisi ad Alpes fuisset feliciter allisum*. Spes itaque obtinendi Jansenianis dogmatibus patrocinii, fuit ratio lætitiæ, quam in plena contumeliis, atque calumniis lamenta vidimus commutari, mox ut contra Jansenistarum Articulos Pontificia prodiit definitio. Mœrorem auxit, & rabiem reprobatio Propositionum quatuor Gallicanarum Pontificiæ adversantium authoritati. Hic actus Alexandri VIII. Pontificatum brevissimum cum vita terminans, Quesnello vix priùs Bruxellis innotuit, quàm ejusdem Pontificis ad vitam transitus immortalem.

Minùs autem de Innocentio XII. conqueri Quesnellus voluerit, de quo edoctus à Walonio ex Urbe fuerat anno 1691. Mense Se-

Septembri, quòd *quantumcunque Papatus sit miserabilis quoad regimen & res dogmaticas; si tamen*, inquiebat, *perseveraverit, poterit aliquid boni fieri in Congregatione S.Officii contra Molinistas*. Unde Quesnellus animum sumpsit non solummodo edendi librum, quo Innocentii X., & potissimùm Alexandri VII. contra Jansenianam hæresim, definitiones convelleret; sed eundem etiam ipsi dicandi Innocentio XII.

Operi titulum præfixit hunc fallacissimum: *Defensio Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum in materia de gratia contra Melchiorem Leydeckerum Theologum* (Calvinistam) *Ultrajectensem*.

Memorabile inprimis elogium est, quod ipsa præfert inscriptio. " Sanctissimo Patri Innocentio XII. Pontifici Maximo, Christi Vicario, Apostolorum hæredi, Petri in primatu successori, Principum Ecclesiæ Principi, pauperum Patri amantissimo, provisori largissimo, Hospiti munificentissimo; qui præpositus Domui Domini, domum Romani Pontificis domum voluit esse egenorum, qui judex populi constitutus, venalia sanxit non esse judicum tribunalia: Qui unctus in Summum Sacerdotem continuò non acquievit carni & Sanguini: Qui potestatem Apostolicam in ministerium datam ratus, factus est oppressorum refugium, pupillorum tutor, viduarum judex, cæcorum oculus, mutorum lingua, senum baculus: quem Spiritus Sanctus posuit catholicæ veritatis custodem, gratiæ Divinæ assertorem, Augustinianæ doctrinæ vindicem, disciplinæ sanctæ instauratorem, Christianæ unitatis centrum, Ecclesiasticæ pacis amatorem; utinam & Restitutorem!"

Potestne Pontifici tot Laudibus condecorato ab ipso Sedis Apostolicæ non magno aliàs cultore; sed magis hoste, ab eodem intorqueri, quod in damnato Articulo supremis Ecclesiæ Rectoribus exprobratur, quasi *dominatum exerceant* [tyrannicum] *supra fidem fidelium, & foveant divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores*, unde pessima *inimicis Ecclesiæ de ea ingeratur opinio*? Prorsus opposita ex memoratis, ut patet, laudibus formari debuit pro tali Pontifice conclusio.

Minùs etiam onerari ille Christi Vicarius potuit illo, quod ex Ezechiele objicitur: *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Nonne greges pascuntur a Pastoribus?* Contrà Innocentius ab ipso prædicatur adversario, tanquam *Pauperum Pater amantissimus, Provisor largissimus, hospes munificentissimus, qui.... domum Romani Pontificis demum voluit esse egenorum &c.*

Minimè quoque eum ferit reprehensionis Propheticæ seu divinæ pars altera: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: Quod confractum est, non alligastis: quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum auctoritate imperabatis & cum potentia*. Innocentius verò *Judex populi constitutus... potestatem Apostolicam in ministerium datam ratus* (non in dominatum & tyrannidem) *factus est oppressorum refugium, pupillorum tutor, viduarum judex, cæcorum oculus, mutorum lingua, senum baculus, disciplinæ sanctæ instaurator: Christianæ unitatis centrum, pacis Ecclesiasticæ amator*.

Non est igitur verisimile, quod Quesnellus de *dominatu* conquerens, qui supra *fidem Fidelium*, ipso judice *exercetur*, atque de *fomite divisionis*, culpam conjicere voluerit in Pontificem adeò Sanctum.

Præcipuam calumniarum nubem depluere necesse fuit in Clementem XI. At neque is occasionem Quesnelliano Articulo præbuisse potest, siquidem ante omnem à Clemente editam Constitutionem, quin & ante ejus Pontificatum editus fuit *Observationum Moralium liber*, unde condemnatus Articulus excerptus est.

Paulò antè Innocentii XII. obitum scribens ex Urbe Walonius Sebasteno promittebat Albanum tunc Cardinalem, cordatum, in omnibus protectorem; sed solo laborantem vitio credulitatis, de grassante Jansenii hæresi, & Alexandrinæ contra eam formulæ necessitate. Quam quidem hæresim, quotidie proficere conspicatus, postea idem Innocentii XII. Successor, prudentissimè censuit non solùm esse juramentum illud necessarium contra luem mortiferam antidotum; sed etiam contra omnia Jansenistarum effugia explicationibus à se perspicuis stabiliendum.

Præstitit illud Constitutione totius Galliæ, & cæterarum Regionum applausibus acceptissimâ *Vineam Domini Sabaoth*; solis contra eam frendentibus Jansenistis; quod conspicerent eo diplomate securim positam ad hæreseos radicem. Agnoscit Ægidius de Witte, nullum fore ampliùs Jansenîano locum Systemati; si Clementina illa invaluerit Constitutio.

Hinc furorem concipiens, eamdem toti Ecclesiæ statuit *denuntiandam*. Præterea *Augustinum* edidit *Iprensem vindicatum, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. ereptum, & erutum, anno afflicta*

gratiæ septuagesimo, *Æræ vulgaris* 1711. *Zachariæ cap.* 1. *v.* 11. *Domine exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est*. Exodi 32. *Si quis est Domini, jungatur mihi*.

Sic clasicum canit Ægidius adversus quatuor Pontifices & eorum contra Jansenianam hæresim Constitutiones: de quibus eodem anno 1711. die 28. Junii testantem vidimus Eminentissimum Noailles Epistolâ ad Clementem XI. de Clero Gallicano in Comitiis generalibus congregato ejusdem seculi anno 5. videlicet *Certum illi* (Clero) *fuisse, Pontificiis Decretis adversus Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent*, & *circa ista nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse*.

Eam fuisse Comitiorum illorum sententiam testati sunt præterea sex alii Archiepiscopi & quinque Episcopi in Comitiis anni 1710., qui prioribus, de quibus ferebant testimonium, cum Eminentissimo Parisiensium Archipræsule interfuerant. Quapropter, si quæ *divisio*, si quod scandalum & prava *de Ecclesia opinio inimicis ejus ingesta* fuerit, non ea culpa Clementis XI., non aliorum fuit Romanorum Pontificum; sed contumacis Ægidii, eique adhærentium Jansenistarum.

Neque ea proprie *Ecclesiæ divisio* est, cum Jansenismum publicè professi, quamvis nomen catholicum mentiantur, Sacramentis Ecclesiæ non sine sacrilegio participantes, non sint membra Ecclesiæ. Bullam verò *Unigenitus*, quanquam & hæc saluberrima sit, nec nisi assistente singulariter Numine, conscripta, non est verisimile quòd spiritu Quesnellus Prophetico prævideril, dum Testamenti novi versionem Gallicam cum *Observationibus* composuit ac divulgavit. Idcirco ad eamdem Bullam minimè respexerit damnatus Articulus, *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem &c*.

Neque in Clementem XI. vibrari, nisi iniquissimè, potuit illud Ezechielis *Va Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; Nonne greges à Pastoribus pascuntur &c.*? Quibus enim Sanctissimi illius Pontificis vita intimè perspecta fuit, nota est benignitas & liberalitas in pauperes, erga se in victu & vestitu parcimonia singularis, quâ sibi detrahebat, ut miserorum succurreret egestati: Eleemosynas ejus à Pontificatûs initio usque ad finem largissimas fuisse, testantur arcanorum ejus optimè conscii.

Quòd idem Christi Vicarius non prætermiserit, *infirma consolidare, sanare ægrota, confracta alligare, reducere abjecta, & quærere quod perierat*, testimonio loculento sunt, &, erunt posteris temporibus tot Constitutiones ejus, Decreta & Brevia Apostolica, quorum collectio sub typis est, volumen impletura non exiguum: Præcones Evangelii in remotissimas Orbis regiones, Episcopi etiam & Patriarchæ immensis sumptibus destinati.

Quę Quesnellum maximè pupugère fuerunt Archiepiscopi Sebasteni à Vicarii Apostolici munere depositio, & Bulla *Unigenitus*. Verùm quisquis omnia utrinque gesta tum Pontificis, tum Adversantium ei refractariorum, attentâ mente consideraverit, non se continere poterit à gravissima contra refractarios indignatione: in Pontifice autem nihil reperiet, quod reprehendat, nisi nimiam forsitan in ferendis rebellibus obstinatis & impœnitentibus longanimitatem.

Sed imitari voluerit mitissimus Clemens Dei mansuetudinem prædicatam 2. Petri Cap. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*: & Pauli Epistolâ ad Rom. cap. 2. *ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundùm duritiem, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ*.

Quod sanè spiritûs Divini monitum applicare possumus circumstantiæ præsenti, & unicuique intorquere rebellium: *Ignoras quoniam benignitas Dei* [Ejusque Vicarii] *ad pœnitentiam te adducit: tu autem &c*.

Alium præterea textum Scripturæ Hexapla objiciunt ex Matth. cap. 20. *Jesus autem vocavit eos ad se, & ait; Scitis quia Principes gentium dominantur eorum; & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*.

Audiamus pariter Commentarium Cornelii à lapide textui Sacro convenientissimum." Christus hic non culpat, nec vetat „ authoritatem & potestatem civilem vel Ecclesiasticam, quam habent Principes & „ Episcopi, ut volunt Anabaptistæ. hæc „ enim in omni Republica ad regimen politicum est necessaria, ideoque sancita jure „ naturæ, divino & humano, Sed tantùm „ taxat ambitionem, & ex ea sequentem tyrannidem, quam in suos exercere solebant. . . . imperiosè dominantur subditis, quasi domini mancipiis, calcando eos „ & proterendo.

„ Tyrannus enim non subditorum; sed „ sui ipsius bono & honori in regendo con- „ su-

„ fulit, adeoque fubditis, quafi fervis abu-„ titur: veri Principes autem fubditis con-„ fulunt potiùs, quàm fibi: quare magis mi-„ niftri funt, quàm Domini „. Ita Cornelii commentarius: in quo, uti & in Chrifti fententia, nullum prorfus verbum eft, quo præfens Ecclefiæ regimen feriatur.

Longè fcilicet aliud eft, Apoftolos, & in iis omnium temporum Antiftites, etiam Summos Pontifices, falubribus à Chrifto monitis inftitui: nè fubditos fibi populos durè, injuftè, tyrannicè regant: aliud notari eâ infamiâ Romanos Pontifices, & Epifcopos alicujus temporis determinati. Nonne ftolidiffima accufandi ratio reputabitur, fi quidquid in Sacro Codice de Scribarum paffim & Pharifæorum vitiis refertur, noftri temporis applicetur Doctoribus, non alio argumento, quàm quòd vitia illa reprehendant Sacræ paginæ?

Quisquis in Moralibus Quefnelli Obfervationibus legerit: *Nihil pejorem de Ecclefia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri fupra fidem Fidelium & foveri divifiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores*; minimè dubitabit quin author arguat Ecclefiafticum regimen fui temporis. Iftud fcilicet eft, quod Quefnellus ait, *videre* hæreticos ingenti fcandalo, adeò ut peffimam in ipfis pariat *de Ecclefia opinionem*.

Provocare igitur liceat tanti acuminis difputatores, ut ex alterutrâ; vel, fi magis placuerit, ex utraque fimul Divini Codicis fententiâ affertum ftabiliant Articulum: quod fi nequiverint, ut nequeunt certiffimè, agnofcant calumniam fuam effe fatuam, & jure optimo ab Ecclefia condemnari. Putidi etiam illufores funt Quefnelli vindices, & de mendacio convincuntur multiplici, dum contra Bullā *Unigenitus* declamantes, afferunt, eam paffim profcribere non Patrum folummodò; fed ipfas Divini Spiritûs in Sacris paginis locutiones, Quod uti falfiffimum de nonaginta quatuor Articulis à me arbitror fatis dilucidè oftenfum, de fecuturis idem in me recipio.

Non plus præfidii habent; fed magis fallaciam fuam produnt Adverfarii in objecta nobis Homilia 2. Chryfoftimi circa Epiftolam Titi. Apoftolus ibi agit de Epifcopis, dicens: *Oportet enim Epifcopum fine crimine effe, quafi Dei difpenfatorem, non elatum, non iracundum, non ebriofum, non percufforem.*

In quod ita Chryfoftomus: " Nam is qui „ exteriore ac mundanâ poteftate fubnixus „ eft, quoniam lege imperat, ac neceffariò „ illi obtemperatur, meritò fæpius contra „ fubjectorum voluntatem, atque fententiam „ dominatur. Porro is qui volentibus atque „ hortantibus, & gratias agentibus præeffe „ vult; fi eâ lege præfumit, ut confilio pro„ prio tantùm omnia faciat, quafi nemini ra„ tionem redditurus, tyrannicè potiùs quàm „ populariter exercet officium. „ Ubi neque in textu Apoftoli, neque in Chryfoftomi animadverfione verbum eft, vel minimum indicium de accufando Chrifti Vicario; fed utriufque fententia de Epifcopis agit in communi.

Adverfarius folitâ fuâ utens perfidiâ, quafi tota oratio foret de Summo Pontifice, fic vertit Gallicè *fi celuy qui eft établi le Chef de l'Eglife*. Juxta quod Chryfoftomus expreffiffet: *fi is qui ftabilitus eft Caput Ecclefiæ*.

Altera perfidia eft in conclufione. Affumptum Sancti Antiftitis folùm eft hypotheticum. Ex tali autem antecedente deducere conclufionem abfolutam, ut deducitur ab adverfario, nullus Dialecticus cenfurâ dignabitur mitiore, quàm ratiocinii infipientis.

In multis delinquerent Pontifices, fi non Cardinalium, non Antiftitum, non Theologorum, aut Jurifperitorum, non Spiritûs Sancti dictamina; fed inordinatos animi motus, atque affectus carnis, & fanguinis fequerentur. Inde autem inferre, quod præfentis temporis Pontifices fint iftiufmodi, iniquiffimum eft, & quemadmodum antecedens ab omnibus admittetur ut veriffimum; fic ab omnibus ratione & æquitate præditis confecutio repudiabitur tanquam omnis expers juftitiæ & veritatis.

S. Gregorius etiam capite 6. partis 2. *Paftoralis*, non de Romanis Pontificibus fpeciatim; fed de omnibus agit ad aliquam evectis in Ecclefia dignitatem. Hos monet Gregorius de fui debito muneris, & ex eis fuperbos ac fubditis graves increpat, quos quidem ait reperiri frequenter; fed quomodo hinc iterum adverfarius deducet, vitiis iftis Romanos Pontifices & quidem præfenti exiftentes tempore laborare?

Quod nobis opponitur ex S. Bernardi libro 2. de Confideratione verfus finem, Pontificibus quidem impingitur, & quidem plerifque, adeò ut nullum viderit ab eo vitio immunem; at non iftud ait folorum effe Pontificum; fed omnium five in Ecclefia, five in Republica Principum. Alloquens nempe Eugenium Papam fuæ aliàs inftitutionis in Monafterio difcipulum, ait. " Eft item vitium, „ cujus fi te immunem fentis, inter omnes, „ quos novi ex his, qui Cathedras afcende„ runt, fedebis, me Judice, folitarius; quia „ veraciter fingulariter que levafti te fupra „ te juxta Prophetam. Facilitas credulitatis „ hæc

„ hæc est, cujus callidissimę vulpeculę magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. Inde ipsis pro nihilo iræ multæ: inde innocentium frequens addictio: inde præjudicia in absentes.„

Hic iterum & bona fides in adversario desideratur & mens sana. Illud *inter omnes quos novi, qui Cathedras ascenderunt, sedebis, me judice, solitarius*, Gallicè exponit *Te solum esse dicam inter tuos Confratres*; quasi de Romanis iterum solis hoc loco Pontificibus sermo fit. Oppositum patet ex eo quod Bernardus exprimat *omnes qui Cathedras ascenderunt*. Romana & Apostolica Cathedra non nisi una est. Loquitur proinde Sanctus de omnibus Episcopis; imò de omnibus potestate in alios præditis; cùm enim vitium illud asserit esse *facilitatem credulitatis*, statim addit, *hanc esse callidissimam vulpeculam, cujus versutias neminem magnorum comperi satis cavisse*.

Quid autem miri adeò, Pontifices non penitus immunes esse ab eo vitio, à quo neminem eorum, *qui ad* quascunque *Cathedras ascenderunt*; imò *magnorum neminem* sibi *satis cavisse* Doctor mellifluus *comperit*? Istud ne est, quo nihil pejorem Ecclesiæ inimicis de ea ingerit opinionem, quando omnibus in quocunque Statu & Ordine Rectoribus, quin *magnis* omnibus est communissimum? Num ipsi fortè Hæretici & Schismatici amore proprio, æstimatione sui & superbiâ tam obcæcati sunt, ut non videant, se suosque in dignitatibus & gubernationis munere constitutos, imò quoslibet judicio suo *magnos*, simili laborare vitio multisque longè gravioribus?

Non tamen propterea à cœtibus suis horrorem concipiunt, satis conscii quod si ea infirmitas Præpositos, & viros quodammodo *omnes magnos* in Christianismo occupet, ab eâ immunes minimè inventuri sint Respublicas Paganorum.

Animadvertere quoque adversarius debuerat, nisi fixum animo habuerit reddere Sedem Apostolicam fidelibus odiosam, atque ita eos trahere in barathrum schismatis & perditionis, animadvertere, inquam, debuerat, in eodem genere vitii, gradus esse maximè varios & inæquales; undè minimè necesse est, à facili credulitate effectus in omnibus procedere æqualiter funestos. Et quidem quæ vel penes adversarios *familia* est, etiam antonomasticè *Sancta*, *la Sainte famille*, expers penitus istius vitii, à quo *neminem magnorum* sat liberum se *comperisse* Mellifluus testatur? In Quesnellianis cœtibus omnes *magni* sunt, omnes sibi docentium Cathedras vindicant, & quidem supra, imò contra Sedem Apostolicam.

Ex iis, quos *Divisionis* suæ partibus infeliciter Quesnellus implicuit, conspiciuntur aliqui, qui *cathedras ascenderunt*, etiam Episcopales. Adeone putidè adulari est Quesnellus voluerit, ut immunes penitus esse persuaserit à communi vitio credulitatis, subinde nimium facilis, atque *callidissimæ hujus vulpeculæ* semper *satis cavisse versutias*?

Probè novimus, & sufficientibus aliàs notavi indiciis, non minimum Quesnellianæ autorem Tragædiæ, totiusque Schismatis incentorem, quem similem jure diximus Leopardis, quibus, ut ait Ignatius Martyr, *cùm benefeceris, pejores fiunt*. Is nempe Factioni addictissimus, ut pridem fama tulerat; Romæ tamen sive Inquisitionis formidine, sive spe Beneficii se in publico continuerat, blanditus etiam subinde Pontifici verè Optimo Maximo Clementi XI. à quo rediturus in Galliam, pingue Beneficium emunxit.

At quomodò Christi Vicarius tam Sanctus, & tam sapiens conferre illud potuit homini tam indigno, certè plurimum suspecto, unde adeò à justitiæ distributivæ regulâ conferendi beneficia dignioribus visus fuerit aberrare? Locum hîc habere potuit, quod memorat Sanctus Bernardus, *neminem se comperisse Magnorum, qui callidissimæ vulpeculæ*, quæ est *facilitas credulitatis*, *satis caverit versutias*.

Postquam scilicet Quesnellus in libro mendacissimè appellato *Defensio Romanæ Ecclesiæ, & Summorum Pontificum*, suos appriмè docuit in Jansenismi materiâ fallere, & pejerare, non admodum difficile candidato fuerit, se in hoc simulare Catholicum, & Pontificiis Constitutionibus obedientem: non defuerint ei etiam testimonia, & patrocinia Majorum, qui novitatibus clam faverent, vel decepti ab eo fuerint exteriori pietatis specie, & Lenociniis verborum.

Verisimile denique apparet, quòd suspicantur alii, non omnino incognitum Pontifici fuisse Candidati ingenium; licèt fallax, attamen non contemnendum; quod ut offensum nocere graviùs posset, ita devinctum conciliatumque prodesse Ecclesiæ plurimum; saltem spes probabilis videri potuit nociturum minùs.

Quidquid sit, ingratissimi hujus perfidia, egregio Præpositis Ecclesiæ documento est, novæ Sectæ studiosis, etiam jurantibus vix fidendum, neque tam alliciendos Beneficiis, quàm Censuris aliisque punitionibus constringendos, ne & in ipsis crescat audacia, præsumptio, authoritas: in Catholicis autem mœror,

mœror, offenfio, fcandalum oriantur. Perfidus ille in Gallias rediens, pro lauto Beneficio pernieiofiffimam reddidit calumniam; quafi conftituerit Pontifex ulcifci in Eminentiffimo Parifienfium Archiprӕfule defectum reverentiӕ ab eo commiffum in accipienda Conftitutione *Vineam Domini Sabaoth*; ideoque damnationem Operis Quefnelliani ab illo Antiftite magnis elogiis approbati, non tribuendam Operis pravitati; fed condemnantium odio & fpiritui vindictӕ contra Eminentiffimum Approbatorem.

Relatio hæc, etfi falfiffima, arrepta à Quefnello avidè fuit, & quod dolendum amplius, *callidiffima vulpecula non* fatis cavêrunt verfutias viri etiam Majores: atque hinc captata à rebellibus adverfus Conftitutionem excufatio iniquifsima, quӕ totis à me Tomis quatuor convicta eft, demonftrato profcriptorum Dogmatum veneno peftifero: unde Pontificiӕ Conftitutionis veritas & juftitia fulgere cernitur, ut Sol meridie. Ubi reus quifpiam in delicto gravifsimo, commiffo publicè, quod inficiari nequiverit, deprebenfus merito afficitur fupplicio, frivola nimium ab omnibus ratione prӕditis reputabitur Rei vociferatio adverfus Judiees velut odii ductos Spiritu vel ultionis.

Denique, fi quod in noftri temporis Prӕfulibus vitium *facilis credulitatis* fit, longè frequentius arbitror quod credant nimium hypocrifi malignantium Janfeniftarum; unde indignorum fequatur perniciofa promotio, quàm quod nimium deferant accufationibus eos calumniantium. Si prior credulitatis exceffus non corripuiffet aliquando Regem Chriftianifsimum gloriofӕ memoriӕ Ludovicum XIV. quique ei à Sacris erat Confefsionibus, virum Religiofum & pacificum, non fuiffent ad Epifcopales infulas à Parifienfi Curiâ nominati, neque confirmati à Sede Apoftolicâ, quos ea poftmodum experta eft, & univerfa luxit Ecclefia, Definitionibus toto Chriftiano orbe accepitifsimis refragantes.

Quӕ autem ratio tam malam bӕreticis fuggerere debet de Ecclefia opinionem, propter aliquod Prӕpofitorum vitium adeò commune omnibus utriufque fori Principibus, ut Doctor Mellifluus teftetur fe inter *viros Magnos* reperiffe neminem *qui ab hujus fibi fatis caverit vulpecula callidiffimӕ verfutiis*? Iterum quӕro, an fatuos adeò credat Adverfarius hӕreticos, ut fuos autument Directores ab eo alienos effe vitio, à quo *Magnorum neminem* Doctor Sanctifsimus repererit immunem?

Suam denique & damnati caufam Articuli longè reddidit deteriorem, quando benigniore, ut oportuit, interpretatione adeò non ftuduit Propofitionis mitigare duritiem, ut contumeliam potiùs fuperaddiderit magis horridam, ea in Sedem Apoftolicam coniiciens crimina, quӕ impiis olim Ifraelitarum Sacerdotibus per Ezechielem Deus voluit exprobrari. *Dices Paftoribus Ifrael .... Vӕ Paftoribus Ifrael, qui pafcebant femetipfos, nonne greges à Paftoribus pafcuntur? .. Quod infirmum fuit, non confolidaftis, & quod ӕgrotum, non fanaftis: quod confractum eft, non alligaftis, & quod abjectum eft, non reduxiftis, & quod perierat non quӕfiftis; fed cum authoritate imperabatis eis, & cum potentia.*

Quod improperium vel judicat Adverfarius non congruere Quefnelli Articulo quoad fenfum; quo fuppofito ad ejus ineptiffimè adducitur confirmationem; vel convenire afferit; tunc autem ea Divini oraculi ad noftros Pontifices applicatio, fenfum indicat Quefnelliani Articuli gravioribus turgere calumniis, quàm hujus videbantur ftatim vocibus fignificari.

Nihilominus credere nos adverfarii jubent, fe maximè folicitos effe pro fchifmaticorum, atque hӕreticorum ad Ecclefiam reductione, ad quam fua prӕ cӕteris dogmata effe idonea arbitrantur; nos autem ut in hӕreticis & fchifmaticis foveatur Ecclefiӕ noftrӕ odium & contemptus, nihil opportunius exiftimamus, quàm Quefnellianorum Dogmatum Syftema; maximè poftremorum, quibus Ecclefiӕ ftatus tetcrrimis depingitur coloribus, qualis prӕfens eft enuntiatio, juxta quam *Dominatus in Ecclefia exercetur fupra fidem Fidelium, & foventur divifiones propter res, quӕ nec fidem lędunt, nec mores.*

CAPUT XVIII.

Auctarium & Conclufio Difputationis.

1 Quis igitur modus conciliandi Janfeniftarum animos, ut Sedem Apoftolicam, atque adhӕrentes ei Epifcopos accufare definant velut tyrannicè gubernantes Ecclefiam, fubditis imponendo fidem pro mero libito, minimè confonam Sacris Literis vel Traditioni; his autem confentaneum prohibendo? Iftud fcilicet eft Dominatum exercere in fidem Fidelium; iftud peffimam bӕreticis & fchifmaticis ingerit de Ecclefia opinionem.

Alia prӕtereà, ut vidimus, opinionis peffimӕ ratio in Articulo defignatur, cujus pariter culpa in Ecclefiӕ Prӕpofitos, prӕfertim in Petri coniicitur Succeffores. Eft ea *Divifio* ob res nihili, quibus neque fides lӕditur, neque moribus inducitur corruptio, quamlibet ample-

amplecti partem contendentium placuerit, vel rejicere. Quis, inquam, modus talibus commotos obtentibus animos Jansenistarum pacandi, reducendique ad officium, sive obedientiam erga Summum Christi Vicarium, & ad sinceram cum cæteris quoque fidelibus charitatem?

Si totam attentâ mente revolvimus Jansenismi Historiam, tot edita à recentioris istius hæreseos Sectatoribus ac magistris Opera, alium non reperiemus modum opportuniorem, imò non alterum idoneum & sufficientem, quàm abolitionem omnium, quæ contra Jansenium, ejusque discipulos definita, decreta, declarata hactenus à Sede Apostolica fuerunt.

Si tamen nimium dura videbitur hîc imponi Ecclesiæ Præsidibus & Theologis orthodoxis conditio, ut palinodiam canant publicè omnium, quæ contra novam Sectam toto octoginta annorum tempore constituta sunt; fatis forsitan Jansenianis erit & Quesnellistis, si libera omnibus relinquatur potestas scribendi quidlibet pro suo systemate, & impugnandi, convellendi universas contra illud Pontificum Constitutiones, Episcoporum, Regumque ac Principum Diplomata, Decreta Academiarum etiam Parisiensis, Doctorum denique omnium contra eandem hæresim lucubrationes.

Proinde à nemine imposterum exigatur subscriptio Formulæ Alexandrinę contra Jansenium, aut Censuræ Serbonicæ contra Arnaldum: à nemine postuletur admissio Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth*, aut recentioris, quæ incipit *Unigenitus*: appellationes contra eam ad Concilium Œcumenicum in suo remaneant vigore: sitque unicuique liberum, edere Appellationes novas, vel anterioribus adhærere.

Hæ leges iniquissimæ quidem & ad subversionem fidelium, authoritatis Pontificiæ contemptum, Religionis corruptionem, ruinam Ecclesiæ, atque exitium animarum accommodatissimæ sunt; sed tamen necessariæ à Novatoribus statuuntur ad tollendam, de qua Quesnellus queritur, *Divisionem*, ad impediendum, ne regimen Ecclesiæ ab iisdem obstinatis Quesnelli Sectatoribus accusetur imposterum de *Dominatu*, & quæ eo nomine significatur, omnibus odiosâ mortalibus, tyrannide.

Adversariis non sufficere, quod Ecclesia à novis abstineat Constitutionibus, patet vel ex eo, quòd quando suas Quesnellus composuit *observationes Morales*, Ecclesiæ Præpositis adeò contumeliosas, nondum Constitutio *Unigenitus*, nondum ejus prodroma *Vineam Domini Sabaoth*, nondum Decretum Alexandri VIII. contra Articulos triginta unum prodierant, neque aliud Jansenianis magnopere displicens, *post Bullam Regiminis Apostolici*, editam ab Alexandro VII.; atque adeò toto tempore Clementis IX. Clementis X. Innocentii XI. ab infligendo novo Jansenianis vulnere abstinuit. Sed altè nimium infixa hæresis, ejusque Defensoribus lethalis hæserat arundo, Formula scilicet Juramenti ab Alexandro VII. præscripta. Ab hoc onere teneris Jansenianorum animis intolerabili, liberari eos oportet, nisi Ecclesiam perpetuis concussam tumultibus, & schismaticis perspicere malumus *Divisionibus* laceratam.

Ita Quesnellus Eminentissimum de Noailles alloquitur in scripto pro quadraginta Doctoribus, qui Jansenianæ *Casum Conscientiæ* approbaverant, ut refert Processus juridicus, sive *Causa Quesnelliana* Articulo 6. & 18. "Experientia aunorum quinquaginta nimis reddidit manifestum, nullo tempore coalituram pacem, nisi candidæ, & Deum timentes animæ liberatæ fuerint jugo intolerabili interioris fidei circa *Factum*, cujus testimonium publicum est pura & simplex Formulæ subscriptio; sed testimonium falsum, & confirmatum perjurio, quoties de facto certitudo abest, vel adest persuasio de opposito.

„ Quicumque sapiunt, neque aliud quærunt quàm consulere conscientiæ, extrema & durissima quæque tolerabunt potiùs quàm induci se patiantur, ut subscriptione sacrilegâ vulnus inferant animæ suæ lethiferum, scandalum quoque Ecclesiæ, actione Christianę sinceritati, & jurejurando contrariâ Religioni. Jurare detrectantibus subeundæ manent accusationes, cum vexationibus omnis generis, excitatis contra eos utriusque fori Principibus. Illa scilicet, illa pax est tuo, Eminentissime Præsul, progignenda mandato.„

Supponit hîc novus Theologus haberi non posse certitudinem, quòd sensus Jansenii, prout in ejus libro exprimitur, & oculis Ecclesiæ expositus est, contineat hæresim & impietatem, quæ illi à Sede Apostolica adscribitur & condemnatur. At istud Quesnelli tam falsum & frivolum suppositum est, quàm hæreticorum omnium, existimantium sua suorumque Patriarcharum Dogmata, & sensus esse maximè orthodoxos.

Audiatur iterum Quesnellus ad Parisiensem Archiepiscopum scribens. "Heu! quomodo filii pacis, gemitus premant, videntes Paci Ecclesiæ vulnus mortiferum illâ inflictum manu, à qua eam semper spe-

„ rave-

„ raverant stabiliendam? Dicere possumus „ cum Propheta: *Angeli pacis amarè flent*. „ Eccum Ecclesiam Gallicanam immersam „ iterum confusioni: quomodo enim ibi „ pax subsisteret, cujus fundamentum tuo „ subruis mandato, (quo Jansenianam *Casus* „ *Conscientiæ* approbationem jubes à Docto- „ ribus revocari.)

Talis itaque totius Janseniani sensûs velut innocui approbatio nisi permittatur, spes nulla pacis, nulla unionis superest; quandoquidem statutum fixumque novi Augustini discipulis est, nullam quietem sibi, pacem nullam concedere Ecclesiæ; sed omnia turbare, seditiosis omnia implere lucubrationibus, ubique jacere semina *Divisionis*, donec liberrima eis præstetur docendi, rejiciendi, innovandi omnia, prout Jansenistarum Patribusconscriptis visum fuerit.

Hac suâ pertinaciâ detestabili, quam heroicam ipsi constantiam vocant, confiduut se tandem aliquando de Sede Apostolica & Ecclesia triumphaturos, quando hæc terminandis nuuquam difficultatibus fatigata, debilitata plurium à se recessu, destituta Principum Laicorum subsidio, à pluribus divexata Magistratibus, succumbere cogetur, & Jansenianis laxas relinquere novitatibus habenas.

Sic aliàs sentientem politicum vidimus Quesnellum in suo scripto, quod *Causa Quesnelliana* refert Articulo 9. ubi hic Theologus amicum commonet, *tempus nondum advenisse resarciendi omnem illatam Jansenio injuriam*; expectandum donec plus luminis sit in Judiciibus, minus potentiæ in adversariis.

Non minus politicum agit Gabriel Gerberon in *Reflexionibus Religionis & status* contra Alexandrinæ Formulæ in Belgium introductionem pag. 5. *quod* (inquit) *meretur plus aliquid attentionis, est, subscribi Formulæ Alexandri VII. non posse absque crimine; quia subscriptio illa necessariò continet violationem Divinæ legis, judicium temerarium, calumniam, testimonium falsum, atque perjurium*. „

Ideo pag. 7. *obstringere Ecclesiasticos, ut antequam ad Sacros Ordines, vel audiendas Confessiones admittantur, subscribant illi Formulæ, est eos obstringere ad mendacia, calumnias, falsa testimonia, perjuria, & ut per tot crimina ad Filii Dei Ministerium promoveantur*. „

Pag. 8. *Etiam istud animadversione dignissimum est, quòd non de sola agatur famâ Jansenii; sed etiam de Religione Catholica & fide Ecclesiæ. Si enim professione solemni & jurejurando affirmetur, damnatum in quinque Propositionibus sensum hæreticum esse Jansenii, necesse erit agnoscere Doctrinam Augustini, ipsiusque Pauli Apostoli de Gratia & Prædestinatione condemnatam esse, & hæreticam*. „

Pag. 9. *Proinde consilium & scopus eorum, qui omnia moliuntur, ut nos obligent ad credendum & jurandum, quòd sensus Jansenii damnatus fuerit, alius esse non potest, quàm ut sub Jansenii nomine Doctrinam subruant Augustini, & super ejus ruinas reædificent Doctrinam Pelagii*.

Itaque Gerberonii judicio, omnes, qui Alexandrinæ Fromulæ juxta sensum ejus obvium subscribunt, quemadmodum Sedes Apostolica præcipit, mendaces sunt, calumniatores, perjuri, atque Pelagianæ hæresios toxico afflati. Denique ut tum Ecclesiæ, tum seculi Principibus ratione magis politicâ persuadeat, arcendam à suis finibus subsignandæ Formulæ neccessitatem;

Pag. 23. memorat quòd " *anno* 1648. *concepta fuerit à Pontificis apud Belgas Internuntio Formula, juxta quam omnes ad Beneficia promovendi, jubebantur admittere Urbani VIII. contra Jansenium Constitutionem, & jurejurando affirmare, quòd Articuli in Bajo condemnati defenderentur Jansenii volumine: quæ formula adeò nihil contulit ad sedandas in Ecclesia contentiones, ut eas auxerit potiùs, neque finis eis aliter imponi potuerit, quàm Formulæ abrogatione*.

Notum præterea est, quales Formula Alexandri VII. in Gallia motus, quanta dissidia & turbas excitaverit, ut præ foribus esse schisma inevitabile conspiceretur, quod neque Pontifex, neque Rex sistere potuerunt, nisi abrogatâ anno 1668. *subscriptione Formulæ, sive permissâ subscribentibus explicatione, quâ Propositiones quinque damnarentur sensu alio quàm Jansenii*. „

Facilè hic percipit Lector Catholicus, qualis indoles, qualis pietas & religio eorum sit, qui vulgò novi vocantur *Augustini Discipuli*, & singularis famam ambiunt Sanctitatis; Christianissimum interim Galliæ Regnum parati concutere tumultibus, atque ipsam sacrilego *Schismate* dilacerare Ecclesiam, nisi Jansenianum finanrur sensum damnationi subducere, omnibus contra eum definitionibus proculcatis, omni contempto anathemate.

Cùm autem Gerberonius & prætensi similes Ecclesiæ Reformatores comminatione Schismatis glorientur, atque hujus incussâ formidine, injectum Ecclesiæ Moderatoribus, ipsi Regi potentissimo, jactitent frænum, ne eodem prosequerentur zelo in exigenda ab Ecclesiasticis expressâ, atque dilucidâ Janse-

niani sensûs tanquam hæretici abjuratione, non videtur satis ab Augustino malitiam *schismatis* didicisse lib. 2. adversus literas Petiliani cap. 96. quo solum adversariis *crimen schismatis* statuit exprobrandum, *vos omnes nocentes & sceleratos esse, non alios aliorum criminibus, quæ apud vos à quibusdam committuntur ... Sed crimine Schismatis, à quo immanissimo sacrilegio nemo vestrûm se potest dicere immunem, quamdiu non communicat unitati omnium gentium.*

Hujus criminis gravitatem S. Doctor ex punitione colligit Epistolâ 51. alias 172. *Proculdubio te non fugit, prioris populi temporibus & Idololatriæ sacrilegium fuisse commissum, & à Rege contemptore librum Propheticum incensum, quo utroque crimine, Schismatis malum non puniretur atrociùs, nisi graviùs penderetur. Profectò enim recordaris, quemadmodum Schismatis authores vivos dehiscens terra sorbuerit, & hos, qui cotempserant, Cœlo irruens ignis absumpserit. Sic nec fabricatum & adoratum Idolum, nec sacer liber exustus meruit vindicari.*

Verùm exemplis talibus, atque Doctoris maximi hortamentis minimè terretur audacia Jansenistarum: neque in sola hæret schismatis comminatione, ad quod omnia disponere nuper visi sunt non solùm aliqui ex inferiore Ordine Presbyteri; sed etiam, nescio quibus abrepti Quesnellistarum veluti præstigiis, Autistites septem qui declaravere, nullâ se authoritate, nullâ potentiâ ad Constitutionis Apostolicæ obedientiam adducendos.

Si indecora adeò tenere eos, atque in sensum reprobum agere pergat obstinatio, si & quorumdam furor vulgarium objicere nobis *Turris Babilonicæ* confusionem, quod Lutheri aliàs inventum novis placuit Reformatoribus adoptare, si iidem acceptis à Sancyrano clavibus Divinorum arcanorum, discernere certò præsumpserint Electos à Reprobis, atque hac usi scientiâ *Sanctum Patrem Quesnel* in Cœlis Christo proximum collocare, me verò ad Inferni limina, Janitoris munere fungentem, ipsumque Sanctissimum Pontificem Clementem XI. propter Constitutionem *Unigenitus* ad Inferos detrudere, delatum Bajulis quatuor S. Officii Cardinalibus; facilè consolabimur nos illo Augustini. Lib. 1. ad Bonifacium cap. 1. *Spero de Domino Deo nostro, quòd non sine mercede, quæ in Cœlis est, illi me lacerant.*

Sic & egregius Albigensium hostis, qui tacito nomine celebratur à Luca Tudensi lib. 3. cap. 9. monitus ab amico, ut desisteret ab impugnandis hæreticis, ne sparsâ ab eis libellorum infamium multitudine obrueretur, ipse Augustini fortitudinem & constantiam imitatus respondit: *Credo mihi repositum esse hujus infamiæ præmium apud Deum; quia cui heretici benedicunt, ille est maledictus, & cui illi maledicunt, ipse est benedictus*; etiam in hoc mundo, penes Sapientes & probè Catholicos: nam teste S. Hieronymo non exiguæ gloriæ est ab hæreticis perpeti contumelias, & quidquid eorum potest maledicentia effutire.

Ita Sanctus hic Doctor Epist. ad Augustinum: *Macte virtute, in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur, atque suspiciunt, &, quod signum majoris gloriæ est, omnes heretici detestantur: & me pari prosequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant.*

Timidos autem & suis studentes commodis Pseudopoliticos quosdam sive Doctores, sive Præsules reprehendit meritò Franciscus Simonis parte 3. de *Fraudibus hæreticorum* Fraude ultimâ, ubi laudatis fortibus fidei Athletis, subjungit. "Quantò hi sapientiùs atque generosiùs quàm illi oppidò cauti homines, & rationum suarum, quàm Ecclesiæ impensiùs studiosi, quos videas feroces adversus hæreticam impietatem quoad sibi & famæ suæ tutum esse sentiant, damis verò timidiores, si se commoverit hæretica rabies; humanâ denique sapientiâ insipientes, in quos haud malè conveniat Ezechielis execratio cap. 13. *Væ Prophetis insipientibus ... qui nihil vident. Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israel erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro Domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.*

" Verendum ne quondam sibi canere cogantur triste illud Isajæ cap. 6. *Væ mihi quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum.* Polluit labia silentium hæreticum haud secùs ac hæresis ipsa. Te verò, quisquis es, quem Divinus misit ardor in hæc prælia, nec frangat perturbet hæreseos desperatæ rabies & furor. Ezech cap. 2. *Hæc dicit Dominus Deus ... ne timeas eos, neque sermones eorum metuas; quoniam increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides.*" Jerem. cap. 1. *Ego quippe dedi te hodie in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ... & bellabunt adversum te, & non prævalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus ut liberem te.*

Placuit mihi semper monitum viri Sancti dicentis Diabolum esse similem fœminæ pro-

procaci, quæ nacta maritum languidum & meticulosum, miris illum Tragædiis divexare solita est. At si in virum inciderit fortem animo & lacertis, qui ubi verba non suffecerint, haud mollibus eam excipiat verberibus, continet illa se in officio & silentio. Ita novorum petulantia hæreticorum non metu dissimulanda est; sed castigationibus reprimenda.

Sic Beatus Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium Papam, quem hæreticus nomine *Felicissimus* Schismaticorum cinctus catervâ Romam adnavigans, *minis & terroribus aggredi* ausus fuerat, salutari roborat hortatione: *Quod si ita res est, Frater, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure, atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac Divinâ potestate, nec Christiani ultra, aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus.*

Idem Sanctus, sive quisquis est author libri contra Novatianum in principio: *Non* (inquit) *Fratres dilectissimi, non moveat, aut turbet hæreticorum perfidorum abrupta dementia, qui cùm in tam ingenti dissensionis & schismatis crimine constituti & ab Ecclesia separati sint, sacrilegâ temeritate non dubitant in nos sua crimina retorquere. Cùm enim sint à semetipsis nunc facti immundi, sordibus sacrilegis inquinati, hoc nunc nos esse contendunt; & cùm scriptum sit canes foris remansuros .... rabiem suam non cessant latratibus excitare, luporum more tenebrosam caliginem optare, quâ facilè possint ferinâ suâ crudelitate oves à Pastore direptas, speluncâ tenebrosâ laniare.*

In quem locum Franciscus Simonis, & ipse aliquando furentium in se Novatorum calumnias expertus, lib. de Fraudibus hæreticorum parte 2. Fraude 10. *Latrent in nos* (inquit) *qui foris sunt, canes; imò luporum more ululent in tenebrosa caligine scriptores tenebriones: sua in nos crimina dum torquent, non facient criminosos; nisi timere coegerint. Crimen reputetur, hos lupos timuisse.*

Discessionemne ab Ecclesia faciant? Exigua jactura est, si quidem fixa eis pervicacia; quia sapientum communis est sententia, expedire Ecclesiæ, ut contumaces hæretici à Fidelibus segregentur, quibus aliàs exemplo sunt noxio, & venenum afflant Doctrinæ pestiferæ, pariter ac rebellionis. Confirmat nos in eo votum saluberrimum Apostoli Epistolâ ad Galatas cap. 5. *Utinam abscindantur, qui vos conturbant!* quia, ut ibidem dicitur: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*: Et, ut S. Bernardus Serm. 65. in Cantica: *longè plus nocet falsus Catholicus, quàm si verus appareret hæreticus. Non repullulat error publicè refutatus, & falsitas aperta non germinat. Impius foras missus ostentui victurus est, non fructui.*

S. Laurentius Justinianus Serm. in Dom. Palm. *Magnâ peritiâ utitur Ecclesia Dei, dum putridum abscindit membrum, ne exemplo ejus corrumpantur & cætera: ovem quoque morbidam ab ovili rejicit, ne totius Congregationis commacules gregem. Pertimesce ergo quisquis per Excommunicationis Censuram ab Ecclesiæ unitate alienus efficeris, ne in eadem sententia, corporis & animæ patiaris interitum. Paveto sævientium bestiarum incursus, quę foris errantes diripere consueverunt. Scito te toties alienum esse à Christo, quoties per Religionis tuæ statuta excommunicaris à Præsule.*

Noli, quæso, pro parvis magna, & pro terrenis commutare cœlestia. Noli, inquam, pro peritura substantia participatione carere fidelium: omnium bonorum, quę in Ecclesia fiunt, communicatione te privas; si excommunicatus, in cordis obduratione persistas. Nam quemadmodum abscissum membrum nullo modo vegetatur in corpore, ita inhęrens vivificus spiritus nutrire non desinit. Hoc Propheta insinuans (inquit) *Particeps ego sum omnium timentium te. Redi ergo ò Excommunicate, ad gremium, propriumque fatere delictum. Ante pedes te statue Præsidentis, humique prostratus veniam pete, & impositum onus pœnitentię amplectere.*

Verùm Adversariis hic nostris, aliàs rigidioribus Sacramenti Pœnitentiæ administris, parum curæ est, Supremo Christo Vicario, visibili Capiti Ecclesiæ reconciliari; quin *Petrum Gratianum*, vero nomine *Petrum Hollen* Ultrajecti Missionarium scribentem vidimus Clementi XI. duas Epistolas, in quarum posteriore dilucidè & sinè ambagibus Pontifici denuntiat: *Parum abest, quin dicam tibi anathema*; sed eccum mox dignam Missionario mansuetudinem: *Verum est* (inquit) *Domine Clemens, quòd Prædecessores tuos, etiam ipsum Alexandrum VII. excusaverim, & adhuc excuso, & eximo ab hæresi Semipelagiana non solum; sed etiam Molinianο errore, qui pejor est priore; ast Beatissime quidem in ore hominum; sed miserrime Clemens, quomodò te eximam non solùm à Molinianâ hæresi materiali; sed etiam à tyrannide & hęresi alterius speciei?*

Idem in Apologia brevi pro Petro Gratiano pag. 4. *O Domine Clemens... Pastorum te servum gloriaris, verbotenus quidem; sed non*

non solùm non te Patrem; sed magis Principem Gentium, qui dominatur, te exhibes. Clariùs & nusquam breviùs quàm in scripto Jansenius reviviscens, tuus exhibetur Dominatus. Pag. 3. *Unum vos rogo, ut moneatis Dominum Clementem, ut legat ea, quæ Pastor noster prędicavit & scripsit, ne seriùs quærat pœnitentiam, & cum Antiocho non inveniat. O infelix Clemens Undecime!* Author Apologię pro Petro Gratiano, ipse Gratianus est, ipse Pastor, idem ubique PetrusHollen, se prodens singulari stylo & insaniâ.

Tales in Hollandia Arnaldus & Quesnellus formavere discipulos. Quid enim simile ante utriusque novi Apostoli in eas Provincias adventum ullo ibi tempore auditum est? Quando primùm Jansenii liber prodiit, cùm author Batavus esset, & à Symmistis Lovaniensibus quibusdam magnificè prædicatus, Vicarium ibi nactus est cum imprudentibus aliquot Missionariis approbatorem. At mox ubi Urbani VIII. contra eum edita est Constitutio, omnes statim visi sunt se submittere; certè nulla contra eam vox irreverens ab ullo istic Missionario audita est.

Corruptio in eam Christi Vineam irrepere quædam cæpit, ex quo Batavi nonnulli, exemplo Jansenii, nec meliore fructu in Galliam se contulere à Novatoribus instituendi: unde & secutum postea cum Gallis Novatoribus literarum commercium, & Joanni Neercasselio, cum titulo Episcopi Castoriensis, Vicario Apostolico persuasum ab iisdem fuit, ut Arnaldum ejusque Socios è Galliâ profugos, tanquam missos è Cœlo Angelos susciperet. Paruit imprudens, omnique eos fovit subsidio.

Neercasselio successit in Vicariatum non meliori omine Petrus Codde Archiepiscopus sebastenus, eisdem profugis re & nomine *Pater Bonifacius*, non absque Fidelium scandalo, Doctrinæ corruptione, ruina fidei, rebellione contra Sedem Apostolicam. Unde non levis Præsuli, eique adhærentibus orta est infamia, publica excommunicatio, utinam non etiam cum pertinacia interitus sempiternus!

Denique Quesnellus, qui in præsenti Articulo tantopere conqueritur de *divisione*, quasi ea ab Ecclesiæ Præpositis, præsertim Summis Pontificibus foveretur, ipse ab initio, quo orbi quodammodo cæpit innotescere, usque ad vitæ terminum, ubique scandalosissimæ author *divisionis* extitit, ubique pertinacissimus *fautor*.

Nomen ejus anno 1675. præfixum vidimus *dissertationibus* in Opera Leonis Magni, quæ anno proximè sequenti Decreto S. Congregationis *Indicis* confixæ sunt. Hæc prima debuerat Quesnello esse exercendæ erga Eminentissimos Cardinales reverentiæ & submissionis occasio: Talibus autem Decretum excepit contumeliis, tali contemptu & rabie ipsos ejus Eminentissimos authores, ut verba penè singula spiritum Quesnelli indicent schismaticum, magis temerarium & impudentem, quàm in hodiernis communiter deprehendamus lucubrationibus Calvinistarum.

Ut nihil in Romano Diplomate remaneat intactum, singula ipsius tituli verba dilacerat. Diplomatis inscriptio est: *Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum ac Reverendissimorum D.D. Sanctæ Rom. Ecclesię Cardinalium à Sanctissimo D. Nostro Clemente Papa X. Sanctâque Sede Apostolicâ ad Indicem librorum, eorumdemque permissionem, prohibitionem, expurgationem, & impressionem in universa Republica Christiana specialiter Deputatorum, ubique publicandum.*

Accipe modò Quesnelliani Spiritus pacifici, & *Divisionem* horrentis illustre specimen: " Non est *Decretum*; sed libellus infamis, contrarius legi Dei & bonis moribus, „ qui prohibet ne bonum appelletur malum.

„ Hæc *Congregatio* non est *Sacra*, non „ enim componitur ex personis sacris; cùm „ esse possint Cardinales solâ insigniti Tonsurâ.

„ Stabilivit quidem Congregationem illam *Pontifex*; sed non *Sedes Apostolica*.

„ Falsum est quòd Congregatio *libros imprimendi* tribuat facultatem.

„ Magis etiam falsum est, quòd jus ullum „ habeat, aut jurisdictionis exercitium in „ *universa Republica Christiana*.

„ Falsissimum est quòd Decretum sit *ubique publicandum*. „

Tum ipsum Diplomatis tenorem sic aggreditur: " Impostura est quòd dicantur *libri* „ aliqui *respectivè suspensi*.

„ Ad illud *Nemo cujuscumque gradûs & conditionis eos legat*; Error [inquit Quesnellus] est intolerabilis, quòd Cardinales „ præcipiant Episcopis, qui tantò Cardinalibus superiores sunt, quantò instituta à „ Christo dignitas sublimior est eâ, quæ inventionis solummodò humanæ est.

„ Verba illa *Nemo cujuscumque gradus & conditionis*, comprehendunt etiam Reges. „ Est autem insolens & intolerabilis temeritas; Reges enim uncti sunt à Domino, „ quorum adrepere pedibus debent Cardinales, si eis non alia quàm Cardinalitia „ dignitas obvenerit.

„ Quod

„ Quod in Decreto dicitur, *libros prohi-* „ *bitos tradendos esse Inquisitoribus, seu lo-* „ *corum Ordinariis*, est recti ordinis subver- „ sio horrenda, inferioris sortis Monachum, „ cui *Inquisitoris* est inditum nomen, ante- „ ponere Successoribus Apostolorum, & Vi- „ cariis Jesu Christi.... Quod de *pœnis* ad- „ ditur, audacia temeraria est, Congrega- „ tionem Monachorum, Præside presbytero „ quodam aut Clerico, veste induto rubrâ, „ pœnas minitari Episcopis, ipsisque Regi- „ bus? „

Dignitatis scilicet Eminentissimæ excogitari non potuit juxta Quesnellum idea magis congrua, quàm si Cardinalis definiatur *homo indutus veste rubrâ*.

Sed magis hic convertenda nostra attentio est ad authoris ingenium turbulentum ac disseminandis ubique *divisionum* seminibus, quâ pollet arte & industriâ, semper intentum. Ibi contra Sacros Inquisitores concitat Episcopos & Reges: apud eosdem etiam invidiam creans Cardinalibus, ipsisque Pontificibus, quasi injustam usurpantibus potestatem, Episcopali nimium authoritati, ac Majestati Regiæ derogantem. Sic tantùm præludere Quesnellus voluit gravioribus tragædiis, & turbis schismaticis, quas excitaturus iret, ubicunque gentium degeret, vel quò migrare cogeret necessitas vitandi debita suæ temeritati ac rebellioni supplicia.

Anno 1678. biennio postquam prohibitæ fuerant ejus *Dissertationes*, cùm propter Dogmatum novitates, quibus Oratorii in Galliis Congregatio addicta in suorum pluribus credebatur, periculum adiisset interitûs, jussu Regis, & operâ, atque Consilio Archiepiscopi Parisiensis, in Patrum illorum Comitiis statutum est, ut universi subscriberent Formulæ Dogmaticæ, quam in posterum in Collegiis, Seminariis, Domibus Professores sequerentur à Jansenianis erroribus in Theologia, & Cartesianis in Philosophia novitatibus alienam: jurejurando subscripsere in Comitiis omnes.

Eadem Formula in novis post triennium Comitiis confirmata est, & sicut Quesnellus in Epistola anni 1687. memorat, *Edictum per Provincias missum, mandatâ visitatoribus exequendi Provinciâ; omnes ad hanc necessitatem adacti, ut vel obtemperent, vel quasi Regiis jussis rebelles è Congregatione pellendi, ad extremos Regni limites ablegentur, aut pejus aliquid experiantur. Ut utrique me necessitati subducerem, meum amicorumque consilium fuit*.

Autea, ut paulò superiùs scribit, cùm approbatæ in Comitiis Doctrinæ se opposuisset, *inde iræ*, inquit, *inde orta adversum me tempestas; nam primum è Domo Parisiensi abire jussus, Aureliam ad ligerim secedere compulsus sum*: Denique & ex Galliis profugere in Belgium. Quid non ibi dissidiorum movit turbarumque! Processus ille *Causa Quesnelliana* dictus, solis recensendis Quesnelli Schismaticis molitionibus impendit Articulum 2. plusquam centum & quadraginta paginas complectentem, è quibus pauca pro specimine delibabo.

In quinque Paragraphos Articulus dividitur, quorum primo titulus est: *Pater Quesnellus in Belgio Catholico, vicinisque Provinciis turbas & dissidia excitavit per doctrinam suam de authoritate Summi Pontificis*. §. 2. *P. Quesnellus conturbavit oratorium Berullianum Belgii*. §. 3. *Quesnellus turbavit Universitatem Duacensem*. §. 4. *variæ simul recensentur turbæ, quas Quesnellus in Universitate Lovaniensi & per totum Belgium excitavit, Presbyteros commovens contra proprios Episcopos*. §. 5. *Quod Clerum Batavicum impulerit adversus Summum Pontificem*.

Hæc omnia plurimis, & indubitatis documentis ac testimoniis ostenduntur. Et quidem Cleri Batavici statum veterem, & novum exploratum in primis habuit Processûs Author, utpotè & ipse Batavus Archiepiscopi Mechliniensis tunc Vicarius generalis, nunc Illustrissimus Brugensium Antistes. Sic autem Vineæ illius Dominicæ nobis statum depingit.

„ Antequam illi famosi profugi è Gallia „ Arnauld, du Vaucel, Gerberon, Quesnel „ & eis adhærentes in Hollandiam advene- „ rant, Ecclesia Romano-Catholilica, quæ „ illic Christo colligitur, verè erat dilectissi- „ ma Christi Sponsa, florens vinea, quæ lu- „ xuriabat sanguine Martyrum Gorcomien- „ sium, qui pro authoritate Summi Pontifi- „ cis gravissima tormenta sustulerant; quæ „ gratissimum ubique modestiæ, pietatis & „ Religionis odorem exhalabat, quæ ad „ piam aliarum vinearum invidiam suavissimo „ turgebat charitatis vino.

„ Clerus illic erat Christi bonus odor, ac „ ipse & Grex ipsi commissus, unum corpus, „ & unus Spiritus, Ecclesiæ Capiti tenacissi- „ mè adhærens: gloriæ ducebant omnes, ab „ Acatholicis *Pontificii*, sive *Papistæ* voca- „ ri, atque pro Christi Vicario prætensam „ hanc contumeliam pati: Columbini Eccle- „ siæ illius oculi, Vicarii, inquam; Aposto- „ lici, quos posuerant Summi Pontifices vi- „ neæ illius custodes, Gregi sibi tradito sin- „ gularem erga Petri Successores inspirabant „ ob-

„ observantiam „ ; quod exemplis ibi ostenditur.

„ At à tempore, quo viri illi profugi instar vulpium vineam illam subintraverunt, ac demoliti sunt, Pontificiæ authoritatis radicem suffodientes, vellicantesque, decolorata fuit Sponsa illa, spoliata pallio charitatis, & laudatæ toties unionis, facta rebellium & Antipontificiorum asylum, atque reddita est uva vineæ hujus uva fellis, & botri amarissimi. Quod summa ab illo tempore in Hollandiam confluxerit dissidiorum & novitatum alluvies, manifestum fit ex literis Vicariorum Apostolicorum Neercasselii, & Coddæi, ac DD. Arnaldi, Vaucelii, Gerberonii, Heussenii; Rosei, SWanei, Mcppelii, Erckelii, Schurii, Candidi, Bontii, Balenei, Oosterlingi, PrauWelii, Krisei, Drioti...

„ Hollandia etiam recipere debuit Arnaldo-Quesuellianum discipulum, famosum *Candidum*; qui tam indigna contra Summi Pontificis authoritatem, nunquam hic priùs, nisi in *Institutionibus* Calvini lecta, & ab extraneis Arnaldo & Quesnello dein defensa Mechliniæ effutierat, qui Summos Pontifices coram Acatholicis injustitiæ accusare etiamnum in Hollandia non reformidet, qui pro causâ Janseniana in *Panegyri* & *Apologiis* ita inclamare adhuc audet: *Revertimini ad judicium*... Mirum fanè non est, quòd ad has Arnaldo-Quesnellianas instructiones, quæ tanquam oracula illic haberi incæperant, tam turpiter labefactata in Hollandia fuerit, tot retro seculis constantissimè culta Summi Pontificis authoritas, & quòd dein Clerus Batavicus ab hoc unionis centro deflectens in tantam novitatum Cloacam inciderit, authore præsertim Quesnello.

Ibid. " Non facilè dixero, quantos videamus dissidiorum fluctus in Hollandia, ex continua Quesnellianorum Scriptorum alluvie intumuisse, & Cleri Batavici animos ad scriptiones similes fuisse excitatos. Hinc prodierunt illic, applaudentibus hæreticis, varii Tractatus Hollandicâ linguâ, quoad materiam de Prædestinatione, & gratiâ ad imitationem Quesuellianorum.. Denique in vineam illam Domini tam multa introducta sunt nova, ut quæ ante adventum Arnaldi, Gerberonii, Quesnelli, & aliorum è Gallia confugarum suaviolentâ pacis olivâ adumbrata florescebat, funestâ dissidiorum face adusta disperire inciperet, & Romano-Catholici, qui antea Cor unum & anima una erant, deploranda in schismata dividerentur.

„ Pœnitentes, ut vocant, Religiosorum, & veterum Pastorum, ac eorum, qui Romæ, Coloniæ, Monasterii, aut in aliis purioribus scholis Theologiâ enutriti fuerant repudiabant Novaturientes libros, novos Catechismos, nova officia, in quibus antiquis Deiparæ titulis detrahebatur, novas versiones Schurii & Candidi, novam contrariam Tridentino Sess.7. can.13. ac à Reformatæ religionis Ministris antea solùm usitatam, Sacramenta administrandi formam.

„ Contrà alii, qui Arnaldo Quesuellianorum discipulorum oratoria frequentabant, mirè rapiebantur eorum libris, quos politiore elaboratos stylo, & purioris Ethicæ unctione illinitos, pleno ore buccinabant: Novorum Catechismorum usum ambiebant, tanquam sibi gloriosum, quod plus aliquid saperent, quàm qui antiquæ illi simplicitati adhærebant: ad Belgicum (Missæ) Canonem, versioues S. Scripturæ, formas Sacramentorum vernaculas lætabantur, quod sibi, in quibus multi erant plebeii, & crassâ imbuti Minervâ, liceret ultra velum, in Sancta intrare. Hinc gravissimæ in familiis contentiones, acerba inter Consanguineos dicteria, ex Cathedris convicia & scandala per Missionem illam profluebant, & in Templis prætensè reformatis, de sibi toties oppositâ Catholicorum unione agebant triumphum.

Ibidem " Quò magis numerus Bajanorum & Jansenianorum librorum per Missionem Batavam accrescebat, quò magis contentionum fluctus illic intumescebant, eò altiùs antiquæ Religionis & pacis amantes Romano-Catholici ad Supremum Ecclesiæ Nauclerum, ejusque in terris Vicarium clamitabant, *Domine salva nos perimus*. „

Clamoris hujus testimonium omni exceptione majus habemus ab Episcopo Ancyrano, qui Missionis Mogolensis Vicarius Apostolicus constitutus, apud Persas victima charitatis occubuit. Is cùm per Hollandiam transiens, pluribus illic commorari mensibus cogeretur, intereà permotus turbis ingentibus, quas illic mœrens quotidie spectabar, Catholicos inter & Quesnellianarum partium Missionarios, hanc scripsit in Urbem Epistolam anno 1697. die 26. Novembris, quæ ut scripta fuerat italicè refertur in *Causâ Quesnellianâ* Articulo 2. Paragrapho 5. & à me hic redditur latinè:

Commendo tibi maledictam Jansenismi radicem, quæ per has Provincias se extendens, nimios progressus facit. Adi, quæso, Pontificem

cem uomine meo, & destinato Consilio hanc ob causam missus: & dicito, me tanquam indiguum Ecclesiæ filium, invocare testem Deum, quòd eò usque malum invaluerit, ut quaudo Sanctissimus illud extirpare volet, experturus sit, uequaquam in sua esse potestate. Tribus mensibus in iis Provinciis versatus sum. Egi cum viris ex omni ordine & conditione, non quærentibus quæ sua sunt: egi cum omnibus Christianorum Principum legatis, & cum personis maximè zelo religiouis & pietate præditis: uuauimi omnes voce clamaut: Tolle Tolle.

In eodem §. pag.130. Author Processûs Juridici, citatis turbulentis Quesnellianæ Factionis literis exclamat: " Quis non exhorrescit, dum Presbyteros, qui pro Principe pacis legatione funguntur, audit tam audacter declarantes, quod sperent fore, ut Cletus Batavus adversus Pontificem aperto constantique Marte sese opponat, & fore ut in Missione per Belgium fœderatum turbæ concitentur, ac augeantur, donec Sebastenus ad Clavum navis, malè tectæ reponatur, & imperet Scriptorum à suis edendorum ventis, ac turbarum, sui causâ studiosè movendarum mari? Sic, sic apud Quesnellium, qui Antesignanus publicæ tranquillitatis perturbatorum est, probandus erat zelus Jansenianæ factionis. „

Pag.131. " ut fine suo potirentur, concitandas judicabant Quesnelliani novas per Fœderatum Belgium turbas, & opem implorandam Magistri sui Quesnelli; qui sub ditionibus primùm Christianissimi, dein Catholici Regum turbas commoverat quàm plurimas. Hic non dubitavit statim petulantis ingenii sui nervos intendere, fluidumque suum, & pietatis fuco adumbratum exerere stylum, ut labanti in Fœderato Belgio Jansenismo succurreret, illic per se suosque cooperarios stabilito. „

Pag.138. " Etsi in hoc Paragrapho cæteris longiore; quia salutem Ecclesiæ Bataviæ spectat, & materiam hodiedum adeò agitatam, ad sufficientiam juris clarè commonstravetim, quòd Quesnellus gratissimam illam vineam Domini turbaverit, cleumque ejus impulerit adversùs summum Pontificem, per inauditam illic, nisi ex Acatholicis, doctrinam iufallibilitati supremi Ecclesiæ Judicis adversantem, per libros Jansenianam hæresim continentes, per suas contra Formulam Alexandrinam instructiones, & per instillata tam Archiepiscopo Sebasteno, quàm præfato Cleto malesana consilia; nihilominùs vel ex hac sola, quam productum eo, *Resolutione* Quesnellianâ, cujus originale propriâ Quesnelli manu scriptum, inter Hollandica consignatum est, luce meridianâ clariùs intentum illud meum demonstrabo, ostendamque, quòd Quesnellus vel ob solam hanc seditiosam & Schismaticam *Resolutionem*, ad perpetuum carcerem condemnari mereatur. „

Sebastenus postquam Romæ coram auditus biennio fuerat, tum voce, tum scripto subdolè se defendens, judicio Congregationis Cardinalium ad examen specialiter deputatæ, approbato à Clemente XI. suspensus à Vicariatûs Apostolici munere fuerat, uti & quatuor ab eo antea constituti Provicarii. Inter hos præcipuus erat Hugo Van Heussen, qui conceptâ animo rebellione, quam supposuerat à Quesnello dissidiorum omnium contra Sedem Apostolicam incentore, proculdubio approbandam, geminas ei proponit Quæstiones; quarum prima est: An in præsenti occasione liceat salvâ conscientiâ recurrere ad Magistratus Acatholicos: 2. An in præsentibus circumstantiis Provicarius abEpiscopo (Vicario Apostolico) nominatus, & confirmatus à Capitulo (imaginario & exauthorato) possit exercere functiones ad munus Provicarii pertinentes.

Ad utramque respondet Quesnellus, affirmando. Ratio, inquit, prioris partis est; *quòd evidens sit, supremos Hollandiæ Magistratus (Acatholicos) plus ratiouis habere, quàm Principes Communionis Romanæ, ut dispiciant, qualia mandata à Romaua Curia ad suas Provincias destinentur, & ut metuaut ne quid Reipublicæ suæ uoxium Roma molia-tur: quia continuum Monachorum studium est, ut quidquid sub Romano jugo est odiosissimum, in eas provincias inducatur, & quia pariter eadem Curia uihil prætermittit industriæ, ut suum ibidem stabiliat Dominatum.*

Hominis ista politici apparent; Sed veriùs Novatoris sunt contra Sedem Apostolicam odio insanientis; Quales enim vires sunt Pontifici, quæ classis, ut subigere Rempublicam valeat tam remotam, tam potentem, quę ipsis Regibus terrori est? Non ibi sistit schismaticum Quesnelli ingenium: *sunt* (inquit) *Acatholici procul dubio meliùs dispositi, ut de causa Sebasteni eique adhærentium Pastorum judicent contra libellos eis oppositos (quàm Romani). Jus pertinet ad (Calviniaua) Reipublicæ Moderatores, coguoscere & discernere, quinam tranquillitatis & pacis publicæ (in religionis materiâ) turbatoris siut*; ut penes Acatholicos solent esse Presbyteri orthodoxi, potissimum *Missionarii Apostolici*, quo aliàs nomine post defectionem Batavici po-

populi à Rege Catholico simul & Pontifice, Clerus non minùs quàm Religiosi Ordines gloriabatur; nunc autem appellari Missionariorum nomine pudet è Clero seculari plurimos.

Ambiunt illi titulos, ut autumant, magis honorificos *Pastorum*, *Canonicorum*, *Capitularium Metropolitanæ Ecclesiæ Ultrajectinæ*, *& Cathedralis Harlemiensis*. Non tamen insaniunt adeò, ut pro solo nomine inani & fumo, tot opusculis dimicent Quesnelliani: nucleum magis spectant, quàm corticem. Subducere se avent Jurisdictioni Eminentissimorum Cardinalium negotiis Propagandæ fidei à Pontifice Maximo Præpositorum. Declarat Sanctissimus ac definit, nullam eis quocunque titulo potestatem esse constituendi Vicarios, Provicarios, Missionarios, aut quovis alio nomine jurisdictionem ibi Ecclesiasticam exercentes.

Prosequens adhuc contra Pontificem Quesnellus audiatur. Ex eo (inquit) *Jus maximum vobis oritur recurrendi ad Reipublicæ Batavicæ Magistratus, quod Sebastenus omnibus sibi objectis accusationum capitibus in ipsa Urbe Roma satisfecerit plenissimè, ut nihil contra eum ampliùs valeat allegari: & tamen opprimi non desinit suspensionis ignominiâ ipse cum adhærentibus sibi presbyteris.*

Responsio ad quæstionem alteram fundamento, ut Quesnellus existimat, nititur non minùs solido: *Quia nihil apparet hactenus, quod sic institutum Provicarium à sui muneris exercitio debeat impedire. Quo supposito ad illud obligatur, quandoquidem commissum sibi gregem destituere non liceat, neque sit alius, qui illas obeat functiones... præterea evidens est, quòd Romana suspensio falsis allegationibus, & calumniis impetrata fuerit à Cleri hostibus, ad opprimendum ejus Episcopum.*

Suspensio Sebasteni, & Provicariorum abrogatio conjunctæ sunt, & eâdem Romanâ sententiâ Decretæ: consentire alterutri est admittere utrumque: Suspensionem autem Sebasteni agnoscere velut legitimam, est concurrere ad ejus oppressionem, eum declarare culpæ reum, & suffragari judicio, quo nullum fuit unquam ab omni legitimi judicii regulâ magis alienum: Est denique sibi ipsi accersere infamiam, aut illatam ab aliis approbare; quia certissimum est, non depositi Provicarios, nisi propter accusationes contra ipsos, ac dignissimum eorum Archiepiscopum ad Pontificem delatas.... Homini autem Christiano, Sacerdoti præcipuè ei, cui Ecclesiæ alicujus gubernacula commissa sunt, minimè licitum est, aut sibi consciscere infamiam, aut inferentibus consentire... Nova servitus, quam Batavorum Ecclesiæ quidam imponere moliuntur, ampla & aperta janua est non solùm omnibus Romanæ Curiæ machinationibus; sed etiam Factioni dominatum hujus Ecclesiæ ambienti. Incumbit igitur obligatio eis, quibus Batavicæ Ecclesiæ cura commissa est absente Sebasteno, molitionibus istiusmodi se opponere quantâ possunt reverentiâ simul & fortitudine.

Tam pia & reverens est, quæ à Quesnello discipulis instillatur contra Sedem Apostolicam rebellio. Non suis usque adeò novitatibus obcæcatus author est, quin prævideat, sua secuturis consilia imminere gravem Sedis Apostolicæ indignationem, & fulmina Censurarum. Ideo contra hæc etiam Heussenium statuit præmuniendum. " Res quidem „ (inquit) momenti gravissimi est, & terrificis effectibus obnoxia: quidquid agetis „ aut tentabitis, nullius forsitan utilitatis „ erit pro Ecclesia: Succumbetis sub potentia Romanorum; infligetur excommunicatio: contra vos undique declamabitur, „ undique insurgetur, quasi contra inobedientes, rebelles, schismaticos; verùm „ quando securi sumus, defendere nos causam Dei, Ecclesiæ, Pastoris nostri, eique „ fidelissimè cooperantium, ipsiusque justitię „ & innocentiæ, debemus nos committere „ Deo, ut causam ejus sustineamus ingentibus animis, confisi gratiæ ejus auxilio, „ adorantesque Providentiam, quæ forsitan „ probare constituit sibi famulantium fidem, „ atque constantiam, ut majoris patientiæ „ meritum copiosiore valeat gloriâ coronare....

„ Horrendas prævideo tempestates, quas „ vestra poterit resistentia excitare, &, si „ Romana Curia pertinax maneat in priorum „ executione Decretorum, ubinam finem „ faciet persecutio? Verùm non minùs corda „ Pontificum, quàm Regum in manu Dei „ sunt: Causa justa est, in qua sive quis vicerit, sive ceciderit, nihil patitur detrimenti; quin omnia lucratur, etiam vitam „ amittens, si pro Deo, ipsius Dei causam „ sustineat.

Hactenus Quesnellus, nonne religiosa oratio est, ac monitum salutiferum, Missionarios Apostolicos contra ipsam Sedem Apostolicam concitare, spernere excommunicationes, suadere sacrilegia & mortem schismaticam Martyrii gloriâ commendare? Verùm non moveat nos malesana istiusmodi hæreticorum jactantia; Franciscum Simonis potiùs audiamus, Tractatu de *Fraudibus hæreticorum* parte 3. Fraude 19. cujus titulus est: *obstinare animum, & de pertinaciâ hereticâ glo-*

gloriari, ut de constantia Martyribus digna.
„ Tractationem (inquit) de Fraudibus „ hæreticorum tripartitam aggredienti, pri„ ma mihi Fraus obtulit se *mentiri Sanctita„ tem vitæ*, & simplicium Christianorum „ oculos fascinare virtutibus Diabolicis om„ nis generis: ibi quandam castitatem Dia„ boli memorantem Origenem induximus: ibi „ Diabolica humilitas, modestia, gravitas „ pro seminandis erroribus idonea, virtutes „ celebrandæ nobis erant; hic verò profliga„ tâ hæresi, miserèque prostratâ, solis hæ„ reticorum animis altè fixâ, quid de vir„ tutibus Diaboli superfit, præter constan„ tiam, quâ se invisi hominibus superisque „ jactent Martyres quosdam, nullo pondere „ authoritatis aut potentiæ de statu suo di„ movendos?...

„ Fraudes omnes consumpserat cum nefa„ tia (Pelagii & Cœlestii) Factione Julianus, „ ad Fraudem omnem maximè factus. Quid „ ageret? Erumpente foras animi obstinatio„ ne contestatus est, nullâ se vi de proposito „ dimotum iri; sed exceptum, quidquid in „ se desæviret procellæ. Sic ad Zosimum „ Pontificem scribit: *Certum sit apud San„ ctitatem vestram; quia quantumlibet hoc „ mare ventis flantibus intumescat, & ama„ ris in nos fluctibus efferatur, nunquam in„ tegri judicii domum, quæ supra justitiam „ Christi fundata est, poterit commovere.*

Parmenianus Donatistarum Episcopus Ticonium suum, non minùs quàm Quesnellus Heussenium ad constantiam hortatur, cujus hypocrisim ita reprimit S. Augustinus lib. 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 6. *Audent Sacrilega schismata, vel hæreses impiæ, si quando in flagello, ut se corrigant, admonentur, pœnas furoris sui etiam inter Martyria deputare. Quod etiam Parmenianus in fine Epistolæ suæ exhortatur Ticonium, ut in parte Donati permaneat & persecutiones perferat... adhibens etiam testimonium Scripturæ dicentis Ezech. 2. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & diverterunt in vias pravas.* Inanem hæretici jactantiam contemnens Augustinus respondet, *sub vindicta Regum* [& quorumcumque Principum] *potest hominum pertinacia falso nomine virtutis laudari, æternis autem ignibus concremari, nec erit, nec vocabitur fortitudo.*

Supremus pro Hannoniæ Provincia Senatus Regius in Civitate Montensi Decretum ediderat anno 1690. 12. Junii, ut sequitur: " Cùm Rex nobis mandaverit literis 18. „ Martii proximè elapsi, ut inquireremus in „ quædam conventicula & introductionem „ librorum tractantium de Religione & pie„ tate, injungens pariter ut malis quantocius „ occurreremus.

„ Instituta à nobis accurata disquisitio, & „ veritas detecta est: Quapropter die 24. „ Aprilis Diplomate nostro conventicula sti„ timus: Cumque deprehensum fuerit, quòd „ ab annis aliquot glifcere in hanc Provin„ ciam pergant, & plurium manibus ingeri „ opuscula plerumque anonyma aut pseudonyma, sinè nomine Typographi: qua„ lia sunt *Epistolæ de hæresi fictitia*; *Collectio „ editorum operum in causa quatuor Antisti„ tum Aletensis, Apamiensis, Bellovacensis, & „ Andegavensis circa subscriptionem Formu„ læ Alexandri VII.*; *Phantasma Jansenismi*, „ *Ecclesia Galliarum afflicta*, & aliæ similes „ lucubrationes, quibus excitatur populus „ ad sermones nimis liberos adversus Con„ stitutiones Pontificum, & Propositionum „ quinque in Jansenio damnatarum censu„ ram. Quod alio collimare non potest, quàm „ ut debita Sanctæ Sedi reverentia, & sub„ missio ex hominum animis evellatur, fru„ stra renitente Regis Providentiâ, à qua „ sanctio gemina emanavit die 8. Martii an„ no 1642. & 28. Januarii 1658. Quibus de„ finitionum ac Decretorum istorum obser„ vantia præcipiebatur, additâ gravi trans„ gressoribus mulctâ „. Qui autem solvendæ par non esset cogebatur mulctam cum exilio commutare.

Prosequitur Senatus: " Venditi autem „ & distributi in hac urbe sunt libri: *Moralis „ praxis Jesuitarum*, *Epistolæ Provinciales „* sub nomine *Montaltii*: *Tractatus de Pec„ cato Philosophico*: Libri effrænes & convi„ ciis turgidi, ubique prodentes bilem la„ tentium authorum: quibus nihil minùs cu„ ræ est, quàm religio & salus proximorum, „ quantumlibet eam verbis fallacibus ob„ tendant. Opuscula ista prorsus indolem „ præseferunt libellorum infamium, seu famo„ sorum, canticis mixta Satyricis & seditio„ sis, quibus fama læditur Religiosorum Or„ dinum, quos constat esse omni honore & „ cultu dignissimos.

„ Alii quoque libri à Sede Apostolica „ condemnati distrahuntur, quales sunt *No„ vum Testamentum* gallicè, vulgò *Montense*, „ cum suis vindiciis, *Rituale Aletense*, *Theo„ logia familiaris* Joannis Vergerii Abbatis „ Sancyrani, & similes.

„ Ut impediatur introductio Operum tam „ exitialium Religioni, & statui politico, „ præcipimus Bibliopolis omnibus, ut accu„ ratè observent, quæ ipsis lege præscripta „ sunt, & ratio dictat, prohibentes illis & „ quibuscunque aliis cujuscunque gradûs, „ aut

„ aut conditionis, venditionem, emptionem, „ lectionem, lectionis auditionem, aut retentinnem ullius Libri, vel Tractatûs, Poëmatis, vel cantici ex superiùs nominatis, vel aliis similibus sub pœnis Mandato, & Diplomate Regio contentis. Ut autem tales Libri, Tractatusve hic existentes supprimantur, quilibet ens intra dies quindecim à Decreti hujus promulgatinne, Ordinariis, vel Decanis suis ruralibus tradere rencatur.

„ Cùm certiores facti fimus, quòd plures alii libri per manus volitent de administratione & usu Sacramentorum, Catechismi, etiam manuscripti, & alii Tractatus pietatem concernentes, quidam ex illis anonymi, in quibus tradi dicuntur praxes, & Dogmata singularia, unde oriri possit religionis detrimentum, aut perturbatio animorum, interdicimus omnibus ne vendant, distribuant, doceant, legant, vel legi audiant, vel explicent libros istiusmodi peregrinos, nisi priùs Ordinariis, vel Decanis suis ruralibus ostensos, & ab iis permissos; sub centum florenorum mulctâ pro prima transgressione: relapsis autem sub pœna graviore, publicâ & arbitrariâ. Ne verò quod anteà hac in re peccatum est, introductione, & distractione dictorum librorum adversus Bullas Pontificias, & Religiosorum hominum famam, ac ne authores cantilenarum particulares personas lædenrium, impuniri maneant mandavimus, ut majore in eos diligentiâ inquiratur, processuri dein adversùs reos, prout istiusmodi audacia & excessus requirunt.

„ Præsens nostrum Decretum promulgetur, & affigatur locis solitis. Jubemus etiam districtè omnibus Magistratibus & Judicibus hujus Provinciæ, ut ejus observationem omni diligentiâ curent. Datum Montibus Hannoniæ 12. Junii 1690.

Sapientissimo Senatûs Decreto, ut applausere omnes illic Catholici, urebantur Novatores; Quesnellus præ cæteris furorem nnn continens, dente in illud rabido involavit; stylo, inquam, irreverenti, conviciis, & calumniis horrido. Quid enim expectes aliud ab hnmine ad turbandam Ecclesiam, æquè ac Rempublicam quasi natn? Opusculum, itaque edidit famosissimum hoc mendaci titulo: *Inquisitio Jesuitarum Montensium stabilita in gratiam peccati Philosophici die 12. Junii 1690. Diplomate Supremi Hannoniæ Senatus.*

Ex tali Epigraphe facilis conjectura fit qualis compositio Operis sit, nisi quòd *Peccati Philosophici*, & *Jesuitarum* mentio ad rem minimè pertinens, fallendæ rudium simplicitati idonea, ad conflandam Decreto invidiam, aut cooperiendum Scopum Operis, uti & animum authoris schismaticum apponatur.

Pag. 6. Rationes colligere incipit, quibus Decretum laceret, tanquam nullius roboris ac valoris. Ipsa Quesnelli verba ex Gallico referamus: pag. 9. " Hinc (inquir) oritur ratio tertia, quâ Decretum cassum, & irritum ennvincatur, utpote injustum, calumniis respersum, adversans bonis moribus, & contrarium Religioni.„

Ibidem. " Quarta probatio deceptionis, & quâ Decretum redditur irritum, est quòd supponat librorum istiusmodi introductiones esse perniciosas„.

Ibid. " Quinta ratio Decretum subruens est, quòd in eo non solùm libri, Tractatus & cætera illic memorata prohibeantur; sed etiam omnes libri & Tractatus similes. Fuitne quidquam ullo tempore magis oppositum rationi, magis exoticum & temerarium, magis injurium Ecclesiæ, aut Religioni magis perniciosum?

„ Sexta ratio Decretum destruens, in eo sita est, quòd seculares Curiæ nihil anthoritatis habeant, quam quod à Principe de sua illis potestate conceditur. Nihil autem est, quòd sententiam magis reddat indignam tali participatione potestatis, quàm perspicuus ejus abusus contra veritatem, justitiam & Religionem.„

Ibid. " Septima ratio Decretum evertens est, quòd imponat Apostolicæ Sedi„. Imò Quesnellus potiùs totis viribus, seu cavillationibus pugnat adversùs Apostolicam Sedem præcipuè quando. Pag. 12. dejicere conatur Clementis IX. latam justissimè sententiam contra Novi Testamenti Montibus, ut præsefert, editam Gallicè versionem.

Pergamus loquentem audire Quesnellum ipsum Pag. 15. " Octava ratio Decretum in nihilum redigens est, quòd eo jubeantur omnes, qui libros, vel tractatus illos habuerint, eosdem intra dies quindecim tradere Ordinariis, vel suis Decanis ruralibus quæ vexatio manifesta est per novum hoc Inquisitionis Tribunal, & vis illata subditis Regis, contra quam authoritas Regia interpellanda est.„

Pag. 16. " Nona ratio Decretum exsufflat, quòd scilicet non injustum solummodo sit & violentum; sed etiam exoticum, & ejus praxis impossibilis.„

Pag. 17. " Ratio decima, faciens Decretum abire in auras leves, exhibet enorme aliquid, & temerarium magis, quàm quid. „ quid

„ quid prolatum hactenus: neque fcio, an „ quidpiam in eo genere fit magis injurium „ Epifcopis, magis moleftum Paftoribus, & „ cæteris Sacramentorum Adminiftris, aut „ magis æquitati & rationi contrarium. „

Pag.20. " undecima ratio non minùs „ conterens Decretum: Quæro ex iftis Sena„ toribus, in quo Codice invenerint legem, „ quâ manufcriptorum lectio interdicatur: „ & quâ lege, præterquam fuperbiæ & va„ nitatis, vetitum fit authori pio & modefto „ celare fuum nomen?

Pag.29." Denique quod fidem omnem „ quodammodo fuperaret, nifi indubitatis „ compertum haberemus indiciis, unde & „ Decretum effe evanidum certisfimè con„ vincitur, eft defectus libertatis in ipfa Cu„ tiæ deliberatione. „

Pag.30. „ Scriptioni huic (inquit Quef„ nellus) Coronidem impono, addendo „ animadverfiones aliquot in varias iftorum „ Judicum difpofitiones, & motiva, quæ in„ ducere eos ad Decretum potuerint. „

Hic infrunito fuo maledicendi genio indulgens Quefnellus, Judicum famam iis profcindit conviciis, quæ flammis aboleri potiùs, quàm Operi meo inferi mereantur. Ifta Quefnellus typis infamibus divulgavit contra Regium Provinciæ Hannonicæ Senatum Montibus refidentem. Similem fœtum ejufdem Novatoris temeritas in lucem protruferat paulò antea adverfus Civitatis illius Magiftratum.

Occafio fcriptionis fuerat quòd Leodienfe Capitulum ad Magiftratum Montenfem fe converterit pro acquirendâ notitiâ de Oratorii Berulliani Presbyteris in Civitate Montenfi degentibus, cum ftabiliendi fe etiam Leodii peterent facultatem. Reddita à Magiftratu Montenfi informatio eft, qualem is cenfuit veritati, juftitiæ, charitati, & bono publico convenire. Juxta hanc rejecta à Leodienfibus Oratoriftarum poftulatio eft:

Frenduit Quefnellus, cujus forfitan confilio ea Sodalium fuorum apud Leodienfes propagatio tentata fuerat, ut fuas etiam illuc commodiùs extenderet novitates: frenduit, inquam, Quefnellus, acceptâ repulsâ, tribuens eam Montenfium informationi. Furentem calamum in eumdem mox ftringere minimè veritus eft Magiftratum, libello, cui titulus Gallicè *Remontrance Juftificative*, five Exhibitio apologetica. Illic pag.2. dicitur: " Magiftratus illius molitio irregula„ ris. „

Pag.11." Nefcio an boni illi Domini, „ qui affectant videri adeò politici, non me„ reantur egregiam à Miniftris Regiis objur„ gationem. „

Pag.13. " Affectus inordinatus Magi„ ftratum illum obcæcavit. „

Attamen pag.18." Speramus fore, ut „ ex illo aliqui æquiores declarent palàm, „ fe quidem ratione muneris eidem vanita„ tis cœtui interfuiffe, iniquitatis authori„ bus immixtos; fed injuftis ibi decretis re„ folutionibus minimè confentire „. Ibid. „ Nihil calumniatoribus commodius fictio„ ne, cujus gloria Dominis illis debetur „. Pag.19." Modus judicii non folùm maximè „ irregularis; fed etiam injuftiffimus eft, qui „ fuit unquam „.

Imò modus ille fcribendi Quefnellianus, quem à Magiftro fuo Arnaldo didicit, familiaris utrique adeò eft, ut in omni paffim adhiberi foleat occafione; five contra Magiftratuum Laicorum, five contra Academiarum, five contra Antiftitum, etiam in Comitiis Regni Generalibus congregatorum, five denique contra Sedis Apoftolicæ judicia, & Conftitutiones fibi Novator alteruter fcribendum affumpferit: affumpfit autem quoties Decretum aliquod extitit Janfenianæ hærefi, aut aliis fuis novitatibus contrarium.

Quod attinet ad præfentes Quefnelli vindicias, non impunitas reliquit Montenfium Magiftratus; fed publico in eas infurrexit Diplomate, ut hic fequitur. " Vifo à Scabinis „ Civitatis Montenfis Opufculo quodam ty„ pis edito fub hac Epigraphe: *Exhibitio* „ *apologetica Presbyterorum Montenfis Ora*„ *torii* (Quefnellianis directi confilus) *Illu*„ *ftriffimo & nobiliffimo Ecclefiæ Cathedralis* „ *Leodienfis Capitulo 29. Martii 1690.* quod „ opufculum Leodii publicè divenditum, in „ hac noftra Civitate clam diftributum ac „ divulgatum, abfque nomine Authoris, „ plenum mendaciis, calumniis, allegatio„ nibus falfis, contumeliis, publicis & ini„ quiffimis famæ detractionibus, mandavi„ mus ac mandamus fententiâ juridicâ ut la„ ceretur, & comburatur publicè manu Car„ nificis &c. „ fententiæ hujus enuntiatio & executio fuit die 27. Aprilis 1690.

Poftquam Quefnellus Hannoniæ Provinciam turbavit, & contumeliofis fcriptionibus tum Regium illic Senatum, tum Urbis Montenfis Magiftratum læfit atrociffimè, commovit Brabantiam, ipfamque Hifpaniam *Memoriali* Gallicè & Hifpanicè edito contra Mandata Regia ab Electore Bavariæ in Belgio promulgata anno 1695. die 7. Novembris. Mandata illa neminem feriebant; fed novitatum folummodo, & Janfenianæ hærefis progreffui obex neceffarius, & remedium decer-

nitur saluberrimum, ut supra pluribus deductum est. Non solùm autem Quesnellus Memoriali suo anonymo Regem Catholicum arguit injustitiæ; Sed quod majoris audaciæ fuit Quesnelliana apud Lovanienses Factio libello ut vocabat supplice, reverà temerario, & Majestati Caroli Secundi maximè injurio, accusabat eum velut perfidum & perjurum, utpote qui fidem jurejurando datam de conservandis Belgii legibus, consuetudinibus, privilegiis, in Decretis præsentibus sacrilegè violasset.

Anno 1704. Quesnellus postquam effracto in Ædibus Mechliniensis Archiepiscopi Bruxellis carcere elapsus, infame dedit Opusculum veluti *Motivum juris*, quod, quale fuerit, ex sententia contra illud latâ à Senatu Brabantiæ, utcunque intelligitur: damnatum enim ibi fuit, tanquam *scandalosum*, *authoritati ac Personæ Regis*, *nec non Excellentissimo Belgii Gubernatori*, *Senatibus*, *Archiepiscopo Mechliniensi*, *atque ejus Ministris injurium*. Ideo Bruxellis apud Brabantiæ Cancellariam flammis traditum est die 11. Augusti anno 1704.; & postridiè publico ejusdem Senatûs Diplomate prohibitum sub pœna 500. Florenorum pro quolibet exemplari, quod penes quemcunque deprehenderetur.

Verùm Quesnellus assuetus pridem condemnationibus, à quocunque inflictis tribunali, sive seculari, sive Ecclesiastico, etiam supremo, facilè se consolatur suo contra omnium tribunalium sententias scribendi modo petulantissimo, easque vellicandi Satyris & contumeliis, quo in genere, quidquid hodie hæreticorum est, videtur non modicè superare. Contra hanc Senatûs Brabantini sententiam Quesnellus scribens in *Ideæ generalis* Præfatione pag. 6. ait. " Scimus quis „ sollicitaverit & extorserit potiùs, quàm ob„ tinuerit Mandatum à Curia Bruxellensi ut „ *Motivum juris* combureretur; quod reve„ rà non est effectus magnæ moderationis & „ patientiæ. „

Quæcunque fanda & nefanda Quesnello dictaverat rabies contra Regem, ejusque authoritatem, contra Gubernatorem Belgii, contra Senatus Regios, contra Archiepiscopum ejusque Administros, voluerat Quesnellus tolerari segniter, etiam à suprema utriusque fori in Belgio Potestate; sed non ignorabat Illustrissimus Belgii Primas perpetuam, & Sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum exemplis probatissimam consuetudinem, subinde etiam necessitatem, contra Novatores authoritati Ecclesiasticæ rebelles, brachii secularis implorare subsidium.

Respondere pariter Quesnello poterat, ut S. Hieronymus Rufino lib. 3. contra eundem, qui postquam Hieronymum scriptis non modicè pupugerat, ægrè ferebat S. Doctoris se responsionibus non molliter contundi, prædicans ei Evangelium patientiæ & charitatis, cui ita Hieronymus *Quem emendare cupiebas magister indocte? Eosne qui non peccaverant; an me ad quem non scripseras? Brutos putas esse lectores, & omnes non intelligere prudentiam tuam; imò malitiam, quâ & serpens prudentior fuit cunctis bestiis in Paradiso, ut à me secretam admonitionem flagites, quem publicâ accusatione persequeris? Et non te pudet, accusationem tuam Apologiam vocare, quererisque, cur opponam clypeum pugioni tuo, & tibi quasi Religiosulus & Sanctulus personam humilitatis imponis, & dicis: Si erraveram, quare scribis aliis, & non meipsum redarguis?*

Hoc ipsum in te torquebo: quidquid enim me fecisse causaris, quare non ipse fecisti? vel ut si quis pugnis aliquem calcibusque collidens, si resistere voluerit, dicat ei: Nonne tibi præceptum est: qui te percusserit in maxillam præbe ei & alteram? Quid enim bone vir, tibi præceptum est, ut me verberes, oculum mihi effodias, & si paululum me commovero, Evangelii mihi præcepta cantabis?

Moderationem & patientiam in Archiepiscopo Quesnellus desiderat magis eximiam, ut sine querela perferat omnes à se propudiosissimè jactatas libellis infamibus contumelias, dum ipse Quesnellus nullam adversus se patitur quâcumque latam authoritate sententiam, quin efferatis eam conviciis insectetur.

De suo Opere pronuntiat, non fuisse nisi *justam & necessariam innocentiæ defensionem*: quantumlibet autem Bruxellis diffitus, postquam è carcere in Hollandiam profugerat, credere nos jubet, se conscium arcanorum, quæ in Senatu Brabantiæ acta sunt; videlicet. " Recusasse illum exequi mandatum „ Supremi Senatûs, priusquam accusatum „ opusculum examinasset; quia non deerat „ ratio suspicandi Mandatum illud fuisse frau„ dibus emunctum.

„ Iteratum nihilominus authoritatis su„ premæ imperium coegit Brabantiæ Sena„ tum progredi ad executionem. Verùm „ executiones istiusmodi sunt signa valdè „ æquivoca, comburuntur libri mali, combu„ runtur & boni: Prophetia Jeremiæ igni „ tradita fuit à Rege Joakim. „

Digna Quesnello est Senatûs Catholici cum Rege impio, suæque infamis scriptiunculæ cum Divinis oraculis comparatio. Quæ non absurda & infamia Quesnellus scripsit

contra Cardinales, Archiepiscopos, & alios variarum Nationum Antistites quoscunque Jansenianæ potissimum hæresi noverat infestos! specimina complura exhibet *Causæ Quesnellianæ* Articulus 14.

Novam Sectam in ipsis quodammodo incunabulis præfocare studuit Illustrissimus à Marca Archiepiscopus Tolosanus, qui à foro Seculi ad Ecclesiasticum Divinâ Providentiâ translatus, in Generalibus Gallicanorum Antistitum Comitiis contra primùm natam Jansenii hæresim non infimus actor fuit: Cumque esset eruditione, & politiore literaturâ præcipuè instructus, commissa ei dicitur literarum ad Sedem Apostolicam compositio, in quibus cùm elucere fecerit Gallicanæ Ecclesiæ erga Romanum Pontificem observantiam, ac submissionem, insigni zelo fidei adversus hæretica Jansenii Dogmata conjunctam, non potuit Præsul, ut summam apud Catholicos laudem promeritus, non excitare bilem novis hæreticis, & ejus post obitum fama, charitatis Jansenianæ Scriptionibus lacerari.

Ita de illo Quesnellus in lucubratione, cui initium est: *Nescio Domine*, & refertur Articulo jam indicato. Illic dicitur Archiepiscopus *post Comitia anni* 1657. *donatus Abbatiâ decem millium florenorum, tanquam præmio fidelitatis in exequendis consiliis & molitionibus Cardinalis* (*Mazarini*) *cum detrimento Ecclesiæ, veritatis, Justitiæ & innocentiæ .... Pro Bullis* (*à Pontifice obtinendis*) *non dubitavit vendere veritatem, libertates Ecclesiæ Gallicanæ, suum honorem, famam & conscientiam*, inquit Quesnellus. Iterum in Epistola typis edita nomine *Episcopi ad Episcopum* pag. 133. " Archiepiscopus à Marca „ impugnando Jansenium, accendit dissidiorum flammam in Ecclesiâ Gallicanâ; „ implens illic omnia confusione; reum se „ coram Deo constituit innumerabilium malorum, quæ totis quinquaginta annis in „ Ecclesia committuntur, & quorum nova „ etiam hoc tempore semina jaciuntur (*Casum* videlicet Jansenianæ *conscientiæ* condemnando.

„ Terribile in eo conspicitur judicium Dei „ adversus Antistitem Aulicum, & ambitiosum aspirantem ad Parisiensium Archiepiscopatum, quem vix priùs obtinuit, quàm „ sibi viderit eripi à Supremo Judice ad tribunal indeclinabile evocatus, antequam „ frui liceret ambitionis objecto, & gloriâ „ extinguendi, ut sibi promiserat, incendii, „ cujus ipsum esse constiterat incentorem. „

Magis asseruit Quesnellus, & Jansenistæ cæteri scripsere magis infamia contra Successorem ejus Illustrissimum de Harlay; cui licèt infensissimi fuerint Calvinistæ, utpote passi ab eo plurimum, compatiebantur tamen cum suo Petro Jurieux, propter nimias, & omni contrarias humanitati calumnias, ad quarum nequitiam, & impudentiam, se nunquam contra illum Antistitem provectos testati sunt.

Pepercitne saltem Quesnelliana & Sociorum hypocrisis, Archiepiscopo hodierno Eminentissimo de Noailles? Dum subdolè ei adulati sunt, simul intulere calumnias, & contumelias gravissimas, quas nemo Catholicus absque indignatione audiat, neque ego quâ ratione Eminentissimus tam patiens tulerit, satis assequor. Quæ contra Archiepiscopos Remensem, Mechliniensem & alios in particulari Antistes Quesnelli, Gerberonii, & similium bilis rabida vomuerit, describere si animus foret, Tomus præsens non sufficeret. In furorem eos præcipuè agere visa est Gallicanorum Præsulum Censura, quam anno 1700 die 4. Decembris in Comitiis generalibus rati sunt necessariam reprimendæ hæresi Jansenianæ, quæ mendacis larvâ Phantasmatis se obtegens, illudebat plurium credulitati, ut quasi innoxiam amplecterentur, quam pridem Ecclesia damnaverat impietatem.

Quo enim consilio simplicibus, & imperitis persuadere novi Apostoli conantur Jansenianam hæresim nusquam existere, neque extitisse, nisi in errante aliquorum Phantasia; sed quæ hujus hæreseos contumelioso nomine in invidiam vocantur Dogmata, non esse alia, quàm purissima Augustini à Conciliis pridem Oecumenicis, ipsisque Pontificibus consecrata? Quo, inquam, ista consilio, quo fine persuadentur, nisi ut novæ hæreseos venenum hauriatur securius tot passim fallacibus opusculis propinatum? Ideo Cleri Gallicani in memoratis Comitiis providentia sapientissimè censuit detrahendum illud à nequissimis excogitatum ingeniis novæ hæresi velamen, quatuor Propositionibus comprehensum. Has cum æquissima Antistitum censurâ relatam aliàs, non necesse est hîc repetere.

Quod huc potissimum pertinet est, exhibere schismaticum novæ Ecclesiæ spiritum, Quesnelli imprimis, qui adeò adamatæ suæ hæresi vulnus infligi lethiferum, non erat pati solitus sine questibus, & quantum penes ipsum esset, medicamine. *Epistolam* expedivit *ad quemdam è secundo* Ordine in Cleri Comitiis Deputatum. " Omnes (inquit) de„ plorant authorem libri, cui titulus: *Augu„ stiana Ecclesiæ Romanæ Doctrina*, asseren„ tes eum meritò potuisse plus humanitatis à „ Clero Galliæ expectare. „

Ibid.

Ibid. Pag. 3." Verùm, quod magis af-
„ fligere authorem debet, & occasionem
„ suggerere querelarum est, quod servata
„ non fuerit Justitiæ libra; cùm satis conscius
„ sit *Historiam quinque Propositionum* fuisse
„ pluribus & præcipuis Comitiorum Præsu-
„ libus oblatam.„

Ratio maximè dispar est, quod *Historiam* hanc constet pro fidei Catholicæ defensione à Doctore Catholico, neque ullâ sinistri dogmatis suspicione afflato fuisse compositam, aliud autem opusculum à Comitiis proscriptum, & suspecti maximè authoris esse; & ipsum talibus dignissimum Censuris, qualibus à Clero Christianissimo notatur.

Sic itaque Cleri sui Quesnellus sententiam invadit pag. sextâ." Generosis istis Epi-
„ scoporum defensoribus vertitur crimini,
„ quòd Principes temporales, & Ecclesiæ
„ Pastores admoneant, Jansenismum istum
„ esse Phantasmatibus annumerandum, ne-
„ que repertum alibi, quàm in eorum cere-
„ bro, quibus eum effingere placuit, suis ut-
„ pote stabiliendis erroribus opportunum,
„ veritati autem ejusque defensoribus op-
„ primendis accommodatissimum. Ex hoc
„ cognoscitur specimine quid Jansenismi no-
„ mine intelligendum sit, qui ubique loco-
„ rum quæritur, invenitur nusquam, nisi in
„ maleferiatorum phantasia.„

Pag. 18." Circa aliud accusationis ca-
„ put dicuntur Præsules vestri nil conclusu-
„ ri. Res est obnoxia lapsui, cujus periculo
„ non decet Antistites honorem Cleri expo-
„ nere, statuendo quidpiam, quod à nobis
„ exigeret confutari. Quod Sancitum aliàs
„ fuit, de *Facto Janseniano non seperabili à*
„ *jure*, quandoquidem opprobrio erit Co-
„ mitiis anterioribus sempiterno, absterrere
„ inposterum Antistites debet, ne simili
„ apud posteros se exponant infamiæ.„

Quàm solicitus hypoctita est pro Gallicanorum fama Antistitum, ne, ut in superioribus Comitiis, juxta ipsum infeliciter, ac simul turpiter lapsi sunt in sensu Jansenii, sive libri ejus intelligendo systemate, concipientes hæresim, ubi nihil reperias, nisi Augustini approbatam toties de gratia doctrinam, novus error committatur priore ignominiosior.

Nota ea Jansenistarum fallacia est, in antiquioribus hæreticis detecta pridem à Patribus, atque protrita.

Inter eos, quos Ariana perfidia acutos in distinctione juris & facti reddiderat, nominantur potissimùm Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus Episcopi, qui postquam exilio damnati fuerant, ad ipsam Nicænam Synodum Epistolam dedere dolosâ pœnitentiâ exectandam, ut legitur apud Socratem lib. 2. cap. 10. *Consentimus* (ajebant) *illi fidei Decisioni, atque vi & notione verbi Consubstantialis diligenter ponderatâ, paci nos totos addiximus: atque nullum errorem secuti sumus* [subscribentes Formulæ quantum ad *quæstionem juris* attinet.]

Audiatur nunc Cavillatio subdola de *quæstione Facti: Anathemati autem Ario à Concilio denuntiato non ob eam causam non subscripsimus, quod fidem illam incusaremus; sed quod minimè crederemus eum, qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse: præsertim cùm ex illis, quæ privatim ad nos ab eo tum per Epistolas relata erant, tum per ejus sermonem coram habitum declarata, pro certo eramus persuasi, ipsum longè alium fuisse* [Ideo non potuimus quæstioni Facti subscribere.]

Dignissima hìc, quæ audiatur, est animadversio Francisci Simonis lib. *de Fraudibus Hæreticorum* parte 3. Fraude 2." Hìc siste le-
„ ctor, & fraudem attende hæreticam. Eu-
„ sebius atque Theognis par illud est Episco-
„ porum, quod unà cum Mari Chalcedonio
„ præcipuè exarsit in defensionem Arii, Fi-
„ lium Dei increatum negantis; ut videre
„ est apud S. Ambrosium lib. 3. de fide ad
„ Gratianum cap. ultimo. Sic ibi insurgebat
„ Eusebius: *si verum Dei Filium increatum*
„ *dicimus, Homousion, seu Consubstantialem*
„ *cum Patre incipimus confiteri*. nihil puta-
„ bat dici posse absurdius.

„ Hoc genus alia pro Ario jactabantur
„ ibi tam impotenter, ut laborandum fuerit
„ Imperatori Constantino hæc spectanti, ne
„ conflictatio existeret indigna Concilii ipsius
„ majestate. Nihil ibi ambigebatur, num
„ Arius increatum Dei Filium, adeoque
„ Homousion Patri inficiatus esset: jure infi-
„ ciatum esse contendebant Eusebius atque
„ Theognis.

„ Ecce autem ubi anathema dicendum
„ Ario, atque Arii Dogmati inficiantis Dei
„ Filium increatum, & Patri Homousion,
„ *Anathemati Ario denuntiato à Concilio non*
„ *ob eam causam non subscripsimus, quod Fi-*
„ *dem illam incusaremus*: sed *quòd minimè*
„ *crederemus eum, qui est accusatus, homi-*
„ *nem ejus generis fuisse*. Quid enim? *Facti*
„ *quæstio est* hæc quidem, illa *juris*. Arius
„ ne inficiaretur increatum esse Dei Filium,
„ adeoque Homousion Patri? Non sinunt
„ credere ejus Epistolæ & Sermones. En
„ strophâ detestabili conversam orbitam. En
„ fraudem distinctionis perfidæ, quæstionem
„ juris inter & Facti transituram ad posteros

„ hæ-

„ hæreticos omnium ætatum.

„ Perfidam ajo distinctionem, quâ quod juris appellant, vel mentiuntur se admittere, vel admittunt sensu quodam arcano, qui capitali errori, ut extat in scriniis damnati authoris, non officiat. Unde arguuntur, ne quidem id quod juris est, reipsa admittere. Quod animadvertens Hormisda Papa Epist. 24. Joannem Constantinopolitanum, quamvis amplè prædicantem Calchedonensis Concilii fidem, constanter renuit Ecclesiasticâ donare communione, nisi in Sacris Diptycis nomen aboleret impii Acacii. *Recipere* [inquiebat] *Calchedonense Concilium, & nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare.*

„ Non sunt illa discrepantia aut pugnantia, si fictionem attendas, perversumque sensum, ad quem fidei Decreta sic torquere gaudent hæretici interpretes, ut Doctrina authoris, cui se dediderunt, stare illæsa videatur. Mirum, quàm sint felices omnes hæretici in pervestigando sensu librorum, quos scripserunt Magistri, quibus se devoverunt. Hic illorum judicio cæci sunt ut talpæ & Pontifices Romani, & Episcopi Ecclesiæ universæ, & quidquid est uspiam hominum perspicacium. De hoc S. Hieronymus ad Domnionem scribens, Monachum risit Joviniani Discipulum. *Idcirco* (inquit) *se eruditum putat, quia Jovinianum solus intelligit: Est quippe Proverbium: balbum melius balbi verba cognoscere.*

„ Sunt verò inprimis infelices Pontifices Romani in assequendo sensu scriptorum hæreticorum, si hæreticis credimus. Cœlestius quidem Pelagii discipulus tam habebat certum, scripta sua superare captum omnem Zosimi Papæ, quam certus erat admittere, imò eludere quidquid definivisset Zosimus: modò ne cogeretur ea nominatim, quæ ipse scripserat, retexere. His sibi salvis, nihil dubitavit cætera dare omnia Zosimo, atque ut Augustinus refert lib. de peccato orig. cap. 7. *Etiam literis Beati Papæ Innocentii non est ausus obsistere: imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret damnaturum esse promisit.*

„ Quid verò ad hæc Africani Episcopi, quibus notiores erant fraudes Hæretici? Zosimo Papæ significarunt, ut Augustinus ait lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *Non sufficere, quòd se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur; sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat.* Hoc verò Cœlestius ubi sensit à se postulandum, Romano judicio se subduxit...

„ Pelagianorum fraudibus diu exercitus Zosimus, tandem aliquando Africanorum præcipuè Episcoporum diligentiâ edoctus de eorum perfidiâ, pertinaciâ, molíminibus clandestinis, artibusque mille spargendi & dilatandi nefarios errores, nihil antiquius habuit in tanto Ecclesiæ discrimine, quàm ut fidei formam conderet accuratissimam, cui Episcopos præcipuè orbis Christiani subscribere oporteret.

„ Rem ipsam his verbis exponit Marius Mercator in Commonit. cap. 3. *Hæc omnia subscripta Capitula, ut jam superiùs dictum est, continet illa Beatę memorię Episcopi Zosimi Epistola, quę Tractoria dicitur, quâ Cœlestius, Pelagiusque damnati sunt, quę & Constantinopolim, & per totum orbem missa, subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata; cui Julianus & reliqui complices ejus subscribere detrectantes, consentaneosque se nolentes eisdem Patribus facere, non solùm imperialibus legibus; sed & Sacerdotalibus statutis depositi atque exauthorati, ex omni Italia deturbati sunt.*

„ Idem libro subnotationum cap. 6. exprobrat Juliano. *Audi nunc & tu... quid olim ipse pronuntiaveris, in Epistolâ videlicet tuâ, quam ad sedem Apostolicam illo tempore ausus es mittere, quando conventus detrectasti, cum universâ Ecclesia per totum orbem Pelagiũ Cœlestiumque damnare.*

„ Vides Lector Zosimi Pontificis in tanto negotio circumspectionem: non satis habuit fidei doctrinam præscribere approbandam, erroresque damnandos. Formam præscripsit, *Capitula continentem, qua Cœlestius Pelagiusque damnati sunt*: Hæc ipsa *per totum orbem missa, subscriptionibus Sanctorum Patrum est roborata, cui Julianus, & reliqui complices ejus subscribere detrectantes depositi, atque exauthorati, ex omni Italia deturbati sunt.*

„ Dixerat Pontifex, quàm nihil pensi haberent vafri homines, errores damnare, ut nihil ad se pertinentes, idque eâ fraude, quâ Pelagius non solùm in Diospolitana Synodo ab Episcopis quatuordecim; sed etiam in Hierosolymitano Conventu à Joanne Patriarcha est absolutus, cùm negaret sua esse, de quibus accusabatur, sensum arcanum, quo id negasset, animo reservans, discipulis pandendum, cùm esset commodum.

„ Ad excludendam hanc fraudem necessarium Zosimi Cosilium securus Leo Papa Septimum adversus Pelagianos sic instruxit Epist. 95. *Qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsius errorie autho-*

autho-

„ *authores damnari à se sine ambiguitate fa-* „ *teantur, ut sensibus pravis, & dudum pe-* „ *remptis nulla sperandi superfit occasio, ne* „ *ullum membrum Ecclesiæ talium possit socie-* „ *tate violari.* Sed ô rem difficilem, atque ar- „ duam hæreticis, damnare errores vel suis, „ vel suorum Patriarcharum nominibus affi- „ xos! Senserũt Pelagiani Episcopi octodecim, „ qui Tractoriæ Zosimi Epistolæ subscribere „ detrectarunt inter omnes pertinacissimè,

„ Omnium nomine Julianus Eclanensis „ libellum fidei scripsit, misitique ad Zosi- „ mum Papam, quo primùm quidem quid „ sentirent, vafrè explicuit, tum quid decer- „ reret, ne subscriberent Pelagii atque Cœ- „ lestii damnationi, exposuit. Hic verò „ quid prætexerent illi, Diabolicis virtuti- „ bus jam exercitati, nisi charitatem, castum- „ que Dei timorem? Huc redibat ratio: ho- „ mines apprimè Catholicos, absentes, inau- „ ditos, quorum hæresim non cernas, aut „ invenias uspiam, damnare hæresios non „ sinit Dei timor, non charitas. Liceat ergo „ neque damnare, neque probare; sed ne- „ scire atque silere. Hæc ipsi quàm piè, „ quàm religiosè! ..

„ O teneros hæreticorum animos! Pe- „ lagianam & Cœlestianam hæresim damna- „ rant duo Pontifices Innocentius atque „ Zosimus, & quidem Zosimus recognitâ „ causâ tam anxiè, ut non vitarit invidiam „ mollioris animi erga Factionem Ecclesiæ „ rebellem. Pelagii atque Cœlestii condem- „ natio *per totum orbem missa subsciptionibus* „ *Sanctorum Patrum erat roborata* ... Ecce „ autem Episcopos octodecim timor Dei & „ charitas impedivit, ne sententiæ Ecclesiæ „ totius suum nomen subscriberent; imò „ amore pravorum Dogmatum, atque im- „ piorum magistrorum, simulque hæreticâ „ superbiâ excæcati sunt usque adeò, ut quod „ videbant omnes homines, ipsi soli non vi- „ derent, damnatam ab Ecclesia hæresim do- „ cuisse Pelagium atque Cœlestium: tum ve- „ rò usurpare sibi auderent hanc legem: „ *Quod viderunt oculi tui loquere.* „ Hacte- nus Simonis.

An non videris tibi, lector, in illa Pelagianorum Historiâ technas ubique detegere & obtentus inanissimos Jansenistarum? Soli ipsi non vident, & ut conscientiæ oppidò teneræ sunt, quidquid suis ipsi oculis, novitatis pulvere offuscatis, non perspexerint, aut se non perspicere simulant, minimè audent profiteri, etsi iteratis sæpius Constitutionibus totius orbis Catholici obedientiâ susceptis Sedes Apostolica definivit.

Gallicani Antistites anno 1700. in Comitiis, ut vidimus, Generalibus Jansenianam Pelagianæ similem pervicaciam meritis reprehensionibus castigavere; sed ut hæresis impatiens fræni est, magis etiam correptionis & Censuræ, præter illa, quæ ex Quesnello retuli velut consilia, ad avertendos à conceptis contra Jansenismum enuntiationibus Episcopos, temeritas audiatur Gerberonii, expers reverentiæ & pudoris in *Exhibitione*, ut vocat, *charitatis facta Domino Cicè*, pag. 44. ubi aggreditur Cleri Gallicani latam in Comitiis sententiam contra novam hæresim, pluribus quotidie Jansenistarum Opusculis & fraudibus renascentem. " Debent [inquit Ger- „ beronius] Præsules nostri ostendere, in „ quo consistat hæresis, quæ Janseniana dici- „ tur, quis eam unquam Doctor tradiderit, „ quis Christianos inter discipulus sequatur. „ Alioquin zelus iste Antistitum seductorum „ meritò phrenæsis reputabitur aut deli- „ rium. „

Ibid. " Clerus noster declarat authen- „ ticè, phantasma rem esse existentem, quod „ potius quàm credamus, dicere nos cogi- „ mur, Clerum Galliæ dormitando somniasse. „

Ibid. " Definire simpliciter & sepositâ di- „ stinctione, Jansenismum Sectam esse hære- „ ticam, nonne est Doctrinam Augustini, „ quem nominare Præsules non audent, hæ- „ resios condemnare? Non audent inquam, „ nominare apertè, veriti ne in eos Ecclesia „ insurgat universa, clamitans: Eccum infe- „ lici fato Antistites Galliæ, dum ex phan- „ tasmate errorem fingunt, & hæresim exi- „ stentem, dogmata Augustini in Jansenio „ hæretica pronuntiant, definiuntque De- „ creto, vim legis, ut quidem volunt, inpo- „ sterum habituro. „

Pag. 45. " Eheu! quis induxisset in ani- „ mum, ut crederet, Illustres Episcopos „ damnaturos hoc tempore Augustinum, ut „ Pelagium defenderent? „ Contra eadem Comitia habetur infamis Ode Gerberonii, stylo ligato strophis septemdecim constans: quarum tres referuntur in juridico contra Gerberonium processu, quæ ut similem prorsus sensum conficiunt, ei quem ex opusculo retuli superiore, non est operæ pretium hìc describere. Eadem Cleri Comitia prolixiùs impetuntur, & non minùs nequiter animadversionibus ad Quesnellum à Walonio transmissis.

Denique, ut propositionis absurdissimæ reddatur omnibus perspicua magis iniquitas, proinde, & condemnationis justitia, impactam Ecclesiæ universæ, & summis ejus Moderatoribus calumniam, convertamus ad singula-

gularem quamlibet Diæcesim ipsamque Parisiensium Academiam, dicendo: *Nihil pejorem* de Diæcesi N.N., vel de Sorbona *ingerit opinionem ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

Quis Episcopus, quæ Academia inflictam sibi istiusmodi contumeliam non ut atrocem injuriam aversetur, Authoremque, si suæ teneat subditum potestati, non censeat tantæ temeritati debito supplicio castigandum? Quis igitur æquus arbiter statuet, debuisse à Sede Apostolica, & obsequentibus ei Episcopis dissimulari opprobrium adeò infame, & avertendis ab Ecclesia hæreticis, ipsisque subvertendis inter Orthodoxos simplicibus, & infirmis, arte Satanicâ excogitatum?

Crescit etiam Propositionis nequitia accedente circumstantiâ Scriptoris, detestabilem jungentis hypocrisim, & impudentiam temeritati. Cum fide enim, & justitiâ honestatem simul exuisse oportuit, & verecundiam eum, qui sibi conscius, à se, suisque unicè excitatum esse, quidquid ferè gravium dissidiorum fluctuantem Petri naviculam ultimis temporibus exagitavit, nec hodiedum concutere desinit, perfrictâ nihilo minùs fronte palam conqueri audet de luctuosis adeò Ecclesiæ motibus. Quidni ratione simili Arius sacrilegè scissâ à se Christi tunicâ inconsutili de scissione ipsâ conqueri potuisset, ejusque crimen tam nefarium in ipsos conjicere Divini Depositi fidissimos, sanctissimosque Custodes Romanos Pontifices, & obedientes eis Antistites orthodoxos?

Interest hæreticorum, persuaderi omnibus, qualemcumque suos inter & Catholicos dissensionem, momenti esse perexigui: ab adversariis immeritò turbari pacem Ecclesiæ, propter res, nullum afferentes fidei nocumentum, nullum moribus. Qui seduxere Gothos impia instillando Arii dogmata, quolibet parati erant asserere Sacramento, de solis esse vocabulis contentiones, ad Religionem, pietatemque minimè pertinentes.

Eusebius Arianismi fautor subdolus, Constantinum Imperatorem reddere securum voluit, quòd omnis inter Antistites divisio, omnis discordia esset ob quæstiones ponderis levissimi, de tricis quibusdam metaphysicis, quæ ad fidei morumque regulas non attincrent; malum præcipuum esse Schisma Ecclesiarum, originem ducens à Præsulis Alexandri adversus Arium presbyterum odio & invidiâ.

Juxta Ariminensis Concilii Antistites Arianos, sola à Catholicis teutata novarum invectio appellationum, præcipuè *Consubstantialis*, omnem præbuit jurgiis, & schismati occasionem.

Ejusdem obtrusione nominis importunâ dicebatur sanctus Hilarius in suo exilio, orientis subvertere tranquillitatem; hoc suppresso vocabulo omnia fidei salva fore, Occidentis inter & Orientis Ecclesias pacem facilè coalituram. Verùm non latuit Catholicos ex Arianorum fallacia, quæ abolito *Consubstantialis* nomine, detractum ibat Dei Filio Divinitatem.

Nestorius quoque scribens Sancto Cælestino Pontifici solam de vocibus ajebat superesse, eamque discussionis facillimæ quæstionem.

Quàm seriò monebatur S. Gregorius, ne scandala oriri, & fortè schismata paterentur propter appellationem *Episcopi Universalis*, quam Patriarcha sibi tribuere cœperat Constantinopolitanus! at Sapientissimus Pontifex satis prospexit, quò ista vergeret superbi nominis affectatio, ut Universæ scilicet Caput Ecclesiæ agnosceretur, atque unicus propriè Christiani orbis Episcopus, cæteri tantùm essent ejus quodammodo Vicarii. Quapropter schismaticam hanc Patriarchæ arrogantiam, fidei pariter inimicam esse, & instituto divinitus Hierarchico ordini adversantem, statuit sibi minimè permittendam esse, neque segni dissimulandam silentio; sed omni opportuniore modo fortissimè reprimendam.

Romanæ Ecclesiæ de peccato Originis doctrinam, Inter quæstiones adiaphoras rejicere Cælestius, & Pelagius conati sunt quasi fide, religione, pietate salvâ, & integrâ sentire de eo cuicumque licitum foret quod vellet. Non acquievit Christi Vicarius, neque consensere cæteri Antistites Orthodoxi, qui cum Augustino libro primo Operis imperf. contra Julianum Capite 12. totis viribus contenderunt, causam istam ad Fidei, Religionis, pietatis non solùm dogmata pertinere; sed etiam ad fundamentum, quod Pelagiana impietas subverteret, ipsum detrahens cunctis mortalibus Redemptorem.

Denique nec propter iniquam Pelagianorum querimoniam, quasi locum *in Ecclesia Dei adepta sit stultitia, & turpitudo dominationis*, putavere Ecclesiæ Præpositi, dimittendam à se censurarum ferulam, quâ hæreticorum in opinando, & innovando licentia coerceretur.

Cernis itaque Lector, Jansenianas in præsenti articulo contra Ecclesiam criminationes, & fallacias non tam esse Quesnelli ingenio recenter inventas, quàm à veteribus acceptas hæreticis; à Catholicis verò elisas, fa-

facem præferente Apostolicâ Sede, quæ divino Spiritu gubernata hæreticorum præstigiis obcæcari nequit, aut perfidiâ circumveniri.

Damnata Propositio Nonagesimaquinta.

Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis; & modus eas prædicandi, est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos. *Cor.* 14. *v.* 21.

CAPUT I.

Quesnelli observatio compendio refutata.

1 Quàm Adversarii suum pro Ecclesia, & reducendis ad eam Hæreticis studium prædicare solent magnificè, tàm in avertendis ab ea universis fidelibus æquè, ac infidelibus, omni labore, industriâ, fraudibus etiam, & calumniis occupantur. Quid enim ad abstrahendos ab Ecclesia Catholicos, præsertim simplices, quid ad removendos amplius schismaticos fingi potuit accommodatius, quam persuaderi omnibus, eò miseram prolapsam esse errorum, & ignorantiæ, ut veritates in quibus à Christo fundata fuerat, & quarum ipsa vicissim perpetua custos, columna, & firmamentum, teste Apostolo, esse debuit, ab eâdem quodammodo exulare, vel in angustissimum se recipere angulum coactæ fuerint: Sicubi autem foras erumpere tentaverint, *plerisque Christianis lingua quasi peregrina* appareant, *& idioma incognitum*: unde necesse sit Ecclesiam, quasi vetulam vacillantem, & exitio proximam credi, *iram* quoque *Dei in suos filios* incumbere.

Quis igitur ejusmodi cætum existimet dilectam Christi Sponsam, tot à Spiritu Sancto exornatam encomiis, cum quâ remanere voluerit, & contra quam portæ Inferi nunquam essent prævaliturae?

Sancyranum aliàs exhibui, jactantem Ecclesiæ interitum, ob generalem *non in solis moribus, sed in dogmatibus quoque* ad Fidem pertinentibus, *corruptionem*. *Tempus*, ajebat, *ædificandi à seculis aliquot desiit, succedente destructionis* inevitabili necessitate. *Et quidem ipse Dei Filius*, qui ædificaverat Sanctam, postea *fœdè nimium criminibus & erroribus depravatam conspiciens* aversari adeò cæpit, ut deserendam sibi statuerit *ac subruendam funditus*.

Quando igitur Arnaldus, & cæteri à Sancyrano novitatibus imbuti, ad Ecclesiam invitant, non nisi de novâ suâ intelligendi sunt, quàm veteris collapsæ ruderibus superstruxerint. Ut autem Apostolicæ Romanæ odium nobis & horrorem certiùs inspirent, teterrimis eam; sed mendacissimis depingunt coloribus, veluti plenam rugis, & maculis, Christianæ ignaram fidei, meridie cæcutientem, Charitatis & Justitiæ expertem laceram undique, ac discissam, *divisiones foventibus*, à quibus ratio muneris præcipuè postulat impedite.

Nos quidem perpetuâ Traditione didicimus indicia, seu notas, quibus vera Christi Ecclesia potissimùm agnoscenda sit, & ab hæreticorum discernenda Cætibus; quòd sit *una, Sancta, Catholica, & Apostolica*. Quænam autem è quatuor hisce notis penes Ecclesiam remanserit, si Quesnellianæ habenda fides est hypothesi? unitas enim tollitur *divisionibus*: definit Ecclesia esse Sancta, Catholica, & Apostolica, si *veritas* in ea defecerit adeò, ut sit *incognita*, & *lingua quasi peregrina*. Nulla enim sine veritate Fides est, sine hac nulla spes, charitas, Justitia, aut virtus utilis ad salutem.

Num talibus Christianam Ecclesiam elogiis commendavere Apostoli Gentibus, ut Religionem eis Catholicam persuaderent?

Præcipua Novatoris excusatio videbitur quòd non absoluta adeò & universalis enunciatio sua sit; sed restricta vocibus *quasi*, & *plerisque*. Verùm & ipse obtentus frivolus est, neque enim à me, neque ab aliis Quesnelliana Propositio aliter accipitur, quàm subintellectâ, quæ adducitur, exceptione; quæ Quesnellum scilicet cum suis Sectatoribus & fœderatis, minimè comprehendat numero ignorantium veritatem; sed neque nos Quesnel-

nelliſtas cum ſuo Capite, utpote obſtinatos Janſenianæ hæreſis defenſores, legitimis Ecclesiæ filiis annumeramus; neque priorum temporum hæretici, antequam apoſtaſiam publicè profiterentur, dato Ecclesiæ libello repudii, planxerunt aliter ejus à Fide Catholica receſſum, quàm ſuppoſitâ ſemper ſui, ſuorumque à communi illo vitio, exceptione.

Sancyranus quoque Janſenii, Arnaldi, Queſnelli, Gerberonii Prodromus, & Inſtitutor, non aliter Ecclesiam periiſſe cenſuit, quàm remanente in ſe ſuiſque fidei integritate: quemadmodum exiguus hominum & beſtiarum numerus in Arca à generali exitio liberatus eſt, ut forent extincti orbis reliquiæ, & ſemen novi. Similiter Queſnellus *veritatis*, & fidei in *pleriſque* aliàs fidelibus, interitum lugens, haud dubitat, quin eam ipſe cum ſuis ſervaverit intemeratam; non verò nos Pontificii, quos notiſſimum eſt, ab illis non uno fidei Dogmate diſſentire. Meritò dicimur *plerique*, utpote Grex Catholicorum univerſus, qui Chriſti Vicarium ſequens, & poſſeſſionem nactus ampliſſimam uſque ad terminos terræ; dum à Pontifice averſi Queſnelliani, exiguo orbis angulo concluduntur.

Quando autem derelictâ Eccleſiæ ſeu Pontificiorum multitudine, in tales ſe recepiſſe anguſtias Chriſtiana *veritas* dicitur, neceſſe eſt pariter quæcunque de Eccleſiæ magnitudine in Scripturis & Patribus legimus, ad hanc mendaciſſimè reſtringere paucitatem.

Sive igitur inſtitutam à Chriſto Eccleſiam interiiſſe adverſarius dixerit, amplexus fatuam Donatiſtarum & Sancyrani ſententiam, ſive eliminatis ex Eccleſia Romanis Pontificibus cum omnibus Apoſtolicæ Sedi obedientibus Epiſcopis, Presbyteris, Religioſis, Doctoribus, & Populo, Chriſti Cœtum in ſolis conſtituat Janſenianis, in quo penès ſenſum utraque temeritas diſſetat, non apparet.

Quare Queſnellum æquè, ac Donatiſtas perſtringere videtur Auguſtini Enarratio in Pſalmum 101. ad illud: *In conveniendo Populos in unum*: ubi Sanctiſſimus Antiſtes ſic animadvertit. „ Sed exiſtunt, qui dicunt: „ jam hoc factum eſt: reſpondit ei in omnibus gentibus Eccleſia, pariens filios plures, quàm illa quæ habebat virum: reſpondit ei in via fortitudinis ſuæ . . . . crediderunt in eam omnes gentes; ſed (inquiunt Donatiſtæ) illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, jam non eſt, periit.„

Hanc hæreticam vocem, quam à Sancyrano reſuſcitatam vidimus, ſic exagitat Auguſtinus „ Hoc dicunt qui in Eccleſia non ſunt. O impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non ſis; nam illa erit, etſi tu non ſis. Hanc vocem abominabilem & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nullâ veritate ſuffultam, nullâ Sapientiâ illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam prævidit Spiritus Dei. . . quoniam quidam dicturi erant contrà: fuit & non eſt; *Exiguitatem*, inquit, *dierum meorum annuntia mihi*: Quid eſt quod neſcio quia recedentes à me, murmurant contra me? Quid eſt quod perditi, me periiſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt: quia fui & non ſum: annuntia mihi exiguitatem dierum meorum . . . . Quis annuntiabit mihi, niſi ipſa via? Quomodò annuntiabit? *Ecce Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Seculi.*

„ Sed hic exiſtunt qui dicunt, vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Seculi; *quia nos prævidebat, quia pars Donati erat in terra* . . . . Non vos filii eſtis illorum mortificatorum, quorum vox compeditorum audita eſt à Domino: abſit. Non hoc indicant facta veſtra: non hoc indicat ſuperbia veſtra: non hoc indicat vanitas veſtra: non ſapitis, & foris eſtis: ſal infatuatum eſtis; ideo & ab hominibus conculcamini. Audite, quid dicat Eccleſia . . . . mora vocibus veſtris & falſis opinionibus veſtris: quærit à Deo, ut exiguitatem dierum ſuorum annuntiet ſibi, & invenit Dominum dixiſſe: *Ecce Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Seculi*. Hic vos dicitis: de nobis dixit: nos ſumus, nos erimus uſque in conſummationem Seculi. Interrogetur ipſe Chriſtus, cui dictum ſit: *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi: Et prædicabitur*, inquit, *hoc Evangelium in univerſo orbe in teſtimonium omnibus, & tunc veniet finis*.

Hactenus Auguſtinus, calumniam reprimens Donatiſtarum, & in ea Queſnelli. Si à Donatiſtis forſitan ſe accepiſſe negaverit; eam à Magiſtro & oraculo ſuo Sancyrano ſe didiciſſe non arbitror inficiaturum. Donati non minùs, quàm Sancyrani aſſeclæ à communi Eccleſiæ interitu, ſe ſuoſque eximunt Sectatores. Quantumlibet igitur ſua Queſnelli Articulo exceptio concedatur, non definit ejus calumnia ſimilis eſſe veterum blaſphemiæ hæreticorum.

Ad Queſnelli ſcilicet non minùs, quàm Donati diſcipulos, excluſis Pontificibus & omnibus eos ſequentibus, Chriſtus reſpexerit, cùm dixit: *Ecce vobiſcum ſum uſque ad con-*

consummationem Seculi; quia nos, inquiunt, *prævidebat: quia pars Donati*, & postea Sancyrani, atque Quesnelli, *erat in terra . . . De nobis dixit, nos sumus, nos erimus usque ad consummationem Seculi*. Sed opportunè occurrit sapientissima Augustini responsio, etiam Quesnellum cum sociis feriens: *Non hoc indicant facta vestra: Non hoc indicat superbia vestra: Non hoc indicat vanitas vestra. Non sapitis, & foris estis: Sal infatuatum estis, & ab hominibus conculcamini.*

Hæreticis semper morem fuisse, Ecclesiæ velut tenebris obsitæ, miserrimam simulare, & plangere calamitatem, testatur Gregorius Magnus in caput 2. Job. cap. 15. *Quid est*, inquit, *quod amici Job considere ei septem diebus & septem noctibus referuntur, nisi quod hæretici, vel in his, in quibus verum lumen intelligunt, vel in his, in quibus ignorantiæ tenebras patiuntur, quasi infirmanti Sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, eique sub blandimentorum specie dolos deceptionis parant*. Et in caput 7. Job. cap. 22. *Quia se hæretici tenere lumen veritatis æstimant, Sanctam Ecclesiam, quasi in erroris nocte positam ad diluculum veritatis vocant; quatenùs & per cognitionem Dei quasi per diluculum surgat, & per precem pœnitentiæ præterita diluat.*

Eadem duo præsenti Ecclesiæ vitia affingunt adversarii neque minore lugent falláciâ, quàm supetiorum temporum hæretici; ignotantiam scilicet *veritatis*, & abolitionem pœnitentiæ: de posteriote egi pluribus tomo tertio occasione eò spectantium Propositionum 87. 88. 89. Superest hìc de *veritatis* ignorantia differendum.

Quàm solicitè de hac quantocyus depellenda monebat Germaniam Lutherus, scriptâ ad Magistratus epistola encyclicâ! Eum in finem necessaria ipsi visa est erectio Scholarum, quas suo ipse eruditionis lumine illustraret.

Sic apud Coclæum de Actis Lutheri ad annum 1524. legitur, Hæresiarcha Teuthones obtestans. „ Inspiciamus miseriam
„ nostram, & tenebras, in quibus fuimus. Ar-
„ bitror Germaniam nunquam anteà de ver-
„ bo Dei audivisse quantum nunc: certè in hi-
„ storiis nullum de hoc reperitur vestigium.
„ Quod si illud sic sine gratiâ & honore tran-
„ sire sinimus, verendum est, ne adhuc hor-
„ rendiores tenebras, plagasque patiamur.
„ Chari Teuthones, emite, dum nundinæ
„ præ foribus sunt: colligite dum lucidum
„ est cælum, & aura serena. „

Carolstadio tam generalis apparuit Ecclesiæ ignorantia, ut de Reformatione quodammodo desperans. „ Cum Lutherum in
„ formanda sua Ecclesia valdè occupatum &
„ anxium videret, author ei fuerit, ut novam
„ potiùs institueret, quàm restitueret vete-
„ rem. „ Ita testatur Florimundus lib. 2. de orig. hæres. cap. 7.

Similem de Ecclesiæ tenebris jactantiam Calvini retundens idem author lib. 7. cap. 18. inducit Espencæum ex hæretici vesania sic concludentem: „ Ergo nullus ampliùs in
„ orbe fuit Christianus: Ergo Ecclesia id
„ unum egit, ut infernum civibus impleret:
„ Ergo demum ante quindecim annos *veri-*
„ *tas* orbi illuxit. „ Et ea quidem penès solos Calvinum & ejus discipulos, ut hodie est penès asseclas Quesnelli; quorum fidei debemus & institutioni, quod Ecclesiæ non impingatur generalis omninò ignorantiæ probrum; sed cum exceptione aliqua licèt perexiguâ: *Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum.*

Sic quando Arnaldi Magister Sancyranus, teste Isaacio Habert Vabrensium Episcopo in *Defensione Fidei* parte 2. pag. 20. exclamare solitus erat: *Ignorantia, tenebræ, errores stupendi, cæcitas ubique*; assertionem accipi voluit, non universaliter absolutè; Sed ut Dialectici ajunt accommodè, veluti cùm dicitur *Cælum tegere omnia*, exceptio subintelligenda est *præter se*.

Juxta testimonium Domini de Pormorant Abbatis Commendatarii & Sacerdotis, cùm *adversùs Religiosos, & omnes istius temporis mysticos diceret, eos minimè intelligere Evangelium, mox addebat: Ego Evangelium, & perfectam Scriptorum à Sancto Paulo intelligentiam verè possideo: deplorabat omnium hominum conditionem, significans omnes errare in tenebris, & semitas terere à veritate remotissimas. Idem è Sancyrani nepotibus asserebat natu maximus.* Joannes de Jovaud Cisterciensis Religionis Abbas anno 1638. 17. Junii testatus est jurejurando, ut aliàs retuli, quòd *Sancyranum audiverit jactantem, se, quæ enuntiaret Dogmata non ex Libris didicisse; sed legere in ipso Deo, qui est veritas æterna: præterea sequi se in omnibus ductum interiorum illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi identidem à Deo suggeri sentiebat.*

Eidem Sancyranus affirmaverat: *Si me audire, & sequi constituis, evidenter tibi ex doctrina Patrum, & Conciliorum demonstrabo usque ad quæ Secula duraverit vera Ecclesia, quo tempore destrui cæpta sit. Tempus ædificandi, tempus destruendi: Deus ipse Ecclesiam dissolvit: tempus ædificandi transiit.*

Joan-

Joannes de Caulet Sacerdos Abbas Commendatarius, qui dein fuit Episcopus Appamiensis, eodem anno 1638. jurejurando de Sancyrano declaravit, se ex illo audivisse, quòd *errores irrepserint in mores Ecclesiæ, ipsisque advenerit tempus destructionis*.

Denique ut redeam ad testimonium Cisterciensis Abbatis, *tanta*, inquiebat Sancyranus, *est mibi discernendarum animarum prærogativa, ut quas semel observavi, dignoscam, electæne à Deo sint, an reprobatæ*.

Procul itaque Novator hic, judicio suo, erat ab illis tenebris, ab ea *veritatis* ignorantia, quâ pessumdari & corruere Ecclesiam credidit. Sic illum secuti Gerberonius, Ægidius de Witte, Matthias Torkius & similes in suis adversùs Ecclesiam contumeliis, æquè ac Quesnellus, se aliosque excipere Jansenistas indubiè intelligendi sunt.

Gerberonius scilicet in Notis ad Epistolas Jansenii pag. 179. de hoc Antistite ait; *Conceperat animo, atque inducere in Ecclesiam statuerat puras Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione sententias, penè illic incognitas*. In *Responso ad Discordia Jansenianæ enarratorem dispunctum* pag. 5. *Undenàm putas, quòd Pelagiana aut saltem Semipelagiana hæresis novissimis his temporibus Christianum penè totum inundet orbem; nisi quia præter quam quod omnes nascimur Pelagiani, Christiana plebi subducuntur Catholica, quas de gratia Christi & Prædestinatione, Scriptura & Sancti Patres post Augustinum protulerunt veritates, & his subductis nihil Populo Christiano oggeritur & occinitur, quàm ... Pelagianorum assertiones*.

Ægidius de Witte in *denuntiatione solemni Bullæ Vineam Domini*, pag. 6. Ecclesiam sic alloquitur: *Conjurasse contra te videtur universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum*. Pag. 8. *Infirma est ipsa Religionis Arx Roma: terra infecta est lue Pelagianâ*. Author *depulsæ excommunicationis per Illustrissimum D. Bussi Coloniæ Nuntium Pontificium attentatæ in R. D. Matthiam Torkium* pag. 16. *Perjuriis putrescit Clerus: Disciplina corruit: vera Christi gratia abjicitur: Pelagius Vineam Domini depascit, & iniquo illi, quem Dominus Jesus spiritu oris sui interficiet, fortissimè viam parat*.

Stylus opusculi Authorem indicat Ægidium de Witte; adoptaverit illud Torkius, audaciâ & temeritate Ægidio non absimilis. Audiendus potissimum Ægidius in illo opere, cui nomen suum præfigere non erubuit, sub hac Epygraphe: *Augustinus Iprensis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis XI. ereptus & erutus per Ægidium Albanum* (Belgicè de Witte) *nuper in Civitate Metropolitana Mechliniensi Decanum & Pastorem Ecclesiæ Collegiatæ & Parochialis Beatæ Mariæ trans Diltam*.

Illic pag. 280. dicitur: *Benè subductâ ratione, Moliniano aut Pelagiano contagio jam nunc contaminata videtur longè maxima Reipublicæ Catholico-Christianæ pars*.

Pag. 284. *Ista in dies invalescit in Ecclesiam pestilentia*. pag. 275. *Totum propè mundum apertè post Pelagium & Molinam abire cernimus: atque ipsa in primis Italia perquàm malè audit in illo genere*. Omnes scilicet Pelagii aut Molinæ discipuli Ægidio sunt, qui à Jansenio alieni: Molinistarum nomine penès Ægidium, hæreticos intellige Semipelagianos, quod clariùs exprimit in citata superiùs *depulsione excommunicationis*. pag. 15. *Ejiciat ex animo suo qui potest: ego ex meo ejicere nullâ ratione possum, quin Clemens noster XI. Jesuiticis, hoc est Semipelagianis erroribus afflatus sit. Hinc illa Vaticana fulmina*.

Ægidio non minùs feraliter concinit Petrus Hollen, ejusdem cum Ægidio Ultrajectinæ Congregationis Socius, & Jansenianæ Apostolus Ecclesiæ, qui tanquam de gratiâ optimè meritus, antonomasticè *Gratianus* dici voluit, ut aliàs *Amos Propheta* authoritatem sibi tribuens Pontificiâ Superiorem. Non exiguam hic se præstare gratiam autumat Alexandro VII. quando illum propter ignorantiam non solùm à formalis *hæresios Semipelagianæ* crimine *excusat*, *sed etiam à Moliniano errore, qui pejor priore est*. Ita definit Epistola ejus altera ad Clementem XI. pag. 3.

Mirificam quoque & Jansenianâ dignam Sanctitate, erga Romanos Pontifices reverentiam Ægidius ostendit, loquens de Innocentio X. & Alexandro VII. in Augustini Iprensis Vindiciis pag. 276. dicens: *Cur ergo adeò peregrinum videri deberet, si ille in scientia Theologica valdè parum exercitatus, hic neque illa doctus admodum, & Urbis publicâ voce Jesuitis intimè coadunatus, contaminatione illâ* (Pelagianismi) *naturalitèr insita infecti fuerint?* Proindè quid miri, si tot Pontificibus Pelagianâ aut Semipelagianâ imbutis hæresi, pars major Ecclesiæ corrumpatur?

Sed, ut inane fundamentum est, ita & superstructum à Novatoribus ædificium; nam neque istud quod Molinismi nomine propriè appellatur, ab Ecclesia damnatum est, neque adeò ut fingitur commune. Novimus autem hanc Jansenistarum esse versutiam, ut quidquid suæ perspiciunt non congruere novitati, Molinismum vocitent; quâ ratione omnes uni Ordini contrarios, suo sperant conciliare

ciliare

ciliare faciliùs errori; non autem considerant quantum hoc suo mendacio prosint infestissimis sibi adversariis, dum horum causam attribuunt Ecclesiæ quodammodo universæ. Exploratum siquidem compertumque est, non agnosci à Jansenianis medium sua inter & Molinistarum, ut vocant, Dogmata; finguntque quod uni proprium Scholæ est, ab omnibus, si Jansenianos exceperis, adoptari.

Subdolo hoc stratagemate persuadere simplicibus cupiunt, quasi Jansenianis vertatur crimini, & quidem unicè, non esse Molinianos. Quod sanè mendacium magis putidum est, & notâ omnibus facti evidentiâ magis convictum, quàm ut seriâ egeat confutatione.

Antiquos, ut alibi passim, etiam hic imitari hæreticos placuit Jansenianis. Augustinus lib. 1. operis perfecti cap. 75. Juliani reprimens in convitiando petulantiam, *Athanasianos* (inquit) & *Homousianos Ariani Catholicos vocant, non & alii hæretici. Vos autem non solum à Catholicis; sed etiam ab hæreticis, vobis similibus, & vobis dissentientibus Pelagiani vocamini, quemadmodum non tantùm à Catholica Ecclesia; sed ab hæreticis etiam vocantur Ariani; vos verò soli nos appellatis Traducianos, sicut illi Homousianos; sicut Donatistæ Macarianos; sicut Manichæi Pharisæos, & cæteri hæretici diversis nominibus*. Denique, inquit Augustinus; *Agnosce in tuo Dogmate nomen tuum, & Catholicis, à quibus confutaris, desine objicere & Dogma & nomen alienum*.

Minùs incongrua videri poterat *Homousianorum & Athanasianorum* appellatio, quam modò Catholicis omnibus *Molinistarum*, utpotè cum quibus solent plurimi intra Charitatis limites contendere acriter: Homousiou autem tuebantur universi: Neque ulli ab Athanasii contra Arium Dogmatibus dissentiebant.

Hæc vellicandæ ut susceperam Propositioni, viderentur posse sufficere, nisi superba nimium & temeraria esset adversantium nobis insultatio, quapropter eadem deiicienda magis, & fortiùs obterenda est.

CAPUT II.

Prætensæ à Quesnello veritates *circà gratiam, non solùm à* plerisque: *Sed ab omnibus in Ecclesia meritò ignoratæ*.

QVandoquidem Quesnello tàm patheticè conqueri lubuit de modo in Ecclesia communiter usitato prædicandi Populis Evangelium & *veritates scitu necessarias*, non desunt, qui in ipso Decumano ejus Opere, undè excerpti ad Censuram Articuli sunt, reprehendant, quòd cum voluerit *Moralis Evangelicæ* haberi *compendium*, & quidem ad institutionem omnium etiam plebejorum, ac mulierum vulgari editum idiomate, tot ei immiscuerit difficiles de prædestinationis & gratiæ Mysteriis Quæstiones, quibus Theologorum ingenia fatigantur, facillimè labuntur indocti.

Posterius Authori placuisse suspicio apparet non temeraria; ut enim inserendis ubique novitatibus conspicitur intentus; eundem in finem opus tot pietatis fictitiæ contextum illecebris, tot elogiis à factione numerosissimâ, & magni nominis Approbatoribus commendatum, videri maximè idoneum potuit.

Quidquid sit, cùm præcipua hìc personet Quesnelli Lamentatio de *ignoratis passim* in Ecclesia *veritatibus*, non est verisimile, quòd quæ ab ipso Capitalia novæ suæ Ecclesiæ Dogmata reputantur, in tali voluerit Opere præteriri; ne criminis ejusdem, cujus Religiosas omnes familias in salutem proximi incumbentes, Pastores, Doctores, Episcopos, Romanos maximè Pontifices reos agit, ipse quoque insons minimè habeatur.

Reverà; si quæ laus est, dogmaticas, quibus, se devoverit, novitates, etiam hæreticas, locis omnibus opportunè, vel si aliter nequeat, importunè ingerere, eam denegare Quesnello nemo poterit.

Sic Dominus Isole ejusdem Sectæ Apostolus ad ipsum scripserat anno 1690. die 13. Martii: *Diebus aliquot pervolvo Observationes* [tuas *Morales in novum Testamentum*) *mihi quidem arrident maximè. In his gravissima quæque Dogmata modis innumeris exponuntur, ac semper ad permovendos animos aptissimis. Neque verò est, quòd Lector Longiùs perquirat; sic exhibentur, sic admoventur, atque aptantur inter se ut illorum aspectum devitare nemo possit*.

Ibid: *Quid ex positis principiis sequatur, non permittitur Lectoribus diiudicandum; Quod eos condiscere volumus, totum exprimitur. Hoc unum vereor, ne Dogmata quædam, frequentiùs sibi, quàm par est, ingeri, inculcari, infarciri animadvertāt; nam id quidem intendi sedulò & curari impigrè, manifestum est*.

Episcopi Lucionensis & Rupellensis anno 1712. die 17. Junii, adeoque prævenientes Constitutionem *Unigenitus*, quæ primùm prodiit anno 1713. mense Septembri, *Documentum* ediderant *Pastorale*, quo contra Quesnelliani Operis venenum communire greges suos dignâ tantis Præsulibus sollicitudine conati sunt. Ibi

Ibi occasione Epistolæ jam relatæ suos ita commonent: " Hæc gravissima dogmata, „ hæc *quædam Doctrinæ capita*, quæ [*ne Lector sibi frequentiùs ingeri in Annotationibus animadvertat*, Dominus Isole subvetur, hæc denique placita, de quibus conveniat homines *non priùs admoneri*; ut jam edito Opere, nimiùm sera sit expostulatio: hæc dogmata, Fratres charissimi, ut ipsi satis perspicitis, non sunt Evangelica dogmata, quæ omnes Catholici profitentur atque agnoscunt, de iis enim nullus fuisset timendi locus, ne quis expostularet: ea profectò hic indicantur dogmata, quæ Jansenii Defensores propugnant; ii sunt *puri & aperti errores Jansenii*: ea est *ipsa Janseniana hæresis*, quam Episcopus Meldensis in Observationum libro deprehenderat...

„ Ea dogmata cùm sint in *Observationibus* Quesnelli, *modis innumeris* exposita, *iisque semper ad permovendos animos aptissimis*; cùm ea *sic admoveantur*; *atque aptentur inter se*, *ut illorum aspectum devitare nemo possit*; cùm *certa doctrinæ capita* Lectotibus *sic ingerantur*, *ut sedulò id quæsitum fuisse manifestum sit*, nonne *Observationum* librum hoc uno jam patet conscriptum esse consilio, ut errorem dissemi„ net; eo totum, quantus quantus est, scatere, ut vanus futurus sit omnis in illo perpurgando labor?

Hactenus Episcopi. Quesnellus autem ut Librum suum adeò erroribus refertum etiã hæreticis, universi legerent avidiùs, tenebras Ecclesiæ deplorat, & tantam indè profluere solitam perniciem animorum. Quæ enim expectari, aut sperari salus poterit plerisque in Ecclesia, ubi veritates necessariæ paucissimis notæ sunt? Exitialem itaque hanc ignorantiam depellere Quesnellus cupiens, *veritates* illas tomis quatuor inseruit, Sed Christi Ecclesia suis, juxta Quesnellum, assueta tenebris, earumque nimiùm amans, volumina excepit odio, atque ad ipsos relegavit Inferos; undè crediderat emersisse.

Judicium hic minimè iniquum, ab Ecclesia fuisse latum, & quas Quesnellus sibi credulis venditat, velut magni ad salutem ponderis veritates, lethifero plena esse toxico mendacia, easque promerita justissimè Censuras, quas Constitutio *Unigenitus* inflixit, arbitror me præsenti quatuor tomorum Opere, plusquam necesse fuerit, demonstrasse.

Si autem aliquibus prolixæ adeò lectioni otium non est, non refugio præcipuas è prætensis Quesnelli *veritatibus*, brevissimo refutare compendio, quo præsentis Articuli insania magis pateat, eamque propugnantium non magis sapiens confidentia reprimatur.

Prima atque præcipua Romanam inter, sive catholicam, Apostolicam Ecclesiam, eique oppositum schismaticorum aliquot conventiculum dissensio est de gratia. Ibi, tanquam momenti maximi à Quesnello veritas celebratur, quæ nulli hactenùs nota fuerat Catholico, Propositio 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Quo subsistente dogmate, quomodo Stephanus exprobrat Judæis perfidis Act. 7. *vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut Patres vestri, & vos?* Non resistitur Spiritui Sancto sive ejus gratiæ, quando hæc ipsa est peccatorum remissio, sive Justificatio peccatoris, ac proindè novum semper injustificatis sanctimoniæ augmentum: ita *gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. Qui quidem Quesnelli sensus est; sed pridem declaratus hæreticus in secunda Propositione Jansenii, nullo dissentiente Catholico.

Relato Quesnelli Articulo alterum junge ordine secundum: *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit; sed nec fieri potest*. Quæ Quesnello *veritas* inter novæ Ecclesiæ fundamenta est; quam nos diffiteri non possumus in Ecclesia Romana *esse linguam quasi peregrinam plerisque Christianis*; imò Orthodoxis omnibus, ab ipso damnatam Eminentissimo de Noailles in *Expositione fidei* Gerberoniana velut *hæreticam & anathemate percussam ab Innocentio X. & Alexandro VII. in prima Propositione Jansenii*, *virus etiam continentem plurium aliarum*, videlicet secundæ, tertiæ, & quintæ.

Adversarios non excusat qualiscunque in Quesnelli Opere facta jussu Eminentissimi Archiepiscopi, correctio; utpotè quæ Antistitis illius Ministros, Mandati Executores de execrandâ maximè convincit perfidiâ, dum ex uno alterove expungentes Articulo, errorem eundem in longè pluribus reliquerunt. Sic deceptoribus illis Archipræsulem suum & Lectores deludere placuit; quasi accurata emendatio librum redderet, nulli deinceps obnoxium suspicioni. Undè ea qualiscunque mutatio, erroris potiùs tegumentum fallax, & quasi confirmatio, quàm conveniens correctio æstimanda est.

Error scilicet prorsus idem, sed magis subdolè remansit in Propositione tertia. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis*: Et Propos. quarta. *Ita Domine, omnia*

nia possibilia sunt, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. Asserti enim utriusque significatio obvia, & ab authore certissimè intenta est, quod neque observatio mandatorum, neque ulla operatio salutifera nobis sit possibilis; nisi Deus illam suâ omnipotenti gratiâ efficiat: Quâ ratione evidens est eliminari omnem gratiam sufficientem, quæ simul efficax non est, sive non adipiscitur quod intendit.

Oporteret in Adversariorum hypothesi fallacem dicere invitationem Christi, universos ad se allicientis, tam criminibus, quàm corporis infirmitatibus oppressos Math. cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Non omnibus enim efficacem gratiam obtingere, compertissimum est; venire autem ad Christum ut à morbis animi seu vitiis & sceleribus liberetur, neminem posse absque gratiæ auxilio, contra Massiliensium sive Semipelagianorum hæresim non minùs indubitatum est Catholicis. Neque in Quesnelli sententiâ dolo careret Sancti Petri affirmatio, dum Epist. 2. cap. 3. prædicatur Deus *nolens aliquos perire; Sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Absque gratiæ auxilio omnis ad justitiam reditus peccatoribus tam impossibilis noscitur, quàm visio sine lumine.

Nihil veri, Quesnello interprete, habuerit vox illa Divini amoris & benevolentiæ plena ad peccatores, excepto nemine directa Apocal. cap. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Potestne aliquis audire Dei vocem salubriter, vel aperire Deo januam sicut oportet ad justitiam, absque cœlestis gratiæ subsidio? Solus cum suis affirmabit Pelagius.

Respondere neque potest neque vult novus Theologus, in suo Systemate Deum peccatoribus gratiam offerre, atque eorum relinquere libertati ut accipiant, vel recusent, quia vel gratiæ collatio omnem hominis prævenit actionem, vel hæc necessariò peccatum est juxta Articulum 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Art. 40. *Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Ea quidem Quesnello veritas est; nobis autem esset & non solùm *plerisque christianis*; sed omnibus probè Catholicis *lingua quasi peregrina, & idioma velut incognitum*: Novimus tamen familiarem fuisse Calvino, Bajo & Jansenio.

Sic enim Calvinus lib. 3. Instit. cap. 3. de homine in statu naturæ lapsæ ait: *Gravi telo confoditur ejus ingenium; cùm omnes quæ inde prodeunt cogitationes* (sine gratia) *ut stultæ, frivolæ, insana, perversa irridentur*. Bajus Propositione 27. à tribus Pontificibus Pio V., Gregorio XIII. Urbano VIII. prohibitâ & condemnatâ: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*.

Jansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 18. *Ita peccato periit libertas arbitrii ad faciendum bonum, ut ante gratiam non solùm non possit universam legem moralis honestatis implere; Sed nec unam quidem, nec unum opus ejus: ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare, vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur*. Lib. 3. cap. 20. *viribus naturæ peccatum sine peccato non vitatur: nec lex illa servatur*.

Hæ & similes Jansenii Propositiones indubiè fuerint inter illas, de quibus meritò conqueritur Urbani VIII. Constitutio IN EMINENTI, quòd *à Prædecessoribus nostris* (inquit) *olim damnatæ*, Jansenii libro, *cui titulus Augustinus, magno cum Catholicorum scandalo & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendantur... malo in scandalum totius Reipublicæ christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti*.

Sed his nequaquam territa Arnaldi impudentia, in Præfatione Apologiæ pro Jansenio, *Non potest* (inquit) *sine voluntariâ excæcatione, & portentosa pertinaciâ negari, Propositiones Baji, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia Doctrinæ Sancti Augustini*: ubi Urbanus Pontifex cum suis Consultoribus Theologis & Cardinalibus, ab Arnaldo confidentissimè declaratur *excæcatus voluntariè & portentosè pertinax*; quia, ut ibidem Arnaldus asserit *Accusationes, ob quas Urbanus VIII. prohibuit Librum Jansenii, fuerunt à veritate maximè alienæ*.

Ibid. *falsa fuit data Pontifici informatio, quasi liber Jansenii scandalo catholicis esset in Belgio*; ubi vix minùs scandalo fuit, quàm Lutheri Codices in Germania, aut in Galliis Calvini: qui juxta utriusque hæretici discipulos, ædificationi fuere, & maximæ utilitati.

Eminentissimus autem de Noailles in Epistolâ ad Clementem XI. datâ, atque approbatâ à Rege Christianissimo, testatus est, anno 1711. die 28. Junii, *Pontificiis adversus Jansenium Decretis nihil deesse ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec Appellationem admitti posse, nec mutationem expectari*;

ri; *Idem* (inquit) *de Apostolicis adversus Bajum definitionibus, existimo professurum fuisse Clerum* (in Comitiis anni 1705.) *si de illis actum fuisset*.

Sed quomodo tunc Illustrissimus Clerus evadere potuisset Censuram Arnaldicam *excaecationis voluntariae & portentosae pertinaciae*? Non evasit Archiepiscopus Cardinalis, cùm que ejus judicio obligetur Ecclesia universa, *Apostolicis adversus Bajum Definitionibus* adhaerere, eadem tota in Arnaldinam incidit calumniam *excaecationis voluntariae*, *ac pertinaciae portentosae*. Quae an non *portentosa* in Theologo privato & tunc temporis perquàm juvene, contra Apostolicam Sedem & totam ei adhaerentem Ecclesiam, sit temeritas, Lector judicet.

Arnaldum dico *perquàm juvenem*, dum haec scriberet: Natus enim fuerat anno 1612. Apologiam verò pro Jansenio edidit anno ejusdem seculi 44. proinde aetatis suae nonnisi trigesimo secundo vel tertio inchoato; tertio quoque post Janseniani voluminis condemnationem.

Tantosne [inquies] animos in juvene nova haeresis fecit? Respondentem superiùs exhibui non invenusto apophtegmate Tertullianum lib. Praescriptionum adversus haereses cap. 16. *Nusquam faciliùs proficitur, quàm in Castris rebellium*. Non minori lepore Leontius contra Nestor. & Eutych. lib. 1. in principio: *Seipsos*, inquit, *Sapientes esse jubent*, *& sunt tanquam ex jussione & edicto Sapientiâ praediti*, *quos eruditos esse fecit velle tantùm*.

Nescio autem an inter inflatos superbiâ haereticos, ullum Historia Ecclesiastica referat magìs tumidum Sancyrano, notissimo Arnaldi magistro, quem juratis vitorum omni exceptione majorum testimoniis exhibui, authoritatis omnis Ecclesiasticae temerarium maximè contemptorem. Ab eo insigniter institutus hic discipulus, quem juvenis hausit novitatis, audaciae, & elationis Spiritum, ad extremam usque retinuit senectutem, ut ejus octogenarii scripta contra Sedem Apostolicam insolentissima convincunt. Sola *Pars Nona*, eaque ultima *Difficultatum Steyaertio propositarum*, ipsi horrorem incussisse Walonio, ex ejusdem ad Arnaldum & Quesnellum literis deprehensum est.

Talibus insistentem vestigiis conspicimus hodie furentem adversus Constitutionem *Unigenitus* turbam rebellium, despicientem quidquid in Ecclesia usquam est Doctorum hominum, quidquid Antistitum.

Hanc in Arianis indolem descripsit congruè Alexandrinus olim Patriarcha Alexander Epist. Encyclicâ apud Theodoretum Historiae Ecclesiasticae lib. 1. cap. 3. dicens: *Quin imò nec ullum Collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam pervenisse censent. Solos se sapientes jactant. ... Sibi solis ea esse patefacta, quae in nullius unquam sub sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam, vesaniam immensam, inanem gloriam cum furore conjunctam, spiritum Satanicum, qui in eorum mentibus callum obduxit!*

Sed ne longiùs Arnaldi contra trium Pontificum Diplomata nos abducat temeritas, ostendant ejus & Quesnelli vindices, communem Ecclesiae de libertate sine gratiâ Doctrinam *veritati* Catholicae adversari, aut contrariam à Quesnello variis Propositionibus assertam, veritati consentire. Ex illis quae Sedi Apostolicae & obsequentibus ei Fidelibus apparent execrabiles, duas tantummodo retuli, trigesimam nonam & quadragesimam: Tres alias quas subjungo, in eandem cum superioribus confluunt significationem: eidem subjacent Censurae.

Trigesima octava: *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratiâ Liberatoris*. 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sine gratiâ non producit, nisi praesumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei: sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*. Tot phrasibus, & offuciis opus erat, ut restitueretur damnatus à tribus Pontificibus Articulos, inter Bajanos vigesimus septimus: *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*.

At, inquiunt Adversarii, haec Propositio est *veritas* maximè Catholica à Conciliis & Sanctis Patribus, Augustino potissimum contra Pelagianam ac postea Semipelagianam haeresim consecrata; quae autem ei opponitur Doctrina nixa Definitionibus Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. invaluere quidem visa est & reddi in Ecclesia communis; Sed ante sesqui seculum vix fuerat cognita. Ita illi; verùm in tota hac adversantium responsione nihil veritatis est, nihil candoris, aut bonae fidei. Quomodo enim qui tantam continuò jactant antiquitatis notitiam ignorare potuerunt, quae in Sanctis Patribus decantatissima sunt? Ex iis, quoniam Quesnellistarum postulat obstinatio, quaedam obvia delibemus.

S. Basilius Homilia 9. in Hexameron paulò ante medium: *Sunt apud nos ipsæ virtutes secundùm naturam; ad quas habendas affinitas animæ non ex humanâ Doctrinâ; sed ex ipsâ naturâ nobis inesse videtur*. S. Augustinus lib. de Spiritu & litera cap.27. aliàs 28. de Judæis ait: *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit*.

S. Prosper celeberrimus Augustini Discipulus, & contra Pelagianos acerrimus Defensor, libro contra Collatorem cap.26. *Vita, sensus, & ratio, cæteraque corporis atque animi bona, etiam malis vitiosisque non desunt; sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam vitam conferre non possunt*.

S. Joannes Damascenus lib.3. de Fide cap.14. in fine: *Naturales virtutes sunt, ac naturaliter & æquè omnibus insunt, etsi non omnes æquè ea, quæ naturæ consentanea sunt, operentur*.

Gregorius Magnus Hom.27. in Evangelium Joannis cap.15. v. 12. *Sunt nonnulli qui diligunt proximos; sed per affectum cognationis & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt; sed aliud est quod spontè impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis, ex charitate debetur obedientiæ*.

In his non recentium Scholasticorum; Sed Patrum maximè veterum testimoniis perspicimus actus naturales innocuos, proindè non omnia esse peccata, quæ naturæ viribus cum Dei concursu ordinario, saltem absque supernaturali gratiæ subsidio exercentur. Vestigiis Patrum inhæsere Scholasticorum Principes Angelicus & Seraphicus. Sic prior 1.2. quæst.109. Art.5. *Sine gratiâ homo non potest mereri vitam æternam; potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale*.

S. Bonaventura in 2. dist.28. Art.3. quæst. 3. *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum cum generali Dei influxu, tametsi difficulter; potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponat ad gratiam, nec ad gloriam*. Magistros hos secuti sunt passim cæteri inter Theologos præstantissimi: Gabriel in 2. dist.28. Conclusione prima, Richardus in 2. dist.28. Art.1., Durandus in 2. dist.28. quæst.2. n.4. Ruardus Tapperus de Libero arbitrio Art.7. exponens Academiæ suæ Lovaniensis Dogmata, Lutheranis opposita.

Vident itaque Quesnelliani, Doctrinam quam hoc tempore sequimur, damnatis suis Propositionibus contrariam, minimè novam esse; sed antiquissimâ ad nos traditione delatam, proscriptos autem Quesnelli Articulos meritò reputari quasi *linguam peregrinam, & velut idioma incognitum*; sicut Christus dicturus est in judicio, se reprobos *non novisse*, ut approbet: opiniones verò istas, post iterata toties Sedis Apostolicæ contra eas fulmina, adhuc *veritatibus*, & quidem indubitatis, ac necessariò recipiendis annumerare, non probi Catholici indicium est; sed rebellis animi ac temerarii, ad Schismaticorum hæreticorumque castra propè nimium accedentis.

Notandum quòd Patribus contra Pelagianos disputantibus cura fuerit negare libero arbitrio gratiâ destituto, potestatem cujuscunque boni operis ad salutem aut justitiâ disponentis. De operibus autem indifferentibus, aut moraliter solummodo & civiliter honestis, nulla eis contentio fuit. Cùm igitur Sancti illi unicè præ oculis haberent veram justitiam ac beatitudinem animorum, & quid ad eam promovere hominem posset, vel ab ea avertere, hoc supposito controversiæ scopo, de duplici isto humanorum actuum genere, salubrium scilicet animis vel noxiorum, disserere, intelligendi sunt, quoties contra Pelagianam hæresim statuunt, bona opera esse ex gratia; ex nobis autem seu libero arbitrio & facultate naturæ nihil nos habere nisi mendacium & peccatum.

Hæc minimè fugiunt adversantium eruditionem; Sed sibi comperta dissimulant, ut dum novitates introducere in Ecclesiam moliuntur, contra omnia ejus se muniant judicia, censuras, anathemata, eaque in ipsos potiùs convertant Pontifices, quasi falsa suis Constitutionibus introducerent, veteremque ab Ecclesiâ proscriberent *veritatem*. Hinc scilicet ea quasi *lingua peregrina & idioma incognitum plerisque* redditur *Christianis*: non omnibus, quia non Quesnello, non cæteris Baji, Sancyrani, Jansenii, Arnaldi discipulis, iisdemque Ecclesiæ, non in Disciplinâ solùm; sed in multiplici quoque Dogmate, & Fide, ut autumant, Reformatoribus. Verùm sic omnes pariter novarum Machinatores hæresum censuere, vel callido simulavere mendacio, se orbi datos singulari Divinæ Providentiæ beneficio, ut cymerias ab Ecclesiâ tenebras depellerent, obliteratasque Sacrorum dogmatum restituerent *veritates*.

Propositio Quesnelli 42., quam inter quinque superiùs ultimo loco retuli, erat: *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas*. Voluit hoc Dogmate Quesnellus reducere in Ecclesiam, Bajanum Ar-

Articulum 25. *omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, à tribus Pontificibus proscriptum.

Non parum autem reverentiæ, se Christi Vicariis deferre arbitratus est, quando non iisdem vocibus; sed solùm æquivalentibus, Baji sententiam resuscitavit; nam si *absque Sacrificio Fidei* nihil in humanis actibus sit, *nisi impuritas, nihil nisi indignitas*, evidens est, omnia opera infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum vitia, utpote Sacrificio Fidei penitùs destitutas.

Eandem Quesnellus novitatem pluribus inculcat Articulis; inter quos est 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per Fidem*. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Quibus si connexueris Articulum 28. *peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris* nullus indubium vocare poterit, quin infidelis omnis, nonnisi ad peccandum libero utatur arbitrio.

Magis etiam generalis, & emphatica 39. Propositio omnem fugiendi peccatum infidelibus, & quibuscunque gratiâ carentibus potestatem eripit, *voluntas* scilicet *quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum*. Proinde nulli liberum infideli est credere, nulli peccatori se convertere; cum juxtà fidem Catholicam homini liberum non sit solis naturæ viribus primam sibi petere gratiam sicut oportet; dum autem hæc à Deo spontè & absque ullo nostro merito, ullo conatu conceditur, ipsa Fides & justificatio est; siquidem *Fides est prima gratia: & prima gratia, quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*, ut vidimus Prop. 27. & 28.

Quemadmodum in humanis vulgatissimus loquendi modus est, quo, qui indignationem Principis incurrit, dicatur ejus gratiâ excidisse, ita passim de committente peccatum mortiferum asseritur, quòd Deum & ejus gratiam amittat. Is autem quomodo ad pœnitentiam se disponere valeat, subsistente Articulo primo, *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

Ego verò quid subdolum magìs, quid ad inducendam Peccatoribus segnitiem, omnis pii conaminis negligentiam, & desperationem, fingi magis idoneum potuerit, quàm memorata hactenùs Quesnelli Dogmata, me non deprehendere profiteor. Veritates qui-

dem intelliguntur à Quesnello, atque eorum inter cætera deploratur ignoratio; nos autem cum Christi Vicario & Catholicis universis, ultrò agnoscimus, eadem nobis esse *quasi linguam peregrinam, & idioma incognitum*, deinceps etiam certiùs detestandum. Neque ulli, præterquàm imperito, vel novitatibus insanienti videbitur istud *unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos*.

Nullos Jansenìani faciliùs decipiunt, quàm mulierculas leves, & simplices quosdam Pseudomysticos, qualis olim fuit Ægidius Pluyme, unus è Jansenìani voluminis approbatoribus, homo privatus, & nullâ præditus authoritate, ut hodie contra Bullam *Unigenitus* Appellantium, in paucis Galliæ Diœcesibus turba maxima est. *Ex lectione*, inquiebat, *Jansenii plusquàm ex aliis à me lectis, licèt piissimis authoribus, proficio in humilitate & diffidentia de nihilo meo*: humilitatem similem & diffidentiam de nihilo suo discere F. Ægidius etiam potuisset ex Calvini Institutionibus, & Lutheri Libro de servo arbitrio.

E talium scriptis nemo magis proficere visus est, nemo magis humilitatem similem & diffidentiam de nihilo suo instillare aliis voluit, quàm Quesnellus. Quis enim Calvini, Lutheri, Quesnelli exemplo non se *humiliet & diffidat de nihilo suo*; Si juxta Articul. 69. *Fides, usus, augmentum & præmium fidei*, proindè omnium operum bonorum, *totum est donum puræ liberalitatis Dei*?

Consecutio eadem necessariò, & perspicuè fluit ex Art. 11. juxta quem *Gratia*, sine qua nihil salutaris operis fieri potest, *non est aliud quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*. Art. 10. *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*. Art. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. Art. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*.

His suppositis, evidens est, quòd ad nullos actus salutiferos simus liberi; ubi autem non est libertas, non est meritum, ut ex hæresios Censurâ in Propositionem Jansenii tertiam latâ, omnes tanquam Fidei Dogma tenent Catholici. Quapropter nemini dubium esse potest, quin in ea hypothesi, omnes gratiæ ab initio *Fidei*, & quilibet ejus

usus, qui omnes actus ad salutem utiles complectitur, *sint Dona puræ liberalitatis Dei*, atque etiam ut, ipso fatente Quesnello, tale sit *præmium*; unde liquet nullum esse meritum, nisi impropriissimum & prorsus fallacem præmii appellationem.

Tales sunt Quesnellianæ de gratia *veritates*, quas quidem nescivimus hactenùs, minùs etiam prædicavimus; sed neque agnitas neque prædicatas uspiam legimus à Patribus, aut aliis in Ecclesiâ Orthodoxis. Hæreticis illas, scilicèt Luthero Calvino, & eorum Sectatoribus Pater hæresum, & mendaciorum, Diabolus reservavit. Ideo non est cur fateri nos pudeat, quantumlibet specioso propositam *veritatis* nomine impietatem, sonare in Ecclesia Romanâ, & sonuisse semper *linguæ* instar *peregrinæ*, *& idiomatis incogniti*.

Ridemus autem præposteros *signorum* interpretes, qui confictò stolidè in suis sive somniis, sive deliriis omine, terrere se posse Ecclesiam sperant, ut fidem mutet, suæque *modum* & materiam *prædicationis*: perget illa certissimè usque ad consummationem seculi, *linguam* istiusmodi contemnere *peregrinam*: *Senectutis* autem improperium, quasi ob veritatis ignorantiam Ecclesia *prope interitum sit*, ut fatuè pridem ab hæreticis excogitatum est, non minore adoptatur hodie à Novaroribus stultitiâ.

Quæcunque verò imminere aliquando poterit *ira Dei in filios suos*, indubitatum omnibus rectè sapientibus est, *iræ* occasionem minimè futuram prætensam Quesnelli ignorantiam *veritatum*.

Quoniam autem ille præ oculis potissimùm habuisse noscitur mysteria de Gratiâ, & voluntate Dei erga salutem hominum; Christi quoque pro ea meritis & affectu; de his aliquid nobis superest distinctiùs examinandum, an in eorum fide aut prædicatione Ecclesia defecerit hoc tempore, & quidem adeò, ut hunc defectum censeri oporteat inter *signa maximè sensibilia senectutis Ecclesiæ*, *& iræ Dei in filios suos*.

Semper lector meminerit receptissimæ penes Dialecticos regulæ, quòd in Dogmaticis Propositio indefinita æquivaleat universali, ut cum dicitur, *Homo est animal rationale* nemo dubitet universis hominibus *animalis rationalis* tribui prædicatum. Ita sensu generali enuntiatos intellige sequentes Quesnelli Articulos, in primis quintum: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ, exhortationes & gratiç exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum*.

Corda non emolliunt gratiæ, nisi efficaces: quotiescunque proindè hæ non adsunt, quælibet exhortatio, concio, lectio, quodlibet consilium & exemplum, non inutilia solùm; sed noxia, & non nisi damnationi accersendæ graviori idonea judicantur; cùm *non inserviant nisi ad cor magis obdurandum*.

Portò inter gratias interiores in Quesnelli systemate nulla est, nisi Victrix, & omni superior tentatione. Art. 15. *Quando* (sive quandocunque) *Deus mandatum suum & suam externam locutionem comitatur unctione sui spiritûs, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illi in corde obedientiam, quam petit.* 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit omnipotenti.* 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: Quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.* 18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.*

19. *Dei gratiâ nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradidit in omnibus suis scripturis.* 20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.* 21. *Gratia Jesu Christi est gratiâ fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.* 25. *Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus solâ suâ voluntate; Jubet & ipsi obtemperatur.*

Quantumlibet in hoc Adversario & Novatorum Duce, pestifera insectemur Dogmata, nec minùs exagitemus rationes partim frivolas, partim fraudulentas, ne uno quidem penes eum deprenso uspiam legitimo stabiliendis suis Dogmatibus argumento; attamen mirari cogimur singularem hominis artem & industriam, in adhibendis modis, figuris, phrasibus tam variis, eundem semper insinuantibus errorem.

Tot nempe Articuli jam descripti quidaliud significant, quid per eos aliud author voluit intelligi, quàm omne interioris & supernaturalis gratiæ auxilium, quod per Christi nobis merita conceditur, esse invictissimum, ejusque effectum non magis pendere à libero hominis arbitrio, quàm Dei filii incarnatio, vel Christi resuscitatio, ab humana ejus dependerit libera electione, quam constat eò minimè concurrisse?

Quid liberum cujusvis hominis arbitrium conferre potuit ad sui è nihilo productionem,

quid

quid postmodum poterit ad resurgendum? Istæ nihilominùs & similes ideæ sunt, quas Quesnellus nobis præscribere voluit quasi *à Deo ipso* traditas in omnibus suis scripturis. Censent autem meritò Catholici nihil magis alienum à fidei nostræ Dogmatibus, nihil magis consonum hæreticis.

Redit tamen horrida Quesnelli comminatio & augurium imminentis Ecclesiæ interitûs, & *ira Dei in filios suos* propterea quòd talibus assensum præstare *veritatibus* noluerint; sed malesanis istiusmodi terriculamentis minimè commovetur Ecclesia, ut se dejici patiatur à fide, quàm à Divino suo fundatore per Apostolos eorumque Successores accepit legitimâ expositam prædicatione, atque in nullo violatam Articulo, perpetuâ retinet firmitate. In expensis hactenùs Propositionibus gratiam Quesnellus præcipuè considerat, obtingere solitam Fidelibus in Christi Ecclesia, nunc ad extraneos attinens discutienda est.

CAPUT III.

Supposita à Quesnello veritas circa discrimen inter Gratiam Adami & nostram, ab omnibus semper est ignoranda Catholicis.

Quemadmodum in Calvini hæresim propendere nimiùm deprehenditur Quesnellus de gratiâ lapsi hominis differens, sic ad contraria Pelagianorum castra accedere conspicitur ubi de primi homnis ante peccatum gratia Sermo est.

Prop. 34. *Gratiâ Adami non producebat nisi merita humana*. 35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ*. 36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propriâ personâ recepisset, ista verò non recipitur, nisi in personâ Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus*. 37. *Gratiâ Adami Sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata, gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei*.

E relatis quatuor Propositionibus priores duæ inter Bajana Dogmata condemnatæ pridem fuerant à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. Illic enim prima legabatur: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia*. 3. *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia*. 4. *Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt*. 5. *In promissione facta Angelo & primo homini, continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur*.

7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ Creationis munera; sed juxtà modum loquendi Scripturæ Sacræ, non rectè vocantur gratia; quo fit ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari*. 9. *Dona concessa homini integro & Angelo, forsitan non improbandâ ratione possunt dici gratia; sed quia secundùm usum Sacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis conferuntur; ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet*.

Propositum statutumque Jansenio fuisse, damnatorum in Bajo Dogmatum suscipere defensionem, discimus ex ejus manuscripto Codice, in quem ante famosi Operis compositionem, conjecerat rudem materiam, initium ducens ab hac parum digna Catholico Epigraphe, *Ad excusandas Propositiones Magistri Michaelis* Baii. Tum sequitur quidquid cavillationum excogitari à Jansenio potuit, & ab ejus postea vidimus arreptum discipulis, ut Baii Articulos à Pontificio pridem inflicto, iteratoque sæpius anathemate, vindicarent.

Horrorem autem ipsi Jansenio incutere visa est tam perniciosa, & detestabilis machinatio, quando metuens, ne incidente aliquando Codice in manus alienas, & novitatibus forsitan inimicas, characteris proprii testimonio convinceretur, Epigraphen totius Indicem Operis & consilii, quo compositio tam plena periculi suscepta est, trium confusione Idiomatum Latini, Græci, & Hebraici, cum Judaicæ imitatione Cabalæ, reddere studuit lectoribus, à se non institutis, vix penetrabilem. In ipso quoque typis edito volumine, quos resuscitavit Baii Articulos, videri voluit eos aliquantulum mitigare additione vocabuli *specialia*; vel similis; sed apparens ea qualiscunque vocetenus mutatio, occultando potiùs perverso Authoris sensui, quàm Dogmati corrigendo reperitur adhibita.

Sic nempè Jansenius Tomo 3. Editionis Lovaniensis col. 936. *Angelis vita æterna non est gratia specialis; sed merces meriti* col. 935. *In Angelis neque merita neque perseverantia sunt specialia Dei dona*. Iterum col. 936. *Merita Angelorum sunt merita liberi arbitrii, humana & sua*.

Merita illa Angelorum vocat humana; quia ejusdem ordinis seu rationis sunt hominis

nis ante lapsum merita & Angelorum. Ex tertiâ sententiâ patescit, quod & aliundè compertum est, Jansenium in statu primæ innocentiæ tribuere beatitudinis meritum operibus, sine gratiâ elicitis.

Perindè dum Jansenius in prima sententia ait se non requirere in statu illo *gratiam specialem*, hoc nomine intelligit quamlibet naturæ ordine superiorem; quasi dicat: si data à Deo homini, congrua ejus naturæ dona, ut gratuita Dei munera sunt, appellaregratias placuerit, non refugio vocabulum; modò non necessariam statuat grariam, naturali hominis conditione superiorem, quæ omnis Jansenio *specialis* est, atque omne opus tali exercitum auxilio, ab eodem Antistite *specialis* doni nomine condecoratur, ut verè speciale est; si cum naturalibus comparetur.

Clarissimè sensus ille Jansenii cognoscitur è verbis ejus sequentibus. Tom. 2. col. 797. *Beatitudo supernaturalis & Regnum Cœlorum non potest à creatura rationali innocente* (in solis naturalibus constituta) *separari sine injustitia*. Ibid. *Clara Dei visio nequit negari creaturæ innocenti*. Ibidem iterum: *Regnum Cœlorum, quod supernaturalis ordinis est, non potest à purâ naturâ separari sine injustitiâ*: denique ibidem: *ipsa claræ visionis beatitudo in Regno Dei non potest negari creaturæ innocenti: innocens autem est pura creatura*.

Quæ omnia, ut apprimè conveniunt Propositionibus Baii, facilè perspicimus cur placere debuerint Arnaldo, quem suprà retuli in suæ pro Jansenio Apologiæ Præfatione contra variorum anathema Pontificum sic insurgentem: *Non potest sine voluntariâ excæcatione & portentosâ pertinaciâ negari, Propositiones Baii, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta Capitalia Doctrinæ S. Augustini*. Sic Arnaldus trienniò postquam Urbani VIII. Constitutio *in Eminenti* declaraverat, *multas ex Propositionibus* (à Pio V.& GregorioXIII. *Prædecessoribus* (inquit Pontifex) *nostris olim damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi .. malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei perniciem vertenti*; cui Pontifex ut quantùm posset, remedio occureret maximè opportuno, memoratas S. Pii & Gregorii contra Bajum definitiones confirmavit integrè, librum quoque Jansenii tot scatentem perniciosis & damnatissimis errroribus confixit.

Verùm hanc Sedis Apostolicę Censuram minimè reverirus Arnaldus, intolerabili percrexit audaciâ in Apologiâ pro Jansenio pag. 92. quasi Divinæ Providentiæ Consilia assecutus, Pontificibus & toti eis consentienti Ecclesiæ insultare, asserens quòd *sicut Deus aliàs Salomoni destinaverat Templi sui ædificationem, ita reservarit Jansenio elucidationem gratiæ*. Arnaldo suffragatur Quesnellus in *Notis ad Epistolam Steyaertii* pag. 18. De omnibus Ecclesiæ contra Jansenium definitionibus triumphans.

E quatuor relatis superiùs Quesnelli Propositionibus, non nisi geminas expendi hactenùs, Bajanis pridem à Sede Apostolicâ condemnatis iterumque reprobatis in Jansenio consonantes: duabus aliis Quesnelli Propositionibus neque in Bajo, neque in Jansenio me vidisse similes memini. Evenire istud solet novarum Inventoribus hæresum, ut eorum discipuli supra Magistros sapere velint, & erroribus novos superaddere.

Quesnello scilicet non placuit gratia, lapsis in Adamo hominibus concedi solita, quæ juxtà communem sententiam à Deo animis ipsorum inditur, actualis quidem transiens; habitualis autem quæ seipsâ hominem sanctificat, tanquam forma stabilis inhærens; sed actualem Quesnellus statuit Deum ipsum sive invictissimam ejus voluntatem. De hac clarissimè se explicat Propositione undecimâ.

Sicut enim Prop. 10. dicitur *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*. Propositione 11. exponitur quid rei ista operatio sit, & definitur aliud non esse quàm ipsa Dei voluntas: *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotens Dei, jubentis & facientis quod jubet*.

De gratiâ actuali simul & habituali enuntiat Propositio 36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quòd primam unusquisque in propriâ personâ recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus*.

De grariâ sufficiente seu habituali distinctiùs agit Prop. 37. Quanquam Quesnelli inrentio videatur ut conveniat etiam actuali: *Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei*.

Hactenùs in Ecclesiâ edocti fuimus de Gratia tum actuali, tum habituali quòd prior sit auxilium transiens quòd intellectum illuminat, & voluntatem excitat, movet, adjuvat ad opus salutiferum, simul roborans in tentatione ne infirmitas ei humana succumbat. Posterior gratia seipsâ justificans, pulchritudo quædam animæ est, quæ à Deo infun-

funditur reddens eam Dei oculis gratam, neque unquam deficiens aut deserens hominem, nisi cum perversitate liberâ expellitur.

De Priore Quesnellum asserentem vidimus, quòd nihil aliud sit quàm *voluntas omnipotens* Dei, quæ Deus ipse est.

Contra explicationem gratiæ sanctificantis, quasi hæc aliud non sit, quàm Deus ipse, sive sanctissima ejus & omnipotens voluntas, discimus ex Tridentino Sess.6. cap. 7. *Justificatio non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est; sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati* (quòd aliquid à Deo distinctum significat, eique extrinsecum) *renovamur spiritu mentis nostræ* (renovatio utique spiritûs mentis nostræ mutationem infert nobis instrinsecam) *& non modò reputamur; sed verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suâ, secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, secundùm propriam cujusque dispositione & cooperationem.*

Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis D.N.Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis meritò per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.

Consonat ejusdem Sessionis Canon. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei anathema sit.*

Quæ omnia contra Adversarios peremptoria sunt. Sed Tridentinæ Synodi authoritatem quoties sibi senserint repugnantem, non magni faciunt tales, ut suprà vidimus Reformatores Ecclesiæ. Dum illâ urgentur publicè, comminiscuntur aliquid expositionis frivolæ, quo productum inde textum quemlibet eludere conantur: inter suos eundem, ipsamque Synodum contemnunt apertiùs, ut gravissimis aliàs vidimus de Sancyrano testimoniis comprobatum.

Qui autem novi Theologi, iidem hic novi Philosophi sunt; sed mirabiles & ridiculi. Gratia nempe est justificans, ratione cujus tanquam formæ homini interiùs inhærentis, denominationem ille verissimam accipit Sancti: sic ab actuali gratiâ interiùs illuminante, excitante, movente, adjuvante homo verè dicitur illuminatus gratiâ, excitatus, motus atque adjutus: à fide similiter quæ actus vitalis est hominis, ab ipso per gratiam elicitus, dicitur homo credens & fidelis.

Non defuere quidem neque desunt hodie distinctorum à subjectis accidentium & modorum hostes, qui habitus omnes & actus autumant aliud non esse quàm ipsam animam, sic vel aliter se habentem: At, qui habitus & actus nostros aliud non esse assereret, quàm Deum ipsum, fateor me neque audivisse hactenus, neque legisse; antequam Quesnelli librum & excerptos ex eo Articulos inspicere contigit.

Mirabar in primis, & vix oculis meis credidi, cùm initio legerem Propositione 11. *Gratia non est aliud, quàm omnipotens ejus voluntas: Hac est idea, quam Deus ipse nobis tradidit in omnibus suis Scripturis.* 23. *Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus solâ suâ voluntate.*

Admirationem augebat Prop. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum.* Consectarium enim hic sponte sua fluit evidens; igitur Fides non est aliud, quàm omnipotens Dei voluntas. Quo posito, cur Spes, Charitas, Pœnitentia, aliud sit? Imò, pergit Quesnellus Propositione 28. *Prima gratia quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*, Verùm supponenda semper est Spes, & amor Dei seu Charitas; quia juxtà Propositionem 57. *Totum deest Peccatori, quando ei deest Spes; & non est Spes in Deo, ubi non est amor Dei*, nempè Charitas; nam Prop. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.*

Proindè cùm prima gratia, quam Deus concedit peccatori, sit peccatorum remissio, & simul prima Gratia sit Fides, neque reconciliari Deo peccator valeat sine Spe, & Charitate; oportet Fidem, Spem, & Charitatem esse primam gratiam, quæ conceditur peccatori; cumque ea non sit aliud, quàm Dei Omnipotentis voluntas, quæ procul dubio Deus ipse est, Fidem, Spem, & Charitatem, quibus credimus, speramus, diligimus, quique omnium judicio actus vitales sunt animæ nostræ, oportebit aliud non esse, quàm Omnipotentem Dei voluntatem, seu ipsum Deum.

Tridentina Synodus Sess. 14. cap. 4. ait: *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pænitentiæ actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Omnes pœnitentiæ

tentiæ actus, quos longiori serie recenset Synodus tum ibi, tum sess. 6. cap. 6. necesse erit in Quesnelli systemate non solùm compingere in unum Fidei actum; sed vel in *primam gratiam, quam Deus concedit peccatori*, quæque ipsa *est peccatorum remissio*. Omnes denique memorati pœnitentiæ & virtutum actus non veri animæ nostræ actus vitales fuerint; sed ipsa, & *non aliud quàm voluntas Omnipotentis* Dei. Prop. 11.

Quod ne existimes Quesnello temerè & absque consideratione debita excidisse, idem repetit Prop. 19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas*: Neve istud horreas velut exoticum, imò detestabilem in re gravissimâ novitatem, *Hæc*, inquit Quesnellus, *est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus scripturis*. Hinc colligimus quàm studiosè Quesnellus suos prosequens errores, voluerit esse invicem consonos, quando *differentiam* tradere statuit *essentialem*, inter gratiam nostram & Adami in statu Innocentiæ, quòd suam ipse in *persona propria recepisset*; nostra verò non *recipiatur nisi in persona Jesu Christi*, quæ Deus ipse est.

Ea pars aliqua *veritatum* est Quesnelli judicio, nostro autem execrabilium novitatum; quas, quia Ecclesia non amplectitur, miserum contraxisse *senium*, sive *propè interitum esse* dicitur & *iræ* Dei obnoxia.

CAPUT IV.

Luctuosa ut à Quesnello describitur Testamenti veteris conditio non veritas; sed damnabile figmentum est.

A Gratiis primævæ innocentiæ deducimur ad eas, quæ lapsis in Adamo hominibus Dei benignitas in antiquo fœdere concessit: de his ita Quesnellus Art. 6. *Discrimen inter Fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando. 7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad Fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis. 64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando. 65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

De quatuor his Articulis non minùs quàm de Superioribus, fateamur necesse est, eas *plerisque Christianis*, imò Catholicis omnibus *linguam esse quasi peregrinam & idioma incognitum*. Minimè peregrinum aut incognitum fuit Jansenio; sed abipso adamatum inprimis, & inter Doctrinę Capita in Ecclesiam introducenda non postremum. Sic ille Tomo 3. lib. 3. cap. 7. & 8. Lovaniensis Editionis col. 284. & 288. *Non adfuit hominibus sub vetere lege viventibus gratia sufficiens servandi legem aut ullum præceptum ejus; sed potiùs impediens*.

Non durus adeò in veteris legis homines est Jansenius, ut gratiam omnem deneget universis: aliquos, sed *paucos*, à maledicto excipit ibid. cap. 5. col. 271. sub finem: *Fuit quidam sub lege status, sub quo generaliter, paucis exceptis, ante Salvatoris adventum non dabatur gratia sufficiens implendi id quod jubebatur; multò minus gratia sufficiens ad salutem: sed è contrario talis gratia lationi legis ac scopo Dei capitaliter repugnabat*. Præcesserant Calviniani vulgò Contraremonstrantes in specimine Amstelodamensi Art. 57. *Judæi, quibus Christus prædicabat, non poterant se convertere aut credere: nunquam etiam ipsis sufficiens gratia data est, qua ad conversionem aut salutem pertingerent*.

Tales nunquam professa est, aut tenuit Ecclesia *veritates*; sed fuere semper Catholicis omnibus *lingua peregrina & incognitum Idioma*. Proinde si *senuisse* ideo, si *propè interitum esse*, Deique provocare *iram in filios suos* Ecclesia dicenda est, eadem ipsi contumelia intorqueri potuit ab ipsis ejus incunabulis; unde pridem Ecclesia perire dubuerat, divinâ eam extinguente vindictâ. Sed fallor si non ipsa pariter destrui debuisset Divinitas, tot fallacia Prophetis aliisque inspirans Hagiographis Oracula, tot subdolis populum miserum promissis & hortationibus deludens.

Quis enim cum Quesnelli duritie conciliet tot urgentissima Scripturarum in Testamento veteri monita ad pœnitentiam, tot ad Justitiam salutemque consilia, invitationes, præcepta? Deuteronomii cap. 30. Dicit Dominus non paucis solùm electis Sacerdotibus, Prophetis & Patriarchis; sed universo populo: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum; & è contrario mortem & malum: ut diligas Dominum Deum tuum... Elige ergo vitam ut & tu vivas*.

Quid

Quid inſtitutus à Queſnello populus reſpondere Deo potuit? Juxta Art. 7. *Quæ utilitas pro me in veteri Fœdere, in quo me Deus reliquiſti meæ propriæ infirmitati, imponendo* mihi tuam *legem*? juxta Art. 6. *Exigis* à me peccatore *fugam peccati & implementum legis relinquendo me in meâ impotentiâ*. Quis *implementum legis* cum *impotentiâ* componat? Contra Deum confirmaret populum Queſnellus, eo quod relinquere hominem *propriæ infirmitati & in ſua impotentia*, indubiè ſit hominem relinquere abſque ſupernaturali auxilio. Juxta Articulum autem 39. *Voluntas quam gratia non prævit, nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitandum, virium niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Si ad omne bonum incapax ſim, quoties à gratiâ non prævenior, quomodo *derelictus meæ infirmitati & impotentiæ* diligere te poſſum?

Non apparet quid in ea populi contra Dominum Apologia non foret conſentaneum rationi. Approbat eam Doctorum Aquila Auguſtinus lib. de naturâ & gratiâ cap. 69. *Firmiſſimè creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.* Secutus Auguſtinum Ennodius Ticinenſis Epiſcopus lib. 2. Epiſt. 19. *Inter homines à recti diſcordat affectu, qui à ſubjectis exigit, quod in poteſtate non tribuit: hoc de Deo qua conſcientia ſentiatur, advertite.* *Conſcientiam* Ennodius haud noverat Queſnellianam, quæ patentem tribuere Deo optimo crudelitatem & injuſtitiam minimè formidat, modò illa ſtabiliendæ ſuæ ſerviat novitati.

Frivolum eſt quod tentari ab Adverſariis ſolet captatum è Tridentinâ Synodo argumentum, quaſi ſeſſ. 6. cap. 11. mandata aliqua agnoſcantur impoſſibilia eum dicitur: *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quis neget eſſe præcepta, quæ ſolis nequeant naturæ viribus adimpleri, Deumque, etſi promptum omni tempore opitulari, velle tamen etiam à nobis agnoſci humanarum virium imbecillitatem, ſui indigam ſubſidii, quod ſupplici expetendum oratione ſit?

Nullus ſanæ mentis Theologus ad libertatem meriti capacem ac demeriti, exigit poteſtatem ſemper agendi immediatam: ſufficit hanc paratam offerri, atque in noſtrâ, ſaltem petendo, eſſe poſitam electione: ſic iter, etiam celeriter conficiendum, non cenſebitur claudo impoſſibile, cui paratus equus ſit ad vehendum idoneus.

Verùm nullam hinc Adverſariorum novitas ſibi valet accerſere excuſationem; quandoquidem non tantùm agendi; ſed orandi etiam, & ſalubriter deſiderandi, omnem Judaico populo adimit facultatem. Gratiam enim ad orationem, ipſumque orationis ſalubre deſiderium, neceſſariam eſſe, nemo Catholicus ignorat. Crudelis autem hypotheſis Queſnelliana omni penitùs Judaicum vulgus cœleſti ſtatuit deſtitutum præſidio, non efficaci ſolùm; ſed etiam ſufficenti, tum proximo tum remoto. Impiâ & atroci iſtiuſmodi adulatione non eget Eccleſia, ut Synagogæ præcellere intelligatur. Veriſſimarum aliundè ſat magna nobis copia prærogativarum eſt, quas nemo Theologus ignorat.

Ne verò dubites quin infirmitatis & propriæ impotentiæ nomine Queſnellus intelligat omnem Judaicæ plebi denegari gratiam remotè & remotiſſimè ſufficientem, tum ipſa ſatis indicat ſexta & ſeptima, quam retuli Propoſitio, tum ſole meridiano clariùs oſtendit vigeſimanona, *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*. Miſerrimâ hâc egeſtate author liberat Prophetas & Patriarchas, quos propter explicitam de Chriſto venturo Fidem, Eccleſiæ adſcribit.

Ne tamen exiſtimes, ab eorum inſtitutione aliquid ſpei ad juſtitiam & ſalutem obvenire populo potuiſſe, denuntiat Propoſitio 65. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint niſi mancipia per timorem.* Quàm ineptus hic ſit ut ad Deum valeat deducere peccatorem, declarat Propoſitio 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicut beſtiæ; ſed per fidem & amorem ſicut filii.*

Ratio ulterior eſt; cur diſpoſitio ad primum Dei amorem nequeat eſſe timor; quia omnis actio & volitio, quæ neque Dei amor eſt neque ab eo gignitur, neceſſariò cupiditas turpis eſt, vel ejus vitioſa progenies; juxta Propoſitionem ſcilicet 44. *Non ſunt niſi duo amores, undè volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

Omnia itaque Judaicæ plebis opera ſunt peccata, quia juxta Artic. 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem*. Gratiâ eos caruiſſe manifeſtum eſt juxta relatum Artic. 29. *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia*: Quod de Teſtamento antiquo aſſeritur emphaticè, & ſimul nequiſſimè, obtentu extollendi novi Fœderis ſupra ve-

vetus, citato Articulo 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri Fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo illi suam legem?*

Et ne dubiū maneat, quin illa *infirmitas* veram significet servandi mandata *impotentiā*, apertissimum retuli Art. 6. *Discrimen inter Fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigat fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò &c.*

Sic igitur à Quesnello terribilis & luctuosissima in Judæorum populum profertur damnationis sententia, & quidem damnationis non declinabilis; evidens enim est omnem derelictum suæ *propriæ infirmitati*, & impotentiæ servandi mandata, ea transgredi, & perire necessariò: non enim juxta Quesnellum quæ, deficiente gratiâ, in homine oritur transgressionis necessitas, à culpa & demerito eximit delinquentem, ut vidimus Art. 40. *sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.*

Rex Psaltes Deo dixerat *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; sed cui *verbum*, cui lex tua usui esse poterat inferiori populo?

Respondet Jansenius Tomo 3. lib. 1. cap. 8. Lovaniensis Editionis col. 33. & cap. 11. col. 43. *Hallucinatur, quisquis legem eo scopo dotam putat, ut ejus luce eruditi facilius peccata vitarent, aut per gratiam sufficientem eam servarent; hoc enim Apostolo & Augustino è diametro contrarium est; sed ut multitudine & magnitudine peccatorum, quæ ex lege sciebatur futura, eorum superbia frangeretur.* Eâdem col. 33. *Lex Justitiam reddidit difficiliorem, & quasi muro interposito impossibilem.*

Eodem Tomo lib. 1. cap. 9. col. 37. *Carnalis homo* (ut omnis est relictus propriæ infirmitati) *qui legem accipit... videlicèt ut quod lex jubet, facere aut nolit aut velit, plerumque peccabit gravius, quàm sine lege peccavisset: graviter quidem si facere noluerit, periculosius si voluerit.* Impietatem sonare apertiùs videtur quod est eodem Tomo. lib. 3. cap. 7. & 8. col. 284. & 288. *Non adfuit hominibus sub vetere lege viventibus gratia sufficiens servandi legem, vel ullum præceptum ejus; sed potiùs impediens.*

Quesnellus art. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores* (inter quas lex Dei Sanctissima continetur) *non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.* Necessarium quoque erit in Quesnelli Systemate, quod ex Jansenio retuli, à Judæis in lege veteri peccatum in nullis potuisse actionibus devitari, sive imperata facere vellent, sive negligere.

Quesnello æquè ac Jansenio præluserat Hæresiarcha Lutherus Tomo 3. præfatione in vetus Testamentum: *Dicimus legem bonam & utilem; sed in bono sensu, scilicet ad revelandas & augendas spirituales transgressiones.* Similiter Calviniani vulgò Contra-remonstratenses in specimine Amstelodamensi Art. 52. *Alloquitur verbo suo reprobos Deus; sed ideout surdiores fiant: accendit suum lumen ut cæciores fiant; docet ut hebetiores maneant; medetur eis ne sanentur.*

Ulterior à Quesnello Superioris asserti ratio redditur Art. 64. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.* Ubique liquet sensus, *sub maledicto legis peccari semper*; aliàs ineptissima foret probatio, si ad stabiliendam priorem Articuli partem *sub maledicto legis nunquam fit bonum*, designaretur ratio, *quia aliquando peccatur.*

De sensu authoris generali dubitare non possumus convincentibus nos assertionibus nimium perspicuis. Articulo nempè 62. ait: *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.*

Præterea sub maledicto legis, quo, in Quesnelli sententiâ, universus premitur populus Judæorum, timor nullus est filiorum; sed servilis solummodò, ut vidimus Art. 65. *Moyses, Prophetæ, & Doctores Legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.* Timor *nonnisi mancipiis* proprius indubiè *servilis* est: Et in *Monito quinto*, Gallicè: *Memoire cinquieme* pag. 253. *Esse*, inquit Quesnellus, *sub lege, est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sine gratia, sine amore, sine charitate, nihil habet in corde nisi timorem servilem.*

Hic certi reddimur, quod in Quesnelli sententia *esse sub lege* & *sub maledicto legis* pro eodem accipiantur significato. Colligimus hinc quoque Moysen, Prophetas & Patriarchas non fuisse sub lege; sed sub gratia, qui veteris licèt Testamenti tempore viventes, ad novum potiùs pertinuerint, in venturum credendo fide explicitâ, Servatorem: eosdem, utpotè Sanctos & electos, necesse est amore fuisse præditos filiorum.

Populi verò relicti sub lege alia superest calamitas non levior, indeclinabilis desperatio, juxta Art. 60. *si solus supplicii timor*, qui propriè servilis est, *animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta eò magis ducit ad desperationem.* Ratio traditur Articulo sexagesimo

mo feptimo: *Timor fervilis non fibi repræfentat Deum, nifi ut Dominum durum, imperiofum, injuftum, intractabilem.* Quam gratiam, mifericordiam, criminum veniam a tali Domino fperes?

Præiverat Lutherus Præfatione in vetus Teftamentum: *Sicut in Monte Sina tonitru, fulmen &c.... Sic Lex quando in fuo vero eft ufu, nihil aliud facit, quàm quod revelat peccatum, efficit iram, accufat, & perterrefacit homines, ut non procul abfint à defperatione.*

At, inquies, quantumcunque mifera fuerit Judæorum conditio, non eft cur ea nos admodùm commoveat, qui Salvatoris gratiâ nos à fervitute veteri in fortem filiorum credimus vindicatos. Verùm Ecclefia, quæ ab Apoftolo columna & firmamentum dicitur veritatis, errores in Theologicis, præfertim impios, tolerare non poteft, five ad Judæos pertineant, five ad Chriftianos. Sic etiam errores de ftatu innocentiæ non minùs Ecclefia refpuit & condemnat, quàm qui lapforum conditioni hominum adverfantur.

Sic trium Pontificum contra Bajanos Articulos Sententia, tefte Eminentiffimo de Noailles, univerfæ probata Ecclefiæ confenfu, inter novem primos collocat feptem de ftatu primævæ Innocentiæ, tum in Angelis, tum in Hominibus: Præterea vigefimum primum, 23, 24, 26, 55, 78, 79. denique ea Quefnelli in Iudæos fævitia, licèt, quanto eos ampliùs deprimit, videatur altiùs extollere Chriftianos, attamen neque horum parcit multitudini infinitæ eandem Judaicæ fubjiciens fervituti. Licèt enim Art. 6. afferat *Deum in* novo Fœdere *peccatori dare quod jubet illum fua gratia purificando*: & Art. 7. *Deum nobis donare quod petit à nobis.* Art. tamen 8. duriffimam imponit & à nullo admittendam Catholico conditionem, definiens *Nos non pertinerè ad novum Fœdus, nifi in quantum participes fumus ejus gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit*: & 63. *Baptizatus adhuc eft fub lege ficut Iudæus, fi legem non adimpleat, aut adimpleat ex folo timore.*

Ubi ex novo Fœdere eliminatur & veteri fubditur maledicto, omnibus Judæorum oneribus premēdus, quilibet baptizatus antequam efficaci gratiâ donetur, & quoties illâ deftitutus labitur in peccatum. *Sub lege* ftatuitur *ficut Iudæus*, & juxtà relatum fuperiùs Quefnelli *Monitum quintum, effe fub lege eft effe fub dominatione peccati, quia homo illic exiftens fine gratia, fine amore, fine charitate, nihil habet in corde nifi timorem fervilem*; quibus proindè non obruitur malis deducentibus ad defperationem! Eo ipfo enim quo *fine gratia eft, peccator, non eft liber, nifi ad malum: nihil habet luminis nifi ad aberrandum, ardoris nifi ad fe præcipitādum; virium nifi ad fe vulnerandum: eft capax omnis mali & incapax ad omne bonum: nihil amare poteft nifi ad* (fuam) *condemnationem. Omnis* (in eo) *cognitio Dei non veniens nifi à* Deo, *non producit, nifi præfumptionem, vanitatem & oppofitionem ad ipfum* Deum. Denique *nihil in ipfo* (eft) *nifi impuritas, nihil nifi indignitas*, juxtà Articulos trigefimum octavum & quatuor fequentes.

Non ibi finis malorū eft, quæ in quemlibet Quefnellus conjicit peccatorem dum eum *fub lege* deprimit, atque ibi, ut in eodem *Monito quinto* vidimus, jubet effe *fine amore*. Juxtà Art. autem 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnefque actiones ejus corrumpat.* 49. *ut nullum peccatum eft fine amore noftri, ita nullum eft opus bonum fine amore* Dei. 57. *Totum deeft peccatori, quando ei deeft fpes, & non eft fpes in Deo, ubi non eft amor* Dei. Hunc pariter Quefnellus, ut expreffum in eodem ejus *Monito* vidimus, arcet ab omni homine, qui *fub lege eft*. Quæ verò eum, charitate exule, neceffariò deftituant bona, quæ ei obveniant mala, inculcatum diftinctiùs Quefnellus voluit Propofitionibus non paucis. Juxtà Prop. 46. *Cupiditas aut Charitas ufum fenfuum bonum vel malum faciunt.* Ufus proindè fenfuum nullus eft medius, bonum inter charitatis, & malum cupiditatis imperio elicitum. Quod de ufu fenfuum dicitur, ad omnium facultatum, quæ voluntati fubditæ funt, exercitia, facilè extendetur. 50. *Fruftra clamamus ad Deum Pater mi; fi fpiritus charitatis non eft ille qui clamat.*

Unde fruftrà precabitur legi fubditus, ut converfionis gratiam accipiat; utpotè non audiendus. Si autem oret charitatis fpiritu, ipfa charitate iuftificatus eft, ut ipfe Quefnellus prædicat in primam Epiftolam S. Joannis cap. 3. v. 9. *nullum peccatum mortiferum poteft confiftere cum charitate.* Proindè peccatorum veniam nunquam precibus peccator, fivè conftitutus fub lege poterit obtinere, fi nova fubfiftit hypothefis. Prop. 51. *Fides juftificat quando operatur; fed non operatur nifi per charitatem.* Ita fub lege exiftens orare nunquam utiliter poterit; quia oratio utilis debet procedere ex fide, quæ definiente Tridentina Synodo feff. 6. cap. 8. *Eft humanæ falutis initium, fundamentum & radix omnis juftificationis.* Fides autem, nifi imbuta fuerit charitate, orationem utilem producere nequit; fi nonnifi per charitatem, ut Quefnellus enuntiat, operetur.

Rursùs juxtà Art. 54. nullus ad Deum preces dirigere subditus legi poterit sic, ut exaudiantur; quia *sola charitas est*, *quæ Deo loquitur hanc solam Deus audit*, imò nihil Christiani operis facere, modo poterit Christiano penès Art.53. *Sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum & Iesum Christum*.

Quæ truculentior in omnes legi subditos contumelia vibrari potest, quàm quæ est Art.58. *Nec Deus est*, *nec Religio*, *ubi non est charitas*? Sic nempè Christianus quilibet peccati reus, cum toto Judæorum populo, exceptis Prophetis, & paucis similibus ad novum Fœdus pertinentibus, ad Atheos relegatur. Quæ omnia horrent Christianæ aures. Hæc tamen execrabilium congeries novitatum est, quam quia præter Quesnellum, & ejus socios, nemo recipit, rejiciunt universi, lugentem audire nos oportuit Quesnellum, quasi *veritates eò devenerint*, *ut sint quasi lingua peregrina plerisque Christianis*; undè minatur Ecclesiæ interitum, quasi proximè imminentem, simul *& iram Dei in filios suos*.

Sed ea Catholicis intentata à Quesnello maledictio mulierculas quasdam fatuas terrere potuerit; viris autem sapientibus pro benedictione est, quemadmodum egregius Albigensium hæreticorum hostis, de similium nos docuit maledictis, merito ipse celebratus encomio à Luca Tudensi lib.1. cap.9.

Verùm dissimulanda silétio non est atrox nimiùm Quesnelli in Moysen & Prophetas Sanctissimos calumnia, quâ de gravissimo ipsi crimine accusantur, cujus nunquam eos legimus pœnituisse: atque ita non apparet quomodo post innumerabilium ruinam animarum quas negligente suâ & præposterâ institutione ad æterna demerserint supplicia, ipsi sibi promeriti sint salutem: *Moyses* scilicet, *Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum dederint Deo filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*.

Mancipia illa sub lege fuerunt, quinetiam *Baptizatus adhuc est sub lege*, *sicut Iudæus*, *si legem non adimpleat*, *aut adimpleat ex solo timore*. Prop.63.

Quid sit *esse sub lege* à Quesnello jam definitum dedimus in *Monito* ejus *quinto*, quòd sit *esse sub dominatione peccati*; *quia homo illic existens sine gratia*, *sine amore*, *sine charitate*, *nihil habet in corde nisi timorem servilem*, qui per Art.67. *non sibi repræsentat Deum*, *nisi ut Dominum durum*, *imperiosum*, *injustum*, *intractabilem*, in quo proindè spes nulla clementiæ, nulla obtinendæ peccatoribus veniæ collocanda est.

Præthereà si quiliber *existens sub lege*, *sit sine gratia*, *sine amore* Dei, *sine charitate*, quomodo spem concipiet, sine qua salutaris pœnitentia non elicitur, maximè juxtà Art.60. *Si solus supplicii timor animat pænitentiam*, *quo hac est magis violenta*, *magis ducit ad desperationem*.

Respondeant itaque pro Quesnello mortuo discipuli ejus & vindices: censeantne ipsi, aut crediderit eorum Magister, Moysen, Prophetas & alios Sanctos veteres, quibus commissa fuerit populi directio, solam docuisse propriam *Mancipii* formidinem, non autem debitum à *filiis* amorem?

Si istud autument adversarii, quod non obscurè Quesnelli indicat Propositio, nullam unquam proferent argumenti speciem, quæ gravissimæ à se calumniæ amoliantur infamiam. Quâ enim ratione verisimile fiet, Sanctos illos, tot revelationibus à Deo illustratos, & colloquiis, ei quodammodò familiares, tam crassis vixisse tenebris obsitos, tam cæcos ut ignoraverint, qualem institutionem, qualia monita salus populi, & sui proindè obligatio muneris postularit?

Oppositum ipsæ Sacræ paginæ tum Testamenti novi, tum veteris evincunt Legis, per Moysen populo traditæ, ac totis ab eo viribus inculcatæ, uti & à Prophetis, cujus primum ac præcipuum caput est *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Videri de hoc possunt præcipuè Exodus, Deuteronomium, Ecclesiasticus: Prophetarum etiam, Isaiæ potissimum & Ezechielis directa ad populum oracula, Divinæ benevolentiæ, misericordiæ, mansuetudinis effectibus, atque amoris mutui incentivis plena.

Ineptissimum autem & scientiæ Sacræ imperitissimum oportet esse interpretem; qui, ubicunque in Sacro antiqui Fœderis Codice commendari legitur *Timor Domini*, de solo intelligat servili, & non sæpissimè de proprio filiis, aut mixto, qui initialis dicitur. Voluntaria necesse est obcæcatio mentem pessumdederit adversariorum; si non percipiant, quantum improvidâ suâ, & Divinis Textibus sæpè maximè incongruâ explicandi ratione, tribuant præsidii Defensoribus attritionis, pœnarum solummodò conceptæ formidine; quanquam & solidioribus nixa fundamentis sententia, subsidio non indiget falsitatis.

Non levibus saltem calumniis certissimè turget Quesnelli hypothesis, geminos hosce complexa Articulos 65. *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores Legis mortui sunt, absque eo, quod ullum Deo dederint Filium*; *cùm non effecerint*, *nisi mancipia per timorem*; utique servilem: 67. *Timor autem servilis non sibi repræsentat Deum*, *nisi ut Dominum durum*,

impe-

imperiosum, injustum, intractabilem. Proindè timor adeò Sacrilegus in Testamento veteri commendari unicè censebitur, quoties timoris fit mentio; ejusque intenditur exercitium.

Quantò meliùs saluti animæ suæ Quesnellus consuluisset; Moysen & Prophetas Sanctissimos humilibus conciliando sibi precibus apud Supremum Judicem intercessores, quàm suis eos lacessendo calumniis, & reos faciendo negligentiæ sceleratissimæ, quâ innumeras animas æternis addixere suppliciis, quas Cœlo transcribere poterant & ex imposito sibi divinitùs officio.

Neque sola negligentia vel omissio in Quesnelliana hypothesi crimen Moysis & Prophetarum est; *quod nullum Deo dederint filium per amorem*; sed majus alterum est; *quod effecerint tot impia mancipia per timorem*, utique servilem, qui in Quesnelli sententiâ non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. Talibus illi, si cum Quesnello senserint, instituerunt blasphemiis Populum contra Deum, ut nonnisi odisse eum disceret, & velut Numen Tyrannicum execrari.

Desinat itaque nova Secta suos nobis tam stolidos, veritatum nomine, venditare errores, quos *linguæ instar peregrinæ & idiomatis incogniti*, meritò rejicimus, & velut blasphemias, zelo Catholico abominamur. Adeò non credimus, quòd Ecclesia propterea contraxerit *senectutem*, & interpretante hoc vocabulum Apostolo, *propè interitum sit*: neque ea probabilis mutuendi ratio est, ne provocetur *ira Dei in filios suos*.

CAPUT V.

Conficta à Quesnello Veritates *de Infidelium aliorumque Peccatorum conversione*.

EXhibenda hìc compendio venit Quesnelliana novitas de omnis generis peccatoribus, infidelibus potissimùm atque Schismaticis. Tota ab Authore quæstio errore brevissimo simul & clarissimo expeditur, negando omnem Infidelibus, Schismaticis, & peccatoribus gratiam, antequam convertantur; quia, inquit, Art. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Art. 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per Fidem*. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Ubi patet geminas recensitas posterius Propositiones, solis infestas esse Infidelibus, priorem etiam Schismaticis; quanquam autumo reperiendos difficillimè Schismaticos hoc tempore, quos non aliquis adversùs Fidem error invaserit.

Verùm quidquid de eo fit, omnibus illis denegandi gratiam, ratio Quesnello una eademque est, quòd omnes in numero Peccatorum sint; *Prima* autem *gratia, quam Deus* juxta Art. 28. *concedit Peccatori, sit peccatorum remissio*, quâ Peccatores esse desinunt, utì & Schismatici & Infideles.

Supersedeo coacervandis pluribus ex Quesnelliano systemate ejusdem erroris Dogmatici fundamentis. Sufficiat deducere ex ipso consectarium indeclinabile quidem authori; sed à nullo assertum unquam, à nullo imposterum admittendum Catholico. Istud est, neminem posse ad Fidem se disponere vel ad justificationem. Non enim potest sine gratia: oppositum Semipelagianum est & hæreticum; sed neque potest juxta Quesnellum aliquis se disponere per gratiam; quia, ut omnis causa est necessariò prior effectu, ita & dispositio; Fides autem & justificatio, quæ juxtà veritatem Catholicam est effectus gratiæ, juxtà Quesnellum est ipsa *prima gratia*. Sic hominis Infidelis, & quantumlibet multis atque enormibus gravati flagitiis, brevissima & facillima, sine ullâ præviâ pœnitentiâ aut aliâ dispositione absolvitur tota, non solùm ad Fidem; sed etiam ad Justitiam conversio; quia sicut per Art. 27. *Fides est prima gratia*, ita etiam prima gratia est ipsa justificatio, sive, ut Articulus enuntiat 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*.

Talis, fateor, conversionis modus ad Fidem & Justitiam inauditus hactenùs in Ecclesia fuit, & est hodie veluti *Lingua peregrina & idioma incognitum*. Repugnat ei directissimè & locis pluribus Tridentinum Cōcilium. Sess. 6. totum caput 5. ut ex ipso titulo liquet, est *de necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & undè sit*. Capitis 6. Inscriptio est. *Modus præparationis*.

Dein Capitis 7. initium. *Hanc dispositionem, seù præparationem justificatio ipsa consequitur*. Eadem Sessione Canon tertius de Justificatione est: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti operatione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Canon. 9. *Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit*.

Sess. 14. Cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet; animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum*

cum proposito non peccandi de cætero. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. Ibid. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*.

Quoniam nobis præsenti capite de Conversione & justificatione Infidelium præcipuè sermo est, quomodo hanc in eis gratia operetur, & quibus præviis dispositionibus, clarè nos edocet Sessionis 6. Caput 6. quo nulla potest esse descriptio accuratior." Disponuntur (inquit) ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum, propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere Baptismum inchoare novam vitam, & servare divina mandata: De hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.,,

Dein post aliquot sententias Scripturæ Sacræ, sequitur Caput Septimum exordio superiùs relato: Hanc dispositionem, *seu præparationem justificatio ipsa consequitur*. In memoratis hactenus Tridentini Sententiis verba quodammodo singula contra Adversarios peremptoria sunt; placuit tamen ea describere copiosius, ut novitas multitudine obruatur, & occluso undique cavillationibus aditu, desperandum sibi perspiciat de evasione.

Quomodo enim *Fides est prima gratia* ipsaque *peccatorum remissio*, ut Statuit Quesnelli Articulus 27. & 28. Si ad justitiam tot dispositionibus & actibus præviis Divinâ excitante, & adjuvante gratiâ, liberè elicitis, Infidelem oporteat præparari? Sufficere deberet & omnem salutis suæ non prodigum, à tam exotica, atque exitiali avertere novitate Canon ille Tridentinus tertius Sessionis 6. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Quesnellus tot annorum Theologus, & quidem polemicus Scriptor, tantam affectans eruditionis Ecclesiasticæ peritiam, Canonem hunc, & reliqua quæ ex Tridentino protuli, ignorare non potuit; sed contempsisse eum verisimile est, edoctum à Præceptore suo Domestico Arnaldo, prout hic acceperat à suo in novis Dogmatibus Institutore Joanne Vergerio Sancyrano Abbate. Hic scilicèt cùm Sacrosanctam illam Synodum offenderet ubique suis novitatibus repugnantem, necesse sibi duxit, illius convellere authoritatem.

Virorum de hoc habemus omni exceptione majorum testimonia, quale est Episcopi Lingonensis, cui Sancyranus persuadere voluerat, *non posse haberi fidem Concilii Tridentini Definitionibus; quia celebratum non fuit juxta normam Conciliorum veterum*. Similiter Joanni de Jouaud Religioso Sacerdoti, Cisterciensis ordinis Abbati & Secretario generali; *Tridentinum Concilium fuisse Pontificis & Scholasticorum, qui Doctrinam Ecclesiæ multum immutarint*.

Inde Quesnellus didicerit non magnifacere eam Synodum, ubicunque sibi deprehenderet adversam. Definitionibus proinde ejus & Censuris, etiam anathemate, nequaquam terreri solitus creditur, utpote judicio suo injustis atque evanidis. Nobis verò conjectura hinc apparet non temeraria, undenam hujus temporis Novatoribus videatur originem duxisse prætensa Ecclesiæ in Dogmatibus corruptela adeò, ut *veritates devenerint lingua quasi peregrina plerisque Christianis*.

Si Sancyrano eique adhærentibus obtigisset Concilium istud Æcumenicum edocere, longè alia condi voluissent Decreta, longè alias Definitiones; alios Canones, & præsentibus in non paucis contrarios. Ne longiùs divertam, de conversione Infidelium, Schismaticorum, quin & Peccatorum quorumlibet rationem tradidissent diversissimam ab ea quæ Decretis illius Synodi & Canonibus continetur. Facillimum illi suggessissent con-

converfionis modum, tot actuum, juftificationem præcedentium recifa ferie, velut fictitiâ, quandoquidem actu unico, eoque infufo Divinitus, abfque ulla præparatione homini liberâ, totum reconciliationis negotium abfolvatur.

Nulla fcilicet præparatio naturalis, five humanis viribus cum Dei concurfu ordinario elicita, conducere poteft ad juftitiam, five ut caufa vel meritum de congruo, five ut difpofitio folùm. Sed neque hominis conatus aliquis præviam excitantem, & comitem adjuvantem gratiam fupponens, poteft effe præparatio vel difpofitio ad juftificationem in Quefnelli Syftemate, ubi & *Fides eft prima gratia, & prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio*. Prima gratia tum juxta communem etiam Janfenii fententiam, eft motus indeliberatus, quem Deus in nobis, ad ejus productionem non liberè concurrentibus, operatur.

Chriftianus itaque populus juxtà Quefnellum, decipitur plurimùm, exiftimans tantam actuum humanorum feriem primâ gratiâ pofteriorem, communiter præmittendam effe, & folitam præcedere, velut præparationem hominis, antequam ei delictorum à Deo venia conferatur.

Quæ quidem Doctrina hactenus inter Catholicos inaudita, quafi *idioma incognitum* univerfis etiam Sanctis Patribus & Theologis apparuiffet indubiè olim non minùs, quàm omnibus appareat Catholicis hoc tempore. Quapropter nefcio quam Quefnellus cum fuis Difcipulis & vindicibus inclamare hic valeat *vocem populi*, tanquam irrefragabile *veritatis* teftimonium, & Tribunal fuperius Apoftolicâ Sede, atque omnibus Epifcoporum cætibus, etiam œcumenicis.

Nam licèt in paucis Galliç & Belgii Provinciis aliquos nacta fuerit nova hærefis fuffragatores publicos; non tamen inducere in animum poffum, ut credam, eò temeritatis & impudentiæ quempiam perveniffe, ut fenfus Propofitionum obvios, cum abfurdiffimis, fed indeclinabilibus confectariis, quæ præfenti capite, claræ expofita luci infectatus fum, prædicare palam audeat aut defendere. Adeò venenum peftilens & exitiale eft, ut horrorem ab eo, fimul ac innotuerit, neceffe fit concipere quemlibet non rudem penitùs; aut novitatis libidine non infatuatum.

Quomodo igitur, inquies, tot nacta funt tantofque Quefnelli volumina Approbatores, tot etiam contra Sedis Apoftolicæ anathema obfirmatos vindices? Mihi quidem erroris hujus femper vifa fuit ratio non una, neque in omnibus eadem. Multos initio decepit fpecies pietatis, ut nullus pluribus abhinc feculis prodiiffe liber hæreticus deprehenditur, ad fallendos, etiam non omnino fimplices magis idoneus.

Nullibi enim tam callidè virulenta dogmata mifcentur monitis & inftructionibus, ad virtutem ac Sanctimoniam, ut apparet, compofitis: neque defunt verborum & figurarum lenocinia, quæ oculos rapiant incautorum, atque attentionem occupent adeò, ut prætereatur facilè, aut excufetur, quod alicubi expreffum occurrerit duriùs, neque fecundùm Theologiæ Regulas accuratè. Fortè etiam Antiftites, qui fuum operi calculum adjecere, nacti fuerant Miniftros novitatibus faventes, quibus examen operis commiferunt; undè à culpa faciliùs liberabitur prior approbatio, quàm poft editam à Sede Apoftolicâ condemnationem defenfio obftinata.

Quefnellum autem ejufque præcipuos affeclas, fuiffe ab initio, huc ufque fidei peffimæ, & de genere malignantium; aliquos etiam Libertinorum, & quibus in praxi quodammodo *nec Deus fit, nec Religio*, perfuadere vifa eft univerfa eorum agendi, fcribendique norma, tot officiis inftructa, tanto in adverfarios odio & furore, tanto authoritatis omnis Ecclefiafticæ & Politicæ contemptu, atque irreverentiâ, tanta libertate in pervertenda falfis interpretationibus Scripturâ, in affingendis Deo Dogmatibus impiis, quæ Divinitatem ipfam horridam reddant & impoffibilem.

Nullam me hic Adverfariis, nullam eorum Syftemati impingere calumniam, judicabit indubiè, quifquis animo ab inordinatis affectibus libero, totam præfentis operis deductionem expenderit. Pars ejus minimè prætereunda eft deducta alias copiofius de Infidelium aliorumque Peccatorum converfione differtatio. Quis dubitet quin à mundi exordio in hæc ufque tempora, multitudo Infidelium fit quodammodo infinita: Et quidem eorum qui in tenebris Infidelitatis nati, in iis ufque ad vitæ terminum permanentes infeliciter perierunt? Voluntatem tamen Numinis erga omnes homines, etiam Peccatores & Infideles benigniffimam, Sacræ Paginæ, ipfo dictante Deo, locis pluribus teftantur.

Juxta illas Deus neminem vult perire; fed omnes ad Fidem, Pœnitentiam, Juftitiam beatitudinem converti. Converfionem conftat requirere aliquod Divinç gratiæ auxilium abfque eo effe impoffibilem. Illud autem Deum nemini eorum unquam concedere voluiffe ab eo tempore, quo in infidelitate natus eft, vel in peccatum lapfus, à quo non re-fi-

ſpuit, crudelis Novatorum opinio eſt, innumeris Divini voluminis textibus contraria, cujus validior impugnatio nos capite proximo expectat. Hic mihi ſufficit Lectorem perſpicere quàm meritò tales Eccleſia opiniones non agnoſcat, non recipiat in numerum *veritatum* conducentium ad ſalutem, ſed inter *peregrinas* rejiciat novitates, à quarum ignoratione nihil habet quod ſibi metuat de comminatione interitûs aut *iræ Dei in filios ſuos*.

Quid timendum habeant ipſi intentatores minarum, & talium figuli *veritatum*, opto ut ante exitum è vitâ ſalubriter diſcant, ſuamque non ſerâ, quæ tarò vera eſt; Sed tempeſtivâ pœnitentiâ eluant temeritatem: ſcandalum ſimul quod puſillis & ſimplicibus dederunt ad interitum, conveniente & publicâ palinodiâ ad ſuam aliorumque auferant quantocyus ſalutem. Exuant errorem fatuum de *primâ gratiâ*, quaſi ea *Peccatori conceſſa ſit* ipſa *peccatorum remiſſio*, quam non ea obvenire ſolitam peccatoribus celeritate; ſed longi temporis pœnitentiâ opus eſſe, nulli alias clamoſius contendunt, quàm noſtri hic diſſolutiſſimi Adverſarii, quoties ſive ad conflandam ſuis æmulis infamiam laxitatis, ſive ad conciliandam ſuæ hypocriſi authoritatem, cenſuerint opportunum.

CAPUT VI.

Errores pernicioſiſſimi tanquam Theologicæ veritates *traditi à Queſnello de voluntate Dei & Chriſti erga Salutem hominum.*

1 Superiores Queſnelli de gratiâ Articulos quiſquis expenderit, facilè aſſequitur qualis ſit ejuſdem de Dei, & Chriſti voluntate ſententia circa ſalutem hominum. Si enim *gratia non eſt aliud quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet* juxta Art. 11. ſi juxta 10. *Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt aut retardare*: ſi juxta 2. *Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque illâ non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt*: Denique ut plures alios in eundem ſenſum ſubdolè concurrentes prætercam ſi juxta Art. 4. *Ei* (ſolùm) *omnia poſſibilia ſunt* (circa juſtitiam & ſalutem) *quæ tu Domine poſſibilia facis, eadem operando in illo*; evidens eſt, nullam gratiam homini obtingere ſufficientem, quæ non obtineat effectum; proindè Deum & Chriſtum juſtitiam ac ſalutem nemini optare, niſi cui eandem gratiâ, ſeu medio largiri ſtatuit efficaci. Alias enim Dei deſiderium ſive voluntas non foret ſeria, neceſſariam denegans homini poteſtatem.

Nunc Queſnellus ipſe ſuam de voluntate Dei & Chriſti Sententiam exponat. Prop. 12. *Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitalis ſequitur voluntatem Dei*. Prop. 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratia ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit*. Prop. 15. *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam quam petit*. Prop. 30. *Omnes quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*.

Similia docemur de voluntate Chriſti. Prop. 14. *Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum*. 31. Prop. *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eam illis optat*. 32. *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt electos, de manu Angeli exterminatoris*. 33. *Proh! Quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renuntiaſſe, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

Trepidavit hypocrita timore ubi non erat timor: trepidaſſet rectiùs, quoties In Sacrificio profeſſionem fidei edidit mendacem, aſſerens ſe de Filio Dei credere, quod *propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcenderit de Cœlo* ubi non propter ſolorum ſalutem Prædeſtinatorum, ſed *hominum* & quidem *noſtram*, inquiunt. Miſſam celebrantes ſinguli quaſi dicerent propter me, & alios homines, propter meam & aliorum hominum ſalutem.

Sic univerſa credit & formulam Fidei intelligit Eccleſia, contra perfidiam Janſeniſtarum; qui non auſi omittere Profeſſionem ſolitam, linguâ doloſâ, & mendaci animo eam pronuntiant, Propoſitionem retinentes Janſenii quintam ſenſu hæretico, videlicet Chriſtum pro nullius reprobi ſalute mortuum fuiſſe; ſed *duntaxat Prædeſtinatorum*.

Quod de ſua electione revelationem novi hæretici non acceperint, facilè credimus, ſed non ideo debuere præpoſtero angi ſcrupulo, quin ſibi *appropriarent Chriſtum, ejus amorem, mortem & myſteria, ſicut facit Sanctus Paulus dicens: qui dilexit me & tradidit ſe-*

semetipsum pro me; ut ad beatitudinem pervenirem. Est enim, ut discimus ex Epistola 1. ad Timotheum cap.4. *salvator omnium hominum* etiam hæreticorum; sed *maximè Fidelium*. Quapropter Sanctissimus Augustini magister & totius Ecclesiæ Doctor Ambrosius Tomo 4. lib. de Paradiso cap. 8. ait, *Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores: etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem, & ideo nec proditurum debuit præterire .... Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluerit liberare* ab interitu sempiterno.

Magistri sui insistens probè vestigiis Augustinus Tract.4. in Joannem sub initium. *Populi autem*, inquit, *spernentes propter superbiam suam, humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt Damnatorem suum*.

Concinit S. Leo Papa Serm.3. de Passione Domini: *Sic ad omnium redemptionem utebatur malitiâ persequentium, ut in mortis resurrectionisque Sacramento etiam interfectores sui possent salvi esse, si crederent.* Serm. 11. *Pro omnibus impiis mortuo Domino, potuisset etiam hic* (Judas) *consequi remedium, si non festinasset ad laqueum*.

Doctor Angelicus in primam Pauli Epistolam ad Timotheum cap.2. v.4. lectione 1. *Christus est mediator Dei & hominum, non quorumdam; sed inter Deum & omnes homines, & hoc non fuisset, nisi vellet omnes salvare*.

Contra hanc clarissimam veritatis tubam quâ omnis ubique gentium Christiana resonat Ecclesia, maluerunt Arnaldus, Gerberonius, & Quesnellus credere Jansenio docenti lib. 3. de gratia cap.21. *Quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem & in ea perseverantiam usque in finem, quos esse prædestinatos, Electos, & salvandos dicimus.... pro istis in æternum purificandis mortuus est, pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum; non pro cæteris, qui à Fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur*. Ibid. Col.390. *Quæ sanè cum in Augustini Doctrinâ perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro Justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, Sanguinem fudisse, Patrem orasse sentiatur*. Mox addit. *Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit*. Applausit statim nova Ecclesia tam pulchræ, ut rebatur, profectò tam dilucidæ Institutoris sui sententiæ, quam mox censuit accommodatâ cantui *Consideratione Rhytmica* celebrandam p. 38.

Quotquot nati non ordinantur,
Nec in Cælum Prædestinantur
Dei providentiâ;
Sunt omnino destituti
Omni medio saluti
Perquam necessario.
Nam pro illis non oravit
Christus Jesus, nec paravit
Debitum auxilium.

Gabriel Getberon in *Speculo Pietatis* (quod impietatis rectiùs vocasset) pag.140. *Rigor justitiæ Divinæ relinquens in massâ peccati illos omnes, quos Misericordia non elegit, nullum eis præparat auxilium, quod eos salvare possit*. Quod *speculum* Romæ prohibitum, in Galliis etiam hæresios damnatum fuit, & meritò traditum incendio. Denique eadem Jansenii Doctrina sic placuit Quesnello, ut pluribus eandem enuntiationibus jam relatis suo *Moralis Evangelicæ compendio* judicaverit infarciendam.

Retrahere è tantâ temeritate ipsum debuerat tum Apostolicæ Sedis in eam anathema sæpius iteratum, & promptâ totius Ecclesiæ susceptam obedientiâ. Verùm cui fixum animo pridem fuit, omnem contemnere authoritatem, quoties suis senserit opinionibus repugnantem, risit etiam totius orbis Christiani Censuram, quâ sensus ille Janseniani Articuli declaratur *impius blasphemus, contumeliosus, Divinæ pietati derogans & hæreticus*.

Quesnelli tamen vindices, etiam ubi desperant priorum Dogmatum virus aliquo veritatis ementitæ fuco obducere, posteriorem assumunt Articulum prætensæ cujusdam ambiguitatis adminiculo sustinendum. Quando nempè Quesnellus enuntiat: *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse ad hoc, ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum ejus amorem, mortem & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; non negat inquiunt, etiam eos, qui ad istiusmodi perfectionis apicem non pertigerunt, posse sibi aliquo modo *appropriare Christum, ejus amorem, mortem, & mysteria*, sed posse cum *fiduciâ ut facit Sanctus Paulus dicens. Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me*.

Ego autem excusationem ajo esse frivolam; quia etiam juxta veritatem Catholicam qui adeò perfecti non sunt, possunt, imò debent cum fiduciâ, & fide certissimâ credere *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Illa enim professio est, quam Sacerdos qui-

quilibet celebrans, verbis æquivalentibus enunciat in Symbolo Fidei, cùm ait: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlo &c.* Fides autem Divina non potest fiduciam de eodem objecto non fundare expertem formidinis.

Oporteret quidem *bonis terrenis & sibimetipsi renuntiasse* in perfectionis gradu admodum sublimi, *adhoc ut quis fiduciam haberet*, qualem Apostolus *appropriandi sibi Christum, ejus amorem, mortem & mysteria*, & dicendi: *Qui dilexit me & tradidit* semetipsum pro me, sic, ut intelligenda sit Christi dilectio absoluta & efficax meæ salutis, atque de hac mihi sit fiducia, paulinâ non inferior. Verùm ad *appropriationem* istiusmodi, non restringitur Quesnelli Propositio, neque textus Apostoli. Quapropter ea Novatorum interpretatio neque obvia Propositionis est, neque intenta ab Authore, saltem non unice, ut convincunt quemlibet circumstantiæ tum aliorum ibi textuum, tum maximè ipsius scribentis, & ab eo adamati tantopere atque defensi publicè systematis Janseniani.

Deberent isti damnatæ turpitudinis mangones ridiculi, expungere Propositiones cæteras, quas præmisi, sensum Jansenianæ hæresios continentes adeò manifestè, ut nullâ arte easdem valeat hypocrisis cum Fide Catholicâ conciliare. Quomodo enim voluerit Christus effundere Sanguinem pro salute alicujus exclusi numero Prædestinatorum; si juxta Art.31. *Desideria Christi semper habent suum effectum*? si juxta 30. *Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*?

Voluntas Christi erga salutem hominum conformis proculdubio est voluntati Dei, ipso de se perhibente testimonium Salvatore: *Ego quæ placita sunt ei facio semper.* Denique juxta receptissimam juris regulam: verba suspectorum ambigua, contra ipsos intelligenda sunt proferentes & sensu exponenda deteriore.

Exultant nihilominùs Adversarii, atque insultant Apostolico Tribunali, quasi orbitam excesserit æquitatis & prudentiæ, proscribendo Articulum 32. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est Electos de manu Angeli exterminatoris.* Quid, inquiunt, dici verius potuit, quàm Christum oppetiisse mortem pro æternâ beatitudine electorum?

Sycophantæ miseri! Num brutos aut stipites arbitramini omnes homines, ut argutiunculæ vestræ ineptias non percipiant? Dum omnia in Galliis & Belgio personant controversiâ de morte Christi, ubi Calviniani cum junctis sibi fœdere Jansenistis, tolerã tam asserunt Pro Electorum quidem; sed alterius nullius perpetua salute; Catholici contra totis viribus contendunt, eam Christi morientis benevolentiam se extendere ad universos; memoratam autem Calvini & Jansenii sententiam, quidquid utriusque obganniant Sectatores, nullus dubitat Catholicus inter hæreses impias execrari: ardente inquam, hoc dissidiorum incendio, Quesnellus quasi aquam illi restinguendo frigidam affundens, ait Christum mortuum esse pro Electorum salute, sive ut elegantiore mentem exprimat figurâ, *ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, id est Electos de manu Angeli Exterminatoris.*

Istud quidem sano intellectum sensu neutra pars negaverat contendentium; sed Quesnelliana perplacet locutio hæreticis; quia non solùm nihil continet suæ contrarium impietati, & blasphemiæ de morte Christi pro solorum obitâ beatitudine Prædestinatorum; sed eam videtur in his temporum & disceptationum circumstantiis indicare: ut quid enim ab asserenda contra hæreticos veritate Catholicâ tam solicitè abstinet Polemicus scriptor? In promptu causa est; quia hæresim ipse locis pluribus apertè profitens, eodem se à suis sensu etiam hìc intelligendum supponit; cùm locus ei patentissimus relinquatur.

Hinc Quesnellianorum vindicium inanissima con.uit querimonia. " Si in rigore
" vera enuntiatio est [inquiunt] quâ ratio-
" ne, aut æquitate proscribitur? Non asserit
" ea quidem totum id quod contra Janse-
" nium definivere Pontifices, sed neque ne-
" gat, *præscindentium* autem ut vulgò dici-
" tur, *non est mendacium*.

Nos verò potiori jure è Quesnelli defensoribus quærimus, quid sibi velit, quòd eorum Antesignanus, Tomis quatuor tradendum suscipiens sensum Testamenti novi, excitandæ potissimum Fidelium pietati idoneum sæpius quidem memoret Christi mortem pro salute Electorum, quod à nullo indubium vocatur, etiam hæretico Jansenii affectâ, aut Calvini; frequenter autem verbis minimè obscuris ipsam hæresim resuscitet de intentione Christi pro solorum beatitudine prædestinatorum, Divinâque ad eundem restrictâ numerum benevolentiâ?

Cur nullibi sive in Tomis illis quatuor, ubi maximè convenisset, sive in aliis, quos edidit de *Traditione Ecclesiæ circa gratiam & Prædestinationem*, ubi frequentior sit mentio de morte Christi pro salute hominum. Cur inquam, nullibi, quod Scriptorem maxi-

ximè decebat Catholicum, stabilit fidem, vel simplicissimè enuntiat contra grassantem hoc tempore hæresim? Imò cur hanc potiùs, quod scandalosissimum est, tam sæpe, etiam minimè opportunâ occasione obtrudit, ingerit Lectoribus, & quidem tanta figurarum & phrasium diversitate, elegantiâ, & arte subdolâ, ut non appareat, quis impostor vaferrimus, ad pessumdandum fidei Articulum ab hæreticis conductus, partes adeò sacrilegas implere majore fallaciâ potuisset?

Quæ ut omnium oculis pateat apertiùs perfidia; Statuamus aliquem tempore Arianorum, qui negare perfractè solitus Divinitatem Filii, de Christo diceret *unam in eo esse naturam, videlicet humanam*.

Dicant modò Quesnelli vindices, num Ecclesia, damnatis pluribus istius Ariani Propositionibus, quibus magis perspicuè abrogatur Filii Divinitas, non posset justè quin & sapientissime ambiguum illum Articulum cæteris jungere condemnatis? Num æqua Quesnelli defensoribus videretur ea Arianorum expostulatio, allegantium, quod assertio unam affirmans in Christo naturam, eamque humanam, in rigore vera sit, cùm alteram scilicet Divinam inficiari vocibus haud videatur; sed ab ea solummodo adstruenda vel neganda abstineat, *præscindentium* autem, ut dictum est, *non sit mendacium*?

Putida, ni fallor, ab orthodoxis omnibus censebitur excusatio.

Celebris fuit disputatio Sancti Maximi Martyris contra Epiphanium & Troilum Constantis Imperatoris Emissarios, quam in suos retulit Commentarios Anastasius Maximi Discipulus.

In ea cùm Epiphanius & Troilus urgerent, ut pacis studio ab enuntiandis in Christo duabus naturis & operationibus abstineretur, non abstinentes ipsi à minis gravibus nisi pareret; respondit Sanctus dignâ Maximo Martyre Constantiâ: *Ego & conservi mei, eos qui juxta Arium & Apollinarium, unam voluntatem & unam operationem dicunt; anathematizavimus*.

Qui anathemate perstricti fuerant, quantumlibet aliis instructi fraudibus hæreticis, non memorantur ad similes Quesnellianis ineptias confugisse, ut obtenderent assertionem *unius voluntatis & operationis in Christo* non esse dissentaneam veritati; quandoquidem nempè in plurali numero unitas continetur, hanc affirmans non eo ipso destruit pluralitatem. Puduit hæreticos veteres tam futili adversus anathema se cavillatione defendere, satis conscii se de hæresios intentione, ex tot aliis suis enuntiationibus clarissimis facilè convincendos.

Quemadmodum igitur affirmantes in Christo *unam voluntatem*, *unam operationem*, ex circumstantiis personarum & frequentium aliàs declarationum, noti omnibus fuere, unius expressione subdolâ voluntatis, intelligere unicam, sive *unam solam*, sic etiam quilibet in Quesnelli & Sociorum ejus locutionibus utcunque versatus ignorare minimè potest asserentes, *Christum se morti tradidisse ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos id est Electos de manu Angeli exterminatoris*, solos *Primogenitos*, solos *Electos* debere intelligi. De pluribus enim neque Quesnellus ipse, neque ullus ejus Discipulus se patitur explicari, ne hæresi renuntiet Jansenianæ, cui inhærere ac immori Diabolicâ malesanis fixum obfirmatumque pertinaciâ est.

Alia evasionis præsumptio non minùs inanis censuram se hæresios effugere, simplicibus persuadet eo quod etiam pro pluribus reprobis Christum fateatur mortuum fuisse, ut justitiam saltèm acciperent temporalem; non tamen perseverantiam.

Professione hac, inquiunt Adversarii, discernimur à Calvino, penes quem justitia semel accepta nunquam amittitur; proinde quisquis ad beatitudinem electus non est, justificationis gratiâ nunquam donatur.

Non diffiteor istud esse Calvinianam inter & Jansenii Quesnellique hypothesim discrimen aliquod, undè non omnimoda inter utramque hæresim consensio est; verùm sicut Massilienses hæretici salutis sibi initium tribuentes, in aliis defecere à Pelagio, indè Semipelagianorum nomine appellati, ita Jansenianis nuncupatio Semi-Calvinistarum non foret incongrua.

Gestire quidem hi solent, & tanquam de sufficienti sibi plaudere discrimine; sed non perspicere se vafri simulant, quod ad declinandam hæresios censuram, à Summis latam Pontificibus, totiusque Ecclesiæ Catholicæ consensu unanimi consecratam, asserere non sufficiat Christum pro temporali plurium reproborum justitiâ sanguinem fudisse, si angustis adeò limitibus Redemptoris benevolentiam restringentes, mortuum negent pro æternâ beatitudine non electorum.

Quin imò pridem mihi Problema apparuit Doctoribus proponendum, utra hic hæresis tetrior sit, Calvini an Jansenii? Mihi quidem, ut quod res est fatear, posterioris semper visa est deterior; quia certissime *impia*, *blasphema*, *contumeliosa Divinæ derogans pietati*, qualis irrefragabili Pontificum & totius judicio Ecclesiæ declarata est; Calvinianam verò in hoc Articulo de perpetua justi-

justitiæ perseverantiâ hæresim, talibus sociatam notis haud reperio; justitiam enim amitti nesciam concedere in Dei proculdubiò potestate est, neque in ea quidpiam Divinis apparet contrarium attributis, ut aliquos fuisse in gratiâ confirmatos, veritas indubitata est.

At in Jansenii & Quesnelli sententiâ Deus hominem justum, amicum, filium adoptivum, nullâ hujus præviâ culpâ, destituit, præceptis urget impossibilibus servatu, atque omne ei denegat auxilium, quo possibilia fierent. Et tamen minis instat gravissimis perennium suppliciorum, quorum atrocitas mortalium omnium longè superat intellectum. Præter duritiem barbaram, injustitiam, & tyrannidem, quam Quesnelli hic & Jansenii systema impingit Deo Optimo Maximo, eundem mendaciis onerat, & perfidiâ.

Epist. 1. ad Corinthios cap. 10. inspirante Deo testatur Apostolus: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*; cùm autem juxta Jansenium lucta perpetua sit gratiæ & concupiscientiæ, atque homo posteriori consentiat necessariò; si indeliberata gratiæ delectatio inferior sit; magis etiam, si absit penitus; cujus alterutrum semper accidit, quoties sive justus labitur, sive peccator.

Ita novæ post Sancyranum Institutor Ecclesiæ Jansenius, in cujus sensibus universis licèt *nihil esse nisi Catholicum*, securos nos esse Quesnellus jubeat *Notis in Epistolam Steyaertii* pag. 17. tamen ipse paulò aliter; sed non magis sanè, necessitatem peccandi, absente gratiâ exprimit.

Articulo 40. *sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*. Cùmque juxta Propositiones ejus plurimas semper sit efficax; quoties igitur delinquimus, gratia nos defecit, & simul potestas, Dei imperio obsequendi. Ecce *tentatum* justum *supra id quod potuit sustinere*.

Manifesta etiam juxta Quesnelli hypothesim redditur falsitas dictati à Deo de se testimonii in 2. Petri Epistola cap. 3. quod sit *nolens aliquos perire*; *sed omnes ad pœnitentiam reverti*; cùm inter tot millia pereuntium, ne uni quidem sufficiens agendi pœnitentiam adfuerit potestas, neque ulli labentium facultas persistendi in justitia.

Nihili Quesnellus facit definitionem Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet*; *sed jubendo monet*, *& facere quod possis & petere quod non possis*, *& adjuvat ut possis*. Ibid. *Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet*: *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*.

Plusquam debitam se exhibere Concilio œcumenico reverentiam autumat, quando in ejus gratiam ab odioso abstinens *Impossibilitatis* vocabulo, substituit *impotentiam*. Hanc etiam Petro Apostolo Christum neganti tribuit Arnaldus in famosa Propositione, quam Censurâ hæresios notavit Sorbona, authoremque propter pertinaces erroris vindicias, Doctoris laureâ privavit, atque à suâ perpetuò rescidit societate. Propositio Arnaldi erat *Defuit Petro tentato gratia, sine qua nihil poterat*. Eundem errorem instauravit Gerberonius *in expositione fidei*, In qua Eminentissimus de Noailles præcipuè perstrinxit assertionem de præcepti observandi impotentiâ, quoties gratia efficax defuerit: in illo Dogmate Jansenianę hæresios fundamentum agnovit Archiepiscopus & condemnavit.

Devotissimus Arnaldo Jacobus Gilbert Duacensis Academię Cancellarius tum in tractatu de gratiâ, tum in Thesi 2. regulam præscripsit mirabilem & penes Catholicos inauditam: *In materia gratiæ procedit argumentum negativum ab actu ad potentiam*: *& benè concluditur*: *Titius non operatur bonum*, *ergo non potest illud operari*: *& contra*, *benè concluditur affirmativè à potentia ad actum*, *potest operari bonum*; *ergo illud operatur*.

Quid enuntiari clarius, quid potuit generale magis & didacticum; sed fidei minimè conveniens orthodoxæ? Quomodo enim accusari in judicio, quomodo æternis cruciatibus puniri poterit præceptorum actuum supernaturalium Fidei, Spei, Charitatis omissio, quando accusati respondere poterunt, nullum ex illis unquam actibus omisimus, quando in potestate fuit elicere? Quoties prætermissus fuit aliquis, non negligentiæ vitium fuit; sed virium defectus: undè si talis omissio è statu nos dejecerit justitiæ, priùs nos deseruit Deus, destituitque auxilio ad perseverandum, imò ad perseverandi potentiam necessario.

Ita subvertitur Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit*, *nisi ab eis priùs deseratur*. Frustra conantur evadere Adversarii exponentes Synodum quasi aliud non doceat, quàm quòd Deus justificatis gratiam sanctificantem non subtrahat, nisi peccato lethifero priùs ab homine rejiciatur.

Non sic elabi patimur ineptos interpretes. Statuamus enim Patrem promittentem dilecto Filio hæreditatem, quodque eum intereà dimissurus à se nunquam sit, neque paternâ privaturus benevolentiâ, nisi fortè contingeret eum acceptis abuti beneficiis usque adeò, ut contra ipsum Patrem cum ejus hostibus conspiraret. Ad

Ad institutionem quod attinet & mandata, sic Pater filio denuntiat, juxta id quod legitur Proverb. cap. 4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis . . . Currens non habebis offendiculum* . Joannis cap. 5. *Mandata* mea *gravia non sunt*. Matth. cap. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. Denique 1. Corinth. cap. 10. *Non patiar* te gravari *supra id quod potes*.

Tota hæc proculdubio insignis est paterni erga filium affectûs demonstratio; sed ejus juxta Quesnelli sententiam executio promissis minimè consona. Parens enim filio mox imponit sub comminatione non solùm perdendæ Patris benevolentiæ & hæreditatis; sed etiam subeundæ mortis & gravissimis quidem cruciatibus horridæ: imponit, inquam, ut cruribus fractis sine equo aut alio vehiculo Viennam è Belgio literas deferat unius spatio hebdomadæ, sic, ut milliaria Italica centum conficere diebus singulis necesse sit.

Fallor si ullum reperias rationis compotem, qui in talem Patrem non mille congerat improperia, tanquam in malesanum, crudelem, barbarum, nihil Patris habentem in actibus, nihil justitiæ in mandatis, nihil fidei in promissis.

Talem nobis Deum erga suos filios, stultitia fingit Systematis Quesnelliani; tam enim, imò magis impossibile est homini, etiam Justo, elicere actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis absque gratiæ auxilio, quam homini fractis cruribus absque vehiculo iter facere tantâ dementiâ imperatum.

Neque effugiunt Adversarii, quasi in hoc dispar ratio sit quod itineris præceptum non sola impleat volitio subditi, ut implet jussionem actuum internotum dependentium à voluntate: præterea quod Pater ille barbarus nolit Filio etiam petenti subsidium concedere necessarium; Deus autem justis petentibus sicut oportet, opem non deneget, etiam efficacem.

Talia, inquam, Adversarii comminiscentes diverticula inanissima, & solis circumveniendis rudibus opportuna; sapientum judicio difficultatem neque solvunt, neque vel in minimo sublevant.

Quisquis enim in Quesnellianâ hypothesi præceptum transgreditur, caret gratiâ, quia juxta Art. 15. *Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa obedientiam, quam petit*. Art. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet*.

Humana autem *voluntas, quam gratia non prævenit nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: Est capax omnis mali & incapax ad omnem bonum*: Proindè neque potest velle satisfacere mandato, neque ad satisfaciendum, Dei implorare auxilium; quia etiam illa volitio & petitio ut salutaris sit, debet esse supernaturalis, ideoque ex gratiâ, sine quâ ad nihil aliud valet, nisi ut petentem volentemque agat præcipitem & vulneret.

Præterea quomodo absente gratiâ possumus Divinæ obsequi voluntati, quandoquidem juxta Art. 39. *Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*? Quid autem à Deo sine gratiâ petere?

Art. 50. *Frustra clamamus ad Deum Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamet*. Potestne charitatis spiritus clamare, potestne petere sine gratiâ? Istud asserere aperta foret hæresis Pelagiana. Iterum Art. 54. *Sola Charitas est, quæ Deo loquitur: hanc solam Deus audit*. Oratio itaque, sive petitio qualem esse oportet, ut exaudiri à Deo, & prodesse valeat petenti, cum charitas esse debeat; evidens est quod gratiæ supponat auxilium. Denique tam est impossibile sine gratiæ subsidio salubriter velle Dei jussibus obsequi, vel necessariam ad hoc Dei opem expetere, quàm filio familias fractis tibiis & sine vehiculo currere, ut supra exposui.

Ultimum Adversariis perfugium est peccatum Originis, ex quo nostra ad bonum impotentia contracta sit.

Peccatum quidem illud agnoscimus; sed & pariter inviolatum tenemus Ecclesiæ Dogma, in regeneratis nullum amplius proprie peccatum esse; licèt concupiscentia ad agonem relicta sit ut docemur à Tridentino Sess. 5. Decreto de peccato Originali. Absurdissima autem & manifestè hæretica est Jansenii, eique adhærentium sententia, accersens à libertate Adami sufficientem actibus, alloquin ex necessitate procedentibus, libertatem ad peccandum formaliter, etiam in justificatis.

Meritò Alexander VIII. primum hunc inter 31. Articulos condemnavit. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis*. Qua ratione omnes indeliberati motus concupiscientiæ maximâ profluentes necessitate, homines Sanctissimos à justitia dejicerent, & iræ Dei atque æternis suppliciis redderent obnoxios.

Tumultuantur quidem adversus Pontificium hoc Decretum; sed iniquissimè, Arnaldus ejusque in scriptionibus adjutor Domesticus

cus Quesnellus: Schismaticos utriusque contra Decretum clamores & contumelias, pluribus locis, ut occasio exigere videbatur, retuli: Temperantiùs; sed non magis catholicè loquuntur in difficultatibus Steyaertio propositis parte 9. pag. 240. *Etiamsi præcepta observari nequeant sine gratia, nec ignoratio juris naturæ sine gratia depelli, non debent homini destituto omni gratia dici esse præcepta absolutè impossibilia, & ignorantia absolutè invicibilis; ut enim absolutè possit quis mandata servare, & ignorantiam vincere, sufficit quod potuerit in Adamo, & etiamnum babeat intellectum & voluntatem non incapacem recipiendi auxilia, ubicunque Deo placuerit ea pro sua misericordia impertiri.*

Quid amplius desideres, ut primam & tertiam heresim inter quinque Jansenianas velut immunes ab anathemate vindices & omni Censura? Singulari scilicet mortalium bono, si Arnaldi testimonium recipimus, datus Ecclesiæ à Deo fuit Jansenius, ut gratiæ mysteria, priùs involuta tenebris, luce donaret clariore; duabus istud non exiguæ molis Arnaldus ostendere conatus est *Apologiis*. Huc potissimum pertinet quod Jansenius docet lib. 3. de gratiâ Christi cap. 26.

Retulerat ex Augustini libro de duabus animabus cap. 11. *Peccatum est motus voluntatis, unde liberum est abstinere. Quam definitionem*, inquit Jansenius, *sæpè protestatur* (Augustinus) *nulli peccato nisi solius primi hominis convenire; quia cætera ita peccata sunt, ut simul sint præcedentium supplicia delictorum*; non quidem personalium omnia; quia evidens est prima justorum peccata non posse præcedentium esse personalium supplicia.

Deindè ut *nulli peccato, nisi solius primi hominis convenit esse motum voluntatis undè liberum est abstinere*; Idem penes Quesnellum & Jansenium valet de actibus bonis, quod solius primi hominis innocentis gratia talis esset, cui liberum posset arbitrium dissentire; & tamen juxta hos Theologos actibus singulis meremur, vel demeremur. Proindè restituitur facilè prima & tertia Propositio hæretica inter quinque Jansenianas: minimè verò evaditur inusta à Doctore Angelico censura, non solùm hæresios; sed talis, qua; *tollatur deliberatio, exhortatio, præceptum, punitio, laus & vituperium*: Ita Doctor Sanctissimus in quæstionibus disputatis de Malo 6. de Electione.

De Confessoribus legimus in Horis Canonicis ex Ecclesiastici cap. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*. Quandonam autem in sententiâ Quesnelli potuit justus transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit? Transgredi non potuit præsente gratiâ quandoquidem juxta Art. 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit omnipotenti*. Art. 19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas*. Art. 20. *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt*.

Quòd autem submissa sint necessariò, neque in potestate liberi arbitrii sit dissentire gratiæ, patet tum quia submissio & obedientia includitur in Idea gratiæ, adeo ut gratia non esset, si obedientiam, non consequeretur? In cujus potestate hominis est mutare gratiæ ideam? Adde quòd gratia cum sua idea, humani arbitrii deliberationem, electionemque præveniat.

Eadem idea clarissimè exprimitur Art. 11. *Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Quoties igitur contingit, hominem non facere quod jubetur, abest gratia; quia deficit illud quo intrinsecè constituitur.

Denique quod bonorum actuum ab auxilio gratiæ procedentium libertatem certissimè subvertit, est Dogma Articuli 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*: omnia itaque, etiam voluntas hominis, ei cedunt necessariò. In primis juxta hanc gratiæ definitionem, vel descriptionem perspicuum redditur, quòd ipsam infusionem gratiæ sistere, sive excludere humana voluntas nequeat; neque impediri neque retardari gratia potest in operando; quia ipsius natura operatio est, & quidem operatio manûs Omnipotentis Dei.

Sic prima gratia, quæ ad fidem eliciendam homini obvenit, ipsa fides est Art. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Rursus prima gratia, quam Dei impertit benignitas Peccatori, juxta Catholicos est dispositio, & auxilium, quo ad pœnitentiam sive remotè, sive proximè moveatur ut per hanc Deo valeat reconciliari; at penes Quesnellum Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Undè dicendum, quòd peccatori cuilibet crimina remittantur absque ullo actu pœnitentiæ aut alio, quod certissimè contra Scripturas, Concilia & constantissimam Patrum traditionem est, aut prima gratia simul hominis pœnitentia dicenda est, ad justificationem sufficiens: quod non solùm exoticum est, &

& univerfis repugnat Theologis Orthodoxis; fed etiam anathemate feritur Tridentinæ Seffionis 6. Canone 3. de juftificatione: *Si quis dixerit fine præveniente Spiritus Sancti infpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, fperare, diligere, aut pœnitere poffe, ficut oportet, ut ei juftificationis gratia conferatur, anathema fit.*

Audiunt Novatores quod dicitur *fine præveniente Spiritus Sancti infpiratione*, fed parum aut nihil terror hic angit novos Theologos, Ecclefiæ fulminibus pridem affuetos, & obduratos.

Quod de primis gratiis Quefnellus enuntiat, applicandum eft etiam cæteris; quia pro fecundâ & tertiâ par ratio eft, fi ulla pro priore, & quia in hoc fequi voluerit Walonium, qui ex Urbe fcribens, id unum reprehendit in Janfenio, quod gratias vocaverit iuditos à Deo motus homini *indeliberatos*: maluiffet gratias ab humanis & deliberatis Actibus non diftingui.

In qua hypothefi inter Catholicos inauditâ, quę errorum complurium & minimè levium radix & fundamentum eft, facile intelligitur, cur nulli unquam gratiæ humana diffentiat voluntas; aut valeat diffentire, quæ fecunda & quarta hærefis inter quinque Janfenianas eft. Hinc fequitur Articulus Quefnelli 10. *Gratia eft operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteft aut retardare*; cùm ipfe hominis confenfus fit Dei gratia, quæ poteftati hominis non fubjacet: neque confenfus ipfe, qui idem cum Divina gratia eft, *impediri* à nobis *poterit, aut retardari*.

Arctiffima voluntatis Dei & Chrifti cum gratia connexio efficit, ut à fcopo nobis propofito; aliquantum fuerit divertendum.

Ex deductis autem hactenus compertiffimum eft, in Quefnelli fententiâ nullum actum bonum, cujufcunque virtutis, aut præcepti, in ftatu naturæ lapfæ ullo tempore fuiffe, five à Fidelibus & juftis, five à peccatoribus, hæreticis, aut Paganis prætermiffum, quem Chriftus aut Deus exerceri ab illis voluerit; quin juxta Art. 31. *Defideria Chrifti femper habent fuum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

Cur minus virium & efficaciæ tribuamus Dei *Defideriis*, quàm Chrifti? Igitur & defideria Dei fuo femper potiuntur effectu atque ab hominibus, impletur omnimodè quod *optat* Divinitas. Quam igitur bonorum operum omiffionem exprobrare in judicio reprobis poterit, quafi viderint Chriftum in pauperibus nudum & non cooperuerint, famelicum & non paverint, infirmum aut in carcere & non vifitaverint?

Refponfio eis in promptu erit, & rationi maximè congrua, fi prætenfa Quefnelliani Syftematis in illo Tribunali veritas approbetur: vidimus quidem te, inquient, in tuis pauperibus nudum, efurientem, in carcere, & infirmum; fed eum juxta Art. 39. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habeat luminis, nifi ad aberrandum, ardoris nifi ad fe præcipitandum; virium nifi ad fe vulnerandum; fit capax omnis mali & incapax ad omne bonum*: Gratia autem nobis defuerit, non apparet, quid reprehenfionis aut fupplicii, ea bonorum operum omiffio mereatur. Defuiffe nobis gratiam, fidem facit ipfa præceptorum operum, de quâ arguimur, prætermiffio; quia gratia nunquam ab obedientiâ feparatur; fiquidem juxta *Moralis Evangelicæ Compendium* Art. 11. *Gratia non eft aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet* Art. 20. *Vera gratiæ idea eft, quod Deus vult fibi à nobis obediri & obeditur, imperat & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus & omnia fibi fubmiffa funt*. Fieri nequit ut à fuâ ideâ res quælibet, etiam gratia feparetur. Cùm itaque ea fubmiffio non fuerit, gratiam quoque defuiffe convincitur.

Quæcunque lapfis in Adamo hominibus gratia ex Chrifti meritis conceditur, rectè Chrifti gratia vocatur, differens ab ea, quæ homini donata fuerat innocenti. *Gratia autem Jefu Chrifti* juxta Art. 21. *eft gratia fortis, potens, fuprema, invicibilis, utpote quæ eft operatio voluntatis omnipotentis, fequela & imitatio operationis Dei incarnatis & refufcitantis Filium fuum.* Apologiæ demum noftrę (profequentur reprobi) complementum eft Art. 2. *Jefu Chrifti gratia principiū efficax boni cujufcunque generis, neceffaria eft ad omne opus bonum: abfque illa non folùm nihil fit; fed nec fieri poteft*. Efficacem nobis gratiam defuiffe, ipfa rurfus bonorum operum omiffio manifeftat: Si autem principium illud efficax boni cujufcunque generis neceffarium fit ad omne opus bonum, adeò ut abfque illo *principio efficaci* quod ipfa Chrifti gratia eft, non folùm nihil boni fiat; *fed nec fieri poffit*; ubicunque exulat bonorum operum poteftas, evidens eft ad illa deficere libertatem: quâ fublatâ, nemo Catholicus diffentit Angelico Ecclefiæ tuæ Doctori afferenti: *Si non fit liberum aliquid in nobis; fed ex neceffitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, laus & vituperium.*

Quod contra neceffitatem volendi Angelicus pronuntiat, perfpicuum eft etiam de nolendi five omittendi operis neceffitate intelligi. Quapropter fuppofitâ Quefnelliani Sy-

Systematis veritate, & simul eâ Doctoris Angelici, quæ posterior à nullo rationis compote revocari potest in dubium, oportebit cum Quesnello dicere Art. 5. *In vanum Domine praecipis, si tu ipse non das quod praecipis*: in vanum omnis est deliberatio, exhortatio, punitio, laus & vituperium; quia etsi omnia *possibilia sint ei cui omnia facis, eadem operando in illo*, alteri tamen possibilia sunt nemini.

Quod eadem, Domine, in nobis operatus non fueris, quod non dederis nobis, quæ præcepisti; at simul mandatorum tuorum *vanitatem*, nostræque *impossibilitatem* docet mirabile illud *Moralis Evangelicæ compendium*, editum à *Sancto*, ut prædicari audivimus, *Pater Quesnel*, non solùm *recepto Cælis*; sed etiam *Divinæ proximo Trinitati*. O! quale istud commendatum nobis *Compendium* est, tanquam plenum *veritatibus*, quæ *eò devenerant* in Ecclesia, *ut essent lingua quasi peregrina plerisque Christianis ... neque satis advertebatur quòd hic defectus esset unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ & iræ Dei in filios suos*.

Ita reprobi, supposito, ut dixi, Quesnelli Systemate; in quorum apologiâ non video quid adversarii invenire valeant ratione probabili reprehendendum: Neque facilè invenient in comparatione superiùs institutâ inter Patrem crudeliter, atque omni ex parte iniquissimè agentem cum filio, & Deum cum filiis adoptivis, quos juxta Quesnellum deserit, antequam ab iis deseratur. Absurdissima utrobique consectaria sunt; sed Quesnellianorum Dognatum Sectatoribus indeclinabilia. In tale barathrum ducit nova Ecclesiæ reformatio, quæ adeò non desiderat pristinas restituere *veritates*, ut partim aberrantis suæ phantasiæ somnia, partim conficta studio mendacia, vel accepta ab hæreticis, moliatur perpetuæ præponere Traditioni.

Ad singulas istud Propositiones locis propriis à me plus quàm sufficit, ostensum arbitror: & quidem contra præsentem deductâ Articulum, abundè esse Adversariis possent, ut suam damnarent in calumniandâ Ecclesiâ temeritatem. Quesnelliana Dogmata, quæ Constitutione *Unigenitus* proscribuntur, *peregrini* fateor, & *incogniti* nobis instar *idiomatis* sunt; sed & fuere semper nostris Majoribus, neque adeò veritatum nomine decorari meruere, ut attentiùs inspicienti, execrabilium apparere debeant colluvies falsitatum. Atque hæ quidem quantùmlibet famam sibi ambiant antiquitatis, nullam reperient Bajo, Sancyrano, Jansenio anteriorem, nisi quam à Calvino, Luthero, & similibus mutuari Quesnello placuerit Hæresiarchis.

Si *Senectutis* nomine, solùm temporis, quo Ecclesia viguit, diuturnitas intelligeretur, eatenus inter Catholicos neminem offenderet restagantem; sed quia vigoris simul indicat defectum, atque ut à Paulo Apostolo explicatur Hebr. cap. 8. *Quod antiquatur & senescit, propè interitum est*; quod de Synagoga tunc temporis verissimè dictum, non nisi detestabili calumnia ab hæreticis in Christi Ecclesiam detorquetur. Quæcunque *Dei filiis ira* Superûm metuenda est, non ea propter necessariarum ignorantiam *veritatum*, quæ *Christianis plerisque* perperam à Novatoribus affingitur; sed ut paucorum iniquitas subindè exercitibus, Civitatibus, Provinciis ac Regnis gravem accersivisse legitur Castigationem, ita neque ab Ecclesiâ quantumlibet sanctâ, semper aberunt privatorum, aliquando etiam Sacerdotum & Principum delicta, propter quæ possit permittere Dei Justitia, ut reliquæ etiam Fidelium multitudini, non levis oboriatur afflictio.

Verùm qualiscunque ea fuerit hactenus, aut inposterum futura est; securissimi sumus ne minimam quidem ejus occasionem fore prætensarum à Quesnello, quæ Constitutione *Unigenitus* condemnantur, ignorantiam, imò anathema, *veritatum*.

Suffecerint illæ Propagatoribus novæ fidei, ut in Sanctorum Canonem, quem famoso suo Kalendario, Protus-Regii conscipserat authoritas, referretur à nuperis contra Ecclesiam Appellantibus, *Sanctus Pater Quesnel*, atque Augustino subpar, Deo proximus collocaretur, non existimo Decretum istud, quod Antiromana ediderit Jansenianorum Rituum Congregatio, à Triumphante Ecclesiâ admittendum.

Tot excommunicationibus gravis migrasse creditur pertinax Quesnelli animus, ut non facilis aliquibus appareat Divinatio, utrum numerus anathematum cesserit multitudini capillorum. Ut scilicet nova Ecclesia, novis & Romanæ penitùs oppositis principiis fundatur ac regitur, obfirmata ista Quesnelli in perferendis excommunicationibus contumacia heroicas inter novæ Ecclesiæ virtutes locum principem & gloriam obtinet; dum Clemens XI. cum suis quatuor Cardinalibus bajulis, ad barathri infima, me Janitore, detruditur.

Impleri hìc uteunque conspicimus, quod *de fraudibus hæreticorum* parte 3. Fraude 20. eâque ultimâ monuit Franciscus Simonis: " Non est hæreticorum dolere segniter, sua „ cum vident prostrata Dogmata; Psalmo 57. „ *Fu-*

„ *Furor illis secundùm similitudinem serpen-*
„ *tis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas:*
„ Certi non admittere in animum, Ecclesiæ
„ Doctrinam incantantis sapienter, unum
„ præstare habent certum, dolere furenter,
„ & quod habent reliquum veneni in pecto-
„ re, extremamque rabiem in eos converte-
„ re, quibus præcipuè authoribus damnatos
„ se credunt. „ Animadvertit illud S. Hieronymus Epist. 24. apud Augustinum: *Cùm superatos*, inquit, *damnatosque esse se sentiant; tamen venena mentium non omittunt, & quod solùm possunt, nos oderunt, perquos putant, se libertatem docendæ hæresios perdidisse*. Nos autem inter tot furentium maledicta consolabitur semper istud Albigensibus hæreticis infensissimi athletæ, qui ab amicis monitus ut, ad vitandas contra se calumnias, ab eorum insectatione desisteret, respondit, teste Luca Tudensi lib. 3. cap. 9. *Credo mihi repositum esse hujus infamiæ præmium apud Deum; quia cui hæretici benedicunt, ille est maledictus, & cui illi maledicunt, ipse est benedictus*.

CAPUT VII.

Dialogus Catholicum inter & Jensenistam, quo post depulsionem rumoris falsi, refellitur deprompta ex Arnaldo objectio.

CATHOLICUS. Legisti quę Constitutionis *Unigenitus* Propugnator differit contra Quesnellianas de Gratia ideas & similes de Dei & Christi voluntate sententias?

JANSENISTA. Legi obiter penes aliquem in cujus versabantur manibus antequam Typographo essent ad prælum tradita: verùm & relatum mihi fuerat, ea Pontifici parum adeò placuisse, ut Sanctissimus rogatus pro præstandis typorum sumptibus, quemadmodum præstiterat Clemens XI. respondèrit pecuniam Cameræ Apostolicæ pro talium Editione operum non suppetere.

CATHOLICUS. Quin talia ad te relata fuerint non dubito, cùm & Hollandi suis eadem novis publicis inseruerint, tanquam scripta ex Urbe: neque difficile creditu mihi est, talia ab occultis Jansenistarum fautoribus Romæ conficta fuisse, perscriptaque non in Hollandiam solùm sed etiam Neapolim, Genuam, Venetias, & per Lombardiam ferè totam; cùm de famæ istiusmodi seu veritate seu falsitate interpellatus undique fuerim. Respondi omnibus reponendum hoc inter cætera Jansenistarum mendacia; ut nempè Cretenses, ita & Janseniani *semper mendaces*.

Quo fundamento meliore hæretica fulciatur impietas? Referebat Hollandiæ Gazetarius, quòd Innocentium XIII. adiens, à Sanctissimo petierim, ut *Tomus tertius* imprimeretur sumptibus Cameræ Apostolicę quemadmodum Clemente XI. Pontifice Tomi supperiores editi fuerant. Mendacium primum apertissimum est, quod dicitur de *Tomo* 3, cùm is ante Clementis obitum prælo committi diu cœperit, atque expensæ ab eo præstitæ.

Mendacium alterum est, me tunc ad alloquium Innocentii XIII. admissum, expensas Operis petiisse, qui neque tunc, neque aliàs Pontificem hodiernum allocutus fui, nunquam hunc ambivi honorem. Disserere quidem coràm eodem Sanctissimo sæpius mihi ratione impositi muneris obtigit in Congregatione, cui solet Summus Pontifex præesse; sed de rebus privatis, sive aliis præterquam illi propriis Congregationi, nullam ibi agendi occasionem, aut facultatem esse, nullus in Curiâ ignorat.

Falsum denique est, quod pro præsentis Editione Tomi subsidium Sanctissimus denegaverit; imò mittere mihi dignatus est non parcius eo, quod pro anterriorum singulis mihi Clemens XI. subministravit. Non tamen nullo suo commodo mendaces Janseniani sunt: detrahendam Operi meo æstimationem, & Clementinæ Bullæ reverentiam speravere, dum vulgò crederetur, hodiernum Pontificem à suo dissentire Antecessore Bullamque *Unigenitus* cupere, si non Diplomate aboleri contrario, perpetuo saltèm silentio sepeliri. Sed experimento eos non uno edoctos modò arbitror, nimium præcoces fuisse & inanissimos de hoc Pontifice & Constitutione *Unigenitus* triumphos.

JANSENISTA. Rumores sæpè fallere agnosco, non Dogmata Augustini. Deducentem te aliàs multa audiveram contra nostras de Gratiâ ideas, & his consonos Quesnelli Articulos, de voluntate Dei & Christi circa salutem hominum: Sed ut nihil tibi dissimulem, mirabar, te nihil reponere quo allegatam Arnaldi sententiam nostro judicio irrefragabilem tentares repellere. Hâc enim stante, in fumos abeunt odiosissima quæque Jansenio & Quesnello objici solita consectaria.

CATHOLICUS. Memini quam indicatam cupias ex Arnaldi contra Steyaertium *Difficultatibus* laciniam: *Etiamsi præcepta observari nequeant sine gratia, nec ignoratio juris naturæ sine gratia depelli, non debent*

tamen homini destituto omni gratia, dici esse præcepta absolutè impossibilia, & ignorantia absolutè invincibilis; ut enim absolutè possit quis mandata servare, & ignorantiam vincere, sufficit quòd potuerit in Adamo, & etiamnum habeat intellectum & voluntatem non incapacem recipiendi auxilia, quandocunque Deo placuerit ea pro sua misericordia infundere.

JANSENISTA. Fideliter refers: Sic Arnaldus explicatione dilucidâ omnem de suâ & Jansenii sententiâ sinistram diluit suspicionem. Nota est Arnaldi Epistola secunda ad Ducem & Parem Franciæ, quæ tantum excivavit in Gallia strepitum, atque adversus Doctorem eruditissimum persecutionem.

CATHOLICUS: Non in solis nota est Galliis Epistola; sed etiam Romæ *in acie Campi Floræ*; ubi post octodecim *Ludovici Montaltii*, seu veriùs Blasii Paschalis Epistolas vulgò *Provinciales*, ab Alexandro VII, condemnata legebantur varia Arnaldi Opera, atque inter ea *Epistola secunda ad Ducem & Parem Franciæ*. Affixa illic proscriptionis sententia fuit anno 1657. die 15. Septembris. Prævenerat Sedem Apostolicam Sorbona, quæ anno 1656. in Comitiis generalibus excerptas ex eadem Epistola Propositiones geminas censuris gravibus perstrinxit: & quidem hanc: *Defuit Petro tentato gratia, sine qua nihil poterat*, notavit velut *temerariam, impiam blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam*.

JANSENISTA. Istud quidem tumultuarium Sorbonæ judicium fuit; sed à nobis minimè receptum. Aurea verò Arnaldi sententia nititur hoc convellendo nunquam Dogmate, *Quod ad peccandum formaliter in statu naturæ lapsæ sufficiat libertas, quæ omnibus obtigit in Adamo*.

CATHOLICUS. Si Libertas in Adamo sufficiat nobis ad peccandum formaliter, & demerendum; omnes inordinatæ insanientium actiones, motus omnes concupiscentiæ in nobis indeliberati peccato propriè dicto & demerito erunt obnoxii; quia potuimus impedire libertate, quâ præditi fuimus in Adamo, neque deest nobis hoc tempore intellectus, & voluntas capax recipiendæ istiusmodi gratiæ, quæ obicem motibus istis poneret. Præterea si ratio ista Arnaldica foret congrua veritati, excusaret indubiè hæresim Jansenii non unam; clarissimè primam & tertiam inter quinque.

JANSENISTA. Quæ vobis hæreses, nobis veritates sunt maximè catholicæ, ab Augustino traditæ contra Pelagium. Quantis elogiis Doctor maximus ob debellatum hunc Hæresiarcham celebratur à Patribus & Conciliis, etiam œcumenicis! Tota autem vestra & perpetua hallucinatio est in vocibus æquivocis, quibus tum prima tum tertia Propositio à subdolis Jansenii & Augustini hostibus fabricata fuit, ut videretur censuræ obnoxia.

Sed Natalis de Lalane cum Sociis, Augustinianorum Antistitum & Theologorum apud Innocentium X. Oratoribus fallaciam detexit, & congruis elusit distinctionibus verorum sensuum à falsis, sibi mendaciter attributis. Inspiciatur itaque attentiùs & sepositis affectibus ac præjudiciis, utraque in controversiam hic reducta Jansenii Propositio. Prior: "aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; Deest quoque eis gratia, qua possibilia fiant."

Hoc itaque sensu Oratores nostri in libello supplici declaravere hæreticam: "justis omnibus quantumlibet volentibus & conantibus secundum præsentes quantascunque vires, quæ à gratiâ magnâ & efficaci habentur, mandata Dei sunt impossibilia; Deest quoque illis semper & quandiu vivunt, gratia quâ possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere". Hic, inquiunt Oratores, est "sensus hæreticus qui primæ Propositioni malignè affingi posset; quem tamen legitimè sumpta non habet.

CATHOLICUS. Fictitius ille sensus ridiculus est, neque tam stolidos fuisse Oratores illos verisimile, ut autumaverint periculum esse, ne hic sensus sibi aut Jansenio à Romanis Judicibus tribueretur, aut subintelligeretur vocibus Propositionis, quando huic anathema Sedes Apostolica diceret. Maligna igitur fictio in ipsis inventoribus est, non eorum tribuenda adversariis.

Verùm ut in omnibus Jansenistarum advertitur mendaciis, quantumlibet futilibus, ea non excogitari, nisi intento fine, sectæ usibus conducturo; ità sensus iste, licèt remotissimus à Propositionibus, atque à nemine sub illis vocibus intelligendus, tamen suggerit tyronibus, etiam posteris modum, quo ubi pro gradu Academico, sacro ordine vel Beneficio pingui obtinendo opus fuerit, dicere anathema Propositionibus facilè valeant retentâ Jansenii sententiâ, velut ab anathemate penitùs illibatâ.

Quin eò provecta nuper Quesnelli industria est, ut metamorphosi mirabili, sensum illum à Jansenistarum Oratoribus, ut dixi, excogitatum, tanquam Propositionibus fingu-

gulis, non nisi *malignè affingendum; sed quem legitimè sumpta non habent*, mutaverit in *sensum proprium & obvium*.

Hinc Jansenistarum quilibet, jussi anathema, etiam jurejurando dicere Propositionibus, in sensu proprio & obvio, prout jurandum declaraverat Innocentius XII. præstitere illud sine scrupolo, paucissimis exceptis in quibus scintilla remanserat Religionis, aut publicæ honestatis. Jurabant priores intrepidè Formulâ Alexandri VII., sensum Jansenii disertissimè condemnante: retinebant tamen animo pertinacissimè sensum à Jansenio intentum; qui indubiè Propositioni proprius est, & obviè à legentibus intelligendus.

Fallaciæ huic alterum Quesnellus junxit mendacium, de mente Innocentii XII. expositâ duobus ad Belgii Episcopos Brevibus Apostolicis, & comitante illa Decreto, quasi præcisionem is à mente Jansenii in Alexandri VII. formulâ concessisset, atque ita scopum unicum Sedis Apostolicæ destruens, juramentum reddidisset ridiculum, aut Sacrilegum approbasset.

Quam Jansenistarum perfidiam infringere Clemens XI. remedio debuit efficaciore, quod fuit Constitutio *Vineam Domini*.

JANSENISTA. De hac te audivimus aliàs. Solutionem magis aveo videre sententiæ, quam objeceram Arnaldicæ, ne declinare eam videaris potiùs quàm assumere confutandam.

CATHOLICUS. Desiderio tuo, ne dubites, faciam satis & abundè. Quod de sensu Propositionis primæ inter quinque Jansenianas interserui, experieris mox, non subterfugiendæ, ut autumas difficultatis causâ factum; Sed addendi luminis; quia studium Arnaldi & Quesnelli fuit dignum præcipuis novæ Ecclesiæ Apostolis, tot affundere tenebras veritati, tot pigmentis & fucis dolosissimis monstrum obducere hæreticum, ut non responsionis perfunctoriæ labor sit, totius enodatio fraudis, & impietatis convictio.

Sine itaque me referre etiam tertiæ Propositionis Jansenianæ sensum à vestris apud Innocentium X. Oratoribus effictum, declaratumque hæreticû quidem; sed alienum à Jansenio. Hujus Propositio tertia damnata est, *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*. Dogmati huic censuram hæresios Pontifices inflixere, infligit & Ecclesia universa, ipso Gallicani Cleri testimonio in Comitiis generalibus anni 1705.

Jansenianі autem Oratores, & instituti ab iis asseclæ, non ausi tantæ palàm se opponere authoritati, eludendum censuerunt anathema dum se admittere simulant; damnando scilicet verborum corticem, dum aliam eis significationem affingerent, quam traditam à Jansenio, ejusque consortibus defensam. *Sensus Hæreticus*, inquiunt, *qui tertiæ Propositioni malignè affingi posset, quem tamen legitimè sumpta non habet*, hic est: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis: sed sufficit mera libertas à coactione*.

Meministi næniæ Jansenianæ, quâ nulla solebat audiri frequentior, de *Jansenismi phantasmate*, quasi attributâ Jansenio hæresi non nisi imaginariâ, in Jesuitarum Antistiti isti adversantium conceptâ cerebro, ab alio nemine agnitâ, à nemine defensâ.

In Calvino autem reperio lib. 3. Instit. cap. 3. *Augustinus tum demum fieri peccatum docet, quando primæ appetitioni cedit voluntas; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupiditate contra legem Dei homo titillatur*. Melanchon Lutheri discipulus, in locis communibus de 9. & 10. præcepto: *Sciamus Lege Dei accusari & damnari etiam vitium hærens in hac depravata hominum natura, quod vocant concupiscentiam; non tantùm damnat hic vitiosos affectus, ad quos accedit consensus; sed etiam pravam inclinationem*.

An ab ea Calvini & Melanchonis opinione satis remotus fuerit Jansenius, colligi utcunque poterit ex eoquod ait lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 24. *Per præceptum non concupisces ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi; ideoque illud præceptum solùm est in Cœlo complendum*.

JANSENISTA. Prohiberi quidem motus illos dixerit Jansenius; sed per eos hominem demereri, si non consenserit, nusquam asserit, atque per hoc discernitur ab hæreticis, ut ab Oratoribus nostris animadversum est.

CATHOLICUS: Etiam Calvinus motus illos, quamvis Dei lege prohibitos, tamen ad demeritum non imputari tradidit in Antidoto Sessionis Concilii Tridentini de peccato Originali. *Negari*, inquit, *nisi impudenter non potest, quin repugnantia adversus legem Dei* (in illis motibus deprehensa) *verè sit peccatum... Sequitur ergo suapte natura esse peccatum; tametsi non imputetur*. verùm non adeò infensus sum Jansenio; præsertim cùm Sedi se Apostolicæ submise-

rit; quin eum libens patiar ab hæreticis segregari.

Discreverit itaque se quocunque modo à damnatissimis illis capitibus; at certè sententia ejus de impossibilitate præceptorum, & conjunctione necessitatis cum demerito, à Censurâ hæresios nunquam liberabitur: neque ab eâ eximes Quesnelli præceptorem domesticum Antonium Arnaldum, qui *In causa Janseniana, sive fictitia hæresi*, sub nomine *Pauli Irenæi* anno 1682. pag. 171. ait *verba primæ Propositionis damnatæ* (de impossibilitate præceptorum) *habet Jansenius, sed sensum illius damnatum non habet*.

Eugenius de Gelder in *ultima voce zelatricis innocentiæ* ad Innocentium XI. pag. 35. *Propositionem primam Jansenius scripsit in sensu Catholico*. Consideret modò Lector quilibet Orthodoxus, quem sensum catholicum facere valeat tota hæc Jansenianæ series Propositionis: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: Deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant*.

Tam clara, tam didactica Propositio est, ut expositione non egeat; qui autem in eâ tenebras comminiscuntur, aliud non agunt quàm ut obtentu sensuum variorum, caliginem affundant, quod in ipso vestro ad Innocentium X. *libello supplice* tot intricato ineptiis manifestum est. Significatio enim evidens propositionis conspicitur, quòd aliquando justi cadant ita ut non potuerint præcepto facere satis, etsi voluerint & conati sint, quantum in ipsis erat, juxta vires præsentes; sed auxilium gratiæ sufficiens defecerit. Hunc sensum fuisse Jansenii, cùm Propositionem scriberet, nemo inficiabitur sive Jansenii fautor, sive adversarius.

Quid igitur Arnaldus damnati sensûs loco substituit, dum eum abjudicat Jansenio? sensum, inquit, à nostris primo loco descriptum Oratoribus, declaratumque hæreticum; juxtà quem *justis omnibus quamtumlibet volentibus & conantibus secundùm præsentes quantascunque vires, quæ à gratia magna & efficaci habentur, mandata Dei sunt impossibilia. Deest quoque illis semper & quamdiu vivunt gratia, qua possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere*.

JANSENISTA. Hunc sensum nemo nostrûm est qui non à se procul abdicet & à Jansenio. Hoc itaque sensu non ne rectè dicimus hæresim Jansenianam, quoad primum Articulum esse merè immaginarium? Similis ratio in cæteris est prout ab oratoribus nostris in primâ libelli supplicis columnâ explicantur rejiciunturque ut hæretici.

Hinc securè dicimus anathema quinque Propositionibus, in quocunque libro edito vel scripto codice reperiantur, etiam Jansenii, si existere eas ibi contingeret. Quin etiam quandoquidem mutatis tempore circumstantiis, sensus qui non nisi malignè affingi olim Propositionibus poterat, devenerit hodie illis *proprius & obvius*, quemadmodum à Quesnello solerter advertitur in *Defensione Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum contra Leydekerum* Calvinistam *Ultrajectensem* opportunè idem suggerit, ad sedandos animos piorum, Deumque nolentium offendere perjurio, nihil esse eâ notitiâ magis idoneum. Cùm enim evidens fit, sensum illum neque Jansenii, neque alterius in Ecclesiâ esse, patet nihil amplius superesse difficultatis in jurisjurandi formulâ ab Alexandro VII. præscriptâ; quin jurare quilibet juxta illam possit, retento firmissimè sensu Jansenii, & totius ejus voluminis Doctrinâ.

CATHOLICUS. Rectiùs diceres, nihil eo Quesnelli fallacissimo Opere fieri potuisse pestilentius, quo eluditur quidquid Ecclesia contra Jansenii hæresim totis octoginta annis tot Constitutionibus, Decretis, Brevibus molita est. Sic modus Pontificibus & Episcopis aufertur, quo discernere valeant Catholicos & authoritati Ecclesiæ morigeros à rebellibus & hæreticis, dum pejerandi arte instructus quisque, Formulæ fidei, quam mente rejicit, voce & subscriptione juratâ adhærere videbitur. Sic facilè hæreticus furari poterit Beneficia, officia, sacros Ordines, ipsaque Ecclesiarum gubernacula, non Parochialium tantùm, sed etiam Episcopalium; ita sacrilegiis perpetuis Divina prophanabuntur Mysteria.

Sed benè habet, quòd astus ille tam impius, etsi multos fefellerit inferiores, Sedis Apostolicæ providentiam decipere non potuerit. Tentaverat istud quidem Quesnellus, blanditiarum dolo astutissimo, quo Innocentium XII. in ipso Operis principio demulcere conatus est; sed nullibi habetur magis, quàm in Italia exploratum, metuendas nunquam ampliùs, cavendasque studiosius hostium, vel suspectorum hominum insidias, quàm ubi præter solitum blandiuntur.

Examini itaque subjecta Quesnelli lucubratio, ut agnita est perniciosissimis tota fraudibus contexta, damnationis sententiam non effugit, etsi demeritis leviorem. Quisquis enim Pontificiis contra Jansenium definitionibus non aliter consentit, quàm sensu à Jansenianis Oratoribus descripto in priore columnâ, & condemnari à vobis solito, non magis Apostolicis istis suffragatur Constitutio-

tionibus, quàm si proscriberet Alcoranum.

Juramenta indubiè juxta mentem exigentium præstanda sunt: præscriptum autem ab Alexandro VII. fuit, ut omnes in Galliâ Ecclesiastici, etiam Moniales, sepositis sensibus fictitiis damnarent Propositiones quinque hæreticas in eadem prorsus significatione, quâ noscuntur in Jansenii volumine asseri, atque defendi, ut centies ad Solis meridiani radios demonstratum est: neque vestrûm ullus hactenùs ausus est inficiari, eundem quem Jansenio sensum tribuimus, atque in eo hæresios damnamus, revera ab illo Antistite in famoso suo Opere traditum fuisse, atque ibi hodiedùm clarissimè non solummodò expressum vocibus partim iisdem, partim æquivalentibus legi; sed accersitis etiam undique probationibus, operosissimè stabiliri.

JANSENISTA. Non te fugit à nostris sæpissimè negari, Propositiones esse Jansenii sive quoad verba, sive quoad sensum.

CATHOLICUS: Istud quem latere valeat? sed neque tibi memoriâ excidisse potest quod retuli ex *Causâ Janseniana*: ubi fatentem vidimus Arnaldum: *verba primæ Propositionis damnata habet Jansenius*; & in *ultimâ voce Zelatricis innocentiæ* asserentem Eugenium de Gelder, *Propositionem* (primam) *Jansenius scripsit in sensu Catholico*.

Sed næ vos mirifici disputatores estis, qui traditâ & damnatâ ipsis terminis Propositione, ut modò in primâ perspeximus Jansenianâ, recurritis ad sensuum diversitatem, quasi alius authoris fuerit, alius à Sede Apostolicâ proscriptus. Neque refert, quod declaret Pontifex, eundem prorsus anathemate à se profligari sensum, qui in damnato exprimitur volumine: quin mendacii arguitis supremum Judicem, aut crassæ ignorantiæ, velut qui damnationis sententiam vibraverit in Dogma veluti Jansenii, quod in ejus opere non intellexerit.

Si contigerit Propositionem authoris nimium prolixam, in compendium redigi accuratissimum, ut Censurâ debitâ notetur, quæ non auditur contra denuntiatores, ipsumque Judicem declamatio, quasi in utrisque bona fides desideretur & justitia?

Soli nempè Janseniani sensum rectè intelligunt Propositionis alicujus, sive in scriptoris Opere, sive in Decreto Pontificio juxta significationem omnibus obviam.

Quis extra Ecclesiam malignantium sub vocibus Propositionis primæ Jansenianæ indicari autumet, quòd Aliqua Dei præcepta sint *justis omnibus* impossibilia, & quidem cum *gratia quantumlibet magnâ & efficaci volentibus; & conantibus* pretereà adeò ipsis esse impossibilia, *ut semper & toto quo vivunt tempore desit eis gratia, quâ possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere*? Hunc ejurando sensum vos Catholicos & obedientes Ecclesiæ arbitramini, securèque jurejurando subscribere Formulæ Alexandrinæ; sed Deus non irridetur; sacrilegia quantumlibet manifesta tolerat quidem modò patiens, sed tempore suo vindicaturus.

Talibus nova vestra Reformatio scatet & gloriatur veritatibus, quæ quia nobis *lingua peregrina sunt & idioma incognitum*; improperat Quesnellus Ecclesiæ nostræ *Senectutem*, minatur proximum interitum, & *iram Dei in filios suos*: in quo ne vanus augur, aut temerarius Comminator appareat, *signum profert maximè sensibile defectum hunc*, seu talium ignorantiam *veritatum*.

JANSENISTA: Adhuc avidus expecto quid in Arnaldicâ circa primum Jansenii Articulum animadversione reperias veritati non consonum: "Etiamsi præcepta observari „ non possint sine gratiâ, nec ignorantia ju„ ris naturæ sine gratiâ depelli, non de„ bent tamen homini destituto omni gratiâ „ dici esse præcepta absolutè impossibilia, „ & ignorantia absolutè invincibilis; ut enim „ absolutè possit quis mandata servare, & „ ignorantiam vincere, sufficit quòd potue„ rit in Adamo, & etiamnum habeat intel„ lectum & voluntatem non incapacem reci„ piendi auxilia, ubicunque Deo placuerit, „ ea pro sua misericordia elargiri „. Quæ crisis à magno illo & in controversiis consummatissimo Doctore deprompta fuit occasione duorum Dogmatum, primi scilicet & secundi inter triginta & unum gravibus onerata censuris ab Alexandro VIII.

Ex his primum erat quod ante retulimus: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum, sufficit illa libertas quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ suâ, peccato originali, & voluntate Adami peccantis*. Alterum: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali*.

CATHOLICUS: Utraque Propositio, ut Joannem Sinnichium, Ægidium Gabrielis, & alios inferioris apud vos notæ Theologos omittam, tradita fuit à Jansenio locis non paucis & minimè obscuris. Cum autem is Arnaldi judicio ex tot millibus Doctorum à Deo fuerit electus singulari providentiâ ad elucidandas de gratiâ Quæstiones; huic Antistiti ab omni erroris maculâ vindicando præcipuum Arnaldi studium intendit.

Jansenius lib. 3. de gratia Christi cap. 13. & sæ-

& sæpè alibi *impossibilem* absque efficiente gratia asserie observantiam præceptorum, similiter & juris naturæ *invincibilem* ignorantiam, néque tamen in hoc statu miseriæ eximentem nos à peccato formali & demerito. Dogma horridum est, ad quod Jansenii ipsius cùm scriberet, videatur dextera tremuisse.

Sic enim lib. 2. de statu naturæ lapsæ caput 4. exorsus est. *Sed hic gigantea occurrit moles, & ut videbitur, nodus insolubilis, qui fieri possit ut ex invincibili ignorantia peccatum possit proficisci. Quis enim capiat ut homo in eo peccet, quod neque scit, neque scire potuit, nec voluntate suâ sive volente, sive torpescento talis ignorantiæ causam dedit? Hujusmodi enim peccata jam non erunt ne quidem voluntaria, quod ad peccati rationem omnino necessarium est; sed necessaria: Et quis credat tale portentum, Doctissimum Sanctissimumque virum docere potuisse? Si te, benignè Lector, ista difficultas fortè movet, profectò movet & me; non tamen ita, ut vel dubitem Doctrinam illam Augustinum tradidisse, vel in eâ tradendâ fluctuasse, vel hallucinatum esse; sed potius ut obstupescam, & exhorrescam profunditatem judiciorum Dei. Certissimum est enim... hoc Augustinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæstinum sine ullâ fluctuatione, ut rem in Catholicâ Ecclesiâ extra omnem controversiam, tanquam in scripturis traditam docuisse; rectè an secus, pietas nostra in dubium revocare non sinit, ne eâdem operâ victoriæ quoque veritatem & æquitatem, quâ de Pelagianâ hæresi triumphatum est, in dubium revocemus, quæcunque nos hic movent rationes, humana; sed plerunque vana terriculamenta sunt, hæc munimenta Divina sunt.*

Similia Jansenius habet eodem lib. cap. 2. in textu & ipso titulo, dein & cap. 5.

JANSENISTA: Multum Ecclesia Jansenio obstringitur, quòd, ut priore loco ipse testatur, thesaurum hunc *excussis magno labore diligentiaque principiis Augustini, & anfractibus Doctrinæ ipsius* eruerit, cujus diligentiæ fructum tota percipiet, inventorique gratulabitur posteritas.

CATHOLICUS. Quæcunque istiusmodi erroris vobis gloria videatur, non apparet debita Jansenio, cùm inventio ipso antiquior reperiatur in Luthero, qui in Genes. cap. 12. *Scholastici*, inquit, *invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, id est, quod peccatum prorsus tollat: hoc si statuimus verum esse, sequetur etiam sine Christo homines salvari; si faciant quod in se est; tanta cæcitas est in Papæ scholis & Ecclesiis.*

Ibid. *Falsa est ista celebris Scholasticorum sententia de ignorantia invincibili excusante.... Quisquis invincibilem ignorantiam excusationem mereri statuit, invertit scripturam sanctam, & tollit è mundo Christum justitiæ solem.*

Ibid. *in politicis negotiis potest esse locus invincibili ignorantiæ.... Sed hæc ad res sacras & conscientiæ negotia transferenda non sunt.* Non minùs autem sibi suisque hìc hæreticus, quàm Arnaldo & Quesnello Jansenius, totus Augustinianus est. Objecerat Luthero Erasmus pro libero arbitrio pugnantem authoritatem antiquissimam Sanctorum Martyrum, Conciliorum, Patrum, Antistitum atque Summorum Pontificum, etiam Academiarum. Quid ad hæc omnia Hæresiarcha? Lib. de *Servo arbitrio* ait: *Fateor, mi Erasme, non immeritò te istis omnibus moveri.... potes sanè cogitare nec mihi saxeum esse pectus: atque si saxeum esset: tamen tantis fluctibus & æstibus luxatum & collisum potuisse liquescere, dum id auderem, quo facto videbam, omnem illorum authoritatem, quam recensuisti, super caput meum velut diluvium inundaturam.* Verùm mox addit: *Augustinus, quem præteris, meus totus est.*

A Philippo Melancthone Lutheri Discipulo edita est pro Magistro *Apologia adversus Parisienses* ut loquitur, *Sophistas*: ubi clarissimam Academiam sic confidenter interrogat: *An non Lutheri de libero arbitrio, de gratia, si rectè rem æstimes, sententia tota Augustini est, & hunc per omnia secutus est in Commentario ad Galatas? Extant utriusque Commentarii: hos si conferas, videbis convenire inter eos de rerum summa.*

Quis denique inter recentiores hæreticos non ambit Augustinum adsciscere Ducem aut patronum?

JANSENISTA; Immeritò illi quidem; at nonne Jansenio hic ejusque Sectatoribus in præsenti Dogmate revera Doctor maximus consentit?

CATHOLICUS: Nequaquam; quia licèt concupiscentiam & ignorantiam contra Pelagium affirmet, non esse naturæ nostræ primordia, sed originalis germina corruptionis; non tamen ubi voluntas liberè non consenserit, peccata propriè statuit appellanda, neque imputat ad demeritum quidquid inde necessitate defluxerit, non libertate.

Inspice, si lubet, quæ ex Augustino descripta teneo lib. de naturâ & gratiâ cap. 67. lib. 1. Retractat cap. 9. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere quod ignoras.* lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Illud quod ignorans quisque non rectè fa-*

facit, & quod rectè volens facere, non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis [in Adamo] originem ducunt. .... Nam sicut linguam dicimus, non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum; secundùm quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; sic non solum peccatum illud dicimus, QUOD PROPRIE VOCATUR PECCATUM.... Sed etiam quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.

Ibid. cap.20. *Negligentibus, & peccata sua de infirmitate defendentibus, non ipsam ignorantiam difficultatemque pro crimine objiceret; sed quia in eis potius permanere voluerunt, justo supplicio vindicavit.*

Denique eodem cap. & lib. 1. Retract. cap.9. *Ignorantia & difficultas* (id est concupiscentia) *etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus esset sed laudandus.* Quis autem laudandum Deum diceret, si crearet hominem cum peccato, vel cum istiusmodi concupiscentia, & ignorantia, ex quibus peccatum procederet necessariò? Dicendum igitur in Augustini sententia, neque concupiscentiam, neque ignorantiam etiam juris naturæ, è culpa originis necessariò procedentem, propriè peccatum esse, quod demerito obnoxium sit, neque tale peccatum esse quod insuperabili inde necessitate dimanat.

Præiverat Augustinum Chrysostomus, in quo *multitudinem, pietatem, ac splendorem concionum cæterorumque ejus Scriptorum, interpretandi etiam rationem, & inhærentem sententiæ sacrorum librorum explanationem, omnes admirantur, dignumque existimant, cui Paulus Apostolus scribenti & prædicanti multa dictasse videatur*, ut in Horis ejus Canonicis legimus. Hic Sanctus Homil. 15. in Epistolam ad Romanos. *Nemo*, inquit, *unquam ignoranter peccavit* (nisi ignorantiâ vincibili & culpabili) *vides quomodo innumera sequerentur absurda, nisi dicta competenti religione legeremus: si enim ignoranter* (ut dictum est) *peccaverunt, indigni utique erant qui pœnas darent.*

JANSENISTA. Frustra mihi commemoras Chrysostomum, quia ut sapienter Jansenii eruditio observavit Tomo 1. Editionis Lovaniensis Col.438. *Scriptores inter Origenis & Augustini ætatem interjecti plerique Semipelagiana labe infecti fuerunt, quam in Oriente ab ipso Origene* (*quem in Scripturarum explicatione sectabantur*) *traxerunt præcipuè Græci.*

CATHOLICUS: Ita quidem Jansenius uno tractu calami in suspicionem hæresios vocat Athanasium, Epiphanium, Basilium, Ephrem, Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Chrysostomum & alios, quorum ut alius ajebat, uncia una plus valet, quàm libræ plurimæ Janseniorum. Hunc quoque Novatorem istum contra Patres Sanctissimos calumniam, ut sua passim Dogmata, à recentioribus didicisse hæreticis verisimile est.

Ita Calvinus apud Ruardum Tapperum Art.7. *Græci præ aliis atque inter eos præcipuè Chrysostomus in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt. Veteres autem omnes excepto Augustino, sic hac in re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat.*

Uter hìc modestiæ & æquitatis limites magis excesserit, Calvinus an Jansenius, dijudicandum lectoribus relinquo. Animadversione tamen dignum est, quod adversarii dum in extollendo tantopere Augustino religiosi videri volunt, & laudatores magnifici, eundem ut temerarium deprimant & novatorem, utpote qui magistrorum sententias aut negligeret aut contemneret, suo pa..in sacra Dogmata judicio privato dirimeret, novarum sectator potiùs *opinionum*, quam veteris indagator fidei ac veritatis, omni dubio ac vicissitudine superioris. Sic nempè Elias du Pin inter celebriores hodie Augustini Discipulos non postremus, in *nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*, Sanctissimum hunc Antistitem & Doctorem maximum, non qualem Ecclesia, nobis exhibet securissimum; sed velut multiplicis periculo erroris, etiam in rebus gravissimis se suosque exponere solitum auditores:

Verba de hoc Dupii accipe translata ex Gallico: *S. Augustinus tam in scripturarum interpretatione, quàm in Theologicis opinionibus, sæpè recedebat à præcedentium tramite, ut viam sibi deligeret prorsus novam. Vocari potest in Theologicis, quo se nomine Cicero vocabat in Philosophicis, Magnus opinator: Eruditionis multo minùs illi fuit, quàm ingenii: quia & linguarum ignarus erat, & vix legerat veteres.* Plura ibi sequuntur Augustino parùm honorifica. Deteriora scripsit Joannes Launoyus, & alius Lovanii à Pontificiorum Castris ad Quesnelliana deficiens Martinus, in solâ constans imprudentia ac levitate.

JANSENISTA: Ut semper pauperes, ita & imprudentes habebimus nobiscum: sed à propositâ iterum divertimur Quæstione. Nondum satis assequor cur nobis ad peccatum

tum & demeritum non sufficiat libertas, quæ nobis fuerat in Adamo.

CATHOLICUS. Peccatum inter & libertatem aliqua requiritur proportio. Peccato originis sufficere potuisse libertatem in origine didicimus lumine Fidei, scripturarum, Patrumque testimoniis confirmatum: at peccatum, quod dicitur personale, ut non nisi propriâ committitur voluntate, ita propriam in subjectis seu personis singulis exigit libertatem: Istud ante utriusque seculi superioris hereticos Dogma extra omne dubium in Ecclesia fuit. Novitas autem ex Galliis & Germania ad Batavos Jansenii conterraneos derivata, magis ei placuit, quàm decuit orthodoxum Doctorem, atque Antistitem: sed magno suo & Ecclesiæ malo juvenis, & à Lovaniensi primum emergens Theologiæ tyrocinio, in novæ incidit artificem Ecclesiæ Sancyranum, qui suis brevi initiatum erroribus destinavit meditati operis subsidiarium, & novæ suæ Ecclesiæ quodammodo Confundatorem. Hinc illa novatum series opinionum.

Et quidem ad ignorantiam quod attinet, concupiscentiam, & gratiarum complurium privationem, supplicia primi peccati sunt à nobis olim in origine commissi, ut contra Pelagium rectissimè tenuit, & cum Ecclesiâ docuit Augustinus. Verùm qualiscunque orta, indè in posteris ad peccandum proclivitas, qualiscunque inclinatio, necessitatem nunquam imposuit arbitrio hominis ad consentiendum: neque si actuum malitia cognosci sive humano studio, sive Dei adjutorio præsente, vel precibus impetrabili non possit, ad culpam imputabitur, aut demeritum. Recurrit enim aurea, & à nullo repudianda Catholico sententia Augustini; *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras: sed quod negligis quærere quod ignoras.* Christus ipse Joannis cap. 15. *si non venissem*, inquit, *& locutus eis fuissem, peccatum non haberent.*

JANSENISTA. Subintellige nesciendo Christum, quæ non juris naturalis, sed Divini solummodò positivi ignorantia est.

CATHOLICUS. Generalis apparet apud eundem Evangelistam Christi sententia cap. 9. *Si cæci essetis, peccatum non haberetis.*

JANSENISTA. Dispiciendum etiam hìc quæ genuina loci interpretatio sit apud Augustinum.

CATHOLICUS: Sìc eam refert Cornelius à lapide post aliam Chrysostomi, Theophilacti, Euthymii *Magis* (inquit) *genuinè Sanctus Augustinus Tract.* 44. *Si cæcj essetis, scilicèt vestro sensu & judicio, hoc est, si cæcos, id est, ignorantes & insipientes in rebus salutis vos esse humiliter agnosceretis, non haberetis peccatum, quia cæcitatis vestræ remedium quæreretis, & à me quærentes acciperetis*, Clarissima iterum ejusdem Sancti Doctrina est lib. de natura & gratia cap. 67. *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest resisti, sine peccato ei ceditur: Si autem potest, non cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem: caveri ergo potest..... Sive ergo immineat* (tentatio) *sive insit, caveri potest.*

JANSENISTA. Imò caveri potuit in Adamo.

CATHOLICUS. Non ait Augustinus caveri potuisse olim & in alio; sed *caveri potest* etiamnum à nobis: ineptissima alioqui foret & ab iis quos instituendos susceperat, excipienda risu monitio. Sanctus loquitur contra eos, qui sua vellent excusare crimina, causando impossibilem in tentationibus resistentiam. Si, inquit, non potes resistere, sine peccato impulsui cedis. An forsitan suggestio fallit incautum. Vide cautior sis, & *caveas ne fallaris*: aut *si tanta fallacia est ut cavere omnino non possis*; *ergo nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod cavere nullo modo potest? Peccatur autem; caveri egro potest.* Ubi perspicis Doctorem maximum ut excusationi futili pondus detrahat, non recurrere ad resistendi potentiam, quam habuimus in Adamo; sed quæ nobis hoc tempore præsto est. Tota enim exhortatio & institutio de præsenti est, quid fieri, quid caveri valeat, modò ac debeat. Aliàs quilibet ratione præditus monitorem repelleret exhibitâ Status miseri post Adæ inobedientiam conditione, in quâ mandatorum observantia nobis reddita sit impossibilis, quoties labimur, utpotè qui tentationi cui cedimus, haud resistere, nisi peccato altero valeamus.

Absurdissimum illud indubiè est, & quod aures necessariò horreant Christianæ; an autem de duritie, an de mollitie, & dissolutione noxia accusandum Dogma potiùs sit, problematicæ locus videbitur disputationi. Quantû enim ad barbariem accedere censebitur rigor exoticus, qui est omissionis condemnatio, quando observatio præcepti fuerit impossibilis; tantùm excusandæ omni in peccatoribus negligentiæ, omni inobedientiæ conducet, quando nihil à se prætermissum boni, in quacunque dissolutione vitæ offendere poterunt, cujus exercendi habuerint facul-

cultatem. Saniora nobis occinit universus Patrum Chorus & Scholasticorum.

Quoniam autem vobis semper placet præ cæteris Augustinus, quid expressius desideres, quàm quod de statu, in quo etiamnum mortales degimus, enuntiat lib. 2. de Gestis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala... Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, ostendit, esse in potestate, quod facerent; & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent; si malum eligerent, pœnam illius sentirent.* Libro 83. Quæstionum quæst. 24. *Nec peccatum, nec rectè factum imputare cuipiam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* Denique libro 50. Homiliarum Homil. 16. *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an Diabolo.*

In omnibus his Doctor maximus deceptoris putidi infamiam non evaderet; si non aliam nobis concessam intelligeret libertatem, quam in Adamo, ut sensus foret, non *in tuo*; sed in Adami *arbitrio Deus posuit, cui pararet* pro te *locum, Deo an Diabolo*; si *peccatum & rectè factum in* Adami solùm *libero fuerit voluntatis arbitrio*: si non *habeat unusquisque in voluntate* propriâ; sed habuerit olim in primi solummodò parentis, *aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, ostendit esse in potestate, quod facerent*, juxta novos Augustini interpretes, ostendit Deus fuisse in Adami potestate; non in posterorum, quid eligerent. Hactenùs Arnaldi sententia est, quæ fuit ante Jansenii, & ante utrumque Lutheri & Calvini, Talibus profectò dignum Augustini Discipulis, & excellentis specimen ingenii est, sic nosse exponere Doctorem Sanctissimum, quo modo aliàs à nemine rationis compote intelligeretur.

JANSENISTA: Mirabilis tibi quantumlibet appareat interpretatio, necessaria tamen est ut relatæ sententiæ cum aliis ejusdem Sancti locutionibus componantur.

CATHOLICUS: Nulla necessitas exigit incongruis & malesanis adeò Doctorem maximum pessumdare commentariis, & quo, amabo, fine, quo fructu? Non alio quàm ut in hæresios fatuæ trahatur Invitissimus patrocinium.

JANSENISTA. Arnaldus & Jansenius annumerari hæreticis non meruerunt.

CATHOLICUS: Meruere certissimè Lutherus & Calvinus; Jansenium quantumlibet hæretica procudentem Dogmata; quia *Constitutio Theol. propugn. Tom. IV.* tamen se suaque scripta omnia Romani Pontificis submisit judicio, uti non de pertinaciæ, ita neque de hæresios crimine accusamus. Utinam in Arnaldo paria Christianæ demissionis indicia conspicere licuisset. Sed novem illa *Difficultatum* nomine opposita Steyaertio opuscula, quibus, potissimùm ultimo cæteris prolixiore, vix aliquid virulentius contra Sedis Apostolicæ Judicia Dogmatica, procusum legimus, à declaratis Ecclesiæ inimicis; ea, inquam, Opuscula ab Arnaldo edita octogenario, & quantum scire licuit, nunquam retractata quid aliud judicare nos sinunt, quid aliud lugere magis quàm non unius reum contra Christi Vicarium rebellionis, in non uno, etiam hæresios damnatissimo errore pertinacem, non uno innodatum anathemate, terminare vitam turbulentissimam, mortem nullatenùs bono Catholicorum omine, oppetere voluisse? Siquidem, ut Quesnellus domesticus ejus & testis obitus scribit eum ad finem usque rationis compotem fuisse, atque, ut excedere è corpore animum voluit, maturo consilio dispósuisse.

JANSENISTA. Adhuc expendendum tibi superest, quod callidè hactenùs dissimulas, de Arnaldo, qui non in solâ primi hominis libertate omnem nostram meriti & demeriti capacem constituit potestatem; Sed etiam in eo quod *intellectu præditi simus & voluntate, quibus poterit Deus, quando pro suâ misericordiâ ei placuerit, infundere auxilium gratiæ, quod efficiendo Operi cuique præcepto plenissimè sufficiat, illudque impleat reipsa.*

CATHOLICUS. Capio: similem statuitis Deum illi quem supra in exemplum adduximus Domino, qui filium adoptaverit addicens, fore, ut nisi adoptatorem is priùs desereret, nunquam destitueretur necessariis, quæ sustentandæ vitæ, implendoque muneri abundè sufficerent. Ecce autem antequam filius ullam offensionis ansam præbeat, a Patre derilinquitur, destitutus omnibus ad victum & impositi muneris exercitium requisitis. Gementi autem filio & in talibus angustiis perenuti; quid si Pater respondeat, debere satis esse filio, quòd os habeat & stomachum, recipiendis alimentis idoneum, quin & erumenam vacuam quidem, sed continendæ pecuniæ capacem, quando Patri videretur eam pro sua infundere benignitate? Ut opinionis Arnaldicæ barbaries eluceat ampliùs addamus filium arcto carceri mancipatum constrictumque vinculis, ne opere manuum vel petitâ ab aliis eleemosynâ conquirere alimenta valeat: similitudinem intelligis & facillima ad casum nostrum Theologicum cuilibet applicatio est.

JANSENISTA. Assequor equidem; sed præteris quod & superioris exempli de filio crurifrago vitium fuit, eum sibimet confregisse tibias, omniaque ad victum necessaria suppeditata abjecisse. Quæcunque scilicet animæ nostræ vulnera, ignorantiam & cœcitatem, concupiscientiam carnis, gratiarum donorumque supernaturalium privationem, infelices plangimus, nobis ipsi accersivimus originis peccato.

CATHOLICUS. Nequaquam elabetis, neque amoliri unquam poteris à vestra barbariem atque perfidiam novitate; quia quamcunque filius in erurifragio spirituali culpam habuerit, non eam commisit voluntate propriâ; sed alienâ.

Sic aliquando Princeps rebellem populum etiam in posteris plectit, dum bona fortunæ omnia parentibus adimens, progenitos ab eis liberos omni pariter spoliat hæreditate. Verùm ut ad causam nostram similitudo utraque transferatur, attendendum præcipuè est, quod qualecunque nostrum originis delictum fuerit, à Deo illud minimè ignorante, nihilominus adoptati postea simus in filios, remissâ penitus culpâ adeò ut in ablutis fonte Baptismatis nihil Dei odio dignum remanserit.

Per Apostolum suum 1. Corinth. cap. 10. fidem suam nobis obstrinxit futurum nunquam, ut ultra vires onerari nos, aut pulsari tentationibus permittat. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*; & per Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. 11. *Deus namque gratiâ suâ semel justificatos non deserit*.

Quidquid igitur de fractis malitiâ cruribus, de donis, gratiis, & quibuscunque sive animæ; sive corpori mediis necessariis antea rejectis adduxeris, extra casum est controversiæ, neque à sententiâ vestrâ barbariem amolitur, aut impietatem. Ut enim in similitudine magis emicet veritas Catholica, supponenda est adoptio filii posterior ejus delicto sive in rumpendis sibi cruribus, sive in dilapidatione bonorum omnium commisso. Si istud famuli qualecunque peccatum exploratissimum habens Princeps, illud ipsi condonaverit adeò, ut in amicitiam eum intimam admittens assumpserit in Filium, pacto legitimo hæreditatem pollicitus, atque interim omnium necessariorum copiam sufficientissimam: addixerit simul quælibet ei *mandata* imponenda *non foregravia*, sed *jugum* quale amantissimum Patrem decet, *suave futurum & onus leve*. Quid tantis in vestrâ sententiâ respondet promissionibus? Suscepto infans Baptismate, & cum eo santificationis atque adoptionis gratiâ, nihil criminis committit, nullius committendi capax est, antequam rationis usus advenerit. A primo autem rationis crepusculo juxta vos obligat præceptum maximum diligendi Deum super omnia ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus & omnia opera sunt peccata, quæ charitatis intentio in Deum non direxerit. Si in primo illo rationis diluculo seu primo opere præceptum sanctificatus non impleat; ut certum est non impleri à Baptizatorum plurimis, penès vos evidens est nullum adfuisse gratiæ auxilium, aliàs effecisset quod præcipitur; quia juxta Art. 11. *Gratia non est aliud quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet*. Imò juxtà Art. 10. *nihil impedire eam potest aut retardare*.

Eccum igitur filium à Patre derelictum absque ullo sufficente & necessario prorsus subsidio, antequam Patrem ipse deseruerit, aut ullâ offenderit inobedientiâ.

JANSENISTA: Video hìc te, ut Pontificios communiter, in Tridentini loci intelligentiâ hallucinari. Aliud enim ibi Synodus non asserit, quàm Deum nunquam subtrahere justificato suam amicitiam, sive gratiam sanctificantem, quàm ea peccato lethifero expellatur; nam prior est in homine omissio actus præcepti, quàm recessus gratiæ sanctificantis. Ita præcipuus vester Achilles enervatur penitus, ac destruitur.

CATHOLICUS. Concilii sententiam sic pridem eludere potiùs quàm congruè explicare tentaverat Jansenius Tomo 3. Edit. Lovan. col. 365. sed inanissimè; quia sequi voluit Synodus Augustinum libro de naturâ & gratiâ cap. 26. *Deus non deserit si non deseratur*. Et cap. 23. *dignos deseri tantùm deserit*.

Ne verò eadem cavillatio etiam Augustini vocibus adhibeatur, mens sancti compertissima est, quòd nulli Deus nisi à quo offensus fuerit, deneget gratiam actualem, sive auxiliatricem. Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia* Dei *est, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in* Deo. Quæ verba allegans S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, *in istis*, inquit, *S. Augustini dictis attende, quæso, mi charissime, primum, quia, ut non homines adjuventur à Deo, in ipsis causa esse dicitur, non in Deo*.

Quæ porrò desertionis divinæ causa in Dei filiis assignabitur, qui nullo unquam delicto propriæ voluntatis ipsum offenderint atque ab eo quod commiserant alienâ, plenissimè

mè absoluti, in perfectam à Deo amicitiam sint recepti?

Iterum Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis: & adjuvat ut possis.* Quod indubiè de Justis præcipuè est intelligendum. Quomodo autem vestra hìc novitas & crudelissima durities Deum fingere poterit adjurantem? Sinè adjutorio & quidem supernaturalis gratiæ, quid boni operis, quid obedientiæ salutaris in humana statuitis potestate? *Sine gratiâ* juxta Art. 40. *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

JANSENISTA. Inficias ire nequeo, quin ea Arnaldini axiomatis impugnatio non omni appareat destituta robore; attamen non nisi ægerrimè etiam divellor ab eo quod mihi oraculi instar semper visum est: *Etiamsi præcepta observari nequeant sine gratia, nec ignoratio juris naturæ sine gratia depelli, non debent tamen homini destituto omni gratia dici esse præcepta absolutè impossibilia, & ignorantia absolutè invincibilis; ut enim absolutè possit quis mandata servare, & ignorantiam vincere, sufficit quòd potuerit in Adamo: & quod etiamnum habeat intellectum & voluntatem non incapacem recipiendi auxilia, quandocunque Deo placuerit, ea pro sua misericordia impertiri.*

CATHOLICUS. Tantone vobis acumine ea Arnaldi sententia pollere visa est, ut haberi oraculi instar mereretur? Mihi verò qui ingenium, quantumlibet perversum, minimè tamen despiciendum in hoc adversario hactenus agnoveram, tam stolida eadem semper sententia apparuit, ut mirari satis nunquam potuerim, quomodo tot annorum Theologum non puduerit fœtus adeò malesani se prodere genitorem. Tantone studio opus fuit, ut tam frivola Jansenianæ hæreseos excogitaretur defensio?

Nullus adeò iniquus Jansenio fuit, ut ei tribueret *absolutam præceptorum impossibilitatem*, vel *invincibilem* adeò *ignorantiam*, & quidem quæ transgressorem non eximeret à culpâ atque demerito. Atheum enim esse oporteat aut fatuum qui Deo potestatem deneget impertiendi cuilibet homini talem gratiam, quâ & juris naturæ ignorantiam pellere, & tentationes gravissimas superare valeat, atque ita perfracto quocunque obice, præceptum Dei maximè arduum adimplere. Si juxtà aliquorum insaniam hæreticorum, omnia etiam in justificatis opera veneno concupiscentiæ inficiantur, non tamen negant illi concupiscentiam, sive ut ab afflando vitio impediatur, sive ut destruatur penitus, divinæ subjici potestati.

De hoc nulla inter ipsos & Communionis nostræ Theologos disceptatio fuit, nulla contra Jansenium accusatio. Omne verò eum inter & nostros dissidium erat, de quo consulendam Clerus Galliæ censuit Apostolicam Sedem, an aliquando contingat ut *aliqua Dei præcepta hominibus, etiam justis, volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sint impossibilia, desit quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Cuilibet non cæco manifestum est, agi hìc de impossibilitate non absolutâ, ut jam exposui, sed de respectivâ tantummodò *secundùm præsentes quas habent vires.*

Ne ipse quidem volatus est impossibilis absolutè; nam & aves volitant, & artem eandem viresque tribuere Deus homini semper potest, uti & mare transeundi sine vehiculo: quod posterius aliquando concessum legitur. Ideòne sapienter & justè imperare nobis, ut modò constituti sumus, Deus sub pœnis gravissimis volatum poterit, & istiusmodi transitum maris, quia neutrum est *impossibile absolutè*, sed juxta vires solummodo præsentes?

JANSENISTA: Neque volatus, neque Maris ille transitus nobis possibilis fuit in Adamo.

CATHOLICUS: Quid tum? Amissio illa potestatis in origine seu voluntate Adami peccantis sufficitne, ut quod ex illâ necessariò sequitur, & absque propriâ seu personali in posteris libertate, sit culpæ obnoxium ac demerito?

JANSENISTA. Cur non sufficiat?

CATHOLICUS. Quia, quamdiu Christi stetit Ecclesia talis assertio peregrina & incognita penitùs fuit Patribus & Sanctis Doctoribus universis, undè merito Scholæ Angelus Augustini totiusque Traditionis fidelissimus Interpres, & Sectator in 2. dist. 30. quæst. 1. Art. 2. " Ad culpam personalem
„ (inquit) requiritur voluntas personæ, sicut
„ patet in culpâ actuali: ad culpam verò na-
„ turæ nempè ad peccatum originale, non
„ requiritur nisi voluntas in natura illa.

Ideò inter 31. Propositiones hæreseos & aliis respectivè Censuris notatas Alexandri VIII. Diplomate cernimus has duas initio, veluti duces cæterarum: " In statu naturæ
„ lapsæ ad peccatum formale & demeritum
„ sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac li-
„ berum fuit in causâ suâ peccato originali
„ & voluntate Adami peccantis. Tametsi
„ de-

„ detur ignorantia invincibilis juris naturæ, „ hæc in statu naturæ lapsæ operautem ex il„ la non excusat.

JANSENISTA: Exeusari satis utcumque Articulum existimat Magister noster Arnaldus, quod neque prior in hoc statu per defectum libertatis intelligat actionis vel omissionis *impotentiam absolutam*, vel similem *necessitatem*, neque posterior *ignorantiam absolutè invincibilem*, sed respectivè tantùm, sive juxta præstitas à Deo vel oblatas homini vires.

CATHOLICUS: Scio quæ Arnaldum necessitas impulerit ad istam utriusque Articuli defensionem; pertinacia scilicet execrabilis, quâ retinere mordicus voluit, & contra Sorbonicos, imò contra Apostolicam Sedem vindicare secundam suam ad Ducem & Patrem Franciæ Epistolam, quam Alexander VII. condemnavit anno 1657. Prævenerat uno anno Sorbona, hunc ex eadem Epistola excerpens, & Censura hæresios, impietatis, Blasphemiæ feriens Articulum, *Defuit Petro tentato gratia, sine qua nihil poterat*. Sustinendam sibi nihilominùs proposuit Arnaldus tum eandem hæresim, tum primam Jansenii, similibus priùs ab Innocentio X. Censuris etiam, impietatis & Blasphemiæ perstrictam. Cum hac hæresi, qua impossibilis in aliquibus statuitur divinorum observatio præceptorum arctissimè connectitur altera hæresis Jansenii tertia, quæ est de necessitate in hoc statu cum merito & demerito componenda. Sicut prima Jansenii Propositio non asserit de justis impotentiam absolutam, sed impotentiam solummodo *secundùm præsentes quas habent vires*; Sic neque tertia necessitatem absolutam, sed respectivam tantùm cum merito conciliat, atque demerito.

Quando igitur Deus nobis volatum præciperet sub pœna acerbissima inferorum, frustra causaremur volandi impotentiam, & proindè inobedientiæ necessitatem, quia neutra à rebellionis crimine liberaret; non enim defuit Deo modus, inquies, tribuendi alas, vel etiam volandi absque alarum subsidio facultatem.

JANSENISTA: Longè dispar est ratio in omittente volatum & non eliciente actum amoris salutiferi erga Deum, etiam dum uterque omni destituitur ope necessariâ: Dispar, inquam, longè ratio est, quæ sæpè à Jansenio allegatur, & omnium ei atque Augustino adhærentium Theologorum est, volatum non pendere à voluntate hominis; quantumlibet enim habere alas voluerit, & ferri per aera volatu, non propterea effectus sequitur volitionem; at eo ipso quo amare volueris, ipsa volitio amor est.

CATHOLICUS. Poteftne destitutus gratiâ velle Deum vel justitiam amare sicut oportet?

JANSENISTA: Nequaquam: sed poterit amare; imò amabit reipsa, si velit. Quid autem magis in potestate nostra est quàm quod facimus si volumus?

CATHOLICUS: Sensum Iansenii, & argutandi rationem apprimè assequeris. Eâdem Strophâ ludebant puerilitèr, sed non minùs inaniter Wickleffistæ, qui dum negabant Deum posse mundum amplius extendere; concedebant nihilominùs *Deum posse si vellet*; Sed dementissimè simul inficiabantur, quod possit velle. Cavillationem perstringit Lepidè Waldensis Tomo 2. lib. 1. cap. 15. vocans *Glossam communem Wickleffi, & generale emplastrum*. Dein *sub hac*, inquit, *glossa communi Potest si vult, sedent omnes Wickleffistæ securi; non tamen sicut Elias sub Juniperi umbra; sed sicut Jonas sub hedera. Accedat igitur vermis ille, qui est prima veritas, mentiar: si radices hujus glossæ non comedat: undè herba marcescat. Cur negas Deum posse majorare mundum, quod tamen potest, si cum vult, potest? Non, inquis, Cur hoc? quia non vult, nec potest nisi volens. Jam ecce supposui tibi quod velit. Non, inquis, potest velle: Sed, si vult, potest.*

JANSENISTA: Quantumlibet Waldensis modum illum explicandæ libertatis exagitet in Wickleffo & ejus asseclis; attamen negare non possumus in Sanctis Patribus, ipsisque Conciliis esse usitatissimum. Descriptos hic teneo textus complures: Tridentina Synodus Sess. 6. de Justificatione Canone 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & exeitatum ... non posse dissentire si velit, anathema sit*. Arausicanum Concilium Can. 15. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes Baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare velint, adimplere*. Sanctus Anselmus in Caput 6. Matthæi *In Paulo videtur cogens Dei voluntas: sed non est: quia licèt sit percussus, tamen voluntate erat liberâ, ut resisteret si vellet*.

CATHOLICUS: Quin locutio ista Conciliis, Patribus & quibuscunque tum antiquis, tum recentioribus Theologis fuerit, & sit hodie familiaris, nemo est qui in dubium revocet; sed pariter omnibus communem loquendi methodum callentibus, exploratum est, his vocibus significari electionem liberam ut velle quis possit, & non velle. Cavillationem jam expositam Wickleffi omnes Catho-

tholici ut ineptissimè Sophisticam excepere sibilis:eandem assumere ad circumventionem simplicium, placuit Luthero lib. *de Servo arbitrio*. Riveto in *summâ Controverf.* tract.4. quæst.3. & similibus hæreticis, veræ hostibus libertatis,quos imitari, minimè decorum Jansenio, ejusque Sectatoribus fuit.

Ut denique suspicere adeò Arnaldi ingenium desinas, quasi hic magni quidpiam enixum fuerit in eâ, quam ex *difficultatibus contra Steyaertium* retulisti, sententiâ, eamdem noveris, ipsum non ex Jansenio solùm; sed ex aliis quoque & magis pudendis authoribus haurire potuisse. Ita Calvinus lib.2. Institut. cap.5. "Si quis disceptare cum Deo „ velit, & hoc prętextu judicium subterfu„ gere, quoniam aliter non potuerit: habet „ paratam responsionem, non ex creatione „ esse; sed naturæ corruptelâ... Unde enim „ ista, quam improbi libenter prætexunt,in„ potentia, nisi quòd Adam ultro se Diaboli „ tyrannidi addixit?

Quam hìc Calvinus Deo tribuit responsionem, æterna ipsa ignoraverit Sapientia ut adhiberet. Eâdem se Hæresiarcha defendit lib.4. contra Pighium, quam ubique deinceps Catholicis occinuere Calvini & Lutheri discipuli, præcipuè Theodorus Beza lib. de æterna prædestinatione, & Hieronymus Zanchius Tract. Theolog. lib.1. cap.6. ita posterior: "Nihil simpliciter & per se impossibile „ præcipit Deus; nam vires dederat homini, „ quibus omnia Dei mandata servare potuis„ set, si voluisset; quod igitur fiant impos„ sibilia homini corrupto, hoc est ex acci„ denti.

Similiter de ignorantiâ invincibili disserit eodem lib. cap.12. tandem sic concludens: "Omnis ignorantia eorum, quæ quis „ scire tenetur, peccatum est; quia cum le„ ge, quâ jubemur illa cognoscere, pugnat, „ sive ea cognoscere jam possis,sive non pos„ sis, quod enim jam non possis peccato Adæ, „ quod & tuum est; quia in eo omnes pecca„ verunt, factum est: Quare falluntur Schola„ stici, cùm talem ignorantiam, quam invin„ cibilem vocant, ideò à peccato excusant; „ quia invincibilis est, ut loquuntur: quan„ quam evincere etiam possumus, eam non „ esse simpliciter invincibilem; cùm volun„ tarium Adæ peccatum sit consecuta.

Quid hìc non consonum Arnaldo? juxtà utrumque nec pręceptorum observatio in hoc statu dicenda impossibilis *simpliciter & absolutè*; quia possibilis nobis fuit in Adamo, in quo cum omnes peccaverimus, ipsam à nobis projecimus quodammodo & pessumdedimus libertatem, cum pleniffimâ servandorum potentiâ mandatorum.

Eadem ratio est de ignorantiâ eorum, quæ cognoscere nos oporter ad Justitiam & salutem. Quoties ignorantiam illam à vestris dici audis invincibilem, intellige in hoc statu miseriæ, post primum omnium in Adamo peccatum: cùm ab iisdem aut similibus, ut modo ab Arnaldo, doceris non esse invincibilem absolutè & simpliciter, ad statum primævæ respice innocentiæ. Ne igitur assertionem unam existimes alteri contrariam, utramque facilè conciliar duorum statuum juxta Jansenianos interpretes distinctio.

Opportunus interim & percommodus distinctionis usus, non proditus semper palàm; sed animo callidè retentus est, ut dum sententias ab Ecclesiâ damnatas etiam Censurâ *hæresios*, *blasphemiæ*, *impietatis* fovere mente pergitis, & Discipulis inculcare; ubi tamen periculum imminet punitionis, exclusionis à Beneficio, à Sacris ordinibus, à gradu Academico, positis assertionibus uti Catholicorum, & Apostolicæ Sedis prorsus consonis definitioni: videamus in exemplis. Interrogati ab Ecclesiæ Præpositis, An *aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus secundùm præsentes,quas habent,vires,sint impossibilia; desit quoque eis gratia, qua possibilia fiant*. Affirmaverat quidem Jansenius Propositione prima inter quinque hæreticas: permittit tamen Arnaldus ut negetur, subintelligendo *impossibilia absolutè, quasi observandi potentiam non habuerimus in Adamo: quasi etiam intellectu nunc & voluntate careamus idoneis ad recipiendam Dei gratiam, si, vel quando Omnipotenti placuerit,pro sua eam nobis misericordia impertiri*. Hic sensus est Arnaldinæ sententiæ ex ejusdem contra Steyaertium difficultatibus antea citatæ.

Si præterà in examine ex Candidato vestro quærimus quid censeat de hac secundâ Jansenii Propositione hæresios damnatâ: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: sine cunctatione pronunciabit hæreticam; sed hoc sensu intelliget, quasi in eâ negetur omnis resistentia inefficax, sic ut nulla ei obmurmuret innata nobis ex peccato originis concupiscientia, quam sentiebat in se continuò Apostolus legi mentis & gratiæ, etiam victrici & invictissimæ repugnantem. Retinebit tamen Candidatus iste infixum altè animo sensum Jansenii, quo omnis gratia sufficiens distincta ab efficaci è statu naturæ lapsę excluditur.

Interrogatus de Propositione inter Bajanas sexagesimâ septimâ: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit*. Eam ægrè quidem fatebitur Candidatus, esse meri-

ritò damnatam; ut tamen obediens videatur, intelligit de *necessitate absoluta* adeo, ut neque in statu primæ innocentiæ impediri ea necessitas potuerit, neque possit hodiedum Deus gratiam homini infundere, qua necessitas superetur, sive hæc à concupiscientiæ illecebris, sive à tenebris ignorantiæ proveniat.

JANSENISTA. Sine parumper me interrumpere argumentum: quoniam in his apprimè versatum te video controversiis, dic mihi, undenam accidat, ut in variis Constitutionis Pii V. Editionibus non idem Propositionum numerus sit, & quæ apud te sexagesima septima est, penes alios numerum præferat inferiorem.

CATHOLICUS. In Bulla Pii V. nulli Propositionum designantur numeri, sed in variis dein Regionibus ubi eadem Constitutio jussu Antistitum, iteratis typis prodiit, ad lectoris commodum Propositionibus varii apposuere numeros; sed ut aliquæ longiores sunt, & divisionis capaces, contigit ut Theologis quibusdam plus divisionis placuerit, aliis minus.

JANSENISTA. Nunc, si lubet, filum argumenti prosequere.

CATHOLICUS. *Tyrocinii* in pluribus Bajani, Author Belga Tract. 1. cap. 8. ait: ***Bis in publicis Thesibus defendi, nullam ignorantiam invincibilem juris naturæ excusare à peccato, etiam supponendo dari talem invincibilem ignorantiam.*** In Thesibus autem defensis 1672. ***Vel non datur ignorantia invincibilis juris naturæ, uti probabilius putamus, vel si detur; equidem non excusat à peccato formali.*** Professor ille tunc juvenis, & supra ætatem audentior, tam horridam Thesim protruserat, qualem vix ullus in Belgio post vibratum in Jansenii hæresim anathema; sed TheologicoTyrocinio aliquantulum emersus, cùm satis sibi idoneus videretur, ut tyronibus ipse se magistrum præficeret, profecisse quoque se prudentiâ statim ostendere voluit sequenti specimine.

Edoctus experientiâ quod ea, quam in minoribus constitutus bis Thesibus publicis defenderat, sententia de *ignorantia invincibili* non excusante, in multorum auribus malè sonaret, adeò ut accedere nimiùm videretur ad hanc tertiam Jansenii hæresim, quam universa detestatur Ecclesia ***Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione***; maluit retento sensu Dogmatis, verbotenus mitigare duritiem, priorem solummodò Theseos citatæ exprimendo imposterum ac stabiliendo periodum ***Nulla datur invincibilis ignorantia juris naturæ***; quia scilicet omnis vinci potuit in Adamo, neque etiamnum restricta Dei potentia est, quin hominis cujuslibet, etiam in hoc statu illuminare valeat intellectum, infusâ gratiæ suæ luce tam copiosa, tam splendida, ut quidquid fuerit caliginis depellatur, quoties Divinæ placuerit benignitati.

Sic Dogma illud quoad speciem mitius, quoad sensum à vestris authoribus intentum prorsus convenit cum secundâ Propositione inter 31. ab Alexandro VIII. & cum tertiâ ab Innocentio X. Alexandro VII. Clemente XI. inter quinque Jansenii censuris gravissimis condemnata.

JANSENISTA. Talis Arnaldi & alterius, ut vocas, tyronibus præfecti, non caret fructu industria atque moderatio. Hac enim Pontificiis defertur reverentia definitionibus, etiam justitiæ & veritati contrariis: sic pariter sapientissimè declinatur omnis species excommunicationis, quantumlibet iniquæ.

CATHOLICUS. Dicamus potiùs, quòd suprema iniquissimè eludatur authoritas. Sic elusit eam author subdolus *Notarum*, quas ipse vocat *breves & modestas in Decretum Alexandri VIII. contra Propositiones* 31. Steyaertius *breves & leves*, Humbertus Mechliniensium Archiepiscopus *breves sed veneno plenas*; utpote quæ præteritis Propositionibus variis, quascunque referunt, eâ fingunt ratione damnatas, ut Pontifex inaniter ferire aerem, non aliquam proscribere videretur traditam à Novatoribus falsitatem. Versutum authoris ingenium pridem noveram; licèt in opusculo nomen suum callidè cẽlaverit supprimendum. Archiepiscopus multas indè Pontificii Diplomatis elusiones excerptas Sedi Apostolicæ denuntiavit.

Is nempè fuerat vafri novatoris scopus, ut suis modum suggereret fallendi Ecclesiæ Præpositos, quo obedire Pontifici viderentur, proscriptos ab eo Articulos generatim exteriùs rejiciendo, ita tamen ut eorum sensus prout hactenus defensus fuerat, retineretur animo ab anathemate intactus. Idem author à Quesnello, cujus aliquando, sive communis ærarii stipendiis alebatur, apprimè fraudibus institutus, suos edocuit Lovanienses, Constitutionibus contrà Bajum & Jansenium subscribere, cùm gradu donandi essent Academico, subscribere, inquam, jurejurando etiamsi Baii & Jansenii sensibus adhærerent firmius, quàm polypus saxo. Ita juvenes præposterè scrupulosi, & erroneæ nimiùm conscientię, cùm Baii & Jansenii à se non lecti sensum rejicere non auderent, minimè tamen verebantur formulis damnationem illam apertè significantibus, pejerando subscribere.

JAN-

JANSENISTA: Odiosa nimium de Doctoribus ac discipulis pietate præstantibus suspicio est; nonne & temeraria? Quis enim latentium in ipsis sensuum intima scrutari ita potuit, ut absque erroris periculo detegeret?

CATHOLICUS: Nihil suspicor temerè; nihil assero, quod exploratum non habeam indiciis haud facilè obnoxiis errori; indiciis, inquam, quæ ipsi nobis non solùm in sermonibus; sed etiam scriptis patefaciunt, dum ubique Baii & Jansenii sensibus conformia loquuntur, & scribunt, nunquam ore aut calamo elabi quidpiam patiuntur, quòd alterutrius placitis refragetur.

Quare Lovaniensium illud juramentum à talibus emissum, vocari illic meo tempore solebat *Negotium ambulans in tenebris*: cujus iniquitatis mysterium non pari luce in omnibus se manifestat; in Magistris faciliùs communiter, difficilius autem in tyronibus, qui nihil adhuc speciminis sive scripto dederint, sive verbotenus publicè. De his accuratiore examine Judicandum est; quanquam & conjectura fieri soleat non temeraria ex affectu prodito erga certum genus hominum, & cum eodem consuetudine familiari.

JANSENISTA: Vide igitur, ne tua mecum conversatio, si frequentior aut diuturnior sit, suspectum te efficiat novitatis.

CATHOLICUS: Mea in isto genere satis in tuto fama est, neque te novitatis libidine adeò obcœcatum arbitror, ut ex discipulo erroris, præco fieri nequeas veritatis.

JANSENISTA: Hanc sedulus inquiro, & quantumlibet in eos inciderim institutores, qui, ut Bajo & Jansenio favebant impensiùs, ita nihil ex eis percipere potui, Doctoris illius utriusque hypothesi dissentaneum. Sed neque hæc firmas adeò in me agere hactenus radices valuit, quin oppositis aures non invitus præbuerim documentis, quoties occurrerunt probabilia. Unde nec præsens, quantumvis prolixa, tædium mihi peperit conversatio.

CATHOLICUS: Ignosce sicubi ferventior apparui; subinde salibus condita veritas, & sapit meliùs, & animæ proficit sanitati.

JANSENISTA: Nihil est quod de acrimoniâ metuas: tuus mihi perplacet candor, inde gratior, quod semper habuerim perspectum non arrogantiâ te impelli; sed affectu benevolo, & meæ studio salutis; quapropter si quid tibi ad præsentem controversiam amplius delucidandam superest, ne me eo, precor, defraudatum velis.

CATHOLICUS: Quoniam Ita jubes, nam amicorum preces imperia sunt, accipe quod ex Religiosâ Sancti Francisci Familiâ Theologiæ in Belgio egregius Professor, sub nomine *Hilarii à Sancto Sepulchro*, verius appellatus *N. Vanden Kerckhove*, in *Reflexionibus ad 31. Propositiones ab Alexandro VIII.* ut jam memoravimus, *condemnatas*, animadvertit Prop. 2. quæ est de ignorantiâ invincibili,

„ Si ideò ignorantia juris naturæ non „ excuset, *quia pœna peccati est*; ergo etiam „ quidquid homo in amentiâ, furore, Phrænesi preperam facit, sine peccato non fit; „ amentia enim, furor, Phrænesis æquè ac „ ignorantia, pœnæ peccati sunt, ut ex Au„ gustino deducit Jansenius lib. 3. de statu „ naturæ puræ cap. 11. Detur ergo homo à „ nativitate cœcus, qui cupiens allatrantem „ abigere canem, interficit infantem, invin„ cibiliter ignorans eum adesse, peccabit; „ quia cum cæciras illa pœna peccati sit, „ quidquid ex illâ perperam fit, sine pecca„ to non fit. *Dicant ista qui ausi fuerint*, „ *audiant qui voluerint, credant qui potuerint*, ait in simili S. Augustinus lib. 1. „ de peccatorum meritis cap. 36.

„ Nec satis faciunt dicendo, quod „ *omnis ignorantia vincibilis sit, saltem per* „ *gratiam*; quia cùm pro Sacro apud ipsos „ habeatur Dogmate, quòd non omnibus „ detur gratia sufficiens (imò nemini distin„ cta ab efficaci) unâ rapiunt manu, quod „ alterâ dant: & stante suo Dogmate, co„ guntur admittere, quod detur ignorantia „ invincibilis in jure naturæ æquè ac in posi„ tivo, vel facto, & nihilominus non excu„ set; quia est *peccati originalis pœna*.„

Proinde quidni omnes præceptorum omissiones, quas morbi & multiplex corporum infirmitas necessariò secum trahere solent, etiam in Sanctissimis utriusquè sexûs, culpam inferant & demeritum, quia omnis illa corporum calamitas, atque adeò præceptorum operum omissio, à peccato originis pendens, vitari in Adamo potuit, atque ita culpa liberè declinari. Quibus itaque homines miseri non gravabimur criminibus, quæ nullius hoc tempore, quantumvis Sancti, pietas valuerit evitare? Sed crimina hæc erunt à solis Jansenii & Quesnelli confictа Sectatoribus, nulli unquam è Sanctis Patribus, nullis nota Pontificibus, aut Conciliis.

Quæ itaque monstra opinionum horrida non peperit nobis posteriorum vesania hæreticorum. Atque hæc magis mirum est potuisse à quibusdam pietatis & sapientiæ famam affectantibus, adoptari. Minùs autem condonanda est Quesnello temeritas accusanti Ecclesiam, quasi ad interitum vergeret in

in filios suos iram quodammodo Numinis provocans, suâ in quærendis, prædicandisque veritatibus incuriâ, plerisque Christianæ multitudinis exitiali. Quin potiùs modus ille, quem novis Augustini Discipulis commemoravimus familiarem æquè, ac cludendis Ecclesiæ definitionibus idoneum, minimè illis honorificus est, minimè salutaris Discipulis, sequi volentibus vestigia magistrorum.

Consistit ea præcipuè fallacia in retinendis omnibus Baii & Jansenii erroribus post inflictum eis ab Ecclesiâ anathema, cui videri volunt se verbotenus submittere, restrictionum, imò mendaciorum, perjuriorumque subsidio, quod artis genus Jansenianis hoc tempore usitatissimum est, quo omnia Beneficia, officia, Cathedras etiam Episcopales venantur ut Catholici.

De talibus sic olim S. Basilius Epist. 73. *Habent illi*, inquit, *astutum quoddam Dogma ad ejusmodi mutationes paratum. Nam verbis fidei, more medicorum utuntur; pro commoditate aliter atque aliter sese ad affectionum rationem, ac varietatem attemperantes.*

Et Paulus Orosius Augustino coævus Apologiæ cap. 1. *serpentis*, inquit, *ingenio præditi sunt hæretici, qui cùm tu endi solius capitis causâ reliquum concisioni, atque injuriæ corpus opponit, nihil damni arbitratur, eâ tantum sui parte à periculo liberâ quæ multimodas venenosasque in se obtinet linguas; etiamsi membris omnibus amputetur.*

Tota hæresis Jansenii & Quesnelli in eo præcipuè versatur cardine, quòd nulla detur gratia sufficiens post Adæ lapsum, quin simul efficax sit, quodque sine illa omnia opera sint peccata. Salvis hisce duobus principiis, reliqua facilè concedent, mutatis quantum placuerit enuntiationibus, modò, fundamento jam posito nihil fuerit contrarium.

Dicantur ergo præcepta observatu impossibilia, quoties non servantur, ratio est quia sine gratiâ efficaci omnia opera sunt peccata, & quidem necessariò; quia impossibile est agere aut velle aliquid boni sine gratia victrici. Si ad vitandum scandalum vel malum aliquod temporale necesse sit negare, impossibilia esse præcepta absente gratiæ auxilio, negant fortiter; verùm subintellige, quòd dici non debeat impossibilitas absoluta; quia fuit nobis observatio possibilis in Adamo, neque etiamnum destituimur intellectu & voluntate, quæ utraque animæ potentia capax est recipiendæ gratiæ, quandocunque Deo placuerit pro suâ eam misericordiâ infundere.

Si dicatur nulla in hoc statu ignorantia juris naturæ excusare à peccato, rectissimè id juxta sententiam Jansenii, Arnaldi, Quesnelli. Si tamen aliqua utilitas exigit, affirmari poterit nullam esse ignorantiam invincibilem juris naturæ; quia nulla est *absolutè invicibilis*; cum vinci potuerit in Adamo, & etiamnũ possit Deus intellectui tantum gratiæ lumen immittere, ut ignorantia superetur.

Etsi novæ Ecclesiæ indubitata sententia sit, omnem gratiam necessariò obtinere effectum, ad quem à Deo conceditur; tamen ubi hæc opinio periculum crearet asserenti, admittere licet oppositam; sed eo sensu qui Janseniano Systemati minimè repugnet, videlicet quia omnis gratia tendit in finem ultimum, qui salus hominum est. Constat autem non omnem gratiam fine illo ultimo donari; sed immediato solùm qui actio particularis est & deficiens, nisi priori nova gratia successerit.

Sæpissimè etiam, imò passim resisti gratiæ, affirmatur absque ullo secundæ hæreseos Jansenianæ dispendio, resistentiæ nomine intelligendo inefficacem, qualis est recalcitratio concupiscientiæ, quam ipse sentiebat Apostolus perpetuò gratiæ repugnantem; quamvis victoria semper penes gratiam esset. Denique, si omnes novæ Sectæ fallacias exponere voluero, diei jam deficenti noctem jungere oportebit, neque ea sufficiet.

Quantas antea Arnaldi, Quesnelli, & utriusque adhærentium Satyras legimus contra *Restrictiones*, etiam subinde innocuas! Ecce autem restrictionibus maximè perniciosis tota eorumdem contra Ecclesiam Dogmatica novitas referta est, & contra omnia Pontificum anathemata se operit ac tuetur. Simile hìc quidpiam habent novi hæretici moribus Eusebianorum, de quibus S. Athanasius Epist. de Synodi Nicœnæ Decr. contra Arianam hæresim in principio. *Tam vario, & versipelli sunt animo, quam Chamæleontes in mutandis coloribus; quibus tantisper pudor adsit, dum refutantur, inopiâ hæsitationeque respondendi; sed mox tamen resumpta audacia ad causificationes fingendas recurrunt: quos si denuò convincas, fatiscunt illi quidem; verùm non diutiùs, quàm ut denuo ea quæ nusquam sunt, audacius fingant, & ut in Psalmis est, inania cogitant, non alia de causa, quàm ut in sua hæresi perdurent.*

Demùm ut paucis omnia complectar, quemadmodum à confictis adversus Pontifices, Episcopos, Religiosos calumniis omnis ferè Hæreticorum Secta posterioribus seculis occasionem sumpsit; indè prætensam prosequens reformationem in Dogmaticis, ita quoque Jansenianæ Ecclesiæ fundatores & præcipui Apostoli, conspicati molitionem istam ad

sco-

scopum hæreticum cessisse prosperè Luthero potissimùm, Calvino, & utriusque Sectatoribus, non inferiorem speravere suis machinationibus successum; quandoquidem non modò hæreticarum artium nullam prætermisisse viderentur; sed eis etiam singularem, quæ nihil ad decipiendum magis idoneum est, superaddiderint hypocrisin, & quidquid aliud exquisitissimæ fallaciæ, ab omnibus Hæreticorum Sectis superioribus excogitatum, Historici prodidere.

Et hæc quidem quæ contra Jansenii Discipulos jam disserui, non nisi pars minima sunt eorum, quæ retundenda præsentis Articuli merebatur temeritas nobis exprobrans, *veritates eò devenisse, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi sit veluti idioma incognitum; adeò remotus à simplicitate Apostolorum & supra communem captum Fidelium: neque satis adverti, quòd hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ & iræ Dei in Filios suos.*

JANSENISTA: Quod differtur, non aufertur; nam etsi nox ingruens, ut prælia etiam maximè cruenta dirimere solet, nostrum quoque amicum certamen abrumpere tantisper cogat; non tamen longas cupio esse inducias; habet enim præstigiarum nescio quid, tua contra Jansenismum institutio, quod me etiam invitum quodammodo abripiat, ad excipienda avidè documenta, quantumlibet contraria illis, quibus à Theologiæ tyrocinio imbutus sum. Primum itaque quod nactus fueris otium, velim ulteriori meæ destines instructioni.

CATHOLICUS: Non recuso.

CAPUT VIII.

DIALOGUS II.

Catholicum inter & Jansenistam. De prætensis Quesnelli veritatibus relatis ad Mores.

CATHOLICUS: Quoniam ita nuper desideraveras, non multum moræ interposui quin tuis iterùm promptus obsequiis adessem.

JANSENISTA: Tanto majore mihi in pretio gratia est, quanto præstita citiùs. Nuper toti ferè in Theoricis versati sumus: indè lubens ad practica deducar, si non incommodum tibi sit.

CATHOLICUS: Quæ contra impossibilem in hoc statu observantiam præceptorum, contra peccandi & demerendi necessitatem, contra imputationem culpæ in actibus vel omissionibus contra legem nascentibus ex ignorantiâ juris naturæ insuperabili, quæ, inquam, contra talia disseruimus superiore colloquio, non ita Theorica sunt, ut connexionem, eamque momenti maximi, non habeant cum moribus. Fides ipsa moribus fundamentum est, imò juxta Quesnelli Articulum 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide & precibus.* Quæ abbreviatio Sedi Apostolicæ meritò apparuit nimium compendiosa, atque ita indubiè videbitur cuilibet probè Christiano. Sed de hoc Articulo recurret forsitan sermo, animadversionis aliquid exigens ampliùs deducendæ.

Indicanda interim est, quæ à præsenti postulato tuo mihi suggeritur annotatio. Præcipua Christiani populi, etiam plebis infimæ atque imperitissimæ salus, uti & sexûs fœminei pendere vobis alias potissimum videtur à notitiâ difficilium maximè de gratiâ Quæstionum, in quibus Theologorum ingenia studio exercitatissima sæpè hallucinari, & in errorum præcipitia ruere perspeximus, undè nulla postea valuerint Ecclesiæ authoritate, nullo salutis discrimine aut certo interitu proposito liberari.

Ideo novos istos Augustini Discipulos, in libris etiam, quibus tractaturos se *Ethicam* profitentur, videmus præcipuè intendere infarciendis, de gratia abstrusissimis pronuntiatis, imo hæresibus. Sic in Opere Quesnelli, unde 101. Articuli excepti atque justissimè proscripti sunt, deprehendimus sub hac mendaci Epigraphe *Moralis Evangelicæ Compendium*, authoris industriam in eo maximè versatam fuisse, ut novitates ubivis intruderet de gratia, & quidem *hæreticas, blasphemas, impias*, qualibus aliisque respectivè Censuris sæpè à Pontificibus & totius Ecclesiæ Episcopis profligatæ sunt. Quid aliud ferè quàm sub anathemate proscriptas istiusmodi Propositiones Theoricas continent priores Quesnelliani Articuli quadraginta tres? Sic homines ad pietatem, sic ad perfectionem instituit, novæ Ethicæ, novæ Fidei magister, tali convenientissimus novæ Ecclesiæ Apostolus.

JANSENISTA: Mihi, ut verum fatear, Christianæ pietati, non parum consentanea semper visa fuit enunciatio hæc Quesnelli quadragesima octava: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?*

CATHOLICUS: Clavus quidem clavo pellitur, sed Bajani erroris anathema non depellitur altero similem Quesnelli Articulum feriente: quia tamen nulla vobis Romanorum Pon-

Pontificum, nulla Ecclesiæ totius veneranda authoritas est, consulatur ratio à nemine, præterquam ad insaniam usque præoccupato novitatibus, recusanda.

Non adeò barbara & scelerata est universa Infidelium multitudo, quin inter eos aliqui honestæ quidpiam actionis exerceant, neque in finem referant perversum. Exempla aliquot delibemus. Quis sanæ mentis dixerit, Infidelem, si equum excusso fræno incurrentem viderit, non posse innocuè infantem retrahere, ne obteratur, non posse avertere cœcum à præcipitio, ne labendo pereat? Cur pauperi famelico Infidelis quispiam compassione motus naturali, porrigere nequeat frustum panis, ne miserum fames enecet? Cur nequeat depositum reddere, aut Judex administrare justitiam; quia ratio æquitatis exigit? Cur filius honoris aliquid vel reverentiæ exhibere parentibus, quia vitam ab eis accepit & necessaria annis pluribus alimenta, quibus beneficiis deberi vicissim grati animi officium naturalis dictat ratio honestatis?

JANSENISTA. Speciosa oratio est; sed ignorantibus Sanctorum Patrum, Augustini inprimis sententiam, condemnantem omnia Infidelium opera quantumlibet apparentem præseferentia honestatem, quia hanc ipsam impietatis, superbiæ, vel alterius vitii corrumpit intentio.

CATHOLICUS. Augustinum legeris Iprensem, seu Jansenium; cui Hipponensis opponitur, quantum doctrina Catholica errori. Notissimus est Sancti Antistitis sensus de continentia Polemonis in Gentilitatis tenebris, oborto luminis radio ad meliorem frugem, ab intemperantiâ perducti: quam Conversionem prædicat Augustinus meritò ut *Donum Dei*, in homine à cæcitate infidelitatis nondum liberato. Rarissima fatemur in istiusmodi impiis opera reperiri quæ honesta undique sint, spectatis omnibus, etiam finis debiti circumstantiis: esse tamen aliqua negare non possumus, nisi abjectâ Doctoris maximi sententiâ lib. de Spiritu & litera dicentis: *Impiorum quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus; verum etiam meritò rectèque laudamus: quanquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ Justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur*. Qui *vix inveniri* asserit, inveniri tamen aliqua, etsi pauca significat.

Omnem adversantium cavillationem de Sanctissimi Doctoris mente convincit Epistola ejusdem quinta ad Marcellinum: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus... custodientes quandam sui generis probitatem... Deus ostendit in illo Imperio, quantum valerent civiles etiam sine verâ Religione virtutes*. Deum sua Sanctitas deficeret, proindè & divinitas, si præmio vel minimo, etiam solummodo temporali remuneraretur opera, quantumlibet exteriùs speciosa; quæ finis noxius elicuisset; bonum scilicet ex integrâ causâ est, malum ex singulis defectibus.

Ipse Quesnellus, quasi sui oblitus, Articulo 41. ait: *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis non potest venire nisi à Deo*. Proinde minimè mala est: Quia ut à Propheta discimus *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Verùm, ut prior Articuli pars est consona veritati, sic horrida & blasphemiam sonans videtur pars posterior, quod illa Dei cognitio non veniens nisi à Deo, *sine gratiâ non producat nisi præsumpionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum Deum*.

JANSENISTA: Minùs horrida apparuisset enuntiatio; si peccata ista non tribuisset cognitioni à Deo inditæ; sed homini eâ abutenti.

CATHOLICUS: Minùs quidem horrida fuisset, neque ut nunc blasphemiam sapiens; non tamen sana penitus, neque conveniens veritati, intellecta scilicet absque limite, quasi sine gratiâ homo semper cognitione abutatur *ad præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum Deum*. Tunc enim adhuc Propositio obnoxia fuisset Censuræ, cui Bajana 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*.

JANSENISTA. Ista Baii sententia pluribus confirmata Quesnelli Articulis, odio Pelagianis est; quia ipsorum maximè contraria hæresi: & vel ideò deberet placere amplius Orthodoxis.

CATHOLICUS: Quidni pariter statuatur in Christo Natura tertia, & persona quarta in Divinis, sic enim removebimur longius ab hæreticis naturam in Christo unicam, atque in Deo unicam admittentibus personam? Veritas in medio errorum utrimque excedentium est: & hic quidem de Judæis peccatoribus ex ipso discimus Augustino lib. de spiritu & litera cap. 27. aliàs 28. *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis, & sentit & facit.* Doctorum Aquilæ consentiens scholæ Angelus 1. 2. quæst. 109. Art. 5. ait *sine gratia homo non potest mereri vitam æternam; potest tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale*.

JANSENISTA. Qualecunque illud bonum dicitur, cùm nihil ad veram justitiam, nihil con-

conferre valeat ad salutem, veri boni nomine indignum est. Ad Paganos itaque illud Philosophos rejiciamus: quod solum Theologi considerationem meretur, æternum est, aut aliqua cum eo ratione connectitur, tanquam dispositio sive proxima sive remota. Eò quoque per oppositionem pertinet peccatum, quod à beatitudine avertere natum est. Ideò piè ac salubritèr absterrere homines à peccato cupiens Theologus noster asceticus, monet Articulo primo: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

CATHOLICUS: Quod vocas *pium & salubre* monitum, Catholicis videtur veneno plenum lethifero; nam licèt justos à peccando absterreat, ab omni pariter salutis & pœnitentiæ studio pessimè liberat peccatores. Quisquis enim mortiferi vel unius sibi conscius peccati est, novit se *amisisse Deum atque ipsius gratiam*, ut, quisquis Principi charus antea fuerat, si eum graviter offendit, excidere ejus gratiâ dicitur, sive *gratiam amittere*; undè vocabulum *gratiæ* in Quesnelli Articulo non auxilium transiens significat, sed amicitiam, & benevolentiam stabilem, auxiliorum complurium facilè productricem.

Sensus itaque Articuli proprius, & simul valdè noxius est; quod juxta illum peccator quilibet persuadere sibi debeat, nihil *remanere* sibi *nisi peccatum & peccati consecutiones, superbam paupertatem, & segnem indigentiam, hoc est generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*. Una hæc è præcipuis penes vos *veritatibus* est, quarum ignoratio signum evidens habeatur *senectutis*, Ecclesiam deducentis proximè ad interitum, & *iræ Dei in filios suos*.

Peccator itaque hoc à vobis Dogmate institutus, quid agat, quò se vertat? Et tu quidem quid salutaris ei consilii suggeres? Hæres conspicatus ubique præcipitia, quocunque te verteris. Non enim suadere ei potes orationem, non pœnitentiam aut qualemcunque ad eam conatum, siquidem animæ isti nihil *remanet nisi peccatum & generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*.

Præterea qualiscunque ejus conatus vel fieret solis naturæ viribus, & tunc nihil efficeret conferens ad justitiam, ne dispositionem quidem sive proximam, sive remotam; aliàs initium salutis esset ex nobis; quod in Semipelagianis universa vobiscum damnat Ecclesia: vel conatus eliceretur auxilio gratiæ, quod vestrâ imbutus sententiâ peccator, sibi conscius est non adesse; sed abesse omne penitus.

JANSENISTA: Quanam istud tu, vel ipse didicit revelatione?

CATHOLICUS: Non aliâ quàm vestræ Novitatis oraculo; juxta cujus assertum vigesimum octavum. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.* Nemo scilicet Christianus ignorare potest Peccatorem adultum sive rationis compotem à commissis criminibus non liberari absque pœnitentiâ. Hæc autem in se continet propositum non peccandi inposterum, restituendi proinde divitias injustitiâ occupatas, retractandi calumniam, dimittendi Concubinam, quod miser propositum nondum se habere sentit, sed illicita adhuc sibi adhærere desideria, quæ neque ipse vincere juxta vos potest, neque ut fortiore Divinitus accipiendo robore superentur, eleemosynis, corporis afflictionibus, lacrymis, precibus à Dei clementia petere sicut oportet.

Nihil igitur boni desiderii, nihil spei concipere peccator ille poterit, antequam Deus suâ sponte ipsi, absque præparatione vel dispositione ulla prævia justificationem cum primo gratiæ auxilio infuderit. Imò necesse quodammodo est ut in desperationem se peccator quilibet abjiciat: juxta Articulum enim 63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*. Quod Peccator legem non adimpleat in vestra maximè sententiâ perspicuum est; quia juxta *Monitum* Quesnelli *quintum* Gallicè CINQUIEME MEMOIRE, *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati sine gratia, sine amore, sine charitate, ita ut nihil in animo quis habeat nisi timorem servilem*.

Ne verò dubites quin timor ille proxima sit ad desperationem dispositio, eamque necessariò quodammodo inferat, attendere solùm oportet istius formidinis indolem, quæ à Quesnello traditur Art. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Quid bonitatis aut clementiæ, quid gratiæ à tali Domino sperare peccator valeat? Quid in tali Numinis idea non moveat ad desperandum?

Deinde cùm præter istiusmodi metum, Quesnelli judicio, nihil in animo habeat peccator, à pœnitentiâ avertere eum debebit Propositio 60. *Si solus supplicii timor* (qui in omnium sententiâ servilis est) *animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*. Nihil itaque est quod

quod peccatorem salubriter excitet ad resipiscendum; sed necessitas apparet undique, ut affixus semper maneat animus peccato. Prop. 61. *Timor non nisi manum cohibet; Cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*.

Prop. 62. *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Proinde Peccator quilibet, antequam delictorum veniam accipiat, necesse est singulis actibus, etiam quibus ad frugem convertitur meliorem, numerum augeat prævaricationum; quia juxta Propositionem 38. *Peccator non est liber, nisi ad peccandum sine gratiâ liberatoris*; quâ omnem destitui Peccatorem vidimus, juxta *Monitum* Quesnelli *quintum*. Et Propos. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*, quâ peccator esse desiit.

JANSENISTA: Non est verisimile Paschasium Quesnellium, Scriptorem adeò pium tam odiosa præ oculis habuisse consectaria, qualis ars vestra critica è variorum connexione Dogmatum novit elicere, ad conciliandam potiùs invidiam authori, quàm charitatis ædificationem.

CATHOLICUS: Quæ profero hactenus è Quesnelli Dogmatibus consectaria, non arte aut studio, ut ais, elicita à me sunt, sed sponte sua fluunt, & perspicuitate adeò manifestâ, ut nesciam qua ratione homini non voluntariè cæcutienti persuasurus sis, Quesnellum cùm tomos suos quatuor scriberet, ac dein ederet typis, consectaria istiusmodi ignorasse. Nota quoque aliundè est ejus in novitates noxias & hæreticas propensio, uti & omnis, quæ in Ecclesia est authoritatis contemptus.

JANSENISTA. Charitas dictat etiam duriùs sonantia, benigniùs interpretari.

CATHOLICUS: In probatis illud & sanctis authoribus, non in suspectis & de non una convictis perfidia habet locum; alioquin doctrinæ pessimæ, & hæresios, arte subdolâ propositæ, venenum detegi à Doctoribus, & à Pontificibus exuri anathemate vix unquam poterit.

JANSENISTA. Nos saltem hîc, quæ charitatis sunt, sectemur: de hac suavior & utilior contentio est Christianis, quibus dictum intelligitur illud Apostoli ad Rom. cap. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum* Dei, qui spiritus dilectionis est; idcò non incongruè à Quesnello dicitur Propositione 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ; sed per fidem & amorem sicut filii*.

CATHOLICUS: Nullum controversiæ Articulum subterfugio; sed quocunque ducere seu provocare tibi libitum fuerit, sequor. Quæ citatur à te sententia Apostoli, Quesnello in pluribus Articulis convincendo sufficit, cùm ait Apostolus, Deum non iterum sicut in Testamento veteri, in Monte Sinai modo horrido tonitribus & fulminibus, legem servitutis imprimere timore; sed ut filiis inscribere cordibus legem amoris.

Timor itaque servilis, utpote à Deo datus hominibus in antiquo fœdere, non est impius ut à Quesnello describitur; quasi *non sibi repræsentans Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*; neque videbatur Deo timor ille cum *brutalibus* rejiciendus *passionibus*; sed populo Judaico ab Idolatriæ sacrilegiis, luxuriâ & aliis criminibus abducendo ad sui suorumque reverentiam mandatorum, perìdoneus. Ideò neque à lege nova exulare eum prorsus voluit: *ostendam autem vobis*, (inquit) *quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*. Apoc. cap. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus*.

Errorem ipse vos Augustinus dedoceat lib. de gratiâ & libero arbitrio cap. 18. *Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est donum Dei... Non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus; de quo dicit ipse Dominus Christus: eum timete qui habet potestatem, animam & corpus perdere in gehennam*.

JANSENISTA. Formidinem non damnamus, modo charitatis soboles sit juxta Articulum 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

CATHOLICUS: Necesse est sobolem genitore & genitrice esse posteriorem, si non semper tempore, saltem rationis ordine & principii. Ut autem ex Tridentino discimus Sess. 6. & 14. à timore ducimur ad dilectionem. Angelicus etiam parte 3. quæst. 85. Art. 5. statuens seriem actuum ad pœnitentiam, *Primum principium*, inquit, *est Dei operatio... secundus actus est fidei: tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur... Sic igitur pa-*

tet,

ter, quod actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato.

JANSENISTA: Sæpè aliàs intellexeris, quòd non maxima apud nos authoritas sit Tridentini, neque Aquinatis; Nota est Sancyrani de utroque sententia; *Concilium Scholasticorum fuit, errori obnoxium, quodque non parum in doctrinâ Ecclesiæ immutavit. S. Thomas pariter Scholasticus fuit Aristotelicis nimium tribuens rationibus*, sed Augustinus totus noster est.

CATHOLICUS. Tridentinæ Synodi, quæ Catholicis omnibus norma fidei est, contemptum, sicut & doctrinæ vestræ capita non pauca, à Lutheranis discere potuistis & Calvinianis, quibus etiam Angelicus propter Dogmata perspicuè nimiùm hæreticis adversantia, non potuit non odio esse atque despectui. Memineris autem quæ ex Angelico citavi, reperiri in ejus *summa*, quæ ipsi Jansenio *Augustinus* apparuit *contractus*. Neque minore quàm vos confidentiâ Calvinus, Lutherus & antea Wickleffus sibi patrocinium Augustini vindicare soliti erant, aut fingere ad fallendum.

Non magis autem Doctor ille Sanctissimus relato à te Quesnelli Articulo suffragatur, quàm istorum erroribus hæresiarcharum. En loca ex illo descripta: in Psalmum 127. Ad hæc verba; *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur*, ait, *Audiunt homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato: timent quidem; sed non amant justitiam: Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere.*

Vides subrui hic non tantùm Articulum quem è Quesnello seligis 44. Sed etiam cæteros de charitate & timore; quod enim omnibus potissimum intenditur, est, cuncta opera esse peccata, quæ ex charitate non profluunt. Augustini autem sententia timorem dilectionis prodromum laudat, tanquam utilem, & disponentem ad justitiæ amorem, ipsamque, amore succedente justificationem.

Pulcherrimè simul & clarissimè idem Sanctus Serm. 13. de verbis Apostoli; *Timor servus est; charitas libera est, &, ut ita dicam, timor est servus charitatis. Ne possideat Diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœna, si nondum potes amore justitiæ.* Tractatu 9. in Joannem; *Opus est ergo ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas*. Ibid. *Si nullus est timor, non est quâ intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; Seta priùs intrat.*

Eadem similitudine, & ad eundem finem utitur Sanctus Franciscus Salesius, qui ut Ecclesia testatur in Officio Canonico, *suis scriptis Cœlesti doctrina refertis Eclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum & planum demonstrat*. Simile testimonium de nullo hactenus legimus adversariorum, qui tam inepti & fallaces à sapientibus censentur ascetici, quàm Theologi exitiales, utrobique cæcorum Duces malevolentiâ obcæcati.

Fatuam Sancyrani confidentiam aliàs retuli ex jurato testimonio Joannis de Jovaud Abbatis & Secretarii generalis Cisterciensium, quod Novator ille à se petierit *viginti juvenes Religiosos, nullis imbutos Theologiæ principiis, sed velut tabulas rasas, in se recipiens fore ut sex mensium spatio ad scientiæ Teologicæ apicem omnes eveheret*. Sic omnes ejus discipuli in Dogmaticis pariter & asceticis Doctores mirifici sunt, adeò ut quoslibet sibi credulos, quibuscunque obsitos criminibus, rescisso longo illo dispositionum ordine, quem nobis texuit Tridentina Synodus post Augustinum, Angelicum Thomam & cæteros, ad justitiam promoveant & sanctitatem; non quidem sine omni gratiæ præsidio; sed qualiscunque ea fuerit, etiam minima sufficit Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, proindè justitia & Sanctitas, quæ remissionem juxta doctrinam Catholicam necessariò comitatur.

JANSENISTA. Non tamen sine actu Fidei, Spei, & Charitatis; quia Art. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Art. 57. *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non amor Dei* Art. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*.

CATHOLICUS; Itaque totam Justificationis œconomiam, in unam compingitis actionem, eandemque primam gratiam, à Deo solo, non ab homine dependentem. Si enim sanctificatio non obtingat sine Fide, Spe, & Chritate, & tamen prima gratia sit peccatorum remissio, necesse est, nullam reipsa in Fide, Spe, Charitate & prima gratia occurrere distinctionem.

JANSENISTA. Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Sic quoque Art. 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide & precibus*. Etquidem

quidem quod de precibus additur, est ne imperitis & tyronibus, multum deditis pietati & bonorum operum exercitio, appareat scandalosum, si in Fide, imò in primâ gratiâ tota salutis conclusa ratio asseratur. Inde pro tua perspicacitate satis vides, immeritò nobis *Rigorismi*, sive rigoris exotici aspergi infamiam; sed nostris istud adversariis opportunum maximè visum est, ut nos populo & Principibus in laxiora propensis, redderent odiosos.

CATHOLICUS: Praxim ego à Dogmatibus differre penes vos plurimùm, semper arbitratus fui. Quasdam vobis esse opiniones in moralibus rigidiores quàm tradi soleant ab aliis, compertissimum est, praxim verò discernere oportet ita ut erga alios severa communiter sit, erga præceptores minimè; quod in Scribis & Pharisæis populi judaici deceptoribus reprehendit gravissimè Servator; cùm onera gravia & intolerabilia imponerent humeris hominum, quæ ne digito ipsi quidem vellent attingere, unum alterumve pro specimine exemplum, mihi, cùm in Belgio degerem exploratum refero. Agitata inter Theologos Morales quæstio est de *Censu personali utrimque redimibili*, an liceat? inficiabantur plurimi aliis consentibus licitum, Census dicitur *personalis*, quia imponitur personæ absque designatione rei, quæ propriè hypotheca sit. Vocatur redimibilis utrimque; quia non solùm is qui pro pecunia acceptâ oneratur debito solvendi statutis temporibus Canones, sive proventus, potest quandocunque placuerit refundere capitale, atque ita se liberare onere Census; sed etiam permittitur in hoc speciali & in dubium à Theologis vocato contractu, ut qui pecuniam ad censum dedit, illam quandocunque libuerit repetat. Pro compensatione autem hujus oneris, quod grave est illi, qui promptus omni tempore esse debet ut capitale restituat, ideò Canones exiguntur leviores, quam solent esse in Censibus aliis, in quibus à tali restitutionis onere & timore liber est qui capitale accipit. Contractus iste à multis usurarius reputatur; quia videtur mutuum, census nomine palliatum, & sicut lucrum ex mutuo præcisè, sive absque alio titulo, illicitum & propriè usura est, idem statuunt in casu. Nihilominus ejus praxis in Belgio usitatissima est, multis eam sustinentibus viris doctis, propterea quod existiment posse esse verum Censum, de quo non est hujus loci & temporis disceptare. Quidquid sit, creaverat talem Censum & fructus ex eo annuos percipiebat Theologus Jansenio addictus & rigori. Qui Canones solvebat, erat Religiosi Ordinis Procurator. Hic casu incidit in Thesim censui illi contrariam, à memorato editam rigoris pariter & Jansenismi acerrimo propugnatore, qui cùm nihilominus haud desineret recurrente statuto tempore exigere Canonem, monuit eum Procurator de Thesi, suoque inde orto remorsu conscientiæ, quod fructum solvens usurarium concurreret ad ejus peccatum. Professor rigidus festivè subridens respondit, alias esse Cathedræ regulas, alias rei domesticæ. Istud est, reponebat Procurator, quod de Pharisæis hypocritis Christus monuit, dicunt & non faciunt. Ita quoque nuper Calviniani præco Evangelii in Hollandiâ, postquam non inconcinnè è pulpito dixisset de virtutibus Moralibus, rogatus familiariter num eas opere compleret, minimè hæsitans respondit, solvi sibi pro dicendo, scuta annue ducenta, agendi autem onus ne duplicato quidem pretio se suscepturum.

Minus apparet, quomodo à pudendâ excuseтur hypocrisi, quod extra veritatis limites rigidi in docendo, noscantur in observatione legum dissolutissimi, ut experimentis quotidianis & publicis se produnt authoritatis omnis & Potestatis sive Ecclesiasticæ, sive laicæ, etiam utrobique supremæ, audacissimos contemptores. Nota hodie toto orbe sunt specimina, quibus convincimur, quàm insignes præbeat, quam religiosos nova Ecclesia Reformatores. Etquidem in jejunii lege factis posset certissimis demonstrari, nullos magistris rigidioribus esse magis opere dissolutos.

Verùm quid solidæ, quid non fucatæ pietatis expectare possumus ab iis, quos rebelles Ecclesiæ, æterna veritas haberi jubet non aliter, quàm velut Ethnicos & Publicanos? Qui quantulibet Ethicâ gloriari gestiunt ferveriore, suspicionem ingerunt sapientibus, ne inanis larva sanctimoniæ, non levia obtegat vitia animorum; quin & non uni mixta crimini sacrilegia.

Supponamus esse consonam veritati, quam nobis tantâ Phrasium & figurarum varietate præscribitis regulam 44. quasi totius ædificii spiritualis immotissimum fundamentum. *Non sunt nisi duo amores, unde actiones & volitiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Quis documentum istud censuerit inculcari seriò ab iis, quibus *nec Deus est nec Religio*?

JANSENISTA. Censuræ adeò atroci mallem ut moderatio tua limites poneret. Augu-

Augustini enim Discipulos, quos vocare vobis placuit Jansenistas; etsi non referam in sanctorum numerum, quin & non penitus hypocrisi vacet plurium inter ipsos affectata species modestiæ & pietatis, ut tamen illis usus tanto tempore familiariter sum, non deprehendi tam impios, sacrilegos, & qui liberrinis atque Atheis quodammodò mereantur æquiparari.

CATHOLICUS. Non mihi de simplicibus seductis, non de tyronibus vestris sermo est; sed de Magistris & totius rebellis exercitus Ducibus contra Sedem Apostolicam, ejusque receptissimas morum & fidei Constitutiones. Visne ut in talium gratiam Doctorum, mihi oculos eruam, ne intuear eorum scripta turgentia veneno, & obturem aures clamoribus eorumdem seditiosis? Aut credere nos jubes talia in ipsis esse Divini Spiritus molimina, & veræ germina *charitatis?*

JANSENISTA: Sanctimoniæ illorum & charitati detrahe, quantum prudentiæ tuæ visum fuerit; liberrinæ tamen & quasi atheæ impietatis contumeliâ, videntur ultra demeritum maculari.

CATHOLICUS. Quantamlibet mihi vim inferam, ut de Doctoribus vestris sententiam benignissimè; obtinere tamen à me nequeo; ut eos judicem in *fide* fundatos esse Catholica. Hæc autem si defuerit, prout illis deesse indubitatum habet omnis æquus arbiter, quid salutiferæ eis remanserit Religionis? *Charitatem* simul cum *fide* recedere, nemo ambigit Christianus: Huic si junxeris Quesnelli sententiam 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*, reperies argumentum, ut dicimus *ad hominem*, quo non facilè eluctaberis.

Sed mea de vestris Doctoribus opinio, non indiget suffragio falsitatis: veriori sufficiunt convictioni, nota palam rebellio contra Ecclesiam & obfirmatissima in defensione hæresios pertinacia, cum tot infamibus contra Sedem Apostolicam libellis, quotidie emergentibus, cum tot editis typo satyris, quarum ipsos puderet Mahumeti & falsorum Numinum Sacerdotes. Quæ species religionis est in nuperis *Turris Babyloniæ*, & tabulæ alterius magis sacrilegæ authoribus? Vulgatissima ea est *Quesnellum* titulo *Sancti Patris* donatum collocans cum Augustino proximum Trinitati, *Clementem* verò *XI. Pontificem* verè Sanctissimum, cum portantibus eum quatuor Cardinalibus ad inferos detrudens.

JANSENISTA. Non omnium hi excessus Jansenistarum sunt: displicere autumo pluribus.

CATOLICUS. displicere aliquibus inducar facilè ut credam; Sed ea qualiscumque displicentia, non nisi magis callidos eos indicat hæresios promotores, non religiosiores vindices fidei aut morum. Ita Quesnellus aliquando publicè reprehendit audaciam Ægidii de Witte; Subinde etiam impudentiam Gerberonii: idem vitium in utroque exhorruit subinde Walonius.

Idem cum duobus suis in Urbe Consultoribus ægerrimè tulit Arnaldicarum contra Steyaertium difficultatum, partis potissimùm nonæ, insolentissimam temeritatem; non quasi opus ipsum non maximè approbaret; sed quod doleret futurum, ut author innotesceret, quem Sedis Apostolicę reverentem esse, tot hactenus mendaciis Romæ persuaserat, quæ hac omnis experte honestatis, verecundiæ, religionis, lucubratione, videbat in omni judicio convincenda.

Cum enim *difficultates* illę tantâ compositæ arte, in prioribus octo partibus apparuissent, ut ab Arnaldi Sectatoribus dignæ crederentur, tanti nominis authore, is parens operis fine dissimulatione fuerat divulgatus. Accedente autem parte nonâ, tanquam voluminis complemento, author prodirus est, Sedi Apostolicæ infensissimus, & Constitutionum omnium scurrilis maximè vellicator. Sic uno libro destrui lugebat Walonius, famam bonam, quam tot annorum fraudibus, Coryphæo suarum partium conciliare fuerat conatus, neque sine successu penes plurimos.

Nunc itaque ipsâ Arnaldi impudentiâ suam ultro propalante perfidiam, scripta inquam, contra Apostolicas Constitutiones, & Tribunalis illius Sanctissimi authoritatem ram infamia, qualia à nullo hactenus nomen Catholicum profitente edita fuerant, quamdiu Christiana steterit Ecclesia, convinci facile poterat Walonius, tanquam relator perfidus, & sacrilegæ contra Ecclesiam particeps conspirationis. Idem generalis agens Jansenistarum, eum nonnullis in Belgio cautioribus, maluisset Ægidium de Witte & Gerberonium, non tantâ contra definitiones Pontificum, non tantâ pro Baii ac Jansenii Dogmatibus præliari audaciâ; quia *nocitura hac erat in Aulis potentioribus*, ubi non expediebat Augustini discipulos innotescere, quales erãt, Ecclesiæ perduelles. Ipsum denique Quesnellum à suis legimus reprehensum, propter inculcata nimiùm dilucidè ac frequenter novę mysteria Ecclesię. Doctrinam quidem illi approbant maxime; sed nondum eò se devenisse potentiæ arbitrantur, ut omnia animi sensa emittere in publicum tutò liceat.

JANSENISTA: Dimissis istiusmodi odiosis

sis ac tetricis, Theologicis dignitem discursibus materiam suppeditat Regina virtutum *Charitas*. Quid ejus exercitio Sanctius? In eo commendando præcipua nostrorum cura est: Cur operi tam pio studia vestra non jungitis?

CATHOLICUS: Charitatis commendatione nihil apud nos frequentius; sed commendatione Catholicâ, & non detestabili, qualis communiter vestrorum est, in plurimis tum Baii tum Quesnelli & similium Articulis condemnata: talis est Bajanus 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.*

Venenum hic aureo *charitatis* calice propinatum horruerant deinceps Catholici omnes; Jansenianis autem, ut reliqua passim proscripta in Bajo Dogmata, reducere errorem illum placuit, & hunc decimum sextum: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine Charitate.* Quapropter Alexander VIII. profligavit iterum priorem Articulum in hoc septimo inter 31. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis est, hoc est, mala est.* Posteriorem quem Quesnelli audacia restituere præsumpserat, iterato fulmine feriri oportuit à Clemente XI. in Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet à fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia.*

Malumus nos credere non solùm tot Pontificibus & consentienti eis hodiernæ Ecclesiæ; sed universæ etiam vetustati; imprimis Augustino superiùs citato: *fac*, inquiebat, *vel timore pœnæ; si nondum potes amore justitiæ*, ad quem timor istiusmodi etiam solitarius, non incongrua dispositio est: quia: ut ibidem discimus, *Timor servus est: & ut sic dicamus, Timor est servus charitatis: ne possideat* Diabolus *cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum.*

Ante Augustinum Chrysostomus Hom. 15. ad populum Antiochenum. *Nihil gehenna gravius; sed hujus metu nihil utilius; gehennæ namque timor, regni nobis affert coronam; nihil enim tantum peccata consumit; virtutem verò crescere facit & germinare, quàm continui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, rectè illum agere non est facile: sicut vicissim in timore viventem est impossibile peccare... Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos, de illa pœna & supplicio loquens.*

Parcissimi autem in eo Jansenistæ fuut, à quibus timor ille cum *brutalibus* rejicitur *passionibus*, prohibentque ne quis ad Deum appropinquare cupiens, cum tali veniat dispositione, quam deterioribus alibi velut sacrilegam, & desperationis excitatricem coloribus depingunt.

Hinc lugens experitur Ecclesia, quàm sit difficilis Jansenistarum pœnitentia, & ad submissionem Vera conversio. Charitatem inani strepitu buccinant, omni fide ipsi, & verâ vacui virtute, potissimùm charitate ad quam juxta communem Divinæ Providentiæ ordinem, ut ex ipso Tridentino discimus, variis actibus gratiâ elicitis, peccator disponitur.

Ita monet nos etiam S. Basilius in Psalmum 32. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio verò deinceps succedens timore scientifico adaptatos perficit.* In Psalm. 33. *Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta faciat, impossibile fuerit, castitatem sanctimoniamque legitimè servari.* Ibid. *Timor salutaris est, qui salutis operatorius. Vis enarrem, qualis sit? Si quando te senseris ad unum aliquod ceteri, ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium... Hæc time, & hoc timore eruditus animum à concupiscentia ad hæc mala, velut fræno quodam relide.*

Quesnelli verò asseclas velut equos indomitos sine fræno, sine formidine currere videmus, & ruere in præceps.

JANSENISTA: Spiritus ubi & quomodo vult spirat; si autem prima nobis gratia charitatem ingerat, imò sit ipsa charitas, cùm Peccatorem per se justificet juxta Artic. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*; Cur velimus, aut quomodo possumus huic gratiæ resistere, sive charitatis indolem in suppliciorum mutare formidinem? Magnum spiritualis ædificii & totius sanctimoniæ compendium est *charitas*: eadem via brevissima & securissima ad beatitudinem. Vos ambages quæritis inutiles, quia *sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum & Jesum Christum. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam* Deus *audit. Deus non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. Deus non remunerat, nisi charitatem, quoniam charitas sola* Deum *honorat.*

CATHOLICUS. Sunt quidem ea Quesnelli axiomata, quæ Clemens XI. & tota ei consentiens Ecclesia condemnat: Constitutionis æquitas ab ejus *Propugnatore* ostenditur discutiente accuratissimè Articulos singulos,

&

& confutante. Argumenta ejus vel compendio repetere non unius conversationis est; ne tamen necessarii quidpiam deesse patiar, in prætensam vestram Sanctiunoniæ Synopsim sic breviter animadverto: mirifica Quesnelli hypothesis sanitatem vult non præmisso medicamine, peccatorum quantumlibet enormium condonationem, nullâ dispositione prævia, nullo pœnitentiæ actu, nullâ veniæ petitione vel desiderio; charitatem vulris; sed nullo præeunte conatu, sive ut similitudine utar vulgari; sed tamen adhibitâ à Doctore maximo Augustino, hypothesis vestra jubet vestem consui sine acu, sive induci panno filum & pertransire ante acum.

JANSENISTA: Absurdissima sunt, & minimè verosimilia quæ nostræ affinguntur hypothesi. Hanc ego me non abdicaturum solummodo; sed etiam execraturum polliceor, si accusationem probaveris, non suspicionibus & argutiis; sed ratione simplici, & perspicuâ.

CATHOLICUS: Pari tu quoque mihi simplicitate respondeas. Potestne peccator solis naturæ viribus, à Deo veniam petere vel desiderare salubriter, sive prout oportet?

JANSENISTA; Tantum tribuere naturæ viribus, hæresim saperet Semipelagianam; Ideò dicimus Art. 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratiâ liberatoris*.

CATHOLICUS: Veritatis limites excedit allegatus modo Articulus renovans Propositionem 27. inter Bajanas à tribus Pontificibus condamnatas: *Liberum arbitrium sine gratiæ* Dei *adjutorio non nisi ad peccandum valet*. In eo tamen congruit veritati, quod quidem nulla in nobis sit ad opus vel desiderium quodcumque salutiferum libertas sine gratia; ne salutis initium in naturæ viribus statuatur. Primam itaque gratiam, quæ obvenit Peccatori, necesse est prorsus gratuitam dici, & à Deo concessam ultrò absque liberi nostri arbitrii motu prævio, veluti dispositione, sive propinquâ, sive remotissimâ.

JANSENISTA. Rectè hactenus, nullo dissentiente Catholico.

CATHOLICUS: Si igitur *Prima gratia*, *quam* Deus *concedit Peccatori, est peccatorum remissio*, ut Quesnelli Articulus 28. asserit, evidens fit, justificationi Peccatoris competere, quidquid de primâ gratiâ jam affirmatum est; quòd sine ullo eveniat prævio peccatoris bono motu libero, desiderio, vel dispositione etiam remotissimâ. Ad primæ scilicet gratiæ productionem nulla requiritur, nulla concurrit liberi nostri arbitrii operatio.

Proinde remissio peccatorum sive justificatio, absque ulla humani arbitrii actione liberâ absolvitur: & tamen secundùm omnes Catholicos ad justificationem peccatoris adulti, sive utentis ratione, est necessaria, & fuit semper Fides, Spes, dolor de peccatis commissis, propositum non peccandi imposterum; Præterea, saltem extra Sacramentum, dilectio Dei super omnia. Actus illi omnes humani sunt, præveniente juxta nos & adjuvante gratiâ exerciti liberè.

Quis itaque nisi spiritus erroris, & novitatis stolidissimæ, suggerere Quesnello potuit, ut actus illos omnes homini liberos, cum prima confunderet gratiâ, cujus in homine productionem à liberâ ejus electione pendere nemo Catholicus affirmabit?

Augustinus, ut suprà vidimus, ne quidem sine prævio timore Charitatem fieri obtingere peccatori: *opus est*, inquit Tract. 9. in Joannem, *ut intret timor primò, per quem veniat charitas, timor medicamentum, charitas sanitas*. Nondum perspicis turpem fallaciam & hypocrisim, quâ vestri populum decipiunt, quando persuadent longi temporis pœnitentiâ ad obtinendam delictorum veniam opus esse, & multis piorum operum exercitiis, quando juxta ipsos *prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; *& sine gratia liberatoris Peccator non est liber nisi ad malum*? Quibus enim ante justificationem se peccator operibus juxta vos exercebit, ut ad justificationem animus disponatur?

JANSENISTA: Vim capio argumenti, neque qua verisimili dissolvi valeat ratione, satis video. Omnia scilicet ante gratiam opera juxta nos peccata sunt, ideoque disponere peccatorem nequeunt ad veniam; sed Divinam magis iram provocant & ultionem. Primus autem qui per gratiam elicitur actus, si Quesnello credimus, non peccatoris, sed hominis justificati est; quia cooperatio nostra saltem ratione posterior est suo principio seu gratiâ.

CATHOLICUS: Quis igitur seriò enuntiatum aurumet Articulum 87. *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*? Similis nequitiæ, & hypocrisis est Articulus 88. *Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem*. Præterquam enim

enim quòd non *sapientiæ*; sed stultitiæ consilium sit, diu *portare & sentire statum peccati*, cum eternæ damnationis periculo, & non exigua meritorum jacturâ, si valeat citius exitiali vinculo dissolvi. Non *fert* amplius neque propriè *sentit statum peccati* qui Divinâ gratiâ ab eo liberatus est. Juxta vos confessarius differre peccatorum veniam pœnitenti nunquam poterit; siquidem *prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio*. Hæc autem boni longè præcipui, cujus possessione hominem peccatum spoliaverat, indubitata restitutio est.

JANSENISTA. Participatio Divini Corporis inter bona non minimum est, cujus possessionem eripit peccatum. Diuturna istius boni suspensio humiliat peccatorem, atque à relapsibus imposterum cohibet; accelerata autem absolutio non medetur superbiæ; sed horrorem minuit delictorum, reditum ad ea quodammodo faciliorem efficit, & fræna laxat dissolutioni.

CATHOLICUS: Da veniam, si quam à tuis accepisti Doctoribus responsionem, ostendero plenam ignorantiæ, vel nequitiæ.

JANSENISTA: Si tuam hìc fidem liberaveris, non opus erit veniâ, quia actio à me debebitur gratiarum; nihil enim majori mihi in pretio est veritate, in rebus potissimùm pertinentibus ad salutem.

CATHOLICUS: Non est cur Quesnello dissentiam, dum in Epistolam 1. Sancti Jonis ait, *charitatem nullum pati secum peccatum mortiferum*; Istud enim agnosco fundatissimum in Divinis Oraculis, & Sanctis eorum Interpretibus, potissimùm Augustino; at jungere suffragium meum neqeo Propositioni 53. *Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum & Jesum Christum*. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit*.

Duplicis hujus erroris venenum locis propriis detectum est; hìc nihilominùs, quandoquidem Quesnellus jubet, eosdem *Moralis Evangelicæ* partem constituere, per me licet, ut eorumdem tantisper veritas supponatur. Quomodo autem in hac hypothesi *modus est plenus sapientia, lumine & charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati, petendi spiritum Pœnitentiæ & contritionis & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilietur*? Quonam Orationis genere, quod placere Deo, aut prodesse precantibus valeat, utentur *animæ, quæ portant, & sentiunt statum peccati antequam reconcilientur*, proindè antequam eis *charitas* obvenerit, quæ *sola Deo loquitur, quam solam Deus audit*?

In hoc igitur statu quamdiu animæ fuerint, petere à Deo neque spiritum pœnitentiæ, neque aliud quidpiam utiliter poterunt: imò, Quesnello Judice, oratio quælibet in peccatum eis necessariò vertitur, & condemnationem; utpote expers gratiæ, quæ aliàs Deo reconciliaret, juxta art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*. Supponitur autem ea nondum adesse, cùm *portare* adhuc debeant *animæ* illæ *statum peccati, & petere spiritum pœnitentiæ antequam reconcilientur*.

Orationem omnem gratiâ destitutam laborare vitio, & augere numerum delictorum in Quesnelli sententiâ, ex pluribus ejus Propositionibus demonstravi non semel. De Peccatoribus clarissima est Propos. 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris*. De hominibus universis, etiam justis sine gratiâ agentibus definit utraque sequens enuntiatio 39. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Vel igitur *animæ*, quibus mirabilis vester author asceticus *dari* vult *tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati*, gratiam habent, & tunc portare desinunt *statum peccati*. Siquidem juxta Artic. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*: vel carent gratiâ; tunc autem *portare statum peccati cum humilitate* nequeunt; sed quomodolibet eum portare, vel ab eodem se expedire conati fuerint, peccant iterum omni opere, omni conamine juxta Artic. 38. 39. & 40. jam relatos. Unde etiam minimè possunt *petere spiritum pœnitentiæ & contritionis*, sicut oportet; sed necesse est eos petere tam incongruè, ut preces sint nova Dei offensio. Denique *animæ* illæ adeò remotæ sunt *ab incipiendo satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*, ut opera earum singula reatui pristino novum semper & indeclinabile adjiciant incrementum.

JANSENISTA: Imputent sibi, quod in eam peccato anteriore ultro se conjecerint calamitatem.

CATHOLICUS: Quâ ratione liberum eis fuit in illam non incidere noxam, quam memoras anteriorem? Non sine gratiâ, ut quidem Quesnellum vidimus pluribus supra articulis definientem; juxta quem *sine gratia nihil amare*; nihil agere *possumus nisi ad nostram condemnationem*. Neque qui caret gra-

tiâ

tiâ eam sibi conquirere potest, aut salubri petere oratione, ut contra Semipelagianos Catholicis indubitatum est. In Quesnelli denique sententiâ, quisquis deliquit, omni penitus gratiâ destitutus fuit, sive quâ omnem hominem in singulis actibus cadere necesse est, ut Quesnellum vidimus pluribus Articulis asserentem. Præsente autem gratiâ nemo labitur, aut labi potest, juxta Art. 20. *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri & obeditur, imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus & omnia sibi submissa sunt.* Art. 11. *Gratia non est aliud quàm voluntas omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.*

JANSENISTA. Qualiscumque nobis oboritur peccandi necessitas, quam in hoc statu miseriæ neque vincere possumus, neque evitare, ea ipsa est pœna peccati, quod in primo commisimus Parente, qui liberrimus fuit, & nullis interiùs concupiscientiæ motibus pulsatus, aut tractus illecebris. Libertas illa nostra in Adamo, in quo omnes positi fuimus, ab eodem contra Deum perperam abutente pessumdata, ejus posteris sufficit, ut delictum inde consequens, quantumlibet necessarium, ad demeritum imputetur.

CATHOLICUS: Libertatem, quæ nobis obtigit in Adamo, sufficere ad peccatum originis, docente Apostolo, omnes credimus; sed ad peccatum sufficere personale, & adultorum demeritum, nullus fatebitur orthodoxus. Inter Articulos 31. Alexandri VIII. sententiâ proscriptos censuris hæresios & aliis respectivè, primus erat: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causâ suâ, peccato originali & voluntate Adami peccantis.*

Eodem principio nitebatur, & in eadem damnatione est Propositio Jansenii tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Hæresis hæc allegato à te, ut dixi, nititur principio, quod in Jansenio legitur, editionis Lovaniensis Tomo 3. col. 779. *Cum arbitrio in utramque partem libero & flexibili constitutus est primus homo; sed ex spontanea discretione illa æquabilis libertatis indifferentia periit* (Tom. 2. col. 632.) *itaut homo hic & nunc in singulis actibus quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur.*

Eadem fuerat Lutheri & Calvini sententia, iisdem ferè quibus Jansenius utitur rationibus & testimoniis, perfidè confirmata: à Luthero quidem in genes. cap. 3., à Calvino lib. 1. Instit. cap. 15. lib. 2. cap. 5. & de libero arbit. lib. 2. contra Pighium.

JANSENISTA: Quantumlibet dura quædam & difficilia in nostro appareant systemate Theotico, non vacillare propterea; sed exclamare oportebit, *O altitudo sapientiæ & Scientiæ Dei!* Et subjicere potiùs intellectum in obsequium fidei, quam penetrare nimiùm velle rationibus humanis; cum credere eà oporteat, non intelligere.

CATHOLICUS: Superat quidem humanam fides Catholica rationem; non tamen ei contraria est. Indita enim nobis à Deo ratio est, ut verum à falso discernere valeamus; eaque tum naturalis ordinis, tum superioris lumine cœlitus juvatur. Hac usi sunt Patrum Sanctissimi, & nemo frequentius Doctore Angelico, tum ad stabiliendos in fide Catholicos, tum maximè ad revocandos ab erroribus omnis generis infideles.

JANSENISTA. Penes nos præcipuum studium est in reformandis moribus; eumque in finem talibus indagandis ac tradendis Dogmatibus, quæ vitæ salubriter instituendæ, præ cæteris conducunt.

CATHOLICUS. Imò si scopus vobis esset à subdolis morum corruptoribus excogitatus, totius Christinæ ethicæ subversio, nō poterat ad hunc effectum hypothesis reperiri aptiùs accommodata, quàm vestra, si tota opinionum series expendatur. Istud vel Angelico teste, cujus esse *tutissima & inconcussa Dogmata*, magnificè aliàs, & meritò prædicatis, destructi à vobis liberi arbitrii inevitabile consectarium est. *Si enim*, inquit loco citato, *non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio & laus & vituperium*; quod est subvertere quidquid meriti & demeriti, quidquid virtutis & vitii, etiam moralis est. Quidquamne desideras ampliùs, seu deterius, ut talis tibi hipothesis omni homini, non solùm Christiano; sed vel civicæ, & naturalis non penitus adversario honestatis, appareat abominanda?

JANSENISTA: Aquinatem intelligi oportet non de necessitate simplici, sed coactionis, quam etiam nos fatemur, omni esse merito & demerito inimicam, reamque omnium, quæ ex Angelico recitasti.

CATHOLICUS: A mente Angelici aberras longissimè; illic enim perspicuè impugnat utentes distinctione vestrâ, qui humanorum actuum abolitâ coactione; fas tamen esse assererent, simplicem admittere necessitatem. *Quidam*, inquit, *posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur; non enim omne necessa-*

rium est violentum ... Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti. Mox sequuntur cætera quæ retuli.

JANSENISTA: Ita quidem Angelicus scholastico suo ratiocinatur acumine; sed *moralis Evangelica, à Sancto Patre Nostro Quesnello in compedium redacta*, subtilitatibus istiusmodi minimè commovetur; suâ satis tuta simplicitate & veritate, non scholasticis nixa argutiis nititur; sed Divinis Oraculis, & Traditione, maximè Augustini, cujus Aquinas se discipulum profitetur.

CATHOLICUS: Utrumque nos posteri doctorem agnoscimus, & posteriorem quidem, prioris *interpretem fidelissimum* ipso teste Jansenio. Quesnellum autem in 101. Propositionibus damnatis, nihil patrocinii habere à Scripturis, nihil à Patribus, ad singulas ostenditur propensiones, & quidem ex Augustino præcipuè. Cùm autem securus adeò vobis appareat Doctor vester asceticus, suâ simplici, ut ais, veritate, age partes directoris tibi, ut libuerit assume, ego discipulum me statuo Quesnelliano systemate erudiendum: unam tantummodo expeto conditionem, ut quoniam vos Christi Vicario exhibere detrectatis obedientiam, ut dicitis, cæcam, à me talem non exigas, quam præsumptione ridiculà à suis præstari sibi voluit proselytis Sancyranus.

JANSENISTA: Non poteras minus, aut æquius postulare, verùm ad institutionem istiusmodi, seu veriùs concertationem, fateor me ex tempore non comparatum satis, spatio opus est ad meditationem.

CATHOLICUS. Utere commodo tuo.

CAPUT IX.

DIALOGUS III.

Catholicum inter & Jansenistam. *Quo concluditur, nihil esse metuendum Ecclesia propter non agnitas, veritatum nomine Quesnellianas opiniones: harum verò Sectatoribus timenda esse omnia.*

CATHOLICUS. Ordire, quam nuper susceperas, mei in Quesnellianis dogmatibus institutionem.

JANSENISTA. Istud præ cæteris practicum, firmitate semper retine inviolatâ: quod traditur Art. 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide & precibus*. Potestne ad beatitudinem semita præscribi compediosior?

CATHOLICUS: Hoc suo compendio Quesnellus complectitur præcepta omnia ad salutem necessaria; sed brevius illud est, quàm ullus unquam agnoverit orthodoxus. Si verò sola intelligit necessaria necessitate medii, abundat precum requisitio juxta Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio*. Non dicam in Quesnelli sententiâ abundare etiam *Fidem*; quia per Art. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*: sed hæc ipsa assertio manifestè contraria est Tridentino definienti Sess.6.Can. 3.*neminem sine præveniente Spiritus Sācti inspiratione, atque ejus adjutorio posse credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet, ut ei Justificationis gratia conferatur*.

JANSENISTA: Tridentinam Synodum non fuisse normâ Synodorum veterum celebratam; sed fuisse *Pontificis & scholasticorum, quæ in Ecclesiæ Dogmatibus mutarit plurimum*, ut sæpe monui, Sacyrani pridem solertia animadvertit, ut Concilium illud auctoritatis nunquam penes nos fuerit irrefragabilis; sed erroribus maximè obnoxiæ.

CATOLICUS: Ista, fateor responsio compendiosa, multis & gravibus hypothesim vestram expedit difficultatibus, aliàs non facile solvendis; sed horridus sermo est auribus Catholicis, & mihi quidem quid nunc facto opus, qui Tridentinam Synodum secutus hactenus, variis vestris dogmatibus dixi anathema, & Constitutioni *Unigenitus* subscribens, articulos 101. rejeci tanquam hæreticos, impios, blasphemos, & aliis respectivè Censurarum Stigmatibus notatos? Quid, inquam, mihi nunc facto opus est, ut, siquidem à fidei & salutis tramite aberravi, ad eam vera fide redeam, & pœnitentiâ?

JANSENISTA: Humilia te coram Deo, & agnosce, quod antea perperam negaveras, *fidem, usum, augmentum & præmium fidei, totum esse donum puræ liberalitatis Dei* juxta Art. 69.

CATHOLICUS: Possumne id agnoscere utiliter sine gratiâ, imò sine fide? Nam *nullæ dantur gratiæ* penes vos Art. 26. *nisi per fidem*. Art. 27. *fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Denique jam recuperassem justitiam; quia per celebratissimum vestrum Art. 28. *prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*: Verùm istiusmodi vestram nōdum mihi affulsisse gratiam sentio.

JANSENISTA. Quænam te istud ratio mirabilis sentire docuit?

CATHOLICUS: Nulli expositâ erroris periculo experientia. Nam etsi fides & pœnitentia naturalis, à supernaturali non sem-

per,

per,nec facilè discernatur;credere tamen simpliciter, & qualicunque fide, dolere se qualicunque dolore & pœnitentiâ, aut non credere, non dolere, quilibet facilè experitur. Non credere autem me vestros hactenus Articulos, neque istiusmodi incredulitatis ullam in me existere pœnitentiam, certissimus sum: porro Justificationem, sive peccatorum veniam ulli adulto peccatori, qualem me esse in vestra hypothesi oportet, sine fide obtingere, sine pœnitentiâ, inter Catholicos inauditum est, & à Tridentinis Patribus anathemate profligatum.

JANSENISTA. Jam dixi deductum ab illa Synodo argumentum, à nostris Majoribus collocari inter ea, quæ Scholastici vocant *ab authoritate negata*. Quòd autem *prima gratia* sit *peccatorum remissio*, negari nequit, nisi subruto penitus totius Moralis Evangelicæ ædificio. Continet scilicet in se prima gratia non solam Fidem; sed etiam Spem, Charitatem & in peccatoribus pœnitentiam. Quid in eâ apparet hypotesi incongruum?

CATHOLICUS. Tot humanorum actuum & liberorum in unam reductio gratiam, eamque primam à libero minimè pendentem arbitrio, tam mirabilis est, atque omni contraria rationi, authoritati, experientiæ, ut quomodo probari cuiquam valeat sapienti, nullatenus assequar. Verùm ut istud modo dissimulem, commodissima hìc vobis aperitur Ethica, quâ Libertinorum foveatur scelerata segnities, omni beatitudinis soluta studio & solicitudine; prima enim, quæ Peccatori infunditur gratia, prorsus gratuita est, nullo merito, nullis impetrata precibus, nullâ præcedente dispositione congruâ; sed ex mero Dei beneplacito, & misericordissimâ charitate.

Adeò autem nullius industria peccatoris, aut labor & diligentia, primam sibi gratiam promittere potest aut obtinere, ut juxta vos omni ad justitiam conamine, omni ejus desiderio ante justificantis, sive peccata remittentis gratiæ adventum, aliud fieri nequeat quàm prioribus incrementum addere peccatis, augere cum demeritis supplicia, Divinam concitare ampliùs vindictam, amovendę longius clementię ponere occasionem. *Peccator enim non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris*. Art. 38. Et generaliter *sine gratia nihil agere possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Art. 40.

Nullis concupiscentiæ illecebris, juxta vos, ante sanctificantis illius gratiæ appulsum resistere fructuosè possumus, vel obluctari; quia *voluntas*, *quam gratia* (eaque ut jam ex Quesnello audivimus, sanctificans) *non prævenit, nihil habet luminis nisi ad ab errandum, ardoris nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum*. Art. 39.

Necessario itaque, inquiet Peccator, ab omni desistendum est opere, labore & solicitudine ante delictorum veniâ, ne hinc illorum aliàs continuò cumulus augeatur, atque inde semper graviori fiam obnoxius damnationi: propterea Divinæ, si quæ est, providentiæ me committens, de injiciendo concupiscentiæ fræno solicitus insipienter sim; cùm esse nequeam nisi majorem mihi accersendo perniciem.

JANSENISTA. Apage impiam de Providentiâ dubitationem.

CATHOLICUS. Non dubito ego, neque ullus dubitat Christianus; sed eò ducit Systematis Quesnelliani error imprudentissimus, quo subsistente, non video, quomodò Dei Providentia cum suis Scripturarum Oraculis componenda sit. In his enim peccatores omnes, nemine excepto, ad pœnitentiam invitantur & salutem: urgentur monitis & mandatis: suppliciorum denique perennium & atrocissimorum comminationibus toties inculcatis quodammodo compelluntur. Quis ista conciliet cum parcissima illa auxilii sufficientis & necessarii præparatione; quod præter justificans, nullum sit, & neque istud, neque aliud in ullius hominis potestate sit obtinere vel petere? Soli conceditur cui justitiam & sanctitatem pro suo solo Deus beneplacito voluerit elargiri. Sic omnis illa generalis adeò Dei in omnes bonitas, & clementia, revelata toties in Sacris Literis, ab Interpretibus & Sanctis Doctoribus tam magnificè prædicata, qua ratione poterit cum veritate & sinceritate Numinis conciliari? Ut autem multitudo Numinum nullitas Numinum à sapientibus censetur; ita Dei fallacia & mendacium non immerito nullitas reputabitur Divinitatis. Tu modo à tanta si potes, hypothesim Quesnelli vindica, impietate, aut ei, ut aliàs pollicitus fueras, nuntium remitte.

JANSENISTA. Non quidem in promptu mihi est argumenti tui solutio: occurret forsitan interea, dum quod in te pariter receperas, demonstrabis, nostro systemate justos facilè libertinorum copiis adjungendos.

CATHOLICUS. Non aliâ ad hoc probatione opus est, quàm allatâ modò de peccatoribus. Ad omnes enim etiam justos pertinet Artic. 40. *sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: & 39. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum*.

Qua-

Qualis ea gratia fit neceffaria,ut aliquid homo acquirat virium ad meliorem effectum, quàm fui fit vulneratio, difcere nos Quefnellus voluit ex Art. 2. *Jefu Chrifti gratia principium efficax boni cujufcunque generis, neceffaria eft ad omne opus bonum: abfque illâ non folùm nihil fit; fed nec fieri poteft.*

Neque alia juxta Quefnellum gratia conceditur, quàm quæ boni fit principium efficax, & quidem ita ut à nemine impediri ejus operatio valeat vel fufpendi. Sic Prop. 10. definit: *Gratia eft operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteft aut retardare.* In eundem fenfum Propofitiones plures conveniunt. Sufficere ad hoc poterat citata fæpiùs 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio.* Si tanti roboris & valoris fit prima gratia peccatoris, cur inferior cenfeatur fecunda, & quæcunque alia juftificati?

His junge Articulos aliquot de voluntate Dei, de Chrifti defideriis pro folorum beatitudine electorum, undè cæcum dicito aut ftipitem qui non videat, omnem hominibus, etiam juftis adimi, fuæ folicitudinem falutis. Articulo nempe 12. *Quando Deus vult falvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis fequitur voluntatem Dei.* 31. *Defideria Chrifti femper habent fuum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

Poteftne falvari anima, ad cujus falutem nec Dei voluntas, nec Chrifti *defideria* fe extendunt? Hinc redditur exploratiffimum, cur Art.32.dicatur *Jefus Chriftus fe morti tradidiffe ad liberandum pro femper fuo fanguine primogenitos, id eft electos de manu Angeli exterminatoris*; non alios, ne contingat, defideria Chrifti quoad aliquos deftitui effectu; neque omnem falvari animam, quam Deus voluerit beatitudine donari Art. 33. *Proh! Quantum oportet bonis terrenis & fibimetipfi renuntiaffe ad hoc ut quis fiduciam habeat, fibi, ut ita dicam, appropriandi Chriftum Jefum, ejus amorem, mortem & myfteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me & tradidit femetipfum pro me.*

Quæ Quefnelli Sententia indubiè fignificat, quòd Chriftus femetipfum non tradiderit pro omnibus hominibus, fed pro iis folùm, qui bonis terrenis & fibi ipfis renuntiaverint quodammodo ut Paulus Apoftolus. Atque his quidem Quefnellus *fiduciam* permittit; fed non fidem, præcipuè fi de æterna agitur beatitudine.

Ut enim nullus hominum, qui revelationem de hoc non acceperit fpecialem, fecurus effe poteft certitudine fidei, fe effe in numero Prędeftinatorum,ita nemo juxta vos credere poterit, fe effe in eorum numero, quibus Deus falutem obvenire cupiat, aut Chriftus fuo voluerit Sanguine promereri; cùm neutra voluntas juxta vos irrita effe valeat, aut non totum confequi quod intendit. Meminifti lapidem hunc Lydium fuiffe, ad quem Sebafteni veftri Archiepifcopi fides in Urbe explorata fuit, atque detecta hypocrifis?

JANSENISTA. Neque memini, neque audiveram de eo quidquam hactenus.

CATHOLICUS. Cùm afferere is confidenter pergeret, fe de redemptione hominum cuncta credere quæ Catholica tenet Ecclefia, rogatus an crederet æternam fuam falutem à Chrifto fuiffe volitam, oblatumque pro ea Sanctiffimum Sanguinem: negavit credere fe iftud poffe Fide Divinâ; eò quòd lateret prædeftinatio. Au igitur, inquiebat examinator, non recitas in Miffa Symbolum fidei, & in eo, te credere profiteris Dei Filium pro te ut beatitudine donareris incarnatum? *Qui propter nos homines* (inquis) *& propter noftram falutem defcendit &c.* Non ais propter prædeftinatos, & propter eorum tantummodo falutem: fed neque in facie Ecclefiæ afferere fine gravi mendacio potes, quod in Symbolo pronuncias, fi non credis propter te & propter tuam falutem Dei Filium defcendiffe.

Hærebat hìc aqua mifero Præfuli, & familiaribus poftea faffus eft, fe fuiffe non leviter in examine conturbatum; fed non videtur ea profuiffe confufio ad converfionem, infixâ hærente altè nimiùm lethali arundine Janfenifmi. Rurfus in Symbolo altero, quod tota Ecclefia in Officio Canonico recitat ad Primam: *Deus & homo unus eft Chriftus, qui paffus eft pro falute noftra.... Hæc eft Fides Catholica, quam nifi quifque fideliter,firmiterque crediderit falvus effe non poterit.* Ecclefiam iterum turpiter decipit, fuamque prodigit falutem, qui dum illum publicè profitetur Symboli Articulum, detrectat animo credere, pro fua falute fupplicia Dei Filium fubjiffe. Nondum percipis, in quas fallacias, in quam impietatem, in quod damnationis barathrum vos hypothefis veftra præcipites agat?

Vidiftis Doctoris Angelici teftimonio, cui nullus diffentit Catholicus, nemo etiam folo præditus naturæ lumine diffentire poteft, quomodo deftructâ, veftro fyftemate, libertate, *tollatur deliberatio, exhortatio, præceptum, punitio, laus & vituperium*; quod eft tollere omne meritum & demeritum, nifi utrumque volueris cum neceffitate conjungere;

re; quod quidem voluit vel simulavit Jansenius in tertio suo hæretico dogmate, quod cum cæteris quatuor, imò universis ejusdem Episcopi erroribus, etiam in Bajo antea condemnatis, restituendum speravit fatuè Quesnellus; non minùs malesano gloriatus mendacio in *Notis ad Epistolam Steyaertii* pag. 17. *Iam demum credere cæpisse Orbem Catholicum, nihil in Jansenii sensu non esse Catholicum.*

Nunc etiam à Quesnello, post Jansenium, in omnibus suis Sectatoribus destruitur, qua ab Hagiographis, Patribus, Conciliis, Ecclesiâ universâ imbuti fuerant, fides in Christum Salvatorem suum, quem ne Judæis quidem impiis & Infidelibus denegandum censuit Augustinus Tract. 4. in Joannem sub initium. *Populi autem spernentes propter superbiam suam, humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.*

Didicerat istud à suo in Fide Catholica Institutore Ambrosio qui lib. de Paradiso cap. 8 ait: *Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores: etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem; & ideo nec proditurum debuit præterire.* Et infra. *Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare* ab æterni reatu supplicii, & amissam in primo homine, restituere omnibus hæreditatem.

Vos, ne fidelibus quidem de Salvatore suo fidem; sed fiduciam solum errori obnoxiam conceditis. Denique sublatis omnibus ad virtutem stimulis, extincto omni salutis studio, subrutâ omni bonorum actuum libertate, inductâ perpetuâ necessitate peccandi, quoties gratia ad bonum necessitans abfuerit, qualem à vobis expectare possumus in salutis semitâ directionem, nisi ludricam & latentem sub fœda hypocrisi impietatem? Qualem nobis Deum fingitis, nisi fallacem, perfidis infamem pollicitationibus, injustum, atque crudelem?

Nos Apostolorum Principi credimus dicenti Epist. 2. cap. 3. *Deum nolle aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Juxta memoratam sæpiùs & fidelissimè relatam Quesnelli hypothesim, Deus neminem ad pœnitentiam redire voluit, nisi qui rediit, vel rediturus reipsâ est: neminem salvari extra numerum prædestinatorum. Stephanum novimus Deo suggerente exprobrasse Judæis incredulis Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Juxta vos Spiritui Sancto sive ejus gratiæ nemo resistit, nemo potest resistere: Ipsa testatur æterna veritas in Christo, quoties filios Jerusalem, & quàm amanter congregare voluerit, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas; sed ipsa ingrata Civitas noluerit, unde sibi suisque accersiverit exitium; Quesnellus autem non ita, inquit, se res habet; sed *desideria Christi semper habent suum effectum: Pacem intimo cordium infert quando eis illam optat. Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiter.*

Desiderium tamen liberandi omnes ab onere peccati, adeoque salvandi ostendit Christus, invitans universos. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Refecti ex illis plurimi non fuerunt; quia Christi desiderium & benevolentissimam invitationem malesano contempsere consilio.

In suâ nihilominùs persistens sententiâ Quesnellus utrumque Christi testimonium convertere pergit in fallaciam, quasi circumveniendis hominibus excogitatum.

Iterum apud Matth. Christus parabolâ, significando suo erga omnes affectu aptissimâ: *Quoscunque*, inquit, *inveneritis vocate ad nuptias*: juxta Quesnellum subdolè; quomodo enim seria potest esse invitatio, si ex vocatis omnibus, non nisi paucos venire invitans ipse voluerit?

Securos reddere universos, præcipuè credentes Apostolus voluit de sufficiente auxilio, nunquam penitus defuturo, quo tentationibus resistere valeant, atque ex iis proficere ad salutem 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Quesnellus autem de mendacio aut errore Apostolum, & de perfidiâ in promissionibus Deum quodammodo accusans, non aliquibus solùm; sed omnibus post Adami lapsum peccantibus, præceptum asserit fuisse servatu impossibile, defuisse quoque gratiam quâ possibile redderetur. Perspicuè istud continet primam inter quinque hæreses Jansenii, cujus ubique sensus tanto à vobis molimine confirmatur.

JANSENISTA. Voce *Impossibilia* abstinemus solicitè, neque eâ Quesnellus in ullo utitur è damnatis Articulis.

CATHOLICUS. Utitur in *Traditione Ecclesiæ* ubi sub fictitio Doctoris *Germain* nomine se detegendum, forsitan arbitratus non fuerat, sed & in damnato Articulo 4. dicitur: *Ita Domine omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*; ubi Sedis Apostolicæ providentiam eludere non potuit Quesnelliana astutia, quin satis Pontifex perspiceret, doloso axiomate intendi, ea sola esse homini possibilia, quæ in illo Deus reipsâ perficit: impossibilia proinde homini esse bona omnia, quæ in illo Deus efficaci gratia

gratia non operatur.

Manifesta de hoc est Propositio 2. *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit; sed nec fieri potest*, sive impossibile est ut fiat. Synonima enim hæc esse omnibus latinum callentibus exploratum est. Ita pridem Sorbona censuit, lege in perpetuum stabilitâ, & nuper iterum confirmatâ: ita credere illa & profiteri voluit singulos, gradum Academicum suscepturos, subscribere jubens Censuræ contra Arnaldi Articulum latæ, tanquam hæreticum, & primæ consonum hæresi Jansenianæ de impossibilitate præceptorum, etiam in justis, quasi sufficiente destituerentur auxilio, quoties non potiuntur efficaci.

Contra eamdem hæresim eadem est sententia Cardinalis Noallii, qui & Censuræ Sorbonicæ subscripsit, & *Expositionem Fidei* Gerberonianam, velut hæreticam, ac totius Jansenismi virus certissimè continentem, Archiepiscopali Diplomate confixit.

JANSENISTA: Quomodo igitur secundum Quesnelli Articulum in prioribus *Observationum Moralium* Editionibus approbauit?

CATHOLICUS. Culpa vel ignorantia assistentium ei Ministrorum fuit. Antistes multitudine negotiorum ad Diœcesim spectantium obrutus, discussionem Quesnelliani Operis commiserat Theologis: hi vel scientiæ istius non plurimùm periti, vel quod verisimilius est, novitatibus addicti, eximio lucubrationem encomio condecorarunt, quo nixa dein fuit Præsulis approbatio. Quod autem Eminentissimus damnato à duobus antea Pontificibus, à seipso, & à Sorbonâ Articulo noluerit suffragari, patuit, quando eum jussit è posterioribus Editionibus Quesnelliani Operis eliminari.

Non fuit quidem jussio, ut oportuerat, executioni data; sed & in hoc apertiùs se prodidit sive crassa ignorantia Ministrorum, sive turpior eorumdem cum Novatoribus collusio; dum uno alterove loco suppressa hæresis, pluribus relicta est, ut veluti post examen diligens, & correctionem confirmata ampliùs videretur.

Luctuosa ea Principum, maximè Ecclesiasticorum, calamitas est, quòd intereà dum curis ipsi & molestiis pulsantur undique, in Consiliarios quandoque incidant, & adjutores perfidos, qui Dominorum famæ, & bono publico, etiam Ecclesiæ ac Religionis, sua præferunt commoda, quantolibet juncta crimini & sacrilegio. Longè plura sunt iniquitatis Mysteria, quibus Quesnelliana hypothesis & praxis redditur execrabilis.

Non exigua eorum patefacta copia cernitur Tomis quatuor *Constitutionis Unigenitus propugnata*: relata quoque compendio in præsentibus colloquiis specimina perspicua sunt, & abundè sufficientia, ut omnibus ratione utentibus, neque innovandi libidine infatuatis, persuadeant, novam Ecclesiam, esse expertem Fidei & Religionis, solis fundatam fraudibus & hypocrisi: cognitam placere nemini posse, nisi hæreticis, libertinis, atheis, vel rudibus adeo ut omni spiritui credere soliti, quamlibet fucatam pietatis speciem, nullo veri & falsi discrimine amplectantur.

Atque hæc ferè ex prioribus solùm collecta sunt Quesnelli Propositionibus. Expendendis cæteris modò otium non est. Tu eas, si attentiùs introspexeris, ad iniquitatis & perfidiæ complementum subdolè adornatas invenies.

Non est quæ te imposterum excusare valeat ignorantia, si tantæ militare perrexeris impietati. Desere proindè Castra Schismatica, in quibus, quidquid nova Secta splendidè polliceatur, non aliud merceberis, non aliud referes mercedis, quàm infamiam hic apud Catholicos, apud Superos condemnationem, quid apud inferos, nisi calamitosissimam suppliciis æternitatem?

JANSENISTA: Atrocia hæc sunt, & commoto in nos, ut apparet, vibrata animo: Nihilominus ad me quod attinet, quidquid illud est acrimoniæ, facilè condono, persuasum habens, non odii esse malevoli spicula; sed charitatis potiùs, & Religionis. Utinam in me operentur, quod Deus novit meo aliorumque conducere profectui & saluti!

CATHOLICUS. Interim conspicis prætensas novæ Ecclesiæ *veritates*, non immeritò, *linguæ* nobis instar *peregrinæ* esse, & *veluti idioma incognitum*; neque illum esse *defectum*, & *signum sensibile senectutis Ecclesiæ*; quasi ad interitum proximè vergentis: neque periculum esse ne propterea *in Dei filios ira* ejus atque ultio provocetur.

CA-

CAPUT X.

DIALOGUS IV.

Jansenistam inter & Catholicum continens Mantissam sive Auctarium ad tres Dialogos superiores.

JANSENISTA. Deliberabam seriò de remittendo nuntio Ecclesię Quesnellianę, quando inter complura moras injicientia, occurrebat inprimis Augustini nomen, quo reformatrix nostra Ecclesia insignitur. Quantis enim Sanctus ille à Pontificibus, Conciliis, Patribus celebretur elogiis, fugere eruditionem tuam non potest.

CATHOLICUS: Non fugit quidem; sed neque te arbitror ignorare vetustissimam hæreticis consuetudinem, & fraudem nequissimam, aliquem sibi magni in Ecclesiâ nominis Patrem adsciscere, tanquam Patronum, suæque novitati in omnibus suffragantem, ut ipsa non nisi per latus Sancti ejusdem impeti posse videretur.

Ariani ingens sibi præsidium collocabant in Dionysio Alexandrino, claro pietate atque eruditione, adeò ut S. Athanasius tanti ponderis authoritatem minimè eis relinquendam duxerit; sed Apologiâ fortissimâ extorquendam.

Ipsi sibi Athanasium vindicabant Nestoriani, Cyrillum Alexandrinum Eutychiani & Monothelitæ.

Hanc fraudem hæreticis familiarem memorat Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 11. *Qui* (inquit) *cùm sub alieno nomine heresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paulò involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate Dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.*

Joanni Wickleffo in tanto pretio erant Augustini Dogmata, ut ab adulantibus discipulis *Joannes Augustini* percuperet appellari. Idem hæreticus apud Waldensem sæpè vociferans refertur: *Sic habet Augustinus ut doceo, sic lex Papalis, sic Concilia: Quommodo ergo adversa mihi docentes, & tenentes, non sunt hæretici?* De Luthero & Calvino totos scio Augustinianos, & quodamodo Augustinos ipsos prædicantibus audiveris adhuc aliàs.

Sanctissimo tamen Doctori nihil per hoc detrahitur authoritatis, ut rectè monuit facundus Hermianensis libro contra Mocianum: *Neque enim*, inquit, *melius loqui potuit Augustinus, quàm Propheta, quàm Apostoli, & Evangelistæ, quorum verbis similiter malè intellectis & incongruè adhibitis tam multi hæretici suos conantur defendere errores.*

Augustinus ipse contra Donaristas soli cærui suo schismatico nomen & authoritatem Ecclesiæ vindicantes, respondet, ipso inprimis *Catholicæ*, seu universalis *nomine* se in Ecclesiâ retineri, istam Christianæ Ecclesiæ *notam* Divinis oraculis revelatam, ideoque ab illa meliùs, quàm à quocunque Doctore deductam appellationem efficere in nobis veræ Ecclesiæ certitudinem, ac securitatem.

JANSENISTA. Inficiari neque cupio, neque possum veræ Ecclesiæ indicium esse universalitatem, sive quod sit *Catholica*: sic omnes in fidei Symbolo profitemur; sed & in eodem Symbolo exprimitur Sanctitas *Credo in unam Sanctam Ecclesiam*. Nonne autem ea nota penes Augustini Discipulos reperiri potiùs dicenda est, quàm penes vulgus fidelium; etiam Presbyteros & Religiosos?

CATHOLICUS. Nequequam; imò nihil esse sanctimoniæ, nihil salutiferæ virtutis in novâ Ecclesiâ, non mihi soli perspectissimum est; sed esse debet omni sanæ mentis Theologo. Cæcum enim, aut malevolum esse oportet, qui Quesnelliano Systemate in tantâ luce nunc posito, Jansenianam illic pariter & Bajanam hæresim non perspiciat, summâ quidem fallaciâ; sed & pertinaciâ prorsus schismaticâ instauratam.

Unius autem hæresios crimine, universam in homine fidem destrui, omni Theologo exploratum est: neque minùs extra dubium, cum Fide simul Spem deficere, Charitatem & quidquid aliud Christianæ virtutis, ac sanctimoniæ est; proinde non alia esse posse in novâ Ecclesiâ simulacra virtutum, quàm in Lutheri, Calvini, aliorumque tum veterum, tum recentium cætibus hæreticorum. Inter omnes scilicet scientiæ Theologicæ peritos convenit ex Tridentino Concilio, Traditione perpetuâ, ipsiusque testimonio Scripturæ, quod sine fide impossibile sit placere Deo, cùm prima hæc virtutes inter Theologicas, salutis & omnis justitiæ radix ac fundamentum sit: quin juxta Quesnelli Articulum 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.*

JANSENISTA: Nihilominus quot vidimus Baii, Jansenii, Quesnelli Discipulos varia exercentes opera pietatis, quæ omnia hypocrisim esse, nescio cui te autumes persuasurum.

CATHOLICUS: Nemini istud persuadere cupio; cùm justissimè damnatum credam hunc Baii Articulum 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Sed longè aliud est non omnia hæc-

hæreticorum aut Infidelium opera inter peccata rejicere, aliud ex iisdem conficere sanctitatem operantium. In omnibus, quorum mihi vitam utcunque introspicere licuit, fateor neque me sanctimoniam deprehendere potuisse, neque mediocrem probitatem; sed passim dominantem cum sensualitate superbiam, omnium à se dissentientium contemptum, & odium implacabile, indolem effrænem, indocilem, obstinatam, omnibus, etiam supremis utriusque Fori Potestatibus rebellem.

JANSENISTA. Sanctitatis argumentum quod certius desideres, quam si quis animum possideat inordinatis motibus non solummodo superiorem; sed etiam vacuum, sive illos minimè sentientem? Nonne illa cœlestis sanctimoniæ & beatitudinis quædam participatio est? Ita Quesnellus de se suisque Sectatoribus testatur, quod eorum *spiritus*, *cor*, *sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*.

CATHOLICUS. Ea quidem est pars posterior Propositionis 43. cujus initium: *Primus effectus gratiæ Baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeò ut spiritus, cor* & cætera ut retulisti. Sed unde colligis, talem esse Quesnellum & ejus socios?

JANSENISTA: Scripsit hic author mysticus de *primo effectu gratiæ Baptismalis*, prout eum expertus in se hactenus fuerat, atque in Arnaldo & pluribus sociis, sive contubernalibus, sive Monialibus *Portus Regii* cæterisque sanctis novam Ecclesiam constituentibus, usu & consuetudine agnoverat familiari.

CATHOLICUS. Num in te saltem experiris talem in motus animi & corporis dominatum, ut *spiritus*, *cor*, *sensus*, *non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*?

JANSENISTA. Forsitan defectus in me fidei fuerit, aut Baptismatis non rectè collati; deberet enim aliàs *primus* ille agnosci *Baptismalis gratiæ effectus*.

CATHOLICUS: Capio. Talis gratia non cuilibet baptismo communis est; sed proprius Janseniano, sive collato à novæ Ecclesiæ, novæ fidei Ministro. Talem nos Catholici baptizantem nacti non fuimus, neque nactus fuerat Paulus Apostolus, quem adeò conquerentem legimus de molestiis sibi stimulis carnis & inordinatis motibus, qui sibi instar Angeli satanæ fuerint, se perpetuò colaphizantis. Quando autem talis penes vos *Baptismalis gratiæ est effectus primus*, quales supponendi sunt cæteri? Unde autem tales baptismatis vestri, sive ejus gratiæ prærogativas Quesnellus discere potuit? Non ex Sacris Paginis, non ex Traditione, non ex hodiernis Romanæ Ecclesiæ Doctoribus.

JANSENISTA: Suam quævis Ecclesia novit & retinet Traditionem; non enim verisimile est, Quesnellum Arnaldi discipulum, & annis pluribus contubernalem tanti momenti Articulum Dogmaticum confinxisse: neque Arnaldus creditur hanc suo temere procudisse cerebro novitatem; sed ipse eam à Magistro suo Joanne Vergerio Abbate Sancyrano traditam accepisse.

CATHOLICUS: Sive Quesnellum, sive Arnaldum, sive Sancyranum dogmatis authorem feceris, non minor imprudentia, vel etiam stultitia Sectatorum est.

JANSENISTA: Quid si *ea quæ enuntiabat Sancyranus dogmata, legerit in ipso Deo qui est veritas æterna*? Quid si *in omnibus secutus fuerit ductum interiorum illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi identidem à Deo suggeri sentiebat*? Totum istud sæpius de se asseruisse Sancyranum testatus jurejurando est Joannes de Jovaud Cisterciensis Ordinis Abbas & Secretarius.

CATHOLICUS: S. Benardus de similibus Sycophantis enūtiat sermone 42. in Cantica: eos *non tam ambulare, quàm volitare in magnis & mirabilibus super se ... Spiritualem se simulantes habere Doctrinam ... incerta, occulta, & quasi nocturna nosse mysteria sapientiæ Dei, sanctitatis tenere caput & culmen, & in ipso Christi hærere vertice, eminendi magis, quàm intrandi studium gerere*.

Non immeritò inter hæreticorum fabulas Theodoretus lib. 4. cap. 3. Hanc Eunomii, Sancyranæ similem jactantiam refert: *Nihil ex divinis rebus ingnoro; sed ipsam etiam Dei essentiam exactè novi, eandemque de Deo notitiam habeo, quam Deus habeat de se ipso*. Apud Epiphanium hæresi 76. gloriabatur Aëtius: *Deum novi, atque tantum novi, ut ne me ipsum quidem noverim meliùs*. Quapropter istiusmodi jactantia novatoribus familiaris authoritatem quidem eis conciliat apud simplices & nimis facilè credulos; sed non imponit sapientibus, qui sanctimoniam & singulares adeò supra mortales cæteros prærogativas non metiuntur magnificis novatorum testimoniis; sed aliundè advenientia exigunt indicia, quæ assertis tam mirabilibus, tam exoticis fidem utcunque faciant probabilem.

Quam eximius non ita pridem doctor mysticus, quàm Sanctus suis Sectatoribus apparuit Michael Molinos! Quot annis in ipsâ Christiani orbis Metropoli virorum prudentiam etiam magnorum, ipsiusque contra hæreticam pravitatē attentissimæ delusit vigilantiam

tiam Inquisitionis; sed ex spurcissimis actibus, detecta tandem authoris & plurium ei adhærentium nequitia est.

JANSENISTA: Funesta nimium historiæ istius recordatio est, præstaret perpetuis involutam sepultamque tenebris, nunquam reviviscere.

CATHOLICUS: Quin potiùs ad erudiendam Ecclesiam, ejusque moderatores adversus hęreticorum insidias reddendos temporibus secuturis magis cautos, historię similes in Ecclesiasticis Annalibus minimè pretermittendæ sunt.

JANSENISTA. Quid si autem præproperè contra Virum Sanctum tanquam hæreticum, & Hæresiarcham sententia lata sit? Quales enim adversarios & suæ invidos glorię Michael Molinos offenderit, scimus. Quid Sanctus, & Augustinianæ gratiæ intrepidus Prędicator Eugenius de Gelder de latâ adversus Molinosium sententiâ judicarit, non dissimulavit typis palam edicere, & quidem libello supplice ad ipsum directo Pontificem Innocentium XI. anno 1689., biennio scilicet, postquam ab eodem Pontifice prodierat contra Molinosium condemnatio. *Sicut* (inquit Pater Eugenius) *adversarii, per vafrè fabricatas quinque Propositiones doctrinam Jansenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Jansenii, doctrinam Sancti Augustini, à doctrinâ Jansenii reverâ inseparabilem, arietarent & dejicerent, sic etiam fortassis multas Propositiones Michaelis Molinos talibus terminis concepere, quod vix à positionibus fundamentalibus, à Sanctis Patribus Dionysio Areopagita, Augustino & aliis, ac Theologiæ mysticæ Doctoribus Bonaventura, Henrico Susone, Taulero &c. nobis propositis distingui possint: Ita ut per condemnationem Molinos, quem aliqui* (novi scilicet discipuli Augustini) *magis infelicem, quàm nocentem autumant, & prætensa ejus Doctrina, videantur voluisse eliminare illud parum quod restat supernaturalis operationis Spiritûs* Dei *vivificantis. Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid subdolè per se & suos efficiant Patres Jesuitæ, Spiritus* (Jansenii & Michaelis Molinos) *illis frendentibus, ubi vult, spirabit.* Ita per Patrem Eugenium clamat ad Innocentium XI. pro Jansenio & Molinosio *ultima vox zelatricis Innocentiæ* pag. 115.

CATHOLICUS: Quanto melius suæ conscientiæ & famæ consuluisset imprudens Eugenius silendo, quàm prætensæ *innocentiæ* malefanis adeò vociferando vindiciis! Quid autem vos inducere potuit ad contrahendam cum Molinosio necessitudinem, præcipuè postquam ejus fama tam malè olere cœpit apud plurimos pietatis & sapientiæ non vulgaris Theologos? Initio, antequam publica de eo & gravis invaluit suscipio, facilè intelligo potuisse virtutis specie decipi viros, etiam non malos, nec infimos, ut primis Ecclesiæ temporibus Patres quidam, etiam præstantissimi Epiphanius, Athanasius, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Zosimus Papa, faverunt aliquibus tanquam probis, quorum hæresis postea erumpens, suis eosdem reddidit fautoribus detestabiles.

JANSENISTA: Odiosam prosequi me compellis de Quietistis nostroque cum eis fœdere narrationem. Ut autem molestus esse desinas, aperiam simul quidquid de nostrorum in hoc genere politica assequi potui. Cum Quesnello quidem, ut is in Belgio nostro Catholico non nisi occultus degere potuit, *à solito hominum commercio segregatus, locum incolens vix paucis amicis notum, paucioribus pervium*, agere mihi nunquam licuit, neque inter majores Ecclesiæ novæ merui hactenus numerari; unde neque arcana fidei meæ commissa mysteria revelabo; sed ea solùm, quæ sive in *causâ Quesnellianâ* luci publicæ data sunt, sive in Walonii & similium *ad sanctam familiam* literis detecta; sive denique ex ipsius Quesnelli Propositionibus colliguntur.

Callida fuisse advertitur, industria Mahumeti, Religionem fingere, sibi quidem propriam, & ab omni Sectâ in pluribus diversam, participantem tamen aliquid ex singulis, ut universas sibi quaqua ratione devinciat, inter cætera Baptismum mutuatus à Christianis, Circumcisionem à Judæis, at propriam prævalere jubens omnibus impietatem. Ita Quesnellus cum fide in pluribus Articulis Catholicâ, dexterrimè novit Calvinissimum jungere, Lutheranismum, ipsumque Molinosii Quietismum: cum Lutheranis & Calvinistis amplectitur primum inter Quinque Jansenii Articulos de impotentiâ servandi præcepta quotiescunque ea transgredimur: Secundum de gratia cui in hoc statu à nemine resistitur, neque resisti potest juxta quartum: juxta tertium ratio demeriti componitur cum necessitate peccãdi. Omne prorsus meritum à bonis actibus aufert Articulus 69. *Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.* Ubi appellatio *præmii* impropria est; patet enim *donum puræ liberalitatis* cum mercede seu præmio propriè dicto non consistere: & totam Quesnelli cum gratia doctrinam nullum relinquere locum merito, evidens est.

Si enim *gratia* juxta Arti. 10. *est operatio manûs Omnipotentis* Dei, *quam nihil impedire potest, aut retardare*: Si *gratia Jesu Chri-*

Christi juxta Art. 26. *est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum*; quis locus propriè libertati est? Fuitne humanitati Christi liberum ut à Dei filio assumeretur, vel ut resuscitaretur à mortuis? Fuitne per alterutrum aliquid promerita?

Dum igitur omnis christiana gratia declaratur invincibilis, & operatio eius *imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum*, apertissimè detrahitur tum libertas, tum meritum omnibus nostris bonis actibus per gratiam elicitis. Eadem manifesta conclusio ducitur ex duobus Articulis sequentibus: vigesimo tertio: *Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas de nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. 24: *Justa idea quam Centurio habet de omnipotentiâ Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis; est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*.

Eisdem hæreticis consentire voluit Quesnellus cum Jansenio in quinta hujus hæreticæ Propositione de morte Christi pro solorum salute Prædestinatorum, quorum æterna felicitas, & nullius alterius, à Deo volita sit, cæteris omnibus absque ullo sufficiente ad beatitudinem subsidio derelictis. Art. 30. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*. 31. *Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat*. Eodem concurrunt Articuli 32. 33. & plures alii.

CATHOLICUS: Ridiculum se reddidit Quesnellus Calvinistis, gloriando de eorum ad Ecclesiam suam conversione in materiâ de gratiâ, quasi suo ista studio procurata conversio sit. Gloriationem istam velut inanissimam retundit Petrus Jurieux profugus ex galliis in Hollandiam Calvinianus prædicans lib. de *Spiritu Arnaldi*. *Verum est*, inquit, *quod ad nos ipsi accesserint* Jansenistæ, *sed duriores ipsi nobis sententias perfidè attribuunt, quas norunt à nobis minimè doceri*.

Plures inter damnatos Quesnelli Articulos sunt, quibus explorata redditur ejus ad hæreticos accessus, quando justificationem soli tribuit *fidei*, imò soli *primæ gratiæ*. Hæreticis bonorum operum necessitatem negantibus non potuit non gratissimus accidere præter memoratum utrumque Articulum 27. et 28. etiam sexagesimus octavus. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide & precibus*.

Plausum quoque apud hæreticos merebitur *abbreviata* plurimùm, si non erepta penitus Ecclesiæ Pastoribus potestas Clavium. Nemo enim Catholicus dubitat, quin ut Confessarius remittat crimina confitenti, in hoc necessaria sit supernaturalis aliqua per gratiam dispositio; Si autem *prima gratia*, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio, quandonam fiet, aut fieri poterit ut Confessarius Deo reconciliet Peccatorem, utpote primâ per gratiam dispositione jam reconciliatum? Nunquam itaque ad solvendum Peccatorem necessaria virtus Clavium erit: retinere peccata in attrito nunquam confessarius poterit, utpote per attritionem, imò primam gratiam remissa. Quę igitur absolutionis necessitas? Quę, pręscindendo à præcepto, tanta utilitas confitendi peccata Sacerdoti potiùs, quàm viro laico sapienti qui suggerere pia monita & remedia contra relapsus, subinde meliùs poterit, quam Presbyter aliquis prudentiâ inferioris? Excommunicare quoque juxta Art. 90. neque Episcopi unquam poterunt, neque Summus Pontifex, nisi supposito, sive præsumpto totius Ecclesiæ consensu, qui præsumi nunquam poterit, eo cum suis aliquot sociis reclamante. *Ecclesia enim*, inquit Quenellus; *autoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis*, non aliter nec aliàs. De Jansenistis, si membra, ut ipsi autumant, sint Ecclesiæ puriora, nullus Episcopus, aut Pontifex præsumere nisi imprudenter poterit, eorum omnes annuere anathemati contra se suorumve aliquem lato, vel imposterum ferendo: neque ullus tam impius, aut tam vilis est, qui sibi aliquos non habeat benevolos adeò, ut agi cum eo mitiùs optarent, quàm rescissione ab Ecclesiâ. Tuentur Quesnellium ejus discipuli, intellecto perperam aliquorum axiomate, quòd Claves datæ sint Ecclesiæ; unde discimus Petro mortuo non defecisse ab Ecclesia potestatem, sed cum illa perpetuò remansuram, neque ad unius utilitatem hominis; sed corporis universi.

JANSENISTA: Authoritatem Clavium denegamus *primis Pastoribus*, concesso tamen eis exercitio, veluti ministris, & executoribus potestatis residentis in *toto corpore*, ita ut absque *consensu totius, saltem præsumpto*, nulla sit Ministrorum commissio, nullus usus validus, omne irritum *exercitium*.

CATHOLICUS: Potestas Clavium continet etiam authoritatem condendi leges, dispensandi, concedendi indulgentias, solvendi potissimùm & ligandi in Sacramento Pœnitentiæ. Quæ omnia si in exercitio pendent à consensu saltem præsumpto totius corporis, vix apparet casus possibilis, in quo po-

testas

testas Clavium prudenter ad actum sive exercitium reducenda sit; Cui enim tam prosperè in hoc mundo res fluunt, ut non adversarios aliquos patiatur? Quis adeò infelix, sceleratus & infamis, ut omni saltem sibi similium patrocinio destitutus sit? Unde neque priori potestas Clavium prodesse poterit; neque posteriorem constringere aut punire.

JANSENISTA. Horrorem hæc incutiunt audienti: neque verisimile est Quesnellum aut plerosque ejus socios, talia prævidisse Dogmatis sui consectaria; minùs etiam voluerint.

CATHOLICUS: Nosti, quid Novatoribus intentionem suam excusantibus respondeat Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 4. *Quod quidem non ipse sentis; sed hoc sequitur ista quæ sentis: muta ergo antecedentia; si vis vitare sequentia*. Et lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. 18. *Nobis debetis irasci talia dicentibus, an vobis talia, ut velitis, nolitis, ista consequantur?*

JANSENISTA. Ut similia Quesnellus & ejus asseclæ sentirent, oporteret eis nihil religionis esse reliquum.

CATHOLICUS: Si quos à fide Catholicâ in tot defecisse Articulis, & nihilominùs persistere obfirmatos conspicimus, non arbitremur justitia præditos esse, & charitate, quis sapiens accusare nos poterit de injuria? Posito autem antecedente rationi tam consentaneo & æquitati, contra adversarios terribilis eorum militabit hypothesis Art. 58. *Nec Deus est, nec Religio ubi non est charitas*.

JANSENISTA. Estne aliud præterea, in quo Quesnellum hæreticis suffragari censeas, aut libertinis? Nam Ethicam profiteri assolet tutiorem.

CATHOLICUS. Art. 71. *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem*.

Magis igitur dispensare se quilibet poterit à lege simili humanâ: atque ita quisquis sibi persuaserit ad sui conducere conservationem non jejunare, sed vesci carnibus potiùs, quàm cibis quadragesimalibus, nullâ opus habebit superioris facultate; sed sui quivis arbiter statuitur ut *sese dispenset*. Idem fiet in quibusque Dei atque Ecclesiæ legibus, quarum transgressionem facilè concupiscentia dictaverit conservationi hominis deservire. Sic consanguineam vel affinem in matrimonio sibi jungere quivis poterit absque recursu ad Pontificem, quando istud ad sui utile duxerit *conservationem*. Ad eundem finem matrimonium licere videbitur etiam clandestinum, ubique judicio suo & authoritate propriâ dispensando seipsum, quantumlibet in promptu recursus foret ad Ecclesiam. Quid opus circuitu, ubi ad *dispensandum se* privata omnibus sua sufficit authoritas?

Septem Articulis ibi sequentibus componit Ecclesiam Quesnellus ex solis justis & Sanctis; peccator itaque excidit Ecclesiâ, seu membrum ejus esse desinit, præsertim caput, quod inter membra præcipuum reputatur. Qua ratione Præsules Ecclesiastici spoliantur jurisdictione mox ut in noxam incidunt lethalem. Damnatus hic error fuit à Constantiensi Concilio.

JANSENISTA. Quis scit an ferientes Articulum istum Antistites tunc in statu gratiæ fuerint? Nam extra illum ponderis non maximi authoritas eorum creditur ac definitio. Quod autem septem à Quesnello Propositionibus firmatum atque à totâ nostrâ Ecclesiâ exceptum tanti temporis veneratione est, cur deserere nos oporteat propter unius Synodi non numerosissimæ declarationem? Num forsitan Doctores nostri multitudine aut eruditione cedunt Constantiensibus?

Celebris nuper edita lucubratio, cui titulus est *Testimonium veritatis*, quantumlibet gravibus à Clero Galliæ notata Censuris, atque à Regio Parisiis Senatu igni tradita, phœnicis instar de ipso rediviva semper triumphabit incendio; Celebris, inquam, lucubratio illa nobis suggerit *veritatis testimonium*, quod nulla Antistitum, nulla Pontificum aut Concilii œcumenici infringere valeat vel superare authoritas. Est illud *clamor populi*, qui semper pro nobis est. Ubicunque scilicet Pastores aliqui sunt ex Augustini discipulis, atque per hos populo *veritas* innotescit, illic mox *clamor* pro ea *publicus* auditur adeò sonorus, adeò animatus zelo, ut ad seditionem contra Principem, etiam Regem potentissimum paratos induceret veritatis Augustinianę Defensores, nisi Episcopi Quesnelliani eos moderatio contineret.

Quidquid proinde contra nos moliantur adversarii quantalibet eos Pontificis & plurimorum Antistitum sustentet authoritas, accedente etiam cujuscumque potentia Principis, prævalere nunquam poterunt; veritas scilicet & virtus qualicunque insurgente procella, se premi quidem, sed non opprimi patietur: nullo utraque indiget humano præsidio, ipsa sibi ad se liberandum sufficiens, quemadmodum magnanimus noster declaravit Quesnellus *casum conscientiæ* Jansenianæ contra ipsum defendens Archiepiscopum suum Noallium Cardinalem. Et nonne vidimus Doctores Sorbonicos, qui humanâ impellente formidine approbationem antea datam, parum de-

decorâ sibi palidoniâ retardarunt, modum postea reperisse, quo illaram veritati injuriam gloriosâ contraBullam*Unigenitus* appellatione resarcirent?

CATHOLICUS. Sensim & quodammodo sine sensu à vestrorum cum Quietistis unione deflexímus.

JANSENISTA. Video te nimium prætenso nostro dedecore delectari.

CATHOLICUS. Tua hic unicè mihi in amore & desiderio est salus. Ita Apostolus, delinquentium, quos reprehenderat, non gaudebat tristitiâ; sed quia ad salutarem *contristati fuerant pœnitentiam*. Ut igitur Quesnelliani Articuli, quem attingere cœperamus, quadragesimi tertii, amplius pateat venenum, juverit conferre eumdem accuratiùs, cum damnatis aliquot Quietismi Propositionibus.

Quesnellus ait. *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeò ut spiritus, cor, sensus, non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Hunccine effectum in suo *spiritu*, in suo *corde*, in suis *sensibus*, novæ Ecclesiæ Sanctus hypocrita expertus est? sed prælucente Molinosio, eaque attribuentre *viæ suæ internæ*, quæ contemplatio acquisita est, adoptanda sibi censuit Quesnellus, ita ut *primum* eum statueret *Baptismalis gratiæ effectum*: unde necesse sit longè aliam & meliorem baptismalis in novâ Ecclesiâ operationem esse, vel inanissimè fingi, quàm in Romanâ.

Novi illius effectum baptismatis distinctiùs conferamus cumQuietistico *viç internç*. Molinos Propositione 55. *Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia ad purgandas & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil ampliùs sentitur, nihil: nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum; nec anima se amplius commoveri sinit*. In eo Quesnelli sententia commodior est Quietisticâ, quod posterior ad effectus tam mirabiles non perducat, nisi *cum multa sufferentia*: Prior eosdem solo conferat baptismate; & quidem statim, adeò ut *primus* illius *gratiæ effectus sit*.

Molinos Prop. 56. *Duæ leges & duæ cupiditates, anima una, & amoris proprii altera tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: undè quando hic purgatus est & mortuus, quod fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur ampliùs, ne quidem veniale peccatum*.

Idem author Prop. 57. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccatum, nec mortale, nec veniale*.

Prop. 59. *Via interna sejuncta est à Confessione, à confessariis, & à casibus conscientiæ*.

Prop. 60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt; & eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando reddit impossibilem ...... Hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere; quia id illis est impossibile*.

Prop. 62. *Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili*.

Prop. 63. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quin imò signum, quòd quis in statu nihilitatis maneat; id est, mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent ampliùs res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet*.

Prop. 38. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave est & infructuosum, ideoque dimittenda*; quia Crux illa voluntaria adhibetur mortificandis passionibus, quæ ut nullæ sunt in *via interna* Molinosii, ita & in Quesnellianâ Ecclesiâ *primus effectus gratiæ baptismalis est facere* (ut nullæ passiones sint) *ut moriamur peccato adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Undè non habet quod sibi metuat à carnis & mundi illecebris, atque ita extra peccandi periculum positus, confessione non indigens; quia *pervenit ad statum immobilem in pace imperturbabili*. Quid consirebitur qui Quesnelliani Baptismatis gratiâ donatus est, cujus *primus effectus sit facere ut moriamur peccato adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus hujus mundi*?

JANSENISTA: Commovebatur aliàs Belgium quibusdam nostrorum assertionibus: quales erant in libello cui titulus *Notitia necessaria ad confitendum & communicandum utiliter*. Ibi Humbertum Archiepiscopum Mechliniensem offendebat inter cætera, quod diceretur *esse in hac vita quidam status perfectionis, in quo non indigemus amplius confessione: neque in eo statu primi Christiani solebant confiteri*. Utinam hinc normam acciperent Christiani nostrorum temporum! Ægrè etiam tulit idem Archiepiscopus, & denuntiari voluit Sedi Apostolicæ anno 1692. excerptum illud ex *Moralibus speciminibus ÆgidiiGabrielis* p. 119. *Per statum firmum & immo-*

immobilem in virtute Christianâ homo judicari debet dignus Eucharistiâ.

Neque Alexander VIII. tolerandum censuit hunc Articulum 23, inter 31. *Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Suspicabantur scilicet Pontifex cum Romanis suis Consultoribus, & Archiepiscopus cum suis, semitam perfectionis ignorantibus Administris, vergere Dogmata istiusmodi ad abrogandum fere penitus usum Eucharistiæ; quasi status ille *firmus & immobilis in virtute Christianâ cum amore Dei purissimo & omnis mixtionis experte* vix in ullis reperiatur Fidelibus; verùm ista eorum offensio satis ostendit, versatos illos minimè fuisse in *viâ internâ* Michaëlis Molinos, neque initiatos baptismate Quesnelliano, quo mirabilis illa gratia confertur, cujus, ut vidimus, *Primus effectus est facere ut moriamur peccato adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus hujus mundi.*

Quid hominem sic constitutum impediat a statu firmo & immobili in virtute Christianâ, quid ab amore Dei purissimo & terrenorum experte affectuum?

CATHOLICUS: Meministi quales gratiæ ideas nos doceat Quesnellus?

JANSENISTA. Eas Lectoribus ingerit toties, tantâ figurarum & phrasium varietate ut ejus memoriam nobis excidere non sit facile. Num & illæ cum *viâ internâ* Molinosii congruunt?

CATHOLICUS. Tuum esto judicium. Prima Molinosii Propositio est: *Oportet hominem suas potentias annihilare, & hac est via interna.*

Prop. 2. *Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideò opus est, seipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

Prop. 3. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.*

Prop. 4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes & veram perfectionem.*

JANSENISTA: Intelligo quid velis; quia juxta Quesnelli Articulum 38. & quinque sequentes omnia opera naturalia, sive naturæ viribus elicita sine gratiâ sunt peccata, consonare istud ais Propositioni 4. ex Molinosio jam citatæ. *Activitas naturalis est gratiæ inimica* & 3. Quod *vota de aliquo faciendo sint perfectionis impeditiva*, colligitur ex toto Quesnelliano de gratiâ systemate, juxta quod cùm nulla detur gratia sufficiens inefficax, omnis autem efficax sit istiusmodi, ut neque impediri valeat, neque retardari: neque ut jam notatum est, ulla actio naturalis sit innocua, sed omnis ad nostram serviat *condemnationem*: cùm denique nullo modo a libertate hominis pendeat habere gratiam, apparet temerarium, obstringere se voto ad aliquod opus faciendum, quod fieri debeat ex gratiâ, ut a vitio eximatur.

CATHOLICUS. Mentem suam clariùs expressit Quesnelli prodromus ex eadem Oratorii Parisiis Congregatione Claudius Seguenotius libro de Virginitate: *vota* (inquit) *nihil addunt perfectionis: sunt tantum imperfectorum. Sæpè sunt impedimenta alio vocantis Dei: abusivè vocantur Consecrationes: obedientia non est opus consilii. Paupertas voluntaria ex voto, excluditur a paupertate Evangelicâ.*

In librum istum insurrexit Illustrissima Sorbona anno 1638. eundem Censuris gravibus condemnans: & nominatim de Propositione jam relata, quæ erat inter octo exceptas secunda, hoc tulit judicium: *Hæc doctrina, quam adstruit liber in præjudicium votorum Monasticorum, & depressionem status Regularium, non tantùm est destructiva Sancti Regularium status, & aversiva a proposito laudabilis vitæ Cœnobiticæ; verùm etiam falsa est, scandalosa, temeraria & erronea.* Existimant aliqui librum hunc a Sancyrano compositum fuisse, a Seguenotio autẽ adoptatum, de quo quidquid sit, Seguenotius & Sancyranus eodem anno in carceres conjecti sunt, prior Parisiensem *Bastillam*, posterior Vincennensem propè Parisios. Hi primitiæ Confessorum ac ferè Martyrum novæ Ecclesiæ fuerunt.

JANSENISTA. Quod Regularibus ab initio infensi fuerimus, frustra inficiabimur: luculentis nimium probationibus convincendi; Verumtamen in eorum præcipuè ruinam semper incubuimus, de quorum ad nos conversione satis prospeximus desperandum.

CATHOLICUS. Ideo Religiosis familiis, tenacibus potissimùm fidei & obedientiæ erga Christi Vicarium, insidiatos esse hæreticos, ex Historiis fit manifestum. Vix hæresios venenum spargere cœperat Lutherus, & obedientiam excutere Pontifici debitam, quin simul furere palam auditus sit contra Religiosos.

Inter 41. Articulos a Leone X. proscriptos coronidis instar fuit iste: *Prælati Ecclesiastici & Principes seculares non malè facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.* Sic Hæresiarcha, quasi immemor quod non solùm in vitâ Cœnobiticâ, sed etiam seculari

ex

ex *facco mendicitatis* fuerit sustentatus, ut ipse alibi de se ultrò scribere non erubuit.

Magis rabidè contra Religiosos omnes insaniit lib. de votis Monasticis. *Cupio* (inquiebat) *eradicata, extincta, & abolita esse universa Monasteria: quæ utinam Dominus igne, & sulphure Cœlesti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat, adeò ut ne memoria illorum quidem supersit.*

Wickleffus inter Articulos in Constantiensi Concilio damnatos hunc habuit 21. *Si quis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei: Est inhabilis ad perveniendum ad Regnum Cœlorum.*

Plures ibi non meliores Articuli sequuntur. Illos Wicleffus didicit ex scriptis Guillelmi de Sancto Amore Doctoris Parisiensis, quem Bernardus a Lutzemburgo Ordinis Sancti Dominici adscripsit Catalogo Hæreticorum: certè Angelicus Magister insigni censuit refutandum Apologiâ: uti & Sigerium ejusdem Academiæ Doctorem. Apologiæ aptissimum exordium est. *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus Sanctos tuos. Dixerunt: venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël ultra.*

Pontifex quoque Alexander IV. ad Parisienses Academicos scribens, graviter adversus Guillelmum illum expostulat; *non esse veritum ponere os in Cœlum contra Sedis Apostolicæ potestatem, adversus potestatem Pontificum, contra Ministeria Sacerdotum, contra statum & profectum Religiosorum virorum, maximè Prædicatorum & Minorum, quorum Sacra plantatio Sanctam fœcundat & venustat Ecclesiam.*

Tum prosequitur Pontifex contra eumdem Guillelmum, *reprobè dogmatizantem, & quantum in ipso fuit, disseminantem in Ecclesiâ unitatis, nefandi Schismatis pestem... ipsum tamen in sua rigidum pervicacia, eos, quorum animos incitare non desinit, temeritatis propriæ incentivo secum trahere in pertinacis obstinationis abyssum.*

JANSENISTA. Nimium atrox apparet imposita Quesnello nostro calumnia, quam ut tolerari a me silentio valeat, quasi non dissentire videatur ab Articulo Molinosii primo & secundo. Quid? An juxta ejus de gratia doctrinam *oportet hominem suas potentias annihilare*, neque *velle operari activè*; sed *seipsum in Deo & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime*? Oppositū declaravere Oratores nostri in libello supplici vulgò *trium columnarum*, quem obtulere Innocentio X. circa secundam è quinque famosis Propositionibus, sic enuntiatam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: circa hanc, inquam, Propositionem declaravere Oratores nostri, quòd sit *Hæretica, Calviniana, Lutherana & a Tridentino Concilio damnata* si hoc sensu intelligatur: *Interiori gratiæ efficaci in statu naturæ lapsæ eatenus nunquam resistitur, quatenus voluntas hominis respectu gratiæ efficacis merè passivè se habet, & velut inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur, nec liberè assentitur.*

CATHOLICUS. Quoniam ad eam me provocas dissertationem, obsequor non invitus. De libero arbitrio duriùs aliquando locuti fuerant Lutherus, & Calvinus; cùm nempè librum edidit Lutherus de *servo arbitrio*, & enarrationem in Psalmos, ubi resolutione circa Conclusionem 7. ait *liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re; quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare vel malum vel bonum; sed omnia (ut Wicleffi Articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate eveniunt.*

Lutherano huic Dogmati subscribere visus est Calvinus in Antidoto adversus Concilii Tridentini Sessionem 6. Can. 5. *De verbo* (inquit) *ne moveamus rixam; sed quia liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & absoluta, titulum sine re esse qui affirmant* (ut affirmantem jam vidimus Lutherum) *Christum habent authorem.*

JANSENISTA. Ex ore tuo te judico: utrumque refers Hæresiarcham negantem liberum arbitrium, asserentem operum omnium necessitatem. Nullam expressionem similem in nostris reperies: liberi arbitrii voce omnes utimur: a necessitatis vocabulo solicitè abstinemus.

CATOLICUS. Non abstinuit Magister vester Jansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 19. in ipso titulo *libertas arbitrii in peccando cum peccandi necessitate consistit.* Eodem libro cap. 18. *homo hic & nunc in singulis actibus quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate tenetur.* Præsente autem gratia victrice homo necessariò agit benè juxta notissimam Jansenii hypothesim, juxta quam perpetua lucta est gratiæ & concupiscientiæ: utriusque motus indeliberatus hominem allicit ad consentiendum; victor autem necessariò motus est, qui altero ardentior, juxta decantatum ab eo plus quàm centies axioma, *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

Pronuntiatum ab Augustino fuerat sensu verif-

verissimo de libera delectatione, sive electione voluntatis, cujus imperio omnes voluntati subditæ facultates obediunt necessariò; sed acceptum axioma perperam de indeliberata seu gratiæ seu concupiscientiæ delectatione, quàm necessariò sequatur voluntas ut consentiat; non potest non destruere humanam in omnibus tum bonis, tum malis actibus libertatem.

Quot autem studiis & lucubrationibus ab Arnaldo, Quesnello, Gerberonio, Ægidio de Witte, aliàs Candido propugnata est, & in hunc usque diem ab eorum Sectatoribus Janseniana hypothesis defenditur?

Et quidem ut homo se contineat à malis actibus, nullam in eo potestatem esse, nihil vitium juxta Quesnelli Articulum 39. & plures ibi sequentes vidimus sæpius verbis ejus maximè didacticè expressum. Nihil pariter facultatis aut virium esse in homine ut gratiæ motibus dissentiat, asserit Quesnellus multis Propositionibus iisque clarissimis: inter quas decima nulli apparet obnoxia cavillationi *Gratia est manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.* Prop. 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invicibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, & imitatio operationis Dei Incarnantis & resuscitantis Filium suum.* Prop. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam qua Creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam.* Prop. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.*

JANSENISTA. Quæcunque in Propositionibus istis duriusculè sonant, non in rigore grammatico accipienda sunt, sed cum discretione quam charitas postulat, & in SS. Patrum lectione sæpius necessaria est.

CATHOLICUS. Authoritas Patrum & perspecta aliundè in ipsis fidei integritas, erga Ecclesiam submissio & sanctimonia singularis, hanc meretur reverentiam, ut quædam ab ipsis duriùs enuntiata, benigniùs interpretemur juxta ea quæ scripsere alibi clariùs, receptæ communiter apud Patres cæteros doctrinæ conformia: non enim unius solùm verba sententiæ attendenda sunt, sed circumstantiæ simul authoris, materiæ, scripturnque alibi: verùm omnia benignori hic viam obstruunt explicationi. Quesnellus enim inveteratâ in erroribus, etiam hæreticis pertinaciâ, contemptu publico authoritatis omnis Ecclesiasticæ, Regiæ & Civilis, maledicentiâ adversus omne genus hominum, calumniis adversus ipsam Christi Ecclesiam, istud sibi apud omnes promeritus videtur, ut nemo, nisi imprudentissimus, nunc saltem, à Schismatico & Hæretico spiritu sensum ejus valeat vindicare.

Proindè circumstantia authoris adeò non postulat enuntiatorû ab eo Dogmatum intelligentiam benignorem, ut potiùs reclament universa, rigidamque persuadeant sermonis impii, & hæretici expositionem. Alioquin vix hæreticum repeties, antequam aperto schismate discessionem ab Ecclesia professus est, cujus Dogmata quantumvis sacrilega, non oporteat mitiore commentario à pravis sensibus excusare.

Denique quis sano & Catholico sensui locus relinquitur, ubi violatio libertatis, & necessitatis inductio per gratiam, tantâ exprimitur claritate & energiâ, tot figuris & phrasibus inculcatur, ut futilis nimium vitilitigator habendus sit, qui in alium hæc omnia detorquere sensum voluerit, quam necessitatis propriè dictæ, quæ bonis actibus a gratia infertur?

Quid enim ad necessitatem requiras ampliùs, quàm quòd omnis concessa nobis per Christum gratia sit *invicibilis*, *sit imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum: quod Deus volens nobis ideam tradere omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significaverit per illam qua Creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam: quod justa idea quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, sit imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*?

Evidentissimum est in tota hac hypothesi libertatem hominibus nullam esse, ut effectum gratiæ *impediant aut retardent*.

Quando Christus puero Centurionis valetudinem reddidit, quænam ad eam libera fuit pueri cooperatio? quam conferunt mortui operam & quidem libere ut resurgant? Denique num aliquis insanit adeò ut existimet, Creaturas antequam essent, egisse quidpiam vel agere potuisse ut producerentur è nihilo, vel mortuos sua cooperatione libera resuscitari?

Tales ideæ nobis Quesnelli seu imperitiâ seu malevolentiâ præscriptæ ad cognoscendam gratiæ efficaciam & modum operationis, necesse est lectoribus sensum ingerant deteriorem, quàm nos erroneo ipsius & manifestè hæretico systemati voluimus imputatum.

Indicant enim illæ, si verba propriè & sensu

sensu obvio intelliguntur, quod sicut in eductione Creaturæ ex nihilo nulla prorsus ejus cooperatio fuit, sicut etiam nulla *in resuscitatione*, vel sanatione quam Deus solo motu voluntatis suæ facit, sic quoque nulla prorsus cooperatio animarum fit in spirituali creatione justitiæ vel resuscitatione animæ ab interitu, quem intulerat peccatum. Benigniùs cum Quesnello agere volumus, ejusque Articulos minùs crudè, quam in rigore enuncient, interpretari, ut non omnem penitus hominibus concursum denegent; sed liberum solùmmodo.

JANSENISTA. Quantumlibet fortiter & durè quodammodo sensum suum Quesnellus exprimat in adductis à te Propositionibus; animus tamen ejus Catholicus satis ostenditur Art. 22. quem callidè præteris: *Concordia* (inquit) *Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in incarnatione veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio*.

CATHOLICUS. Eundem sensum, quem in Propositione 21. vidimus, continet etiam hæc 22. sed minùs dilucidè; in qua videtur author tenebras studiosiùs sectatus; non ita tamen occultari iniquitas potuit; quin satis emicuerit ad censuram. Si nempè melior non sit concordia operationum gratiæ *cum libero voluntatis consensu*, quam fuerit incarnationis cum assensu libero humanitatis, quem constat nullum fuisse, cùm antequam à Dei filio assumeretur humanitas, ipsa non fuerit, ac proindè consentire liberè non potuerit aut cooperari.

Quoniam verò arridet vobis tantoperè in eo Quesnelli Articulo expressio *Consensus liberi*, noveris eâ minimè auferri necessitatem propriè dictam; sed huic malitiæ superaddi alteram à tribus Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. in trigesimonono Baji Articulo condemnatam: *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit*.

Ne itaque inani deludaris æquivoco; libertatis nomine intelligitur non ea solùm quæ immunitas à coactione est, sed etiam exempta à simplici necessitate. Hoc sensu libertatem negavere hæretici, eosque secutus proximè cum suis Jansenius; neutri autem priorem illam, quæ nullis voluntatis actibus valeat auferri. Coactio enim vis extrinsecus illata est, nihil conferente passo: quam rationem nulli posse voluntatis actui competere, perspicuum est, cùm aliàs voluntas vellet ex supposito, & tamen non vellet quia velle eam absque sua volitione seu actione haud posse, quis non videat?

Non igitur magnum aliquod, vel quo ab hæreticis discernamini admittitis, asserendo nostris actibus libertatem, quamdiu non aliam intelligitis, quam quæ eximitur à coactione.

Libertas istiusmodi non displicuit Calvino lib. 2. Institut. cap. 2. *liberi ergo* (inquit) *arbitrii hoc modo dicetur homo; non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem; sed quia malè voluntate agit non coactione. optimè id quidem &c.* Lib. 2. de libero arbitrio *si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse & fateor, & constanter assevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat*. Lutherus Tomo 3. de servo arbitrio: *sequitur, necessariò nos operari, necessariò dico, non coactè*: & apud Bellarminum lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. Bucerus Lutheri discipulus Magistrum suum sic explicat, *quod solam libertatem a necessitate negaverit; sed libertatem concesserit a coactione*.

JANSENISTA. Aliqua tamen nostrorum erga Definitiones Pontificias reverentia est, quod post illas à necessitatis vocabulo communiter abstineant, saltem in publico, libertatem simpliciter actibus nostris attribuentes.

CATHOLICUS. Egregia profectò vestrorum ista Religio est, erga Sedem Apostolicam atque Ecclesiam obedientia, quando in illius gratiam abstinetis saltem in publico à damnatorum Dogmatum vocibus, contenti Synonimis, quæ omnium judicio damnatis æquivalent, sicut qui negasset antea Christum esse verum hominem, post Ecclesiæ definitionem, profiteretur se authoritatem Ecclesiæ venerari, ideoque inposterum velle ab enuntiationis prohibitæ vocibus se continere, non inficiando amplius Christum esse *hominem*; sed tantummodo negando esse *animal rationale*, cum existimare pergat Christum corpus assumpsisse mere phantasticum, atque adeò *hominem* esse, sed tantum imaginarium.

In hoc itaque terminatur vestra erga Ecclesiam submissio, quod suppressis damnatorum dogmatum vocibus, adhibeatis tantummodo æquivalentes: Ita cuiliber hæreticorum cœtui perfacilis videbitur sua cum Christi sponsa conjunctio, ipsiusque quodammodo Christi unio cum Belial. Sic brevi Ecclesia coaluerit ex hæreticorum sectis, etiam sibi invicem maximè oppositis, dummodò in eundem utcunque torquere labia voluerint

rint sermonem, quem soli loquentes intelligerent.

Hoc modo *Turris Babiloniea* calumniosissima appellatio, quam infamis Jansenistarum mappa Regno impegit Christianissimo, in omnem facile derivaretur Ecclesiam. Sed non sectis omnibus Jansenianam lubet imitari perfidiam.

Benè quoque habet, quòd ad eam elidendam, ne Sponsa Christi credula novatorum circumveniatur insidiis, Divina disponat Providentia; ut quam fovent animo novi hæretici impietatem, atque inter se nocturnis diurnisque agitant machinationibus, aut alicujus inter eos minus callidi erumpere foras imprudentiâ sinat, aut exploratoris Catholici vigilantia in lucem pertrahat, antequam intentata animis pernicies inferatur.

Sic Duacensibus Arnaldi & Quesnelli clientibus contigit, qui postquam Atrebatensis Episcopi obsequentes monitis, professi fuerant Thomisticam cum gratia libertatem, totosque vocibus se Thomistas finxerant, stratagemate deprehensi sunt, nihil minus quam scholæ istius Catholicæ complecti animo sententias; sed in Jansenio damnatam hæresios retinere mordicùs necessitatem, cum merito junctam ac demerito.

JANSENISTA. Quod stratagema vocas, nobis fraus nimiùm detestabilis est, & Christianæ minimè congrua simplicitati.

CATHOLICUS. Nulla mihi de honestate actus vel iniquitate contentio est: neque te latet nefariam conspirationem adversus Principem, Rempublicam, maximè adversus Ecclesiam, etsi dolo aliquo detectam, non excusari propterea à gravissimo perduellionis crimine. Culpâ non caruerit vafrities proditoris; Hæresim tamen ipse non fecit, sed ad exitium Ecclesiæ clanculum serpentem, insidiantemque, ne nocere pergeret, detexit.

Illic à fictitio Arnaldo proposita cernimus Janseniani systematis Dogmata præcipua; atque à veris Arnaldi & Jansenii Sectatoribus adamata: amplexi sunt ea avidè, plenam inde sibi de Pontificiis contra Jansenium definitionibus polliciti victoriam; si fieri posset ut in Ecclesia prævalerent.

Ibi pro Jansenio contra Innocentium X. & Alexandrum VII. asseritur Articulo 1. *Gratiam efficacem esse necessariam ut quis verè & propriè possit opera bona exercere, tentationes superare*, atque ita præcepta Dei esse verè & propriè observatu impossibilia, quoties non adimplentur: quæ hæresis inter quinque Jansenianas prima est.

Arnaldi fictitii Articulus secundus erat: *Qui gratiam aliquam sufficientem ab efficaci distinctam in hunc amissæ innocentiæ statum invehunt, mirum, quantum ab Augustini mente deficiant*: dicere oportuit à mente Jansenii, qui Propositione 2. ait: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Cùm omnis gratia, ne inutilis detur & frustranea, sit efficax aut sufficens, neque resistat aliquis efficaci, superest ut vel resistat sufficienti, vel nulli prorsus gratiæ resistere censeatur.

Inde fictitius Arnaldus progreditur ad Articulum suum 3. *At quid de gratia sufficiente sensu Thomistico? Minùs displicet; quia nisi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloso tempore occultandis gratiæ Evangelicæ mysteriis est peridonea: interim cùm vox illa & res voce expressa purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit, illam meritò ex sana Theologia relegandam judicamus.* Quidquid itaque blanditiarum aliàs Janseniani simulent ad devinciendam sibi Scholam Thomisticam, evidens est eos neque Doctrinam ejus admittere, neque voces; nisi sensu *alieno*, sive opposito ei qui verbis exprimitur. Istud autem nos proprio nomine vocamus restringere mentaliter; & proptissimè mentiri, ac fallere.

Post Articulum 4. & 5. huc non adeò dilucidè pertinentem, aggreditur Arnaldus ille fictitius Articulo 6. *bicornem voluntatis indifferentiam, & Aristotelicæ libertatis definitionem: libertas est potentia quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere. Cave* (inquit) *ad sensum divisum, & compositum, aut ad indifferentiam judicii confugias: vana enim sunt illa Neotericorum effugia, declinandis Semipelagianorum terriculamentis male adinventa. Satius igitur nobis videtur, & Sancti Augustini principiis conformius, ejusmodi libertatem in flexibili ad libitum voluntatis indifferentia, & in expedita ad utrumlibet potentia consistentem, post peccatum Adæ prorsus rejicere*, in actibus sive malis, sive bonis; ut consentiatur Propositioni tertiæ Jansenii hæreticæ: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à coactione.*

Huic accommodatum voluit author Articulum suum 7. *Inferet* (inquit) *necessitatem induci in actiones humanas. Apage inania illa consectaria, centies ex famosis quinque* (Jansenii) *Propositionibus perperam accersita, & centies explosa. Necessitatem quidem naturæ & immutabilitatis in hoc viatoris statu abhorremus; aliam verò quamlibet necessitatem, nihil est quod reformidemus.*

Inter necessitates *mutabiles*, quas Janseniani se minimè reformidare asserunt, est nece-

necessitas orta secundùm illos ex victrice delectatione, sive gratiæ, sive concupiscentiæ, prout alterutrius ardorem magis intensum esse contigerit, vel remissum; quia juxta vulgatissimam Jansenii sententiam, *quod ampliùs nos delectat* delectatione indeliberata, *secundùm id operemur*, & deliberate *velimus necesse est*.

JANSENISTA. Sic illuditur justorum simplicitati. Credebant bona fide Duacenses illi Theologi, ad quos dirigebantur approbandæ solemniter Theses septem, negotium sibi cum Arnaldo esse; ideò minùs verebantur ei animorum intima pandere. Quid enim viro tanto non confiderent, & quis dubitare potuit quin ab Antonio Arnaldo Epistolæ proficiscerentur, quas non solùm nominis ejus literæ initiales *A.A.* sed omnes illum indicare circumstantiæ videbantur?

CATHOLICUS. Imò quis nesciat literas illas innumeris posse nominibus convenire? Tam parum autem dexterè Epistolarum author simulavit se Arnaldum, ut hic miratus plurimùm fuerit, homines linguæ Gallicæ non imperitos, attribuere sibi potuisse Epistolas scriptas idiomate & stylo adeò ineleganti; sed novitatis amor miseros obcœcavit, permittente Deo ad sistendum in Academia, aliàs probè Catholica, hæresios progressum.

Pestis enim illa ab Arnaldi in Belgium adventu serpere illic cœpit ut cancer quotidie latiùs, neque multum aberat quin Academiam illam pessumdaret, corruptissimo inprimis Cancellario, quem infamia publica, repetitum aliquoties exilium, ac tandem carcer, nescio an ad saniorem cum Divina gratia mentem reducere saltem in vitæ termino potuerint.

Ipsius doctrina, quam in scholis publicè dictaverat summo scandalo, nec levi pernicie multorum, velut apertè hæretica condemnata tum à sorbonicis, tum à faventibus sibi aliàs Episcopis Atrebatensi & Tornaceno; damnata, inquam, fuerat, & author in exilium pulsus, antequam memorato initium datum est stratagemati.

Denique quidquid de hujus inventore sit, quidquid de exequendi modo, nullus ibi Catholicus dubitat, quin ad fidei in Belgio integritatem plurimum conduxerit Jansenianę in Duacensibus perfidię, & totius contra Ecclesiam molitionis detectio; unde potestatis utriusque Pontificiæ & Regiæ excitata magis religiosa vigilantia fuit, & major adhibita attentio. Additus etiam postea fortior stimulus fuit quando Gerberon, Quesnellus, Brigodius cum universa supellectile literaria, quod novæ armamentarium hæresios præcipuum erat, a Mechliniensi Archiepiscopo intercepti sunt. Partem armamentarii illius non minimam, & detegendo iniquitatis mysterio sufficientem exhibet Processus Juridicus, seu *Causa Quesnelliana* ab Episcopo Brugensi, tunc Archiepiscopi Mechliniensis Vicario edita, ex Documentis maximè authenticis: sed de prætensis istiusmodi *Prædicatoribus veritatis* differendi recurret occasio, & locus magis proprius sequenti Propositione.

Hactenus autem me satis evicisse arbitror, Quesnelli Dogmata, quibus nova Secta ab Ecclesia nostra discernitur, meritò fidelibus *linguam esse quasi peregrinam*, optandumque, ut quoties à Novatoribus prædicari similia contigerit, non aliter excipiantur quam veluti *idioma*, quod semper esse debuerit, non tantum *plerisque*; sed omnibus *Christianis incognitum*; imò quod horrorem pariat ac detestationem, ut à Christi Vicario salubriter moniti sumus, cujus judicium universa sequitur commissa Petro Ecclesia.

JANSENISTA. Ecclesiam desine vobis attribuere universam. Quid enim? Nulline dissentiunt à Pontifice, & ei adhærentibus Doctores magni atque Antistites?

CATHOLICUS: Variæ hæreticorum Sectæ numeravere asseclas multo plures, & in nullo forsitan vestris Doctribus atque Episcopis inferiores, quos justo Dei judicio datos in reprobum sensum, universa suo juncta Capiti Ecclesia à se inposterum abdicavit, & repulit ut extraneos, quin ut adversarios abominata est. De hoc plura & liberius scripsere nuper Gallicani quidam Theologi, etiam magni nominis Antistites: nos præcipua Quesnelliani systematis capita, quatuor Dialogis agitavimus, quantum eruditioni tuæ sufficere potest & saluti: accuratiùs & fortiùs obtrita reperies tomis quatuor *Constitutionis Thologicè propugnatæ*. Hos quidem verisimile est te non legisse, at saltem ex iis quę colloquendo discussimus, facilè perspicere potuisti, ea puncta, quibus à Quesnelli *observationibus* receditur, non esse talia, ob quæ Ecclesia *senio* deficere, & *propè interitum* esse dicenda sit, aut *iram Dei in suos filios* provocare. Dimitte itaque inanissimas difficultatum umbras: projice larvam fictitiæ Religionis, dicens inposterum potiùs cum S. Augustino Epistola 157. *In verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit dubitare Christianis*: Innocentium XIII. alloquamur singuli ut S. Hieronymus Epist. 57. Pontificem Damasum. *Ego Beatitudini tuæ, id est Cathedrę Petri, communione consocior: super illam Pe-*

Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit profanus est. Si quis in Arca non fuerit, peribit, regnante diluvio. Quicunque tecum non colligit, dispergit: hoc est qui Christi non est, Antichristi est. Terrifica indubiè tanti Patris sententia est adversus omnes Constitutioni *Unigenitus* pertinaciter obluctantes, quos Apostolica Sedes à sua monuit esse communione secretos. Non minùs horrorem incutit, quod apud Venerabilem Bedam lib. 3. Hist. Angl. cap. 25. perquàm catholicè asseruisse legitur Osuvius Rex Saxonum de RomanoPontifice, esse eum *Ostiarium, cujus obediendum est statutis, ne advenientibus ad fores Regni Cælorum, non sit qui reseret, averso illo, qui claves tenere probatur.*

CAPUT XI.

Impacta Ecclesiæ calumnia, authori in primis propudiosa, & Galliæ Regno injuria ostenditur.

LAudabilis amor Patriæ est, & natus indè ardor, quamlibet ab ea propulsandi injuriam; Singulare tamen à Christiano, præcipuè Sacerdote, exigere videtur officii debitum, ut Ecclesiam in qua Christo Baptismate renatus est, detestabili non sinat maculari infamiâ; multò autem magis, ne eam ipse iniquissimè inferat. Ratio hęc paulò aliter, & vocari solito *argumento ad hominem*, deducitur ab Augustino Michel acris ingenij Theologo Germano, Serenissimi Electoris Coloniensis, & Celsissimi Principis Episcopi Frisingensis Consiliario, in *Confutatione infamis libri &c.* Pag. 244. *Redundat* (inquit) *impactus propudiosus neglectus (veritatis, & ejus prædicationis) præcipuè in Summum Pontificem, & Episcopos, qui ad tantam, universalem, Ecclesiæ damnosissimam negligentiam desides, & incurii connivent, quod equidem nemo asseret, nisi meditatâ malitiâ velit esse apertus, & effrons Ecclesiæ Dei Calumniator. Jure igitur hæc Propositio ad minùs ut falsa, temeraria, captiosa & scandalosa condemnationem subiit.*

„ Aliam longè nobis ideam de zelosissimo „ Clero Gallicano hactenùs formavimus, & „ concipimus etiamnum; quòd nimirum „ communiter tum concionando, tum cate- „ chizando, ejusmodi imbecillitati plebis „ sibi commissæ accommodâ methodo utan- „ tur, ut ovibus peregrina non sit notitia „ Divini Verbi, Præceptorum Dei, & Ec- „ clesię, Sacramentorum &c. Et tamen con- „ trariam prorsùs de vobis opinionem, Viri „ Zelotæ, nobis imprimere satagit injurius „ Quesnellus; dum in expositione suâ, ab „ experientia, ut ait, vos criminatur, in „ concionando vanam gloriam aucupari, „ ostentatores esse supra captum Fidelium, „ philosophantes &c. Nam cùm appellet ad „ quotidianam experientiam, utique ad eam „ maximè appellat, quæ est suæmet Patrię „ Ubicunque enim extra Gallias degere, Quesnellum contigit in Provinciis Catholicis, lucem solicitè fugere coactus est, ne agnitus comprehenderetur.

Prosequentem audiamus Theologum, & Consiliarium Germanum. „ Sic Propositio „ damnata, & calumniatrix, exponente ip- „ so Quesnello, præcipuè tangit vos de in- „ signi Clero Galliæ; nam ab experientiâ, „ & consuetudine vivendi vos Calumniato- „ ri notissimi estis, & sive vestrâ, ut præten- „ dit, socordiâ, sive vanæ ostentationis stu- „ dio, Ecclesiæ mastyx concipit universa- „ lem negligentiam prędicandi ritè, & acco- „ modato ad Fidelium captum sermone Ver- „ bum Divinum, ac veritatem Evange- „ licam.

„ Vestrâ igitur culpâ, ò Viri de Clero „ Gallicano, quam experientiâ ptopinquio- „ re didicit Quesnellus, *vestrâ corruptâ di- „ cendi ratione, quæ hodiè in vestras conciones „ irrupit, plena ambitiosæ pompæ, & luxu- „ riosi ornatûs; multùm sanè abhorrescente „ ab antiquâ illâ simplicitate, usurpatâ quon- „ dam à Sanctis Episcopis, & Apostolicis „ Prædicatoribus, qui in erudiendis Fideli- „ bus, ea tantùm quærebant, quæ pietatem „ alerent, animosque imbuerent solidâ cogni- „ tione Religionis, nec plausus, & admira- „ tiones concitare gestiebant, aut arduâ sub- „ limitate, aut elegantiori concinnitate ser- „ monum, quibus Christianæ veritates, ve- „ lut obrutæ plerumque obscurantur, aut ex „ animis evanescunt, captum aut intelligen- „ tiam audientium superant.* Verba ista Ques- „ nelli sunt in *Protestatione* Pag. 342.

Pergit Germanus. „ Denique juxta „ Quesnellum eo devenerunt veritates, ut „ sint lingua quasi peregrina plerisque Chri- „ stianis, & veluti idioma incognitum, prę- „ sertim Gallis. Vos Viri de Clero Gallica- „ no cum reliquis Christiani Orbis Pastori- „ bus, communiter, ut quidem Quesnellus „ Protestationis pag. 336. ait: *Cibo concoctu „ difficili, nec apto eorum stomacho, Fideles „ nutritis, ut sic fame pereant, quia non est, „ qui parvulis frangat panem.*

„ Hem; quàm præclarum vestri, imò to- „ tius Cleri Catholici Ectypon, accommo- „ datissimum risui, despectui, & scandalo Hete-

„ Heterodoxorum, & quidem universale „ exhibeat Orbi conterraneus vester Quesnellus; ut totus demiretur, vel unum inclytæ Galliæ Sacerdotem reperiri, qui gratiâ calumniatoris, adeò sordidi, placita Sanctæ Sedis derelinquere, sepositâ juratâ obedientiâ, execrabilem appellationem ad futurum Concilium interponere, in animum inducat.

Ut autem non Clerus solummodò Gallicanus, & totus ordo Ecclesiasticus, sed universi etiam Regni tum Proceres, tum inferioris notæ, & utriusque sexûs homines indignationem concipiant adversus calumniam tanto magis execrabilem, quanto in Ecclesiam universam graviore extenditur Sacrilegio, Germanus Consiliarius præscindens tantisper à reliquis Christiani Orbis partibus, considerari calumniam unicè à natione Gallicâ desiderat, in quantum Christianissimi Regis ditionibus contumeliosa est, & maximè injusta.

Sui itaque vim argumenti, & Quesnellianæ crimen contumeliæ, ut lectori faciliùs demonstret; undè quilibet Gallici nominis, atque honoris amans, vehementiore in eam exardescat odio, verba totam maculantia Ecclesiam, soli accommodat Gallieanæ; ità Quesnellum de ea exhibens enunciantem:

Veritates eo devenerunt, ut sint quasi lingua peregrina plerisque Gallis, & modus eas prædicandi est velut incognitum idioma: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum Fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Galliæ (juxta expositionem Apostolicam *vergentis ad interitum*) *& iræ Dei in Gallos.*

His positis „ Experire (inquit) Quesnelle quo judicio à Regno Franciæ excipienda sit probrosissima assertio, Procùl dubio reus ageris læsæ Majestatis, quam, cum subjecto Francorum populo describis exulem ab omni veritate. Reus ageris extremi contemptus totius inclytę nationis. Quantùm excandescerent summi, & infimi, quòd florentissimo Regno talia exprobres, secuturum brevi ejus interitum Propheta malèsane denuntians! „

„ Si igitur infensissimo animo, & spirante gravissimam vindictam, hujusmodi vilipendium Regis, & totiùs gentis ferrent, & meritò Curiæ Supremæ; an ferat Sancta Mater Ecclesia, quæ in veritate fundata est, quæ columna est, & firmamentum veritatis: cujus Sceptrum, & Regnum veritas est, semet cum suo capite, Vicario Christi, cum Clero majori, & minori, cum toto populo Christiano, tantopere remotam à veritate pronuntiari, ut sit ei *lingua peregrina, & idioma incognitum*? An tam generalis, tam despectuosa, tam scandalosa Propositio commerita non sit, ut publicâ Ecclesiæ proscriptione aboleatur? Certè propudiosius non poterat Quesnellus tractare integrum cœtum Primorum, & Subalternorum Pastorum, quàm pronuntiando degenerasse eum quodammodo universum ab exemplo Dei apud Isaiam cap. 48. *Dominus Deus tuus, docens te utilia*: ab exemplo Prædicatoris gentium ad *Rom. cap.* 1. *Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum &c.*

Verùm, quod in omnibus passim Regni, aut Reipublicæ cujuscunque calamitatibus, idem ferè in universâ hodie accidere Ecclesiâ experimur, ut plurimos mala communia minùs afficiant, quàm privata. Gravissimæ adversus Ecclesiam calumniæ parùm aliquos commovent, qui in privatis injuriis, & levioribus contra se contumeliis, minimè patientes sunt.

Illustrissimam Sorbonam, quæ sanioris doctrinæ, & definitionum Apostolicarum fortissima hactenùs propugnatrix, summam apud Nationes, etiam remotas famam sibi meritò acquisiverat, & gloriam, vidimus nuper, & vehementer doluimus, Constitutionem *Unigenitus* tantâ condiram sapientiâ, tam utilem Ecclesiæ, tam necessariam, appellatione publicâ rejecisse, etiam postquam eandem visa fuerat, reliquæ exemplo Christianæ Ecclesiæ, religiosâ obedientiâ acceptare.

At quando Theologi isti Constitutionem ipsam, & condemnatos in ea Articulos suo temerè præsumpserunt subjicere examini, num aliquorum saltèm ab iis laudata condemnatio est, & quidem præsentis, cujus iniquitas adeò manifesta, & pernicies detestabilis? Restitutis potiùs Propositionibus, damnabilis istis judicibus Constitutio visa fuit ob rationes non præteritas silentio in appellatione. Quales autem illæ sint; etsi non susceperim hactenùs destinato consilio examinandas; neminem tamen refugio arbitrum, vel ex ipsis Sorbonicis Doctorem, cuicunque illas lubuerit, sepositis affectibus, & præjudicijs, cum præsenti conferre *propugnatione Theologicâ Constitutionis.*

Hic interim dissimulate nequeo admirationem, quòd ex adversariis tot perspicacibus, & qui videri voluerint, zelo præditi religionis, nemo detexerit, certè nemo aversatus publicè fuerit hujus Articuli pravitatem,

tem, in totius Ecclesiæ dedecus, & scandalum, etiam infidelium redundantem.

Quid enim, si calumniam Ecclesiæ intortam universæ, ad solam restringerent Sorbonam, mitigatione, ut credetent non exigua dicentes *eo devenisse veritates in facultate Sorbonicâ, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Doctoribus, & Discipulis, & modus eas tradendi sit veluti idioma incognitum; adeò remotus à modo eas tractandi usitato ab Apostolis, à Sanctis Patribus, & primis illius Academiæ Fundatoribus, ac Magistris; adeò quoque sit supra communem intelligentiam Discipulorum? Neque satis advertitur, quòd hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Sorbonæ vergentis ad interitum, & iræ Dei adversus illam.*

Estne verisimile, quod talis enunciatio, si decantari eam publicè Parisiis contingeret à noto illic authore typis editam, non apparetet clarissimæ Academiæ Rectoribus, atque vindicibus reprimenda?

Non faciliùs in animum meum induxero, ut credam, haud ægrè laturum Antistitem talia in suam jactata temerè Diœcesim: indignatione meritò, atque horrore concuteretur Franciæ Metropolis; si aliquorum ibi tumultuantium Novatorum eò prosiliret audacia, ut è pulpitis declamare publicè, & typo editis lucubrationibus divulgare præsumerent, *veritates eò devenisse in Parisiensium Diœcesi, ut sint lingua quasi peregrina plerisque illic Christianis, & modus eas prædicandi sit veluti idioma incognitum; adeò remotus à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis adverti, quòd hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Diœceseos illius* (ad interitum ptoperantis) *& iræ Dei in illam.*

Foretne autem rationi consentaneum aut justitiæ, ut, qui Diœcesios unius, vel Academiæ tantopere honore tangitur, dolens adeò propter aspersam immeritæ infamiam, eandem nihilominùs communi Fidelium cœtui, Matri nostræ Sanctissimæ intortam, absque ullo doloris indicio dissimulandam statueret, imò non tolerandam solummodò; sed ab omni etiam censurarum scuticâ vindicandam?

Undè confirmor maximè in suspicione, quam etuere nunquam ex animo potui, de quorumdam uni alterive Episcopo Assistentium Ministrorum perfidiâ, quibus commissa fuerit Quesnelliani Operis discussio, antequam illud Episcopus approbaret; vel admodum negligentes fuerint in illo examine, vel ipsi potius addicti novitatibus, commodissimâ sibi plauserint opportunitate, eas Episcopali suffragio stabiliendi.

Quidquid igitur horridum atque damnabile apparere Præsuli potuisset, cognitioni ejus, subdolo subtrahendum silentio statuerunt Consultores perfidi; quomodo enim aliàs fieri poterat, ut non solummodò propudiosa adeò adversus Christi Ecclesiam sententia approbaretur; Sed præter eam plutimæ, quæ tum in Bajo, tum in Jansenio, variorum pridem Pontificum fuerant anathemate profligatæ, atque ipsius Antistitis sæpiùs reprobatæ judicio?

Propositio Damnata nonagesima sexta.

Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ. *Obscrv. Mor. in Act. Apost. cap. 17. v. 8.*

CAPUT PRIMUM.

Propositio non minùs scandalosa in adulando, quàm in calumniando execrabilis convincitur.

NON opus est examine, non conjecturâ, ut assequamur, quos intelligi à nobis Quesnellus cupiat *veritatis Prædicatoribus* infestos; aperta & generalis enuntiatio constitutos in Potestate complectitur universos, *omnes*, inquit Quesnellus, *Potestates*, nullâ exceptâ sive Ecclesiasticâ, sive Laicâ, sive Supremâ, sive Subalternâ, *veritatis Prædicatoribus sunt contrariæ.*

Infidelitatis quidem tempote nata Christi Ecclesia, diù multis exposita persecutionibus fuit, sæviente tytannide Paganorum; postea tamen emolliente Deo, & convertente corda Principum; sub horum patrocinio, & protectione veritas ubique triumphare cœpit, & Prædicantium laboribus Ecclesia feliciter propagari; nisi quod Mahumeti, & Hæreticorum perfidia plures in errotem Provincias abstraxerit, & Regiones.

Verùm nescio quid persecutionis novę, & hactenùs inauditæ, Janseniani hodiè lachrymosis questibus comminiscantur. *Deus* hoc

hoc tempore, si Quesnello credimus, *permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

Inauditam hactenus persecutionem voco; quià etiam Paganis initio ubique prævalentibus, non tamen deerant Ecclesiasticæ Potestates, pro veritate Evangelicâ constantissimè decertantes, mortemque pro ejus defensione subeuntes atrocissimam. Præsenti verò tempore luctuosa præ cæteris persecutio commemoratur Antistitum, & Præpositorum omnium non solâ à fide Catholicâ defectione; Sed in ejus quoque conspiratione perniciem.

Supervacaneam denique positurus operam videbitur; Si quis inquirere studiosiùs voluerit, quos hîc *veritatis Prædicatores* adversarius intelligat: omnes scilicèt circumstantiæ loquuntur, non alios indicari, quàm ipsum cum sibi adhærentibus, persecutionis denuntiatorem. Ubinam enim juxtà novos istiusmodi Augustini Discipulos, extra novam Ecclesiam veritas reperitur, ubi ejus, quales oportet Quesnelli judicio Prædicatores?

Veritatem ab omnibus Christiani Orbis Universitatibus exulare, vel penès paucos alicubi trepidos afflictam delitescere, lugens clamitat Ægidius de Witte in *Augustino Iprensi vindicato atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X. Alexandri VII., Clementis XI. erepto, & eruto*, par. 2. cap. 8. occasione Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth* ait " Eccè Accademia Lovaniensis, arx illa quondam Divinæ gratiæ inclyta, & illustris, ad Vaticanum tonitru turpissimâ ignaviâ cecidit.

„ Sorbona Parisiensis, & ipsa quoque ante hac plus cæteris Orbis Universitatibus à Pelagianâ peste immunis, heu! quantum in colore suo optimo immutari cæpit, dùm magni Antonij Arnaldi secundam Epistolam injustissimâ Censurâ percussit, virumque marmoreâ statuâ in Sorbonici Collegii area decorandum, è suo Senatu ejicere (velut hæreticum) non exhorruit. *Quid facient tabulæ, si tremunt columnæ? Quomodo virgulta immobilia stabunt; si hujus tempestatis turbine etiam Cedri quatiuntur?* Inquiebat S. Gregorius lib. 24. Moralium.

„ De languore aliorum Galliç Antistitum, & de corrruptione reliquarum ejusdem Regni Academiarum ex Parisiensi Urbe non difficilis est conjectura; præsertim cùm illic in Aulâ Regiâ desideat Molinisticum Numen, à cujus potissimùm arbitratu Beneficiorum Ecclesiasticorum oleum in capita ambientium, aut latentium Luporum fluit.

„ In Germaniâ Academiam Viennensem, Ingolstadiensem, Græcensem, Dilinganam, Wirtzburgensem, Moguntinam, Trevirensem, in Lotharingiâ Mussipontanam Molinismus sibi faventes admodum habere dicitur. Nec meliora reor de Poloniç, Lusitaniæ, Italiæ; ac pejora multò de Asiæ, vel Americæ scholis publicis „.

Molinismi nomine ab Ægidio intelligi hæresim à Pelagianâ inseparabilem, legimus ipso capite. " Si [inquit] secundum Sanctç Religionis nostræ Proceres, & ipsam rationis lucem conspicuam, Molinismi, ac Pelagianismi lues ab invicem dispesci nequeant; fateudum quoque erit, ambas hasce Erynnides, tanquam gemellas quasdam Sorores, Augustino triumpharo, in solio victoriæ per Pontificis sententiam consìdere.

„ Quamobrem, nisi speculatores citò vigilent, & magnâ misericordiâ Deus noster suæ Ecclesiæ propitius fiat, propediem Constitutio illa Clementina, ut de Innocentianâ, & Alexandrinâ factum vidimus, (& vehementissime dolemus) vim sibi tempore, & consuetudine colligens in *rem*, ut dicitur, *judicatam* ibit, & velut totius Christianæ Reipublicæ recepta consensu, sensim sine sensu in Fidei Romanæ Catholicæ Symbolum, aut monumentum cedet.

„ Mysterium iniquitatis istius jamdiù adolescit, & adesse festinant tempora, quibus totus cœtus Catholicus se miretur Molinianâ scabie à vertice ad talos depastum. „

Ibidem suspicatur etiam Hispaniam à corruptione simili non penitùs immunem idem Ægidius in *Augustini Iprensis vindiciis uberioribus* pag. 4. " Hispani, Poloni, Germani, Itali passim circa prærogativas Pontificias perperis imbuti principiis, & omnibus Romanis fauctionibus humillimè fasces esse submittendos edocti, pro sua ignorantia, juxta Evangelium, *vapulabunt paucis*.

Breviorem idem authot edidit lucubrationem contra eandem Clementis XI. Constitutionem, *solemniter*, ut ait, eam *toti denuntians Ecclesiæ* condemnandam: ibi pag. 6. Sponsam Christi alloquens ait: " Conjurasse contra te videtur universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum.,,

Pag. 8. " Infirma est ipsa Religionis arx Roma: terra infecta est à lue Pelagiana. „

Si ad eam delapsa est Ecclesia calamitatem, ut contra eam conjurasse videatur universitas populi Christiani à minimo usque ad maxi-

maximum, prævalente scilicet, ut ait, hæresi Pelagianâ, quid mirum si *omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis?*

Si, ut in *depulsione excommunicationis in Matthiam Torkium* latæ dicitur pag. 8. *ingentibus hisce malis, confusionem invehentibus pene Babylonicam; Ecclesiæ perfugium, aut remedium nullum expectandum est ab Urbe Roma, utpotè quæ totius ægritudinis, quâ à plantâ pedis usque ad verticem Ecclesia luctuosè atteritur, præcipua & prima causa est;* non mirabimur Quesnellum tam horridam suis inseruisse *Observationibus* Propositionem.

Neque hæc ei tunc primum remerè & quasi inconsideratè excidit; Sed pridem vellicans Illustrissimum Dominum à Marca Archiepiscopum Tolosanum, inde postea Parisiensem, in Opusculo cui initium est: *Nescio Domine quid dicturus sim*: Pag. 60. *Cernimus* (inquit) *Potestates omnes spirituales æquè, ac temporales in eorum* (Janseniftarum omnium) *destructionem armatas. Roma Constitutiones, Brevia, Decreta fulminantia in eos evibrat. Episcopi eos Diplomatibus, Mandatis, Processibus, tanquam manifestos hæreticos proscribunt: Reges & eorum Administri, Supremi Senatus & Consilia, Curiæ Superiores & Tribunalia Subalterna, omnia ipsis adversantur: Religiosi Ordines, Universitates, Ecclesiasticorum Congregationes, in jaciendis contra ipsos lapidibus semper cæteros præveniunt.*

Denique contra eos ubique *occurrunt Edicta, Declarationes, Censuræ, anathemata, exilia & carceres, dum eorum adversarii defenduntur, favoribus, gratiis, Beneficiis cumulantur: ad primas Ecclesiæ dignitates tanquam præmia zeli, quo prætensos Jansenistas persecuti sunt, evehuntur.*

In hac scripti Janseniani laciniâ conspicimus expositam pluribus partem priorem Articuli condemnari. *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis.*

Ne tamen hæc, ipsi adhærentium animos dejiciant adversa, posteriore Articuli parte eos animat spe *victoriæ*, quæ *attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

Eandem spem facit in memorato Opusculo ita prosequens. *Nonne post hæc omnia ridiculum appareret, revocare in dubium, quin æqua fuerit, quæcunque durissima contra eos tempestas mota est? Loqui de novo examine* (Janseniani voluminis) *petere revisionem, revocare ad judicium Judices tam multos, tam diversos omnis ordinis, penès quos est omnis potestas Sacerdotalis & suprema, qui habentur depositarii scientiæ, pietatis & religionis, appareret insignis temeritas, & pertinacia insolens.*

Exempla tamen non desunt judiciorum, in quibus occurrebant omnes circumstantiæ, quæ ad persuadendam eorum æquitatem desiderari posse videbantur, & nihilominus injustissima deprehensa sunt. Quidni Jansenismi negotium inter illa sit?

Cœpisse Jansenismum iam indè fortunam experiri magis prosperam Quesnellus jactat in *Notis ad Epistolam* Steyaertii pag. 18. dicens; *Adeo non persuaderi sensum ab authore* (Jansenio) *intentum esse hæreticum, ut jam demum credere cœperit orbis Catholicus, nihil in eo non esse Catholicum.*

In alio scripto, quod ad Amicum dirigitur, & refertur in *Causa Quesnelliana* Artic. 9. eum monet, faventibus strenuè circumstantiis, atque *omnia ad plenam victoriam disponenda.*

Evolutum hìc habemus mysterium iniquitatis, quænam scilicèt *veritas* sit, cujus *Prædicatoribus Potestates omnes* conqueritur adeò Quesnellus *esse contrarias.*

Præter gravem in omnes utriusque fori Principes, Ecclesiasticos æquè ac Seculares, quam fronte præfert contumeliam, & nullus à calumniæ crimine liberabit, continet Propositio in authoris sensu longè deteriora, quàm vocibus exprimatur, totius nempè Jansenianæ hæresios post tot anathemata approbationem & sacrilegum de ipsâ Christi Ecclesiâ, sive Sacratissimis ejus definitionibus triumphum.

Damnatam ab omnibus Ecclesiæ Potestatibus, atque adeò ab Ecclesiâ universâ hæresim, nihilominus Quesnellus *veritatem* vocat, eique indubitatam de omnibus judiciis, & censuris victoriam addicit, *nonnisi Divinæ gratiæ attribuendam.* Quis pius, quis Catholicus ad istiusmodi non exhorrescat attonitus blasphemiam?

Non sola hæresis est quinque Jansenii contenta Propositionibus, quam *plerisque Christianis linguam esse veluti peregrinam & idioma incognitum* Quesnellus superiore querebatur Articulo, & præsenti dolet, *omnibus* esse *Potestatibus* odiosam; Sed plurimas prætereà damnatas in Bajo hic intelligit *veritates*; Apostolicæ autem Sedis providentia detexit, iteratoque percutit anathemate.

Non ideò tamen despondere animum Quesnellus suos patitur Sectatores; Sed istud quoque requirebatur (inquit) Clementis XI. eique adhærentium Episcoporum anathema, ut tanto gloriosior redderetur *veritatis victoria*, quantò plures & majores ostendisset *veritas*, sibi suisque Prædicatoribus *contrarias Potestates*. Hinc enim evidentiâ panditur illustriore, *non posse ejus victoriam attribui,*

boi, *nisi Divina gratia*; cum quidquid potentiæ est humanæ, adeò fibi non propitium experiatur, ut ubique fentiat infeftum.

Execrabilis itaque ea Quefnelli calumnia eft adverfus omnes Ecclefiæ Præpofitos, ipfos laici ordinis Principes, et fi qui alii funt *Poteftatum* nomine fignificati.

Quantis Janfeniftarum plaufibus omnia in Belgio perfonabant, cùm primùm emanaverant Innocentii XII. ad Belgii Epifcopos Brevia de non puniendis veluti Janfeniftis, neque excludendis à Beneficio, ad quod fcilicet juris aliquid acquifiviffent, nifi conftaret effe legitimè fufpectos de uno è quinque Janfenii Dogmatibus condemnatis! Nec appellari aliàs quempiam Pontifex odiofo Janfeniftæ nomine patiebatur.

Rectè illud quidem, & in ipfo jure naturæ fundatifsimum eft, ut nulli temere, & abfque ratione vel fufpicione legitimâ indecori nominis infamia afpergatur; Janfeniftæ ipfi convictifsimi, in quorum primo agmine proculdubio Quefnellus eft, & Dux quodammodo cœterorum, veluti exleges funt, & ut crimina quæcunque in fuos conjiciant adverfarios, nullâ indigent probatione.

Quefnellus in primis fic Auguftifsimum Imperatorem, Reges omnes, & Principes, quin & Pontificem Maximum cum Epifcopis univerfis, denique *poteftates omnes* criminatur, tanquam *contrarias Prædicatoribus veritatis*; undè tanta juxta ipfum orta nofcitur perfecutio adverfus Auguftini difcipulos, antiquæ fidei, difciplinæ, fanctimoniæ inftauratores.

Ut titulus, feu prætextus fpeciofus eft, & circumveniendis fimplicibus idoneus, minùs miror, quod fœminas neque paucas, neque ignobiles, etiam Moniales in Quefnelli traxerit patrocinium, quàm quòd viris pluribus, & quidem fcientiam profitentibus Theologicam, etiam Epifcopis aliquot imponere potuerit adeò, ut abjectâ, quam Pontifici pridem jurejurando promiferant obedientiâ, violare gravifsimè fidem veriti non fuerint ac religionem, tot excitare turbas, & fcandala in Ecclefiâ, non fine multorum perverfione Fidelium, fuarum quoque gravi vulnere ac tandem interitu animarum.

Fidem humanam quodammodo fuperat, quòd pertinacia, & cæcitas eò ufque peffumdederit aliquorum Appellantium mentes, ut neque tot Epifcoporum rectè fentientium ftudiis, neque tot paternis ipfius Summi Pontificis monitis, neque tot convertentium fe exemplis, ad faniora adduci fe confilia patiantur. Conceptum infeliciter errorem dimittere falubriter nolunt, atque improvidè fufceptum hærefios patrocinium abdicare, quin omnibus Ecclefiæ ad eorum reductionem conatibus vix aliud efficitur, quàm, quod rebellium contumacia, & five phrenefis, five rabies ampliùs accendatur.

Non moventur indignatione Principum, aut infamiâ publicâ; ut enim, inquiunt, gloriofa funt pro fide Chrifti, & veritate certamina, non poteft non honorifica effe eandem ob caufam qualifcunque calamitas, & tolerantia perfecutionum.

Quis iftud non obtendit hæreticus, quo fe in fchifmate confirmet, atque adverfus Ecclefiam rebellione? Quot pugnat nova fecta lucubrationibus contra Conftitutionem *Unigenitus*! Hujus impugnatores, & contra eam ad futurum appellantes Generale Concilium, quantis ab invicem exornantur laudibus! Penès hos folos omnis refidet fapientia, eruditio, fanctitas: ad hos veritas & juftitia, Ecclefiam, & perfecutionem fugiens, fe recepit.

Quantam igitur, etiam apud Nationes exteras, & pofteros famam promittere fuis contra Conftitutionem heroibus poffunt tot opera quaqua verfus volantia, idiomate fcripta Gallico, & eleganti, quod ad legendum alliciat populos non folùm conterraneos, & finitimos; Sed etiam remotiores! Quæ enim hoc tempore Regio Gallicum ignorat, quis inter Nobiles præcipuè, etiam fœminas balbutire ex eo aliquid, vel intelligere faltèm non affectet, legat quoque avidiùs quando pro novitate eft!

Ambitio illa famæ apud pofteros tot voluminibus celebrandæ, magna apud multos illecebra eft, ut novorum Auguftinianorum partibus adfcribantur, etfi vix fuperficie tenus noverint, quid diverfi à cœteris dogmatis, nova fecta protrudat. Undè longè perniciofiorem autumo hærefios, eique patrocinantium laudationem, quàm ingeftam *omnibus Poteftatibus*, impugnatæ *veritatis* in ejus *Prædicatoribus* contumeliam.

Quantumlibet enim enorme in fe, ac Dei judicio crimen fit jactata in omnes Sacerdotii, atque Imperii Principes calumnia; tamen quia & mos ille nofcitur hæreticorum, & falfitas omnibus, prætetquam fimplicibus, manifefta eft, non multum detrahere videtur famæ eorum quos maledicentia impetit; imò quis confcius utcunque dogmaticorum certaminum, quæ Ecclefiam tantopere à duobus ferè feculis conturbarunt, nefciat ea originem duxiffe à Quefnelli Prodromis, atque ipfummet, ejufque focios, qui crimen omnibus falsò improperant Poreftatibus, reverà ejufdem reos effe, nullis vindiciarum officiis, aut Patronorum artibus excufandos?

Qua-

Quapropter lacessitæ calumniâ *Potestates* habent in aureo S. Cypriani monito, quo se consolentur Lib. contra Novatianum in principio : *Nos autem Fratres dilectissimi, non moveat aut turbet hæreticorum perfidorum abrupta dementia, qui cum in tam ingenti dissensionis, & schismatis crimine constituti, & ab Ecclesiâ separati sunt, sacrilegâ temeritate non dubitant, in nos sua crimina retorquere; cùm sint enim à semetipsis nunc facti immundi, sordibus Sacrilegis inquinati, hoc nunc nos esse contendunt, & cùm scriptum sit, canes foris remansuros .... rabiem suam non cessant latratibus excitare, Luporum more tenebrosam caliginem optare, quâ facilè possint ferinâ suâ crudelitate, oves à Pastore direptas, speluneâ tenebrosâ laniare.*

Locum hunc claudat Franciscus Simonis *de fraudibus hæreticorum* part. 1. Fraude 10. *Latrent in nos, qui foris sunt, Canes, imo Luporum more ululent in tenebrosâ caligine Scriptores tenebriones, sua in nos crimina dum torquent, non facient criminosos, nisi timere coegerint : crimen reputetur, hos Lupos timuisse.*

CAPUT II.

Disquisitio in Prædicatores veritatis *inter Religiosorum Familias, judicio Quesnellistarum.*

A Sancto Dominico institutus Ordo clarissimus, atque ab Honorio III. confirmatus fuit titulo *Prædicatorum*, utique Evangelii & veritatis. Is officio suo ubique terrarum impigrè fungitur; nec tamen quasi de persecutione, quam ab omnibus pati cogatur Potestatibus, hactenùs conqueri auditus est; neque de ea quidquam innotuit aliundè; quin potiùs quanto ubique, & meritò in honore fit, quanto in pretio, sat omnibus exploratum est.

Verùm, inquiunt Janseniani, quoties de *veritatis Prædicatoribus* agimus, longissimè abest mens nostra ab intelligendis eo nomine Dominicanis, & quibuscunque hoc tempore appellatione gloriantibus Thomistarum.

De Prædicatorum Ordine scribit Walonius ad Quesnellum ex Urbe anno 1702. die 16. Septembris: *Homines isti plus nocent veritati & bonæ causæ, quàm Molinismum professi.*

Idem in Epistolâ ad Quesnellum anno 1699. die 17. Iunii *Bacealaurei* [in cifra, seu clavi Jansenistarum, *Patres Dominicani*] *sunt homines inepti*; ad prædicandas scilicet novæ Ecclesiæ veritates.

Petrus de Ligny Duacenos inter Jansenianæ fidei *Prædicatores*, juvenis tunc quidem; Sed expectationis non exiguæ propter audaciam ætate & scientiâ multò superiorem, circa annum 1690. scribens Episcopo suarum, ut autumabat, partium, Professionem fidei, jurejurando firmatam exhiber, in qua Artic. 4. *Declaro*, inquit, *coram Deo, me credere, quod post Adæ lapsum non detur ampliùs gratia sufficiens; sed solùm efficax : quod circa hoc sententia Molinistarum sit Semipelagiana, & damnata in Congregationibus de Auxiliis; opinio verò Thomistarum sit mera stultitia ....*

Art. 6. *Quod prædeterminatio physica, prout in Thomistarum scholis exponitur, sit prorsùs contraria Doctrinæ S. August.ni, & quod solutiones dari solitæ per sensum compositum & divisum, atque indifferentiam judicii, sint meræ cavillationes & tricæ, quarum ne minimum quidem in Sanctis Patribus sit vestigium.*

Ita juvenis Philosophiæ Professor, in Theologicis tiro leviter tinctus, solitâ novæ Sectæ confidentiâ de omnibus *Sanctis Patribus* definit, velut Sutor è sua tripode; Sed ultra crepidam.

Verùm aliàs Sancyranum vidimus Cisterciensis Ordinis Secretario promittentem, forè, ut, si commissos sibi acciperet *quindecim aut viginti Religiosos juvenes, velut tabulas rasas, nullis hactenus imbutos principiis Theologicis, ad summum istius scientiæ apicem unius semestris spatio promoveret.*

Interim Thomistæ, & Religiosi ceteri, qui talibus se Præceptoribus tradere noluerint instituendos, *Prædicatoribus veritatis*, nequeunt anumerari. Similem adversus Thomistas Censuram legimus ab Ægidio de Witte non minori temeritate, majori etiam verborum copiâ deductam anno hujus seculi 1711. in Augustino Iprensi vindicato pagina 272. citatâ Didaci Alvarez Thomistæ celeberrimi sententiâ pro gratiâ sufficiente adultis omnibus oblatâ.

" Profectò (inquit) si tolerabiles hæ fiant
" in Ecclesiâ Dei, & plures hisce similes Al-
" varesii istius locutiones, universa Augu-
" stini adversus peccati originalis, & Divinæ
" gratiæ inimicos trophæa, ab imis funda-
" mentis ad summa usque fastigia subruun-
" tur, ac prorsus necesse est, Fideles, juxta
" communem distinctionum istarum intelli-
" gentiam, pedetentim à majorum fide di-
" scedere, in laqueos Molinianos intricari,
" ac demùm Pelagiano toxico infeliciter à
" capite ad talos perungi.

„ Hanc certè egregiam gloriam ac laudem „ fœdo Neothomistico illi Dominicanorum „ cum Jesuitis monopolio debemus tribuere, „ per illius artes effectum esse, ut ambiguis „ illis verborum præstigiis seducti aut fascinati Judices, & Consultores Romani..... „ abierint in luctuosam illam Propositionum „ (quinque Jansenii) condemnationem „

Idem anno 1707. in Libro Gallicè edito cum hac insolentissimâ inscriptione: *Apologia nova pro Sacrosancta Doctrina Jansenii Episcopi Iprensis*, pag.39. " Nomen [inquit] gratiæ sufficientis à falsis quibusdam Thomistis excogitatum est, ut se in speciem jungerent Molinistis, vitarentque persecutionem, cui Jesu Christi gratia (cum suis veritatis Prædicatoribus) exposita est: vocari „ potest exquisitissima nequitia, quæ in „ perversione idiomatis commissa fuit un„ quam à tempore quo Christi stetit Eccle„ sia: *Ce quon peut appeller la plus grande friponnerie qui fut jamais* „ .

Præiverat Jansenius acerbitate Censurarum adversus Scholam Thomisticam, tanquam veritatis Doctoribus adversantem: in eo tamen discipulis suis moderatior, quod ab expressionibus istiusmodi scurrilibus abstinuerit.

Tomo 3. de Gratia Christi juxta editionem Lovaniensem col. 821. " Qui medicinalem (inquit) Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem Prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum necessariam, magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt; Nam talis Prædeterminatio sic asserta, non solùm nullo testimonio ejus probari potest; Sed potiùs universam Doctrinam ejus inexplicabili confusione conturbat: Tollit enim differentiam integræ lapsæque voluntatis: tollit necessitatem duplicis adjutorii .... tollit obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus: Denique cogimur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris . „

Ibidem col. 822. " Quæ ratio indicat, „ Prædeterminationem physicam, eo modo „ & latitudine ad omnes humanæ naturæ „ status dilatatam, ab Augustini sensibus esse remotissimam, & potiùs vi humanæ „ Philosophiæ, quàm Augustinianæ Theologiæ expressam, & inventam esse . „

Hactenus Jansenius, qui nihilominùs Discipulis suis ad illudendum Ecclesiæ permittit; ut ubi nimiùm forsitan urgentur, ut possint omnibus Thomistarum distinctionibus, & solutionibus, ut non quidem Scholæ isti Catholicæ consentiant, sed concinant subdolè.

Sic lib. 8. de gratia Christi cap.4. *Quidquid Physica Prædeterminationis defensores prò suâ sententiâ protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant, pro hac sententiâ dictum puta.* Apertiùs, sed simùl intemperantiùs Duaceni, umbræ Arnaldicæ Adoratores, Thesi 6. *Cave*, inquiunt, *ad sensum divisum & compositum; aut ad indifferentiam judicii confugias: vana enim sunt illa Neotericorum* (Thomistarum) *effugia declinandis Semipelagianorum terriculamentis malè adinventa. Satius igitur nobis videtur, & Sancti Augustini principiis conformius, ejusmodi libertatem in flexibili ad libitum voluntatis indifferentiâ, & in expeditâ ad utrumlibet potentia consistentem, post peccatum Adæ prorsus rejicere.*

Quandoquidem Thomistas, tanquam legitimos *veritatis Prædicatores* admittere Jansenistæ nolint in Theoricis, num saltem in Ethicis, seu moralibus approbabunt? Nequaquam; quia, inquiunt, Theoricæ corruptio nata est inficere Ethicam; ita Matthæus Rouvroy, discipulus famosi Gummari Huyggens Doctoris Lovaniensis ab Arnaldo & Quesnello contra Sedem Apostolicam sæpiùs vindicati.

Ita, inquam, Rouvroyus ad Theologiæ Cathedram in Namurcensi Seminario promotus, mox se dignum tali Magistro discipulum probavit in dictatis de gratiâ observatione 5. *Qui statuunt gratiæ efficaciam in Prædeterminatione Physica, non rectè sentiunt de differenda absolutione.*

Observ.7. *Aliud est, quod istos Theologos* (Thomistas recentiores) *facit malè judicare de conversione Peccatoris, & consequenter de dilatione absolutionis; nempè certi modi loquendi S. Thomæ & Thomistarum veterum, quos minùs intelligunt; ut sunt hi, MINIMA GRATIA, MINIMA CHARITAS SUFFICIT AD JUSTIFICATIONEM,*

Ibid. *Ex gratia per se sufficienti sequitur non recta administratio Sacramenti Pœnitentiæ.*

Idem de fide §. 11, *Doctrina de gratiâ sufficienti ducit ad laxitatem*. Atque ita non soli Patres Dominicani, non soli Thomistæ; sed omnes tum Religiosi Ordines, tum Clerus Catholicus, minimè idonei sunt sive administri Pœnitentiæ in Sacramento, sive *Prædicatores* Evangelicæ *veritatis*.

Sed & alia sunt, quæ Religiosos omnis generis arcere ab utroque munere deberent, tanquam ad illud minimè comparatos; Si Henricus Spoor Theologiæ Lovaniensis Baccalau-

ealaureus audiatur in suo *Mercurio*, ut vocat, *querulo*. Juxta hunc idololatris Romanorum veterum Sacerdotibus Religiosi omnes Catholici deteriores sunt.

Illic Pag. 6. Mercurius ita loquens inducitur: *Lougè chariores existunt mihi Monachi Romanis Sacerdotibus, qui licèt Numam Pompilium Sacrorum profitebautur iuventorem; tamen rigidi erant & austeri; Mouachi verò, & Loyolitæ delicatuli sunt & molles; omue scelus quodam mantello contegentes.*

Quis sapiens Episcopus, aut Vicarius talibus committat Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, aut prædicationem Evangelii?

Pag. 4. dicitur: *Mercurius mendaciorum & Monachorum Deus.*

Pag. 8.: *Monachis sinciput per multa secula non fuit sauum.*

Alia ratio magis distincta redditur à Petro de Ligny in Professione Fidei destinatâ ad Episcopum N. N. Articulo undecimo: *Mouachi* [inquit] *plebem consopiunt, & detinent in perversâ peccaudi consuetudine, spem faciendo indulgentiarum pro Articulo mortis affixarum, nescio quibus devotionum figmeutis, iu cultu exteriore, & Semijudaico consistentibus.*

Proinde Monachi, quo passim nomine, veluti per contemptum, omnes ab aduersariis intelliguntur Ordines Religiosi, *Prædicatoribus veritatis* minimè accenséndi sunt.

De Thomistis & Augustinianæ Familiæ alumnis scribit Petrus Hollen sub nomine Petri Gratiani ad Clementem XI. Epistolâ alterâ pag. 6. *Noli, quaso, illis Neo & Pseudo-Thomistis & Augustinianis aures præbere; quia nesciunt quid dicaut.*

Pag. 7. *Rursus rogo tuam Paternitatem, noli ampliùs audire istos miserabiles Mouachos; quia tuam iufallibilitatem alioquin certissimè reddeut fallibilem; quia Ecclesia non recedet ab Augustini Doctrina. Hac autem est, quam in Jausenio condemnas; si illos audias.*

Pro Missionariis Cleri Janseniani in Hollandiâ prodiit digna novis Augustini Discipulis Apologia perbrevis, Amstelodami publicè per plateas à circumforaneis proclamata, atque divendita sub hac epigraphe *Exibitio bodiernæ praxeos & fraudis Mouachorum.*

Denique Concionibus seditiosis, libellis infamibus, & molitionibus antichristianis Missionariorum istiusmodi è Clero non universo; sed Janseuiano atque schismatico, tribuuntur duriora quædam Ordinum Hollandiæ, siue *Statuum* ut vocari solent, Decreta adversus Religiosos, ne *quis deinceps Regularium sinatur* illuc *ingredi*. Sed intercedentibus Imperatoris & aliorum Catholicorum Principum Legatis, de illa duritie videtur in praxi hactenus non parum, saltèm conniventiâ relaxatum.

Hæc moderatio ægerrimè habet Quesnellianarum partium Missionarios; inter quos Joannes Van Heumen Epistolâ typis editâ contra P. Ægidium Glabais Franciscanis in Hollandiâ Missionariis Præfectum pag. 8.: *Si edita* [inquit] *adversus Regulares Decreta rigidè observareutur, Ecclesiæ status in his Provinciis brevi mutaret faciem: antiquorum Patrum Doctriua triumpharet, parentes non orbarentur liberis ad impleuda Monasteria, neque opibus ad alenda.*

Percuperet Missionatius hic Pseudo-Apostolicus, ut Religiosi omnes sine successoribus emorerentur. Thriumphus autem ille Doctrinæ antiquorum Patrum intelligi debet ex circumstantiâ authoris addictissimi Jansenio, Arnaldo, Quesnello, Petro Codde Archiepiscopo Sebasteno, post obitum excommunicato, & similibus Prædicatoribus, atque fautoribus novitatis.

Idem pag. 4. vocat *Mouachos spiritualem Ecclesiæ fæcem*. Aliis autem indubiè *Prædicatoribus veritatis*, quàm *fæce Ecclesiæ* opus est.

Pag. 14. ait: *Mouachos esse perquàm stupidos*, & tamen *Romauam Curiam eorum mendaciis circumventam*. Adeò imprudens, imò stolida creditur Romana Curia, ut tam facilè hominum *perquàm stupidorum* decipi se mendaciis patiatur.

Plura ibi sunt adversus Franciscanos adeò scurrilia, ut neque à me describi deceat, neque ab honestatis amantibus legi; Sed tales ab hæreticis merentur Religiosi isti contumelias; quia, quod absque aliorum invidiâ dixerim, maximè intrepidos se præstitere semper Catholicæ fidei, præsertim contra novam hæresim, in Belgio defensores.

Hæc vera ratio est, quam tum Franciscani, tùm Religiosi passim cæteri, novorum judicio hæreticorum, longissimè absint ab iis dotibus, & virtutibus, quas in *veritatis Prædicatoribus* Christus, Apostoli, & sublimitas ipsa munetis, ac salus postulant animarum.

Supervacaneum videretur, Societatis Theologos speciatim commemorare, quantum Jansenistarum sententiâ, à *Prædicatione Evaugelii* eos conveniat removeri, quos in novæ sectæ Tribunalibus nominari sufficiat, ut contra eos anathema feratur.

In Theoricis enim Pelagianos eos esse, aut Semipelagianos, penès Jansenistas extra contro-

controversiam est, adeò illic exploratum omnibus.

De Societatis Ethica audiendus tantummodo est famosissimus Jansenianæ *veritatis* in Belgio *Prædicator* Eugenius de Gelder Brugensis, in *voce ultimâ zelatricis innocentiæ* pagina 109. *Jesuita*, inquit, *fabricant super incude infernali moralem corruptiorem qualibet pessima Philosophorum Ethnicorum, imò ipso Alcorano impuriorem, destruentem penitùs ipsam legem Mosaicam & Evangelicam*.

Quanti autem ponderis æstimari debeat viri hujus testimonium, colligitur vel ex ipsâ *voce ultima zelatricis innocentiæ*, tanquam *libello supplice* ad Innocentium XI. directâ, in qua omnes Pontificum contra Jansenium Constitutiones erroris arguit. Pag. 30.: *Quod Vrbanus VIII. fuerit deceptus, patet ex propria ipsius Bulla. Quod Innocentius X. fuerit deceptus; ad oculum demonstratur*. Pag. 31. *Quod Alexander VII. fuerit deceptus, ex eo constat, quod liber Jansenii nunquam Romæ ritè fuerit examinatus.*

Pag. 115. asserit: *Doctrinam S. Augustini à Doctrina Jansenii reverà esse inseparabilem: Multas etiam ex Propositionibus Michaelis Molinos vix à positionibus fundamentalibus S. Augustini distingui posse.*

Vel hinc perspicit Lector, quantum *Prædicatio veritatis* passa fuerit detrimentum, quando celeberrimum hunc novæ Ecclesiæ Concionatorem, à prædicandi munere amoverunt ejus in Monasterio Superiores.

Mirabilis quoque, sed non imitanda ejusdem Sanctitas enituit, quando ex domestico Ordinis sui carcere profugiens versus Hollandiam, securos suos esse jussit, testem invocans Deum, quod toto fugæ suæ & latibuli tempore, ne unico quidem scandali delicto veniali deliquerit; secutus autem fuerit Christi monitum fugiendi in Civitatem aliam, quando Apostoli, & alii præcones Evangelii in Civitate aliquâ moveri contra se viderint persecutionem. Digna profectò Janseniano Prædicatore, Evangelici Textus applicatio!

Propter Sanctitatis famam exemplis Sanctissimis comparatam, Religiosi communiter aptissimi judicantur, ad insinuandum populis Evangelii veritatem, & Christianæ studium pietatis; undè & approbationibus eorum munita lucubratio, si errores contineat perniciosos, eos faciliùs persuadet credulis, qui exitialia dogmata supponunt à viris talibus non confirmanda.

Ideo Jansenistarum, ut ex Andreæ Schurii aliorumque Novatorum literis typo editis accepimus, industria semper fuit, *aliquorum qui vulgò Patres vocantur*, suis *conquirere operibus approbationes*.

Eundem in finem, si quos inter illos viderint sive simplices; sive à donis secularibus, & concupiscentiæ fomentis, undecunque ea obvenerint, non alienos, nihil fallaciæ, etiam pecuniâ instructæ, ad alliciendos eorum animos prætermittunt.

Hæc apud Franciscum Simonis *de fraudibus Hæreticorum* par. 3. Fraus 14. est " Primum quidem (inquit) consilium malignaverunt omnium pessimum, viros Religiosos falsâ amicitiâ capiendi, ac dementandi suis erroribus, similes illis, qui apud Esdram lib. 2. cap. 6. dicebant: *Veni & percutiamus fœdus pariter in vitulis in campo; ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum*.

" In quam Historiam hæc glossa visitur: " *Hostes Sanctæ Civitatis persuadebant Nehemiæ in campestria descendere, & fœdus pacis secum inire..... Sic & Hæretici, & Catholici falsi volunt cum veris Catholicis pacis consortium habere, non ut ipsi ad arcem Catholicæ fidei & operationis ascendant; sed ut eos potiùs, quos in culmine virtutum commorantes aspiciunt, ad infima operum vel dogmatum pravorum descendere cogant*.

" Armamentarium quoddam Ecclesiæ Orientis erat Thebaidis solitudo, tot sparsa Monasteriis, ubi ex Disciplina magni Antonii excultis animis, ad Christianam fortitudinem & constantiam adolescebant pugiles hæreticis formidabiles, è quibus S. Athanasius generosiores gaudebat deducere ad Episcopales Sedes Ægypti.

" Nihil non egêre Meletiani, Ariani, atque Origenistæ ut solitudini tam sanctæ errores suos infunderent. Neque id incassum: non paucos Didymus Alexandrinus ille quondam Hieronymi Magister, corporis oculis captus pridem, sed jam & mente cœcus, ad Origenis errores pellexit. Multos Ariani perverterunt usque adeò, ut ex illis, Athanasii Calumniatores extiterint; Meletii Schisma secuti sunt alii.

" Non solis verbis inescare student Religiosos viros; etiam benefactis obstringunt. " Non pepercit Julianus amplo patrimonio, ut sibi devinciret egentes Religiosos. Facultates amplissimas effudit Marathonius in eos Cœnobitas, quibus Macedonianam impietatem instillabat Eustachius Sebastenus: quin, ut extaret fixum æternumque Sectæ propugnaculum, insigni sumptu Monasterium Constantinopoli ædificavit, ut

ne

„ ne deessent unquam, à quibus impia Do-
„ ctrina in magnum populum derivaretur.
„ Sed benè habet quod plerumque Reli-
„ giosi viri, normæ ac regulæ à Majoribus
„ acceptæ tenaciores, usque adeò non ca-
„ piantur blanditiis illecebrisque hæretico-
„ rum, ut hæreses ipsas insectentur odio im-
„ placabili, nullam sibi dantes quietem,
„ donec perculsas ictu fulmineo aspiciant.
„ Hic verò inhumana prorsus & crudelia
„ consilia, malignantes hæreticos invenias,
„ dicentesque: *Venite & disperdamus eos de*
„ *gente, & non memoretur nomen Israël ultra.*

Experta hæc est eadem Thebaidis solitudo persecutionem, furente Lucio Alexandriæ Pseudo patriarchâ Ariano. Sozomenus lib. 6. cap. 20. *Lucius*, inquit, *adjuncto sibi Præsidiariorum militum Præfecto, cum magnâ hominum manu ad bellum contra Monachos in solitudine gerendum contendit: persuasum habebat, se voluntates Christianorum, qui in Urbibus habitabant, eo pacto facillimè ad se conversurum; quandoquidem multi & divini viri, id temporis Monasteriis illius Regionis præerant, & omnes opinionem Arii detestabantur... Quales tum facilè Principes fuisse accepimus duos Macarios, Pambo & Heraclidem, & reliquos Antonii Discipulos.*

Lucius igitur, quoniam illis persuadere non poterat, vi cogere aggreditur. Sed tamen ne sic quidem, quod volebat, consecutus est; nam se ita comparaverant, ut mortem, si opus esset, oppetere, & cervices suas sponte gladiis subiicere mallent, quàm Decreta Concilii Niceni negligere. Ita Sozomenus de Regionis illius ac temporis Monachis, qui cùm humilem & pauperem in solitudine vitam agerent, labore manuum victui suo necessaria comparantes, neque Apostolicæ Sedi, neque Principibus obstricti videbantur tantis in omni genere beneficiis, & privilegiis, quantis Pontifices, Imperator & Reges & Principes cœteri fovere à seculis aliquot, in Europâ potissimùm cœperunt Regularium familias, & hodiedum munificentiâ laude dignissimâ prosequuntur.

At quomodò luctum Ecclesia amarissimum dissimulet, ubi hæreseos & Schismatis contagio tot Monasteria in Galliis, aliàs religiosissima, eò delapsa hoc tempore conspicit, ut à quibus præcipuum expectaverat contra hæreses præsidium, sibi quotidie infestissima experiatur, atque exitiali perfidiâ in suam cum hostibus conspirare perniciem?

Ad hoc scilicet *incrassari* adeò, *impinguari, dilatari* illa juverit, ut ipsis Beneficiis & auctis inde viribus atque authoritate, contra suos abuterentur ingratissima Benefactores.

Quæ quidem Dei benignitas est, & pia Principum, Sedis potissimum Apostolicæ industria, decrescere quotidie videmus numerum refractariorum, adeò ut, qui supersunt, facilè prospicere valeant, se, etsi nuperis succedere fanaticis decrevissent, non minùs quàm illos, authoritate tandem atque potentiâ conterendos.

Religionis indubiè ratio, & æternorum, plus apud eos habere ponderis deberet, quàm quidquid temporalium est; Sed quibus diuturna nimium & pertinax in causis Fidei & Religionis, contra Ecclesiam fixa animis est rebellio, callum censetur obduxisse conscientia: fidem eos etiam quoad cætera amisisse, singularis ratio in Quesnelli Systemate est, quod Libertinorum impietati viam pandere latissimam, non semel aliàs invictissimè videor demonstrasse.

Quid igitur de talium jejuniis, silentio, orationibus existimandum?

Quod tales Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ inimicis, *Prædicatores* appareant *veritatis* præ cæteris, & quasi unicè idonei, exemplis nimiùm frequentibus, & experientiâ lugentes discimus quotidianâ: iis scilicet, ut apertiùs loquar, quibus neque Sacrorum usus, neque communicatio cum fidelibus permittenda esset; iis, inquam, alicubi ferè solis, amplissima conceditur pro confessionibus audiendis, & prædicatione Evangelii facultas.

Sed ex salebroso nimiùm loco expedit nunc quidem pedem referamus: referant utinam brevi ex suâ adversarii perfidiâ & rebellione!

Nobis verò etiam ab ipsis pax promittitur & reconciliatio; Si eorum consenserimus impietati. Neque penitus de nostrâ ad se conversione nuper visi fuerant imprudentiores aliqui desperare. Sic Petrus Hollen *Gratiani* nomine in EPISTOLA ALTERA AD CLEMENTEM XI. *Vale*, inquit, *quàm plurimum, Domine Papa, donec resipiscas, & Jesuitas, saltem pro tempore, donec cor aliud mundum & novum à Domino in illis creatum sit, amoveas à Consiliis; quia, mysterium tibi dico, cæcitas pro parte contigit in Monachismo, donec plenitudo Secularium intraverit; Sed si non manserint in incredulitate gratiæ* (Jansenianæ, quamlibet excludentis propriè sufficientem) *sed qui glorientur, in Domino glorientur, qui operatur velle & perficere, rursus inserentur (oleaster cùm sint) bonæ Olivæ Augustini, Francisci, Dominici, Ignatii.*

E filiis Sanctorum istiusmodi Patriarcharum aliqui ante Clementis XI. contra Quesnelli Librum anathema, se junxerunt Catholicis Galliæ Episcopis in prælio contra Ques-

Quefnellum, cujus opus, detecto illic veneno multiplici, denuntiandum judicaverant Apoftolico Tribunali: cumque metuerent, ne examen forfitan Romæ diutiùs protraheretur, atque intereà liber peftiferam, quam dudum fpargere doctrinam cœperat, non fine multarum exitio animarum latiùs diffunderet, Pontificis fententiam Antiftites aliqui prævenerunt. Ea res vehementius commovit improvidos Quefnelliani operis fautores, neque defuere, qui eorumdem contra nos animos accenderent.

Non puduit etiam alteri Religiofæ Præpofitum Familiæ, nos monito typis edito hortari ad palinodiam, quâ, ipfo pollicente, in priftinam mox Antiftitis magni gratiam reciperemur. Monitio ifta parum decuit authorem, utpote Religiofæ moderatorem Provinciæ: neque ipfi fuit honorifica Antiftiti, quo minimè digna apparere debuit talis ratio ulcifcendi.

Iftud certiffimum eft, per *veritatis Prædicatores* ab Adverfariis non intelligi ullos ex Religiofis Ordinibus Doctrinæ Catholicæ addictos. Quomodo enim tam gloriofo vellent nomine fignificari, quos noverint alienos ab iis *Gratiæ ideis, quas Deus*, Judice Quefnello, *tradidit in omnibus fcripturis*, & abhorrere, à *Moralis Evangelicæ* Quefnelliano *compendio*?

Nullus fcilicet Janfeniftis extra Ecclefiam fuam Anti-Romanam *Prædicator veritatis* eft: nullus, de Poteftatum omnium contra fe perfecutione conqueritur, nullus de ea conqueri fine mendacio & injuftitiâ poffet.

CAPUT III.

Quofnam inter Epifcopos Quefnellus & ejus focii intelligant Prædicatores veritatis.

Dominus Bruleur, vero nomine, ut ex Clavi Janfeniftarum difcimus, Canonicus le Noir, Walonium reddidit certiorem, nihil aut perparum fubfidii pro veritatis defenfione à Galliæ Præfulibus expectandum; quia, inquiebat, *plerique Epifcopi funt ignorantes in illis quæftionibus, neque dignantur inquirere, quo inftrui valeant*. De hoc monuit Quefnellum Walonius literis ex Urbe datis die 3. Martii 1703.

Gerberonius in *Exhibitione Charitatis* pag. 44. ait *Clerum Galliæ in Comitiis Generalibus anni* 1700. *in fuis Definitionibus* Dogmaticis *dormitaffe*; ubi autem vigilare vifi funt, *Zelo*, inquir, *abripi fe patiebantur phrenetico*.

Ægidius de Witte in *Auguftini Iprenfis vindicati vindiciis uberioribus* pag. 41. " O! „ quomodo fugient à judicio Dei viventis „ Præfules, præfertim Galli, quod difcor„ diarum harum originem non accuratiùs in„ veftigent, utriufque Auguftini, Iprenfis „ videlicet & Hipponenfis opera non folici„ tiùs & maturiùs conferant, & veritatem, „ nofci facillimam, non majore diligentiâ „ examinent, fcrutentur, indagent, inve„ niant ac propugnent?

„ Hifpani, Poloni, Germani, Itali, circa „ prærogativas Pontificias perperis imbuti „ principiis, & omnibus Romanis Sanctio„ nibus humillimè fafces effe fubmittendas „ edocti, pro fuâ ignorantiâ juxta Evange„ lium vapulabunt paucis; at Galli, qui in „ hoc negotio fuper cognitionem venerandæ „ antiquitatis folidiùs inftituti funt, quo fe „ demum clypeo tuebuntur adverfus indi„ gnantem Deum, dum in negotio primi ac „ fummi ponderis, ob reflantem à Curiâ au„ ram favonicam, fe ab officio certiffimè „ graviffimo abduci finunt? „

Ibidem pag. 38. " Quàm fit Fenelonius „ (Archiepifcopus Cameracenfis) in rebus „ gratiæ malè doctus; imò quàm non leviter „ ac perparcè Pelagianâ confperfus nauteâ, „ vel ex hoc folo collige, quod patrocinium „ fufcipere non exhorreat execrabilis illius „ libri, à Cardinale Sfondratio, fub titulo „ *Nodus Prædeftinationis folutus* vaniffimo, „ in lucem dati, eumdem vocare *librum fancti & eruditiffimi Cardinalis, doctiffimorum* „ *juxta atque illuftriffimorum Approbatorum* „ *fuffragiis commendabilem*. Moriatur, fi ita „ vult Fenelonius (Archiepifcopus) cum San„ ctis illis, & cum præclaris eorum Antecef„ foribus Pelagio, Cœleftio, Juliano, Molina, „ Leffio: Nos, fi Deo placet, cum Augufti„ no, Profpero, Gravio, Eftio, & poftremum „ cùm Janfenio moriemur. „

Procul igitur à genuinis *veritatis Prædicatoribus* juxta Ægidium abeft hic Archiepifcopus æquè ac Sfondratius Cardinalis, imò omnes paffim Regionum omnium Antiftites; Galli propter negligentiam & fpiritum Aulicifmi potius quàm Chriftianifmi: propter ignorantiam verò Germani, Poloni, Itali, Hifpani.

Ubinam proinde terrarum, ubi gentium quæret, ubi inveniet aptos tanto muneri Epifcopos?

Si fcriberet hodie intrepidus hic Auguftini Batavi Difcipulus & Propugnator, approbaret indubiè obftinatos feptem contra Bullam *unigenitus* Appellantes, quorum ad Innocentium XIII. Epiftolam damnavit ipfe

Pon-

Pontifex, tanquam *continentem Propositiones quàm plurimas Catholicis Episcopis ac præcipuè Gallicanis, felicis recordationis Clementi XI., Sanctitati Suæ, & Sanctæ Sedi Apostolicæ injuriosas, & uti secundùm se totam Schismaticam, & spiritu hæretico plenam*.

Tres ex iisdem Episcopis quadriennio antè, Duce Mirapicensi, qui interim ad aliam (utinam beatiorem) vitam transiit, suam ad futurum Concilium Appellationem damnari viderant à Supremis Fidei Inquisitoribus, *uti continentem Propositiones falsas, seditiosas, scandalosas, temerarias, Summo Pontifici contumeliosas, schismaticas, & insuper hæreticas*.

Nihilominus tres isti superstites Episcopi, junctis sibi in locum Mirapicensis mortui, sociis quatuor, ausi sunt expressis nominibus, tanquam *Ecclesiæ Principes*, Summum Christi Vicarium tali Epistolâ convenire, quâ adeò non præstarent obedientiam Constitutioni, ut hanc præsumpserint potiùs, velut meritam anathema, Pontifici denuntiare.

Talibus proculdubio Episcopis applauderet Ægidius, tanquam gloriosis, inter suos, Confessoribus, novæque *Prædicatoribus veritatis*, quæ ut Quesnellus ait, *plerisque Christianis* (imò Catholicis omnibus) *lingua quasi peregrina est, & idioma incognitum*.

Quod Ægidius Cardinalem Sfondratium, Fenelonium Archi-præsulem Cameracensem, Molinam, & Lessium velut Pelagii, Cælestii, Juliani socios, in eandem cum iis proiiciat damnationem, non magis illorum animis, non magis etiam famæ penes Catholicos nocebit, quàm Sacrilega Jansenistarum Parisiensium mappa nocuerit Clementi XI. ejusque gloriosæ memoriæ, aut quatuor Eminentissimis, ut fingebatur, sanctissimi bajulis, aut mihi, ab iisdem novæ Ecclesiæ judicibus ablegato ad inferos janitori.

Ut autem Quesnello & Ægidio obtigerit felicior cum Beatissimis *Augustino & Prospero* in cœlestibus societas, opto quidem; Sed magis timeo, ne luctuosior Novatori utrique nuper defuncto exitus fuerit; Siquidem, ut dicitur, obierit, absque ullius palinodiâ erroris, aut publicæ contra Summos Pontifices inobedientiæ, & scandalosissimæ rebellionis.

Quod desideraverit Ægidius æternum degere cum *Gravio, Estio, & Jansenio*, quos, piè supponere potuit, in gratiâ discessisse, non apparet reprehensioni obnoxium; cùm in unione Ecclesiæ & obedientiâ erga Pontificem è vitâ singuli migrasse perhibeantur.

Quapropter licèt non omnia forsitan, quæ Gravius & Estius docuerunt, probanda penitus videantur; Jansenii etiam quinque Propositiones certissimè sint hæreticæ, cùm tamen abfuerit ab authoribus illis pertinacia; quin & suam Jansenius submissionem publicis Testamenti tabulis voluerit esse consignatam, qualiscumque in hoc Præsule error fuerit, etiam hæreseos condemnatus, obesse non debet, quin pia de ejus salute fiducia teneatur.

Sed quæ obedientis Magistri, non eadem rebellium Discipulorum est ratio. Quare placuit mihi semper eruditissimi & propter pietatem ab ipsis aliàs adversariis laudati Cardinalis Aguirrii observatio in Defensione Cathedræ Sancti Petri Disput. 19. Sect. 3.

" Unde (inquit) colligitur, meliorem esse causam Baii & Jansenii, quàm Sequacium. Etenim ii duo nihil adversus Pontificias definitiones moliti inveniuntur, neque appellationis ad Concilium Generale meminerunt: Sed alter eorum statim decretis Pii V. & Gregorii XIII. paruit: alter se ipsum, & omnia sua Scripta subjecit judicio Sedis Apostolicæ, ut latè vidimus Disputat. Præcedenti. Quæ animi præparatio excusat à labe hæresis formalis, sicuti & à pertinacia requisitâ ad illam contrahendam, quod meritò observarunt, post Gersonem in Opusculo de Retractatione, Castro p. 1., Simancas lib. 1. de justa Hæretic. punitione cap. 11. & alii apud Pegnam in quæst. 12. primæ partis Directorii Inquisitorum.

" Atque ita observatum fuit in Concilio Oecumenico Lateranensi sub Innocentio III. cum Abbate Joachimo, in cujus scriptis tradebatur aperta hæresis contra mysterium Trinitatis, seu Homousii, aut identitatis ejusdem numero substantiæ aut essentiæ, inductâ solùm unitate collectivâ aut similitudinariâ.

" Verùm quoniam idem Abbas vivens palam subjecit judicio Ecclesiæ Librum illum, Patres Concilii excusandum illum putarunt à labe hæresis formalis: Quod ipsum aliis Catholicis Scriptoribus contigisse exploratum est. Quin & idem dicendum esse, licèt fortè in quibusdam eorum fuerit, aut interveniat ignorantia crassa, aut facili negotio superabilis, quam *vincibilem* appellant, quæque nullatenus excuset à culpa gravi, tuentur idem Castro, Melchior Canus, Martinus Navarrus, Vasquez, Azot, & alii quos laudat & sequitur Sanchez Libro 2. in Decal. cap. 7. num. 20.

" Qua propter nec Michael Bajus, nec Jansenius, qui scripta sua Apostolicæ Sedis judicio subjecisse censentur verâ animi præpara-

„ paratione in libris ipsorum testatâ, censeri „ debent aut possunt hæretici: cùm in iis „ non fuerit pertinacia, quæ est propria no- „ tio hæresis formalis.

„ Verùm ille ipse error, qui in Prodromo, „ aut Mystagogo ipsius eximitur notâ hære- „ sis formalis, potest in sequacibus ejus il- „ lam subire, & abs dubio subit, ubi post „ damnatam sententiam judicio Sedis Apo- „ stolicæ, adhuc illam tueri audent. Quod „ olim evenisse partiariis S. Cypriani ex Hi- „ storiæ Ecclesiasticæ monumentis constat.

„ Docuerat ille S. Martyr, & Clarissimus „ Scriptor, non ex pervicaciâ; sed lapsu quo- „ dam humano, & bonâ fide, hæreticos de- „ nuo baptizandos esse, quod postea Sedes „ Apostolica damnavit, & proscripsit: Certè „ hinc ille nullam hæresis notam subiit.

„ Quin potiùs quoties eum errorem refu- „ tant alii ex Patribus, honorificè admodum „ de Cypriano loquuntur. Unde Augusti- „ nus inter alios, lib. 6. contra Donatistas „ cap. 2. inquit; *Reddens debitam reveren- „ tiam, dignumque honorem, quantum valeo, „ persolvens pacifico Episcopo, & glorioso „ Martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum „ aliter sensisse de Schismaticis vel hæreticis „ baptizandis, quam postea veritas prodidit.*

„ Sed cùm longè postea aliqui eundem er- „ rorem, jam antea à Sede Apostolicâ dam- „ natum, tueri pergerent, sic illos refellit „ Vincentius Lirinensis in Commonitorio „ c. 11. *O rerum mira conversio! Authores „ ejusdem opinionis Catholici, consectatores „ verò Hæretici judicantur. Absolvuntur „ Magistri, condemnantur discipuli. Con- „ scriptores Librorum, filii regni erunt, Asser- „ tores verò gehenna suscipiet. Nam quis „ illud Sanctorum omnium & Episcoporum, „ & Martyrum Lumen Beatissimum Cypria- „ num, cum cæteris collegis suis in æternum „ dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut „ quis contra tam Sacrilegus, qui Donatistas, „ & cæteras pestes, quæ illius auctoritate Con- „ cilii rebaptizare se jactitant, in sempiter- „ num neget arsuros esse cum Diabolo?*

„ Timeant igitur Sectatores Baii & Janse- „ nii, quicumque ii sint, ne fortè utroque „ ipsorum Prodromo labe hæresis formalis „ exempto ob quandam bonam fidem, aut „ subjectionem animi erga judicium Roma- „ ni Pontificis, ipsi è contrà eam notam „ subeant instar Donatistarum, & æterno igne „ ardeant.

„ Denique adhuc juxta Sententiam Ger- „ sonis, cui Scriptores ii unicè fidunt, pror- „ sus nequeunt evadere fulmina Pontificio- „ rum anathematum, quibus percelluntur ii, „ qui Propositiones Baii & Jansenii qualiter- „ cumque tuentur. Ipse enim Gerson, ut- „ cumque senserit de infallibilitate definitio- „ num Pontificis Romani in controversiis fi- „ dei latarum extra Concilium Oecumeni- „ cum, & dè auctoritate alterius supra alte- „ rum; adhuc fatetur Pontificem Romanum, „ quoties declarat aliquam Propositionem, „ aut definit tanquam fide Divinâ certam, „ posse obstringere omnes subditos in dicto „ anathemate, ne dogmatizent oppositum „ tali determinationi, donec accedat defini- „ tio Concilii universalis. Ita ille palam To- „ mo I. in eo Opusculo, cui titulum posuit, „ *Quomodo, & an liceat in causis fidei appel- „ lare à Summo Pontifice*, seu ejus judicium „ declinare. Vide Raynaudum in Opusculo „ cui epigraphe, Αὐτὸς ἔφα, punćto 2. ubi „ latè exponit Sententiam Gersonis.

„ Cum igitur Pontifices Romani Pius V. „ Gregorius XIII. Urbanus VIII. Innocen- „ tius X. & Alexander VII. toties sub pœna „ anathematis tam seriò, tam graviter pro- „ hibuerint defensionem cujuslibet ex iis „ Propositionibus, quicumque illas tuentur, „ quolibet colore quæsito, nequeunt evade- „ re fulmen anathematis Pontificii, adhuc „ juxta Gersonis opinionem. „

Habemus quidem in Jansenio, juxta ejus discipulos, *Prædicatorem veritatis*, inter posteriorum temporum Episcopos clarissimum, qui, teste ejus epitaphio, authoritate Alexandri VII. sublato, fuit *arcanarum cogitationum Augustini, si quis unquam fidelissimus interpres.*

Idem de eo censuit Pater Quarrè Oratorii Berulliaui Presbyter recens è Gallia cum sociis tunc aliquot à Jansenii Factione evocatus, ad Oratorium cum Jansenismo in Belgio stabiliendum. Hoc itaque novus hospes illustri testimonio ordiri voluit, & novi illic domicilii, cum nova fide, jacere fundamenta. *Quotquot*, inquit, *sunt in nostra Congregatione Theologi, mecum unanimiter fatentur omnes, se Augustinum in Jansenio invenire.*

Quæ si ita sint, si *arcanarum cogitationum Augustini fidelissimus interpres* præ cœteris Jansenius fuerit, cur eum Quesnellus Berullianæ etiam ipse Presbyter Congregationis, deseruit in *Epistola* anonyma *cujusdam Ecclesiastici circa mentem Sancti Augustini de authoritate Pontificis*? Conferamus utriusque sententias.

Jansenius in Thesibus anno 1617. die 9. Octobris pro obtinenda Doctorali Laurea defensis. *Externæ*, inquit *Regulæ sunt Romanus Pontifex, Concilia, Ecclesia. Christus itaque Dominus visibilem suam præsentiam mili-*

militanti Ecclesiæ subtracturus, visibile ei caput, suum Vicarium Pontificem, Apostolorum verticem Beatum Petrum constituit, cui omnes omnium Nationum Fideles, plebei, Principes, Laici, Ecclesiastici, ipsique Apostoli subiicerentur.

Hujus verus ac legitimus Successor Romanus est Pontifex . . . Supremus est omnium de religione controversiarum judex: cujus judicium rectum, verum, infallibile est, eum universæ Ecclesiæ aliquid sub anathemate tenendum esse definit.

Ne verò dicatur Jansenius eam quidem tenuisse junior; Sed ætate provectior sententiam mutasse, jungo testimonium ejusdem luculentius ex famoso ejus volumine ultimo, quod scriptionibus & vitæ simul finem imposuit, neque edi potuit ab authore, morte citiùs, quàm expectaverat, præoccupato. Magnifica Operis inscriptio est *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus*.

Illic Libro Proëmiali cap. 29. hæc legitur Authoris Protestatio: " Mihi constitutum „ est, eandem, quam ab infantia secutus sum „ sensuum meorum ad extremum spiritum „ usque ducem sequi Romanam Ecclesiam, „ & Beatissimi Petri in Romana Sede Successorem. Super illam Petram ædificatam „ Ecclesiam scio. Quicunque cum ipso (Petri successore) non colligit, spargit: apud „ quem solum incorrupta Patrum servatur „ hæreditas. Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, „ & porrò vivere & mori fixum est, ab isto „ Principis Apostolorum Successore, ab isto „ Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc „ teneo: quiquid improbatum, improbo: „ damnatum, damno: anathematizatum, „ anathematizo. „

Quantum ista Doctoris humilitas & submissio differt a Superbiâ rebellium Discipulorum, cristas attollentium adversus Petri Cathedram Cœtumque Fidelium, sanctissimo Capiti consentientem!

Neque in libro solùm Proëmiali tam Catholicè locutus est Jansenius: audiatur etiam in Epilogo. " Quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis non juxta meam; Sed „ juxta Sancti Doctoris (Augustini) mentem „ pronuntiavi, ex Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris meæ judicio sententiaque suspendo; ut illud jam nunc teneam; Si tenendum: revocem si revocandum: damnem & anathematizem; si damnandum & anathematizandum esse judicaverit.

„ Nam quemadmodum istius Ecclesiæ ac „ Sedis mysteriis infantulus initiatus, & ejus „ fide cum lacte matris imbutus fui & crevi, „ & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum „ unguem, quod sciam, animo aut facto, aut „ sermone deflexi; ita porrò ad extremum „ usque spiritum vivere, ac Deo adjuvante „ mori; Divinoque judicio sisti, mihi constitutum est, ut juxta sacratissimam ejus regulam, quæ a temporibus Apostolorum per „ successionem continuam Romanorum Pontificum, per universum Orbem prædicata „ & credita est, referam à Dei misericordia, „ aut Justitia bonum aut malum. „

Idem sensus perquàm Catholicus, eadem doctrina Jansenii fuit in Commentariis Sacræ Scripturæ. In caput 22. Lucæ ad versum 32. ita scribit. " *Ego autem rogavi pro te*, „ peculiariter, tanquam Capite cæterorum, „ per quem reliquos ad salutem adducere „ decrevi: *ut non deficiat fides tua*, ut non „ penitus eradicetur & extinguatur. Nam „ quamvis cribrandus, & concutiendus esset „ usque ad negationem Christi, quam ore „ fecit; Fidem tamen internam, quâ ad justitiam corde creditur, non amisit: sicut „ arbor folia vi tempestatis abjicit; non tamen vitam in radice permanentem, ut scutit Ambrosius in ver. 12. Psalmi 43., & explicat Theophylactus.

„ Et hoc quidem personale fuit Petri privilegium, de quo Augustinus Lib. de Correptione & gratia cap. 8. Quando, inquit, „ rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud „ rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, „ fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Sed quia confirmare „ Fratres, quod sequitur, ad Officium Pastoris pertinet, & proinde perpetuum esse debet, hinc juxta sensum Antiquorum impetravit ei & aliud Privilegium, ad Successores propagandum, ut videlicet tanquam „ Caput Ecclesiæ nunquam ipse, nec Successores ejus in docenda vera fide deficerent, „ juxta illud Leonis Serm. 3. de Assumptione „ sua ad Pontificatum: *in Petro omnium fortitudo munitur*: & illud Bernardi Epistola „ 190. ad Innocentium: *Dignum arbitror*, „ *ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non* „ *possit fides sentire defectum*. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando, *Ego rogavi* „ *pro te, & tu aliquando conversus confirma* „ *Fratres tuos*? „

Denique in Testamento, quod Jansenius morti proximus, atque ut Lovanienses referunt, vix mediâ ante obitum horâ dictavit, & ipsi damnato Operi præfigitur, ait: " Ego „ Cornelius, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episco-

„ Epifcopus Iprenfis,de mea libera voluntate „ do & dono omnia mea fcripta ad explica- „ tionem Sancti Auguftini fpectantia Capel- „ lano meo Reginaldo Lameo ; partim quia „ magno labore ea fcripfit, vel dictavit ; par- „ tim quia fine originali corrigi copia non „ poteft. Hâc tamen mente hanc donatio- „ nem facio, ut cum doctiffimis viris Magni- „ fico Domino Liberto Fromondo, & Reve- „ rendo Domino Henrico Caleno Canonico „ Melchlinienfi conferat, & difponat de edi- „ tione quàm fideliffimè.

„ Sentio enim aliquid difficulter mutari „ poffe ; Si tamen Romana Sedes aliquid „ mutari velit, fum obediens filius, & illius „ Ecclefiæ, in qua femper vixi ufque ad hunc „ lectum mortis, obediens fum, Ita mea „ poftrema voluntas eft. Actum fextâ Maii „ 1638.„ Erat infrafcriptum CORNELIUS EPISCOPUS IPRENSIS: & impreffum figillum ejufdem. Ita teftor HENRICUS CALENUS.

Hæc nuper Lovanlenfes opportuniffimè pro his rerum circumftantiis recudi curarunt, approbante Hermanno Damen Sacræ Theologiæ Doctore Regente,& Cenfore Librorum ordinario. Excerptis illis triplex jungitur animadverfio congrua,

Prima. " Quòd Janfenius fteterit ufque „ ad mortem pro infallibilitate Decifionum „ Summi Pontificis, dum in materia fidei aut „ morum Ecclefiam univerfam obligat ad „ credendum quod definit.

Secunda. " Quòd fi vivente Janfenio, „ Pontifices librum ipfius, & extractas ex „ ejus libro Propofirlones condemnaffent, „ ipfe primus ifti condemnationi fuiffet fub- „ fcripturus.

Tertia. " Quòd fi hodie viveret Janfe- „ nius, abominaretur fanda, infanda molimi- „ na,quibus fiiæ Doctrinæ fequaces Quefnel- „ lus aliique aufi funt, & audent hodiedum „ illam contra tot Apoftolicas Conftitutio- „ nes, cum ingenti fcandalo fuftinere. Hu- „ mili proinde Janfenio, fuperbifque ejus „ Difcipulis rectè applicaveris effatum Vin- „ centii Lirinenfis ex Commonitorii capi- „ te 11. *O verum mira converfio! authores* „ *ejufdem opinionis Catholici, Confectatores* „ *verò hæretici judicantur*, „ ut fuperiùs retuli obfervatam ab Eminentiffimo Aguirre: neque poffunt nimium hujus temporis novatoribus inculcari.

Eat igitur furens Ægidius de Witte cum fuâ plufquam Schifmaticâ *denuntiatione folemni Pontificæ Conftitutionis Vineam Domini Sabaoth*, & contra eam *omnes Hierarchas* ad Generale Concilium malefanus evocet, propterea quod illa Innocentii X. & Alexandri VII. Diplomatibus confirmatis, quintuplicem Janfenii hæresim ab omnibus Ecclefiafticis jurejurando adftrictis, jubeat fine exceptione, diftinctione, expofitione reiici & condemnari.

Si Magiftrum, tantopere, ut præfefert, difcipulus reveretur, æquiffimum eft, ut qui errantis inftitit imprudenter veftigiis, ab errore redeuntem, falubriùs audiat, & promptiùs fequatur.

Janfenius ad Summi Tribunal judicis properare aufus non eft, nifi præmiffâ Dei Vicario obedientiâ: *Si Romana Sedes aliquid mutari velit, fum obediens filius*. Mutari jubente Pontifice Articulos quinque, contrà obteftatur Ægidius Ecclefiam pag. 3. *Confer* (inquit) *Auguftiniana Dogmata & Janfeniana, deprehendes, non ita lucere Solem in meridie, quàm Iprenfium Præfulis eum Doctorum tuorum apice Aurelio Auguftino fuaviffima concordia fplendeat*.

Quin fuâ Ægidius umbratili & confictâ inaniffimè de quatuor Pontificibus victoriâ, fibi plaudens, eodem tempore hanc loculentiori operi non dubitat frontem præfigere: *Auguftinus Iprenfis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., Clementis XI. ereptus & erutus*.

Quicunque (inquit Janfenius) *cum Beatiffimi Petri in Romana Sede Succeffore non colligit, fpargit. Quidquid ab ifta Petri Cathedra, ab ifto Principis Apoftolorum Succeffore Pontifice præfcriptum fuerit, hoc teneo, improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo*.

Iftud Janfenius perperam juxta Ægidium: ideò in *vindiciis uberioribus* pag. 43. ait; *Quidquid circumveniantur Pontifices, dormitent Epifcopi, fileant eruditi, me folum relinquant: Clementinam Bullam vanis effugiis, & cavillis frigidiffimis tueri pergant: Quidquid demùm reclament contra me inimici, vel deficiant à me amici*, folus ego in àcie ftabo intrepidus pro Janfenio, etiam invito.

Rationem reddit pag. 46. quia *veræ pietatis ædificium extrui nullo modo poteft, nifi pofitis à clariffimo Janfenio fanctiffimis & humillimis innixum bafibus*.

Idem Ægidius cùm ex mendacibus Walonii ad *Sanctam Familiam* literis didiciffet, faventes fibi fuifque, Innoc. XII. Pontif., effe in Sancto Officio circumftantias, non dubitavit *Panegyrim* edere *Janfenianam*, ipsâ libri fuperficie omnibus denuntians, eluxiffe tandem exoptatiffimum *tempus loquendi*, quafi ab Ecclefiafte cap. 3. v. 7. prædefinitum.

Que

Quæ temeritas cùm Romæ, & in Belgio ab ipsis damnaretur Lovaniensibus, non tamen ab authore sine vindiciis derelicta est: neque hæ de Panegyreos absurdissimæ quidquam duritie remiserunt; Sed anteriorem auxere potiùs incrementis minimè levibus temeritatem.

Exemplo sit quod Apologiâ primâ pagina 22. legitur. " Demonstrari facilè potest „ perspicuis rationibus, Doctrinam Ecclesiæ „ magis jam esse illigatam Jansenio, seu per„ sonæ & scriptis ejus, quàm unquam per„ sonæ Athanasii innexa fuit: Gloriosi Scri„ ptoris hujus (Jansenii) volumen tum di„ gnitate materiæ, tum excellentiâ sapien„ tiæ, tum pietatis afflatu, libris omnibus, „ quos Ecclesia Dei post canonicas scriptu„ ras protulit, aut non cedere, aut palmam „ etiam cum laude auferre „.

Apologiâ secundâ pag. 13. " A conditâ „ Ecclesiâ non est elaboratum opus, ubi „ controversia quædam Sacra à primis fun„ damentis ad summa usque fastigia tam pul„ chrè, tam solidè, tam facundè, tam cohæ„ renter, tam indivulsâ contignationum fir„ mitate construitur. „

Ibid. " Nullâ præviâ scientiâ Theologi„ câ imbuti esse debent [Lectores] ut in Jan„ seniani operis magnalia penetrent: magna„ lia, inquam, totius Christianæ vitæ ba„ sim, totius veræ pietatis nucleum, omnium „ virtutum Theologicarum atque Moralium „ perfectam ideam, denique notitiam pro„ fundam Dei, Christi, ac sui in se largiter „ complectentia „.

Cùm ea Ægidii in extollendo volumine toties damnato, offendisset ubique plurimos insolens arrogantia, tam publico author scandalo & increpationibus haud quaquam territus, suis ipse insultat monitoribus, atque eadem in Apologiâ 3. impudentiùs repetens pag. 370. " Ringatur qui volet (inquit).

Dein pag. 373. Augustino Iprensi præferentibus Hipponensem respondet, assentire se penitùs non posse, quinimo: " Si alteru„ trius (inquit) facienda esset optio, an ut „ sensus librorum S. Augustini Hipponensis „ in materiâ liberi arbitrii & gratiæ Dei; an „ verò sensus libri Janseniani, juxta Consti„ tutionem Clementinam Theologiæ tironi„ bus ejurandus esset, minùs è condemna„ tione prioris, quàm è posterioris Catholi„ ca Christi Ecclesia pateretur.

„ Nam Augustinus Hipponensis, quia non „ semper æquè in hac materiâ eruditus fuit... „ aliquando aut minùs cautè, aut minùs cla„ rè locutus est, ideoque in quæstionem trahi potest; Jansenius nullo modo. „

Erigit hic mirabilis Ægidius Jansenium supra Doctorum Aquilam Augustinum, atque adeò discipulum supra Magistrum; erigit novæ sectæ hæreticæ ex imperitiâ fundatorem miserrimum, supra hæreticorum omnium sui temporis gloriosissimum expugnatorem.

Denique jam vidimus Ægidium volentem sapere supra ipsum suæ sectæ Principem Jansenium, qui *improbat, damnat, anathematizat*, quidquid in suo volumine improbari, damnari, anathematizari aliquando forsitan contingeret à Romano Pontifice; Ægidius autem post quatuor Pontificum contra Jansenii doctrinam anathemata, eandem *vindicare atque è damnatione Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., Clementis XI., eripere, eruere*, restituere præsumit.

Quesnellus etiam *Notis in Epistolam Steyaertii* pag. 17. de omnibus contra Jansenium Constitutionibus, veluti debellatis, Pæana canens, annuntiat, *sensum à Jansenio intentum, adeò hæreticum non esse, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in eo non esse Catholicum.* Doctrinam itaque nonnisi Catholicam Jansenius ipse cum Pontificibus confixerit anathemate, & quidem in tam multis Articulis, non solùm hæresios damnatis ab Innocentio X. & successoribus; Sed etiam in pluribus Bajanis, quos à Pio V., & Gregor. XIII. antea reprobatos, Urbanus Prædecessorum suorum sententiam confirmans, iterum proscripsit cum Jansenii volumine, tanquam eosdem Articulos scandalosissimè resuscitante.

Porrò cum totus quodammodo liber Jansenii, in stabiliendis iisdem Dogmatibus consistat, videntur Jansenianorum, de ejusdem authoris sensibus elogia, simul cum Catholica ejus submissione constituere Propositiones similes eis, quas vocat dialectica *falsificantes* invicem.

Undè implexa novis Augustini discipulis proponitur quæstio, locumne inter *veritatis Prædicatores* Jansenius mereatur, an veluti desertor abjiciendus? Responsum ab illis Didacticum non expecto; quia neque Patriarchæ suo nuntium remittere, neque submissionem ejus publicè confiteri cupiunt, quam mallent silentii tenebris perpetuò sepeliri. Sed locis illa nimium conspicuis, & multis tradita atque inculcata, in variis Jansenii operibus legitur: ubi dissimulare quidem eam potest Novatorum pertinacia; Sed non ignorare, aut oculis subducere orthodoxis.

Nos itaque ipsum meritò Jansenium Jansenianis objicimus; obstinatis, utpote cujus repetita toties, eaque maximè ultima pro-

Protestatio, indubiè penès omnes sanæ mentis & æquitatis arbitros, expressæ æquivalet retractationi: atque adeò quæcunque in Jansenii opere cernitur condemnata Pontificiis Constitutionibus doctrina, non ampliùs propriè illius authoris est Catholici; sed rebellium Apostolicæ Sedi, & Magistro suo refragantium discipulorum, quos superbia, & nata inde pertinacia, hæreticos fecit, & cunctis fidelibus ac Superis execrandos.

Illustrissimus le Tellier Archiepiscopus Remensis aliquando minùs benevolus visus est Religiosis Mendicantibus, potissimum Societatis: inde quantis laudibus celebrari meruit à nobis Augustini discipulis! Spem inde non dubiam concepêre patrocinii pro causâ suâ; At ubi senserunt novæ hæresi infestum, virulentis eundem spiculis calumniarum impetere non dubitarunt, atque ita penès eos loco excidit & gloriâ *Prædicantium veritatem*.

Ità de eo Gerberonius in opere anonymo, tanquam Epistolâ cujusdam Theologi ad Archiepiscopum Remensem pag. 5.: *Hinc* inquit, *omnes concludunt, Archiepiscopum Remensem esse illum Superbiâ inflatum, de quo loquitur S. Paulus, Doctorem illum, qui nihil novit de scientia Sanctorum, & possessum ab illâ spiritûs infirmitate, à qua nascuntur invidiæ, maledicentiæ, suspiciones pravæ, & contentiones perniciosæ.*

Minùs etiam à Quesnello, & Gerberonio *veritatis Prædicatio* committi potuit Archiepiscopo Mechliniensi Humberto, utpotè quem mox videbimus Jansenianæ *præconibus veritatis* maximè *contrarium*, ideò illi insigniter exagitandum susceperant libellis vernaculis, anonymis, & famosis, quibus reddere eum conarentur omnibus odiosum; atque ita si perdere penitus non possent, saltem infringerent eius authoritatem, animumque dejicerent, ne *veritatis* novæ *Prædicatoribus* auderet imposterum se opponere, neve, si vellet, resistere valeret.

Primus contra eum cecinit classicum Gerberonius tribus eodem tempore libellis, triplici idiomate, Gallico, Latino, Belgico editis, ut multitudo credita oppugnantium terreret, & faciliùs persuaderetur populo, quod à pluribus appareret assertum.

Ante Archiepiscopi adventum non exiguos in Diœcesi illâ progressus novitas fecerat, nacta in Humberti prædecessore Præsulem quidem minimè malum; Sed qui, ut in Theologicis non multùm, in Polemicis minùs versatus, in Domesticos, & Ministros inciderat Novatoribus faventes, circumveniri ab his faciliùs potuit.

Ea labes Diœcesios amplissimę, in quâ Lovanium est, non latuit Apostolicam Sedem, quæ pulsata gravibus Belgarum querelis, de evocando Romam Archipræsule ad reddendum villicationis rationem, seriò deliberabat. Sed ne suam exponeret discrimini authoritatem, explorare antea de hoc voluit mentem Curiæ Madritensis.

Indè autem intelligens oppositionem fore propter prætensum à Belgis privilegium *de non evocandis*, expectandum censuit donec Antistiti ad Tribunal Superûm evocato, successor obtigit, quo nullus cogitari aptior poterat, Humbertus Guilelmus, à Precipiano Episcopus Brugensis.

Hic Regi Catholico à Consiliis fuerat annos multos, non tantùm acri ingenio, & ardenti zelo præditus religionis, sed etiam Theologiæ Polemicæ studiosissimus. Talis pridem innotuerat Pontifici Innocentio XI., qui ei priùs ab Aula Hispanicâ, motu proprio, nominationem petierat ad infulas Brugenses, pro suâ reverentia exauditus. Postea vacante Archiepiscopatu Mechliniensi, ut malis illic gliscentibus mederetur, transferendum eò censuit, annuente libenter Rege Catholico, hunc fidei contra novos hæreticos fortissimum heroem.

Mortuo autem intereà Innocentio XI. successit Alexander VIII., qui perspectum habens Archidiœcesios illius necessitatem, expediri ad eum statim *Pallium* voluit, etiam priùsquam Romæ ad juramentum præstari solitum, procuratio comparuisset: Cui novitati quibusdam se in Curiâ opponentibus, fertur respondisse Pontifex; Si istiusmodi gratiæ non extiterit hactenùs exemplum, cupere se istud primum esse, ne ex mora Antistitis, graviorem illic stragem pareret insolitæ à tot annis contagium novitatis.

Translatus itaque Brugis Mechliniam Humbertus brevì undique solicitatus fuit, ut imponeret finem abusibus, & frænum audaciæ injiceret Jansenianæ.

Opportuna sub id temporis occasio se offerebat, novi Antistitis consecratio. Hac usus Archiepiscopus, cum suis, qui aderant, suffraganeis consilia contulit, qua ratione posset grassanti novitatis pestilentiæ afferri remedium. Probatum autem communi judicio fuit, ut initium duceretur ab executione eorum, quæ Sedes Apostolica decrevisset sive contra libros, sive contra Dogmata; etiam ne Sacræ literæ vulgari idiomate promiscuè legerentur.

Vix istud Archiepiscopi mandatum foras prodiit, quin animadversiones Gerberonius typis ederet, similes ferè iis, quas Quesnellus aliquot annis ante scripserat contra Decre-

Decretum S. Congregationis Indicis Tridentini, quo suas in S. Leonis opera Dissertationes ægerrimè tulerat prohiberi.

Mechliniensis sanctio inchoatur formulâ solitâ: *Humbertus Guilelmus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus*. In hæc verba sic insurgit impudentia Gerberonii schismatica, libello cui titulus: *Decretum Archiepiscopi Mechliniensis Notis illustratum*, pag. 3. *veriùs dixisset (Archiepiscopus) tremendo Dei judicio & Jesuitarum artibus*. Cur dixerit tremendo Dei judicio, rationem reddit, quia *nulla major calamitas, quam Ecclesiam regi ab iis, qui spiritu Christi, qui veritas est, non aguntur; sed seducti plurimos seducunt, & clavem scientiæ non habentes, clave potestatis abutuntur*. Talium promotio Episcoporum iuxta Quesnellum effectus fuerit *iræ Dei in filios suos*, propter veritatis in Ecclesiâ ignorantiam, ut indicat Propositio 95. Non est itaque verisimile, quod talem Archiepiscopum annumerati Quesnellus voluerit *Prædicatoribus veritatis*.

Crimen gravius intorquet eidem novo Archipræsuli Gerberonius pag. cit.: *Qui priùs Brugensis, modò Mechliniensis Ecclesiæ sponsus est contra datam fidem, ac sanctiores Ecclesiæ regulas, nonne adulter magis, quàm sponsus censendus est?*

Odium & ira homines cœcos faciunt, ut modò Gerberonium, ne videat, quot jacta in Humbertum calumnia, feriat in omnibus Christiani Orbis regionibus Antistites integerrimos, etiam Sanctissimum Pium V. Pontificem.

Eminentissimo de Noailles adversarii non defuerant hactenùs; Verùm qui tertiam illi exprobrarit, quam relictis prioribus, tunc adierat, & etiamnum occupat Cathedram, non reperio.

Consentiunt universi Epistolæ Pelagii Pontificis, quâ Benigno Archiepiscopo sic respondet: *Exigit dilectio tua consulta Sedis Apostolicæ, si licitum foret Episcopis transire aut mutari de Civitate in Civitatem; cùm quidam Canones, ut tibi videtur, hoc fieri prohibeant... Scias, Frater dilectissime, aliud esse mutare, & aliud mutari. Quapropter charissime, muta Episcopum causâ necessitatis, aut utilitatis, super quo consulere nos voluisti, & alios Fratres nostros, quibus hoc faciendum necessitas aut utilitas compulerit, agere doce; quià hoc, quod tibi soli scribimus, ab omnibus teneri mandamus*.

Non defuit Mechliniensi Archiepiscopo defensor, qui Gerberonium dedocere mox voluit errorem, atque à tam insulsâ deinceps avertere calumniâ, quæ tot impeteret clarissimos & Sanctos Antistites, etiam illos, quos Gerberonii & sociorum interesset, omni potiùs blanditiarum, & fraudum genere suis partibus conciliare. Sed rabies ut dixi, oculos non habet, ut videat in quos involet, quos morsibus dilaceret, Domesticos ab alienis, amicos ab hostibus non discernens.

Prioris itaque libelli vindicias dedit, ubi pag. 25. eandem repetit, & fortiùs ingerit contumeliam: *Nonne*, inquit, *adulter & non Sponsus est, qui primam Sponsam deseruit ad ducendam alteram?*

Pag. 26.: *Non existimo rigoris nimii arguendum esse eum, qui Notis in Decretum Archiepiscopi Mechliniensis interrogavit, an Præsul, ex Sponso Ecclesiæ Brugensis, factus Sponsus Ecclesiæ Mechliniensis, non habendus sit adulter potiùs, quàm Sponsus?*

Pag. 30.: Temeritatem suam apertiùs prodit dicens: *Hujusmodi Translationes hodiè valde visitatæ sunt; Sed eo tantùm ostenditur, malum istud invaluisse magis hoc tempore, quàm unquam antea: quod malum originem trahit ab avaritia & ambitione, quæ Ecclesiæ legibus se nescit submittere*.

Quamvis ea vitia locum forsitan obtineant; in aliquibus, istud tamen securissimè assero, Illustrissimum Humbertum neque Brugensem Cathedram ambivisse, neque Mechliniensem; Sed utramque ei obvenisse maximè legitimè, ipso Nuntio Apostolico Madritensi hanc jussu Pontificis expetente à Rege Catholico Nominationem.

Quàm hæc utilis fuerit, & quodammodo necessaria, non soli Mechliniensium Diœcesi. nec soli Belgio; Sed finitimis quoque Provinciis, noverunt omnes retum ab hoc Archipræsule gestarum conscii. Ejus enim singulari vigilantiâ detectæ sunt vulpes & interceptæ, quæ Vineam Domini demoliebantur.

Eductis illis ex utraque, quâ latuerant, foveâ, cum infinita chartarum supellectile, totum iniquitatis mysterium juridicis processibus in lucem publicam pertractum est. Neque Ecclesiæ tantum nocuit furtiva Quesnelli effracto forinsecus carcere evasio, quantum profuerit Constitutio utraque Clementis XI. *Vineam Domini*, & *Unigenitus*, quibus occasionem præbuit tum ipsius Quesnelli, tum factionis totius, post evasionem capitis, audacia.

Denique elabente Reo, remansere nihilominùs scripta omnia in potestate Archiepiscopi, quibus ille non solùm lites instrui curavit; Sed etiam summos utriusque fori Principes reddidit certiores de grassante per Gallias & Belgium novitatis contagio, cui nisi for-

fortiore quantocyùs remedio occurreretur, reſiſti poſtea non valeret; quin perniciem afferret Eccleſiæ & Reipublicæ forſitan haud leviorem, quàm duobus ſeculis ſuperioribus Lutherana hæreſis peperit, & Calviniana.

Hinc excitata magis attentio Apoſtolicæ Sedis, & inferiorum Antiſtitum, Regis etiam Chriſtianiſſimi, ut tempeſtivè proſpicerent, & ſecurim ponerent ad radicem. Archiepiſcopo Mechlinienſi ſtrenuam operam contulerunt Antiſtites ejuſdem Provinciæ cæteri, ſimilibus contra novitates Decretis.

Verùm in tanto Janſenianæ ſectæ diſcrimine, non ſibi diſſimulandum illa, non ſilendum ſtatuit; Sed elatis clamoribus implenda omnia & turbanda, ut terrorem injiceret Eccleſiæ Præpoſitis, ipſique Reipublicæ.

Gerberon in *Brevi & neceſſaria Inſtructione* pag. 5. vociferatur: *Si qui Epiſcopi in Belgio lectionem Sacræ Scripturæ* (promiſcuam in lingua vulgari) *prohibuerint Chriſtianis, fas eſt dicere, hujuſmodi Decretum non à Deo; ſed à Diabolo profectum eſſe, & ſinceros Chriſtianos omnes habere tale Decretum, primò tanquam gravem abuſum Epiſcopalis Poteſtatis: Secundò tanquam defectum gravem contrarium debito Epiſcopali: Tertiò tanquam ſcandalum, quod Schiſmaticos ab Eccleſiâ Catholicâ avertat, & in ſchiſmate confirmet; Quartò tanquam magnum dedecus, & injuriam, quam Epiſcopi intulerunt Eccleſiæ per tale Decretum, quod Acatholici nobis & Eccleſiæ perpetuò exprobrabunt.*

Idem pag. 27. *Interdicere lectionem Divini Codicis in linguâ vernacula, aliud eſſe, aut nominari non poteſt, quàm damnanda hæreſis*. Concinit ejuſdem libellus nomine *Difficultatum propoſitarum Epiſcopo Gandavenſi* pag. 3. *Chriſtiano populo interdicere lectionem ſcripturæ Sacræ in idiomate, quod optimè intelligit, eſt incidere in hæreſim & impietatem.*

Idem opuſculo contra *ſententias & agendi rationem Archiepiſcopi Mechlinienſis*. Pagina 28. *Præſtantes Theologi lectionem promiſcuam S. Scripturæ in lingua vernaculâ, exiſtimant communi plebi prohiberi non poſſe ſine hæreſi.*

Rursùs in *Brevi & neceſſaria inſtructione* pag. 28. *Hæreſis dicenda eſt, docere quod non ſit laudabile & utile omnibus Chriſtianis promiſcue legere Sacras literas in idiomate vulgari.*

Neque eam eſſe opinionem quaſi diſputationi obnoxiam, ait in *Defenſione* libelli editi contra *Sententias & agendi rationem Archiepiſcopi Mechlinienſis* pag. 33. Sed *omnes, quibus mica judicii & pietatis ſupereſt, judicabunt*, inquit, *quod Decretum Archiepiſcopi prohibens Divini voluminis lectionem in lingua vulgari, ſit injurium Deo & Eccleſiæ, ſit ſcandaloſum & natum turbare conſcientias, ac hæreſi nitatur*. Cùm autem cenſuræ tam abſonæ contra Regulam quartam Indicis Tridentini, tantâ conditam authoritate, nullus hactenus reperiatur Epiſcopus qui conſenſiat; neceſſe erit, Gerberonio Judice, hoc tempore nulli Antiſtiti *micam ſupereſſe judicii & pietatis*: quo ſuppoſito, ubinam terrarum invenies Epiſcopum *prædicandæ veritati* idoneum.

Arceri præcipuè à *prædicationis* munere debebunt omnes Belgii Auſtriaci Antiſtites, utpotè qui omnes Archiepiſcopum ſecuti, ſimilia edidere decreta contra promiſcuam Divini Codicis in vulgari idiomate lectionem. Omnes iſtiuſmodi Præſules juxta Gerberonium in *Brevi*, ut appellat, *& neceſſaria inſtructione* pag. 22. *Neque Patres, neque Paſtores ſunt, ſed potiùs tyranni, adimentes populo conceſſam à Deo primitus libertatem.*

Epiſcopi omnes illi rursùs penès Gerberonium ridiculi ſunt & fatui. Ita in *Difficultatibus propoſitis Epiſcopo Gandavenſi* pag. 21. *Decreto iſto nihil à ſana mente alienius, nihil magis ridiculum, magis ſtultum.*

Iterum in *Brevi & neceſſaria inſtructione* pag. 26. *Virtutis eſt non obedire talibus Præpoſitis. Qualis enim foret iſta obedientia? Non abſimili Neſtorius, Julianus, Sergius, & plures alii hæretici Epiſcopi, mortalium plurimos ſuis hæreſibus implicuerunt, & pertraxerunt ſecum ad Inferos*. Denique, inquit ibidem Gerberonius pag. 16. *Tam firmis & Chriſtianis rationibus demonſtrari poteſt, eſſe hæreſim, tenere quod lectio Scripturæ Sacræ* (etiam in vulgari idiomate) *ulli cujuſcumque ſtatus, conditionis &c. perniciosa ſit vel inutilis, ut non exiſtimem, quidpiam opponendum, niſi ab eo, qui primam noſtræ Religionis regulam, primum fundamentum evertere voluerit, ac pedibus conculcare.*

Iniquiſſimam hìc eſſe hæreſios Cenſuram, fatebitur omnis Catholicus, in quo Sedis Apoſtolicæ & conſentientis Eccleſiæ aliqua reverentia eſt, cura aliqua veritatis: ſi autem propterea dicendi ſumus Religionis Chriſtianæ regulas ac fundamenta ſubvertere, quis tandem Pontifex, quis Epiſcopus, quis Theologus orthodoxus *Prædicatoribus veritatis* acceſenſebitur?

Neceſſe itaque fuerit *Prædicatorum* iſtiuſmodi numerum ſolis quodammodo circumſcribere Janſeniſtis. Si de ſchiſmatica illa in Eccleſiæ Rectores contumeliâ queritur, impudentiam proſequens reſpondet Gerberonius in *Brevi & neceſſaria inſtructione* pag. 17. *Duriores iſtiuſmodi locutiones adhibendæ ſunt hoc tempore, ad novam illam hæreſim*

resim (traditam Regulâ quartâ Indicis Tridentini) *quæ magis quotidiè in Ecclesia invalescit, detegendam publicè ac denuntiandam*.

Cum Gerberonio conspirat Ægidius de Witte, aliàs CANDIDUS, Dialogo *Parochianum inter & Theologum* pag.7. ubi de eodem Belgicorum Antistitum Decreto, Regulæ 4. Indicis Tridentini observantiam præcipiente, asserit, *excusari illud non posse ab hæresi & blasphemia in Spiritum Sanctum*. Dein *modo*, inquit, *loquendi utimur acerbiore; quia Decretum istiusmodi repugnat Sanctæ nostræ Religioni*.

Digna etiam Ægidio de Witte est *Epistola*, nomine *Ostendanorum aliquot Civium scripta ad Amicos suos Brugenses*, fictitios scilicet, ut Cives illi Ostendani fictitii sunt.

Ibi pag.15. hæc proponitur quæstio: *Supposito quod aliqui sustineant, Antistitis vestri Mandatum in se esse invalidum & nullum, imò hæreticum, & ab ipso Diabolo inspiratum, quodque hac ducti opinione nolint Biblia sua tradere, & malint propterea non accipere absolutionem à Sacerdote; sed illam expectare à Deo, nonne talibus justa foret excusatio, & speranda peccatorum venia ac salus*, ne quidquam obsistente contrariâ declaratione Regulæ 4. Indicis Tridentini, totque Pontificum eam approbantium authoritate?

Hâc minimè commovetur etiam Arnaldus in *difficultatibus Steyaertio propositis* parte 4. pag.18. 115. 116. 209. Dein par. 8. pagina 13. Quesnellus Notis ad Epistolam Steyaertii pag.131.

Gerberonius adversus Paulum II. Pontificem audaciam extendit in *Examine Responsi* pag.93. dicens. *Quanquam in Hispania prohibita fuerit lectio S. Scripturæ in linguâ vulgari, approbante Paulo II., nemo tamen eo magnopere commoveri debet: Discernendum est enim quid Pontifex imperare aut prohibere possit, & observandum est quod S. Paulus docuit de Divinis Oraculis, quæ omnibus Fidelibus semper in ore habenda sunt, non obstante prohibitione factâ in Hispania, & à Pontifice approbatâ & confirmatâ*.

Pontifices igitur Romani cum Hispanis omnibus Episcopis, & omnium illic Ordinum Ecclesiasticis, doctrinam Apostoli ignorant, & Pontificiæ limites potestatis. Unde nec verisimile est, eosdem à Quesnello & sociis intelligi nomine magnifico *Prædicatorum veritatis*. Ubinam autem extra Jansenistarum Ecclesiam tales eorum judicio reperire est?

Et quidem vereor, ne disquisitio, quo fuerit diligentior, inventionem efficiat difficiliorem.

CAPUT IV.

Ne inter Summos quidem Pontifices, & eorum Ministros, etiam Eminentissimos reperiuntur Jansenistarum judicio Prædicatores veritatis.

ORdior à Sanctissimo Pontifice simul & Doctissimo Pio V., qui è Sacro Prædicatorum Ordine ad Apostolicam elevatus Cathedram, præ cæteris idoneus videri debuit ad prædicandam toti Ecclesiæ veritatem. Ecce autem, si Jansenio & ejus Sectatoribus creditur, nullus hoc Pontifice majorem veritati, ejusque propagationi posuit obicem, Diabolicis nimis facilè consiliis obsequendo. Constat scilicet Jansenii in Dogmaticis avum quodammodo fuisse Michaelem Bajum; qui Jacobum Jansonium genuit; hic autem Cornelium Jansenium.

Quemadmodum igitur à Bajo resuscitari cœperat prætensa *veritas*, à Patribus quidem (Bajo judice) tradita, à succedentibus autem Scholasticis offuscata nimiùm, & quasi èmortua ac sepulta, ita, inquit Jansenius in scripto manu propriâ exarato, cui initium est: *Ad excusandas Propositiones Magistri Michaelis* (Baji) tam salubriter ab hoc Theologo inchoatum opus, sistit Pii V. Constitutio, cujus exordium est *Ex omnibus afflictionibus*.

Illic anathemate prosternuntur Baii & aliorum ei adhærentium Articuli septuaginta novem, vel juxta aliorum computum 77. vel 78. prout major minorve placuerit assertionum divisio, quæ à Pontifice determinata non fuit. Hæc Constitutio, inquit Jansenius in margine, *Impedimentum est Doctrinæ veteris introducendæ*; tum in ipso textu ait: *Non sine arte Satanæ procuratum fuisse videtur obstaculum illud condemnationis Michaelis Baii, ut qui Doctrinam illam gratiæ novitiam destruere vellet, & veterem introducere, contra Sedem Apostolicam luctari in speciem videatur. Nihil enim invidiosiùs clamabitur, quàm illam Sedem dedecorari*.

Quapropter Pius V. ex albo *Prædicatorum*, seu *Prædicantium veritatem*, indubiè juxta Jansenium expungendus est.

Atque ea quidem Constitutio, quam Gregorius XIII. & Urbanus VIII. novis Diplomatibus confirmarunt, non minimum fundamentum præbuit secutis postea definitionibus contra Jansenium, ejusque Discipulos editis; Scilicet ab Alexandro VIII. contra Propositiones 31. & à Clemente XI. contra 101. justissimè condemnatas.

Indè quoque ampliùs Pium V. excludere oportebit à numero *Prædicantium veritatem*, teste Gerberonio in Notis ad opera Baii, quod postquam ostensa ei fuit Constitutionis iniquitas, in ea nihilominus *inflexibilis* perstiterit; *Quidquid Bajus ipsi exhiberet omni candore & submissione possibili, non suffecit ad eum ab errore revocandum. Quod scriptum fuerat, debebat manere scriptum: atque ea videtur esse magna hodiedum Romanæ Cancellariæ regula*,

Non magis verisimile est, quòd *Prædicatoribus veritatis* Janseniani annumerent Gregorium XIII. & Urbanum VIII. qui Pii V. contra Bajum definitionibus subscripsere. De Sixto V. Innocentio X. Alexandro VII. audiendus est Quesnellus in volumine *Colloquiorum* contra primam *Observationum* suarum *Moralium* condemnationem. Sic ibi pag. 141. *Sixtus V. in Brevi ad Nuntium Coloniensem de Pontificis authoritate scribit, quæ principiis & fundamentis Doctrinæ Catholicæ adeò sunt opposita, ut vix oculis meis crediderim, à Pontifice proficisci talia potuisse.*

Pag. 142. *Sed qui scribebat, erat Sixtus V. quem nominasse satis est. Innocentius X. in Brevi ad Archiducem Leopoldum* (Belgii Austriaci Gubernatorem) *anno* 1651, *sententiæ Sixtinæ addidit deteriora, quæ, quantum assequor, tendunt ad subversionem totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ à Christo institutæ*; imò ad ipsam novæ Ecclesiæ destructionem.

Ægidius de Witte in *Augustino Iprensi vindicato* par. 2. cap. 7. pag. 275. *Totum propè mundum apertè post Pelagium, & Molinam abire cernimus, atque ipsa in primis Italia perquàm malè audit in illo genere*. Pag. 276. *Cur ergo adeò peregrinum videri deberet, si Innocentius X. & Alexander VII. ille in scientiâ Theologicâ valdè parùm exercitatus; hic neque doctus admodum, & Urbis publica voce Jesuitis intimè coadunatus, contaminatione illâ* [*Pelagianismi*] *naturaliter insitâ afflati fuerint*.

Quomodo Innocentius X. & Alexander Septimus in suspicionem non vocarentur hæresios Pelagianæ, qui Jansenii de gratiâ sententias anathemate confixerunt? Non potuit Sixti V. Breve ad Octavium Calatinum Nuntium Coloniensem Ægidio & similibus non displicere, utpotè quo acriter reprehenditur Lovaniensium temeritas contra Leonardi Lessii Articulos, iniqui ab ipsis judicii maculâ contaminatos..

Neque Innocentius XI., neque Alexander VIII., neque Innocentius XII. accensendi idoneis *Prædicatoribus veritatis*, videri potuerint novarum partium Theologis; Si quidem Innocentius XI. in Molinosio percussit anathemate *multas Propositiones talibus terminis conceptas, quod vix distingui possint à Positionibus fundamentalibus propositis nobis à Sanctis Patribus Dionysio Areopagita, Augustino & aliis, ac Theologiæ mysticæ Doctoribus Bonaventura, Henrico Susone, Taulero &c.* si verum clamat Eugenius de Gelder *voce ultimâ zelatricis Innocentiæ* pag. 116.

Quid etiam præter ipsam persequi veritatem visus est idem Innocentius in Gummaro Huygens, quando Lovaniensium illi Doctorum Senatu, qui *stricta facultas* appellatur, injustissimè interdixit, si Arnaldo, Walonio, Quesnello creditur?

Ita Walonius Epistolâ ad *Sanctam Familiam* in Bruxellensi latibulo pro novâ Ecclesiâ laborantem anno 1688. die 13. Augusti: *Ratio gemendi coram Deo est, quod tamdiu persistatur in injustitia tam evidenti contra D. Huygens; negotium hoc parum honorificum erit Innocentio XI.* Et quidem eum prætensa hac adeò *evidenti injustitia* Sanctissimus Pontifex mori voluit, quantumlibet à novis Augustini Discipulis, & eorum in Urbe fautoribus sollicitatus, ut finem faceret suspensioni. Unde prosequi eam voluêre Alexander VIII. Innocentius XII., & usque ad Gummari obitum Clemens XI.

Redit Eugenius de Gelder, *libello*, ut vocat, *supplice*, seu *voce ultima* pag. 118. ipsum alloquens Innocentium XI. *Quandoquidem ergo nulla, Sanctissime Pater, in ipsa Curia vestra Romana contra tam impios & perduelles* (præcipuos Jansenii adversarios) *reperibilis sit justitia, non est ampliùs dubitandum, quin terras Astreâ reliquerit*.

Denique, ait iterum Walonius Epistolâ anni 1689. 26. Novembris: *sub Pontificatu Innocentii XI. erat procedendi modus lentissimus, itaut quodammodo nihil ageretur*. Inter miseros itaque & minimè idoneos *veritatis Prædicatores* collocari meruerit cum suâ Curiâ Pontifex: magis etiam successor ejus Alexander VIII., qui ejusdem judicio Jansenistæ, non solùm nihil boni in Pontificatu egerit; sed etiam mali plurimum.

Sic ejus mortem annuntiat generalis ille Jansenistarum in Urbe Agens literis ad Arnaldum & socios in Belgium datis anno 1691. die 3. Februarii: *Pontifex ad Dei Tribunal evocatus est, rationem redditurus sui Decreti* (contra Propositiones 31.) *& Bullæ contra quatuor Articulos Cleri Gallicani*.

Crescit oratio in Epistola data 17. Martii eodem anno: *Non solus tu defunctum Pontificem atro notas calculo excommunicationis: adduci ego non potui, ut vel uni ex novem solemnium*

lemnium pro eo exequiarum celebrationibus interessem, neque ad aram orare pro eo possum, vel ejus meminisse.

Quomodo Walonius, Arnaldus, Quesnellus tali Pontifici inter *Praedicatores veritatis* locum concedere voluissent?

Quantumlibet Jansenianí Innocentio Duodecimo, ad eum circumveniendum, blandiri alicubi visi sunt; non tamen suae *praedicationem veritatis* ei committere potuissent, quia, inquiebat Walonius in Epistola anni 1697. 26. Octobris, *Pontifex in istis quaestionibus nihil intelligit*, sive *est O in cifra*.

Idem anno 1694. 6. Februarii. *Non parum affligimur Decreto ante dies paucos hic affixo ... Expedit tamen non prodere foris sensum nostrum, donec Brevia* [ad Belgii Episcopos] *viderimus. Tota illa agendi ratio Romanorum, movet commiserationem*. Eodem anno 27. Februarii: *Decretum typis editum, ad vos jam pervenerit, et forsitan etiam utrumque Breve. Quo plus ea relego, eò plus mihi displicent, praesertim quae attinent ad Formulare.*

Die 20. Martii: *Non miror conturbationem vestram propter Decretum de Alexandrinae Formulae subscriptione*. Eodem anno 1694. 13. Februarii: *Brevia circa Formulare non sunt meliora Decreto. Pessimum in illis est, quod stabiliant subscriptionem Formulę Alexandrinę in Belgio, & quidem praecipiendo, ut quandocunque subscribitur, sine exceptione, sine explicatione in sensu obvio, & quem ipsius verba exhibent, subscribatur; prohibendo quoque Episcopis, ne quid additionis, aut explicationis gratiâ adjungatur ... Quod etiam Episcopis prohibeatur omnis additio, explicatio, interrogatio, Episcopali charactéri maximè injurium est.*

Qualis *Prędicatio veritatis* expectari potuisset à tali Pontifice rudi adeò in Dogmaticis & Polemicis, quae praedicari maximè exoptat Quesnellus; cùm aliàs sint *plerisque Christianis quasi lingua peregrina, & idioma incognitum*: Qualis, inquam, praedicatio Jansenistis congrua expectari poterat ab eo, qui in talibus nihil intelligit, sive, ut Walonius loquitur, *est velut O in cifra*?

Quid attinet meminisse Clementis XI.? quia, ut nihil modò dicam de Actis contra Archiepiscopum *Sebastenum*, nihil de condemnato *Casu conscientię* Jansenianae, nihil de *Constitutione Vineam Domini Sabaoth*, quae novam gravissimis motibus concussit Ecclesiam; quid Quesnellianam ampliùs excitavit rabiem, quàm Bulla *Unigenitus Dei Filius*? *Subruit illa*, Novatorum judicio, *quidquid in Christiana Ethica magis purum, maximè Sanctum est: Fidem derogat Scripturis Sacris; quidquid traditio Patrum & Conciliorum de Divinae gratiae mysteriis nos docuit, inter errores, & hęreses ablegat*. Nonnisi brevissimum istud compendium calumniarum est, quae Clementino Diplomati intorquentur: Centena iis implentur opuscula anonyma, nullam prae se authoritatem ferentia vel approbationem.

Instructionis brevis Belgico editae idiomate, quae Summo Bruxellis Senatui cum libello supplice oblata est, satis author dignoscitur Ægidius de Witte. Is ab Illustrissimo Archipraesule Humberto migrare coactus Mecliniâ, neque diu pedem figere permissus in Dioecesi suâ Gandavensi, Ultrajectum se receperat, de protectione illic Batavorum Ordinum securus.

Aliarum similium lucubrationum frustrà authores indagaveris; quia *Appellantium* ex numero eos esse quis dubitet? A talibus autem quid aliud expectes, quàm sententiae & temeritati consonum Quesnellianae? Apologiarum istiusmodi normam Discipulis praescribere Magister ille visus est in *Colloquiis* contra priorem Operis sui Censuram editis quadriennio ante Constitutionem *Unigenitus*. Colloquia ista, quibus nihil perniciosius ab ullo me legisse memini haeretico divulgatum, infamis incendii poenam, quam author in pluribus forsitan Regionibus, vix evasisset, subire jussa sunt anno 1710. mense Junio.

Eidem diu ante Quesnellus praeluserat libello *Epistola* appellato *Abbatis ad quemdam Romanę Curiae Praelatum*. Vellicat haec *Epistola* Decretum quo Articuli triginta & unus (uno forsitan excepto) à Jansenianis traditi, gravibus respectivè Censuris, etiam haeresios feriuntur. Nihil illa Epistola praetermittit contumeliae atque calumniae, quod ad convellendam authoritatem Cardinalium, aliorumque Dogmaticis à Pontifice examinibus Praefectorum & assistentium videri potuerit opportunum.

Ibi pag. 31. " Pars maxima Cardinalium,
„ & Theologorum [qui ad Censuras Dog-
„ maticas adhibentur] nihil intelligit. „

Pag. 43. " Censores Romani promiscuè
„ damnant pro meto libito, seu quidquid
„ non convenit ideis suis Theologicis, quae
„ saepè falsissimę sunt, nihil habentes de Theo-
„ logiâ Patrum.

Plurima non melioris notae illic passim obvia sunt. Ita Quesnellus à suo imbutus Praeceptore domestico Arnaldo, cui à pluribus tribuitur *Epistola Ecclesiastici de mente S. Augustini circa authoritatem Pontificis* anno 1687. ubi pag. 29. dicitur: *Plerique ex Romanis Censoribus addicti sunt opinionibus laxis, & me-*

& meliori Ethica adversarii. Ideò, inquit ibidem, *laxioris Ethicæ & perversorum Dogmatum propugnatores, subsidium inveniunt & patrocinium, in Romanis Tribunalibus, ubi deberent proscribi*.

Fundamentum hujus suæ calumniæ non minimum Author statuit in Religiosis pag. 1. quâ inquit, *Regulares, quos scimus propriæ utilitati magis, quàm Ecclesiæ esse affixos, maximè dominantur in omnibus illis Congregationibus*.

Epistolæ istius authorem alii existimant Quesnellum propter litteras Walonis ad ipsum Româ datas anno 1701. 18. Junii, quibus occasionem præbuerat Quesnelliana expostulatio contra Regulares, quos à Congregationibus voluisset excludi. Sic ei Walonius respondit: "Frustra peteretur, quæ impetrari minimè posset Congregatio, in qua neque ex Cardinalibus, neque ex Consultoribus ullus esset Regularis. Tota trium Basilicarum Capitula, tota Prælatorum multitudo, Clerus denique Romæ universus, ne duos quidem suppeditare poterit ad formandum in Theologicis votum idoneos.

Calumniam hanc absurdissimam perfacile mihi foret exemplis convincere, qui Romæ annis pluribus, quàm unquam Walonius versatus, sufficientem Illustrissimi Cleri notitiam assecutus sum; Sed vindiciis ille meis non indiget, suis satis tutus gratiæ & naturæ dotibus, eruditionis etiam atque scientiæ.

Non omni tamen fructu destituuntur talia Jansenistarum de præclarissimo Clero & Tribunalibus Romanis judicia. Nam etsi scandalum hæreticis, & quibusdam inter Catholicos nimium credulis parere nata sint, at sapientibus, qui fortè ab hypocritis antea decepti, benigniorem de iisdem conceperant opinionem, aperiunt indolem in ijs contemptricem omnium Ordinum, nolentium genua Jansenianæ flectere impietati.

Unde & consecutio manifesta est; quoties de *Prædicatoribus veritatis* in novâ Ecclesiâ sermo fit, non condecorari hoc titulo Romanos Fidei Judices, & Consultores, sive è Religiosis familiis sint, sive è Clero, quia hic Jansenistarum judicio Theologiæ ignorantissimus est, Regulares in Sanctis Patribus peregrini sunt, & Ethicæ dediti dissolutissimæ.

Et hæc quidem hactenus de Romanis Tribunalibus, & Clero Urbis præcipuo in communi seu præscindendo ab individuis personarum, judicia Jansenianorum sunt simul & specimina minimè obscura, quibus eorumdem convincatur hypocrisis, quando simulatione perfidæ charitatis & modestiæ, non paucos, etiam subinde non vulgares, decipere moliuntur, captantque famam Sanctimoniæ; ut disseminata hæresis, & qualibet contra suos adversarios calumnia, *veritatis prædicatio* censeatur.

Quas in Romanorum particulares aliquos hodiedum vivos, contumelias Janseniani jaciant, neque inquiro studiosiùs, neque cognitas expediret forsitan commemorare. De aliquibus autem pridem mortuis, & quorum apud Catholicos satis in tuto fama est, juverit referre quædam; unde novæ sectæ spiritus innotescat ampliùs, orthodoxis omnibus detestabilis:

Eminentissimus Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum Christi 1450. ait: "Æneas Silvius, Patriâ Senensis, vir Doctus, prudens, & magni animi, ac primùm à Secretis Imperatoris; deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique Summus Pontifex Pius Secundus, dum expeditionem magnam adversus Turcas Christiani nominis hostes moliretur, obiit anno Domini 1464."

Operum ejus Catalogus ibidem texitur; ad cujus calcem hæc Bellarmini observatio est: "Quæ scripsit Æneas pro Concilio Basilæensi, cùm juvenis esset, retractavit senex, & Pontifex Maximus: & quamvis Libri de Concilio Basilæensi meritò prohibiti sint ab Ecclesiâ Catholicâ, tamen hæretici Basilæenses, qui nuper eosdem libros recuderunt, non tàm Ecclesiæ Catholicæ, quàm causæ suæ detrimentum attulerunt; Siquidem ex historiâ illâ Æneæ Silvii apparet, illud Concilium initio fuisse legitimum; sed ubi verum Pontificem Eugenium IV. deponere aggressi sunt Patres illi, jam non habuisse formam veri Concilii, non solùm quòd acephalum esset; sed etiam quod contrà formam omnium veterum Conciliorum, plures essent in eo Conventu Presbyteri cum voce decisivâ, quàm Episcopi. Notissimum enim est Concilia Generalia, ut etiam Provincialia, Episcoporum esse, non minorum Sacerdotum. Sic enim legimus in Concilio Calchedonensi Actione primâ: MITTE FORAS SUPERFLUOS; CONCILIUM EPISCOPORUM EST.

Cùm remittit nos Bellarminus ad librum suum tertium de Ecclesiâ cap. 16. Talis Æneæ Silvij circa Concilium Basilæense inconstantia gravius delictum peues novam Ecclesiam est, quàm ut patiatur eum *veritatis Prædicatoribus* annumerari. Quomodo enim Janseniani æquo animo ferant retractari scripta pro Basilæensi Concilio, quo vix ullum est Quesnelli sectatoribus charius; quia Ponti-

Pontificem legitimum deponere præſumpſit, atque inpoſtetum Oves erigere ſupta Paſtorem, Diſcipulos ſupra Magiſtrum, filios ſupra Patrem.

Quod de Calchedonenſi dicitur, inter Epiſcoporum illegitimos & ſeditioſos tumultuantium, ſuiſque invidentium fratribus, clamores rejiciunt Janſeniani: præ ceteris Ægidius de Witte.

Idem conceptam in Silvium bilem viſus ſibi eſt nunquam poſſe, quantum ſufficeret, exonerare. *In Auguſtino Iprenſi vindicato* parte 2. cap. 13. de Ænea Silvio ait: *quòd pauper quondam & felix, dein dives & miſerabilis, à Patria dictus vulgò Cardinalis Senenſis, contra manifeſtam traditionem, Pontificibus poteſtatem allinit, ſanctiones Conciliorum non tantùm interpretandi; ſed & corrigendi & abrogandi, atque adeò ſe ſtabiliendi in illo Monarchici regiminis ſolio, ad quod Romanam Curiam & olim, & deinceps aſpiraviſſe vidimus, & hodiedum adhuc violentiùs cognoſcimus aſpirare.*

Eodem cap. O! *quàm conceptus hominis illius profani toto cœlo diſtant à cogitatis Hieronymi. Turpem nihilominus interpretationem ſuam tueri etiamnum pergit.. Nec dum Judaicę, vel Ethnicæ potiùs declamationis finis.*

Ibidem: *Proſequitur adhuc eàdem erraticâ & fœdâ orbitâ temerarius declamator.*

Quis igitur exiſtimet Cardinalem Silvium Janſeniſtæ hujus ſententiâ idoneum fore *prædicandis veritatis* adminiſtrum; Taliſne habeatur, *Declamator temerarius*, cujus *declamatio non ſolùm fœda & erratica* eſt; ſed etiam *judaica vel potiùs Ethnica*?

Ibidem iterum: *In ſchola hujus Cardinalis tirocinium ſatis gnaviter poſuere Hieronymus Aleander Cardinalis, & Pontificis in Tridentino Concilio Legatus, Jacobus Laines, & ipſe Cardinalis Palavicinus Concilii Tridentini miſerandus Scriptor.*

Proinde etiam hi tres à *prædicandæ veritatis* officio longiſſimè removendi eſſent; Quid enim *veritatis* Chriſtianæ Eccleſia nova expectet à talibus qui *tirocinium gnaviter poſuerint in Schola Declamatoris erratici, fœdi, Judaici, vel potius Ethnici*?

Qualem Eccleſia univerſa à tali poſtea Chriſti Vicario Pio II. acceperit inſtitutionem? Atque hæc nihilominus ad poſteros, imitatione & praxi, teſte Ægidio, *violentiùs* derivata eſt.

Ipſe *Cardinalis Turnonius vir cæteroquin pius ac bonus ut apparet*, attamen *prædicandæ veritatis* muneri minimè aptus declaratur ab eodem *Ægidio* in *Auguſtini Iprenſis vindiciis uberioribus* pag. 25. non ſolùm propterea quod in *controverſiis Theologicis parum fuerit exercitatus*; ſed etiam quod in *Decreto illo ſolemni* Romæ 20. Novembris 1704., & 25. Januarii anni 1707. *Sinenſibus Miſſionariis tradito, eructet horrificam & propiùs blaſphemam vocem*: *ITA A SUPREMA SEDE DECISUM EST, QUÆ EST REGULA INFALLIBILIS CHRISTIANORUM IN REBUS FIDEI.*

Norifius, antequam ad dignitatem evectus fuerit Eminentiſſimam longo ſtudio & peritiâ Theologicâ videbatur, etiam Arnaldicis, ad *prædicandam veritatem* eximiè comparatus; ideo & commercio literarum eum coluit Queſnellus, & rerum ſuarum amicâ confidentiâ voluit eſſe conſcium. At ubi ejuſdem poſtea Cardinalis ſententiæ quędam magis inuotuere, judicium de eo nova Eccleſia mutavit.

Ita Queſnellus deprehenditur Gerberonium monuiſſe die 25. Februarii 1696. " Accepi Româ hoc initium, & hunc finem Apologiæ Cardinalis Noris. Nauſeam mihi parit ejus declaratio, quam dat pag. 78. pro infallibilitate Pontificis. Quod autem pejus eſt, Oecumenicis Conciliis adimir, quod Pontificibus largitur. Neſcio an talium editioni Dogmatum nobis liceat cooperari. Quod attinet ad partem ultimam, obliquo graditur tramite, & à Chriſtianâ remotiſſimo ſinceritate."

Iterum in ſcripto quod incipit *Prævideo*: Sic amicum ſuum Queſnellus inſtigat. *Impugna Noriſium, qui in ultimo ſuo opere ſcripſit eo modo, qui reipſa non differt à Moliniſmo, & Pelagianiſmo.*

Gerberonius contra eumdem Cardinalem Opuſculum compoſuit hoc titulo: *Noriſius aut Janſenianus, aut non Auguſtinianus.* De hoc in examine juridico interrogatus Gerberonius, ut in *Proceſſu Fiſcali* exprimitur pag. 30. aſſeruit ſe illud ſcripſiſſe eo conſilio, *ut demonſtraret Noriſium non ritè ſatis ſuam diſtinxiſſe ſententiam à ſenſu Janſenii.*

Qua denique ratione, quâ conſcientiâ novi iſti, & ſuo judicio, veri præ cęteris Auguſtiniani, *prædicationem veritatis* committerent homini, cujus *modus, ſuam explicandi ſententiam, à Pelagianiſmo reipſâ non differat*?

Janſeniani aliàs Cardinalem Eſtræum laudibus proſequebantur, quando ſuâ hypocriſi, mendaciis & omni genere fallaciarum, videbantur ſibi ejus prudentiam circumveniſſe; ac quando Romæ exiſtens, Belgii Epiſcopis ſuffragatus eſt, volentibus in illas Provincias contra Janſenianam peſtilentiam inducere juramentum Alexandri VII. tunc eum quaſi *veri-*

rita-

ritatis Prædicatoribus contrarium abominati sunt.

Ita Gabriel Gerbeton in *Monitis politicis* pag. 8. " Hic Cardinalis hostis declaratus ,, Domûs Austriacæ, astutâ politicâ fovet ,, partes Archiepiscopi Mechliniensis, & Je- ,, suitarum in petendo usu Formulæ Alexan- ,, drinæ, quo novit Provincias istas desola- ,, tioni maximæ exponendas esse atque exitio.",

Pag. 6. "Nemini magis, quàm Cardina- ,, li huic exploratum, persuasumque est, ,, Jansenianam hæresim non aliud esse, quàm ,, phantasma inanissimum, eosque qui Jan- ,, senistarum appellantur nomine, non alios, ,, quàm genuinos Augustini Discipulos, quos ,, maximo esse sibi in pretio, semper testatus ,, est, quandocunque alterius ordinis consi- ,, derationes, & rationes politicæ, aliter ,, agendum non persuaserunt.

Quid tibi, Lector Catholice, videtur de Pseudopolitico hoc Scriptore, Eminentissimi Antistitis impudente adeò calumniatore, quasi juramentum à Rege Christianissimo, & Regni istius Episcopis expetitum, à Sede Apostolicâ pro extirpatione hæresis præscriptum, res ludicra foret, imò perniciem inferre nata iis Provinciis, in quas fuerit introducta? Mihi verò Sacrilega adeò privati hominis, adversus juramentum, sapientissimo Majorum judicio necessarium, censura castiganda videretur pluribus, nisi occasio reditura esset, & locus opportunior, ubi refutanda se offeret Propositio centesima prima, quæ unica de juramento est, & ultima in condemnatione.

Hic tantùm Gerberonii effrænis licentia exhibetur, tanquam specimen maledicentiæ Jansenianæ, nullam revereri solitæ, nullam præterire sine calumniâ dignitatem, etiam Eminentissimam, ubicumque senserit novæ hæresi adversantem. Audiendus nunc Walonius, quàm prospera Cardinali ex Urbe in Gallias remeanti, Jansenianæ charitatis dictamine apprecetur. Ita scribit Arnaldo die 7. Octobris anno 1693. *Dominus Rolland* (in Janseniana clavi *Estræus Cardinalis*) *hodiè hinc discedit: Deus ipsum conducat; sed impediat simul ne ullo tempore revertatur.*

Estne verisimile, quod Reformatores Ecclesiæ, Cardinalem adeò, ut asserunt, mundanum, ut rationes politicas præferat Religioni, accenseri cupiant *Prædicatoribus veritatis*? Quid enim veritati infestius Jansenianæ est, quàm Alexandrini juramenti introductio, quâ fiat ut omnibus novæ sectæ Discipulis vel pejerandum sit; vel manendum sine Beneficio & Sacro Ordine, sine facultate administrandi Sacramentum Pœnitentiæ & concionandi?

Non magis honorifica scribit Walonius ad Quesnellum die 7. Martii 1699. de Cardinale Bullonio: *Destruit famam suam; habetur hic tanquam rationis impos & fatuus; postquam adeò se abripi sivit passionibus*, declamando contra Jansenistas, tanquam sectam maximè execrandam. Quapropter è Catalogo *prædicantium veritatem* expungendus esset penitùs Jansenistarum judicio; si penès eos locum ibi aliàs tenuisset; Sed Religionis Catholicæ Bullonius constans nimiùm cultor semper extitit, & fervidus Propugnator.

Cardinalem Sfondratium ab officio *prædicandæ veritatis* longiùs removeri Jansenistæ voluerint, ut scribit de eo Gerberonius in libello, cujus epigraphe est: *vera Epistola Abbatis le Bossu ad Amicum de Libro Cardinalis Sfondratii appellato* NODUS PRÆDESTINATIONIS pag. 9. *Cardinalis iste natus erat Pelagianus, ut cæteri mortalium; sed à Pelagianismo conversus non fuit.*

Denique paucos sive Cardinalium, sive etiam Pontificum esse Catholicos, & non hæresi afflatos Pelagianâ, verisimile æstimat Ægidius de Witte: neque hac opinione suâ offendi nos patitur in *Augustino Iprensi vindicato* par 2. cap. 7. dicens: *Totum propè mundum apertè post Pelagium, & Molinam densatis cohortibus abire cernimus... Non ergo gravis admodum Eminentissimis Dominis Cardinalibus, è quorum Collegio dein Romani Pontifices assumuntur, inditur aut irrogatur injuria; si & aliqua suspicio nobis insit, paucos ex illis à valde universali illo, & Ecclesiam miserè depopulante contagio, sive ab adolescentiâ fuisse immunes, sive postea melioribus instructionibus salubriter emersisse.*

Eodem fundamento futili, hæresios infamia, vel suspicio allini poterit cunctis mortalibus, nisi quos immunes præstiterit Jansenianarum instillatio novitatum. Hâc itaque initiari inposterum hæresi oportebit universos, qui famam suam à Jansenistarum calumniis, præcipuè Pelagianismi, voluerint esse securam.

CAPUT V.

Prima persecutio, quam Novatores fingunt, velut à Potestatibus illatam Prædicatoribus veritatis.

Quesnelli Propositio statnens *Potestates omnes, veritatis Prædicatoribus contrarias*, Ecclesiasticas æquè ac Laicas complectitur, imò magis: idem totius novæ Ecclesiæ sensus est,

est, ut sequentibus Novatorum querelis edocebimur, quas repetere placet ab exordio.

Originem suam nova Secta à Luthero & Calvino deducere erubescens, ridiculè eam derivare præsumit à Doctorum maximo; sed ratione non meliore, quàm cœteri passim hæretici eundem sibi Magistrum vindicant. Hunc nos Quesnellianis toto præsenti opere extorsimus, utpotè tam certò Catholicis ubique Dogmatibus faventem, quàm damnatæ oppositum novitati. Quoniam tamen ætatem ambiunt Jansenio antiquiorem, concedere illis possumus Michaelem Bajum; cujus defensio, unde & sua dependeat, tantopere curæ est istarum partium Coryphæis.

Socium is nactus fuerat Joannem Hesselium Doctorem, Lovanienses inter non infimum. Uterque etiam probitatis specie, & junctâ modestiæ gravitate, non paucos sibi conciliaverat è junioribus Sectatores. Quos omnes initio Censuris adstringere videbatur minùs tutum propter vicinos Batavos, qui cum Regis Catholici jugo, etiam Pontificium recenter excusserant. Mitiore itaque remedio curandi potiùs visi sunt, quàm anathemate percellendi.

Remedium autem non occurrebat tunc opportunius, quam utriusque Doctoris tanquam Theologi Regii ad Tridentinum Concilium ablegatio. Sic promovebantur honorificè, ut Lovanio amoverentur, affulgebatque spes inde non minima conversionis, ex societate tot insignium ex omnibus Christiani Orbis regionibus Doctorum atque Antistitum.

Quantum ex his profecerit Hesselius, non satis liquet, cum Tridenti defunctus, nullum voluntatis & sensûs sui ultimi, quantum scio, reliquerit Posteris testimonium. Bajus autem in Belgium non sanior, quàm discesserat, rediit; quin redditus videbatur aptior ad nocendum, auctâ sibi ex legatione ad Synodum Oecumenicam authoritate.

Tentatis itaque frustra modis omnibus ad emolliendam Baii pertinaciam mitioribus, cùm aliud non superesset, visum est Belgis Catholicis ad Sedem Apostolicam recurrendum pro obtinendo anathemate contra doctrinam, deindè & contra authorem ipsum, si contumax persisteret. Ut autem Christi Vicarius ad ferendam sententiam faciliùs disponeretur, explorare prìus de quibusdam Baji eique adhærentium dogmatibus libuit sententiam plurium Academiarum, in primis Sorbonicæ, Salmaticensis atque Complutensis.

De eo in Actis Sorbonicis, ut refert ipse Gerberon in nova Bajanorum Operum cum vindiciis suis schismaticis editione, sic legitur " Anno Domini 1560. Die Jovis 27. mensis Junii Sacra Theologiæ facultas Parisiensis post Missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio per juramentum congregata est in materia fidei, supra Propositionibus infrascriptis per eandem Facultatem cum maturâ deliberatione Magistrorum nostrorum Censurâ notatis, quas Frater Petrus de Quercu Guardianus Conventûs Nivellensis (Minoritarum) & Frater Ægidius de Querceto Guardianus Atheusis prædictæ Facultati miserunt, sigillis prædictorum Conventuum signatas, rogantes obnixè ut super iis dicta Facultas censuram ferret.

" Prima Propositio: *Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita: nec illi convenit ea potestas ex ipsius naturali & intrinseca ratione.*

" CENSURA: Prima pars hujus Propositionis est hæretica: Secunda est falsa, & Morali Philosophiæ adversa.

" Secunda Propositio: *Libertas & necessitas eidem conveniunt respectu ejusdem: & sola violentia repugnat libertati naturali.*

" CENSURA: Hujus Propositionis prima pars includit contradictionem, & est hæretica. Secunda est falsa.

" Tertia Propositio: *Liberum arbitrium ex suâ ratione intrinsecâ non habet, ut ex se, de se, & per se efficiat actum liberum.*

" CENSURA: Hæc Propositio est falsa, erronea & perniciosa.

" Quarta Propositio: *Liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare, & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi, est peccatum mortale aut veniale.*

" CENSURA: Hæc Propositio utrâque sui parte est hæretica.

" Quinta Propositio: *Homo faciendo quod in se est, peccat, & non potest non peccare faciendo quod in se est.*

" CENSURA: Hæc Propositio tota est hæretica.

" Sexta Propositio: *Posse peccare non est de ratione liberi arbitrii: nec hujusmodi peccandi facultas homini à Deo data est.*

" CENSURA. Hujus Propositionis prima pars est falsa, secunda hæretica.

" Septima Propositio: *Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia Dei vitare peccatum: Undè fit ut omne opus hominis purè Infidelis sit peccatum.*

" CENSURA: Hujus Propositionis secunda pars est falsa, & malè ex priore infertur:

" Octava Propositio: *Liberum arbitrium liberè vult, quidquid spontè seu voluntariè*

„ *vult*, *ita ut quod necessariò vult*, *liberè* „ *velit*.

„ CENSURA : Hujus Propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est „ hæretica.

„ Nona Propositio : *Hæreticus & Schismaticus*, *& homo non purè infidelis meretur* „ *quandoque de condigno vitam æternam*.

„ CENSURA : Hæc Propositio est planè „ hæretica.

„ Decima Propositio : *Homo existens in* „ *peccato mortali*, *sive ejus reatu ad æternam* „ *mortem*, *habet in se charitatem*.

„ CENSURA : Hæc Propositio est hæ„ retica.

„ Undecima Propositio : *Per contritionem* „ *non adhibito realiter Sacramento Baptismi*, „ *vel Pœnitentiæ*, *non dimittitur peccatum* „ *extra casum Martyrii*, *aut necessitatis*.

„ CENSURA : Hæc Propositio est hære„ tica.

„ Duodecima Propositio : *Peccator si fa*„ *ciat quod mandatur*, *per contritionem & confessionem factam Sacerdoti*, *non remitti*„ *tur illi peccatum*, *nisi Sacerdos absolvat*; „ *etiamsi per malitiam & absque ratione Sa*„ *cerdos illi deneget absolutionem*.

„ „ CENSURA : Hæc Propositio est hæ„ retica.

„ Decimatertia Propositio : *Non sine Pe*„ *lagiano errore admitti potest ante primam* „ *justificationem in homine aliquis liberi arbi*„ *trii usus bonus*, *& qui se præparat ad eam*, „ *peccat*, *ut is qui pessimè utitur suis donis* „ *naturalibus*; *nam ante eam omnia opera* „ *hominis sunt peccata damnatione digna*.

„ CENSURA : Hæc Propositio pro omni„ bus suis partibus est hæretica.

„ Decimaquarta Propositio : *Non datur* „ *gratia nisi reluctanti*; *proinde nec prima ju*„ *stificatio*; *quia justificatio est ipsa fides*; *fi*„ *des enim est*, *qua ex impio quis fit justus*.

„ CENSURA : Hujus Propositionis duæ „ primæ partes sunt Hæreticæ : Tertia est „ falsa.

„ Decima quinta Propositio : *Homo neces*„ *sariò peccat*, *etiam damnabiliter in aliqua* „ *specie peccati*, *& actus in quem necessariò* „ *fertur*, *est illi peccatum*; *quare ut liberè fe*„ *ratur in actum*, *non est conditio necessaria* „ *ad peccandum*.

„ CENSURA : Hæc Propositio est hære„ tica pro omnibus partibus.

„ Decimasexta Propositio : *Nemo*, *præter* „ *Christum*, *est absque peccato originali* : *hinc* „ *Beata Virgo mortua est propter peccatum*, „ *quod contraxerat ex Adamo*, *omnesque ejus* „ *afflictiones in hac vita*, *sicut & aliorum ju*„ *storum*, *sunt ultiones peccati originalis vel* „ *actualis* : *Unde & Job passus est*, *& omnes* „ *Martyres propter sua peccata*.

„ CENSURA : Hæc Propositio pro om„ nibus suis partibus est hæretica, & Beatæ „ Mariæ Sanctisque omnibus injuriosa. „

Contra priorem Atticuli partem, quæ negat immaculatam Beatæ Virginis conceptionem facultas Sorbonica abundavit tunc in sensu & zelo suo, censuram hæresios infligens, quod per Constitutiones Apostolicas hodiè nemini, præterquam Pontifici licet.

„ Decima septima Propositio : *Omnia ad* „ *gloriam Dei facite*, *& dico vobis*, *non resi*„ *stere malo* : *Hæc sunt simpliciter ut præce*„ *pta accipienda*.

„ CENSURA : Hujus Propositionis po„ sterior pars est falsa.

„ Decima octava Propositio : *Omne opus* „ *bonum est meritorium vitæ æternæ*. *Quod si* „ *aliquod remuneretur temporaliter*, *tamen* „ *non dignum vitâ æternâ*, *illud malum est*, „ *quia nullum est opus meritorium nisi vitæ* „ *æternæ*.

„ CENSURA : Hæc Propositio tota re„ pugnat Sacræ Scripturæ.

Hactenus facultas Theologica Parisiensis. Similes Baii Propositiones ab Academiis Hispanicis Complutensi & Salmaticensi Censuris gravibus confixæ sunt : in quibus illud speciale est, quod Complutensis rogatu Eminentissimi Cardinalis Toletani hanc discutiendam singulari studio sibi duxerit Propositionem quintam : *Romanus Pontifex non est appellandus universalis*; *quin S. Gregorius illud nomen abhorruit & reprobavit* :

In quam illi sic animadvertere placuit Academiæ : " Hæc Propositio sapit hæresim; „ quia ideò videtur denegare Summo Ponti„ fici hanc appellationem *Universalis* atque „ Oecumenici, quod credat Propositionum „ Author, eum non habere universalem in „ totam Ecclesiam potestatem, ac versutè ad„ didisse Divi Gregorii dictum, ut sic suam „ hæresim tegeret vel fucaret. Quod S. Gre„ gorium attinet, falsum est eum nomen il„ lud in ea significatione, in qua ejusmodi ap„ pellatione Ecclesia utitur, reprobasse; sed „ detrectasse honorificentissimum nomen, „ quo nunquam Summi Pontifices in suis Di„ plomatibus, Bullis ac Decretis Apostoli„ cis uti voluerunt. Consulantur ejus Epi„ stolæ de hac quæstione : inter alias maximè „ trigesima secunda, & trigesima sexta indi„ ctionis 2. Ex quibus tria colligimus :

„ Primo : Beato Petro totius Ecclesiæ cu„ ram commissam esse; non Jacobo, Joanni „ & cæteris, atque ita totius Ecclesiæ dire-

ctionem

„ ctionem & curam Petri successoribus alligatam, particularium iis, qui cœteris Apostolis successerunt.
„ Secundò: Concilium Calchedonense hoc *Universalis* nomen Summis Pontificibus obtulisse. Etenim nullus libellus oblatus & lectus est in Actione tertiâ, cujus initium & caput non fuerit, SANCTISSIMO ET DEO AMANTISSIMO: vel BEATISSIMO & UNIVERSALI ARCHIEPISCOPO, PATRIARCHÆ MAGNÆ URBIS ROMÆ LEONI &c.
„ Subscriptiones etiam Legatorum Beati Leonis Papæ in similem modum scriptas legimus. Paschasium & Lucentium Episcopos, & Bonifacium Presbyterum in Actione sexta subscripsisse, LEONIS UNIVERSALIS PAPÆ nomine.
„ Ex quibus constat, nos etiam posse, imò debere ipsum sic appellare; quia hinc cæteri Episcopi non tolluntur, neque Archiepiscopi aut Patriarchæ; Sed Romanum Patriarcham super omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos esse agnoscimus, atque ita curam totius Ecclesiæ ipsi delegatam à Christo profitemur.
„ Tertiò: Colligitur, Summos Pontifices nunquam uti voluisse hoc honorificentissimo nomine; Sed potiùs *Servus Servorum Dei se humiliter* appellantes, quod illud à Christo didicerint, cujus personam gerunt in Ecclesiâ. Ne igitur nomen viderentur superbum atque arrogans usurpare, neve alii Episcopi hoc titulo essent offensi, quasi ad se ipsos solos Summi Pontifices totam dignitatem Episcopalem transferre viderentur; non solùm eo uti noluerunt; sed & sibi oblatum repudiarunt. Hinc etiam est ut idem B. Gregorius dicat, nihil se jubere.... Sed invitare Epist. 30. lib. 7.
„ Ex his evidenter deprehendimus, nomen istud Summis Pontificibus quadrare, atque à nobis in sensu Catholico, & quo Ecclesia Catholica uti consuevit, eos esse honorandos. Quod si eo sensu negatur in quinta Propositione, assertio erit hæretica, atque assertor hæreticus manifestus. Cùm ergo in hunc sensum videatur inclinare, dictum est Propositionem hæresim sapere & redolere.
„ Propositio quarta locum Lucæ: *Ego pro te oravi Petre &c. exponens, dicit Petrum ibi gerere personam Electorum, sicut Judas est Caput reproborum.*
„ CENSURA: Author significare videtur, vel Petrum tantum esse caput Prædestinatorum, sicut Judas est caput reproborum, vel nullam Petri & Successorum prærogativam, illis verbis contineri, quæ non sit communis singulis Prædestinatis, quorum utrumque est hæreticum. Hæc ergo Propositio reddit Authorem de hæresi suspectum.„

Omnia ista nequaquam flectere potuerunt animum Baii in suis nimium novitatibus obfirmatum. Quid de iis audax Gerberonius? In Baii vindiciis respondet, *Censuras ab Academiis Hispanicis & Parisiensi in Baii Articulos latas, esse insulsas, indignas Theologis, futurasque Academiis istis opprobrio sempiterno.*

Profuere quidem istiusmodi Censuræ ad confirmandos in Belgio Catholicos, quibus majori, quàm oportuit, in pretio, Lovaniensium quorumdam hactenus authoritas fuerat; Sed ipsis Novatoribus nonnisi bilem magis accendere visæ sunt, & obdurandæ magis esse occasio pertinaciæ, quod ab extraneis damnarentur, qui se præcellere omnibus eruditione putaverant.

Necesse igitur fuit ad Sedis Apostolicæ confugere Oraculum, ut illa credendi normam præscriberet, cujus judicium in summa cunctis semper Fidelibus veneratione est. Inde biennio post emanavit Pii V. Pontificis Constitutio contra Baii & Sociorum ejus Articulos 79. ut sequitur.

CONSTITUTIO

Adversus errores Michaëlis Baii & aliorum.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ex omnibus afflictionibus, quas, in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur: Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simulatque prosiliunt, penitùs opprimantur: Magno cùm mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis, invicem controvertantur; cujusmodi sunt sequentes.

1. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc

adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex naturâ suâ est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex naturâ suâ est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna Homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione factâ Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbandâ ratione, possunt dici gratia; sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod piè, & justè in hâc vitâ mortali, usque in finem, conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in quâ, lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est. Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni Cœlestis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona Justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solùm, quòd obedit Divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiæ, & Temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2.: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm

per

per ipſum in viam juſtitiæ [hoc eſt aliquam juſtitiam] conſcendi poſſe docent:

30. Aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non ſuperetur.

31. Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catechumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demùm percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis, excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur ex ſolâ philoſophiâ, per elationem præſumptionis humanæ, cum injuriâ Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſâ, Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus peccatot ſervit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.

42. Juſtitia, quâ juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientiâ mandatorum, quæ eſt operum Juſtitia, non autem in gratiâ aliquâ animæ infuſâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum; eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

44. Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt, ſolùm ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Miſſæ non aliâ ratione eſt Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut Sancta ſocietate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ, & originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati ſine ullâ ratione, ac reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48. Peccatum originis eſt, habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, *Non concupiſces.*

51. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

52. Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum authorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

53. Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.

55. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.

56. In peccato duo ſunt; actus, & reatus; tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans,

rans, vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleëmosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliquâ ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum [hoc est ad modum meritorum] commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum [quod moraliter bonum appellare consueverunt] vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd sit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ Divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item, & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur & palmes vivus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impij fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternę damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternę damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omninò justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde, & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut, & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut, & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentię carnalis in diligente est, non facit præceptum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosę justificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Justitia naturali.

Quas quidem Sententias strictò coram Nobis examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthàc, quoquo pacto, loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscumque

cumque interdicimus. Qui fecus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos excepto mortis articulo, liberare.

Cæterum, ut jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi possint, simulque animarum saluti plenius consulatur, Dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbytero Cardinali Granvelano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse, quid ad perpetuam dictarum sententiarum, & scripturatum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem, & pacem cum communi omnium, & Ecclesiæ Catholicæ satisfactionem componendam, facto opus sit, in primis diligenter expendat; deinde in iis omnibus, quæ, pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salva semper Ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium, seu alios, fide, doctrina, & religione præstantes, ocyus exequatur, faciatque, quicquid decreverit, inviolate ab omnibus observari. Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo; Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio Brachii sæcularis: non obstantibus, quod forsitan aliquibus ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; Et quibuslibet aliis privilegiis exemptionibus, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis, specialibus, vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis, & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobris. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Contra hanc Sancti Pontificis mitissimam dispositionem, utpotè in qua, tacito authorum nomine, eorum famæ consulitur, tumultuari ipsi majore mox audacià cæperunt, adeò ut non vereretur Bajus malesanâ Epistolâ ipsum lacessere Christi Vicarium datâ Lovanio die 8. Januarii 1569.

„ *Beatissime Pater*: Jam annus est, quod „ nobis exhibitæ sunt literæ Beatitudinis Ve„ stræ plumbeo sigillo munitæ, datæ Romæ „ Kalendis Octobris 1567., quibus damnan„ tur 76. sententiæ. Quarum literarum co„ piam neque hic, neque Romæ obtinere „ potuimus.

„ Sententiæ damnatæ per hanc inferiorem „ Germaniam passim habentur & circumfe„ runtur. Metuimus ne quid Vestræ San„ ctitatis existimationi detrahatur, non tan„ tùm propter manifestas calumnias, quæ vi„ dentur in illis contineri; Sed etiam prop„ ter verba, &, ut apparet, etiam sensus „ quosdam Sanctorum Patrum, qui in iis da„ mnari videntur: nam Regio hæc propter „ importunitatem hæreticorum, multos habet „ longè magis scripturis Sacris & veterum „ Patrum sermonibus assuetos & addictos, „ quàm Doctorum Scholasticorum, qui fortè „ existimantes, nonnulla in scriptis Sancto„ rum Patrum contenta, propter eos dam„ nari, qui nonnisi sensibus & verbis Docto„ rum Scholasticorum assueverunt, scanda„ lizabuntur.

„ Quapropter visum est ipsas sententias „ simul cum iis quæ nos movent, Beatitu„ dini Vestræ, cujus judicio omnia subjici„ mus, transmittere, ut iis consideratis, fa„ ciliùs dispiciat, & judicet, utrum jam di„ ctas literas tanquam legitimas, & sufficien„ ter discussas habere velit, an tanquam sub„ reptitias, & per quosdam bonorum viro„ rum æmulos, importunitate magis ac ar„ te, quàm ratione obtentas. „

Hactenus Bajus, in cujus Epistola animadvertendus maximè est Pontificiæ mansuetudinis abusus: cùm soliùs Belgii finibus circumscribi novitas videretur, non necessarium duxerat Christi Vicarius, ejus notitiam cum suâ Constitutione per alias dispergere Regiones: sufficere autem, si Propositionum authoribus Bulla prælegeretur, tradito simul damnatorum Dogmatum elencho; licèt iu eorum manus non consignaretur totiùs Diplomatis contextus, ne forsitan rebellionis spiritus in apicibus verborum, materiam quæreret cavillandi. Sed ipsa, ut videmus, Sapientissimi Pontificis benignitas & providentia, malevo-

levolis Novatoribus fuit animandæ magis occasio temeritatis.

Nihilominùs prolixam, quam Bajus literis suis junxerat suorum Dogmatum Apologiam, Apostolica Sedes accurato discussit examine, quo finito ita Bajo respondit.

„ Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Quamvis ea quæ super Libro & Propositionibus ad nos missis, per literas nostras Apostolicas sub plumbo superioribus diebus decrevimus, atque statuimus, non sine maturâ deliberatione & consideratione à Nobis decreta statutaque fuerint, quemadmodum & ipsius causæ gravitas, & hominum alioquin de hac Sancta Sede benemeritorum conditio postulabat; tamen Nos omnem novarum querelarum causam auferre volentes, simulque postulatis vestris satisfacere cupientes, mandavimus, ut & libri, & ipsæ Propositiones, & scripta vestra proximè ad nos missa, diligentissimè & accuratissimè iterùm considerarentur & perpenderentur.

„ Quibus omnibus maturè admodùm consideratis, quæ super hoc jam decreveramus, nisi antea à nobis decreta fuissent, eadem, prout facimus, de integro decernenda statuendaque esse judicaremus. Itaque tibi & cæteris prędictarum Propositionum assertoribus ac Defensoribus, pro earum assertione & defensione, perpetuum silentium imponimus. Vosque tanquam nostros hujusque Sanctę Sedis obsequentissimos filios, in Domino hortamur, ut his, quæ nunc vestra, atque omnium Fidelium Mater ac Magistra præcipit, & jura decernunt, sine ullâ recusatione obtemperetis, eaque omnia faciatis, quæ dilectus filius Maximilianus (Morillonius) Ariensis Ecclesię Præpositus, Venerabilisque fratris nostri Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius Generalis, vobis facienda proponet. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 13. Maii 1569. Pontificatus nostri anno quarto.

In hac optimi Pontificis Responsione mirari cogimur eximiæ lenitatis & patientiæ exemplum, dissimulantis in privati hominis Epistola præsumptionem, quâ ille sibi temerè ac falsissimè arrogabat meliorem Theologiæ Dogmaticę, traditionis Patrum, Scripturæ Sacrę, atque adeò Catholicæ Fidei cognitionem, quàm foret in omnibus Sedis Apostolicę Theologis, Consultoribus, Cardinalibus, atque ipso Summo & Doctissimo Pontifice.

Undè quisquis impudentem Baii Epistolam ad Christi Vicarium perlegit, continere se non poterit, quin gravem adversus authorem concipiat indignationem, & minimè levem expectet à respondente Pontifice reprehensionem. Verùm Sanctissimi *Charitas* penè ad excessum usque *patiens est*, *benigna est*; *omnia suffert*, *omnia sustinet*, ut aberrantem ovem in semitam reducat veritatis Catholicę & salutis.

Maximilianus Morillonius, ut in mandatis acceperat, Breve Apostolicum Bajo tradidit, qui eo lecto, ut Morillonius ipse literis Romam datis ad Granvellanum Archiepiscop. Mechliniensem datis 20. Junii 1569. testatur: *Obedientiam promisit, flexis genibus petens absolutionem à Censuris, & irregularitatis amotionem*: quam cùm Morillonius negaret, nisi priùs ille Propositiones damnatas ejurasset; Primùm Bajus tergiversatus aliquantum est, dein *rursus in genua procidens coram Plebano*, seu Pastore *S. Gudulæ*, quæ Parochia Bruxellis præcipua est, *omnes Propositiones in Bulla Pii V. contentas, juxta normam Decreti, & Censuræ secundùm mentem Pontificis ejuravit*: ita voti compos factus fuit, & tam à Censuris, quàm ab irregularitate liberatus.

De quibus omnibus documentum authenticum in forma legitima confectum, Romam Archiepiscopo missum est cum Epistola Morillonii cujus lacinia à me jam citata est.

Non exiguam ista quidem Præsuli consolationem attulit & lætitiam; non plenam tamen propterea quod abjuratio subscriptione Baji firmata non esset; unde Antistes sapiens verebatur, ne facilior tricis, effugiis, regressui ad ejuratos errores semita panderetur. Hanc itaque subscriptionem exigenti Archiepiscopo, respondit Morillonius 14. Augusti ejusdem anni 1669. illam *nimis difficulter obtinendam, propter perpetuam, quam Bajus causaretur infamiam*.

Non inanem fuisse Granvellani metum, brevi docuit eventus; nam Bajus anno 1570. cœpit damnatos Articulos in scholâ publicâ explicare cavillando, tergiversando; & tantùm non apertè impugnando Constitutionem, licèt ut fasti Academici Lovanienses illic typis editi anno 1650. pag. 367. referunt, *prædicta Bulla lecta & publicata fuerit Lovanii 1570. Die 16. Novembris in Scholis Theologicis per Conradum Silvium Notarium Universitatis, Maximiliano Morillonio Vicario Archiepiscopi Mechliniensis præsente & rogante eximios Dominos Magistros nostros, num literis Apostolicis obedire vellent. Cui omnes annuerunt*. Ita fasti Academici, quorum in hoc articulo veritas à nemine quantum scire licuit, hactenùs revocata est in dubium.

Attamen

Attamen Bajus toto tempore Pontificatus Pii V. nunquam seriò & constanter se submittere visus est: quapropter Sanctissimi illius Pontificis successor Gregorius XIII. ut pleniorem obtineret Constitutioni obedientiam, cum prioris fides à Novatoribus velut incerta eluderetur, eam novâ sibi statuit editione donandam, suâque confirmandam authoritate.

Sed in remotis Regionibus, Pontifice procul dissito, facilè Novatoribus est, aliquid semper comminisci frivolæ oppositionis, quod antequam iteratis sæpius responsionibus convellatur, transeunt menses & anni, irritis ferè conatibus, atque hæresi interim serpente latiùs adeò ut difficilioris semper curationis deveniat malum, sanationisque tandem quodammodo desperatæ.

Quapropter Christi Vicarius, ut omnem deinceps tergiversationibus ansam præscinderet, suum ex Urbe Concionatorem Franciscum Toletum, insignem Societatis Theologum in Belgium misit, successumque hac ratione prosperum nactus est. Toletus enim variis Lovanii congressibus privatim habitis cum Doctoribus, præcipuè Michaële Bajo, ad promittendam Bullæ Pii V. eamque confirmanti Gregorianæ obedientiam, universos feliciter adduxit.

Ita in Academiæ istius fastis legimus pagina 369." Die itaque dicto ad 12. Kal. Aprilis (1580.) horâ ante meridiem decimâ in frequentissimo Conventu atque consessu omnium & singulorum Professorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, cœterorumque studiosorum Sacræ Theologiæ, ingressus Scholas Theologicas idem D. Franciscus (Toletus) comitantibus eum, ac deducentibus honoris causâ Magistris nostris dicto Domino Bajo, Cornelio Reineri, Gaudano & Henrico Gravio, ac conscensâ Cathedrâ, cùm eadem ferè narrasset, quæ antea coram Magistris Sacræ Theologiæ facultatem repræsentantibus dixerat, jussit per præfatum Universitatis Notarium Conradum Silvium, literas primùm credentiæ ad eosdem Sacræ Theologiæ Doctores datas, deinde ipsam Bullam clarâ & intelligibili voce recitari.

" Quibus lectis, convertit se ad D. Michaelem du Baii, petiitque ex eo, *annè agnosceret, damnari in Bullâ multos Articulos, qui in aliquot ejus libellis priùs editis continerentur, etiam in eo sensu, quo in Bullâ damnarentur?*

" Quo agnoscente & credente quod sic, rogavit eum deinde, *annè eosdem & reliquos ibi comprehensos & lectos damnaret?*

" Tum ille *damno*, inquit, *secundùm Bullæ ipsius intentionem & sicut Bulla damnat.* Deinde præfatus Dominus Franciscus (Toletus) ad reliquos Doctores Theologos conversus interrogavit, *annè eosdem Articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter susciperent?*

" Qui uno ore omnes responderunt, se eos Articulos damnare, & Bullam religiosè habituros atque observaturos. Eadem fuit responsio Licentiatorum, Baccalaureorum & studiosorum, omnesque consonâ voce conclamarunt: *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.* "

Iterum Bajus in Testimonio à se dato & manu propriâ subscripto die 24. Martii 1580. ait: *Ego Michaël de Bay Cancellarius Universitatis Lovaniensis, & in eadem Professor Sacræ Theologiæ agnosco, & profiteor, me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum Rev. Patre Domino Francisco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialitèr misso, super diversis Sententiis & Propositionibus olim à Sanctissimo Domino nostro Pio V. fel. record. sub data Kal. Octobris* 1567. *& insuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo sub data* 4. *Kal. Februarii anno* 1579. *iterato damnatis & prohibitis, ita motum et eo perductum esse, ut planè habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem juremeritoque, ac nonnisi maturo judicio & diligentissimâ disquisitione præmissis factam atque decretam esse.*

Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis, in nonnullis libellis à me olim & ante emanatam Apostolicæ Sedis super iis censuram conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur.

Denique declaro me impræsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à Sanctâ Sede factæ acquiescere, neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle.

Hanc declarationem Baji refert Cardinalis Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri Disp. 18. n. 2. Habemus hìc Baji ipsius Catholico dignam Doctore palinodiam. Ut enim ab Augustino discimus lib. 3. contra Cresconium cap. 3. *Sententiam falsam nunquam tenere prima laus est: Secunda mutare*: Et ex Cassiano lib. 1. de Incarn. cap. 4. *Primum est, errorem penitùs non incurrere: Secundum bene repudiare.*

Quod Augustinus verbo docuit, exercitio stabilivit, & exemplo salubriore in libris editis Retractationum. At recentiores horum temporum Theologi quidam hypocritæ, Augustinum

gustinum quasi Ducem perperam inclamantes, quam summis denegant Pontificibus, sibi arrogare quodammodo videntur falli nesciam in Definitionibus authoritatem: quodque temerarium magis, ac fatuum ingenii schismatici specimen est, ubi à suis quos maximi faciunt, Præceptoribus audiuns retractationem Dogmatum, vel submissionem præstitam judicio Romani Pontificis, sicut Aspides surdæ obturant aures suas, ut neque Augustiniani sint, neque in hoc propriè Bajani, sed Antipontificii & Acatholici.

Quis hic ferat impudentiam Gerberonii, minimè veriti non solùm omnia Baji opera, tot scatentia erroribus, etiam hæreticis; sed manuscripta quoque ab ipso Bajo in tenebris relicta, in lucem typis protrudere ac divulgare, imò ut insolentissimam suam ad malitiæ culmen audaciam provehat, omnes Baii Articulos contra memoratas Sedis Apostolicæ definitiones & anathemata suscipit defendendos: & hanc quidem apertissimam Fidei & Ecclesiæ Catholicæ impugnationem in ipsa voluminis fronte appellare non pudet *vindicias Ecclesiæ Romanæ tam adversus Protestantes, quàm Arminianos, cæterosque renascentes Pelagianos*.

In opere, postquam Pontificias contra Baji Dogmata Censuras retulit, promissamque à Bajo obedientiam, subjungit Gerberonius *Animadversiones* suas quales à nullo expectaveris orthodoxo: minùs à Religioso Ordinis & quidem Reformationis rigidæ Professore.

" Ab æmulis Baji (inquit) Romam missus „ est ejus liber de meritis operum, de primâ „ hominis justitiâ, de virtutibus impiorum, „ de peccato Originis, de Justificatione, & „ de libero arbitrio: qui viros quosdam alioquin eruditos, sed magis in futilibus quibusdam scholæ recentioris disceptationibus, quàm in scripturis Sacris & Patribus „ exercitatos potuit offendere: Pontificem „ pariter offendisse potuit ex aliorum videlicet pravo relatu, & malefidâ interpretatione. „

Ibidem monet Gerberonius: "Valde indiligenter, & animo novæ Scholæ commentis magis, quàm S. Augustini sententiis imbuto discussa fuisse Michaelis Baji „ opera, liquet ex ipsâ Censurâ, quæ ex eruditorum testimonio Romanam Sedem dehonestat....

„ Utinam adeò diligens & accurata fuisset „ ista inquisitio, ut aliquas Sanctorum Patrum ac Conciliorum sententias non reprobasset, & in alias brutum ac irritum fulmen „ non contorsisset!

Ibidem; " Animadvertendum primò, „ quod isti delatores, ac impostores suis „ fraudibus ac mendaciis Pium V. ita circumvenerunt, ut tandem ab eo Censuram ac „ Diploma adversus has sententias extorserint, Michaële Bajo non solùm non audito, „ nec vocato; sed nullâ, quæ sciatur, nisi „ levissimâ institutâ disquisitione, & absque „ librorum Michaelis Baji examine, quos si „ vel aperuissent, fraudem delatorum compertissent ac nequitiam.

„ Animadvertendum secundò ex Pii V. „ Bullâ, Articulos, in quibus vix aliquis „ pravus sensus potest deprehendi, & qui intellectum fidei ac Doctrinæ Catholicæ Sancti Augustini planè consentaneum præseferunt, nudè ac simpliciter proscribi in multam Sedis Apostolicæ injuriam, ac grave „ omnium eruditorum scandalum. „

Neque Gerberonius, ut quidam Bajani, & Jansenistæ timidi, in Solis hæret accusationibus vagis; sed Propositiones varias determinat, quas anathemate injusto feriri intrepidus contendit.

Singulas obterere ejus accusationes, & Sanctissimi Pontificis Pii, quoad singulorum illic damnationem dogmatum sententiam, atque Constitutionem defendere, in promptu mihi est, quandocunque adversariis placuerit, ad veterum istiusmodi instaurationem certaminum provocare; at neque necessitas, neque præsentis ratio instituti postulat, ad talia me longius diverti.

Hic solùm mihi propositum est irreligiosam, & spiritu plenam schismatico, Quesnelli eique adhærentium repellere temeritatem, quâ dicitur, *Deus permittere, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*.

Sufficere nostris hic adversariis debet citata à me sæpius Card. Noallii declaratio de *Apostolicis adversus Bajum Decretis, nihil illis deesse ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse: atque istud*, inquit *professorum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset*.

Quâ igitur Gerberonius authoritate fultus, post repetitum toties Apostolicæ Sedis judicium, Bajanas suscipit reducendas in Ecclesiam opiniones, etiam hæreticas?

... Respondeat pro Gerberonio Quesnellus: Divini, inquit, authoritate Codicis & Augustini, cum sequentibus Patribus, Conciliis ac Pontificibus antiquis; nam quantum ad præsentes attinet, satis aperta mei Articuli querela est, *omnes Potestates*, Ecclesiasticas æquè ac sæculares, *esse contrarias Prædicatoribus veritatis*. Nos

Nos autem quamdiù Ecclesiam conspicimus Pio V., Gregorio XIII., Urbano VIII. contra Baji Articulos omnimodè consentientem, cur unius Gerberonii, paucorumque ei temerè adhærentium, non uno ab Ecclesiâ anathemate separatorum, malesanis clamoribus moveamur? Pergamus nihilominus referre Gerberonianos; ut Reformator hypocrita, eique consors Quesnellus, cum rebellibus cœteris, suâ magis innotescant impudentiâ execrabiles.

Animadvertendum tertiò [inquit Gerberonius] *plures ex præscriptis in isto Diplomate Articulis, esse valdè ambiguos, seu æquivocos, adeòut in sensu vero & Catholico æquè intelligi valeant, ac in sensu falso & hæretico. Nihilominus verò Censura in illos absolutè & indistinctè lata est, ut discerni minimè possit in quem sensum cadat.*

Ex ipsâ Gerberonius Bulla discere potuit damnari Articulos *in proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.*

„ Animadvertendum quartò (inquit idem) „ in illas sententias Censuram ita indiscrimi- „ natim ferri, ut ex ea intelligi nullatenùs „ possit, quænam reprobandæ sint ut hære- „ ticæ, quæ ut simpliciter falsæ „. Respondeo sufficere probis Catholicis, Propositiones omnes, & singulas damnari, & prohiberi sub excommunicatione Pontificiâ latæ sententiæ, ipso facto à transgressoribus incurrendâ.

Ad cumulationem, quod attinet Censurarum, quæ non universæ singulas afficiant Propositiones, sed respectivè, seu singulas aliqua, modus ille pridem à Constantiensi Concilio adhibitus fuit, & ab Ecclesiâ probatus, utpote materiam malevolis adimens cavillandi.

Denique Gerberonius sic concludit: „ Ex quibus æquiores arbitri deducunt, non „ inutilem modò; sed fovendis & augendis, „ quàm sedandis ac componendis, conten- „ tionibus aptiorem; imò magis in Catholi- „ cæ veritatis perniciem, quàm in errorum „ extirpationem, latam esse arbittantur Cen- „ suram hanc, quæ sensum verum & Catho- „ licum à falso & hæretico non discernens, „ istum æquè ac illum indiscriminatim „ damnat. „

Verùm ex ducentis & amplius Propositionibus, quas partim in Bajo Sanctissimus Pius V., Gregorius XIII., Urbanus VIII., partim in Jansenio Innocentius X., Alexander VII., Clemens XI., partim Alexander VIII. in Jansenianis pluribus, in Quesnello præcipuè idem Clemens XI., notavit Censuris gravissimis, estne saltem vel una, quæ Jansenistarum judicio, proscriptionem merita sit eo sensu, quo tradita fuerat ab authore?

Quidquid spurcitiarum in Dogmaticis, quidquid pravitatis hæreticæ eructatum fuerit à prætensis hoc tempore Augustini discipulis, hoc ipso necesse est censeatur traditum à Spiritu Sancto in scripturis, à Patribus ad nos transmissum, atque æternæ consecratum quodammodo veritati.

Illius itaque disseminatores perfidi, quo apud Jansenistas nomine magis congruo appellentur, quàm Apostolico, *Prædicantium veritatem*? Sed hoc nomen, hanc gloriam, nulla est, quæ sibi non vindicet secta hæretica: monstrorumque æstimaretur maximum, qui errorem, nomine significatum proprio, buccinaret, velut ab Auditoribus suscipiendum.

Denique ex eo quod Morillonio superiùs accidisse vidimus, in prima Baii Palinodia tempore Pii V., cautiores reddi decet Ecclesiæ præpositos in receptione eorum, quos constat hæresim docuisse; ne apparenti cuilibet fidem mox præbeant retractationi, utpote quæ sæpe non seria est, constans rarissimè.

Bajanam illam fuisse seriam, difficile creditu est: posteriorem, quam, Gregorio XIII. Pontifice, excepit Toletus, fuisse pariter fraudulentam non suspicor; at pluribus Baii discipulis damnata novitas adhæsit, ne hodie quidem facilè eradicanda.

Qui à Baii discipulis instructi, aliquam erga Christi Vicarium submissionem fingunt, non minimam studii sui partem collocant in comminiscendis cavillationibus, quibus Magistri sui dogmata subducant anathemati, Pontificiam eludendo interpretatione frivolâ condemnationem; ut retento sensu hæretico, Catholici videantur.

Similem in sui temporis hæreticis detexit fallaciam Hieronymus Augustino, apud hunc Epist. 30. *Demus operam ut perniciosissima hæresis de Ecclesiis auferatur, quæ semper simulat pœnitentiam, ut docendi in Ecclesiâ habeat potestatem, ne, si apertâ se luce prodiderit, foras expulsa moriatur.*

Egregium doli hujus specimen dederunt nuper in Galliis Novatores, qui damnatum Jansenii sensum hæreticum ante susceptionem gradus Academici, jurejurando fuerant execrati, iterumque damnaverant, Sorbonicæ contra Arnaldum sententiæ subscribentes; postea autem Janseniano *Casui conscientiæ* suffragati sunt, eâ ratione, quâ omnis contra Jansenium atque Arnaldum censura redditur inutilis, reducendæque hæresi janua latissima aperitur.

Malè quidem eis hæc cessit temeritas, quæ

quæ graviffimam mox, ut innotuit, Summi Pontificis, Regis ac Parifienfis Archiepifcopi peperit indignationem, neque placari tanti Principes potuere, nifi infamis judicii retractatione dilucidâ. Hanc ab eis præftitam fuiffe bonâ fide ne quis dubitaret, certiore teftatam à fe voluere indicio, Conftitutioni *Vineam Domini Sabaoth*, & alteri *Unigenitus* obedientiam promittendo. At rurfus indigniffimâ pulfi fubmiffionis pœnitentiâ, quæfivere ftudiofiùs occafionem, qua poffent Catholicam reiicere, ac reprobare Palinodiam.

Opportunitas eis fufficiens apparuit mors Regis Chriftianiffimi, qui fatis confcius calamitatum, quæ fibi & Regno à Calvinianâ obvenerant impietate, fixum animo ftatuerat, nullam impofterum tolerare hærefim.

Hoc itaque foluti fræno, duxere Gallici Chamæleontes, non ampliùs diffimulandum, quin debitam promiffamque Sedi Apoftolicæ obedientiam excuterent, Bajanam fimul & Janfenianam hærefim, damnato Quefnelli fyftemate luculentiffimè comprehenfam, reftituerent, complexuri deinceps arctius, donec amor commodi temporalis obtinendi, vel amittendi metus, iterum fortè fuaferit mutationem. In hoc rebellionis propofito ftant interim obftinati.

Perfidiam hanc, ut paffim cætera, à veteribus Janfeniani hæreticis accepere. Familiaris ea maximè fuit Ario ejufque difcipulis, Euzojo præfertim & Achillæ. Concilii Nicæni fententiam adverfus Arium Edicto Imperatorio roboraverat Conftantinus, anathema exilio cumulans. Metus exilii Hærefiarcham ad faniora revocare confilia cum videretur, folùm fecit Catholicæ fidei fimulatorem.

Is fcilicèt unàcum Difcipulis, admitti petiit à Concilio ad deteftandam, atque ejurandam hærefim, cæteraque præftanda, quæ Orthodoxi Patres præfcriberent. Denique [tefte Socrate lib. 2. cap. 10. & S. Hieronymo Dial. contra Luciferianos] tam graphicè egere partes Orthodoxorum, ut Patribus impofuerint, fuifque minifteriis fuerint reftituti; eâ lege tamen ut Alexandriâ perpetuò exularent.

Bene ufque eò fraus cefferat; attamen mordebat impios Alexandria, primum ac præcipuum perfidiæ fuæ Theatrum: Alexandriam omnibus votis expetebant. Quid agerent? Hypocrifim inftaurarunt Arius & Euzojus miffo ad Conftantinum Imperatorem libello, quo nihil fanctius videretur controverfiarum ignaris; fed reverâ nihil erat dolofius. Libello non parum ponderis addebat accedens mox approbatio Synodi Hierofolymitanæ, prævalentibus ibi obtenta Eufebianis.

Ne illis quidem fidere voluit fapiens Imperator; nifi jurejurando Profeffio Fidei confirmaretur. Arius nihil hæfitans juravit illicò, Tunc Imperator *fi* [inquit] *recta eft fides tua, benè jurafti: fi autem impia eft, & tamen jurafti, Deus te pro juramento condemnet*, ut fcribit Athanafius ad Serapionem.

Fallaciâ plenam fuiffe conftat fidei Profeffionem, plenum perjurio Sacramentum, fed non defuit ultor Deus; cum enim impius Ecclefiam ingreffurus effet, ut refert Theodoretus in *Hiftoriâ* Sanctorum Patrum, quam *Religiofam* vocat, *Graveolentis blafphemiæ*, perjurii, & turpiffimæ hypocrifis, *in graveolentis locis pœnas luit*, ubi fpurcam unà cum fordibus & inteftinis animam ejecit, crepuitque medius, æternum ab Ecclefiâ dividendus.

Urfacium nihilominus & Valentem antiquiffimos Arii difcipulos, tam horridus Magiftri fui exitus non deterruit, quin in eâdem perfifterent impietate, fallaciam pariter & perfidiam imitantes adeò, ut Athanafius in Epiftolâ ad folitariam vitam agentes, de iis fcribat, quod *Romam adeuntes, pœnitentiam egerint ..... itaut anathemate execrarentur Arianam hærefim, & pœnitentiam fuam fcripto promulgarent.*

Mendaciffimæ converfionis iftius plura fpecimna exponit Athanafius Apolog. 2. hunc memorans totius terminum fictionis: *quafi canes ad proprium vomitum reverfi funt, & ut fues, in priftino impietatis luto denuò fe volverunt; caufificantes pœnitentiam, quam fimularant, ex metu Conftantis religiofiffimi Imperatoris extortam fuiffe.*

Imaginem quò magis fimilem, eò magis Ecclefiæ luctuofam confpicimus eorum qui fidei Profeffionem hodie dùm habentes verfatilem, veftium inftar affumunt, exuunt, mutantque pro libitu, five ut auræ varietas, commodi, incommodique, vel honoris circumftantia poftulaverit. Damnatum in Bajo & Janfenio fenfum hæreticum, quoties abjiciunt, ejurant, refumuntque, quafi Sacramenti immemores, vel turpiore Sacrilegii crimine contemptores!

Viciffitudinis illius exempla in novis Auguftini difcipulis non infrequentia fpectare cogitur ætas noftra, & omnis catholica Pofteritas deteftabitur: *Quafi Canes ad proprium vomitum revertuntur, & ut fues in priftino impietatis luto denuò fe volvunt*. Retinet quidem aliquos fuperbia ne caufificentur, pœnitentiam, quam fimulaverant, five jurantes Alexandri VII. contra Janfenium formulâ, five fubfcribentes Sorbonico contra Arnaldum judicio, five retractantes datam *Cafui*

Con-

Conscientiæ approbationem, sive admittentes Constitutionem *Vineam Domini*, & alteram *Unigenitus*, ex metu Ludovici XIV. Christianissimi Regis *extortam fuisse*; sed alii *causificationem* hanc minimè dissimulant.

Sive autem pertinaces istiusmodi formidinem obtendant, sive aliud quidlibet excusationis, quæ esse non potest nisi frivola, & omni indignissima Christiano, conveniet illis improperium Jeremiæ cap. 3.: *In his omnibus non est reversa ad me prævaricatrix soror ejus Juda in toto corde suo; sed in mendacio, dicit Dominus*.

Spem feriæ & constantis Palinodiæ ferè omnem adimit mihi Cardinalis Baronius, ad annum 1140. referens Petri Abailardi hæretici pœnitentiam minimè hæreticam. *Mirandum*, inquit, *valdè, & raro contingens, idem hæreticus pœnitens perseverans usque ad finem, magnum edidit specimen Sanctitatis*.

Longiùs quàm initio proposueram, abripuit me Quesnellianorum, qui & Bajani simul & Janseniani sunt, in suis Professionibus, ac palinodiis sive inconstantia sive perfidia. Sed ut materia fert adeò connexa, non semper facile est, præscriptis se limitibus continere, ut non aliquantò latiùs divagetur oratio, præsertim ubi sequentia, priorum serviunt confirmationi.

CAPUT VI.

Jansenius, fictitiæ veritatis Prædicator *præcipuus, aliquas initio nactus in Belgio faventes sibi infeliciter* Potestates: *minùs fortunatus in Galliis & Italiâ*.

Duabus Jansenius Legationibus pro Lovaniensi Academia functus in Hispania non infeliciter fuit, nisi quod in secundâ, cùm suas liberiùs novitates spargeret, Theologis ibi doctissimis simùl & maximè Orthodoxis, olere cœperit malè adeò, ut Sacris Fidei quæsitoribus denuntiatus, decerneretur proximè comprehendendus; sed sive propriæ testimonio conscientiæ, sive, quod verisimilius est, accepto aliundè periculi indicio, fugâ præcipiti se subduxit.

In Belgium redux Patronis sibi conciliatis præpotentibus, inter Laicos Bruxellis Protopræside, inter Ecclesiasticos Primate Belgii Mechliniensium Archipræsule, & Episcopo Gandavensi, destinabatur ad Episcopales infulas; sed cùm annorum aliquot in Galliis commoratio obfutura ei in Madritensi Curiâ videretur, Protopræses consilium ei & materiam suggessit, ut scriberet contra Gallicam in gerendis bellis, ut ibi prætenditur, injustitiam. Libro præfixa Epigraphe est *Mars Gallicus*, totius contento operis contraria. Nihil enim ut illic deducitur, Martis habet Gallica belligerandi ratio; sed tota in fraudibus sita est: nihil legitimæ pactionis & fœderis servans; nihil tribuens Justitiæ aut Religioni; omnia verò iniquissimæ conseтraus cupiditati. Denique tam parum *Martis* continet liber ille, quàm veri dogmatis alius contineat vel *Augustini*, mendacissimo pariter appellatus nomine *Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus*. Hoc ille artificio, tanquam Austriacæ Domûs probatissimus defensor, ad Episcopalem Cathedram nominationem obtinuit.

Iidem tres Jansenii fautores, ipsius consilio, è Galliis evocarunt aliquot Berulliani Oratorii Presbyteros, tanquam novitatibus stabiliendis potissimùm idoneos. Requisiti autèm fuerant excellentes in omni scientiâ & eruditione, qui dum sui admirationem Belgis parerent & æstimationem, non exiguam ad se tracturi essent multitudinem Discipulorum. Verùm longè facilius est describere, quales oporteat esse firmandis novis Partibus accommodatos, quàm reperire aut formare illicò in scientiis omnibus eminentes, qui ab acquisitæ possessione famæ dejiciant Religiosos, receptorum communiter Dogmatum Professores.

Ut scilicet novus iste Berullistarum manipulus se Archiepiscopo sistit, non talis ipsi mox apparuit, qui tanto à se operi meditato sufficeret. Quidquid sit, tamen benigno virorum Principum afflante favonio, sat prosperè videbantur fluere novæ primordia Ecclesiæ; sed ut caducæ nimium spes hominum sunt, atque inania terrenæ sapientiæ consilia contra Dominum, brevi tempore diffractæ præcipuæ Jansenistarum machinæ, & factionis capita, partim è vivis sublata sunt, partim ab auctoritatis culmine dejecta.

Jansenius scilicet secundo Episcopatûs anno, ætatis 53. pestilentiâ extinctus: Protopræses à Rege Catholico exauthoratus, & derelictus ab omnibus; Archiepiscopus Mechliniensis, & Gandavensis Præsul eum Janseniani voluminis condemnationi pertinaciùs refragarentur, à Sede Apostolica denûntiati publicè fuerunt excommunicationis vinculo innodati; eumque Leopoldus Archidux piissimus Belgium pro Rege Catholico moderaretur, non habebant, quo recurrerent sive ipsi, sive cœteri Janseniani.

In Galliis non melior sors fuit prætensæ

ejusdem *Prædicatoribus veritatis*: itaut tunc vel maximè videatur, opinione Quesnelli, *Deus permittere* voluisse, *ut Potestates omnes* essent istiusmodi *veritatis Prædicatoribus contrariæ*: ut enim aliàs monui, eodem, quo Jansenius anno 1638. Ipris mortuus est, Parisiis capti fuere Seguenotius & Sancyranus: Prior carceri includendus Parisiensi, Posterior Vincennensi Parisiis propinquo. Sic interceptæ omnes Jansenii ad Sancyranum literæ, atque instituta examina, unde exitialis multiplex contra Ecclesiam, detecta malitia est.

Sed ab anno præcipuè 1641. persecutionem adversus Ecclesiam novam deducere Ægidio de Witte placuit in *Augustino Iprensi vindicato anno æræ communis 1711*, quem vocat *afflictæ gratiæ septuagesimum*. Tantum enim temporis ab illa Jansenianì voluminis condemnatione, usque ad editionem Ægidiani operis fluxisse, facili computatione reperitur. Undè aptissimè hic convenire Ægidius in ipso libri sui initio arbitratur lamentum illud Zachariæ cap. 1. vers. 12. *Domine Exercituum usquequo tu non misereberis Jerusalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est*.

Quod paulò distinctiùs explicans in Præloquio pag. 7. ait " Demum eodem illo an„ no millesimo quadragesimo primo pridie „ nonas Martii fabricata fuit ab Albizio (San„ cti Officii Assessore, dein Eminentissimo „ Cardinale) sub Urbani VIII. nomine Bulla „ *in Eminenti*: interminatis gravissimis cen„ suris volumen Iprensium Præsulis prohi„ bens, ac legi vetans: quin etiam acerbis„ simis reprehensionibus feriens ac fugillans; „ quæ dein omnia aliis atque aliis Pontificiis „ Bullis, Constitutionibus, Brevibus & Re„ scriptis duriùs etiamnum asserta & confir„ mata fuere, atque adeò insignissimum „ opus, quod Ecclesia in isto genere hacte„ nus viderat, sub Jesuiticæ factionis cippo „ obtutum ac sepultum marcuit.

„ Non inconcinnè itaque persecutionis „ Jansenianæ exordium, *& afflictæ gratiæ*, „ quam Illustrissimus author, velut jure post„ liminii suo solio restitutam, gloriosissimè „ tutabatur, æra novissima supputari potest „ à vexationibus, & turbis his.

Idem Ægidius in ipsis *vindiciis* parte 2. cap. 1. " Hæc (Antijansenistarum) acies pri„ mo, quo congressa est prælio, dolosissimè „ ab Urbano VIII. suffurata est Constitutio„ nem in *Eminenti*, ubi præter mentem Pon„ tificis, sed tamen verbis exertissimis, in„ sertum fuit: *Cum ex diligenti & matu„ rà libri Jansenii, cui titulus* AUGUSTI„ NUS, *lectione compertum fuerit, in eodem „ libro multas ex Propositionibus, à Prede„ cessoribus olim nostris damnatas, contineri, „ & magno cum Catholicorum scandalo, & „ authoritatis Apostolicę Sedis contemptu, con„ tra præfatas damnationes & prohibitiones „ defendi; Nos huic malo in scandalum totius „ Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ „ perniciem vertenti opportunum remedium „ adhibere volentes &c.*

„ Mandaverat quidèm disertè Urbanus „ Pontifex, ne in Constitutione sua ullus in „ particulari sugillaretur cum expressione „ nominis; sed Urbanianæ Bullæ faber Al„ bizius, mandatum acceptum posthabens, „ tum nomen Jansenii, tum immanem sugil„ lationem istam, Urbano ne quidquam re„ fragante, Pontificiæ Constitutioni intru„ serat.

„ Audacis & vafri; sed & magni artificii „ facinus. Sic enim illaqueabatur Majestas „ Pontificia, ad Edictum, tametsi dolo ex„ tortum & editum, suo tutamine protegen„ dum. Hinc & post detectam fraudem non „ dubitavit Cardinalis Barberinus, honoris „ sui Patrui, quàm veritatis studiosior, Ab„ batem S. Anastasiæ, Bruxellis tunc Inter„ nuntium datis Româ literis securum red„ dere: *Nunquam Pontifici ne per umbram „ quidem, in mentem venturum, ut Bullam* „ IN EMINENTI, licèt falsitate sordi„ dam, *quacunque sui parte immutet*; *quin „ contrà perpetuò invigilaturum, ut & ipsa „ intacta maneat, & ipsi mos geratur invio„ labilis*. Ex his obiter collige, quid æquita„ tis à simili Tribunali notata semel atro car„ bone, tametsi per fraudem, innocentia spe„ rare valeat.

„ Secundo congressu legio hæc versipellis, „ etiamnum fortunatior, & spoliis onustior à „ prælio rediit, nam per atrocissimas contu„ melias, & consuta mendacia, ab Innocen„ tio X. avulsit damnationem quinque Pro„ positionum ut jacent „. Hactenus audacià inter Jansenistas eminens Ægidius, nullam reverenti solitus authoritatem, nulli se submittere Potestati, professus est sæpiùs, nihil post Divina Oracula, majoris apud se ponderis esse, nihil pretiosius damnato Jansenii opere. Quidquid enim à Sanctis Patribus traditum legimus Posteritati, ne ipsius quidem Augustini voluminibus exceptis, eidem jubet cedere lucubrationi.

Antequam autem ad quinque hæreticorum Dogmatum confixionem dilabamur, supersunt de Urbaniano diplomate referenda quædam, ad prætensam attinentia persecutionem. E tam prosperis auspiciis, quæ novæ *Prædicatio veritatis*, vivente Jansenio

nacta

nacta fuerat, progressus augurari magnificos promptum cuilibet videri poterat; verùm simul cum Jansenii obitu, tam multa, quæ jam exposui, concurrerunt novæ Ecclesiæ funesta, ut nisi pertinaciam Diabolus suggessisset novis Apostolis singularem, animis illi cadere debuissent, cœptamque novitatis destituere *Prædicationem*.

Quicunque Jansenianos inter, aliquo sibi præditus videbatur scribendi talento, utendum sibi strenuè, & totis viribus, in tanto novi Evangelii discrimine statuebat. Neque studiis solùm & vigiliis, sed etiam somniis pro Jansenio decertatum est. Celebre diu in Belgio fuit *Somnium Hipponense* editum anno 1642. digna *veritatis* novæ *præconibus* satyra, quam inter plurima Jansenistarum opera, quibus tunc Belgium inundabatur, condemnavit Innocentius X. anno 1654. Aprilis die 23. Ex ea nihilominus aliqua hic nobis delibanda sunt, unde novæ Ecclesiæ indoles & affectata aliàs modestia, gravitas, pietas innotescat.

Illic *Phyletymus somnians* pag. 3. videt *Jansenium comprehensum undique à Clericis Ætolis instar Rei. Ab! quo te, Pater, quo te hi Laterones? Et jam ruebam in amplexus; Sed adstans vultuosus aliquis me arcuit. Jansenius verò, vadunt me, inquit, immolatum pro veritate. Sed ô veritas! Trabebatur autem Jansenius Hippone ad domum Præsulis Augustini, confluente illuc ingenti multitudine Patrum Purpuratorum, Violaceorum Sacerdotum, Religiosorum, Nudipedum, Calceatorum, Atrorum, Candidorum, Omnicolorum*.

Pag. 5. Inducitur Jansenii accusator *Nugo infensus, minax oculis ac vultu*.

Pag. 8. Jansenii Advocatus *Prodeuterus* dicens: *Examinentur Propositiones omnes à Jansenio traditæ, nulla reperietur, quam non iisdem verbis aut scripseris Augustine, aut quæ ita evidenter ex scriptis tuis eliciatur, ut scripsisse debeas existimari.*

Pag. 11. Propositiones in Bajo condemnatas vocat *Sanctissimam Doctrinam. Licèt*, inquit, *id temporis vitandæ offensionis causâ vetita fuerint: quod eò minimè pertinere censendum est, ut Sanctissima Doctrina perpetuâ oblivione sepeliatur*.

Ibidem, deplorat: *Veterem Theologiam, atque germanam in scholis tantùm non obrutam jacere atque sepultam. Pulpita*, inquit, *omnia plusquam Chrysippæis subtilitatibus perstrepunt, & sexcentis nugis. Apostoli, & qui his propinqui fuerunt, confutarunt Ethnicos, Philosophos & Judeos suâ naturâ pertinacissimos; Sed vitâ magis ac miraculis, quàm syllogismis: Nunc humanis ratiunculis; & ipsorum Ethnicorum argutiis credunt hanc rem confici posse*, Duce Doctore Angelico, qui ubique ferè rationem, & authoritatem Aristotelis adhibens, eas Scripturis Sacris, Patribusque subjungit: quod quidem Sapientibus & Catholicis passim maximè probatur, displicet vehementer hæreticis, & hos secuto imprudenter Jansenio.

Hic Tomo 2. potissimum col. 61. & 62.
„ Theologia recens (inquit) ad humanæ rationis modulum, & Philosophiæ Gentilis regulas concinnata .... tanto intervallo ab Augustini Theologiâ discrepat, ut vel ipse Augustinus, quantum hallucinari in gravissimis rebus potest, multipliciter hallucinatus sit, vel si Augustinus Divinarum rerum veritatem, cùm de aliis multis capitibus, tum præcipuè de Gratiâ & Prædestinatione contra Pelagianos, juxta Catholicæ Ecclesiæ sensum docuit, recentiores isti profectò tantum ab ostio veræ Theologiæ, fide salvâ, aberraverint, ut neque Christianam fidem, quam animo ut Catholici tenent, neque spem, neque cupiditatem, neque naturam, neque gratiam, eamque neque Angelorum, neque Hominum, neque statuum, neque lapsorum, neque sufficientem, neque efficacem: Neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque meritum, neque mercedem, neque præmium, neque supplicium creaturæ rationalis, neque beatitudinem, neque miseriam ejus, neque liberum, neque servum arbitrium, neque prædestinationem, neque effectum ejus, neque Timorem, neque amorem Dei, neque Justitiam, neque misericordiam ejus, denique neque vetus, neque novum Testamentum intelligere videantur; sed Babylonicam quandam confusionem, cimmeriasque quasi tenebras in Theologiæ Moralis faciem, nimium ratiocinationibus indulgendo, intulisse „.

Ita Jansenius non solummodò supra omnes scholasticos, etiam Sanctissimos, & scholæ Principes Angelicum, & Seraphicum temere se erigens; sed minùs tolerandâ etiam hos despiciens arrogantiâ.

Cur, inquies, tantum Jansenii odium adversus scholasticam, ut passim traditur, Theologiam?

Sciscitor & ego, cur Lutherus, Calvinus, & alii posteriorum temporum hæretici eandem scientiam ejusque cultores & studiosos tot contumeliis insectati sunt? Eadem utrobique ratio est. Videbant utique errores suos a Scholasticis, & Scholasticâ utentibus dispu-

difputandi methodo, validifsimè confutari omni genere argumentorum, quæ ex locis, ut vocamus, Theologicis defumuntur. Theologia autem pofitiva, quæ folis nititur Scripturis, Conciliorum, Patrum & Pontificum definitionibus, qualium dum folâ cumulatione textuum pugnatur, præteritis rationibus, refcifsis confectariis, & omni arte Scholaftica arguendi, non tam facilè adverfarius convincitur, aut finis imponitur contentioni.

Sententiis Patrum, Auguftini potifsimum plena funt hæreticorum volumina, etiam Janfenii, adeò ut hic Auguftinianus ferè perpetuus videatur; fed confarcinatis perperam, & in alienam atque Auguftino contrariam detortis vocibus fententiam.

Sic author nuperus *Hexaplorum*, quæ ex corruptifsimis Patrum confuta temerè citationibus coaluerunt, fi ad formam argumentandi legitimam reducatur, Difputator ubique ineptifsimus oftenditur, ubique convictus de ignorantiâ crafsâ, aut perfidiâ magis deteftabili: aliàs dum nihil difcutitur accuratè, dum fola legitur collectio fubdola laciniarum, nihil illâ eft ad fubverfionem fimplicium callidiùs excogitatum. Tali opus habuit præfidio Quefnelliana novitas in centum & una Propofitionibus condemnata. Talis *veritas*, tali eguit *Prædicatione* & prædicandi artificio.

Sed non tam citò dimitti à nobis oportuit veritatis Janfenifticæ *Somniatorem*. Pagina 12. Advocatus Janfenii *Prodeuterus* Auguftinum Conventûs Præfidem alloquens, *de tua*, inquit, *Sanctiffime Præful, doctrina, quam Janfenius altiffimè imbibit; imò verò de ipfa veterum Pontificum & Ecclefiæ fententia agitur; qua ut in capitalibus Dogmatibus convellatur, Spiritum Sanctum hujus Conventûs Præfidem, præftitemque nunquam admiffurum fcio.*

Tum Præfules affeffores certatim de fubfelliis fuis advolarunt, & Janfenium amplexati funt, rapueruntque virum ex Ætolorum, fruftra frementium manibus: ad fe ac juxta fe eum deducunt. Video, inquit, *Auguftinus, huic fratri meo* Iprenfium Epifcopo *eveniffe, quod mihi olim factum eft: Scripta mea, quibus Pelagianus error impugnatur, infamarunt.*

Pag. 13. Auguftinum Author fomniat afferere, Scripturarum fententias, quibus Deus dicitur omnes homines falvos facere, Chriftum pro falute omnium fuiffe mortuum, intelligendas effe de omnibus intra numerum Electorum. Pag. 14. ait: Ignorantiam invincibilem non excufare à noxâ & demerito: omnia Infidelium opera effe peccata.

Ibidem: finitâ oratione, Doctori maximo attributâ, ita profequitur Somniator: *Summo applaufu omnium accepta fuit Auguftini oratio, folis frendentibus fociis* (Jefuitis) *& adverfus hanc Curiam clamosè latrantibus.*

Hactenus fomnium de rebus Hippone geftis: audiatur nunc Pag. 15. de Janfenifmi ftatu in Lovanienfium Academia. *Jefuitarum*, inquit, *caufa illic in medio luto eft. Magiftri tamen Academici inter fe diffecti funt; quidam neutri fe parti affociant, omnes illas difceptationes nec unius æftimantes affis. Prudentiam alii interpretantur; quòd neque confultum cenfeant, Socios irritare, aut ante Romanam definitionem alterutri parti fe adjungere cum periculo condemnationis.*

Alii ad librum legendum verentur ingredi, ne ab imbibitis fuis fententiis diftrahantur. Sunt qui in libri doctrinam fplendidiffimè bilefcunt, & hi puri Ariftotelici, puri Scholaftici funt.... Porrò funt qui librum defenfant accerrimè: inter hos alii calidi, alii frigidi, alii Cynicâ mordacitate formidabiles: atque hi per Pontem ftratum ad metam fuam fcopumque perveniunt.

Socii Thefes felectas ediderunt: Aliorum Ordinum Religiofi tacent hactenus, & ludi fpectatores funt, nifi quod Candidus Ordo (Præmonftratenfium) *primum lapidem cœpit jacere in adulteram Atrorum Doctrinam. Sed mirandum de Auguftinianis; cur ipfi Auguftino fuo defendendo non ardentiùs adlaborent. Malè fortaffis eos habes, quod homo unus non Eremita meliùs Auguftinum intellexerit, quàm ipfi omnes. Adde, quod quia ex mantica vivunt, propitios debeant habere Socios, apud omne hominum genus gratiofos.*

Huc ufque Hipponenfis fomnii *Relator*, qui etfi nomen fuum non fubfcripferit, ex ftylo tamen creditur Libertus Fromondus Grammaticus felicior, quàm Theologus.

Dicitur hic, cùm à Janfenio ad nova invitaretur Dogmata, diu fecum luctatus, antequam priftina exuere potuerit; fed ea demum amplexus, præ cæteris ardentior propugnaffe. Hactenus quidem nonnifi privatim Urbanus Octavus jufferat Janfenii volumen fupprimi, quo cùm fe apud Janfenianos nihil proficere intellexiffet, die 1. Augufti 1641. in Congregatione S. Generalis Inquifitionis Decretum edidit, quo liber Janfenii, & cœtera ultro citroque five pro Janfenio, five contra eum edita prohibet, indicitque Theologis filentium.

Non tamen hoc Decreto abfterritus eft Fromondus ab evulgandâ fuâ *Hominis anatomia*, quæ totius Janfeniani voluminis quoddam veluti compendium eft, ut author ipfe indicat in Epiftolâ nuncupatoriâ, qua opus fuum

ſuum dedicat Eminentiſsimo Franciſco Barberino Pontificis Nepoti. Frivola verò Fromondi excuſatio eſt, de terminato opere ante Pontificiam prohibitionem; cùm enim primâ Auguſti editum Decretum fuerit, approbatio autem in Belgio à Cenſore illic Ordinario data nonniſi menſe Septembri, neque menſe integro opus ſit ut Româ Nuntius feratur in Belgium, colligitur, priùs illuc prohibitionem ex Italiâ appuliſſe, quàm ſuum Fromondus Romam Janſeniſmi compendium deſtinaret.

Quæ autem impudentis temeritas hominis eſt, non ſolùm in lucem emittere, ſed ipſimet dicare Pontificis Nepoti lucubrationem, à Patruo ſuo Chriſti Vicario recenter prohibitam!

Ipsâ Epiſtolâ dedicatoriâ ſic Eminentiſſimum Fromondus alloquitur: *Viri hìc eruditione, prudentia, pietate eximii animos mihi & audaciam addiderunt*, ut opus hoc ad Eminentiam Veſtram dirigerem; *quia è republica Eccleſiæ id eſſe cenſebant*.

Ibidem: *Janſenii* (inquit) *doctrinam ideſt Sancti Auguſtini commentarium, Romæ in Sacro cœtu, ubi Eminentia Sua caput eſt, audivimus examinari. Liber vaſtus eſt, nec niſi longo tempore, & à vacuis legendus; materia ſummis ingeniis digniſſima; imò fundamentum, cui tota Chriſtianæ Religionis moles, & vita Cœleſtis, quam Chriſtiani vivere debent in terris, Sanctitas innititur.*

Ad objectionem de Propoſitionibus Bajanis poſt Pii V. & Gregorii XIII. contra eas anathema à Janſenio reſuſcitatis, reſpondet in eâdem Epiſtolâ nuncupatoriâ: *Sed hoc ſuper omnia in Bulla Pii V. & Gregorii annotandum, in explicatione ejus ſic gubernandam eſſe Doctrinæ navem, ut non in veterum Pontificum Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cœleſtini, Sixti, Leonis, & Doctrinæ Sancti Auguſtini ſcopulos impingat; nec tanta noviſſimorum illorum Pontificum ſolicitudine oportet occupari, ut vetuſtiorum cura omittatur. Incredibile enim, imò impoſſibile eſt, Pontifices iſtos voluiſſe Articulos in eo ſenſu damnare, quo aſſerti fuerant à Prædeceſſoribus, & S. Auguſtino.*

Hìc via lata panditur reſtituendis omnibus quâcunque notatis Cenſurâ, & à quocunque ſeu Pontifice, ſeu Concilio Propoſitionibus: promptum cuilibet ſchiſmatico & hæretico erit, ut nos, imò & Pontifices, & Concilia moneat, ita gubernandam eſſe doctrinæ navem, ut non in veterum Patrum Auguſtini potiſſimùm, neque in antiquorum Pontificum, Conciliorum, & ſuper omnia, in revelatarum à S. Spiritu Scripturarum ſcopulos impingat; incredibile enim, imò impoſſibile eſt, voluiſſe recentiores ſive Pontifices, ſive cœtus Antiſtitum, etiam Oecumenicos, damnare Articulos eo ſenſu quo à primis puriorum temporum Patribus, præcipuè Auguſtino, Pontificibus, Conciliis, imò Divinarum Oraculis Scripturarum traditi leguntur.

Sic omnis ex Eccleſia tolletur judex animatus, qui terminare controverſias valeat, cùm appellari ſemper ad mortuos licebit, maximè ad Auguſtinum, & Codices Divinos, quaſi præſens Eccleſia ſit Sancto deſtituta Spiritu, deſierit eſſe columna & firmamentum veritatis contra quàm nunquam eſſent portæ inferi prævaliturae.

Et quæ abſona adeò novitas, quæ abominanda adeò hæreſis eſt, quæ in Auguſtino, vel Sacris Codicibus obſcuri quidpiam non reperiat quod ſibi fingere valeat patrocinari? Nobis hactenus & univerſis fidelibus perſuaſum fuerat, præſentem debere Eccleſiam prætéritorum Patrum, Pontificum, Conciliorum, ipſiuſque Divini voluminis agnoſci interpretem, à qua non daretur ad ullum Judicem mortuum appellatio.

Quæ ex Fromondi opere huc uſque retuli è ſola excerpſi Epiſtolâ ejuſdem dedicatoriâ; ex ipſo autem corpore ſen textu libri *Anatomia hominis* nuncupato, breve ſpecimen deſcribere juverit, quod Eccleſiæ novæ præcipuum fundamentum eſt, ut ipſo gloriante Fromondo, ſua *Hominis Anatomia* totum quodammodo continet Janſeniani voluminis compendium.

Cap. 12. pag. 127. de invincibili ignorantia dicitur: *Cauſam imputationis talium peccatorum ſemper refert Auguſtinus in peccatum originis, in cujus pœnam magna illa luce, qua omnia legis naturæ præcepta clariſſimè cognoſcebantur, privati ſumus, ſuperſtite ſolùm quadam veluti ſcintilla rationis, in qua ad imaginem Dei facti ſumus; quia enim commercii ſumus in primo Parente, ut lux illa primitiva in nobis extingueretur, ſecundùm profundas & tremendas æternæ Sapientiæ leges, quodcunque malum in tenebris iſtis ignorantiæ, etiam invincibilis, committimus, nobis imputatur ad culpam.*

Simili modo pag. præc. & aliis pluribus ad demeritum ſufficere affirmatur, quod abſente gratia committitur contra legem, neceſſitate inſuperabili; quia nempe juxta Fromondum æquè ac Janſenium, ad peccatum formale & demeritum, non requiritur niſi reſiſtendi poteſtas remotiſsima, qualis nobis fuerat in Adamo.

Auſus nihilominùs fuit Janſeniſta ille anatomicus, fœtum adeò infamem, proficiſcenti in Urbem committere cuidam Religio-
ſo,

fo, qui illum Eminentifsimo Barberino traderet fimul, & tueretur; Si quid accufationis objiei contingeret. Dicitur autem imprudens bajulus non folùm ab eodem Eminentifsimo pro meritis feu demeritis graviter reprehenfus, fed etiam à Pontifice juffus Urbe excedere. *Anatomia* damnata poftmodum fuit ab Innocentio X. Decreto anni 1654. 23. Aprilis. Quid miri? Inquit Quefnellus, *Deus permittit ut omnes Poteftates fint contraria Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poffit, nifi Divina gratiæ.*

Somnium Hipponenfe, cujus fuprà meminimus, adeò placuit Janfenianis, ut illud tribus vel quatuor editionibus donaverint; etiam femel mutato titulo in *Conventum Africanum*, in quo plures addidere contumelias in Theologos Orthodoxos; Sed quæ minimè deceant viros graves, & charitatis, quales videri cupiunt, magnificos præ cæteris æftimatores.

Pag. 31. relatis quibufdam tractatibus, qui Auguftini & Janfenii doctrinam, *fuprà quàm dici poffit, irrefragabiliter*, inquit, *defendunt, nihilo tamen minùs oblatrant defides aliquot feniculi, & totam hanc juniorum factionem effe clamant; Janfenium fuiffe nimis juvenem &c.* cujus ait adverfarios *omnia facra commovere, ut Decretum aliquod contra optimum librum extorqueant.*

Pag. 33. agnofcit illud *Romæ publicatum effe, & in omnes Europæ partes tranfmiffum.*

Pag. 32. Jocula riter interrogat: *Sed quid nunc animi Patronis Janfenii? Scio Apoftolicæ Sedis effe obfervantiffimos ac religiosè parituros, nifi ex non ufu, feu non receptione, Edictum vires fuas amittat: quod plerique* (Janfeniani) *præfagiunt futurum, his ferè de caufis: Theologi qui de legibus commentantur, docent; fi dura fit lex & gravis, & talis communiter à populo judicetur, non peccare illos, qui ftatim, etiam initio eam non obfervent; fed tunc demum valere, cùm populus æqualiter cœperit fervare. Duram autem effe legem hanc quis diffiteri poffit?*

Scurrilem aliam expreffionem & Sacerdote ac Theologo minimè dignam prætereo: dein *in omnium*, inquit, *manibus verfatur Janfenii Auguftinus; Sophiftas aliquot & tres fungos fi exceperis, omnibus acceptiffimus eft. Importuniffimè & fubreptitiè obtenta creditur ejus prohibitio, Janfenium fciunt omnes non impegiffe in priores Pontificum interdictiones, nunquam antea receptas.*

Pag. 33. *Credo rerum imperitos, ut Theologiæ tirunculos, & tenellulos Monachos initio aliquâ Religionis movendos, ut à legendo Janfenii libro abftineant*; Sed abfit ut prohibitio terreat viros magnos, quales omnes & folos fupponere femper oportet Janfenio devotos: penès eos jus plenum eft atque authoritas femper legitima ad abrogandam quamlibet, five initio non recipiendam Pontificis legem.

Quam itaque experitur Ecclefia hodie in Quefnello & ejus difcipulis contra definitiones fidei rebellionem, non hoc primùm tempore nata eft; Sed à Janfenifmi incunabulis confpicimus eundem fchifmatis fpiritum, legum omnium, Novatoribus non placentium, facillimum abfque omni fcrupulo contemptorem.

Quàm luctuofa tunc Belgii Catholicis apparere debuerit Berulliftarum è Galliis evocatio, vel inde colligitur, quod Hugo Quarrè, illis Præpofitus, teftimonio fuo publico couftare omnibus voluerit Kalendis Novembris anni 1641. de tota fua Oratoriftarum Congregatione, eam effe Janfenifmò addictiffimam.

Cùm, inquit, *quotquot fumus in noftrâ Congregatione Theologi, priùs evolutis penè omnibus Divi Auguftini libris, elaboratiffimum Janfenii Auguftinum legerimus, hoc unanimi confenfu fatemur omnes, in Janfenio nos Auguftinum invenire.*

Ibidem paulò fuperiùs: *Cum muliere Evangelica poft tot tantaque avita veritatis fufpiria, de inventa à Janfenio veritatis Dragma, per puras putas Philofophorum tricas deperditâ, collætemur.* Quot hìc ex unius Præpofiti Berulliani teftimonio difcimus Prædicatores incognitæ nobis hactenus veritatis!

Atque infignis quidem ille Præpofitus, qui diffeminandi per Belgium novi Evangelii causâ Gallias deferuerat, non infolitâ Janfenianis liberalitate, quotquot inde accipiebat peftifero illita veneno opufcula, etiam affabrè compacta, diftribuebat ultro, & fine pretio, quod fatis magnum ei erat, plures novæ fectæ profelytos conciliaffe. Hic zelus ei Canonicatum in Ecclefiâ Iprenfi à Janfenio promeritus fuerat; verùm ut Lovanienfibus, & Mechlinienfi Archiepifcopo vicinior effet, Beneficium in alium tranftulit permutatione.

Eodem anno 1641. qui tertius à Janfenii obitu erat, vifum fuit ejus difcipulis orationem de eo funebrem habere Lovanii in Ecclefiâ principe: præcipua celebrabatur laus mortui Antiftitis, fingulare ftudium *veritatis*, ejufque in Ecclefia quodammodo obliteratæ, & confepultæ tenebris, folio priftino reftituendæ.

Sic in Oratione illa typis edita legitur. *Exiftimabat Evangelicus negotiator* Janfenius, *parvam effe rerum omnium jacturam, fi pretiofa illa tandem aliquando inveniretur veritatis* maz-

garita, quam sive Pelagianorum nequitiâ, sive Philosophorum curiositate, sive quorumdam Scholasticorum nimiâ licentiâ, vel credulitate altè defossam, & quasi ignorantiæ tenebris sepultam delitescere dolebat: pro hac vindicandâ nec vitæ, nec famæ suæ gravissima pericula recusabat.

Juniorum aliquot ea factio Lovanii fuit, longè aliter de Jansenii doctrinâ sentientibus Doctoribus veteranis, quorum præcipui memorantur Joannes Schinckelius, Guillelmus ab Angelis, Christianus Beusecum è Clero, & Franciscus Capronius è Sacra Dominicanorum familiâ: & quidem quatuor illi erant è numero facultatem Theologicam Regentium Magistrorum, vulgari nomine *strictæ facultatis*: Sed illo tempore bonis omnibus luctuosus accidit obitus posterioris, utpote qui veritatis fuerat non Prædicator solummodo, sed Defensor etiam imperterritus. Non defuere officio suo tres superstites; sed communibus literis Apostolicam Sedem de magnitudine invalescentis mali & fortioris necessitate remedii solicitè commonuerunt.

Relatio eorum prolixa est, è qua saltem describere hic juverit conclusionem: " Quo „ ergo hisce fidei imminentibus periculis occurratur, statusque facultatis & Academiæ nostræ, omniumque Belgicarum Ecclesiarum à Janseniani schismatis discrimine vindicetur; omninò opportunum ac necessarium existimamus, ut ipsa Jansenii dogmata, quâ parte Concilii Tridentini Decretis, Censuræque Apostolicæ Pii V. & Gregorii XIII. adversantur, authoritate Sedis Apostolicæ damnentur, nominatim infame illud Calvinianum Dogma de sublata per peccatum originale libertate arbitrii, inductâque fatali seu benè, seu malè agendi necessitate.

„ Item alterum illud plusquam Pelagianum, quod clara Dei visio, ideoque etiam gratia ad eam assequendam viatoribus necessaria, humanæ naturæ per se spectatæ ex justitiâ debeatur.

„ Ex his enim quasi duobus primis, & venenatis fontibus, reliqua damnatorum dogmatum fluenta derivantur: quæ proinde duobus hisce fontibus occlusis, simul omnia siccabuntur. Ut autem prioris error humanæ naturæ summè contumeliosus est ob id, quod eam verâ libertate arbitrii exuat, quâ veluti propriâ præcipuâque dote à brutis secernitur, atque in humanæ societatis, moralisque æstimationis consortium venit, ita posterior gloriæ Divinæ, gratiæque magis etiam contumeliosus est ob id quod supernaturalitate eam exuat, atque in ordinem naturæ redigat hoc ipso, quo ex justitiâ illam naturæ deberi sustinet: ut ob hæc opus istud Jansenii non tale nobis videatur, quale illud Testamentarii Executores ausi sunt prædicare, *Excelsum Augustum*; sed præ omnibus, quæ ante & post Augustinum de concordia liberi arbitrii, & efficacis gratiæ edita fuerunt, infelicissimè conscriptum, omnibusque Christianæ fidei Professoribus summè detestandum.

„ Fuit quidem utriusque hujus principii, gratiæ scilicet ac libertatis conciliatio semper, & ab omnibus habita difficillima ob id, quod uno stabilito, alterum subverti videatur, indeque factum, quod qui in eâ explicandâ defecerunt, alterum nimis extollendo, alterum suppresserint. Manichæi scilicet, ac post eos Calvinistæ gratiam astruendo, libertatem arbitrii destruxerint, Pelagiani ex adverso ac Semipelagiani, libertatem vindicando, gratiæ necessitatem eliminarint.

„ At primus & solus Jansenius utramque libertatis & gratiæ fidem exterminando, utramque Manichæi & Pelagii hæresim conciliavit; libertate scilicet arbitrii in necessitatem juxta Manichæos & Calvinistas; gratiâ verò in naturam juxta Pelagianos ac Semipelagianos transformatâ.

„ In eo autem Jansenius Pelagium nobis superasse videtur; quod hic gratiam è terris animisque viatorum tantummodo eliminaverit, Regnum verò Cœlorum seu claram Dei visionem, humanæ naturæ indebitam fuisse, gratuitoque tantùm Dei favore illi addictam senserit, Jansenius verò è Cœlis etiam animisque Beatorum eandem exturbaverit, dum eam homini per se debitam asseruit.

„ Neque verò in cæteris hujus Operis argumentis secundariò & ex occasione tractatis labor ejus feliciùs desudavit; Peccatum enim originale vertit in fabulosum monstrum; timorem verò gehennæ, spem & concupiscentiam æternæ retributionis, attritionem metu gehennæ conceptam, probatissimos naturæ humanæ affectus, & in sacris litteris sæpius & apertè commendatos, vitio damnationique addixit: Ecclesiam contra Christi promissum per quinque secula à fide Divinæ gratiæ solemniter Augustini seculo in plurimis Comitiis definitâ, & ab omnibus, ut passim Jansenius inculcat, receptâ defecisse, atque in Pelagii hæresim errando secessisse, asseverantissimè pronuntiat.

„ Censuram Sedis Apostolicæ sexaginta
„ annorum decursu ab Ecclesiâ receptam,
„ veluti ex priscæ fidei ignorantiâ, soloque
„ humanæ offensionis metu latam sugillavit:
„ oppositâ ei & superpositâ Augustini autho-
„ ritate, Sedem Apostolicam ad Palinodiam
„ adigere se posse speravit,

„ Gravia sunt hæc, & Christiano homine,
„ nedum Doctore Theologo & Episcopo
„ prorsus indigna, quæ proinde neque nos
„ Jansenio in mentem unquam venire po-
„ tuisse, ante operis lectionem concepimus:
„ neque iis, qui illud non legerint, vel non
„ satis intellexerint, facilè persuasum iri exi-
„ stimamus,

„ Itaque ne de nostro potiùs, quàm illius
„ cerebro, hæc effinxisse videamur, novorum
„ omnium Dogmatum Breviarium ex Janse-
„ nii opere extractum, hisce adjungendum,
„ suæque Sanctitati repræsentandum duxi-
„ mus, eandem obnixè rogantes, ut pro su-
„ premâ, quâ fungitur authoritate, ista Jan-
„ senii Dogmata, à Pio V. & Gregorio XIII.
„ bis damnata, tertiâ suâ Censurâ plenè ab-
„ solutéque tandem supprimere dignetur,
„ Etsi enim in eorum defensionem aliqui
„ apud nos etiam Professores magnis animis
„ incumbant, eâdem scilicet qua Jansenius
„ eos imbuit, sinistrâ verborum Augustini
„ interpretatione abrepti; nihil tamen dubi-
„ ramus, quin in Sedis Apostolicæ obedien-
„ tiâ, quam ipse Jansenius libri sui Proœ-
„ mialis cap. 29. exactissimè professus est, Deo
„ dante, sint constituri, Apostolicæque Sedis
„ censuram, qua decet reverentiâ in animos
„ admissuri,

„ Deum Optimum Maximum precamur,
„ ut Sanctitatem Suam Ecclesiæ Catholicæ
„ ad annos multos incolumem Pastorem cu-
„ stodiat. „

Intereà quantùm laborabant Doctores Catholici, præsertim Apostolica Sedes pro extinguendo hæresios incendio, quod subdolis occultum cineribus à Baii tempore latuerat, ac tandem dissimulantibus, imò foventibus apud nos quibusdam Præpositis, jam foras erumpere confidentiùs cœperat, tantùm Novatorum factio, collatis studiis, consiliis, fraudibus & mendaciis nitebatur, ut Constitutionis Pontificiæ, si tobur infringere non posset, impediret cum promulgatione publicâ effectum.

Rebellionis contra Sanctam Sedem vexillum primus extulit Joannes Jansenius Canonicus Furnensis, Cornelii Jansenii Nepos, qui ad impediendam sententiæ Pontificiæ in Belgio executionem è Flandriâ in Brabantiam excurrens, libellum supplicem in eundem finem obtulit Regio Bruxellis Senatui, nihil veritus Ecclesiæ Censuras.

Libello isti Gallicè concipiendo, cujus idiomatis parum peritus videbatur juvenis hic plebeæ apud Hollandos prosapiæ, operam conferre potuit Pater Quarrè, Berullianus in Belgio Præpositus, qui Joanni Jansenio, pro tanti ponderis negotio Bruxellis diutius remansuro, domum suam liberaliter obtulit. Libelli supplicis typis editi laciniam Lector accipe, ex qua videas, qualis hypocritarum istiusmodi fuerit erga Christi Vicarium reverentia, qualis species Religionis,

„ Joannes Jansenius pro sua ad vindican-
„ dum Patrui honorem & famam obligatio-
„ ne, utpote quæ Jesuitarum molitionibus,
„ solicitationibus & artificiis injustè oppressa
„ est, summâ demissione ostendit, prohibi-
„ tionem aut suppressionem libri, cui titu-
„ lus: *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus*, tanti momenti esse, ut à multo
„ tempore causa æquior non fuerit ad Maje-
„ statem vestram recurrendi, quo mora ini-
„ ciatur executioni Decretorum, quæ à Ro-
„ manâ Curiâ promanarunt.

„ Author memorati libri subditus Regiæ
„ Majestati vestræ fuit origine, & nativitate;
„ multo verò ampliùs affectu & fidelitate.
„ Fuit gloria & decus Lovaniensis Universi-
„ tatis. Academias quoque Hispaniæ in sui
„ traxit admirationem Censuit illum Majestas
„ vestrum dignum Episcopalibus infulis. Liber
„ viginti duorum annorum opus est, cujus
„ compositio non alium scopum habet, quam
„ Doctrinæ Augustinianæ elucidationem. In-
„ credibili voluptate receptus fuit ab omni-
„ bus, à quibus sine passione lectus, atque
„ illi qui non ubique ei consentiunt, fateri
„ tamen coguntur, titulum esse operi con-
„ venientissimum.

Intereà nihil à Pontificia charitate & solicitudine prætermissum est, quo rebelles, præcipuè è Lovaniensibus, ad debitum à Christianis hominibus, maximè Presbyteris obedientiæ officium adduceret. Præter continuas Ministri in Belgio Apostolici hortationes, literis suis ipse Sanctissimus Academiam Lovaniensem dignari voluit die 10. Januar. 1642. quibus paternè reprehendebantur Refractarii, quòd *malo affectu ducti*, apud Laicum Tribunal, Decreti Pontificii impediverint executionem: Exhibet eis ob oculos criminis gravitatem, quamque meriti fuerint punitionem.

Aliud Breve honorificentius Pontifex eodem tempore dedit ad Academicos Duacenses, quo religiosa eorum & prompta erga Decretum submissio laudabatur, ut ea commendatio

datio stimulus foret Lovaniensibus. Sed his altè nimiùm infixa hærebat pertinacia, audaciam fovente quorumdam potentiâ Patronorum.

Sub illud tempus Romam appulit Epistola Catholica à tribus scripta Senioribus, ut retuli Magistris. Quomodo ea illic accepta fuerit, Schinckelium certiorem reddidit Illustrissimus Paulus Richardus Stravius Bruxellis Internuntius literis anno 1642.14.Februarii. *Recepi ex Urbe*, inquit, *duobus postremis Cursoribus quædam de libro Jansenìano valdè plausibilia, & Dominationi vestræ favorabilia.... Relationem vestram, ac eximiorum Dominorum Beusecum & ab Angelis, fuisse Sanctitati Suæ ac Eminentissimo D. Cardinali Barberino gratissimam, & ab iis summoperè laudatam, prout & zelus ac pietas eorumdem fuit pari modo ab ipsis commendata. Promisit insuper idem Eminentissimus Barberinus literis suis, Sanctitatem suam brevi talem resolutionem capturam super prædicto libro, qualis à Dominatione vestrâ peti ac desiderari possit.*

Res tamen in longius protracta est tum metu graviorum in Belgio turbarum, tum spe adducendi ad officium Jansenianos, absque remedio acriore; nam etsi anno 1642. pridie nonas Martii Decreta fuerit Constitutio *in Eminenti*, qua Jansenii liber *condemnatur*, tanquam *continens multas ex propositionibus olim damnatis, & magno cum Catholicorum scandalo contra præfatas* (Pii V. & Gregorii XIII.) *damnationes & prohibitiones defendens .... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti*; Constitutionis tamen in Urbe promulgatio plusquam annum integrum dilata fuit, videlicet usque ad diem 19. Junii 1643.

Eâ Sedis Apostolicæ benignitate & morâ, strenuè abusi sunt Janseniani, ut partibus suis jungerent non paucos, neque ex turba solùm plebis infimæ, sed è viris etiam togatis, è Clero & Religiosis familiis, quibus persuadebatur Constitutionem fuisse quidem fraudibus obtentam; sed Pontificem, detectâ fallaciâ, velle eam silentio aboleri.

Neque in ipsa Urbe deerant Novatoribus Patroni, qui talia in Belgium, & fortè in Gallias scriberent, quorum literæ, ut veritatis Oracula, ab iis qui illas acceperant, ostentabantur, describebantur à pluribus: fiebant communes omnibus, è quibus non nulli creduli aures præbere cœperunt novæ hæresi faciliores, effectumque, ut quando postea Constitutio prodiit supremâ authoritate, non solùm promulgata Romæ, sed ad Internuntium quoque Bruxellensem, atque ad Coloniensem Nuntium transmissa, non nisi difficillimè consecuta sit à Lovaniensibus submissione. Refractarii enim, ope atque patrocinio Archiepiscopi Mechliniensis & Episcopi Gandavensis, è Senatoribus aliquos nacti fuerant Protectores: Unde contigit ut Urbanus VIII. toto reliquo Pontificatus sui tempore, quibuscunque conatibus & Brevibus Apostolicis flectere eorum pervicaciam non potuerit, neque ejus successor Innocentius X. donec ad Belgii gubernacula à Rege Catholico admotus fuit Archidux Leopoldus. Hic non minùs pietate & reverentiâ erga Sanctam Sedem conspicuus, quàm bellicâ fortitudine hostibus metuendus, auxiliatricem dexteram Pontifici porrigens, Jansenistarum audaciam ita compescuit, ut contra Constitutionem vel pro nova hæresi nullus suo tempore hisceret impunè.

Tunc authoritate Apostolicâ denuntiati publicè excommunicati fuere Archiepiscopus Mechliniensis & Episcopus Gandavensis, qui non nisi prævià conveniente pœnitentiâ, Ecclesiæ reconciliati sunt. Potestate quoque Regiâ deposito Summo Præside; minimè autem Novatoribus favente Cancellario Brabantiæ, Archiepiscopo quoque Cameracensi, Episcopis Antuerpiensi, Brugensi, Namurcensi, Audomarensi, Ruremondano, Buscoducensi probè Catholicis, humiliare capita coacti sunt Janseniani, et si non sentire sanius, saltem linguam reprimere & calamum, præterquam libellis anonymis, & palàm obedientiam simulare.

Huc quidem redibit schismatica Quesnelli nænia, *Deum permittere ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

Archiduce itaque Leopoldo Belgium moderante, quotidiè in deterius illic ruere visa est fortuna, Jansenianam *Prædicantium veritatem.*

Ideò Lovanienses in hac publica novæ Ecclesiæ calamitate soliciti, ut majore se firmarent multitudine, anno 1648. die 2. Decembris misso ad Duacenos Oratore Domino Recht, eos obtestati sunt ut ad suas partes accederent; alioquin provocabant, ut Dogmatico secum congrederentur certamine.

Verùm Epistolâ ad Lovanienses datâ respondit Theologicâ Duacensium Facultas die 9. ejusdem mensis: *Implevisset gaudium nostrum eximius & Reverendus admodum Deputatus vester; Si Nuntius fuisset certior, quod dissensiones omnes pro Augustino Jansenii sopitas esse velitis; cùm hoc unicum supersit ad integerrimam inter nos concordiam .... Confratres eximii, omnibus votis optamus, utque id* ipsum

ipsum malum nomen, infaustissimum certè Belgii omen, testimoniis certioribus eluatis.

Sic à Sapientiore filia mater tunc in pluribus suorum insaniens discere prudentiam debuisset: mater, inquam; quia suis primùm Doctoribus Academia Lovaniensis dedit originem Duacenæ.

Non minùs à Parisiensibus passi repulsam fuerant Lovanienses, quando in rebellionis Societatem, schismaticâ eos Epistolâ pertrahere conati sunt 10. Martii 1644., cujus hic tantùm exhibeo initium: *Magnifice & perillustris Domine, eximii & clarissimi Viri: Non sine magna admiratione, & animi nostri dolore ex literis quorumdam apud vos Religiosorum nuper audivimus, Bullam à Theologis Societatis adversus Reverendissimum Episcopum Iprensem Romæ extortam, & tot nominibus subreptitiæ & dolosæ impetrationis suspectam, non solùm vos recepisse, sed etiam ad damnationem quorumdam Articulorum, qui in AUGUSTINO illius Reverendissimi explicantur, inclinare, aut jam damnavisse: quod tamen postremum ubi ingenium, solertiam, doctrinam, prudentiam tot illustrium virorum, ex quibus Academiæ vestræ cœtus componitur, cogitamus, credere non possumus. Ergonè post tot veterum temporum pugnas & victorias, Sacrosancta S. Augustini Doctrina tandem victa succumbet, & quæ assultu toties dejici non potuit, jam suffodietur cuniculis? Non sinat Deus, ut sic dissipetur hæreditas Verbi incarnati, & patrimonium Crucifixi. Certè nos hic ne quidem Bullam illam recipimus.*

Speraverant scilicèt refractarii Lovanienses, mortuo Parisiis Cardinale Richelio anno 1642. die 4. Decembris, & dein Ludovico XIII. anno 1643. 14. Maii, Parisienses Academicos solutos formidine, faciliùs novitatibus consensuros: Richelius nempe Supremus Christianissimi Administer Sancyranum Abbatem & Seguenotium Oratorii Berulliani Presbyterum carceribus addixerat, neque flecti potuerat precibus Matronæ Principis d'Aiguillon, ut Sancyranum redderet libertati, causatus, quòd *staret etiamnum Gallia, & Germania ab hæresi immunis, si Lutherum & Calvinum conclusos carcer perpetuus tenuisset.*

Verùm Catholicæ tunc fidei tenacior Sorbona extitit, quamvis in admittendo ad Doctoris Lauream Arnaldo remissior aliquantum visa; sed & hujus illam erga pessimè meritum juvenem propensionis & indulgentiæ non parum postea pœnituit, ut mox videbimus.

Lovanienses autem à duabus Universitatibus rejecti, tentare subdolâ hypocrisi audent Archiducis animum, oblato scilicet supplice libello nomine Academiæ in quo dicitur Pontifex errasse ignorantia Facti, existimans Jansenium prava docuisse; cùm tamen ne *unicum* quidem *capitalem Articulum tractet, qui cum Doctrina & mente S. Augustini non conveniat.* Verùm perspicacior erat & simul religiosior Archidux, quàm ut schismaticorum sineret se fallaciis contra Sedem Apostolicam circumveniri: quin potiùs cavit ne quis, nisi Pontificiæ obediens Constitutioni, ullo sive beneficio donaretur, sive officio.

Hinc editus Lovanii anno 1649. prodiit infamis *Planctus Augustinianæ veritatis in Belgio patientis*: Audiatur tantisper Jansenianа hæc lamentatio: *Nullus*, inquit, *dignitate, officio aut Beneficio deinceps donatur, nisi qui abjuratâ in Jansenio Augustini doctrinâ, se Jesuitarum dogmata, sensus, judicia secuturum aut profiteatur aut mentiatur.*

De Jesuitarum Doctrinâ sequendâ neque Pontifici neque Archiduci cura fuit, aut sermo; sed armis istiusmodi & artibus videbatur opus, ut se contra Ecclesiam Novitas hæretica tueretur. Neque conspiciunt malesani, quantum adversariis, quibus maximè infensi sunt, adferant istiusmodi mendaciis emolumentum. Si enim in Belgio nullus illo tempore locus patuerit officio, nullus Beneficio, sive quod Patronatus laici esset, sive quod juris merè Ecclesiastici, Episcopalis aut Pontificii, *nisi qui se Jesuitarum Dogmata, sensus, judicia secuturum aut profiteretur, aut mentiretur*; approbata itaque illa à Laicis Patronis, ab Episcopis, à Sede Apostolicâ, fuerit. Verùm talibus non indiget, neque delectatur mendaciis Schola Societatis, melioribus aliundè sat tuta præsidiis.

Non ibi sistit *Planctus Augustinianæ veritatis in Belgio patientis*. Sed (inquit) Innocentium X. alloquens, *Nos Theophili Augustiniani in Belgio, cùm quæstio sit facti, & non juris*; an Propositiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ, à Jansenio in suo volumine defendantur, cum magno Catholicorum scandalo, & authoritatis Apostolicæ contemptu, ut Prædecessoris tui Urbani VIII. Constitutio declaravit, *ad ipsius libri contextum merum, & literam appellamus, invocato nomine Domini, coram Sanctitate tuâ litem contestari parati adversus* Prædecessorem tuum, *Clericos Societatis, & omnes alios, qui prædictum errorem Jansenio imponunt.*

Intendimus primò probare illud esse calumniam meram, & malitiosum figmentum.

Secundò petimus jus dici tum super hac calumniâ, tum super aliis specialiter hæresios, quæ

quæ dicto Cornelio Jansenio ab adversariis afficta sunt.

Tertiò declaramus, nos subire velle pœnam Talionis, si non probaverimus; modò ipsi calumniis probatis, pœnam falsi subeant.

His omnibus sic Propositis, à te Beatissime Pater, malè, ut prætendimus, informato, ad melius informandum appellantes....

Toti orbi hunc nostrum libellum manifestum fieri rogamus, ut Imperator, Reges, Principes ac Populi, ad quos hæc controversia pervenit, nos publicè & privatim fidem Romanam intemeratam coluisse, obedientiam debitam voluisse reddere, Justitiam quæsivisse, pacem servare contendisse agnoscant. Tua Beatitudo sit Judex, omnes Principes arbitri & testes.

In eodem Opusculo parte 2. qui *libellus justitiæ* dicitur: *Quia*, inquiunt, *Orthodoxæ Romanæ Ecclesiæ filii sumus, quales nos profitemur, hinc pro tuendâ S. Augustini Doctrinâ detinet nos pia solicitudo, quo minùs in condemnationem libri Jansenii, cui titulus Augustinus, subscribere audeamus. Ignorare enim non possumus defæcatissimam doctrinam S. Augustini in materiâ de gratiâ ..... cum magno scandalo & authoritatis S.Sedis contemptu in gravissimum discrimen reprobatæ Doctrina adduci per prædicti libri proscriptionem, ut qui nihil aliud contineat, quam ex omni parte consonantem sibi ejusdem S. Augustini doctrinam, uti parati sumus in judicio contentioso liquidè demonstrare. Quarè tuam & S.Sedis æquitatem obstamur &c.*

Planctus hic ab Innocentio X. anno 1654. 23. Aprilis meritò confixus est, utpotè ab initio usque ad finem nihil continens, præter coacervata mendacia ad resuscitandos Baii Articulos à tribus Pontificibus, ipsoque Bajo legitimè condemnatos. Quod enim liber Jansenii ad defendendas Baii Propositiones contra Pontificum censuras fuerit studiosè compositus, ex ipsius aliàs ostendimus confessione Jansenii, quam reliquit Posteris in codice à se manu propriâ exarato.

Sola quoque famosi & sæpius typis editi voluminis lectio, quemlibet non voluntariè obcæcatum, facillimè convincit de veritate facti in Urbaniano Diplomate affirmati; quòd scilicet Jansenii liber cui titulus: *Augustinus, multas contineat ac defendat ex Propositionibus olim damnatis à Prædecessoribus*, inquit Pontifex, Pio V. & Gregorio XIII.

Atque ego quidem plures quàm triginta ex ipso teneo descriptas volumine: Sunt etiam ibi complures inter confixas postea ab Alexandro VIII. Verùm non istud est, inquiunt Adversarii, quod inficiamur; multas ex Propositionibus anathemate percussis tum à Pio V., Gregor. XIII., Urbano VIII., tum recentiùs ab Alexandro VIII., in Jansenii volumine non contineri solum, sed etiam propugnari fortiter, agnoscimus haud inviti, quin & singulas parati semper sumus contra quemlibet defendere adversantem.

Pro mille testibus sola sufficere de hoc potest Arnaldi *pro Jansenio Apologia*, cum *Parte nona Propositarum* non ita pridem *Stejaertio difficultatum*.

Tota autem, inquiunt Janseniani, superest disceptatio an Jansenius, aliquas ex flagellatis à Sede Apostolica assertionibus sustineat sensu alio, quàm Augustiniano, & proinde an veritate nitatur atrox illa Urbani VIII. contra Jansenium declaratio, quòd Articulos Bajanos defendat *magno cum Catholicorum scandalo & authoritatis dictæ Sedis* (Apostolicæ) *contemptu ....malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti.*

Istud (inquiunt) pernegamus, totis semper, & ubique viribus propugnaturi, nihil à Jansenio traditum fuisse, nisi quod ab ipso fideliter acceperat Augustino: Doctori autem Sanctissimo impingi, qualia in Constitutione legimus objecta operi Janseniano, quis patienter audiat Augustini discipulus? Non potest talium seu hæresium, seu impiorum imputario dogmatum proficisci, nisi ex odio nimium excæcante, vel indignâ Theologis ignorantiâ. Ita Catholicos, & maximè Summum Pontificem incessunt Janseniani, ab omnibus hæreticis fallaciam mutuati; etiam Arianis; & quidem horum magis in speciem plausibile apparere poterat argumentum. Ajebant scilicèt Patrem filio majorem, ab ipso Dei filio prædicari scripturarum testimonio clariore, quàm ullum Augustini sit pro enuntiationibus Baii, à Sede Apostolica condemnatis & resuscitatis à Jansenio.

Quapropter Cardinalis Noaillius non nimium solitus tribuere Pontificiæ authoritati, in Epistolâ tamen anno 1711. datâ ad Clementem XI., asserere non dubitat Romanorum Pontificum contra Baii Articulos Decreta esse istiusmodi *ut totam* ad assensum *obligent Ecclesiam, neque circa ea appellationem fieri posse, aut expectari mutationem*: atque eam existimat fuisse mentem Præsulibus anno 1705. congregatis: ita fuisse responsuros, si contigisset eorum de hoc sententiam rogari.

Reverà si à definitionibus Pontificum, etiam assensu Ecclesiæ sive expresso, sive tacito receptis, appellare liceat ad Augustinum, quæ firma unquam esse poterit dogmatica adversus hæreticos Constitutio, cum nulla

nulla reperienda fit, contra quam allegari textus aliquis Augustini, vel etiam Divini Codicis ab hætetico nequeat, quem fuis ille non contendat erroribus, quantumlibet impiis fuffragari? Soli nempe hæretici fcripturas, foli Auguftinum, foli intelligunt Traditionem; cœteris per orbem Theologis & Epifcopis, etiam Supremis Chrifti Vicariis, mens involuta tenebris ignorantiæ eft, atque erroribus peffumdata, quoties prætenfæ non confentiunt *Prædicatoribus veritatis*.

CAPUT VII.

Modus à Novatoribus excogitatus ad elidendam Pontificiam prætenfæ Janfeniftarum veritati contrariam Poteftatem.

Graviores à Sede Apoftolicâ tempeftates fibi veriti Janfeniftæ efficaciffimum contra eas cenfuerunt remedium, fi Romanæ Cathedræ authoritatem in ordinem redigerent cœterarum, ut nihil amplius juris fit Pontificibus ad configenda Janfenii, aut cujufcumque dogmata Antiftitis, quàm huic ad ferienda Romani. Fundamentum hujus fententiæ ponitur in prætensâ æqualitate Petri & Pauli, qui receptiffimo nomine appellantur *Principes Apoftolorum*.

Quo ftabilito principio cùm nihil jurifdictionis fuerit Paulo in Petrum, aut alios Apoftolos, ita nihil juris relinquitur Petro, in Doctorem Gentium. Quid igitur oberit quin Poteftatis æqualitas afferatur Apoftolis omnibus? Atqui horum fucceffores funt Epifcopi; unde ftetni Novatoribus femita videatur, ut non duo tantùm Ecclefiæ capita cenfeantur; fed duodecim in Apoftolorum Collegio; in Ecclefiâ autem modò latiffimè extenfa eft, tot confpiciantur capita quot Antiftites.

Hac hæreſi, quid excogitatum unquam videbitur magis accommodatum fchifmati inducendo, & Novitatibus quibufcunque adverfus anathemata præmuniendis; fi vel ab uno afferta fuerint, vel approbata Epifcopo?

Tunc Janfenianæ *Prædicatoribus veritatis* parum curæ erit, five Pontificem fibi *contrarium* offenderint, five nacti fuerint benevolum. Dum novo huic Dogmati in Ecclefiam invehendo varia in vulgus fpargebantur opufcula, etiam infarciendum fuit, loco licèt importuniffimo, Præfationi Operis Arnaldici *de frequenti communione*.

De hoc aliquando fermo mihi incidit cum Steyaertio, qua ratione Arnaldo venerit in mentem, ut Propofitionem adeò exoticam & odiofam infereret loco tam incongruo.

Refpondit, fe quoque aliàs fuam de eo admirationem non diffimulaffe, quin ipfi panderet Arnaldo, dum utebatur eo olim familiariter: Repofuiffe autem Arnaldum, quod *ita placuerit Domino Barcos Saucyrani Abbatis nepoti, qui Præfationis illius fibi affumpferat compofitionem*.

Vafritie nulli fecundus fuiffe nofcitur nepos ille, proinde non tam infipiens, ut fententiam loco ingereret tam importuno, nifi alterius ordinis eum non levis ratio pellexiffet. Erat autem tunc intenta ab ipfo bicipitis introductio Ecclefiæ; unde mox confecutione verifimili tot pullularent capita unicæ Chrifti fponfæ, aliàs formofiffimæ; quot funt Epifcopi. Qualium hoc tempore fœcunda novitas Monftrorum eft!

Stabiliendo ifti, quod tantæ foret Novatoribus utilitati, conveniens videbatur, ut quidquid poffet operæ & induftriæ, à præcipuis novæ fectæ Proceribus conferretur, captatâ qualicumque occafione.

Sed neque permittendum fibi ftatuit Apoftolica Sedes, ut hærefis adeò perniciofa, procraftinato remedio, fe latiùs propagaret, quam in ipfis oportuerit incunabulis præfocari. Mox itaque ut Romæ innotuit, fulmine icta eft Apoftolico. Decretum lector accipe, anno conditum 1647. feria 5. die 24. Januarii in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerfalis Inquifitionis coram Sanctiffimo Domino noftro Innocentio Papa X. ut fequitur.

„ Editus eft anno 1645. liber Gallico idio„ mate impreffus, cui titulus: *De l'authorité de S. Piere & de S. Paul, qui refide dans le Pape fucceffeur de ces deux Apôtres*, abs„ que nomine authoris & impreffionis loco.

„ Hujus libri evulgationem fubfecuta eft „ editio alterius Libri anonymi eodem idio„ mate impreffi, cui titulus: *La Grandeur de l'Eglife Romaine établie fur l'authorité de S. Piere, & de S. Paul*; necnon Epiftolæ „ ejufdem argumenti latino idiomate con„ fcriptæ, ac typis excufæ, plurimis addu„ ctis atque congeftis Sanctorum Patrum, „ Summorum Pontificum, Sacrorum Conci„ liorum & Doctorum locis.

„ Quocirca ne in re tanti ponderis error „ aliquis mentibus Chrifti Fidelium irrepe„ ret, libris prædictis de mandato Sanctiffi„ mi maturè examinatis, locifque adductis, „ diligentèr ponderatis, Sanctiffimus relatâ „ unanimi Theologorum ad hoc fpecialiter „ deputatorum Cenfurâ, & auditis voti„ Eminentiffimorum & Reverendiffimorum

„ DD. Car-

„ DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Propositionem hanc: *Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt*: vel: *sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi, ac Supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti*: vel: *sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt*: vel: *sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores ac Præsides, qui unicum caput constituunt*, sic explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in Potestate Supremâ, & regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit & declaravit.

„ Epistolam verò ac libros prędictos, aliosque in quibus Propositio, ut supra, explicata & damnata asseritur, & defenditur, tam impressos, quàm imprimendos, quocunque idiomate, aut quomodolibet, etiam in scriptis evulgatos, vel imposterum evulgandos, Sanctitas sua omnino damnatos & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat & prohibet: mandans ut nemo, cujuscunque gradus & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissimâ notâ dignus, libros prædictos, aut aliquem ex eis, apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris & pœnis contra hujusmodi delinquentes statutis; sed statim à præsentis Decreti notitiâ, quicunque illos habuerit, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur „; Propositio Præfationis de *frequenti communione* erat, *Petrum & Paulum fuisse duo Ecclesiæ capita, quæ tantum conficerent unum.*

Hæc autem, inquiunt Arnaldici, immunis ab anathemate est, utpotè non exprimens *omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum.*

Frivola excusatio! non enim in solo verborum cortice dogma hæreticum statuitur vel Catholicum; sed in sensu potissimùm, qui, attentâ proferentis circumstantiâ, subintelligendus est. Neque ad evitandum hic sensum hæreticum, inflictumque ei à Pontifice anathema, sufficit, quod agnoscatur inæqualitas aliqua, qualiscunque ea fuerit & in quacunque materia; sed requiritur necessariò inæqualitas quæ sit *subordinatio & subjectio Sancti Pauli ad Sanctum Petrum in Potestate Suprema & regimine universalis Ecclesiæ*, ut in Pontificis contra Propositionem sententia manifestum est.

Hunc autem sensum reverà hæreticum, à Sancyrani nepote, & Arnaldo fuisse intentum; imò & intendi hodiè ab ipsis hic Arnaldi vindicibus, & discipulis, ab eorum nemine arbitror inficiandum. Notissimum enim omnibus axioma Jansenistarum est, *Romanum Pontificem cum aliis Episcopis comparatum, esse primum inter pares*. Idem ab Ægidio de Witte geminâ legitur similitudine illustratum: esse videlicet Papam cum aliis collatum Episcopis *sicut Plebanum S. Rumoldi in Civitate Mechliniensi, aliis ibi comparatum Parochis, vel primum Gandavi Scabinum aliis in eodem Collegio Scabinis.*

Ea Ægidii sententia à Pontificio apud Belgas Internuntio ad Judicium missa facultatis Theologicæ Lovaniensis, convenienti illic stigmate notata est; sed mox procedente è Bruxellensibus Arnaldi latebris *judicio*, ut inscribitur, *æquo* Censura Lovaniensium, non levibus cernitur impetita contumeliis. Hic primos inter fructus fuit Arnaldici in Belgium Adventus, & Bruxellensium latebrarum: Unde usque ad vitæ ejus terminum, tot ferè prodiisse conspeximus Jansenisticæ *Prædicatores veritatis*, quot emissa quaqua versus opuscula, quorum præcipuus passim scopus erat, damnatæ propugnatio Doctrinæ. Illic Romanorum Pontificum, & institutarum ab eis Congregationum vellicabatur authoritas: vel Antistitum, Religiosorumque Jansenistis maximè adversantium proscindebatur atrociùs fama: etiam ubi errores impeti videbantur.

Sic pridem à Sapientibus observatum est, inter hæreticorum fallacias non minimam esse, quod alias insectentur hæreses, ut apud vulgus credulum non solummodo Catholici appareant; sed acerrimi quoque Fidei & Ecclesiæ Defensores; quemadmodùm de Patriarcha Nestorio refert Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 16. *Quis eum facilè errare arbitraretur, quem tanti imperii judicio electum, tanto Sacerdotum studio prosecutum videret? .... Qui quotidie palàm Divina tractabat eloquia, & noxios quoque Judæorum & Gentilium confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret, se recta docere, recta prædicare, recta sentire, qui ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur?*

CAPUT

CAPUT VIII.

Janſenianæ veritatis Prædicatio *poſt detectam damnatamque de bicipiti Eccleſia fallaciam.*

ANNO 1649. videbatur eò reducta in Belgio Janſeniana novitas, ut vel campo cedere penitùs cogeretur, vel exerendum eſſet ultimum potentiæ non à gregalibus ſolum; ſed à ſupremis etiam Exercitus Ducibus, quocunque honoris & famæ, fortunæ ſalutiſque periculo. Quapropter præter *Planctum Auguſtinianæ veritatis in Belgio patientis*, qui communi eſt editus nomine omnium veritatem amantium Auguſtinianam, ſenſu Janſenii intellectam, prodierunt geminæ majoris ponderis Proteſtationes ab Archiepiſcopo Mechlinienſi & Epiſcopo Gandavenſi. Prior erat Belgii Primas; uterque Regi Catholico à Conſiliis ſtatus; uterque potens opere & ſermone; neque turbâ ſolummodo Sacerdotum; ſed Magiſtratuum quoque ſæcularium devinctâ ſibi multitudine & authoritate formidabilis: neque minus fidei & Eccleſiæ periculum creare videbatur, quam multiplicis ſpeciei pietatis, etiam eleemoſynis non parcis publicè profuſis, ambo ſibi apud plebem comparaverant, ſanctimoniæ fama.

Hi itaque ſepoſitâ ſimulatione, abjectâque obedientiæ larvâ, apertâ fronte, publico ſe committere certamini pro Janſenii volumine auſi ſunt, editis adverſus Conſtitutionem Proteſtationibus, quas Innocentius X. condemnavit, authores quoque ambos ſententiâ excommunicationis ab Eccleſiâ repulſos tradidit Satanæ.

Reis non profuere tractatus gemini editi à Cauſidico, juris civilis potiùs, quàm Eccleſiaſtici perito, Titulus uni erat; *Defenſio Belgarum contra evocationes cauſarum & peregrina judicia*: alteri *Jus Belgarum circa Bullarum Pontificiarum receptiones*. Utraque lucubratio eodem quo Proteſtationes duorum Præſulum Apoſtolico Diplomate confixa eſt.

Offendit quidem Senatores aliquos excommunicationis publica in duos Antiſtites denuntiatio; ſed utrique extitit ſalutaris, utpote ad pœnitentiam adducens, & debitam Pontificiis Conſtitutionibus ſubmiſſionem, Magiſtratum quoque Laicum repreſſit Archiducis Leopoldi authoritas & Religio: frænum denique impoſitum eſt audaciæ gregariorum, qui Protopræſidis, Primatis Archiepiſcopi & alterius Antiſtitis, patrocinio ſpoliati deſponderunt animum: ſi non omnes ſalubriter, quantum oportuit ad juſtitiam, ar ſaltem quantum ſufficere videbatur ad publicam tranquillitatem.

Illud procùldubio inter perſecutiones numeraverit Queſnellus, quę *Prædicatores* affixerint *veritatis*. Sopitum itaque tunc apud Belgas Janſeniſmi incendium fuit.

In Galliis quoque ut ſuperius referre cœperam non minima ea cura fuit Cardinalis Richelii, qui Miniſtri nomine, Regnum illud ſub Ludovico XIII. moderabatur. Is optimè conſcius quantas Calviniana hæreſis Regno, aliàs florentiſſimo, invexerit calamitates; cùm novitatem emergere perſpiceret Calvinianæ contiguam, in ipſo ſtatuit opprimendam exordio, mulctatis graviter primis ejus Diſſeminatoribus, quoſcunque deprehenderet: Neque facile erat ejus fallere vigilantiam. Verùm ipſo mortuo, neque Rege poſt eum diu ſuperſtite, cujus clementiâ abuti cœperant Novatores, mox caput hi attollere audentiùs viſi ſunt.

De Actis illius temporis, quædam referuntur in Apologiâ examinis contra Sancyranum inſtituti, quę reperta fuit in Archivo Domini Laubardemontii, & ab ipſo, ut paſſim creditur, compoſita; qui ut erat Regi à Conſiliis ſtatus, examinis inſtituendi delegatam ab eodem acceperat authoritatem; quæ quantum valere contra Presbyterum potuerit, non eſt hujus loci diſcutere: aliqua tamen ad Janſeniſtarum indolem, qualis ab initio in Galliis fuerit, ampliùs detegendam, ex Apologiâ juverit deſcribere. In ipſo exordio teſtatur author: *Inquiſitionem adverſus Sancyranum fuiſſe inſtitutam ab Eccleſiaſticæ Curię pariter & Majeſtatis Regię Delegatis, ea utriuſque Poteſtatis conſenſione, quam utriuſque ſtatus bonum publicum deſiderabat.* Tum de Sancyrani Sectatoribus ait.

„ Homines iſti ſuperbiâ inflati, qui ſub „ inani ſpecie rigoris & priſtinæ in Eccleſiâ „ diſciplinæ reſtituendæ, ſubvertere & penitus abolere moliuntur eam, quæ nobis „ Divini Spiritus munere conceſſa eſt, & „ plurium ſeculorum ſpatio confirmata, ſupra ejus ruinas erigere, & ſtabilire volunt „ novitates ſuas ſcatentes veneno ſubtiliſſimo, atque eo pernicioſiore, quod dum „ malum continet ſuperiorum hæreſum, præferat ſpeciem reformationis & pietatis „ planè ſingularis. Omnem authoritatem „ legitimam averſantur: neque alias agnoſcunt leges, præter eas, per quas communi juſtitię ordini ſe exemptos pronuntiant...

„ Rex defunctus Ludovicus XIII. certior teddi-

„ redditus, quod Abbas Sancyranus & Pa„ ter Seguenotius (Oratorii Presbyter) co„ narentur machinationibus improbis tum „ Parisiis, tum alibi disseminare Doctrinam „ noxiam, utrumque capi jussit, atque il„ lum Vincennensi Castro, hunc Parisiensi „ Carcere detineri. Paucis post mensibus è „ Consilio status unum, qui adversus eos „ eorumque complices examen institueret, „ delegavit.

„ Hujus Commissarii operâ examen pro„ cessit, secundùm omnem juris ordinem, „ testes omnes ingenti numero, non sine jure „ jurando auditi sunt: quidquid sive pro „ Reis, sive contra eos testati sunt, deposi„ tionibus eorum fidelissimè insertum est. „ Scriptæ illæ sunt, singulis eorum prælectæ, „ & propriâ singulorum subscriptione con„ firmatæ.

„ Examine in hunc modum peracto, de„ positiones sibi exhiberi Rex voluit. De Se„ guenotio nihil continent, nisi quod ipse „ fassus fuerat, authorem se esse Libri de „ *Virginitate*. Verùm testes omnes asserunt, „ audivisse se Sancyranum ea assiduè dogma„ ta inculcantem, quæ tunc mandato Regiæ „ Majestatis excerpta fuerunt ex informatio„ ne, prorsùs eo modo, quo in libro cui ti„ tulus: *Synopsis Theologiæ Sancyrani & Ar„ naldi* conspiciuntur....Secundùm hæc testi„ monia causa Saucyrani deducta est.

„ Jussit Rex omnia deferri ad Archiepisco„ pum Parisiensem, qui ea Consultoribus „ suis exhibuit, atque ex horum consilio „ Doctori Sorbonico percelebri, tunc Pari„ siensis Ecclesiæ Canonico, nunc autem in„ ter Primarios Galliæ Præsules locum di„ gnissimè occupanti, eadem tradidit, ut se „ jungeret Archiepiscopi Delegato, operam„ que eum eo conferret ad Sancyrani exa„ men, ac cæteros actus, Archiepiscopi au„ thoritate in hac causâ suscipiendos.

„ Ad ea, quæ in testimoniis adversus San„ ciranum relata sunt, multum ponderis ad„ dunt alia, quæ Regis Commissarius in „ Monasterio Portus-Regii detexit. Reperit „ illic Sancyrani discipulos viginti omnis „ ætatis, omnes Magistri sui principiis ap„ primè imbutos, factionem prorsùs forma„ tam, atque innocentes etiamnum animas „ in primâ ætate, pestiferorum Dogmatum „ veneno instructas: quo, ubi magis ado„ leverint ad subruendum Spiritus Sancti „ opus sine scrupulo enitantur.

„ Inventę illic sunt innumeræ variorum „ Epistolæ, quibus ad Sancyrani literas in„ structionibus plenas respondebatur. In his „ responsionibus perspicitur, quòd Sancyra„ nus eos, ad quos scribebat, sollicitè mo„ neret, ut acceptas à se literas comburerent, „ & instructiones nemini revelarent. Omni „ tamen cautelâ efficere non potuit, quin vel „ inter eas chartas prototypa quædam in„ venta sint, in quibus disseminata principia „ satis facilè intelligantur; quamvis in ple„ risque tenebras quærat & ænigmata...

„ Quapropter Ecclesiæ & statui expedire „ videbatur, ut vitæ reliquum in carcere „ Sancyranus traduceret, ubi destitutus no„ cendi facultate, abstineret à malo, in quod „ eum superbia propellebat.

„ Ludovicus XIII. non multo ante suam „ mortem tempore, ut erat in clementiam „ propensior, omnes Aulâ exulare jussos re„ vocans, & libertati restituens, quoscun„ que ob rationes statûs, & similes carceri „ mancipatos; nonnisi ægerrimè tamen ad„ duci potuit, ut libertatem Sancyrano red„ deret, quamvis incredibili patrocinantium „ ardore & studio expetitam. Dedit hoc „ tandem Rex intercessionibus quorumdam „ optimatum, qui se Majestati suæ pro San„ cyrano, ut ipsi ejus discipuli in Apologiâ „ fatentur, obstrinxerant, polliciti fore ut „ ille se in Monasterium suum reciperet, pri„ vatam ibi deinceps vitam ducturus, neque „ unquam immisceret se scriptioni, aut sin„ gularibus suis opinionibus alios imbueret.

„ Verùm vix è vivis Rex discesserat, quin „ Sancyranus & ejus discipuli colligerent, „ quæ multo labore annis superioribus scri„ pserant, atque ex iis componerent librum „ *de frequenti communione*. Non passus est „ Deus machinationem hanc & manifestum „ perjurium impunè abire. Præcipuum libri „ Authorem (Sancyranum) antequam in „ lucem ederetur, ad suum Tribunal evoca„ vit: Discipuli nihilominus opus prosecuti „ sunt & evulgarunt nomine Antonii Arnal„ di, ut plus authoritatis obtineret lucubra„ tio, authorem præseferens Doctorem Sor„ bonicum; quem gradum Arnaldus sibi, „ dum Rex viveret, denegatum, recenter „ tandem fuerat consecutus.„

Hactenus *Apologia Inquisitionis*. Nuperus verò author *Causæ Arnaldinæ* in Præfatione strenuum Arnâldi vindicem & encomiasten agens, narrat, quomodo ille licentiæ in Teologiâ gradu potitus, & transacto ferè præviarum Doctoratui exercitationum curriculo, cursum Philosophicum docendo peragere aggressus sit: *In hoc cursu* (inquit) *verè Christianis morum præceptis, ex Augustino depromptis, discipulos imbuit. Quod primam eorum ipsi offensionem peperit, quibus tam pura dogmata minùs placebant.*

 Itaque

Itaque Lescotius Doctot Sorbonicus & Arnaldi alias Magister *qui tum Cardinali Richelio à Confessionibus erat, hinc ansam arripuit ipsum criminandi. Quamobrem cum peracto cursu, in Sorbonam recipi postulasset Arnaldus, in pervigilio Pentecostes anni 1641., Lescotium, & per eum Cardinalem ipsum Sorbonæ Provisorem adversos habuit. Richelii authoritati, plusquam Regiæ, cedere coacti sunt socii Sorbonici, inter quos plures fuisse non dubitem, qui sibi longè magis honorificum putarent, si eo modo, quo Arnaldus, repulsam passi essent, quàm quo passim omnes alii admittuntur, esse exclusos. Neque tamen à consilio destiterunt Arnaldum sibi sociandi.*

Vix ultimum diem obierat Cardinalis Richelius die 4. Decembris 1642. cùm rursus de illo in Societatem Sorbonicam admittendo verba facta sunt in Sorbona; sed indecorum fortè visum est, calente adhuc memoriâ tam insignis Instauratoris sui, acta ejus rescindere. Quarè in Comitiis ordinariis, quæ habita sunt in pervigilio Natalis Domini anni 1642. decretum est, standum esse gravissimo judicio Eminentissimi Provisoris in negotio Domini Arnaldi: atque ideo illum deinceps ad Societatem Sorbonicam aspirare non posse.

Sed ne sic quidem Arnaldiua factio sibi statuit quiescendum, quin conquisitis undique patrociniis, artibus omnibus in subsidium convocatis, accitis etiam ex longinquioribus Provinciis, quotquot sibi deditos vel facilè devinciendos noverat è Sorbonicis Doctoribus, iterum anno sequenti 1643. mense Augusto causam resumpserit, eviceritque. Adscriptus itaque Doctorum Collegio tunc Arnaldus fuit, electione funestâ rei Catholicæ, atque ipsi, secuturis temporibus, Sorbonæ plurimùm pœnitendâ, ut suo loco videbitur.

Quænam ea fuerint verè *Christiana morum præcepta, ex Augustino deprompta, quibus Discipulos Arnaldus imbuit*, quænam *tam pura dogmata primam ei offensionem peperint*, Causa ibi Arnaldina non exprimit: non tamen difficilis admodum conjectura fit ex institutis ab eo Discipulis, qui ad Philosophicam postea Cathedram promoti, tironibus tradere solent istiusmodi *præcepta morum, & tam pura Dogmata*, quæ *offensionem pariunt* apud Theologiæ Doctores Catholicos, communibus Ecclesiæ dogmatibus adhærentes, qui Augustinum longè aliter, quàm Calvinus, Bajus, & Jansenius interpretantur.

Damnatos autem in Bajo Articulos, & à Jansenio perperam resuscitatos, constar placuisse adeò Arnaldo, ut suam orsurus *pro Jansenio Apologiam*, præfari vetitus non sit, *quod sine voluntaria obcæcatione & portentosâ pertinaciâ negari nequeat, Propositiones Baii, quæ in Jansenio reperiuntur, esse puncta capitalia Doctrinæ S. Augustini.*

Exemplo Arnaldi Philosophiam adeò incongruè tradentis tribuitur, quod etiam Lovanii juvenes quidam Philosophiæ Professores, qui Theologiam vix à limine salutarint, proscriptos in Bajo & Jansenio Articulos dictatis Philosophicis nequiter inserant, adhibitâ quidem aliquâ ad fallendum mutatione phraseos, confidentiùs autem venenum in explicationibus oretenus fuudunt, ut de perfidiâ difficiliùs convincantur.

Talia ipsorum, quemadmodum Arnaldi, ante etiam Jansenii, Baii, Calvini judicio, sunt *verè Christiana morum præcepta, ex Augustino deprompta, tam pura Dogmata, quibus discipulos imbuunt, offensionemque pariunt*, penès Theologiæ Doctores Catholicè sentientes.

Callidissima ea Arnaldi ejusque vestigiis insistentium Novatorum machinatio est, qua excogitari non potuit ad propagandam latissimè novam hæresim magis idonea. Cùm enim Philosophia ad Superiores omnes scientias communiter velut janua habeatur; per hanc sibi ingrediendum statuunt universi, ad gradum Academicum sive Theologiæ, sive juris Ecclesiastici, sive Civilis, sive artis Medicæ aspirantes.

Viros etiam nobilissimos, & nullum ambientes officium pudere solet, ignaros Philosophiæ penitùs haberi: atque ita haustum hæresios in Philosophia virus, ad omnes quodammodo ordines infeliciter diffunditur. Obtingit quidem aliquibus, præsertim ad studia translatis Theologica, sumptum temerè venenum præsenti depellere antidoto; sed plerique sive in Philosophia ponentes terminum studiorum, sive ad alias distracti scientias, sive etiam Magistros in Theologicis nacti haud sauiores, non facilè possunt se ab exitio liberare.

Inde oriri creditur quod inter Causidicos, Medicos, & in ipsis subinde Magistratibus tot conspiciaurur tum in Galliâ, tum in Belgio Novatoribus patrocinautes. Hanc miseram juventutis corruptelam atque perniciem acceptam debemus Arnaldico & similium Philosophiam profitentium artificio.

Prosequamur aliquantum in recentibus Arnaldi vindiciis, sive ut inscribitur *Causa Arnaldina*. Ita pergit Præfatio pag. 31. "Cum „ Arnaldus socius Sorbonicus omnium penè „ votis renuntiatus est, jam prodierat in lu„ cem ab aliquot mensibus insigne illud, & „ admirandum ejusdem Opus *de frequenti* „ *Com-*

„ *Communione* . „ Alii rectiùs judicant perniciosum æternâque dignum oblivione, licèt fuerit plurium Doctorum, etiam Antistitum approbationibus munitum, quas numerosæ factionis solicitationibus non adeò difficilè fuerit comparare.

Has homines callidi censuerunt necessarias operi, quod quantalibet ad fallendum vafritie compositum, prodebat nihilominus locis pluribus novitates horridas, neque minùs exitiales animis fidelium quàm communi Ecclesiarum omnium Disciplinæ, eamque sequentibus contumeliosas. Multitudo & authoritas Approbatorum impediverit forsitan, ne librum Sedes Apostolica condemnaret; efficere tamen non potuit, ut anathemati sub ducerentur Propositiones absurdissimæ quas tacito libri & authoris nomine Alexander VIII. Censuris gravibus profligavit.

De Propositionibus istis distinctiùs aliquid dicendi locus magis proprius erit, ubi ad Pontificis illius tempora devenero.

Non levium interim turbationum occasio liber ille fuit mox ut in lucem editus: offensionem incurrit omnium pene ordinum non in Galliâ solùm & vicinis Provinciis; sed etiam Romæ, adeò ut Regina vidua Arnaldo mandaverit, ad Sedem Apostolicam proficisceretur, redditurus illic sui operis rationem. Mandato isto tota commota illico apparuit Jansenistarum Ecclesia; malè scilicet metuens tam charo Capiti, cui forsitan non tam facilis futurus esset ex Urbe reditus, quàm in eam patuerit ingressus: ideò conquisita undique patrocina Magnatum, Episcoporum, supremi Senatûs, etiam Sorbonæ; quorum Regina conjunctis precibus flecteretur, ne iter facere Arnaldum cogeret cum aliquo Gallicanæ, ut prætenditur, discrimine libertatis.

Sic quidem impedita Arnaldi profectio fuit; attamen exarsere quotidie magis bonorum studia in opus pestilens, quod Illustrissimus Raconis Vauriensium Episcopus in prolixo ejus *examine* ostendit, eò vergere ut usus Sacramenti Pœnitentiæ penitus aboleatur.

Videri de hoc potest pag. 216. & in alio ejusdem Episcopi Tomo cui titulus *Prosecutio examinis* libri de frequenti communione pag. 403. *Nemo* (inquit) *ex iis quos hic Arnalde criminaris, quidquam impugnavit, præterquam errores perniciosi libri, cujus te authorem venditas: nemo hic quidquam accusavit, nisi mendacia, quibus eundem librum fulsisti ad subruendum Pœnitentiæ Sacramentum, rescindendo contritionem, & Confessionem Sacramentalem; totum reducendo ad Pœnitentiam quandam Canonicam, & absolutionem Ceremonialem: Denique ad abolendum usum Communionis Eucharisticæ; obtentu singularis cujusdam reverentiæ, & dispositionis, cujus juxta Sancyranum expertes fuerunt ipsi Apostoli.*

Ægidius de Witte Arnaldi discipulus; ut literis ad eum Aughemio datis testatur; ex libro de *frequenti Communione* colligit, unicam in primitivâ Ecclesiâ fuisse Pœnitentiam, eamque Canonicam seu publicam; sed horret palàm prodere, necessarium inde profluens consectarium, videlicet initio Ecclesiæ vel omnia peccata mortalia, etiam occultissima & merè interna subjici debuisse Confessioni publicæ, quod apertissimè falsum est, vel non omnia peccata lethifera fuisse exposita sacerdoti; sed publica solùm, eaque graviora, quibus Decreta per Canones Pœnitentia publica reservatur.

Quod postremum sibi perplacere indicat Ægidius; sed non ausum se hactenus divulgare, metu scandali; ne qui laxitatibus bellum se profitetur indicere, eas plus quàm cæteri promovere, & novas invehere censeatur. Tractatum nempe historico-Theologicum de Pœnitentiâ edere Ægidius decreverat, in quò cùm eam prætenire silentio quæstionem difficile videretur, Oraculum suum Arnaldum consulere maluit, an non expediret à tali Tractatu penitus abstinere.

Expediverit indubiè, etiam judicio Arnaldi, qui expertus pridem, quantam similis temeritas, sibi consciverit tempestatem, meritò suaserit imprudenti discipulo, ut talia scribendi, cogitationem abjiceret, nondum rebus satis dispositis ut omnia novæ Ecclesiæ mysteria palam exponere conveniat.

Ægidius ipse jam senserat Decretum Archiepiscopi Mechliniensis Alphonsi, sibi aliàs benevoli, datum anno 1689. 26. Aprilis contra libellos quibus tituli erant *Aurifodina suffossa*, & *Refutatio libelli supplicis R. P. Marci à Sancto Francisco Carmelitâ Excalceato, per Ægidium Albanum*, Belgicè de Witte, quo Archiepiscopus declarat, & statuit, ex opusculis illis *expungendas esse tam provocationes ad ostendendum, quòd aliquis Sanctorum Patrum fuerit Sacramentaliter confessus, quodque aliquis tempore illorum fuerit ter absolutus Sacramentaliter, quàm assertionem quasi viventibus Sanctis Patribus non fuisset usitata confessio venialium.*

Assertionis istiusmodi venenum, fallaciter propinatum antea Arnaldi Opere de *Frequenti Communione*, solerter detexerat illustrissimus Auctor memorati *Examinis* pag. 216. dicens. *judicet lector, quo ista, quam tanto molimine Sancyranus* (perniciosi Operis autho-

author præcipuus) *nitebatur inducere, collimet doctrina de abolendâ peccatorum venialium confessione, ut nempe confessio, quæ juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palàm interiorem Pœnitentis statum, animam emortuam, infamium & lethiferorum criminum sordibus opertam. Sic enim confessionis onus, quod jam inde & per se satis grave est, efficeretur minùs tolerabile, atque ita metu se prodendi, & reddendi publicè infamem, quilibet à confessione averteretur: quem præcipuum fuisse Sancyrani scopum, satis exploratum est.*

Propter rationes istiusmodi, complures etiam alii Episcopi librum eumdem à suis Diœcesibus proscripserunt: Claudius d'Achey Archiepiscopus Bisuntinus in Statutis Synodalibus, anno 1648. 26. Maii promulgatis, toto Burgundiæ Comitatu eum exesse voluit. *Probibemus* (inquit) *lectionem piorum in speciem Operum Antonii Arnaldi de frequenti Communione, & Jannis Verger de Hauranne Sancyrani Abbatis variorum Opusculorum authoris, quorum quidem Mense Octobri superioris anni, adiectâ pœnâ arbitrariâ lectionem per Diœcesim nostram interdixeramus.* Archipræsulem hunc secutus diu postea est Archiepiscopus Mechliniensis Belgii Primas Humbertus Guilelmus à Precipiano.

Inter libri Arnaldici approbatores fuerat Octavius de Bellegarde Archiepiscopus Senonensis, qui Novatorum circumventus fraudibus, & quasi fascinatus hypocrisi, dudum in eos propensior videbatur, donec imminente morte, & stimulante conscientiâ curavit Nuntium Apostolicum de perniciosis eorum machinationibus certiorem fieri, atque per hunc Apostolicam Sedem. Morti itaque proximus vocari ad se jussit Baronem de Renty, cujus vita ob singularem & notissimam omnibus Pietatem, typis edita est.

Dictavit ei Archiepiscopus verba ad Pontificis Nuntium deferenda, quæ sequuntur; "Inculcari debet Sanctissimo Domino, „ ne quidquam agat, quo videatur approba„ re personas, aut machinationes istorum „ Novatorum. Illos non probo propter sin„ gularitatem affectatam, quam in iis sem„ per animadverti, uti & superbiam, præ„ sumptionem spiritûs, contemptum alio„ rum & curam celandi suam mentem, eos, „ quos non habent planè sibi devotos. Te„ neor credere, totam hanc factionem esse „ suspectam Ecclesiæ; quia vidi eam initium „ ducere ab illusione... Quidam ex eorum „ amicis mihi dixit, quòd ubi approbati & „ stabiliti fuerint, velint tollere confessionem „ peccatorum venialium... Videri volunt „ magni Defensores Hierarchiæ Ecclesiasti„ cæ per Petrum Aurelium in sermonibus „ publicis; sed Hierarchiæ reverà maximè „ contrarii sunt: decipiunt vanâ specie, ut „ postea disseminent, quod modò occul„ tant."

De perniciosis quibusdam Jansenii & Sancyrani consiliis testimonium mihi aliquando exhibitum est authenticum, quod hic describo:

" Nos F. Marcus à Nativitate Virginis „ Provincialis Carmelitarum Provinciæ Tu„ ronensis, hoc scripto declaramus, quod „ anno 1652. & 1654. Dominus de Razilly „ vir nobilis Turonensis restatus nobis sit, „ interfuisse se circa annum 1620. colloquio „ cuidam virorum in Ecclesiâ spectabilium, „ inter quos erant Dominus du Verger, cui „ nomen deinde fuit Abbati Sancyrano, & „ Dominus Jansenius dein Iprensium in „ Flandria Episcopus.

„ Proponebat in eo colloquio Dominus „ du Verger, ut ne Fideles Regularium tem„ pla adirent tam frequenter; optimum fa„ ctu fore, si Ecclesiastici, qui administran„ dis Sacramentis dabunt operam, praxi ute„ rentur oppositâ ei, quæ eo tempore usurpa„ batur à Regularibus; Pœnitentiæ verò Sa„ cramentum difficile redderent, Euchari„ stiæ autem ut usus rarior esset, efficerent.

„ Jansenio consultum non videbatur, in „ Religiosos simul omnes insurgere; sed ini„ tium ajebat sumendum esse à Jesuitis; ne„ que enim difficile futurum demonstrare, „ perversam esse eorum de gratia doctrinam, „ & sopitas de eâ re sub Clemente VIII. „ concertationes restituere. In eum finem „ librum se conscripturum addicebat, quo „ Jesuitarum Doctrinam impeteret, quem „ suspicio est eum esse, qui dein prodiit in „ publicum hoc insignitus titulo *Augustinus* „ &c.

„ Priorem agebam in Conventu nostro „ Turonensi, cum Dominus de Razilly, pri„ usquam obiret, fui etiamnum apprimè „ compos, ac conscius, quæ de illo colloquio „ ante commemoraverat, iteratò testatus est „ esse verâ: sed & hæc eadem narraverat P. „ Nicolao à Visitatione Prædecessori meo in „ eodem munere Prioris, subjeceratque, „ edixisse se viris istis, non placuisse sibi ea „ consilia aut colloquia, quippe in quibus ni„ hil agebatur aliud, quam ut passioni suæ, „ atque utilitati inservirent.

„ In quorum fidem has propriâ manu scri„ ptas signavi, atque insuper sigillo officii „ nostri munivi. Actum Turonibus 29. Julii „ 1687. Fr. Marcus à Nativitate Virginis „ Pro-

„ Provincialis Carmelitarum in Provinciâ
„ Turonensi. Fr. Josephus à Jesu Maria,
„ Assistens R. P. Provincialis.

„ Nos Fr. Nicolaus à Visitatione Religio-
„ sus Ordinis B. M. Montis Carmeli decla-
„ ramus audivisse nos ex ipso D. de Razilly
„ tum cùm Prioris munere fungebamur Tu-
„ ronibus anno 1646. 1650. ea, quæ Pater
„ noster Provincialis R. P. Marcus à Nativi-
„ tate Virginis refert de colloquio, cui in-
„ terfuere D. Sancyranus, D. Jansenius, &
„ aliquot alii, & in quo consilia contulerunt,
„ quæ dein executioni mandata sunt, ut vul-
„ gò compertum est. In quorum fidem ha-
„ sce manu meâ signavi, atque apponi cura-
„ vi Conventus nostri sigillum. Actum Tu-
„ ronibus 29. Julii 1687. Fr. Nicolaus à Vi-
„ sitatione.

Nobis redeundum est ad Arnaldum, cui etsi intercessionibus multorum impetrata à Reginâ Matre facultas fuerit, omisso Italico itinere, manendi in Patriâ; non tamen diu illic licuit ipsi esse securo; defensæ pertinaciter hæresios crimine conscientiam lancinante.

Audiatur *Causæ Arnaldinæ* Præfatio pag. 34. *Ne aliquam vim* (inquit) *ipsi aliunde molirentur adversarii, octavâ die Mensis Martii anni* 1644. *Publico se subduxit, illi non nisi post quatuor & viginti annos restituendus: Exinde vel planè delituit, vel in Portus-Regii Monasterio ab hominum frequentiâ remotus, confessarii munus obiit*. Quo fructu? Quem Orbis Catholicus miratus est, & luxit in miseris Monialibus perversis, actisque in sensum reprobum, Jansenismi pertinaciam, rebellionem & Censurarum omnium contemptum; utinam non & interitum sempiternum! Sed de hoc aliàs plura.

Prosequi hic nos oportet ordinem temporis. Unde autem gravius sibi Arnaldus infortunium, quàm ex libro de *frequenti communione*, veritus est, alto silentio premit *Causæ Arnaldinæ* Consarcinator subdolus. Erat illa quæ eodem anno 1644. prodiit nefaria contra Urbani VIII. Constitutionem pro Jansenio *Apologia*, atque hanc secuta anno proximo non minùs pestilens altera: utraque spiritu plena Schismatico, simul & hæretico; utraque anno 1654. die 23. Aprilis ab Innocentio X. justissimè condemnata.

Sic Doctor juvenis, præcoce audaciâ, reliquæ prælusit ætati, specimina præbens minimè obscura, qualis inposterum futurus esset, totius contra Apostolicam Sedem, Ecclesiamque Catholicam rebellionis & schismatis incentor.

Prætensa denique *veritatis Prædicatio* vix alia ab Arnaldo profluere deinceps visa est, quàm damnatarum in Bajo & Jansenio hæresum, cum pluribus eò spectantibus novitatibus scandolosa defensio, atque adeò omnium contra eas Apostolicarum impugnatio Constitutionum. De his distincta magis occurrent in sequentibus.

CAPUT IX.

Infamium pro Jansenio Apologiarum absurdissima Excusatio.

Perspiciens Arnaldus offensionem, quam contra se concitaverant geminæ pro Jansenio *Apologiæ*, non deferbuisse toto quinquennio, excusationis aliquid commentus est; sed quo prius crimen adeò non diluit ut majore augeat impudentiâ & temeritate, in secunda ad Parem Franciæ Epistolâ, non solùm ab Alexandro VII. proscripta, sed à Sorbona etiam gravioribus notata censuris.

Illic ad Quæstionem cur pro Jansenio Apologias ediderit, respondet; *quia censuimus interesse Dei & Ecclesiæ, non pati ut certissima Cœlestis doctrinæ dogmata in Cathedris tanquam impia, & hæretica traducerentur... atque ut in pluribus Articulis hæresum redargueretur Episcopus, quem ab illis fuisse constat remotissimum*.

Cùm ista Arnaldus scriberet, nondum agebatur de quinque Jansenii Propositionibus ad Sedem Apostolicam deferendis; sed de Bajanis pridem à Pio V. & Gregorio XIII. confixis, atque recentiùs iterum ab Urbano VIII. propter Janseniani voluminis temeritatem, *multas* ex iis audacissimè resuscitantis, *& magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendentis.... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & fidei Catholicæ perniciem vertenti*.

Ut malum istud arceretur ab Ecclesiâ, Catholicorum passim omnium studia cum Christi Vicario concurrebant. Eædem nihilominus Propositiones sunt inter cæteras, quas hic Arnaldi impudentia vocare non dubitat *certissima Cœlestis Doctrinæ dogmata*. Ibidem: *Non potest sine voluntariâ cæcitate, & portentosâ pertinaciâ negari, Propositiones Baii, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia Doctrinæ S. Augustini*.

Non soli hic Urbano VIII., eique assistentibus S. Officii Cardinalibus, & Consultoribus doctissimis, *voluntaria cæcitas, ac portentosa* impingitur *pertinacia*; sed etiam Pio V. & Gregorio XIII., qui eadem *certissima*,

ma, ut prætenditur, *cœleſtis doctrina dogmata*, *eadem puncta capitalia Doctrinæ S. Auguſtini*, ne quidquam reclamantibus diu Baii & ſociorum ejus vindiciis, condemnare obſirmatiſſimè perrexerunt, Obedientiam Sedi Apoſtolicæ præſtari voluit cum Rege Catholico ſupremus Belgii Gubernator Cardinalis Granvellanus.

Nihil eorum, inquiet Queſnellus, inficior; ſed vel inde mea confirmatur ampliùs ſententia, *Deum permittere ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ*.

Ab Arnaldo & Queſnello didicit pſeudonymus *Lucas Veronenſis in ſtrena veritatis amatoribus oblatâ* anno 1680. quod ait pag. 51. *Defenſores Propoſitionum Bajo & Janſenio attributarum non niſi Auguſtinum defendunt & veritatem*. Ibidem. *Hæreſis Bajana optimè vocatur imaginaria*.

Similiter Grabriel Gerberon ſub nomine *Ignatii Eyckenboom in adumbrata Eccleſiæ Romanæ defenſione* pag. 1." Si in Bajo & Janſenio eam doctrinam, non quæ illis adſcribitur falsò; ſed quæ in eorum Operibus verè legitur, cenſuris ejuſmodi (quæ in Pontificiis adverſus illa Conſtitutionibus continentur) proſcriptam eſſe confiteamur, Leydeckerus ecce triumphat, ex ſola librorum Baii & Janſenii inſpectione, & ex ipſorum eruditorum Romanæ Aulæ Theologorum, imò Clementis VIII. aſſenſu, quemvis convicturus, eam quæ à Bajo & Janſenio verè exponitur, doctrinam, non aliam eſſe ab illa, quæ ab antiquis recentioribuſque Scholæ Auguſtinianæ & Thomiſticæ diſcipulis, genuina agnoſcitur Apoſtoli & Auguſtini ſententia.„

„ Pag. 2." Una ergo Romanam Eccleſiam adverſus injuſtas Leydeckeri & Jurii (Calviniſtarum) criminationes legitimè vindicandi ratio illa ſupererat, videlicet demonſtrare, ſenſum non genuinum; ſed fictitium duntaxat Baii & Janſenii, fuiſſe à Sede Apoſtolicâ damnatum. „ Hactenus Gerberonii Præfatio, dein in ipſo Opere pag. 18." Theſes (Baii) eo Diplomate proſcriptas fatemur quidem Romæ fuiſſe libratas, ut refert Leydeckerus; ſed quàm indiligenter, ex præclarâ Baii Apologiâ liquet, imò & ex ipſiuſmet Bullæ contextu... Nunquam eximii iſtius viri Opera, æternis ſeculis digna, ullo atro ſtigmate confixa ſunt, vel prohibita; quippe quæ priſcam Sanctorum Patrum, maximè Auguſtini Doctrinam ubique ſpirant.„

De Bajo hactenus: non inferiora oſtentat mox pro Janſenio: Pag. 36." Utrum Janſenii ſenſus ille ſit, qui a Pontificibus proſcriptus eſt, nulla eſt quæ decidere valeat ſive in Conciliis, ſive in Pontificibus auſthoritas falli neſcia, cùm Theologi, quos Leydeckerus Janſeniſtas indigitat, palàm & coram ipſo Summo Pontifice ſemper profeſſi ſint, ac etiamnum audacter profiteantur, ſe gratiæ per ſe efficacis ſententiam ceu Catholicam S. Auguſtini Doctrinam, & Eccleſiæ Romanæ fidem amplecti, docere, ac defendere; imò & apertè innuunt, non ſolùm Pontifices in Facti quæſtionibus errori ac deceptioni eſſe obnoxios; ſed Alexandrum VII. reipſa fuiſſe circa factum iſtud Janſenii à falſis Denuntiatoribus deluſum, ut nunquam adduci potuerint, ac poſſint, ad confitendum quòd ſenſus, in quo quinque Propoſitiones confixæ ſunt, verè ſit Janſenii. „ Hactenus Gerberon ſub nomine *Ignatii Eyckenboom*.

Idem dein anno 1697. ſub nomine *Martini du Cheſne* edidit *Diſquiſitiones duas de Prædeſtinatione gratuitâ & gratiâ ſe ipſa efficaci*. Illic in Præfatione pro recentiſſimâ ſuâ editione omnium Operum Michaelis Baji ne condemnetur, ita monet Eminentiſſimos Cardinales." Quandoquidem A. P. (Antonium Petit Latinè Exiquum, veriùs ipſum Gabrielem Gerberon) qui hæc opera compilavit, de Eccleſiâ optimè meritum novi, cauſam pro eo apud Eminentias Veſtras dicere minimè verebor, & illis ſuggerere, hanc ſummi momenti rem eſſe, multaque perpendenda, ne unius libri confixio, fieret Sedis Apoſtolicæ dehoneſtamentum, & ne quid fortè (ſcio quod loquor) deterius contingeret.„

Pag. 9." Quod Bajus Catholicum S. Auguſtini intellectum circa præſcriptos Articulos tradidit, nemo cordatus, & in Auguſtino verſatus poteſt inficiari.„

Quapropter ne Calviniani inferant: " *Ergo Eccleſia Romana ſenſum Michaelis Baji reprobando, Catholicam S. Auguſtini Doctrinam reprobavit ac ejuravit*, illi qui Baji opera collegit, nihil fortiùs, breviùs ac tutius viſum eſt, quàm confiteri, ac oſtendere, quomodo ejuſmodi Cenſuræ non habendæ ſint, ceu Romanæ Eccleſiæ judicia; cùm falſis ſuggeſtionibus, aliiſque artibus obtentas, nec uſquam ritè promulgatas fuiſſe, certum teſtatumque faciat fida & accurata ejuſmodi contentionum narratio.

„ Satius enim exiſtimavit, certos confiteri ejuſmodi Cenſurarum defectus, quàm illas, quantumvis minùs legitimas defen-

den-

„ dendo, Romanam Ecclesiam blasphemis „ Hæreticorum conviciis dimittere, perpe- „ tuò deturpandam ac dilacerandam „ quia videlicet juxta Gerberonium impossibile est, fidem Ecclesiæ Catholicæ cum Anti-Bajanis Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. Constitutionibus componere.

Idem pag. 12. "Quàm certum & quàm „ immensum illis (Calvinianis) triumphum „ appararet Censura; si quæ jam adversus „ Theologi istius opera ferretur! Nonne „ cum Leydeckeri aliorumque Calviniano- „ rum adversus Romanam Ecclesiam convi- „ tia ex Censuris in Bajum latis petita, eo „ ipso Censura hæc comprobare existimare- „ tur, quo Michaelis Baji libros & doctrinam „ reprobaret? „

Denique unde fiat, ut *omnes Potestates sint contraria Prædicatoribus veritatis*, quod novi censent, & lugent tantopere Ecclesiæ Reformatores, exponit Gerberonius; postquam veteres enumeravit Pontifices divinæ gratiæ adversus Pelagium Defensores, junctis etiam Clemente VIII. Paulo V. Innocentio XI., sic patheticè exclamans. " Vigor „ hic Apostolicus in Catholicis victricis, seu „ seipsâ efficacis gratiæ & gratuiti Divinæ „ Prædestinationis Propositi veritatibus asse- „ rendis, amputandisque vel tenuioribus „ Hæresios Pelagianæ surculis, utinam in „ iis, qui Ecclesiæ post tantos Pontifices „ præfuerunt, non deferbuisset, illa jam non „ doleret Christianam de Christi gratia & „ Prædestinatione fidem, succrescentibus in „ ipso Domini agro novarum opinionum Zi- „ zaniis, penè suffocatam: illa, ut apertiùs „ loquar, non se ferè totam gemens ac lu- „ gens miraretur Pelagianam! „

Quid igitur miramur in tali Jansenistarum hypothesi, Quesnellum asserere, quod *Deus permittat, ut omnes Potestates sint contraria Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ?*

Qui primus Pelagium condemnavit, fuit Innocentius primus, meritis propterea non à solo Gerberonio, sed à nobis quoque encomiis celebrandus. Quoniam autem Novator hic Pontificis illius *vigorem Apostolicum* dolet adeò in novissimis ejus Successoribus refrixisse, velletque vehementius reaccendi, aliquod pristini illius vigoris specimen referendum est ex ejusdem Pontificis ad Arcadium Imperatorem Epistolâ, quâ ipsum & Eudoxiam ejus conjugem *Segregat à perceptione immaculatorum Mysteriorum Christi Dei nostri*, statim subjungens: *Episcopum etiam omnem, aut Clericum Ordinis Sancta Dei Ecclesia, qui administrare, aut exibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, quâ præsentes vinculi mei literas legeritis, dignitate suâ excidisse decerno.*

Hanc Innocentii Epistolam Græcè referunt Gennadius, Nicephorus, Glicas: Latinè Baronius, Aldoinus & alii. Quomodo literas Pontificis Imperator acceperit, narrat Glicas & ex eo Oldoinus in vitis Pontificum Tomo 1. col. 282. Arcadius scilicet *in Responso se excusat, & se innocentem nominat quoad condemnationem Joannis* (Chrysostomi) *demum ut illum à Segregatione liberet, humiliter obsecrat.*

Hinc colligitur, Pontificem illum verè Sanctum, non existimasse, quòd commissa sibi à Christo Potestas clavium pro Spiritualibus penderet in exercitio à totius consensu *Corporis saltem præsumpto*, quemadmodum Quesnelli contendit Articulus 90., alioquin ridicula fuisset inflictio pœnæ, cuilibet intentata sive Episcopo, sive inferioris ordinis clerico, communionem vetitam imperrienti; cùm is causari facilè potuisset, se & alios secum plures, qui Summis Principibus deesse non solent: actu Pontificiæ Sanctioni contrario protestationem minimè dissimulasse: neque putaverit ipse Arcadius Decreti Apostolici valorem à Secularis Curiæ Placito vel acceptatione suspendi, alioquin ut à *Segregatione Divinorum Mysteriorum liberaretur, humiliter non obsecrasset*. Et quidem judicio suo *innocens* erat, atque hoc sensu injusta *Segregatio à perceptione immaculatorum Mysteriorum*, quorum participatio non minimum inter Christiani hominis officia ac debita reputatur; atque adeò non probavit Arcadius Propositionem Quesnelli 91. *Excommunicationis injusta metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*: neque cum Quesnello Propositione 93. Præsumpsit futurum, ut *Jesus sanaret vulnera, quæ praceps Primorum Pastorum festinatio infixerit sine ipsius mandato, ut Jesus restitueret quod ipsi inconsiderato zelo resciderint.*

Supponamus denique, vigorem Apostolicum, quem Gerberonius in Pontifice Innocentio primo justissimè prædicat, in Successoribus etiam postremorum temporum, ut tantopere desiderat, reviviscere, Problematis loco discuti cuperem, utrum crimen gravius videatur, unius Sancti Antistitis in exilium depulsio, an tot annorum rebellio schismatica, & publica adversus Fidei regulam à Summo Sancitam Pontifice, ab eodem toties confirmatam, uti & ab ejus Sanctissimo Successore, tantoque etiam Ecclesiæ Catholicæ in omnibus Christiani Orbis Regionibus acceptam consensu.

Quantum Schismatis crimen sit, edocet nos

nos Augustinus Epistolâ 57. aliàs 172. *Procul dubio te non fugit, prioris populi temporibus & idololatriæ Sacrilegium fuisse commissum, & à Rege contemptore librum Propheticum incensum; quo utroque crimine, Schismatis malum non puniretur atrociùs, nisi graviùs penderetur. Profectò enim recordaris, quemadmodum Schismatis authores vivos dehiscens terra sorbuerit, & hos qui contempserunt, Cœlo irruens ignis absumpserit, sic nec fabricatum & adoratum idolum, nec Sacer liber exustus, meruit vindicari.* Meruitne Decreti contra Chrysostomum iniquitas exilii?

Et quidem in obstinatis contra Bullam *Unigenitus* Appellantibus crescit rebellionis Schismaticæ perversitas, quod refractariorum authoritas Sacerdotum, Religiosorum, Antistitum, plures nata est à debitâ Christi Vicario obedientiâ & verâ fide abstrahere, atque in Schismatis simul & hæresios abyssum agere præcipites, unde non tam facilè revocari valeant, quàm Sanctus Episcopus ab exilio. Nihilominùs ægrè adeò Innocentius tulit, ut jam vidimus, eam quam in Arcadio supposuit, exilii culpam, ut declaraverit ac decreverit Episcopum omnem aut Clericum, *qui immaculata Mysteria administrare aut exibere* Imperatori & Augustissimæ ejus Conjugi Eudoxiæ *ausus fuerit, suâ excidisse dignitate*. Evidens est, pœnam ibi decerni, ut dicitur, latæ Sententiæ, ipso facto, absque declaratione aliâ incurrendam.

Quandoquidem igitur Janseniani votis adeò ardentibus expetunt, ut Innocentii primi *Apostolicus vigor* in novis ejus Successoribus reviviscat, non deerunt Catholici Doctores & Antistites eruditissimi, qui concludant, ratione haud facilè diruendâ, non solùm potuisse Clementem XI, & posse hodie Innocentium XIII. (cui non minùs, quàm Innocentio Primo *Thronus magni Apostoli Petri concreditus est*) Segregare *à perceptione Immaculatorum Mysteriorum Christi Dei nostri* omnes & Singulos Constitutioni *Unigenitus* rebelles; sed etiam posse præterea *decernere*, quòd *Episcopus omnis aut Clericus, qui administrare, aut exhibere ea* rebellibus *ausus fuerit, ab ea hora quâ præsentes vinculi* Pontificii *litteras legerit, suâ exciderit dignitate*; non quidem charactere Ordinis, qui deleri nequit; sed *dignitate*, ut dicitur, seu gradû honoris, Beneficio & emolumento.

Novimus hæresi, ubi radices egerit, passim nihil esse pertinacius; non tamen facilè in animum induxero, ut credam, novitatibus, etiam hæreticis, infatuatos passim esse adeò sive in Galliis, sive in nostro Belgio Jansenianos, ut talibus mallent nuntium remittere prærogativis & commodis, quàm Constitutioni *Unigenitus* obedientiam polliceri.

Unum nuper mirata fuit Gallia pertinacem, qui in examine coram Ministro Regio tantam professus fuerit contumaciam, ut Beneficium, quàm Quesnellismum dimittere maluerit, seque ad propria recipiens, vitam deinceps agere privatam, quàm gravioris forsitan exponi molestiæ periculo.

Sed is ad ultimum deductus senium, diu ampliùs gaudere Beneficio non poterat, atque ab eo, qui responsa ejus animadversionibus vellicavit, in *fanaticorum* numero collocatur. Alii, licèt erga Episcopalis Ordinis decora optimè affecti, ex memoratis Innocentii Primi literis colligunt, Sanctissimum illum Pontificem minimè arbitratum illo tempore, suam ad deponendos à dignitate rebelles Episcopos authoritatem, talibus alligari conditionibus, quales unius alicubi Regni Antistites, diu postea, non probante, ut dicitur, Apostolicâ Sede, præscribere voluerunt. Quantum autem ea concessæ à Christo Pontificiæ Potestatis, tentata ab inferioribus restrictio valeat, majores dijudicent.

Quidquid sit, si Decretum Clemens XI., quale Innocentius Primus in refractarios condidisset, atque ea quæ fuit Imperatori Arcadio, Primatûs Petri, permansisset in omnibus reverentia, non est verisimile, orituram adeò temerè fuisse, quàm nuper luximus, tantæ multitudinis ex utroque Sacerdotum ordine scandalosam in Galliâ rebellionem. In Belgio Austriaco peues paucissimos ea fuit, atque inter eos unicum nacta in Theologicis Doctorem, nullum Episcopum, nullum ejus Vicarium, aut ulli seu Cathedrali, seu Collegiatæ Ecclesiæ Præpositum.

E duobus Abbatibus, quorum Quesnellistæ suffragiis gloriantur, unus cùm Benedictionem emungere non posset, nisi pollicitus prius obedientiam Constitutioni *Unigenitus* post tergiversationem aliquam se submisit; an autem Benedictione donatus à datâ fide resilierit, minùs habeo exploratum. Si tamen utcunque perspecta mihi sit Belgicæ indoles nationis, non temerariam arbitror conjecturam, rarissimos illic reperiri adeò novitatibus addictos, ut pingui eas Beneficio præferant: Proinde si Pontifex hodie imitatus Innocentium Primum decerneret ab omnibus ibi Ecclesiasticis obediendum esse Constitutioni *Unigenitus*; illos autem qui determinato tempore non parerent, eo ipso *rejectos & segregatos fore à perceptione immaculatorum Mysteriorum Christi Dei nostri, suâque excidisse dignitate*, & Beneficio, vix quatuor se proderent, Quesnellianis adeò præstigiis infatuatos

ut

ut jacturam facere Beneficii, famæ & Beatitudinis mallent, quàm superbam inflectere cervicem ad obediendum.

Verùm exprimentis apud Mechliniensem Archipræsulem Humbertum frequentissimis didici, fraudem Jansenianis maximè familiarem esse, ad Magistratus Laicos recursum, tentarique illic solitam jurisdictionis civilis cum Ecclesiastica collisionem. Illic planctibus mendacissimis, atque ad circumveniendum studiosè compositis, aliquos sibi norunt conciliare Patronos, unde non leves obices patiatur Ecclesię disciplina, regimen, & cum fide Catholica authoritas Episcoporum.

Quapropter ut novæ hæresi omne occludatur perfugium, necessaria maximè est Sacerdotium inter & Imperium perfectissima consensio, ut Augustissimi pietas & invicta Potentia, Piscatoris tueatur & fulciat perpetuò contra refractarios authoritatem.

Ex eâdem Innocentii primi historiâ discere adversarii debuerant, qui suam adeò buccinant eruditionem, studiumque disciplinæ veteris reducendæ, quàm procul abfuerint Presbyteri olim & Antistites orthodoxi, à Jansenistarum hoc tempore audaciâ, Quesnelli in primis, qui ficto *Abbatis* nomine *Epistolam* typis editam dirigit ad *quemdam Romanę Curiæ Prælatum*. Ubi pag. 30. ita suos cdocet, omnem spernere Romani Pontificis sanctionem, quascunque infligentem transgressoribus censuras, etiam anathematis: *Romani* (inquit) *Sapientiores sunt, quàm ut nos credant terreri sententiâ latæ excommunicationis & Pontifici reservatæ*.

Pag. 4. *QuandoRomanorum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant nisi errores, & quando in formâ legitimâ eos damnant, laudamus & approbamus sententiam; Licet Tribunal agnoscere non possimus*.

Sapientiores enimverò Romani sunt, multiplici præsertim à vobis experientiâ edocti; quàm ut vos credant terreri sententiâ excommunicationis Pontifici reservatæ. Benignius pridem de novâ sectâ, antequam eam satis noscerent, judicium Romani ferre consueverant, quemadmodum & de Quietistis antequam eorum spurcitiæ & sacrilegia in publicum erupissent. Utriusque sectæ Discipuli, Magistri potissimum, singulari pietatis specie illusere plurimis.

Quid sanctius apparuit Michaële Molinos, cùm Sacrificium offerret, horâ integrâ veluti meditationi cœlestium intentus, & quodammodo abreptus? Longè diuturnior fuit, & magis subdola hypocrisis Janseniana, de qua locus magis proprius disserendi occurret Articulo proximo. Errorem annis multis inolitum de Jansenistarum rigore, & sanctimoniâ, detexit post Cardinalem Richelium fictitius Arnaldus, qui ab umbræ Arnaldicæ adoratoribus elicuit occultæ declarationem perfidiæ, & sensus Dogmaticos à Doctrinâ Ecclesiæ & fide Catholicâ aberrantes; sed magis postea Humbertus Mechliniensium Archiepiscopus, dum vigilantiâ & sagacitate mirabili assecutus est Gerberonii, Quesnelli, Brigodei Bruxellis latebras, eosque cum pręcipuo factionis armamentario, immensâ chartarum multitudine intercepit.

Hinc ab eruditissimo ejus tunc temporis Vicario Generali, nunc Brugensium Episcopo composita *Causa Quesnelliana est*, in lucem pertrahens meridianam horrida, quæ latuerunt hactenus iniquitatis mysteria.

Nemo tamen luculentiùs Jansenianam prodidit impietatem, quàm Quesnellus ipse cum suis. Is nempe effracto forinsecus pariete Archiepiscopalis apud Bruxellenses Palatii evadens, atque in Hollandiam profugus, commodissimam ibi nactus fuit typorum copiam, solutusque omni pœnæ formidine, laxavit fræna audaciæ, eo successu, quem pessumdata in plurimis Religio, & turbarissima præsertim in Galliis Ecclesia annis pluribus lugere cogitur.

Poteritne credere posteritas, tantum valuisse homuncionis unius, de fide pessima convicti toties, authoritatem? Vere documentis hodie innumeris, ab ipsâ editis Jansenistarum colluvie, non soli Romani, sed quotquot ubique sive Catholici sunt, sive Hæretici, Quesnellianæ conscii rebellionis, didicere, eundem cum sociis Novatorem, *minimè terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatę*.

Quisquis enim antea deceptus hypocrisi, tangi ipsos Apostolicæ Sedis & emanantium ab ea censurarum reverentiâ ac religione crediderat, errorem facilè deponere potuit, tantâ à Quesnellianis editâ schismaticorum operum multitudine. *Romanorum Pontificum justa esse fulmina*, tunc solummodo contingit, Jansenistarum judicio, quando eorum feriunt adversarios; nunquam autem quando amicos; Quoties enim posterioribus infesta sunt, necesse est fœtus esse inordinatissimæ *passionis*, quibus neque error configitur, neque forma servatur legitima.

Tunc *Romanum Tribunal* describitur *simile Latronum latibulo, ubi insidias struunt miseris Censores*, perniciemque inferunt, *non dato loco aut tempore defensionis*. Attamen, *quando Romanorum Pontificum*, inquit Quesnellus,

nellus, *fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant, nisi errores, & quando in formâ legitimâ eos damnant, laudamus & approbamus sententiam, quanquam Tribunal agnoscere non possumus*. Quis tantumdem non enuntiet schismaticus? Quis adeò perditę fidei & sceleratę conscientiæ Hæresiarcha non idem ultro & promptissimè declaret? Simile nos & quilibet nobiscum Catholicus profitebimur, de lata ab hæreticis vel Paganis sententia.

Cujus autem Quesnellus *agnoscere* unquam *Tribunal* voluit? Non Romanorum Pontificum, ut jam vidimus in citata sæpiùs ejus *Epistolâ*, veluti *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* ibidem pag. 18. *Habemus nos præ aliis hoc singulare, quo nobis bene est, quodque semper retinebimus, quod scilicet in possessione simus, eâdem semper prosequendi semitâ, quidquid opponant Romani Censores & quodcunque Decretum ab illo emanaverit Tribunali*.

Quod sibi suisque Quesnellus asserit *singulare*, reverà singulare maximè est, & hactenus inauditum inter eos, qui se Catholicos profitentur, & cum Romanâ Ecclesiâ communionem affectant; talibus enim ut necesse est, saltem hypocrisi callidâ fallere orthodoxos, ita & opus est simulatione obedientiæ ergà militantis Ecclesiæ visibile Caput.

Quesnellus ipse quando blandiendo decipere voluit Innocentium XII., dedicans ei mendacissimam *Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum defensionem*, eum initio nuncupat *Christianæ unitatis centrum*, & *Christi Vicarium, quem Spiritus Sanctus posuit Catholicæ veritatis assertorem*. Similiter is, quem Arnaldus & Quesnellus, suffragantibus sociorum votis, delegerant totius novi Ordinis *Patrem Subpriorem*, aliquando respondit, se suosque *non alium controversiarum judicem postulare, quàm Apostolicam Sedem*; sub id temporis scilicet, quo scribebat ex Urbe Walonius, Anno 1691, Die 1. Septembris: *Si præsens Pontificatus* (Innocentii XII.) *Quantumcunque miserabilis quoad Regimen et res Dogmaticas, perseveraverit, poterit in Congregatione S. Officii aliquid boni fieri contra Molinismum*.

... Molinismi nomine à Walonio & Jansenistis communissimè intelligi, quidquid hæresi opponitur Baii atque Jansenii, solus ignorat in contentionibus nostris peregrinus. De memorato *Subprioris* responso testimonium teneo authenticum duorum, quorum unus religiosam moderabatur Provinciam, alius ipsum in Regimine præcesserat. Occasionem responso dederat Baro de Prielmeyer qui Serenissimo Bavariæ Electori tunc Belgium gubernanti erat à consiliis intimis. Is nempe eum ad se accedentes conspiceret oppositarum adeò partium viros, non infimæ apud suos notæ, committere eos inter se voluit, sciscitando penes quam dissidentium partem esset veritas. In promptu habuit novi *Ordinis Pater Subprior* respondere confidenter, non alium se testem, non alium Judicem appellare, quàm Romam ipsam suis adversariis minimè suspectam, addens, condemnari illic passim sibi suisque adversantium opuscula, nulla faventium. Respondebant Religiosi, se Romæ castigari ut filios, Jansenistas deseri ferè ut rebelles, utpotè quos Sedes Apostolica tot annis experta fuerit correptionibus non proficere; sed veluti accensâ magis rabie effici deteriores: Aliquas etiam Quietistis oppositas lucubrationes fuisse initio prohibitas, dum occulta Molinosii grassabatur hypocrisis, & sanctitatis velamine obducta impietas eludebat vigilantiam Pontificis, ac Supremorum Fidei Quæsitorum: liberiore interim aura fruebantur subdolæ Molinosii, eique adhærentium institutiones; sed harum postea detectæ fraudes graviorem accersivere sibi suisque authoribus punitionem. Hoc Religiosi isti significavere responso, Jansenianam quoque saniem maturiore aliquando ulcere erupturam, cujus non vanos augures fuisse secutus mox Clemens XI. Pontificatus edocuit, & necdum finis.

Quin & sub Alexandro VIII. non exigua dederant, suæ contra Ecclesiam rebellionis specimina; sed cùm typis tunc pugnare soliti essent non nisi Anonymis ferè, aut Pseudonymis, facilè Catholicis non erat tenebriones pertrahere in lucem: imò verò progressa eò tandem fuerat hypocritarum impudentia, tum Romæ, tum in Belgio, ut suę ignaris perfidiæ persuadere conati sint, infamia adeò opuscula, quæ contra fidem & Rectores Ecclesię volitabant undique, non prodire ab iis qui odioso Jansenistarum nomine vocitantur; sed fœrus esse Jesuiticos, ad conflandam suis adversariis invidiam, fraude suppositos, quemadmodum infantes spurii aliis sæpe quàm parentibus imputantur.

Addebant, non esse dignum laboribus & Majestate Apostolici Tribunalis, distineri operoso examine istiusmodi libellorum, quos nemo dignatur veluti suos agnoscere, à se abdicant universi: nec levis suspiciò est, ab ipsis fabricatos esse adversariis, ab ipsis protrudi & disseminari quaqua versus, maximè in Romanâ Curiâ, & cæterorum Aulis Principum, ut reddant ubique abominabiles Augusti-

gustini Discipulos, quasi authoritatis omnis, civilis pariter & Ecclesiasticæ, contemptores.

Cur Apostolici Tribunalis judicio stare Janseniani nolint, rationem multiplicem illi non dissimulant: Nemo melior interpres sui suorumque quàm Quesnellus ipse. Præcipuam & magis verisimilem ex memorata ejus *Epistola ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, jam retuli; insolitam videlicet, à Sancyrani tempore consuetudinem, & *possessionem* non agnoscendi Judicem suorum Dogmatum, aut Librorum, Apostolicam Sedem; sed *eodem semper incedendi tramite, quamcunque ab illo emanare Tribunali contigerit sanctionem*.

Præter possessionem istiusmodi, aperto schismatico, quàm prætenso Romanæ Ecclesiæ Presbytero dignioerem, plures eâdem *Epistolâ* accumulat ejusdem furfuris rationes, quę serviant adeundę ab initio, stabiliendęque tam exoticæ possessioni, veluti fundamenta.

Pag. 31. *Satis notum est, quàm parum Pontifex conferat ad condenda Decreta, quamque ut multum eò conferat, sit ineptus*. Ita Quesnelli *Epistola* primùm edita anno 1691. occasione Diplomatis Alexandri VIII. contra Propositiones 31., quarum saltèm triginta erant certissimè Jansenistarum.

Eam Quesnelli Epistolam quadriennio ante præcesserat altera, sive ejusdem authoris, sive Arnaldi, saltem ex Bruxellensi eorum latibulo, Jansenistis *la Sainte Famille*: In hac anonymi *cujusdam Ecclesiastici Epistola de mente S. Augustini* statim sine cunctatione pag. 1. dicitur: *Papa in Romana Curia decretis modicam aut nullam penitus habere partem*.

Quales autem adhibere soleat Consultores, enuntiat idem qui suprà, fictitius Abbas Quesnellus pag. 31.: *Maxima pars Cardinalium & Theologorum* [qui ad Censuras Dogmaticas adhibentur] *nihil intelligit*.

Pag. 43. *Censores Romani modicam habent antiquitatis notitiam, imò sæpè ignorant quod in recentioribus Theologis est optimum.*

Non solus scientiæ defectus, Quesnello Judice, causa est tot adversantium veritati Censurarum; sed inquit, vitium non minus in moribus & affectibus Romanorum est, unde ibidem pag. 15. dicuntur, *Censuris suis scopum præfigere* diabolicum, *ut discordiam foveant inter Religiosorum Ordines aliosque Theologos Orthodoxos. Videntur metuere ne nimis eitò oriatur in scholis concordia, atque ita Romanis amplius Censoribus opus non sit. Imò videntur sibi persuadere, non bene concepta fore sua Diplomata, nisi sententias implicuerint triçis novis, quibus ad Tribunal suum recursus reddatur iterum necessarius.*

Alteram vitiorum in Romanis, ut ait, occurrentium Censuris, originem Epistola comminiscitur pag. 39. quod *istius Curiæ Ministri seduci se facilè sinunt factionibus ad condenda istiusmodi Decreta.*

Pag. 1. *Fiunt illa ut plurimum sine debita cognitione causæ & per factionem.*

Unde pag. 39. *Certum est Decreta Civilia magis justa esse, & æquitati conformia, quàm Decreta Curiæ Romanæ*. Hinc luctuosa deducitur consecutio, de qua Quesnellus pro eo, quo erga Apostolicam Sedem fertur, si fas est credere, pietatis affectu; Romam ita censuit commonendam pag. 43. *Censores Romani nocent graviter authoritati S. Sedis tales edendo hujus nomine Censuras, & nisi cautiores fiant, efficient ut in Pontificiam Cathedram, aliunde Catholicis omnibus adeò venerabilem contemptus redundet, similibus debitus Decretis.*

Quem tandem modum prudentia suggerit Quesnelliana ut Apostolicis conciliari valeat authoritas definitionibus? Pag. 19. *Si*, inquit, *Censores Romani vellent suis authoritatem addere Censuris, deberent in iis procedere eo modo, qui servatus est sub Clemente VIII. & Paulo V. in Congregatione de Auxiliis*, in qua post operosa annorum examina & acerrimas utrimque disceptationes definitum nihil; sed utrique partium relicta libertas fuit, suas defendendi sententias intra limites charitatis & modestiæ, absque contumeliâ in adversarios.

Talia Quesnellus novitatum suarum examina percuperet, quæ Apologiarum, interpretationum, cavillorum, fraudum multitudine, non difficile suis foret protrahere in infinitum, atque interim quotidie latiùs exitialis sui venenum diffundere erroris. Verùm Divina assistens Ecclesiæ Providentia, eam docet, probabiles scholasticorum sententias, & nata circa eas dissidia discernere à Novitatibus manifestam præseferentibus perniciem, & hæresim sæpe aliàs damnatam, qualis Janseniana est à pertinacibus Jansenii discipulis Arnaldo potissimum, Gerberonio, de Witte, Quesnello audacissimè resuscitata.

Ad iterandum contra eam anathema, non prolixis examinibus, non molestiis disputationibus opus est; sed brachio potiùs seculari ad coercendam petulantium ingeniorum audaciam, & scripta eorum schismatica rogis infamibus abolenda. Hanc pœnam in variis quidem Tribunalibus etiam non ita pridem experta sunt; Non tamen istiusmodi suppliciis commoveri suos magnopère debere Quesnellus admonet, jubens eos perpetuò memores esse axiomatis sui 96. ad firmandos animos

animos non minùs contra incendia, quàm contra anathemata accommodati: *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*. Nobis ad seriem temporis redeundum est.

C A P U T X.

Propositiones quinque Jansenii à Gallicanis Episcopis submissæ judicio Innocentii X., eoque justissimè confixæ. Hinc frivola Jansenistarum lamenta adversus Potestates *tanquam* veritatis Prædicatoribus contrarias.

ANNO 1649. die primâ Julii Syndicus facultati Theologicæ Parisiensi ad Censuram obtulit quinque Jansenii Propositiones, quæ tanquam hæreticæ dein à Romanis Pontificibus & totâ Ecclesiâ condemnatæ sunt, Quem Syndici actum secuta est quædam Propositionum discussio; sed quantus eam ab initio excepit, turbavitque strepitus Jansenistarum & quædam species seditionis! Arnaldus, ut à multis creditur, aut quisquis author est libri sub nomine Domini de la Motthe, asserit: *Conatum illum esse maximè perversum, maximè injustum, qui in Catholicos Theologos possit incidere.... esse conspirationem toti facultati, & omnibus Galliæ Episcopis injuriam*.

Iterum Arnaldus in *Considerationibus circa molitionem*, ut ait, *Domini Cornet* Syndici: *Non potuit prima è quinque Propositionibus excerpi, & deferri ad Censuram, nisi ab eo, qui Doctrinæ S. Augustini bellum indixerit*. Ita quidem Jansenista denuntiat, ut ab ejus Censurâ deterreat universos. Sed hæc ejus indignatio non impedivit Summos Christi Vicarios, neque ullum hodie retraxit Orthodoxum à vibrando in Propositionem anathemate tanquam *Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam*.

Tunc quidem in Sorbona, licèt pars sanior aliam numero superaret, propter fremitum tamen Jansenistarum concludi nihil pacificè potuit. Neque definiendum sibi aliquid censuere Episcopi, qui ad Comitia Cleri Generalia Parisios convenerant; sed totum deferendum ad Sedem Apostolicam. Concepta igitur est communis ad Innocentium X. Epistola, cui octogintaquinque Episcopi subscripsere.

„ Majores causas [inquiunt] ad Sedem „ Apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ „ mos est, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat, ...

„ Æquissimæ huic legi obsequentes, de „ gravissimo circa Religionem negotio, Sanctitati Suæ scribendum esse censuimus. Decennium est; ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur ob librum posthumum, & Doctrinam Reverendissimi Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi,

„ Tales quidem motus sedari oportebat „ tum Concilii Tridentini authoritate, tum Bullæ illius, quâ Urbanus VIII. fel. mem. adversus Jansenii dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit,

„ Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo Diplomate vindicasti; Sed quia nulli sigillatim Propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, Si, ut precamur, Sanctitas Tua, quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctèque definiat, Obtestamur ergo ut has præsertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, & perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferat.

„ Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: Deest quoque eis gratia, quâ possibilia fiant*.

„ Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*.

„ Tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*.

„ Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam esse talem, cui possit humana voluntas resistere*.

„ Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*.

„ Experta est nuper Beatitudo sua, quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ Capitis errore profligando valuerit authoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium, venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clarâ firmâque de Propositionibus

„ positionum istarum sensu prolatâ sententiâ, „ cui Reverendissimus ipse Jansenius morti „ proximus opus suum subjecit, caliginem „ omnem discutias, animos fluctuantes com„ ponas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituas. Dum „ hæc spes mentibus nostris affulget, Sancti„ tati Suæ multos & prosperos annos, secu„ loque beatissimam æternitatem Rex secu„ lorum immortalis adjiciat, optamus ac „ vovemus. „

Propositionibus quinque ad Sedem Apostolicam à Clero Galliæ sic delatis, profecti Romam sunt è prætensis Augustini discipulis delecti, communi judicio ad causæ suæ defensionem aptissimi, Natalis de Lalane, Tussanus des Marès, Ludovicus de Saint Amour, Nicolaus Manessier, Ludovicus Angran. Verùm, inquit Ægidius de Witte, quid spei esse præclaris istis veritatis Propugnatoribus potuit in illa Curiâ, quæ à veritatis hostibus præoccupata, ne audire quidem loquentes pro Jansenio voluit? Verba Ægidii demus ex *Panegyri* ejus *Jansenianæ*, seu *Prologo* ad eam *Galeata* pag. 25.

„ Malignissimus [contra Jansenium] ru„ mor ita omnes generatim pervaserat, & ita „ in rem quasi judicatam abierat, ut nemo „ pro Jansenii innocentiâ deinceps in Urbe „ hiscere vel mutire auderet; mussitantes.... „ periculum adirent S. Inquisitionis carceres „ suo contubernio cohonestandi. Hæc quo„ que ratio fuit, cur Doctores Parisienses „ ab [aliquot Jansenio faventibus] Episcopis „ pro defensione Augustini ad Sedem Apo„ stolicam Oratores, quantumcunque de Ju„ stitiâ causæ Jansenianæ persuasi essent, eam „ prorsùs intactam, & abdicatam dimise„ rint. „

Pag. 26. " Universa in Jansenium molitio „ solis adversariorum suggestionibus clancu„ lariis acta, promota, ac consummata „ fuit. „

Pag. 28. " Delegerat Innocentius huic „ negotio accurando, ac promovendo Albi„ zium Sancti Officii Assessorem, hominem „ impotentis genii, Jesuitis intimè fœdera„ tum, & Augustino, ac Defensoribus gratiæ „ Salvatoris infestum. „

Pag. 29. " Quid expectandum æquitatis „ ab homine fervidi & fastuosi ingenii, pro„ digiosè prævento, & eò usque in Augusti„ ni protectores, exulcerato, ut laudatissi„ mum Archipræsulem Mechliniensem Jaco„ bum Boonen, dignum esse diceret, qui „ combureretur in areâ D. Petri; quia videli„ cet Constitutioni Urbani VIII. non satis „ promptè, ob rationes solidissimas pa„ ruerat. „

Eluserat is scandalosissimè, quæ iterato sæpiùs acceperat plurium spatio annorum tum ab Urbano VIII. tum ab Innocentio X. mandata: atque ita cæteris Ducem se præbens rebellibus, Bajanam fovebat pertinaciter hæresim à Jansenio resuscitatam. Hâc ratione, non absumi quidem incendio; sed corrigi anathemate, cum Achate suo Episcopo Gandavensi meruit, ut reductis ad officium Pastoribus, oves ab interitu vindicarentur.

Pag. 31. Pergit *Prologus Galeatus*. " Hùc „ accedit, quòd omnes zelosi, qui amore „ patientis veritatis, & iniquarum negotia„ tionum indignitate commoti, pro Jansenio „ loqui vellent, factione potentis Hallerii „ (Doctoris Sorbonici) & phalangis confœ„ deratæ, repulsam passi sint. „

Pag. 32. " Denique ad cumulum infor„ tuniorum pro evertendo Janseniano judi„ cio confluebant enixæ preces tum Impera„ toris, tum Regum Galliæ & Hispaniæ, qui „ ab adversariis excitati, per literas à Pon„ tifice flagitabant disertam condemnatio„ nem istarum Propositionum, velut turbas „ & dissidia ingentia in suis ditionibus inve„ hentium. „

Hæc omnia Ægidius de Witte solitâ suâ confidentiâ, solo nixus mendacissimo Sanctamorei *Diurno*, quod instar quinti Jansenianis Evangelii est, licèt non damnatum solummodo Romæ & Parisiis; sed manu quoque Carnificis Flammis infamibus addictum veluti perniciosis scatens fictionibus, contumeliis, calumniis, atque ad excitandum schisma & fovendam Jansenii hæresim, dolosissimè compositum. Ex illo Ægidius inter cætera didicit, suppositititiam esse Regis Poloniæ Epistolam, quod interrogatus familiariter Reginæ Rex ipse responderit. Quid nempè uspiam arcanum adeò quod Jansenistarum solertia suis non reddiderit exploratum? *Curiones* similes riserat olim Comicus, qui quidquid Junoni Jupiter in aurem dixerit, sciunt, & quæ facta non sunt, sciunt tamen.

Quidquid sit, neque Regem Poloniæ, neque ullum alium sive Regem, sive inferioris ditionis Principem, Jansenianis hactenus favisse novitatibus, ex Historia manifestum est. Contrarios esse omnes illos, quibus nova secta innotuit, ingens Divinæ Ecclesiam gubernantis Providentiæ agnoscitur beneficium; quià non unius animum Principis, Jansenianis fraudibus tentatum fuisse, pridem habuimus compertissimum. Eò spectavit in primis *Mars Gallicus* Jansenij, ut suam Domui Austriacæ contra Gallos, furore sive vero, sive fictitio, probaret fidem.

Late-

Latère tamen sub *Armacani* nomine voluit, ne Christianissimum, & ejus offenderet Administros. Satis Jansenio erat elàm Innotescere Regi Catholico, ut nominationem ab eo emungeret ad Episcopatum. Istud fuisse Protopraesidis in Bruxellensi Curiâ consilium verisimile est, & passim creditur indubitatum.

Ut mille artes aliàs omittam, quibus nova Secta à sui exordio allicere conata est utriusque fori Principes, quibus non blanditiis circumvenire Innocentium XII. Quesnellus studuit inscriptione fallacissima libri *Defensio Romanae Ecclesiae & Summorum Pontificum*? Retuli inde aliàs insigne illius Pontificis Elogium, ut eo fascino offuscati Romanorum oculi non attenderent ad sicarii manum, quae vulnus parabat lethiferum Pontificiae in Alexandro VII. & Innocentio X. authoritati.

Publicam quoque aliàs reddidi Epistolam, qua Alexandri VIII. se applaudere Electioni Novatores in Hollandiâ simularunt; sed ubi innotuit editum ab eo Decretum contra Propositiones 31. & aliud contra quatuor Cleri Gallicani Articulos, tunc diris omnibus devotus Pontifex ab Arnaldo, Quesnello, Walonio fuit, & maximè post obitum *excommunicatus*.

Non multi postea fluxerunt anni, cùm vacaret vicinus Belgio Ecclesiasticus Principatus, ad quem plures ferebantur concurrere magni nominis Candidati. Censuere Janseniani negligendam minimè occasionem devinciendi sibi Serenissimi Principis, cujus Fratrem noverant in numero Candidatorum esse & promotioni proximum. Praecipuus itaque in Bruxellensi Curia partes Agens Jansenistarum, mox Serenissimum adit, offerens illi complurium sibi faventium inter electores suffragia.

Accepta quidem fuit ultronea oblatio; sed mortuo sub idem tempus Aemulo praecipuo, & aliunde Electoribus in eundem propendentibus Candidatum, superflua fuit externa commendatio: neque Janseniani, quod speraverant, utrumque vel alterutrum è Serenissimis Fratribus nacti sunt, suis novitatibus patrociuantem; quin infensissimum experti in omnibus fuere Antistitem: unde gravis in eum efferbuit ira Walonii & detestatio impensae à suis operae ad Electionem. *Pastorem* vocat & *Idolum*, Jansenianae scilicet *veritatis Praedicatoribus contrarium*.

Denique cùm de corrumpendis Catholicis Principibus desperare nova factio videatur, Potestates saltem à fide devias in suum contra Apostolicam Sedem foedus pertrahere molitur. Quot & quàm turpia prodiere à Clero inter Missionarios Batavos Schismatico opuscula adversus Pontificem ejusque Tribunalia, adversus Nuntios, Episcopos, Religiosos, & usitatissima apud Catholicos Christianae pietatis officia! Illic secularium & Heterodoxorum Magistratuum justitia Romanis longè tribunalibus antefertur. O! Si studiosè adeò concepta de Nord-Strandiae Insulâ molitio, tot promota studiis & sumptibus, successisset, quàm ibi prosperè, quàm securè processura fuerat, nullis *Potestatibus contrariis praedicatio veritatis*! Sed cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire. De his forsitan aliàs, exigente ordine temporis, occurret differendi occasio magis propria.

Praesens Tractatio de quinque Jansenii Propositionibus est ad Tribunal Sedis Apostolicae ab ipsâ Galliâ delatis, circa quas praecipua Jansenistarum querela est, *Potestates omnes esse contrarias Praedicatoribus veritatis*.

In *Defensione Ecclesiae Romanae & Summorum Pontificum* Editionis 2. pag. 399. citat Quesnellus scriptum Lucae Waddinghi, unius è Theologis ad examen illud ab Innocentio X. delectis.

In quo sic Waddinghus." Visum est breviter annotare, quae circa Censuram Propositionum Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis hìc in Urbe acta sunt, post institutam à Sanctissimo Domino Innocentio X. Congregationem Cardinalium & Theologorum, propisdem examinandis. Exortis itaque & crescentibus in dies tumultibus in Belgio, inde in Gallia, mox in Polonia, quibusdam acriter invehentibus in doctrinam librumque Jansenii *Augustinus* nuncupatum, aliisque exadverso illum mordicùs defendentibus, venerunt à Lutetia Doctores Sorbonici, causam utrimque prosecuturi, allatisque literis Episcoporum Galliae, etiam in hac re disceptantium, impetrarunt institui Congregationem, in qua deputati sunt Cardinales, Julius Roma Collegii Decanus, Bernardinus Spada, Martinus Ginettus, Dominicus Cecchinus.

„ Mortuo Cardinale Roma substitutus est Cardinalis Fabius Chigius.

„ Consultores destinati Magister Sacri Palatii Vincentius Candidus, Philippus Vicecomes Ordinis Eremitarum S. Augustini, Vincentius à Pretis Commissarius S. Officii, Raphael Aversa Exgeneralis Clericorum Minorum, Hilarion Rancatus Procurator Generalis Ordinis Cistercensis, P. Modestus Procurator Generalis Minorum Conventualium, Ego Fr. Lucas Waddinghus

„ ghus (Historiographus Fratrum Minorum „ Recoll) Nicolaus Ubaldus Exprocurator „ Sommascus, Augustinus Maria Cremonensis Exprocurator Servitarum, Thomas Delbene Theatinus, Marcus Antonius à Carpinedulo Procurator Capucinorum, Sforza Pasavicinus Thelogus Societatis (postea Cardinalis) & Campanella Exprocurator Carmelitarum. „

Examen tenuit annum & medium, post quod edita est Constitutio Innocentii X. anno 1653. pridie Kal. Junii. De qua sic Quesnellus pag. 426. Waddinghum exhibet profitentem. " Tandem sua Sanctitas, longâ, & „ maturâ præmissâ cum Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis discussione, „ Constitutionem edidit, in qua singulas has „ Propositiones variis affectas Censuris condemnat: cujus infallibili determinationi, „ tanquam ex inspiratione Spiritûs Sancti „ procedenti, in omnibus & per omnia parendum est, quod si aliquis ante hanc Definitionem aliter senserit, quibuscunque „ rationibus, vel quorumcunque Doctorum „ authoritati innixus, nunc captivare debet „ intellectum in obsequium fidei, sicut suadet „ Apostolus.

„ Id ipsum ego toto corde me facere profiteor, omnesque illas Propositiones supradictas in omnibus & singulis sensibus, quibus eas condemnatas voluit Sanctissimus „ Innocentius X. condemno & anathematizo; quantumvis ante hanc Definitionem in „ aliquibus sensibus eas sustineri posse judicaverim, sicut in supradictis meis votis explicavi. „

Audienda hìc modò est in Catholicam Religiosi hujus Palinodiam perfida Quesnelli *observatio* pag. 427. " Hoc ipsum est (inquit) „ obedientiæ ac submissionis genus, quod „ S. Augustini discipuli, aliique Catholici „ omnes semper exhibuêre Pontificiis Constitutionibus, *Profitentes se omnes illas* „ *Propositiones supradictas in omnibus & singulis sensibus, quibus eas condemnatas voluit Sanctissimus Innocentius, condemnare* „ *& anathematizare*.

„ Quod autem addit Waddinghus, *Quantumvis ante hanc Definitionem in aliquibus sensibus eas sustineri posse judicaverim,* „ *sicut in supra scriptis meis votis explicavi*; „ Cave ita interpreteris, ut gratiæ per se efficacis sensum, quem in illis quinque Propositionibus defendit ille ante definitionem, idem post definitionem reprobandum putet, ac reipsa reprobet. Aliud enim, „ verò est, *quinque Propositiones in aliquo* „ *sensu*; *aliud aliquem sensum Propositionum* „ *defendere*.

„ Istud licet ac semper licuit: illud post „ definitionem non licet.

„ Multò plures in hanc Waddinghi relationem animadversiones concinnare opus „ fortè fuisset, nisi jam illas omnes præoccupasset insignis Theologus, qui anno 1657. „ publicæ luci dedit *Tredecim Theologorum* „ *ad examinandas quinque Propositiones ab* „ *Innocentio X. selectorum suffragia, seu, ut* „ *appellant, vota Summo Pontifici scripto* „ *tradita*. Quæ ille & præfatus est, & animadvertit in ista suffragia, eadem in hunc „ locum translata puta, tantoque uberiorem „ ex ista relatione fructum sperare liceat, „ quanto & plura & explicatiora, & majoris „ momenti Congregationis illius puncta, circumstantiasque in lucem profert, quàm „ nuda illa suffragia. Quod igitur Theologus ille in ipso limine præstabat, hoc longè „ potiori ratione spondere possum, quod ex „ ista Relatione *verus Constitutionis sensus* „ *innotescit & ad optatam inter Catholicos* „ *Theologos pacem stabiliendam via facilis* „ *aperitur*. „

Non est verisimile, quòd Quesnellus hæc scribens ignoraverit Decretum Alexandri VII. datum 6. Septembris anno 1657. prohibens ac damnans octodecim Epistolas Blasii Paschalis sub nomine *Ludovici Montaltii*, vulgò dictas *Provinciales*, ubi post indicem singularum, ac dein Operum aliquot Antonii Arnaldi ita subjungitur; " Et quia circumferuntur quædam folia impressa anno 1657. „ quorum titulus est: *Tredecim Theologorum* „ *ad examinandas quinque Propositiones ab* „ *Innocentio X. selectorum suffragia, seu ut* „ *appellant, vota Summo Pontifici scripto* „ *tradita*, Eadem Sanctitas præsenti hoc Decreto, illa prohibet, & declarat, ac decernit, iis tanquam apocryphis nullam fidem „ esse adhibendam, nec a quoquam allegari posse vel debere. „

Verùm, ut suprà vidimus, & hìc nova experientia confirmat, prohibitionibus istiusmodi minimè terretur Schismatica Quesnelli temeritas, cui statutum fixumque pridem fuit, *retinere fortiter possessionem, eâdem semper progrediendi semitâ, quodcunque Decretum à Romano emanare Tribunali contigerit*: Et quidem *magis sapere Romanos credimus* (inquit Quesnellus) *quàm ut existiment nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*; *Quanquam enim Pontificum fulmina laudamus, quando justa sunt, Tribunal tamen agnoscere haud possumus*. Hæc omnia & plura istiusmodi declarantem conspeximus Quesnellum in *Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*.

Un-

Unde, inquies, accidit ut tam varius, & quodammodo oppositus scribendi modus, ab eodem proveniat authore? singularem enim in *defensione Ecclesiæ Romanæ* affectat modestiam & blandiendem subinde Pontifici hypocrisim; intolerabilem autem impudentiam pandit in *Epistola*.

Discriminis ratio in promptu est: In priori Opere ut Sedem Apostolicam hypocrita, quasi Catholicus circumveniret, *defensionem* simulans *Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum*, necessariò præseferendam duxit eorum reverentiam. In *Epistola* verò cùm vellicandum susciperet Alexandri VIII. Pontificis Decretum Dogmaticum, subruenda non minùs necessariò erat primæ Sedis authoritas.

Neque se publicè prodendum credidit, veluti *Epistolæ*, & similium librorum Christianis omnibus execrabilium, authorem, quemadmodum non refugiebat innotescere, veluti *Defensor Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum*. Sed intercepto cum authore & duobus rebellionis sociis, Archivo eorum præcipuo, inter plurima iniquitatis mysteria, detegitur Quesnellus tam scriptor *Epistolæ* infamis, & spiritu plenæ schismatico, quàm subdolæ Defensionis.

Utra autem lucubratio sit Fidelium animis perniciosior, non facilè dixero: quin, ut metuendæ magis sapientibus apparent insidiæ blandientis inimici, quàm vis aperta ferocientis, exitialem magis arbitror Quesnelli perfidam *pro Ecclesiâ & Pontificibus apologiam*, quàm apertè schismaticam impugnationem. Discutienda hic paulisper est, quam egregius iste *Defensor Ecclesiæ & pontificum*, in religiosam Waddinghi Palinodiam suo intexit operi *Observationem*.

Quod initio Quesnellus ait, *Hoc ipsum esse obedientiæ ac submissionis genus, quod S. Augustini Discipuli, atque Catholici omnes semper exhibuere Pontificiis Constitutionibus, profitentes se omnes illas Propositiones supradictas in omnibus & singulis sensibus, quibus eas condemnatas voluit Sanctissimus Innocentius, condemnare & anathematizare*; tot inter, quibus liber ejus scatet, mendacia, istud unum in significatione obviâ verum dicit; quamvis & ipsum in Assertoris sensu deprehendatur mendacissimum. Verum, inquam, est *ipsum esse obedientiæ, & submissionis genus, quod S. Augustini Discipuli, aliique Catholici omnes semper exhibuere Pontificiis Constitutionibus*.

Sed à quo tempore Quesnellus è numero *Discipulorum S. Augustini, & omnium Catholicorum* excludere se voluit, vel Arnaldum, Gerberonium, de Witte, & similes sibi non Dogmaticis solùm; sed rebellione etiam contra Sedem Apostolicam conjunctissimos? Innumeris toto præsenti opere speciminibus palàm reddidi exploratissimum, qualis fuerit eorum erga Constitutiones Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. *obedientia atque submissio*; apertus scilicet Constitutionum despectus, & inverecunda vellicatio, qualis in nullius hactenus Catholici, & vix in declarati ante Lutherum hæretici, lucubrationibus reperiatur. De sanctionibus Pontificum recentioribus sequentur etiam non pauca, occasionem suggerente Quesnelli Articulo 96. contra quem hæc mea, servato ferè temporis ordine, procedit dissertatio.

Interim verbo tantùm indico, totum personare orbem Catholicum, quin & Provincias & Regna hæretica libellis infamibus Quesnelli & similium, *Discipulorum*, ut ab ipsis prætenditur, S. Augustini. Libellis talibus contineri *submissionem & obedientiam* erga Constitutionem UNIGENITUS, nemo, vel inter hæreticos tam impudens est, qui affirmet; sed omnes, sive Jansenii, sive Lutheri, & Calvini asseclæ æquè ac Catholici in istud necesse est conveniant, ut fateantur, non potuisse Constitutionem illam apertiùs, clamosiùs, vehementiùs oppugnari.

Quoties Gazettæ Hollandicæ memoravere Galliæ tumultus, omnia illic in ipsa Regni Metropoli ad seditionem esse disposita, eruptura in publicum; si *obedientia* erga Constitutionem UNIGENITUS urgeatur? Quàm benevolos & obsequentes sibi Jansenianí in Hollandia habeant novorum istiusmodi scriptores, notum est non in sola Batavia; sed finitimis etiam Provinciis: unde in Gallia necessarium aliquibus visum fuit *supplementi* nomine, continuum opponere veneno antidotum.

Sed nunc Quesnelli *observatio* accuratiùs examinanda est; quia in ejus compositione nihil artis, nihil fallaciæ prætermissum: voluit nempe sensum Jansenii, eumque certissimè hæreticum, in quinque Propositionibus, summâ defendere pertinaciâ. Hùc omnis ejus in exquisitissimâ *observatione* collimavit industria.

Aliud enim verò est (inquit) *Quinque Propositiones in aliquo sensu, aliud aliquem sensum Propositionum defendere. Istud licet, ac semper licuit: illud post definitionem non licet.*

Non quilibet statim lector intelliget, quid tam acuta sibi velit Distinctio; istud scilicet quod *Summi Pontificis Constitutio, cui assensit Orbis Christianus*, hanc sibi postulet reverentiam, ut *quinque Propositiones* iisdem,

qui-

quibus in Diplomate Pontificio vocibus exprimuntur, non defendantur in posterum; liceritt tamen Waddingho, etiam Constitutione editâ, omnem Propositionum sensum, quem ante sustinuerat, retinere; similiter & liceat hodie universis, quemlibet Propositionum sensum à Jansenio ejusque Sectatoribus traditum, fovere animo ac instillare cœteris.

In hoc igitur eximia Quesnelli religio sita est, in hoc terminatur, quod à Propositionibus illis vocabulis abstineat, retentis earum sensibus, de quibus inter Theologos lis erat, & Sedes Apostolica à Gallicanis Episcopis consulebatur. Propter inanes itaque & abstractos à significationibus verborum sonos, delecti ab utrâque contendentium parte in Galliis Theologi, tantis Romam profecti sumptibus sunt, tantis illic studiis & laboribus incubuerunt: tam *longa & matura*, qualem Waddinghus memorat, *præmittenda fuit* à Sanctissimo *cum Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis* discussio, ut solum verborum corticem feriret anathema. His circumscribitur limitibus, si Quesnello creditur, inculcata à Waddingho *Pontificis Determinatio infallibilis, cui tanquam ex inspiratione Spiritûs Sancti procedenti, in omnibus & per omnia parendum est*.

Si autem istud non est scelerate ludere in rebus sanctissimis, & illudere simplicitati Fidelium cum dispendio fidei ac salutis, quid tandem erit? *Captivare* nos *intellectum in obsequium fidei*, docet post Apostolum Waddinghus, *omnesque illas* (inquit) *Propositiones in omnibus & singulis sensibus, quibus eas condemnatas voluit Sanctissimus Innocentius X. condemno & anathematizo, quantumvis ante hanc Definitionem in aliquibus sensibus eas sustineri posse judicaverim*.

Cùm igitur eò progressa fuerit Quesnelli inverecundia, ut non puduerit eum in facie Ecclesiæ, quasi de se suisque, affirmare, quod *hoc ipsum sit obedientiæ & submissionis genus, quod S. Augustini Discipuli, aliique Catholici omnes semper exhibuere Pontificiis Constitutionibus*; Postulo à quocunque Quesnelli Discipulo, vel Defensore, unam aliquam indicari Constitutionem, inter tam multas quæ à Baji tempore, in hanc usque diem contra illum, vel Jansenium, vel contra alterutrius prodierint Sectatores; Postulo, inquam ex eis indicari vel unam, quam Quesnellus aut adhærentes ei Theologi susceperint obedientiâ & Submissione simili Waddinghianæ: ego in me recipio apertissimam mendacii quoad Constitutiones singulas convictionem.

Intereà cùm de Bulla Innocentii X. hic potissimùm sermo sit, ipsumque Quesnellum teneamus, solitâ suâ ovantem confidentiâ, operæ pretium videbitur, si dimissis tantisper cæteris, mendacem hunc ejus triumphum subvertero. Edisserat nobis igitur, quinam fuit *illi sensus*, in quibus *omnibus & singulis* Waddinghi palinodiam imitetur, & Propositionibus quinque dicat anathema? *Sensus*, inquies, illi *omnes & Singuli sunt, in quibus eas condemnatas voluit Sanctissimus Innocentius*.

Quæro ulteriùs, num inter omnes sensus illos non sit aliquis Jansenii prout in ejus libro exprimitur?

Nequaquam, ait Quesnellus in *Notis circa Epistolam Steyaertis* pag. 17. *Adeò non persuadetur, sensum ab Authore* (Jansenio) *intentum, hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in eo non esse Catholicum*; proinde condemnatum nihil.

Turpissimum itaque Quesnelli mendacium est, & perniciosissimum Ecclesiæ, cùm ad eam fallendam, asserit, quod Propositiones à Galliæ Episcopis Innocentio denuntiatæ non fuerint in sensu Jansenii seu ejus libri; quod tamen ex eorum Epistolâ manifestum est, ubi dicitur, *Decennium esse, ex quo vehementissimis turbis Gallia commovetur ob librum posthumum & DoctrinamCornelii Jansenii; & tales quidem turbas sedari opportuisse authoritate Bullæ illius, quâ Urbanus VIII. adversus Jansenii Dogmata pronuntiavit, sed quia nulli sigillatim Propositioni certa Censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speravimus si, ut precamur S. T. Quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctèque definiat.*

Obtestamur ergo ut has præsertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, S. T. expendat, & perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferat ..... Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clarâ firmâque de Propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ, cui ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremque restituas.

Sensum itaque Janseniani voluminis quinque illis Propositionibus comprehensum nostri hic adversarii condemnent, & pax erit, depulsam ab eorum mentibus caliginem gaudebimus, animos fluctantes compositos, redditamque Ecclesiæ cum splendore pristino tranquilitatem gratulabimur.

Sed minimè consentit Quesnellianorum per-

pertinacia, femper jubens nos credere, Pontificem à Janfenii & voluminis ejus fenfu in quinque Dogmatum Cenfura præfcindere voluiffe. Nonne proinde ridiculi, vel potiùs deteftabiles, & fuâ obcæcati malitiâ apparent iftiufmodi interpretes ineptiffimi Pontificiæ Conftitutionis, quafi poft diuturna adeò & operofa examina, Supremum Ecclefiæ oraculum refpondeat de fenfu prorfus alio, quàm de quo fuerit à tot Epifcopis interpellatum; ut falfa numina, dum fuam non cupiunt profiteri ignorantiam, ambiguis, & à mente interrogantium alienis refponfionibus decipiunt confulentes?

Voluiffe autem Innocentium non præfcindere à Janfeniani Operis fenfu; fed hunc ipfum anathemate ferire, evidens eft, non tantum ex Epiftolâ Epifcoporum de eo difertè fenfu Pontificem interrogantium, fed etiam ex clariffimâ, & repetitâ fæpius ipfius Pontificis declaratione. Conftitutionis in primis exordium eft: *Cum occafione impreffionis libri, cui titulus Auguftinus Cornelii Janfenii Epifcopi Iprenfis, inter alias ejus opiniones orta fuerit præfertim in Galliis controverfia fuper quinque ex illis.* Sanctionis Epilogus eft: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem fuper prædictis quinque Propofitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janfenii.*

Hæc Innocentii Conftitutio mox ut in lucem prodiit, ingenti fuit Catholicis folatio, fperantibus novam hærefim in ipfis præfocandam incunabulis, rediturámque Ecclefiæ expetitam tantopere à Galliæ Epifcopis *tranquillitatem*.

Ita vifum initio fuerat, quando fufpenfi Ianfenianorum animi, in quam partem fe flecterent, deliberabant; apertamne fcilicet proderent rebellionem, ut antea Lutherus, Calvinus & alii Ecclefiæ jugum penitus excutientes, an verò fimulatâ obedientiâ definitionem eluderent, eam detorquendo in fenfum iftiufmodi, qui fuis ac Janfenii Dogmatibus non officeret. Prius quidem expeditius videbatur, & convenientius candori; Sed non levibus aliunde expofitum incommodis.

Tunc enim non folùm Pontificis, & totius Romanæ Curiæ; fed omnium quoque ei adhærentium Antiftitum, ipfiufque Regis Chriftianiffimi & cæterorum Principum Orthodoxorum, Senatuum, & univerfi populi indignationem odiumque fe incurfuros, ignorare non poterant, nullius hactenus feu Principis, feu Reipublicæ muniti præfidio. Sic omnibus renuntiandum effet Beneficiis, Officiis, Sacrorumque Ordinum inter Catholicos exercitio, ac fufceptioni.

Quapropter tutius confilium videbatur eorum, qui profitentes verbotenus obedientiam, qualibufcunque definitionem interpretationibus convellerent, feu redderent prorfus inutilem. Ita fidem fubterraneis quodammodo cuniculis fubvertere fuadebat hæretica prudentia fecurius, quam aperto marte hoftilibus eam telis impetere. Afferendum igitur mox fibi confidentiffimè ftatuerunt, nomen quidem Janfenii in Bulla Pontificis confpici; Sed præter, imò contra mentem Sanctiffimi, cui fatis fuerit quinque Articulos profcribere, ut malè fonant in eorum auribus, qui fenfum in iis concipiunt Calvino vel Luthero proprium: quem nullus fuftinet in Ecclefiâ Theologus.

Hoc artificio falva, & à Vaticani fulmine intacta remanferit Doctrina Janfenii, ejufque voluminis univerfa. Perniciofiffimum hoc mendacium, mox Apoftolica Sedes deftruendum, contrariâ cenfuit declaratione. Edita ea eft anno 1654. die 23. Aprilis Feria V. ut fequitur,

„ In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerfalis Inquifitionis, habitâ in Palatio Apoftolico Montis Quirinalis coram Sanctiffimo Domino noftro Innocentio Divinâ Providentiâ Papa X, ac Eminentifsimis & Reverendifsimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalibus in Univerfâ Republicâ Chriftianâ contra hæreticam pravitatem Inquifitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apoftolica fpecialiter deputatis, „ *Sanctiffimus Dominus Nofter Innocentius Papa X. poft condemnatam fuâ Conftitutione editâ pridie Kalendas Junii anni Incarnationis Dominicæ 1653. in quinque Propofitionibus Auguftini Cornelii Janfenii Epifcopi Iprenfis Doctrinam, ne occafione Doctrinæ prædictæ in mentes Chriftifidelium aliquod dubium, vel error irrepat, eundem Auguftinum Corneli Janfenii iteratò unà cum aliis infrafcriptis libris prohibet & damnat* &c.

Tunc fequitur longa feries operum à Janfenii vindicibus confcriptorum, quæ eâdem Innocentii Sanctione condemnantur. Inter ea funt etiam aliqua Calviniftarum, qui veluti in communi cum Janfenianis causâ, fuum noluere ftudium defiderari.

Præcipuè iftud fibi officii incumbere ratus eft Joannes de Labadie, qui Ambiani Janfenifmum antea profeffus, ex eo ita profecerat; ut inde Montalbanum fecedens, ubi liberum tunc erat Calvinifmi exercitum, ejufdem Præco Evangelii factus fit, adeò non vulgaris, ut novæ hærefios conditor evafe-

ferit, dictæ in Hollandia *Labadistarum*.

Damnatur hic ejus Epistola ad suos nuper in Jansenismo socios Ambianenses, quâ illos invitat ad similes eis, quos ipse in Augustinianâ Doctrinâ fecerit progressus.

In eodem Pontificis Decreto proscripta legitur *Samuelis Maresii* (Calvinistæ) *Apologia novissima pro S. Augustino, Jansenio & Jansenistis contra Pontificem & Jesuitas Groeningæ anno* 1654. Post recensitas longo ordine vindicias pro Jansenio, quas omnes prohiberi & condemnari Decretum initio asserit, in fine comprehendi eâdem Censurâ dicuntur *item omnes & quicunque libri, libelli Epistolæ, tam impressi, quàm manuscripti, seu in posterum edendi & publicandi, in quibus Doctrina Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis in prædictis quinque Propositionibus damnata approbatur.*

Toties repetita à Pontifice Doctrinæ Jansenii in quinque Propositionibus condemnatio, collyrium oculis Jansenistarum præsentissimum foret, nisi suam ipsi nimiùm diligerent, obstinatione fatuâ, cæcitatem. De hac ita conquesti fuerunt cum Cardinale Julio Mazarino & sex Archiepiscopis Congregati Parisiis Episcopi supra triginta anno 1654. 28. Martii communi Epistolâ ad Innocentium X. exaratâ:

E veteri fidei deposito, eujus custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est, partem adimere (Janseniani) *tentant, Decreti Apostolici majestatem ad fictas controversias dirimendas turpiter dejicendo. Quinque etenim Propositiones Decreto illo proscriptas, damnare se quoque profitentur; sed alio planè sensu, quàm à Jansenio traditus & explicatus est, ad quem Propositiones illas nullatenus pertinere, constantissimè asserunt. Hac arte restaurandis disputationibus iisdem sibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.*

Quare ut his incommodis præverteretur, & Constitutioni authoritas sua constaret, atque sincera ejus executio sequeretur, nos in hac Urbe Parisiensi congregati censuimus, & per Epistolam Encyclicam his literis adjunctam declaravimus, Propositiones illas, & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii à Sanctitate vestra damnatas disertis & manifestis verbis.

Quam enim author ille usurpatione privatâ novam Doctrinam sub specie veteris inducebat, necessum fuit, ut Apostolica Sedes Judicio lato ex publicâ & antiquâ Ecclesiæ traditione refelleret, ne Christianæ fidei Doctrina, pravis ab illo scriptore ad testimonia veterum Patrum, quos laudat, adhibitis interpretationibus obrueretur; nihil quippe aliud egit Constitutione suâ Innocentius X, quàm ut authoritatis suæ præsidio antiquam fidem muniret, non dicendo nova; sed dicendo novè (ut ajebat Vincentius Lirinensis in Commonitorio) juxta receptas in scholis Theologiæ locutiones, quibus Jansenius quoque utitur.

Eo pacto Beatitudo vestra liquidò explicuit atque confirmavit regulam fidei de gratia & libero arbitrio, quam ex parte prius assertam adversus Manichæos, quod attinet ad arbitrii libertatem, postea Decessores vestri Innocentius I. & Zozimus cooperantibus Africanorum Conciliorum literis, contra Pelagianos plenè constabiliverant: quamque dein Cœlestinus I, ac Concilium Arausicanum, juxta Capitula à Sede Apostolicâ transmissa, & Superiore Seculo Tridentinum, solicitè atque diligenter enucleatam definiverant. Quapropter & Constitutionem Ordine Canonico latam, atque genuino in sensu intellectam, quem literæ istæ patefaciunt, devotissimo obsequio nos suscipere testamur; Præterea verò daturos operam profitemur, ne quis curæ nostræ subditus, impunè contraria vestris Definitionibus docere, scribere aut loqui præsumat, pœnis in hæreticos à jure decretis, alioquin à nobis statim puniendus.

Ex qua concordi omnium sententiâ, subscriptionibus nostris firmatâ Beatitudo vestra facilè intelliget &c.

Respondit benignè Pontifex die 29. Septembris ejusdem anni 1654. Ita scribens Cardinalibus, Archiepiscopis & Episcopis Cleri Gallicani Congregatis in Comitiis generalibus:

Ex literis, quas à vobis die 28. Martii proximè elapsi ad nos datas accepimus, jucundum sanè accidit, probari nobis luculentiùs vestræ pietatis zelum in iis partibus obeundis, quas nos omnibus Pastoralis officii Administris injunximus, ut, quâ par est obedientiâ, ubique servari enixè curent Constitutionem nostram, qua 31. Maii anni 1653. damnavimus in quinque Propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam, ejus libro contentam, cui titulus Augustinus.

Potestne adhuc à rationis compote revocari in dubium, quin Innocentius X. in quinque Propositionibus Doctrinam reprobaverit Jansenii? Unde frivola nimiùm est suspicio, quasi nesciente Pontifice, Jansenii nomen insertum à S. Officii Assessore Albizio fuerit constitutioni Innocentii, quemadmodum Jansenistæ de Bulla finxerant Urbaniana.

Corruit hinc etiam frequentissima Quesnelli aliorumque Jansenistarum cavillatio de

non lecto Romæ, non examinato Jansenii volumine; Patet enim ex ipsis quæ referunt Theologorum suffragiis, non de Propositionibus solummodo secundum se; sed etiam in sensu Jansenii intellectis fuisse latam sententiam.

Fatetur Quesnellus *non nullos è Consultoribus de Jansenii sensu disseruisse, suisque eum vexasse Censuris*; sed istud eos ait præstitisse *injussos*: Oppositum veriùs colligimus ex iteratis toties à Pontifice declarationibus de Jansenii Doctrinâ in quinque Propositionibus à se condemnatâ, de quâ luculentius mox videbimus testimonium Alexandri VII, qui ab Innocentio X. adhibitus fuerat ad totius causæ accuratissimam discussionem.

Sed ne Urbani quidem VIII. tempore librum fuisse legitimè examinatum, vociferantur hodiedum refractarii; licèt Constitutio in *Eminenti* afferat: *Cum ex diligenti & matura ejusdem libri, cui titulus Augustinus, lectione postmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex Propositionibus olim damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo & authoritatis dictæ sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi.*

Verùm quid tanto opus circuitu? Theologi ab Innocentio X. constituti non nisi tredecim erant, quos facilè contempserit Quesnellus, denuntians publicè in *Epistolâ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 19. *Non adeò fatui sumus, ut agnoscamus arbitros & judices fidei nostræ duodecim circiter Theologos, qui sæpe non aliâ instructi sunt scientiâ, quam lectione aliquot scholasticorum, & quorum plerique pleni ideis Scholasticis, sese statuunt Judices Conciliorum & Patrum quos nunquam legerunt.*

Ibidem pag. 31. *Maxima pars Cardinalium & Theologorum (qui ad Censuras Dogmaticas adhibentur) nihil intelligit.*

Alius Arnaldi Discipulus & adorator Ægidius de Witte in Panegyrcos Jansenianæ Prologo Galeato pag. 30. De quinque Propositionum examine & judicio ait: *Factum vidit Roma, ut quorum plerique, Sancti Augustini scripta nec à limine salutaverant ac multi ne vel prima principia, vel ipsos terminos rei, de qua tractabatur intelligebant, Judicium tulerint de re gravissimâ; ex solis Augustini, cujus relatorem agebat Jansenius, operibus ac sententiis decidendâ.*

Istud familiare hæreticis est, & fuit semper, judices suos accusare inscitiæ, cœcitatis, negligentiæ in examinando. Fuit ne unquam judicium in Ecclesiâ gravius & omni ex parte æquius Nicæno, quod Concilium ex trecentis octodecim Patribus compositum, instar Evangelii à Fidelibus semper habitum est? Nihilominùs de Sabino Historico Macedonianæ hæreseos labe cont. minato legitur apud Socratem lib. 1: cap. 6. quod *eos, qui Nicææ coacti erant, imperitos & inscios vocet.*

Author Apologiæ pro Petro Abailardo contra S. Bernardum, ipsumque Pontificem, *Renuntiavit*, inquit, *Apostolico Bernardus, & statim à Romanâ Sede literæ damnationis venerunt .... Damnatur aureum os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hospitium Trinitatis .... Isti clausis oculis palpant negotium, & quasi oculati rerum cognitores, arcu iniquitatis intento, toxicum subitò jaculantur.*

LutheranamDoctrinam proscripserat Facultas Theologica Parisiensis; verùm sententiæ cui fam juxta Melanchtonem, præbuerat Augustinianæ ignorantia Doctrinæ. Quandonam enim hæretici suo judicio desinent esse Augustinianis Dogmatibus imbutissimi; nos autem in iis miserè hospites?

Audiatur ejus præcipuè contra Decretum Sorbonicum Apologia: *ô Theologos*, inquit, *ô Sorbonam! Sinite, quæso, impetrari à vobis, ut Augustinum, non dico, relegatis; sed inspiciatis tantùm; nam errorem vestrum nulla pagina est, quæ non arguat ... Nihil sic miror, atque in totâ Sorbonicâ Facultate neminem fuisse, cui sententia de gratiâ necessitatem imponente comperta fuerit.*

Erasmus quantumlibet Luthero in multis consentiens, tamen pro libro arbitrio obiecerat authoritatem seculorum omnium, Sanctorum Martyrum, Episcoporum, Pontificum, Conciliorum, etiam Academiarum, cui Lutherus lib. de Servo Arbitrio respondet, se tanto in caput suum depluente authoritatis diluvio, non quidem leviter commoveri; non tamen dejici à sententiâ; quia, inquiebat, *Augustinus, quem præteris, totus meus est*. Falsissimè id quidem; at, si viveret modò, à nomine facilè refutandus esset in eo, quod de Quesnello diceret: *Jansenistarum omnium, Augustinum ad ravim inclamantium, Coryphæus, quem præteris totus meus est*: Quod enim *Arbitrium* Lutherus *Servum*, Quesnellus quidem *liberum* vocat; Quantum autem in novo systemate differat à Lutherano, velim a quibuscumque contra Constitutionem *unigenitus* hoc tempore *Appellantibus* demonstrari.

Quesnellum vidimus *in Romanæ Ecclesiæ* Traditione de Gratiâ Tomo 3. pag. 152. dicentem: *Super materiâ de Gratia non est* amplius solidum dissidium Calvinistas inter & Catholicos; subintellige quales Quesnelliani

liani sunt: Simile posset Quesnellus asserere de Lutheranis. At, sicut a Calvinista *Jurio* audiit libro *de Spiritu Arnaldi*, inanissimum esse Arnaldi eique adhærentium triumphum; quasi ad se converterint à fide Ecclesiæ devios; *verum est*, inquit Jurius, *Jansenistas in materiâ de gratiâ ad nos penitus accessisse*; responsum expectare posset non dissimile à Lutheranis.

Quemadmodum autem Quesnellus cum suis sectatoribus conqueritur, *omnes Potestates esse contrarias Prædicatoribus veritatis*, non minor ubique personuit Calvinistarum & Lutheranorum querimonia de persecutione, quam in ipsis prætensa veritas patiebatur, non solùm à Pontifice, à Romanâ Curia & Episcopis; sed etiam ab Imperatore à Regibus, & Principibus seculi Orthodoxis. De qualicunque etiam sibi Quesnellus blandiatur victoriâ, non magis *Divinæ gratiæ* adscribenda est, quàm Lutherana qualibet, aut Calviniana, adde etiam, si lubet, Turcica.

CAPUT XI.

Ægidius de Witte, aliàs Candidus, *obtentu frivolo* Augustinianæ veritatis, *temerarius hæresios contra Innocentium X. Propugnator.*

IN perniciosis Ecclesiæ novæ lucubrationibus, quibus omnis hoc tempore Christiana regio personat & turbatur, vix aliud odivi magis, quàm simulationem perfidam, & exquisitissimam hypocrisim. Quid in Jansenianorum, *se discipulos Augustini* profitentium, Apologiis occurrit frequentiùs, quàm rejicere se ultro, & damnare attributas quinque Jansenio Propositiones; admittere, amplecti, defendere Innocentii X. Constitutionem? Nullum isto promptius illis mendacium est, quo circumvenire quærunt, non rude solummodò vulgus, & muliebre genus credulum, sed viros etiam Principes, Episcopos, & aliquos ordinis forsitan Eminentioris.

Hac arte persuadere cupiunt, nullos esse novæ sectæ hæreticos, in unam se suosque cum Pontificibus convenire fidem: Quod autem Jansenismi, & Jansenistarum nomine appellatur, spectrum esse inane, terrendis quidem pueris & simplicibus idoneum; Sed quod ubique & qualicunque inquisitum diligentiâ, nuspiam inveniatur, nisi in aberrante *Phantasia Jesuitarum*.

In eandem fallaciam secta non convenit *Candidorum*, qui alterius ordinis Jansenistæ sunt, & apertæ præ cæteris professionis, Secta hæc priorem, quæ, ut dixi, hypocritarum est, de fraudibus accusat, & publicis subindè scriptionibus lacessit. Sic vidimus Gabrielem Gerberon sibi aliàs è Lovaniensibus conjunctissimos increpantem; quod cùm sibi Dogmatibus consentirent, à Sede Apostolica condemnatis, simularent in omnibus obedientiam, nihil in proscriptis suis opinionibus immutantes. Sed eò Politicos adegit necessitas quædam, ne à Beneficiis arcerentur & officiis, ingenti novæ Ecclesiæ detrimento. Cæterum inter sectam utramque de fide, ut dixi, convenit & dogmatibus. Ægidii de Witte, *Candidum pectus deosculor*, inquit Andreas Schurius, inter suos scriptor stylo elegans, ad Jansenistas Candidos accedens propius, quàm politicos. Posterioribus suæ dimissis perfidiæ, *Candidorum* Principem audiamus; etsi ex affectu erga Jansenium propensissimo excæcatus, vix rarius falli soleat in historiâ, quàm Doctrinâ.

Authorem is publicè declarat se *Panegyreos Jansenianæ, Augustini Iprensis vindicati, & Apologiæ novæ pro Sacrosanctâ Doctrina Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi*.

In *vindiciis* par. 2. cap. 7. de Innocentii X. contra quinque Propositiones sententiâ credere nos jubet, quod " Nullas omninò in „ toto illo judicio Jansenianò partes habue„ rit Catholica Dei Ecclesia; sed sola Moli„ niana cum suis deceptoribus & deceptis „ animosa factio, quæ Pelagiis artificiis in„ structa affatim, calumniis potens, Impera„ toriâ ac Regali potestate in suam causam „ pertractâ, &, quam pertrahere non potue„ runt, pertractam mentita, Ecclesiastico „ Tribunali indignissimâ infidelitate obre„ psit, & ab eo avulsit judicium, à spiritu „ Ecclesiæ omnimodè alienum, & cum regu„ lis per illam ad rectè judicandum conditis, „ disertè pugnans.

„ Nunquam certè Ecclesiæ Dei Catholicæ „ mos fuit, aut erit, ut damnet, aut profli„ get acerbissimè Propositiones, ut minimum „ æquè orthodoxæ fidei, atque errori pro„ pinquas, & nullâ quidem veri falsive sen„ sûs discretione factâ, præsertim si plures „ Excellentes Episcopi, aliique celebratissi„ mi per ditionem Christianam Theologi, di„ scretionem illam, ut summè necessariam, „ instanter rogent; si defectu illius tota „ Christiana Respublica dissidiis collidatur: „ si Presbyteri ab Episcopis, & Episcopi in„ ter se in alleganda Propositionum significa„ tione discordent; si Theologi de illâ du„ riùs & diu certent; quin & Laici fideles in „ invicem, propter obscuritatem istius con„ troversiæ, gravissimis accusationibus, con-

vitiis,

„ vitiis, dicteriis, sarcamisque deseviant.

„ Similiter nunquam Ecclesiæ Dei Catholicæ mos fuit, aut erit, ut quando vir ornatissimus, & omni virtute, dignitate, meritoque præstaus, propter hæresim in jus vocatur, Judicii Præfectus vetet Patronos pro accusato loqui: ut quærat in causâ de quâ agitur, corruptos & cum accusatoribus colludentes arbitros: ut præficiat negotio tam momentoso homines obnoxios, ac palàm inidoneos & imperitos: ut clam scripturas occultas ad judicandum ab una parte recipiant, parte inauditâ alterâ: quæ omnia, & alia his similia jam sæpius demonstrata sunt, in Janseniano negotio ac judicio contigisse.

„ Universa hæc igitur machinatio aliquorum duntaxat malè Sancto Augustino cupientium Theologorum, & quorumdam Romanorum Pontificum, variis fraudulentiis circumventorum, & causæ viscera intima haudquaquam intelligentium, molitio & opus fuit: qui postremi importunitate factionis lassati, & compendium aliquod suæ authoritati (cùm viderent Rege puero præoccupato, excipiendæ Bullæ Pontificiæ ambabus manibus alacres ac promptas Gallias) corradere gestientes, teterrimo judicio, &, quo vix ullum odiosius historia suggerit, imprudenter per Jansenii latus, ipsa excellentissimi Aurelii Augustini dogmata censuris amarissimis confoderunt.„

Hactenus Ægidius compendio exhibens quidquid alibi cum ipse, tum alii prolixioribus solent deducere pro Jansenio Apologiis. Quantumlibet autem in hoc Scriptore candor placeat, minimè tamen toleranda est opinionum in eo perversitas, obcæcatio pertinax, indoles vehemens & temeraria, nullius reverens Potestatis, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis, ac ne Academiæ quidem suæ Lovaniensis, ut solo tandem carcere reprimenda ejus audacia videretur.

Sed hunc ille sibi prospiciens Mechliniæ ab Humberto Archiepiscopo destinari, maluit, abdicato Collegiatæ Ecclesiæ Decanatu & Pastoratu, se inde recipere; cumque nec in Patriâ suâ Gandavensi posset securus consistere, neque in ullo sineretur loco Catholico disseminare scripta sua contumeliosissima, & apertè adeò Jansenianam spirantia hæresim, superesse sibi asylum aliud non censuit, quàm in Batavorum Acatholicâ ditione. Ut autem in ejus declamationibus præfidentiæ quidem plurimum, at nihil solidæ rationis est, cumulatas hìc ab eo objectiones refellere facillimum est.

Quod dicitur de solâ Molinistarum contra Jansenium machinatione, non aliâ nititur, quàm Sanctamorei Jansenistæ famosissimi, in damnata & rogis infamibus traditâ relatione. Nempè octoginta quinque Galliæ Episcopi, qui Propositionibus quinque Jansenianis Censuram Pontificiam efflagitaverant, & numerus longè plurium Sorbonicorum qui iisdem Propositionibus adversati sunt, quid aliud, definiente Ægidio, esse poterant, quàm *Moliniana cum suis deceptoribus & deceptis animosa factio?*

Sic quoque judicio Petri Hollen, aliàs *Gratiani*, Ægidio conjunctissimi, Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, meum opus fuit, & molitionis, fraudibus instructissimæ effectus. Ego Eminentissimum Ferrarium, ex Sacro Prædicatorum Ordine Cardinalem, quem, ut aliàs testatus sum, neque voce, neque scripto unquam fueram allocutus; decepi tamen, & ejus operâ Clementem XI. Pontificem. Quid plura? Ego *Serpens ille sum qui in Paradiso seduxi Evam, & per hanc Adamum.* Quid igitur miri adeò quod Innocentio XI. *Gratiani* Prodromus Eugenius de Gelder in *voce ultima Zelatricis Innocentiæ*, ostendendum assumpserit, omnia, quæ in mundo sunt, mala, Jesuitis tanquam authoribus attribuenda?

Quando Propositiones quinque Jansenii, Innocentio X. Pontifice, examini subjectæ sunt, neminem è suis habuit societas Cardinalem, neminem in Sancto Officio Consultorem, inter Theologos tredecim è variis Ordinibus ad examen illud à Pontifice electos unicus è Societate fuit Sforzia Palavicinus, quem Quesnellus in *Defensione Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum* refert Propositionibus faventem potiùs, quàm adversantem.

Atque ea quidem, quæ Quesnellus exhibet, & à Jansenistis decantantur communitèr, *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum suffragia, seu ut appellant, vota Summo Ptntifici scripto tradita*, Alexander VII. decreto anni 1657. 6. Septembris *prohibet & declarat, ac decernit iis, tanquam apocryphis, nullam fidem esse adhibendam, nec à quoquam allegari posse vel debere*; Sed ut Pontificiis Janseniani pridem se exemerunt legibus, suffragia illa omnibus obtrudere, & fidem, quasi indubitatam facientia, asserere non cessant. Contra ipsos autem eatenus faciunt adversarios, volentes eum Ægidio persuadere, quod *nullas in toto contra Jansenium judicio partes habuerit Ecclesia; sed sola Moliniana cum suis deceptoribus & deceptis animosa factio.*

Cur tota adversus Propositiones illas moli-

molitio debuit Molinistarum esse, aut ab iis deceptorum, si aliorum Ordinum, etiam Molinæ vehementiùs oppositorum, dogmata Jansenianis directissimè contraria sint, ideoque Ægidii judicio non toleranda? Quisquis in superioris utriusque seculi controversiis de Auxiliis Divinæ gratiæ peregrinus non est, novit, Thomistarum celeberrimos, atque in primis Didacum Alvarez, Molinianis Dogmatibus fuisse infensissimos, neque tales, qui à suis se adversariis paterentur in similibus decipi: in quo autem à Magistrorum vestigiis videmus hactenus discipulos recessisse?

Iidem abhorrent maximè à Jansenismo, ut minimè appareat, cur in toto contra Jansenii Articulos judicio soli partes habere debuerint Moliniani, aut nimiùm eis creduli, & decepti. Nihilominus veluti stolidâ à Jesuitis involutos fallaciâ, & cum eis contra Jansenium conspirantes nequit Ægidii indignatio præterire. Audiamus itaque ridiculum istud & in somniantium Jansenistarum phantasia fabricatum, inter scholas adeò dissidentes *monopolium*.

Eodem capite Ægidius Annatum inducit interrogantem. " Usquamne Jansenius invenerit, affirmare Thomistas, Dei mandata in aliquo vero, & proprio sensu esse peccantibus impossibilia? Poteritne ostendere, ubi, & quando negaverint dari veram, internam, ac supernaturalem ex Christi meritis gratiam sufficientem ad proximè agendum, & tamen vitio hominum sterilem? Poteritne invenire, ubi dixerint, stare libertatem merendo & demerendo necessariam sine proximâ & immediata agendi & non agendi indifferentia? Poteritne invenire, ubi concesserint, liberum arbitrium efficaci gratiâ præmotum non posse potentiâ proximâ & immediatâ dissentire? Poteritne invenire, ubi sic explicuerint Dei & Christi voluntatem circa æternam hominum salutem, ut ea solos spectaverit Prædestinatos, negataque fuisse reprobis omnibus auxilia necessaria, vel ut possent ad fidem & charitatem pervenire, vel ut possent, cùm jam pervenissent, perseverare? "

Relatis hisce ex Annato interrogationibus, hanc suam promit Ægidius animadversionem. " Reverà complura ex miserabili illo Didaco Alvarez adducit [Annatus] absurdissimæ locutionis exempla: quæ, licèt in Scriptore isto non nihil ex adjunctis mitescant, vehementissimè tamen in viro Catholico reprobanda sunt, velut introitum apertissimum dantia Pelagiano errori, & Sanctis Ecclesiæ Patribus, qui de Pelagio triumpharunt, non tantùm incognita; sed prorsus inimica, & è diametro repugnantia. "

" En tibi specimen aliquod cordate lector; *Si de reipsa loquamur, nullus Catholicus dubitare potest de Divina gratia divisione in sufficientem & efficacem. Secundum Concilium Tridentinum datur gratia sufficiens, qua potest homo servare omnia mandata Divina. Si non daretur gratia verè sufficiens, non posset illis, qui non convertuntur, imputari ad culpam quod non converterentur, nec adimplerent Divina mandata, & consequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis, & sine causâ illos increparet. Datur auxilium supernaturale intrinsecum necessarium ad implenda præcepta, & ab omnibus recipitur omne auxilium illud, saltem pro loco & tempore, quo præceptum obligat. Etiamsi non sit in voluntate gratia efficax prædeterminans ad conversionem; nihilominus per auxilium gratiæ sufficientis, habet eadem voluntas potentiam proximam, & facultatem expeditam, quâ possit converti.* "

Tum Ægidius:" Nonne hæc bellè prorsus consentiunt Augustino? Profectò si tolerabiles fiant in Ecclesiâ Dei tales, & plures hisce similes Alvaresii istius locutiones, universa Augustini adversus peccati originalis & Divinę gratiæ inimicos trophæa, ab imis fundamentis ad summa usque fastigia subruuntur, ac prorsus necesse est, Fideles juxta communem dictionum istarum intelligentiam, pedetentim à verâ majorum fide discedere, in laqueos Molinianos intricari, ac demùm Pelagiano toxico infelicitèr à capite ad talos perungi.

" Hanc certè egregiam gloriam ac laudem fœdo Molinothomistico illi Dominicanorum cum Jesuitis Patribus monopolio debemus tribuere, per illius artes effectum esse, ut ambiguis illis verborum præstigiis seducti, aut fascinati Judices, & Consultores Romani .... abierint in luctuosam illam Propositionum damnationem, nullâ sensuum rectorum, aut pravorum distinctione adjectâ, adeoque Ecclesiam jam per quatuordecim lustra miserandis dissidiis sciderint, & horrendis conflictationibus conquassarint. Sic utique natum est evenire, dum receditur à Patrum, qui hæreticos suâ ætate compresserunt, consecratâ per Ecclesiam linguâ, & novis scholaribus næniis, in dies per otiosa ingenia emergentibus, atque invalescentibus præbentur aures. "

Imò tuorum, Ægidi in fide lapsuum, tot incursorum à te anathematum (utinam non æter-

æternorum!) occafio creditur, quod fcholafticis indocilem te præbueris inftitutis, nullo, aut levifsimo fundamento, immenfæ fabricam celfitudinis extruere nimiâ temeritate præfumens; quod natandi imperitus, profundifsimo Auguftinianorum operum Oceano te immergere aufus fis.

Veteres, inquis, abfque doctrinæ fcholafticæ præfidio è fcriptura & Patribus fidem Ecclefiæ haufferunt & tranfcripfere Pofteris.

Ita quidem, at fcholafticæ tunc defectum fupplevit aliorum eruditio Magiftrorum, fupplevit humilitas & fanctitas difcentium, fine quâ lapfus funeftifsimos confpicere ac lugere Ecclefia in pluribus coacta eft. Procellofo mari & fcopulis horrido navim committere, abfque Directore, & plena dare ventis carbafa fine gubernaculo, temeritas indubiè exitialis eft.

In iftiusmodi dementiam ab ipfo Theologiæ tirocinio Ægidium propulit indocilis arrogantia, qua fupra, imò contra omnes fe erigens Magiftros, damnare criminis aufus eft, quod in fufceptione gradûs Academici, ex præfcripto Majorum, præftatur ab omnibus juramentum obedientiæ erga Pii V., Gregorii XIII., Innocentii X., Alexandri VII. Conftitutiones, quibus Baii & Janfenii dogmata profligantur; proinde maluit, relictâ præpropere Academiâ, omni inglorius renuntiare gradui, quàm fe probè Catholicum ufitatâ formulâ profiteri.

Magis futile eft quod de inito Dominicanos inter & Jefuitas comminifcitur *in doctrinâ de Auxiliis Monopolio*. Cui temeratius fperare potuit, fe id credibile redditurum? Antipodibus fcilicet, aut rudioribus quibufdam, & omnis controverfiæ ignaris.

Longè magis verifimile, & minùs honorificum Ægidio ac cæteris Janfenianis eft, quod ab aliis recentiùs dicitur, ipforum cum feparatis ab Ecclefiâ hoftibus *monopolium*, non in Bataviâ folùm; fed etiam in Angliâ.

Nos ab Ægidio, nullâ redditâ contumeliæ ratione, appellari confidentifsimè Pelagianos, non miramur; quandoquidem & Tridentini Patres eamdem fubierint illatam ab ejus Præcurforibus, Lutheri atque Calvini commilitonibus calumniam. Neque Alvarefius, neque Thomiftæ cæteri ægriùs ferent, fuas, quas cum fcholis paffim omnibus tradere folent fententias, Pelagianis adfcribi ab Ægidio & ejus fociis, quorum in Ecclefiâ authoritas non multò major eft, quàm quorum dicuntur fœdus in vicinis Belgio Provinciis affectare.

Diffimulari quoque à me facilè poffent, quæ contra Innocentii X. de quinque Propofitionibus judicium objiciuntur, quandoquidem ipfius Cardinalis Noallii, ut fæpiùs retuli, teftimonio ad Clementem XI. dato conftet, ejufdem Eminentifsimi Archiepifcopi, & reliqui Galliarum Cleri in Comitiis Generalibus anno 1705. congregati fententiam fuiffe, quod *Pontificiis, adverfus Janfenium Conftitutionibus nihil defit ut univerfam Ecclefiam obligent, & cir ca illas nec appellationem admitti poffe, nec mutationem expectari*: Non inutile tamen erit præcipua accufationis capita paulò diftinctiùs refutari.

Conqueritur Adverfarius, *profligari acerbiffimè Propofitiones ut minimum æquè orthodoxæ fidei atque errori propinquas, & nulla quidem veri falfivè fenfûs difcretione facta.*

Nos autem contendimus, ex quinque Propofitionibus, quatuor primas, nonnifi unicum habere fenfum proprium, & obvium, eumque non folummodò propinquum effe errori; fed falfum penitus, & hæreticum, quemadmodum à Sede Apoftolicâ declaratur. Quòd autem fenfus, qui Pontificibus & omnibus Chrifti-fidelibus hæreticus eft, appareat Adverfario Catholicus, five ut loquitur, *Orthodoxæ fidei* Articulus, non miramur, quia talis apparuit Janfenio, cujus fententiæ paffim Ægidio Oraculis proximæ funt, licèt de hærefi, à Catholicis Scriptoribus convictiffimæ.

Senfum primis quatuor Propofitionibus, nonnifi unicum effe proprium & obvium, docet ipfa nos Profefsio libelli fupplicis à Janfeniftarum Oratoribus Innocentio X. oblati, prout ab ipfo refertur Ægidio in Panegyri Janfeniana pag. 105. & fequentibus, quibus exhibere fe Pontifici afferunt *Breviffimam quinque Propofitionum in fenfus varios diftinctionem*. Senfus illos ut fupra latiùs expofui, tribus difpertiunt columnis. In primâ ponitur *fenfus*, qui Oratorum judicio eft *hæreticus*, *& Propofitionibus malignè affingi poffet, fed quem legitimè fumptæ non habent*. In fecundâ columnâ eft *fenfus prout à nobis* (Oratoribus) *intelligitur ac defenditur*. Senfus ille ab iifdem Oratoribus vocatur *verus, germanus, legitimus*. In tertiâ columnâ funt *Propofitiones* oblatis ad Cenfuram Propofitionibus *contrariæ ut ab adverfariis* [Janfenii] *defenduntur*.

Nunc arbitrum non refugio quemcunque five Theologum, five fermonis latini non penitus ignarum, ut in illâ à Janfenianis Oratoribus ftudiosè adeò excogitatâ variorum fenfuum diftinctione quærat, & enumeret varios illos Propofitionum fenfus, propter quos illæ dicendæ effent *æquivocæ*, &, nifi Cenfura fenfus diftingueret, ipfa redderetur ambigua.

Evi-

Evidens est sensum primæ columnæ non esse Propositionibus *verum*, *legitimum*, *germanum*; quomodo enim talis sit, quem constet nonnisi *malignè affingi illis posse; sed quem legitimè sumptæ non habeant?* Minùs etiam sensus tertiæ columnæ, *Propositionibus proprius* est, cum sit illis *contrarius*. Lucidissimæ igitur veritatis est, sensum damnatis Jansenii assertionibus proprium, esse unicum, proindè easdem minimè esse æquivocas, neque in earum Censuris necessariam fuisse sensuum distinctionem.

Dixi de *Propositionibus saltem primis quatuor*; propterea quod in quinta, prout à Galliarum Episcopis denuntiata fuerat, Sedes Apostolica majoris quidpiam luminis desiderans, supplendum censuerit defectum, additâ à se distinctione.

Propositio scilicet denuntiata habet: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, ubi cùm non satis exprimatur mors Christi & passio pro solorum beatitudine Electorum, qui tamen etiam sensus Jansenii est, hunc specialibus dignum notis statuit Pontifex, non in tenebris reliquendum.

Sic itaque Propositionem Sanctissimus suâ exposuit definitione: *Falsam*, *temerariam*, *scandalosam*: *& intellectam eo sensu*, *ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit*, *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *Divinæ pietati derogantem*, *& hæreticam declaramus*, *& uti talem damnamus*. In hac ipsâ distinctione aliquid tenebrarum à Jansenianis fingitur: Jansenius, inquiunt, & nos cum eo, agnoscimus *non pro salute duntaxat Prædestinatorum* mortuum esse Christum; cùm etiam pro justitiâ temporaneâ justorum non perseverantium se Patri obtulerit. Quis enim nesciat, quidquid nobis supernaturalium obvenit gratiarum, fuisse Christi meritis procuratum?

Verùm cavillationis ineptia mox patescit, sive Innocentii verba consideres, sive Gallicanorum Antistitum, & Sorbonicorum denuntiationem, sive Constitutiones geminas Alexandri VII. sive juramenti formulam ab eodem Pontifice præscriptam.

Sic enim Innocentius X. *Cùm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopis Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem Propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unâquâque earum certam & perspicuam ferremus sententiam.*

Non fuisse ullam tunc temporis inter Theologos in Gallia controversiam, an Christus Passionis suæ meritis obtinuerit aliquibus reprobis, temporaneæ gratiam justificationis, certissimum est penes omnes; hæresis enim Calvinistarum, justitiam fingens amitti nesciam, illi propria est Sectæ, ab omnibus consensu unanimi explosa Catholicis; at obvenire omnibus salutem, quibus eam Christus promeritus est, specialis error fuit, & hæresis Jansenii, à quibusdam Semi-Calvinismus non incongruè appellata.

Hæc luctuosâ Ecclesiæ calamitate complures illicò nacta suffragatores, plurimos offendit adversantes, neque dissidentium animos componere satis potuit authoritas Sorbonæ, vel Congregatorum in Comitiis Antistitum.

Quarè prudentia dictavit & necessitas, Sedem Apostolicam Christianorum omnium Matrem ac Magistram, communibus Regis atque Episcoporum precibus consulendam.

Verba Gallicanorum Antistitum, ut supra vidimus, clarissima sunt, quibus judicium Pontificis exposcunt de Propositionibus eo tempore inter Theologos disceptatis, & quidem contentione utrimque ardentissimâ. *Decennium est*, inquiunt in communi Epistolâ, *ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur*, *ob Librum posthumum*, *& Doctrinam Reverendissimi Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi* ..... *Quamobrem flagitamus Beatissime Pater*, *ut clarâ firmâque de Propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ*, *cui Reverendissimus ipse Jansen ut morti proximus*, *opus suum subjecit*, *calignem omnem discutias*, *animos fluctuantes componas*, *dissidia prohibeas*, *Ecclesiæ tranquillitatem*, *splendoremque restituas*.

De sensu illo, quem Pontificia Constitutio, juxta Adversarios, in Propositione quintâ, hæresios damnasset, non solùm nulla *acrior*; sed nulla prorsus contentio inter Theologos fuit: ob sensum illum adeò non *turbis vehementissimis* toto *decennio Gallia commota est*; ut ne quidem unâ die, vel horâ, in ullo Galliæ angulo, turbarum, commotionis, murmuris fuerit vel minimum.

Quapropter ridiculos se Galliarum Episcopi reddidissent, si tanto molimine, tam pathetice, Regiâ etiam Majestate interpositâ rogassent Pontificem, ut circa Propositionis illius sensum *calignem omnem discuteret*, ubi meridiano omnia fulgerent lumine; ut *fluctuantes animos componeret*, ubi fluctuare neminem vel dubitare foret compertissimum; ut *dissidia prohiberet* merè fictitia, ut *tranquillitatem redderet*, ubi summa conspiceretur malacia.

Hæc omnia, ut à sanæ mentis judicio sunt alienissima, omnis pariter Lector sapiens indubiè judicabit, adversarios exponere se ipsos risui, si adeò stolidi sint, ut non videant, vel detestationi, si contra veritatem agnitam, talia fingant ad circumveniendos simplices, seque in hæresi obsirmandos.

Plura, ut facilè possem, ex geminis Alexandri VII. Constitutionibus, & juramenti ab eodem præscripti Formulâ deducere supervacaneum foret, quando ex tot patentissimum est argumentis, Pontificio feriri anathemate & impietatis, blasphemiæ, hæresios Censuris, Propositionem Jansenii quintam, *intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum*, & non aliorum, *mortuus sit*.

Hunc fuisse Antistitis illius sensum, liquet ex lib. 3. de gratiâ Christi cap. 21. dum ait: *Quibusdam hominibus dare prædestinavit Deus fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos esse prædestinatos, electos, & salvandos dicimus .... Pro istis in æternum vivificandis mortuus est, pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum, non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur.*

Ibid. *Quæ sanè cùm in Augustini Doctrina perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro Justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, Patrem orasse sentiatur .... Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit.*

Quæ Jansenii sententia ab eo tam disertè, tam dilucidè enuntiata, Romanorum Pontificum, atque post eos omnium Catholicorum judicio est certissimè *impia, blasphema contumeliosa, Divinæ pietati derogans, & hæretica*.

Inter has autem notas, nullam esse, quæ non æquissimè à Pontificibus illata sit, paratus sum ex Divinis Oraculis, Conciliis, Patribus demonstrare, quandocumque adversariis libitum fuerit Janseniani à me exhibiti sensûs suscipere patrocinium. Intercà habent in præsenti opere sufficientia, quibus se occupent refutandis, cùm eandem à Quesnello sententiam, locis pluribus resuscitatam, à me non paucioribus confossam telis, remissamque ad inferos, reperiant.

De prioribus etiam quatuor hæreticis Jansenii *Propositionibus*, quod ab Ægidio de Witte sine probatione asseritur, *eas ut minimùm aquè Orthodoxa fidei, atque errori esse propinquas*, ut propterà justè damnari non potuerint, *nulla veri falsive sensus factâ discretione*, prorsus frivolum est; quia, ut ex ipsâ solemnissimâ Jansenistarum apud Innocentium X. declaratione superiùs ostendi, Propositiones illæ sensum non nisi unum, proprium & obvium præseferunt, quem universa meritò condemnat Ecclesia, pro suis minimè agnoscens imposterum Filiis, qui cum Quesnello, Ægidio & similibus eumdem perrexerint obstinatiùs propugnare.

Nullum itaque ex ignorantia sensûs prohibiti in Christianâ Republicâ dissidium, nulla turbatio est; sed quidquid accidit molestiæ, forinsecus infertur à novorum pertinacia hæreticorum, qui percussum anathemate sensum, à se maximè cognitum, retinere mordicus volunt, nullâ futuri unquam declaratione contenti, nisi quæ sensum Jansenii, & Quesnelli hæreticum, omni eximeret damnatione.

Declarationem istiusmodi sola potest hæreticorum malesana præsumptio, & temeritas expetere, nulla hominis Catholicè sentientis expectare sapientia. Probis peritisque Tgeologis nulla potest esse contentio de Jansenianorum dogmatum significatione & intelligentiâ; sed omnis Catholicos inter & Jansenianos discordia est, quod ubi pars utraque perspectissimam habet Propositionum significationem obviam, Catholica Damnari hæreticam facilè patiatur, Janseniana eam modis omnibus velit ab anathemate vindicare; nihil in hunc finem prætermittens artis subdolæ, quam cum à Catholicis detegi, elidi, destrui conspexerit, ringitur, atque ad clamores confugit, & contumelias contra omnes genus hominum, summas etiam Potestates.

Hæ scilicet universæ captivam detinent in injustitia veritatem adeò ut misera magis hodie sit fidelium conditio, quàm luctuosissimis olim Ecclesiæ temporibus, quando hæc persecutionem patiens à Tyrannis, non caruit *Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, quique suo non defuere muneri, ut commissos sibi populos in veritate fidei confirmarent; nunc autem neque in Episcopis, neque in ullis Ecclesiæ Præsidibus aliquod nobis fidei, aut veritatis præsidium est, siquidem juxta Quesnellum *Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*. Qui judicio contra Propositiones quinque præfuit Innocentius X. Jansenium in pace & unione Ecclesiæ defunctum, meritò vetare potuit *in jus vocari propter hæresim*, cum ab eo crimine immunis fuerit, quantolibet errore lapsus, utpote sententias suas omnes Vicario Christi hu-

humillimè submittens, atque anathemate configens, quidquid eo dignum Pontifex judicarit.

Ea Jansenii Declaratio effecerit,ut Apostolica Sedes in toto adversus quinque Dogmata processu,nullam haberi voluerit de persona mortui Antistitis mentionem.

Quod ad Ecclesiæ institutionem conduceret, unicè examinari voluit, & authoritate Apostolicâ definiri: uum scilicet liber, de cujus utilitate vel pernicie tam vehemens inter Theologos tum in Belgio tum in Galliis exarserat disceptatio, innoxius reverà esset, orthodoxæ fidei, & sanæ Doctrinæ consentaneus; an verò erroribus scatens, etiam impiis & hæreticis; ut proinde ejus lectio Fidelibus absque gravi animarum discrimine permitti promiscuè posse, minimè videretur. Quod itaque de Jansenii persona agi Innocentius noluerit, benignitatis Pontificiæ fuit, non malevolentiæ argumentum.

Calumnia gravior, & minùs digna Presbytero, præterquam schismatico est, cum dicitur Christis Vicarius *quæsivisse* studio *arbitros corruptos, & cum accusatoribus colludentes, præfecisse negotio tam momentoso homines obnoxios, ac palam inidoneos & imperitos.*

Omnes hæresi contrarios judices, aut iniquos esse, aut ignorantes, & ferendæ sententiæ nequaquam idoneos, vetus hæreticorum nænia est, neque minùs stolida sui suorumque supra Doctores Catholicos elatio. Ut nempè superbia passim hæresum mater est, nutrix eadem communissimè cernitur, quemadmodum Pater & Institutor Diabolus, fraudum atque mendaciorum in omni genere peritissimus artifex.

Superest audiendum, quod ab ipso sibi ibidem opponitur adversario: " At objiciet „ fortasse quis; Ipsa jam Ecclesia Catholica „ universa, quidquid olim apud Romanos „ Pontifices perversè actum fuerit, sive non, „ quinque Propositionum, ut jacent, sive in „ sensu quem præseferunt, naturali & obvio „ planissimam approbat damnationem.

„ Id enim verò accuratè dispiciamus; „ qnia, ut video, insignes, à pietate atque „ eruditione commendatos viros hæc futilis „ conceptio occupat.

„ *Ecclesia*, ait Augustinus, *est populus fidelis per universum orbem dispersus*, sive „ collectio aut convocatio hominum, in ejusdem veræ fidei professione, atque eorumdem Sacramentorum communione sub suis „ comparatè Pastoribus adunatorum. Ut igitur eniteścat, quid Ecclesia illa Catholica „ in rebus fidei approbet, vel condamnet, „ indagandum erit, quæ & quanta illius pars „ in approbatione vel condemnatione illius „ articuli, de quo quæritur aut disputatur, „ unanimis & concors sit. Nam si in articuli aut pronuntiati alicujus proscriptionem „ Ecclesia universa concinat, vel quæ dissentit pars, nullius in illa sit nominis, di- „ cendus rectè erit talis articulus,ab Ecclesiâ „ Catholicâ profligatus. „ Ita *Candidus, Jansenistarum* minùs simulantium Coryphæus.

Hinc Lector indubiè redditur intelligendi avidus, quomodo hoc suo Ægidius Laqueo se expediturus sit. Initium ducendum judicat à describendo quinque Propositionum sensu obvio, in quo accusatæ à Denuntiatoribus fuerint, & à Romanis Judicibus condemnatæ. Hunc exhibet & probat ex " Annato, qui (inquit) me judice, quinque litigiosarum Propositionum sensum, certè „ & magis obvium,& ab utroque Augustino „ verè traditum,nativo penicillo delineavit.

„ *Hic sensus est*(inquit Annatus) *quem suggerunt illi, qui Censuram urgent: Nempe quòd Dei præcepta ita sint transgredientibus impossibilia, ut eorum nemo habeat proximam & expeditam ad servandum potentiam:*

„ *Quòd talis sit omnis actualis gratia Christi interior, ut nemo unquam habeat proximam & expeditam ad suspendendum ejus effectum potestatem:*

„ *Quod talis sit status voluntatis in naturâ corruptâ, ut dum benè agit, careat proximâ & expeditâ non agendi benè potentiâ, & vicissim dum malè agit:*

„ *Quòd Semipelagiani in eo tantum errarent circa gratiam Christi, quod putarent esse in voluntate proximam & expeditam dissentiendi potentiam:*

„ *Denique quod Deus ita se gerat cum reprobis, ut qui nunquam recipiunt fidem aut charitatem, nunquam etiam habeant proximam & expeditam recipiendi potentiam: qui receptam amittunt, non habeant proximam & expeditam retinendi.*

„ Hic est sensus Jansenianus: hic suggeritur Romanis Judicibus, ut videant quan- „ tum distet ab hæretico, quantum Catholi- „ co sit conformis.

Relatâ hac Annati sententiâ, convertitur Ægidius Candidus ad suos in novâ Ecclesiâ sodales, dicens." Fratres sancti, vocatio- „ nis cœlestis participes, Augustini intrepi- „ dos discipulos alloquor, *Demus gloriam Deo*: mittamus ambages, renuntiemus ca- „ villis: nonne ista, quam hic ex Annato re- „ fero, sine ullâ controversiâ, prorsus ipsis- „ sima est Jansenii Iprensis, atque Augustini „ Hipponensis Doctrina? Quæ si à Romanis „ Judicibus profligata sit quod quidem oppi- „ do

„ dò est verisimilius, ne moremur annuere, „ sicut veritas examinata persuadet, ab istis „ miseris Judicibus, Doctorem Ecclesiæ Magnum Aurelium (Augustinum) sub Jansenii nomine, ignominiosæ quæstioni subditum, & sub larvâ Calviniani aut Lutherani „ Dogmatis turpissimè condemnatum. „

Ita Ægidius, cui quoad priorem partem facilè consentio, asserenti scilicet quam ex Annati judicio retulit, *Doctrinam esse ipsissimam Jansenii Iprensis*, ab hujus adversariis in Tribunali Apostolico accusatam, damnatamque à Christi Vicario. Quod autem ideò Innocentium X. & assistentes ei tum Eminentissimos Cardinales, tum eruditissimos Consultores, aliosque præcipuos variorum Ordinum Doctores, vocet *miseros Judices*, nihil ab instituto suo & hæreticorum passim omnium impudentiâ alienum facit.

Exemplum hujus & documentum accipere potuit à Quesnello, qui in Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum pag. 31. ait: *Maxima pars Cardinalium & Teologorum* (quæ ad ferendum de Propositionibus judicium adhibentur) *nihil intelligit*.

Ibid. pag. 43. *Romani præjudicant authoritati S. Sedis, quando Censuras istiusmodi edunt ejus nomine, & nisi cautiores fiant, efficient ut in S. Sedem, aliunde Catholicis omnibus adeò venerabilem, redundet contemptus, qui Decretis talibus debetur*, quale juxta Quesnellum est, quo ab Ecclesiæ finibus Alexander VIII. arcet Articulos 31. tanquam *erroneos, Schismaticos, hæreticos*, & aliis respectivè non levibus Censuris.

An non istud insigniter nugari est, in eodem opere, quo S. Sedis authoritas tam scurriliter proteritur, eandem occinere *Fidelibus tantoperè venerandam*?

Regulam nobis ab Ægidio superiùs præscriptam vidimus ad dignoscendum, *quid Ecclesia Catholica in rebus fidei approbet vel condemnet. Indagandum* (inquit) *quæ & quanta illius pars in approbatione vel condemnatione illius Articuli, de quo quæritur aut disputatur, unanimis & concors sit. Nam si in Articuli aut pronuntiati alicujus proscriptionem Ecclesia universa concinat, vel quæ dissentit pars, nullius in illâ sit nominis, dicendus rectè erit talis Articulus ab Ecclesiâ profligatus*.

Nos modò ex Ægidio quærimus, nullinsne in Ecclesiâ nominis fuerint tot olim Episcopi faventes Ario, Nestorio, Pelagio, eorumque recusantes subscribere condemnationi? Pluresne & majoris nominis reperiet Ægidius Innocentianæ contra quinque Jansenii Dogmata contrarios Difinitioni? Jansenii quidem authoritas penes Novatorem hunc multis prævalet; sed & ipse Pontificio se suumque librum judicio submisit sæpius, notumque id fieri omnibus voluit publicis Testamenti tabulis consignans.

Qua propter Ægidianam contra Pontifices rebellionem & pertinaciam damnat ipse Jansenius.

Sed & si contumax fuisset, diceremus cum Tertulliano lib. de Præscriptionibus cap. 1. *Quid etiam si Episcopus .... lapsus à regula fuerit? Ideò hæreses videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Quatuor Episcopos, quos historia Janseniana memorat refractarios, nulla fermè celebrat eruditionis fama, posterisque satis superque notos reddidit obstinatio, cum detestabili, & minimè dignâ Christianis, ne dum Episcopis perfidiâ.

Cujus proinde considerationis esse debet, cujus ponderis adversus totius Orbis Antistites, Academias, Doctores ex omni ordine, istiusmodi Episcoporum quatuor qualiscumque dissensio?

Habuere hi quidem aliquos ex inferiore subsellio suffragantes, quos inter heroes & omni genere scientiæ instructissimos referunt Janseniani; si autem propiùs inspicias, & quidquid edidere operis, tot scatere ineptiis & erroribus, etiam gravissimis deprehendes, ut inter sanæ mentis Theologos, locum nequidem infimum mereantur.

Libellis vernaculis, famosis potissimùm contra Romanos Sacrorum Judices, & quos oderunt pessimè, Religiosos, ostentare se solet eorum eloquentia; talibus pars vitæ, etiam longævæ, præcipua teritur, quibus ubi accesserit corrasio quædam Augustinianorum textuum ex Jansenio, vel Usserio & similibus Calvinistis, in suæ patrocinium novitatis, tunc Doctores maximi habentur, & alteri quodammodo Augustini; sed monente didicimus Tertulliano lib. de Præscriptionibus cap. 16. *Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris ribellium, ubi ipsum esse illic, promereri est*.

Nota quasi characteristica Jansenistarum est, affectata præ cæteris intelligentia Traditionis; præsentis autem omnis sibi contrariæ despectus apertissimus authoritatis. Non malè eis congruit dictum Leontii lib. 1. contra Nestorianos & Eutychianos in principio: *se ipsos sapientes esse jubent, & sunt tanquam ex jussione & edicto sapientiâ præditi, quos eruditos esse fecit, velle tantùm*.

Quanticunque tandem nominis *pars dissentiens* definitioni contra Jansenium censeatur; toti tamen comparata Ecclesiæ, tam exigua

gua est, ut quasi pro nihilo reputetur.

Et quidem præter furentem Ægidium, Gerberonium, & unum forsitan alterumve scriptorem similem, quos temeritas singularis Walonio, ipsique subinde Quesnello reddidit propter imprudentiam odiosos, vix reperias hoc tempore, quem non pudeat Innocentii X. contra quinque Propositiones obstrepere definitioni.

Quesnellus & ejus Discipuli, etsi veram Constitutioni obedientiam non præstent, simulatione tamen & mendacio profitentur. Sub nomine fictitio *Baccalaurei Gery* in Præfatione Apologię Historicæ pro Censuris Lovaniensi & Duacenâ, sic invehitur Quesnellus in eos, qui Jansenismi infamiâ aspergere quosdam è Lovaniensibus Theologis soliti dicebantur; *Quomodo* (inquit) *dissimulare silentio possumus accusationem adeò atrocem & injustam, quasi obedientiam denegemus Constitutionibus* Pontificiis, *quas sincerissimâ semper prosecuti fuimus reverentiâ & submissione?*

Jansenianum istud quidem est, & tali dignum hypocritâ mendacium; sed vel ex eo facilè colligitur, quàm generalis sit acceptatio Constitutionis, de quâ hìc agimus, Innocentii X. cùm ipsi, qui eâ feriuntur, novi hæretici, se eidem vereantur refractarios profiteri.

Denique omni exceptione majus, etiam penes adversarios æstimari de hoc debet testimonium Eminentissimi Noailles, in tali authoritatis gradu apud Catholicos esse *Innocentii X. & Alexandri VII. adversus Jansenium Decreta, ut nihil illis desit, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti posse, nec mutationem expectari*. De hoc Epistolam ejus tenemus datam ad Clementem XI. anno 1711. 29. Junii. Unde contra Ægidium meritò concludimus, *Partem dissentientem* Bullæ Innocentii X. esse *nullius ponderis*, si in staterâ appenditur cum *Parte* Pontifici consentiente; atque hæc quidem nonnisi impropriissimè, nec sine apertissimâ injuriâ, *Partis* nomine appellatur, ut pote universam complexa Ecclesiam; oppositus enim rebellium manipulus, nobis ex Christi monito est, *sicut Ethnicus & Publicanus*.

Quidni etiam reviviscere sinatur hæresis fere quælibet teterrima superiorum temporum; si talis contra Ecclesiam Romanam authoritas Sacerdotum & Antistitum sufficiat? Quam umbram Janseniana habet Ecclesia, si eam contuleris cum Arianâ centenorum forsitan Præsulum munita præsidiis?

Quod omnem penes se solos residere sapientiam, eruditionem, pietatem autument præposteri hi Augustinianorum vindices dogmatum, commune habent cum omnibus passim hæreticis, de quibus sic observavit Gregorius Magnus in Caput 19. Job. cap. 12. *Habent hoc heretici proprium ut de inani scientiæ suæ arrogantiâ inflentur, & rectè credentium simplicitatem derideant*.

Franciscus Simonis Tractatu de Fraudibus hæreticorum parte prima Fraude prima ait: *Melanchton, Calvinus, Muncerus, nullus non hereticus nobis ætate conjunctior, virtutes doctus Diabolicas prodiit*.

S. Hieronymus de Christi monito, quod est apud Matthæum cap. 7. *specialiter* (inquit) *de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentiâ, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis se veste circumdare; intrinsecùs verò habentes animum venenatum, simpliciorum Fratrum corda decipiunt*. Liquet itaque, quàm egregius, & cujus Prædicator veritatis cum suæ consorte audaciæ Gerberonio censeri Ægidius debeat, quàm meritò apud Catholicos subsistere nusquam passus, omnes sibi *contrarias* senserit *Potestates*. Ægidianæ audaciæ *consortem* voco Gerberonium, quia citatæ à me locis pluribus laciniæ ex ejus scriptis, plures etiam adductæ in processu contra eum juridico, vix inferiores impudentiâ sunt Ægidianis.

Sed conveniendus hìc mihi proprius est Quesnellus, & quàm perfidus prætensæ *veritatis* fuerit *Prædicator*, ex ipsâ ejus relatâ hoc capite sententiâ luculentiùs demonstrandum.

CAPUT XII.

Expenditur allatum superiùs Quesnelli testimonium de suâ suorumque erga Pontificias Constitutiones reverentiâ; unde pateat, quales nova Ecclesia Prædicatores *habeat veritatis*.

Quesnellus è Galliâ in Belgium profugus anno 1685. mox devincire sibi studuit geminas ibi Academias, Lovaniensem & Duacenam, quarum gratiâ, protectione, munificentiâ non solùm securiùs viveret; sed etiam commodiùs: disseminaret quoque faciliùs novitates, certâ spe fructuum & messis uberrimæ.

Inter cætera quæ è Bruxellensibus suis latebris emisit opuscula, Academiis istis, ut supposuit, placitura, fuit *Apologia Historica Censurarum Lovaniensis & Duacenæ* contra Lessium & Hamelium. Applaudentes sibi Apologia ista nacta est Lovanii, quotquot erant Baii & Jansenii novitatibus addicti: displicuit passim Catholicis: Duaci à Facultate Theo-

Thologica Censuris non levibus reprobata, est, etiam Romæ condemnata.

Perversum scilicet ubique patuit authoris consilium, non tam utriusque defensio Facultatis, quàm veterum resuscitatio dissensionum, quas Sedis Apostolicæ authoritas Sixto V. Pontifice, ejusque apud Belgas Nuntio Octavio Calatino Antistite salubriter abolevit; sed Catholicorum dissidia Diabolo visa sunt, introducendæ hæresi opportuna, & conciliandæ Novatoribus gratiæ illius Partis, quæ adversus alteram novo gauderet se roborari præsidio.

Ut autem sinistram Quesnellus amoliretur de se, suoque stratagemate suspicionem, exordiendum censuit à fallacissimâ, & plenâ hypocrisis Præfatione, quâ se cum Duacenis ac Lovaniensibus Theologis ostenderet, Apostolicæ Sedi ejusque Constitutionibus obsequentem. *Quomodo* (inquit) *accusationem tolerabimus atrocem adeò & iniquam, quasi Pontificiis non præstiterimus obedientiam Constitutionibus, quas sincerissimâ prosecuti semper fuimus reverentiâ & submissione?*

Lovanienses & Duacenos omnes neque arguere meritò possumus inobedientiæ, neque velut debitè submissos defendere; Utrobique enim inimicum hominem in medio tritici superseminasse zizania, ex adductis à me loco non uno speciminibus Lector facilè collegerit. Hic juverit audire Ægidium de Witte, inter Lovanienses Theologos celebrem, & Jansenianos inter audaciâ præstantiores, vulgò *Candidos*, Antesignanum.

In Augustino Iprensi vindicato parte 2. cap. 4." Ante Propositiones (inquit) per Innocentium X. condemnatas, fateor, strenuè Lovanii ac Parisiis proDoctrina quinque Propositionum, & sensu Orthodoxo, qui in iis satis obviè lucet, disceptatum ac concertatum fuit, & jam tum magnificè admodum per Belgium & Gallias, illustria magis fieri cœperunt veræ gratiæ Cristianæ Dogmata, sed, prôh dolor! ad primum Vaticani tonitrui sonitum, à tuendis ut minimum æquè benè ac malè sonatibus enuntiatis, improvidissima recessio facta est: & insignis illa totis animi viribus tenenda statio, citra sudorem & sanguinem ... abdicata.

„ Hinc prima mali labes: hinc omnia in pejus ruere: hinc infelici calamitate retrò sublapsæ res gratiæ, nec nisi aut vanis pargis, aut frigidis subterfugiis, aut contortis explicationibus de cætero cohætere....

„ Profectò standum alacrius fuerat consertis pedibus in hoc solido propugnaculo, & Propositionum, ut sitæ sunt, defensio magnanimiter provehenda...

„ Enitescebat, totam illam funestissimam & subdolissimam machinationem in solius Hipponensis Præsulis, & veræ Christianæ gratiæ interitum concinnatam. Neque enim alia ampliùs quæstio erat de Lutheri aut Calvini Dogmatibus ab Ecclesiâ eliminandis, in quarum condemnationem olim Catholici Doctores omnes pedibus & manibus iverant, & summâ prorsus consensione hactenus, ac pace perstabant. Invictâ igitur & flecti nesciâ fortitudine propugnanda erat S. Augustini Doctrina, sub velo Propositionum evidentissimè impetita: & pro salutaris gratiæ dogmate, in iisdem abundè satis conspicuo, certandum erat usque ad mortem, pulso omni metu temporalis & Ecclesiasticæ Potestatis circumventæ, ludificatæ, & in horrificum errorem missæ....

„ Non me præterit, ad purgandam mutationem illam Sententiæ, quâ Patroni Janseniani post editam Constitutionem Innocentii, Propositiones quas ante tutati fuerant, uno velut ictu abdicaverunt, sæpius produci solere, quod Innocentius, post publicatam solenniter Propositionum condemnationem, Deputatis Episcoporum (aliquot Jansenio faventium) obtestantibus, *se persuasos quod Constitutione suâ nullum gratiæ per se ipsam efficienti, ad omne opus pium necessariæ, aut Doctrinæ Sancti Augustini adferre præjudicium voluisset*, ac tutum admirabundus responderit: *Id extra controversiam esse: Doctrinam S. Augustini nimium ab Ecclesiâ probatam, quàm ut à quopiam lædi posset: Quod porro materiam gratiæ sub Clemente VIII. & Paulo V. per annos decem agitatam attinet, se illam noluisse denuo examini aut discussioni subdere.*

„ Sed Levis admodum momenti apud emunctæ naris Judices habebitur declaratio illa, si varias eam debilitantes, & tantùm non interimentes rationes, attentâ pertractatione expenderint.... Cùm eidem (Pontifici) Sanctamoreus offerret libellum quemdam exiguum ex Augustini postremis Tractatibus potissimè collectum, pro responso accepit: *Proculdubio Doctrinam Augustini in Ecclesiâ authoritatem habere, & velut Ecclesiæ recipiendam esse; sed unumquemque cum trahere in suas partes, atque ut sibi faventem, & suis opinionibus concinentem obtendere.*

Sic & aliàs dixerat, *Augustini Doctrinam in omnibus sequendam esse; sed contro-*

ver-

versiam in eo positam, quinam eam verè amplecterentur. Deputatos Lovanienses dum in Urbem venissent, Janseniani voluminis defendendi causâ, similiter de authoritate Doctrinæ Augustinianæ, tanquam ab Ecclesiâ recepta, multipliciter declamasse, & significasse, neque se, neque Jansenium, aliud in hisce disputationibus, quàm Aurelium Augustinum sequi. At ubi Jansenii liber quæstioni subjectus, & cum Augustino collatus fuisset, tunc apparuisse, quàm non modicè Jansenius ab Augustini Dogmatibus differet. Scriptores quoscunque authoritatem hanc Aurelii Augustini, & Doctrinam crepare, & in rem suam adducere; cùm tamen quibuscumque Scriptoribus favere non possit: unumquemque illam conceptibus suis accomodare & intelligere pro suo genio: at procedendum esse moderatiùs, nec dogmata aut verba Augustini tam presè, aut minutatim tenenda, considerandamque esse exaggerationem, quâ Augustinus, & alii Patres quibusdam casibus abripi potuerunt.

„ Qualis & cujus viri hæc sit lingua, quis-„ quis vel primoribus labris Divinam Magni „ Aurelii Augustini sapientiam delibaverit, „ abundè perspicit.... Tota illa Pontificia „ de Augustinianæ doctrinæ præconio, atque „ à damnatis Propositionibus exceptione „ declaratio, non alio fundamento niti po-„ tuit, quàm quod S. Augustini laus ingens, „ & celebratissima fama, ita per Ecclesiam „ pervagata sit, ut nemo jam nisi cum cer-„ tissimo honoris proprii dispendio tam ex-„ cellentem virum spernere, & multò minus „ in materiâ Gratiæ, ubi Bellarmino teste, „ *Sententia ejus fides Catholica dici* debet, „ reprobare, ac damnationi subiicere susti-„ nuerit. Sed aliud est de Doctrinâ cujus-„ piam magnificè ex publico rumore loqui, „ aliud eandem ex verâ scientiâ tueri, vel sub „ alieno nomine ex inscientiâ non suffodere.

„ Ego certè nunquam in animum meum „ induci patiar, potuisse dari quempiam Ju-„ dicem Ecclesiasticum, nisi in Doctrinâ „ Christianæ gratiæ miserabiliter imperitum, „ qui famosa illa quinque Pronuntiata, Au-„ gustianis & paulinis Dogmatibus, si non „ perfectè consona, saltem proximè affideu-„ tia, nullo sensuum assignato discrimine, „ ac præsertim verbis tam immaniter atro-„ cibus profligaverit.

„ Vidisset profectò, quæ sub doloso illo „ cinere lateret veritas, & manum conti-„ nuisset a Siderandis Religionis ac pietatis „ Christianæ, sub iniecto per speciem Lu-„ theri pallio, satis clarè pellucentibus do-„ cumentis...

„ Nullo igitur pacto Patronos Jansenii, „ à tutandis Propositionibus remorari de-„ bebat denuntiatio illa vaga & generalis, „ ab Innocentio de rebus incognitis in aërem „ jacta, & actui, ejus solemni, qua totam „ Ecclesiam inflammatum ibat, è diametro „ contraria ac repugnans. Nec enim Eccle-„ sia gubernatur colloquiis clandestinis, aut „ mitigationibus intra domesticos parietes „ in aurem insusurratis, & quidem abiis, „ qui pars in causa erant, tantummodo in „ lucem prodicis; sed Instrumentis ac De-„ cretis publicis, de more consueto subscri-„ ptis, sigillo munitis, & ad omnium, quos „ spectat, notitiam, insinuatione publicâ „ propagatis.

„ Ad hæc meminisse debuerant sagaces „ Præsulum Deputati, id Romanæ Politiæ „ in more positum esse, ut scuticâ suâ insi-„ gniter percussos, post peractam fabulam, „ à se dimittant, verborum, aut indulgen-„ tiarum, aut munusculorum parvo illis con-„ stantium, blanditiis delinitos; quo & „ accepta incommoda quodantenus so-„ leutur, ac leniant, atque de Urbis inur-„ banitate & injustitiâ reversi in Patriam, „ tanto promptiùs ac lubentiùs conticescant;„

Hactenus Ægidius de Witte, *nuper in Civitate Metropolitica Mechliniencusi Decanus & pastor Ecclesia Collegiata & Parochialis Beata Maria trans Diliam.*

Ægrè crederes, Lector, Scriptorem hunc esse Romanæ Communionis Presbyterum, nisi nomen ipse cum omnibus suis titulis fronti operis inscripsisset: quibus immediatè subdit illud Exodi 32. *Si quis est Domini, jungatur mihi*. Typographi nomen non additur, neque locus impressionis; *Sed annus afflictæ gratia LXX, æra vulgaris MDCCXI*. Septuagesimus nempe tunc erat à condemnatione voluminis Janseniani: quæ non poterat non esse magna *Gratia afflictio*, si veridicus fuit eum hoc Ægidio Arnaldus in Apologiâ pro Jansenio pag. 92. *Deum, ut aliàs Templi ædificationem Salomoni, ita & gratia elucidationem reservasse Jansenio.*

Nonne præclara erga Constitutiones Apostolicas reverentia atque submissio est, talia scribere, & divulgare typis posteaquam Urbanus VIII. Apostolicâ Constitutione quæ incipit: *in Eminenti*, librum Jansenii damnavit, tanquam *continentem multas Propositiones à Prædecessoribus*, inquit, *nostris olim damnatas, & magno cum Catholicorum scandalo & dicta Sedis contemptu contra prædictas damnationes & Prohibitiones defendentem ... malo in scandalum totius Republicæ Christianæ & fidei Catholicæ perniciem vertenti?*

In quod igitur scandalum, in quantam fidei

fidei perniciem non verteret, post adeò solemnem Sedis Apostolicæ declarationem, temeraria illa Arnaldi pro Jansenio Apologia, quâ mordicus contra Christi Vicarium sustinet Jansenii librum magno Ecclesiæ beneficio cœlitus datum, ut ab illa tandem tenebras depelleret, in quibus circa gratiam misera tot seculis jacuerat?

Quod autem ad Propositiones attinet ab Urbani VIII. Prædecessoribus Pio V. & Gregorio XIII. ex BaiiOperibus condemnatas, ut Urbanus memorat, declaratque illas à Jansenio contra illorum Pontificum Sententiam *magno Ecclesiæ scandalo ac pernicie defendi*, asserit Apologiæ Arnaldinæ Præfatio, Doctrinam Jansenii non esse aliam, quàm Sancti Augustini; idque adeò esse perspicuum, *ut nemo sine voluntariâ cæcitate & portentosâ pertinaciâ negare valeat, Propositiones Baii, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia Doctrinæ S. Augustini*.

Arnaldo itaque judice, quotquot Jansenii librum, tanquam perniciosa dogmata propugnantem, eaque partim in Bajo à duobus antea Pontificibus condemnata, partim à Jansenio in majorem Fidei ruinam superaddita, accusavere Episcopi & Doctores, quotquot eundem Romæ talibus proscribendum statuêre censuris, quotquot postea sententiæ trium Pontificum adhæsere Cardinales, Episcopi, Doctores, Theologi, inter quos sunt Academiæ omnes Catholicæ, omnes Religiosi Ordines, Universos Arnaldus, nihil hæsitans, definit laborare *voluntariâ cæcitate & pertinaciâ portentosâ*.

Cùm autem hanc ederet Arnaldus pro Jansenio Apologiam, annum ætatis nondum impleverat trigesimum tertium. Tantosne, inquies, in juvenibus animos, tantamne subitò sapientiam, eruditionem, vel confidentiam potiùs, & præsumptionem rediculam, nova hæresis facit? Facit enim verò, quia, ut monentem suprà vidimus Tertullianum, *Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium*: & Leontium contra Nestorianos & Eutychianos, *se ipsos sapientes esse jubent, & sunt tanquam ex jussione & Edicto sapientiâ præditi, quos eruditos esse fecit, velle tantùm*; Præsertim si Novatoris, temeritate eximii institutio, quantumlibet brevis accesserit.

Wikleffus scholasticos, & operosa corum studia despiciens, ajebat Presbyterum idiotam, Theologicâ magis imbui scientiâ ex inspiratione & gratiâ, quàm scholastico labore. Juxta hanc regulam idem hæreticus, testante Waldensi, *Doctores repentè facit suæ legis*.

Sic & Jansenii atque Arnaldi Magister *Sancyranus*, ut jurejurando de eo testatur Joannes de Jovaud Abbas & Secretarius Ordinis Cisterciensis, *sæpius affirmavit, quod quæ enuntiaret dogmata, non ex libris didicerit, sed legeret in ipso Deo, qui est veritas æterna: quodque sequeretur in omnibus ductum interiorum illuminationum, inspirationum, Documentorum, quæ sibi à Deo ide utidem suggeri sentiebat*.

Quid igitur miri, *si quindecim aut viginti Religiosos illius Ordinis juvenes* postulaverit, qui *essent instar tabulæ rasæ, nullis instructi aliundè sententiis, qui omni seposito ratiocinio, aures tantùm* sibi *faciles praeberent, & proni subiicerent intellectum*; *in me*, inquiebat Sancyranus, *recipio, fore ut sex mensium spatio omnes ad supremum Theologiæ apicem proveham*.

Ibid. *Si ordinis vestri Religiosi Sancto Parente Bernardo meritò gloriarentur, toti in Theologiæ Scholasticæ ruinam incumberent, quemadmodum Sanctus Bernardus Abailardum, Porretanum, aliosque hæreticos, Primos Theologiæ Scholasticæ authores, prostravit. Ipse Sanctus Thomas veram Theologiam humanis ratiociniis & Aristotelicis principiis depravavit*.

Nonne igitur Sancyrano & institutis ab eo Discipulis congruit illud Sancti Bernardi Sermone 42. in Cantica de quibusdam pronuntiatum hæreticis? *Hujusmodi non tam ambulare, quàm volitare in magnis, & mirabilibus super se... Spiritualem se simulantes habere Doctrinam, fluidum instar roris eloquium, incerta, occulta, & quasi nocturna nosse mysteria sapientiæ Dei, Sanctitatis tenere caput & culmen, & in ipso Christi hærere vertice, eminendi magis, quàm intrandi studium gerere*.

In eodem jurato Secretarii Cisterciensis testimonio est, Sancyranum sibi dixisse: *Tanta mihi est discernendarum animarum prærogativa, ut quas semel observavi, dignoscam, electæne à Deo sint an reprobatæ*. Talis erat Mulier hæretica, cui stultè credidit Tertulianus lib. de animâ cap. de effigie animæ: *Est* inquiebat, *hodie soror apud nos, revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per extasim in spiritu patitur: conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoscit*.

Denique Sancyranus, non minùs, quàm Arius Thaliæ suæ exordio, gloriari poterat, præcipuè post Vincennensem carcerem: *Secundùm fidem Electorum Dei, Deo familiariter rectè ambulantium, qui Sanctum Dei Spiritum accepe-*

ceperunt, *hæc ego ipsa condidici à consortibus sapientiæ*. *Ille ego perinclytus*, *multa passus ob Dei gloriam*, *quique à Deo ipso sapientiam didici*. Ita gloriantem Hæresiarcham impium refert S. Athanasius Oratione 2. contra Arianos.

Tales sunt *perinclyti* hoc tempore *veritatis* Jansenisticæ *Prædicatores*, impingentes ubique in sibi contrarias *Potestates*, tum sæculi, tum Ecclesiæ; si quidem *Deus permittit*, *ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis*, *ut ejus victoria attribui non possit*, *nisi* Divinæ *gratiæ*. Sed interim *Perinclytis* istis novæ heroibus *veritatis*, *multa patienda sunt ob Dei gloriam*, in pestiferæ scilicet hæresios promotione. Resumamus modò, quem tantisper dimisimus Arnaldum.

Minùs in posterum lector miraberis, tantam in scriptore adeò juvene arrogantiam, & temeritatem, ut librum damnatis sæpiùs erroribus scatentem defendere, extollere audeat, velut Divinum, & singulari Dei beneficio destinatam Ecclesiæ institutionem de gratia, quæ suas tot hactenus seculis miserè lugens tenebras, Janseniani Solis illustrari tandem jubare votis ardentibus exoptabat.

Habuit scilicet Arnaldus in Sancyrano Magistrum suæ congruum temeritati, à quo discere potuerit hanc, inauditam aliàs in Ecclesia, & prorsus schismaticam confidentiam, quâ Doctor juvenis, ut erat tunc temporis Arnaldus, non solùm erigere se ausus fuerat adversus triumPontificum dogmaticas definitiones; sed eisdem etiam summis Christi Vicariis, atque universæ eos sequenti Ecclesiæ exprobrare *voluntariam cæcitatem & pertinaciam portentosam*, propterea quod Articulos in Supremo fidelium Tribunali judicatos gravibus dignos Censuris, agnoscere noluerint, velut *capitalia S. Augustini Dogmata*, irrefragabilis in Ecclesiâ authoritatis.

Eodem quo Arnaldus instructore, etiam usus fuerat in juventute Jansenius, atque adeò malesanum hausisse creditur consilium, quo se ad famosi voluminis scriptionem accingens, materiam collegit politiori opere deducendam.

In tudi illo scilicet collectionis Codice, iram non dissimulat adversus Pii V. & Gregorii XIII. Constitutiones, quibus Baii dogmata proscribuntur. Illas vocat *Doctrinæ veteris introducendæ obstaculum non sine arte Satanæ inventum*. Ita juvenis & à Sancyrano recens è Gallia Lovanium rediens insanire didicerat; at melioribus apud nos documentis pariter & exemplis ad pristinam Sedis Apostolicæ reverentiam reversus fuit, certè de ea postmodum locutus est non solùm magis sobriè; sed etiam Catholicè.

Non sic Arnaldus; sed in eo maximè locum vetus obtinuit proverbium, *quo semel est imbuta recens*, *servabit odorem testa diu*, imò dimittere ipse eum adeò nunquam voluit, ut ad extremum usque senium non levibus semper auxerit incrementis. De hoc fidem faciunt indubitatam *proposita Steyaertio difficultates*; *pars* præcipuè *Nova*, eaque ultima, quâ ferè octogenarius, vitæ turbulentissimæ coronidem imponere voluit. Hoc opere nullum hactenus legi perniciosius, & contumeliosum magis adversus Dogmaticas Sedis Apostolicæ Censuras. Idem necessarium arbitratus est, aut superbia & rabies docuit simulandum, ne ulla Ecclesiam novam convellere posset authoritas.

Statim post Arnaldi obitum Moniales Portus-Regii ad Quesnellum dedêre literas affectûs teneri, pietatis Jansenianæ, & grati animi indices pro *munere pretioso* & cæteras Sanctorum Reliquias superante, *Sancti Patris Arnaldi* Sacro *corde*. Addebant non dubitare se, quin *Elias* iste, antequam humanis aspectibus subduceretur, reliquerit Quesnello; velut alteri *Elisæo* successori *duplicem suum Spiritum*.

Reliquit profectò spiritum erroris & irreverentiæ, spiritum audaciæ & præsumptionis, sive ut alii breviùs & apertiùs dicunt, spiritum hæresios, schismaticis & seditionis. His Quesnellus superaddidit simulationem & hypocrisim, qualem non adeò observare licuit in lucubrationibus Arnaldi; in Quesnelli frequentissima est, præterquam in *Epistolâ* sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, & *Colloquiis circa Romanum Decretum anni* 1708. *continens damnationem Novi Testamenti Gallici Catalaunensis cum Observationibus Moralibus.*

In utroque enim opere spiritum author prodit minimè obscurè schismaticum. Ex priore pluta subindè retuli specimina, quorum aliqua ad renovandam Lectoris memoriam hic juverit repeti; alia etiam ex eodem addi, quo anti-Romanum, & ad disseminandas discordias semper intentum Quesnelli ingenium manifestetur evidentiùs, neque ejus hypocrisi simplices circumveniantur.

Sic ille Abbatis fictitii nomine de Alexandri VIII. Decreto contra Propositiones 31. pag. 22. *Condemnare Propositiones illas est pessimè remunerari zelum facultatis Theologicæ tam illustris*, *qualis est Lovaniensis*, *& laborem*, *quem ab illâ missi subiverunt veniendo Romam*, *ut quærerent dissensionum remedium.*

Ratio non minùs veritati contraria, quàm schismati viam parans redditur pag. 24. *Lovanien-*

nienses optimè semper habiti fuerunt in Romanâ Curiâ, usque dum rogati, ut impugnarent Gallicanos Articulos, Romanis adeò odiosos, prudenter recusarunt. Ex illo tempore Ministri hujus Curiæ Lovaniensibus Theologis favere desierunt. Qui in desideratam à Romanis declarationem minùs præ cæteris propendere videbantur, quâcunque oblatâ occasione depressi fuere, & afflicti; Utque Roma ostenderet, non deesse sibi modum, quo inutiles redderet favores antea præstitos, & quantoperè egerent illi Romanæ Curiæ protectione, damnationi Propositionum 31. consensit.

Pag. 22. *Aliàs Romani visi fuerant missis in Urbem Oratoribus Lovaniensium acquiescere; quando hi propositis sibi contra Articulos accusationibus respondebant. Unde mirum accidit Romam nihilominus ad eorumdem processisse condemnationem.*

Quæ autem à Quesnello mox fingitur ratio Censuræ, ut ex pag. 24. jam retuli, Scriptore schismatico, & calumniarum contra Sedem Apostolicam disseminandarum studioso dignior est, quàm communionem Catholicam profitente.

Pag. 11. *Condemnare Articulos 31. est de re nihili excitare strepitum, abuti Superioris authoritate, & ciere tumultus in Ecclesiâ per Censuras, quibus eas oportuit sedari.* Quas hìc Quesnello vocare placuit *res nihili*, Summus Pontifex definit esse *Propositiones hæreticas, schismaticas* & aliis *respectivè* Censuris necessariò prohibendas.

Pag. 22. *Harum Propositionum tam æquivocarum damnatio ad nihilum valet, nisi ut diffidiorum ignis scholis catholicis ingeratur.*

Ibid. *His notam inurere Propositionibus, est novarum spargere semina dissensionum.*

Pag. 23. *Innocentius XI. videbatur utcunque pacem & tranquillitatem Ecclesiæ reddidisse, novarumque amputasse radices contentionum: Ecce autem Decreto æquivoco, & nonnisi dissensionibus excitandis utili, reviviscunt.*

Nihil in Decreto nos æquivocum detegimus, nihil in Propositionibus, quæ omnes, exceptâ forsitan vigesimâ quartâ, è notis adversariorum lucubrationibus, absque ullâ excerptæ fuerant ambiguitate, & conspiciuntur illic sensu tum maximè perspicuo, tum meritò damnabili.

Adversarii, declamatores contra locutiones æquivocas solent esse disertissimi; proinde rationi consonum videbitur, ut quod in aliis tanto strepitu reprehendunt, devitent ipsi studiosiùs.

Cum igitur Articuli ad Pontificiam oblati Censuram, è designatis excerptæ fideliter reperiantur Operibus, mirum est easdem, mox ut à Pontifice proscribuntur, devenire æquivocas, & fictitiâ ambiguitate velut tenebris densissimis laborare.

Prætensa ea à Jansenianis obscuritas non in solis 31. Propositionibus allegatur; sed etiam in 79. damnatis à Sancto Pio, Gregorio XIII, Urbano VIII.; deinde in quinque hæreticis Jansenii, tandem in 101. Quesnellianis. Unde Decreta eas configentia accusantur ut obsita caligine, & terminandis nunquam altercationibus obnoxia. Commentis istiusmodi fœcundissimum Jansenistarum ingenium, nihil unquam Decreti, suis contrarii novitatibus, admittit: aut si beneficii pinguis aut officii sive obtinendi, sive retinendi ratio fortè aliud suaserit, obedientia simulatur, & cujuscunque admissio Constitutionis; at præfixo in mente sensu commentitio.

Quin etiam ubi opus fuerit, jurabitur, Constitutionem accipi juxta sensum omnem à Pontifice intentum, damnarique similiter Propositiones omnes & singulas, significatione obviâ intellectas, & in quocunque traditæ libro fuerint. Perfidiam hanc pluribus deductam documentis, & exemplis convictissimam dabo, ubi occasio magis propria se offeret contra Propositionem 101.

Interim hìc mirabimur, quomodo hominibus qualemcunque præseferentibus honestatem, non pudenda appareat talis variatio, & simplicitati Christianæ, maximè Sacerdotali repugnans fallacia dignitati; sed moralium passim simulacra virtutum, congruunt eorum fidei minimè fideli, & scenicæ quodammodo religioni.

Animadversione quoque dignum est, quod penès eosdem nihil æquivoci, ambigui, obscuri sit, in quibuscunque contra Antijansenianos definitionibus; at ubi quidpiam attingitur, ad aliquem novarum partium Doctorem pertinens, subitò nebula oboritur, seu fingitur impenetrabilis.

Denique ait Quesnellus pag. 40. *Ut verbo absolvam, non potest haberi hæc Censura, tanquam opus Sanctæ Sedis, sed tanquam Decretum Inquisitionis, idest 12. aut circiter Theologorum.* Similis adversus Constitutionem *Unigenitus* allegatio Quesnellianis non displicet, quoties jungenda videbitur cum rebellione quædam fraudulenta magis erga Pontificem reverentiæ affectatio.

Eamdem Gerberonius viam iniit in rejiciendis sanctionibus contra Bajum & Jansenium.

At quando Innocentius XI. proscripsit Articulos morales 65. quos tribuere Janseniani gaudent invisis sibi maximè adversariis, atque

atque hinc eis, quasi motum corruptoribus accessere infamiam, tunc SacroSancta Romani Pontificis authoritas est; tunc sententia non paucorum Theologorum, sed irrefragabile oraculum est Spiritus Sancti.

Ita Joannes Neercasselius cum titulo Castoriensis Episcopi Vicarius Apostolicus in Hollandia, Arnaldo devotissimus, qui eundem ex Galliâ profugum, amantissimè ad se invitavit, accepto Innocentii Undecimi Decreto subditos sibi commonuit Missionarios: *Salvator & Magister noster Jesus Christus.... aperuit os sui in terris Vicarii Sanctissimi D.N.Innocentii XI.,ut 65.Propositiones tanquam scandalosas & in praxi perniciosas condemnaret, & sub excommunicationis pœna præciperet, ne quis illas vel in libris, vel in Thesibus, vel in sermone ad alium finem auderet allegare, quàm ad eas impugnandum, atque illarum perniciem fidelibus exponendum. Peccarem in illam devotionem, quâ Christi Vicarium veneramini; si vos arbitrarer monendos,ut ejus definitioni vestros sensus subjiceretis.*

Quàm hæc præclarè & Catholicè! Neque tunc falsam fuisse arbitror Antistitis de suorum plurimis existimationem; sed improvida Arnaldi ad se invitatio, funestissima Missioni fuit. A Novatore hoc didicere imprudentes Presbyteri è Clero non pauci, exuere cum Doctrina Ecclesiæ, omnem erga Caput ejus visibile obedientiam & venerationem, adeò ut testimonio *Causæ Quesnellianæ*, seu processûs juridici contra Quesnellum instituti Articulo 2. versus finem: *Omnes illi, qui ante adventum Arnaldi, Quesnelli, Gerberonii & aliorum è Galliâ profugorum, Ecclesiam Batavicam conspexere, altum ingemiscant, petantque cum admiratione*, HÆCCINE *est illa* JEZABEL? Speciatim de corruptione circa debitam Pontifici submissionem agitur toto ejusdem Articuli paragrapho 5. cujus titulus est: *Quod Clerum Batavicum* (Quesnellus) *impulerit adversus Summum Pontificem*. Processûs Author, qui est Illustrissimus D. Henricus Josephus Van Susteren, tunc Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius Generalis, nunc Brugensium Antistes, argumentis illud & speciminibus demonstrat luculentissimis, ad quę hac inducimur Præfatione.

„ Antequam illi famosi profugi è Galliâ „ Arnauld, du Vaucel, Gerberon, Quesnel, „ & iis adhærentes, in Hollandiam advene- „ rant, Ecclesia Romana Catholica, quæ „ illic Christo colligitur, verè erat dilectissi- „ ma Christi Sponsa, florens vinea, quæ lu- „ xuriabat sanguine Martyrum Gorcomien- „ sium, qui pro authoritate Summi Pontifi- „ cis, gravissima tormenta sustulerant, quæ „ ad piam aliarum Vinearum invidiam, sua- „ vissimo turgebat charitatis Vino: Clerus „ illic erat Christi bonus odor, ac ipse, & „ Grex ipsi commissus, unum corpus & unus „ spiritus, Ecclesiæ Capiti tenacissimè ad- „ hærens: gloriæ ducebant omnes, ab Aca- „ tholicis *Pontificii* seu *Papistæ* vocari,& pro „ Christi Vicario prætensam hanc contume- „ liam pati ..

„ At à tempore, quo viri illi profugi in- „ star vulpium, vineam illam subintraverunt, „ ac demoliti sunt, Pontificiæ authoritatis „ radicem suffodientes, vellicantesque, de- „ colorata fuit Sponsa illa, spoliata pallio „ charitatis, & laudatæ toties unionis: facta „ rebellium & Anti-Pontificiorum asylum, „ atque reddita est Uva vineæ hujus *Uva* „ *fellis & botri amarissimi*. „

Hujus assertionis variis probationibus interpositis, sic Author prosequitur: " Hol- „ landia etiam recipere debuit Arnaldo- „ Quesnellianum discipulum, famosum Can- „ didum (Ægidium de Witte) qui tam indi- „ gna contra Summi Pontificis authoritatem, „ nunquam hic priùs, nisi in Calvini institu- „ tionibus lecta, ac ab extraneis Arnaldo & „ Quesnello, dein defensa, Mecliniæ effutie- „ rat; qui Summos Pontifices coram Acatho- „ licis injustitiæ accusare etiamnum in Hol- „ landiâ non reformidat: qui pro causâ *Jan-* „ *seniana* in *Panegyri*, & *Apologiis* ita in- „ clamare adhuc audet REVERTIMINI „ AD JUDICIUM, abutens impudenter „ verbis Danielis pro castâ & inocente Su- „ sanna perorantis.

„ Mirum sanè non est, quod ad has Ar- „ naldo-Quesnellianas instructiones, quæ „ tanquam oracula illic haberi inceperant, „ tam turpiter labefactata inHollandiâ fuerit, „ tot retrò seculis constantissimè culta, Sum- „ mi Pontificis authoritas: & quod dein Cle- „ rus Batavicus ab hoc unionis centro defle- „ ctens, in tantam novitatum Cloacam inci- „ derit, authore præsertim Quesnello, prout „ dicenda latiùs demonstrabunt. „

Quod Illustrissimus Author promittit, copiosè mox & abundè exequitur paginis plusquam octoginta continuis, quibus pars ultima amplissimi Articuli occupatur. Ex illis fortè aliqua in sequentibus delibabo; Interim abduci longiùs non possum à discutiendo Quesnelli testimonio de suâ suorumque, nominatim *Lovaniensium ac Duacenorum, erga Constitutiones Pontificias reverentiâ, & submissione*: *Quel moyen de se voir accusé d'une maniere si outrageuse, & si injuste de manquer de soumission pour les Bulles des Papes, pour les*

les quelles on a toujours eu une tres respectueuse & tres sincere, sans se lever contre une calomnie, qui blessant la Foy, ne peut être que tres atroce? Comment souffrir impunement, que pour avoir lieu de taxer de Calvinisme un grand Evêque mort dans la Foy de l'Eglise & dans la communion du Saint Siege, on falsifie hardiment ses ecrits, sans prêter sa voix à celuy, qui nen a plus pour se defendre contre ce faussaire? C'est donc à luy que seu doivent prendre ceux, qui auroient quelque peine, de voir renouveller l'ombre de ses questions facheuses, assopies par la sagesse, & la prudence du Saint Siege, & à legard desquelles on est purement sur la defensive.

Præter morem à me teneri solitum, ne multitudine textuum Gallicorum, subindè etiam Belgicorum excrescat nimiùm moles operis; Gallicum tamen hìc refero; quia singularis ostentatione eloquentiæ in causa pessimâ, Quesnellus se probat hypocritam, omni ex parte exquisitissimè fraudulentum.

Sic igitur patheticè exclamat: " Quis „ nobis modus, quæ facultas, silentio nos „ contioendi, dum accusamur ratione adeò „ contumeliosâ & injustâ, quasi inobedientes „ Bullis Pontificiis, quas submissione prose„ cuti semper fuimus maximè reverenti? Quo„ modo ab omni abstinere possumus apolo„ gia adversus calumniam, quæ cùm de læsio„ ne fidei sit, non potest esse nisi atrocissi„ ma? Quomodo patiamur corrumpi impu„ nè librum præclari Antistitis, ut de Calvi„ nismo perfidè arguatur, qui in fide Eccle„ siæ & communione Sedis Apostolicæ de„ functus est? Quomodo non præstemus vo„ cis officium ei, qui voce destitutus, defen„ dere se nequit adversus Iniquum adeò im„ postorem? Huic igitur imputent, quicun„ que ægrè ferunt, resuscitari speciem ali„ quam odiosarum contentionum, quas Apo„ stolicæ Sedis prudentia pridem sopiverat, „ & circa quas nos partes agimus solummo„ do defensorum. „

Nihil in tota Quesnelli oratione est expers fallaciæ & hypocrisis, sicut nihil in superiore Ægidii Candidi non plenum schismatica temeritate; sed ampliorem utraque postulat animadversionem, capiti proximo reservandam, Aliquid hìc solum è Quesnelliani textûs initio, quod præcipuè exagitandum susceperam, de insigni mendacio superest, luculentiùs convincendum.

Quesnellus confidentissimè gloriatur de suâ suorumque *perpetuâ erga Bullas Pontificias submissione maximè reverenti*. Productis à me speciminibus contrariis addi posset illud præ cæteris memorabile ex Epistolâ Quesnelli sub nomine Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum pag. 52. *Contra hoc Decretum aliquid magnum audendum esset; sed quia Curia Romana exigeret sibi fieri satis, consultius est, nihil agere omninò, & Decretum contemnere.*

Quesnelli, post ejus obitum, vindicibus cavillatio in promptu est, quod is in Apologia pro Lovaniensium & Duacensium censuris egerit de *Bullis Pontificiis*, non de Cardinalitiis, S. Officii Decretis, quale est contra Articulos 31. Verùm hìc, ut alibi passim, Quesnelliani decipiunt quia illa contra Articulos censura & condemnatio non Cardinalium, sed Pontificis Maximi est, ut ipsa testatur Sancti Officii Congregatio verbis clarissimis.

„ Sanctissimus Dominus Noster Alexander „ Divinâ Providentiâ Papa VIII. Pro Pastora„ li curâ Ovium à Christo Domino sibi „ commissâ, de earum salute sollicitus, ut „ inoffenso gradu per rectas semitas possint „ incedere, & pascua nimium perniciosa in „ pravis doctrinis exhibita vitare, uuius su„ pra triginta Propositionum examen pluri„ bus in Sacrâ Theologiâ Magistris, & dein„ de Eminentissimis ac Reverendissimis Do„ minis Cardinalibus contra hæreticam pra„ vitatem Generalibus Inquisitoribus com„ misit, qui tantum negotium diligenter ag„ gressi, eique sedulò ac pluries incumben„ tes, suprà unaquâque ipsarum sua suffragia „ Sanctitati Suæ singillatim detulerunt. Pro„ positiones autem sunt infrascriptæ. „

Relatis Propositionibus sequitur hæc Pontificis Censura.

„ Quibus maturè consideratis, idem San„ ctissimus statuit & decrevit, 31. prædictas „ Propositiones tanquam temerarias, scanda„ losas, malesonantes, injuriosas, hæresi „ proximas, hæresim sapientes, erroneas, „ schismaticas, & hæreticas respectivè, esse „ damnandas & prohibendas, sicut eas dam„ nat & prohibet, itaut quicunque illas, aut „ conjunctìm, aut divisìm docuerit, defende„ rit, ediderit, aut de iis, etiam disputati„ vè, publicè aut privatim tractaverit, nisi „ forsan impugnando, ipso facto incidat in „ excommunicationem, à quâ non possit, nisi „ in articulo mortis, ab alio, quantacunque „ etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore „ existente Romano Pontifice, absolvi. „

Quando igitur hoc *Decretum contemnitur*, ut se Quesnellus contemnere non solùm profitetur; sed gloriatur etiam, Sedi Apostolicæ sic insultans: *audendum esset aliquid magni contra Decretum illud; sed quia Romana Curia exigeret sibi fieri satis, consultius est, nihil*

nihil agere omnino, & Decretum contemnere.

Nonne digna schismatico apparet oratio? Ita suos Quesnellus instituit Sectatores: istud ipsi est Romanos Pontifices ipsorumque sanctiones *maximè reverenti prosequi submissione*. Is candor est, ea simplicitas, quâ nostris & præteritis temporibus incognita *veritas prædicatur.*

Talibus *Potestates omnes contrarias esse Prædicatoribus*, luctuosissimum *veritati* Quesnellus æstimat; sed tandem solatio ipsi est, nescio à quâ Divinitate acceptum Oraculum, hanc *Deum permittere* oppositionem, ad manifestandam *suæ gratiæ, de universis Potestatibus victoriam.*

Simile solatium, occinere suis nuper in Gallia potuere Calviniani PræconesEvangelii, cùm omne eis impietatis hæreticæ exercitium Rex Christianissimus prohibuerat; neque Gubernatoribus Urbium & Provinciarum, minùs etiam Episcopis & cæteris animarum Curatoribus deerat vigilantia, & fortitudo, ut executionem Regia Sanctio obtineret. Quidni enim æquè ac Janseniani, proximâ sibi affinitate conjuncti, animaverint se suosque Quesnelli vocibus, *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ?*

Denique scandalosus adeò contemptus Diplomatis, Pontificiam exhibentis sententiam contra Articulos triginta & unum, difficile nobis creditu reddit, seriam esse, quantumvis patheticam, Quesnelli querimoniam, de accusationibus, quibus ipse cum suis arguitur, quasi Pontificiis non obediens sanctionibus; quibus *submissionem maximè reverentem* à se suisque *fuisse semper præstitam*, tanto strepitu declamat.

Quoniam autem ad Bullas potissimum S. Pii, Gregorii XIII., Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII. provocamur, speciminibus *submissionis erga illas maximè reverentis*, decidenda præsens concertatio est.

Ordior à Constitutionibus S. Pii, & Gregorii XIII. contra Articulos Baii & sociorum: Quesnello-Arnaldicæ *Difficultates propositæ Steyaertio* parte 9. pag. 252. asserunt, *Bullam Pii V. & Gregorii XIII. non magno in pretio fuisse Romæ anno* 1607.

Tanto in pretio fuerunt Gregorio XIII. ut non solùm Concionatorem suum Franciscum Toletum ex Urbe Lovanium miserit, sed imploraverit etiam RegisCatholici authoritatem, qua ad obedientiam compelleret reluctantes: Pro re denique benè gesta Toletus ad Eminentissimam promotus fuerit dignitatem. Toto reliquo, quo Gregorius vixit tempore, atque sub Pontificibus sex sequentibus, utraque Constitutio velut Sacro-Sancta immotam Romæ & alibi retinuit firmitatem.

Quod Arnaldus & Quesnellus asserunt, quasi luxata ejus fuerit authoritas sub Paulo V. & quidem in ipsâ Urbe, fabula Novatorum est, subrui cupientium quidquid suis sentiunt erroribus infestum. Fieri potuit, ut in Urbe aliquos novitas, etiam hæretica nacta fuerit clanculum patrocinantes. Tales ibi nuper habuit Quietismus, neque à subdolis Jansenistarum Agentibus immunis Roma postmodum deprehensa est: Ideone sine putido diceretur mendacio Constitutiones Urbani Octavi, Innocentii X., Alexandri VII., non magno Romæ in pretio tunc fuisse, quia quibusdam ibi novitatum fautoribus odio fuerint vel contemptui?

Quis Urbis sensus sit, non à paucis aliquot privatis tenebrionum forsitan vel hypocritarum fallaciâ circumventis; sed à parte præcipuâ, potissimum Apostolicâ Sede, Collegio Cardinalium, & Sacris Congregationibus æstimatio accipienda.

Fuit ea quidem, etiam veterum astutia hæreticorum, ut satis conscii, Romam esse Christiani Orbis Metropolim, atque inde veluti ex radice in omnes ramos, ad omnem solita Ecclesiam documenta fidei dimanare; suos habere curaverint in Urbe Emissarios, qui omni fraudum genere instructissimi Patronos sibi adsciscere conarentur & Proselytos: iidem plerosque sibi favere è peritioribus, neque probare lata contra se Decreta, in remotiores Provincias transcribunt: atque in his cum scandalo plurium creditur, quod magnâ inde confidentiâ divulgatur. Convenire hic autumo, quod de Arnaldo olim Brixiensi ejusque apud Romanos factione perniciosissimâ Guntherus eidem coævus, carmine cecinit luctuoso. Istud alibi fortè referam, ubi Jansenistarum hypocrisim exagitandi locus videbitur magis proprius.

Interim audiatur S. Hieronymus, qui considerans illud Michææ: *Desperata est plaga Samariæ; quia venit usque ad Judam: tetigit portas populi mei usque ad Hierusalem*; Sic animadvertit: *Non solùm Samaria peccavit; sed iniquitatem & errorem suum in Judæ quoque portas voluit introducere. Portas tetigit .... Cæterum Urbem mediam intrare non potuit.*

Hunc Hieronymi Commentarium Franciscus Simonis Tractatu de fraudibus Hæreticorum parte 2. Fraude 7. applicat hæreticis tum antiquis, tum recentioribus, qui ausu temerario, & mille artibus conati fuerant Romanos, suis reddere erroribus consentien-

tientes, vel conniventes saltem; ut disseminate eos licetet alibi impunè, & Transalpinis persuadere Regionibus, Romanis tandem illuxisse mentibus veritatem, & quidquid aliàs oppositum senserint, nunc meliùs edoctas, si non palinodiâ solemni, saltem retractatione tacitâ correxisse.

Doloso istiusmodi, sed mendacissimo nititur fundamento, quod Arnaldus & Quesnellus in Difficultatibus contra Steyaertium communiscuntur, *Bullas Pii V, & Gregorii XIII. anno 1607. non magno Romæ in pretio fuisse*.

Majore novatoribus eisdem in pretio sunt quædam asserta acta, quæ Innocentius X. anno 1654. die 23. Aprilis eodem Diplomate, quo condemnatur ingens numerus editorum pro Jansenio Operum, addit *circumferri tam Romæ, quàm alibi*; verùm *declarat ac decernit, prædictis assertis Actis nullam omnino esse fidem adhibendam, neque allegari posse vel debere*.

Ex illis nihilominus Bajani & Janseniani colligere solent cum Arnaldo & Quesnello, *Bullas Pii V, & Gregorii XIII. non magno in pretio habitas fuisse Romæ anno 1607*; Quasi Cathedra Apostolica similis in eo sit inferioribus quibusdam, in quibus fides apparet versatilis, Antistite Prædecessoris sui Decreta dogmatica abrogante.

Quoties in novis publicis, quæ à Gazettariis Hollandis Linguâ potissimum Gallicâ describuntur, legimus probrosa quædam velut ex Urbe nuntiata referri, aliàs fingi crediderarm à malignis illic novorum compositoribus hæreticis, præsertim dum eis præerat Fidei & Religionis Apostata; verùm postquam Mechliniensis Archiepiscopus, extracto è Bruxellensibus latebris Quesnello, Gerberonio & Brigodio, misit ad me copias authenticas litterarum annis viginti & amplius scriptarum ex Urbe ad *Sanctam Familiam* Jansenistarum, censui mitigandam quam de Calvinianis Hollandiæ conceperam suspicionem.

Tunc scilicet deprehendi, scribi ex Urbe quædam subinde mendacia, atque eo scribi consilio, ut novis publicis inserantur.

Nunquam potest nimis esse cautum Sedis Apostolicæ Administris, quoties de Religione agitur cum hominibus, præsertim extraneis, & quorum fides non est exploratissima, ne forsitan contingat, quod alias experti fuimus, imponi viris, zelo fidei maxime ardentibus, dicta quædam, non minùs eorum famæ, quàm animis legentium credulorum graviter nocitura.

Sixtum Presbyterum inter Romanos celebrem sibi favere jactaverant Pelagiani, & divulgaverant quaqua versus: unde afflictus plurimùm Augustinus, suam ipsi sollicitudinem, & mœrorem minimè dissimulavit Epistolâ ad eum 105. *Quod fatendum est* (inquit) *charitati tuæ, tristes eramus nimis, cùm fama jactaret, inimicis gratiæ te favere* (& Epist 104.) *te inimicorum Gratiæ Dei magni momenti patronum esse*.

Verùm calumniam sibi ab hæreticis mendacibus impactam, egregiè depulit Sixtus ipse, quando à Zosimo Pontifice damnatis Pelagio & Cœlestio, primus inter Romanos Clericos vexillum contra hæreticos illos extulit, ad Aurelium Carthaginensem eam mox scribens Epistolam, quâ suum contra Pelagianos odium testatus est, quamque Africani Episcopi, magno suo solatio lectam, descriptis pluribus exemplaribus, totâ Africâ disseminarunt, ne viri tanti nomine & authoritate imposterum hæretici abuterentur.

Non hîc stetit religiosum Sixti studium; sed lucubrationem contra eosdem hæreticos edidit fortissimam, quâ hæresim subvertit funditus. Gratulatus ipsi est Augustinus Epistolâ 104. & 105. suamque & bonorum omnium de hoc lætitiam incredibilem testatus. Ita decuit Romanum Presbyterum illatam immeritò sibi ignominiam destruere, cui ante præter mentem, occasionis forsitan aliquid visus fuerit præbuisse, quando ut animadvertit Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *Aliquanto leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractavit ingenia nefando errore perversa*.

Denique cæcum esse oportet, qui non videat, quo illud de Constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. vergat commentum, ut nempe, si earum tunc temporis prolapsa fuerit in ipsa Urbe authoritas, non appareat undenam plus ponderis acquirere illæ postea meruerint, & ab Urbano VIII. novis donatæ editionibus confirmari.

Aliud Quesnelli Opusculum est contra P. d'Iserin Societatis Jesu Presbyterum, cujus apud Leodiensem Episcopum studiis tribuere solebant Arnaldus & Quesnellus, quod in amplissimâ Diœcesi illa subsistere non sinerentur; destinarentur carceri, ubicunque deregi eos contingeret. Eidem Jansenistarum adversario imputandum censuit Quesnellus, quod Montensibus Berulliani Oratorii Presbyteris non liceret palmites suos in ipsâ Leodiensi extendere civitate.

Verùm neque Religiosi unius apud Episcopum solicitationibus opus erat, ut Montensibus Oratoristis novitatum infamiâ tunc publi-

publicè laborantibus, Domicilium Leodii non concederet, quando Illustrissimum Cathedrale Capitulum, penes quod cum Episcopo omnis illic, etiam in temporalibus jurisdictio est, informationem acceperat à Montensium Magistratu, degentibus ibi Oratorii Presbyteris minimè honorificam.

Nota est Quesnelli rabida contra eam declamatio; sed quæ clientibus suis adeò non profuit, ut nocuerit plurimum. Frequens etiam Novatorum ad Arnaldum, quasi novæ Ecclesiæ Pontificem, & oraculum, in Leodiensi agro undique concursus, non potuit non excitare strepitum, & à Pastoribus Catholicis, ipsisque secularibus denuntiari tandem aliquibus è Capitulo, ipsique Principi, ut novæ pestis contagium, in suo illuc allapsu quantocyus sisteretur.

Similis ad Arnaldum diurnus nocturnusque confluxus, cùm in Parisiensi ille degeret suburbio, solicitudinem injecerat Regi Christianissimo, ut vigiles constitueret, tandemque curaret Arnaldo denuntiari, ut finem imponeret conventiculis; futurum aliàs utRex ipse prospiceret. Quare neque cupiens à congressibus istiusmodi abstinere, quos summi duceret momenti effe ad instituendos novi Evangelii Propagatores, neque sibi tutum videns, Regiæ obsistere voluntati, maluit clandestinâ fugâ se è Galiis proripere in aliquam è viciuis Belgii Provinciis, ubi majorem consideret futuram tum celebrandis Conventiculis, tum edendis lucubrationibus libertatem.

Non fefellit eum penitus spes sua in Belgio, tum Austriaco tum Batavo quoad edendorum Operum, typis saltem anonymis opportunitatem. Non eadem fuit celebrandis Conciliabulis. Securius illic visum est, partim scriptionibus, typorum subsidio facilè divulgandis novam Ecclesiam erudire, partim per Emissarios, imprimis per *Partem subpriorem*, & *Fratrem Athanasium*, pro negotiis arcanis, conferre cum *Majoribus* consilia.

Ne in Quesnellianæ cifræ nominibus Lector caespites, *Majores* sunt Lovanienses, *P. Subprior* Ernestus Ruth d'Ans, *Frater Athanasius* Gulielmus Vande Nesse Pastor S. Catharinæ Bruxellis. Expositam hic habes, Lector, occasionem Opusculi quo Quesnellus invehitur in Patrem d'Iserin.

Tales autem eæ sunt Quesnelli vindiciæ, ut reum magis faciant, quàm excusent. Qualis enim *erga Constitutiones Apostolicas submissio* est, & quidem ut Superiùs prædicata à Quesnello fuerat, *maximè reverens & sincera*, cujus specimina exhibet lucubratio contra P. d'Iserin? Pag. 12 *Articuli*, inquit, *qui Pii V. & Gregorii XIII. Constitutionibus exprimuntur, intellecti de statu naturæ lapsæ, adeò manifestè Dogmata sunt Augustini, aut potius Fides Ecclesiæ, ut maximam inferret Pontificibus illis injuriam, quisquis in animum induceret, voluisse eos doctrinam eandem sensu obvio condemnare.*

Nos autem cum omnibus probè Catholicis asserimus, Articulos eosdem, de quibus præcipua eum Adversariis contentio est, intellectos de naturâ lapsâ, rectissimè damnari à Pontificibus, & absque ullo periculo lædendi Systematis Augustini, aut traditæ ab Ecclesiâ fidei in ullo apice violandæ.

Articulos aliquot pro specimine adferamus: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit, Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos, faciat implere legem. Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum: Unde & Job, & Martyres quæ passi sunt propter peccata sua passi sunt.* Similes sunt Articuli illic plerique, de quibus nemo sanæ mentis dubitat, quin de statu enuntient hominis in Adamo lapsi; neque ullus ambigit Theologicâ, sicut oportet, scientia imbutus, quin de eodem statu eos acceperint tres Summi Pontifices, & in sensu obvio ac proprio condemnarint.

Quod inde funestum Quesnellus metuit Dogmatibus Augustini, aut traditæ nobis ab Ecclesiâ fidei, anilis næniaest, aut deterioris notæ fallacia.

Alteram in eodem scripto pag. 13. Quesnellus renovat cavillationem, quam processus contra eum juridicus seu *Causa Quesnelliana* pag. 164. meritò rejicit ut *cramben millies recoctam* contra id, quod Pii V. Constitutio declarat, damnare se Propositiones omnes & singulas *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, quanquam non nulla aliquo pacto sustineri possent*; sensu videlicet improprio, minimè inter Theologos obvio, & de quo nulla inter ipsos disceptatio fuit, proinde nulla ratio Sedem Apostolicam consulendi.

Ex eo autem à Novatoribus, nodum semper in scirpo quærentibus, cavillandi occasio captata est, quod verba à me citata, ut constructionem planissimam faciunt, & nulli obnoxiam sinistræ interpretationi, alio in Constitutione legantur collocata ordine; sed qui in eandem prorsus, & certissimè conveniat significationem,

Sic nempe in Bullâ, relatis Propositionibus, Pontifex enuntiat: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam non nullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè ... Damnamus.*

Hinc Quesnelli & plurium ante eum pertinacium Bajanorum industria eruit, mentem Sanctissimi fuisse, quod Propositiones ex illis aliquæ *sustineri possint in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.* Interpunctionem itaque virgulæ, quæ *comma* dicitur, estque inter *sustineri possent*, & *in rigore*, sublatam illi cupiunt, ut sensus non sit ille qui ab Ecclesiâ intelligitur, quòd *quanquam* ex Propositionibus *nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, *in rigore* tamen & *proprio verborum sensu ab Assertoribus intento hæreticas, erroneas* &c. ut suprà *respectivè damnamus*; sed inquit Quesnellus, jungere oportet verba hoc modo; *Sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.* Contrà Eminentissimus Aguirre, ab ipsis propter candorem & pietatem laudari meritò solitus adversariis, in *Defensione Cathedræ S. Petri* Disput 20. Sect. 1. hanc Bullæ Pontificiæ interpretationem ex quodam referens Bajano *Tirocinio*, vocat *frivolam, & absurdam evasionem*, quod inquit, *Luce clarius est; in primis enim cum Bajus primus omnium eâ usus fuisset, postea illam retractavit in suâ palinodiâ ad Gregorium XIII.* Dein post plura privatorum testimonia pro veritate facti, de interposito commate, citat Eminentissimus Aguirrius etiam.

" Cardinalem de Lugo qui die 2. Octo-
" bris 1644. testatus est, se vidisse primum
" Authographum Originale Bullæ Pii V. non
" in Regestô; in quo à Scriptoribus Apostolicis Bullæ describuntur, & nullæ solent
" interpunctiones adhiberi; sed in ipsomet
" Authographo ejus Cardinalis, qui jussu
" Pii V, Bullam concepit, & extendit secundum mentem Pontificis; atque in eo inspexisse diligenter, quomodo se haberent
" interpunctiones in contextu ipsius Censuræ, & deprehendisse post illa verba, *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, ante alia quæ immediatè sequuntur,
" *in rigore & proprio verborum sensu*, interpositum esse comma, seu virgulam disjunctivam eorumdem verborum.

" Quod ipsum tandem authenticè comprobatum fuit publico Inquisitionis Universalis Decreto edito die 16. Junii anno
" eodem 1644, eotam Urbano VIII, & jam
" antè, id est anno 1641. pridie Nonas
" Martii idem Urbanus in alio Displomate
" cui initium. *In Eminenti*, Pontifex ipse
" inseruit totam Bullam Pii V. & Gregorii XIII, cum commate interjecto verbis
" illis; ut proinde mirum sit quod multi è
" Lovaniensibus tam pervicaciter adversus
" veritatem adeò manifestam, ausi sint eamdem cavillationis suæ cramben recoquere."

Testimoniis adeò convincentibus argumenta subjungit Eminentissimus Aguirre, quatuor ex ratione tam evidentia, ut singula veritatis amatoribus sufficerent. Sed quibus in voluntate pervicacia est, quis unquam rationis fulgor, quæ rutilantior sole meridiano veritas persuadere poterit assensum?

Tertia illic præ cæteris ratio mihi placet, & quod mireris ampliùs, adamatur unicè ab adversariis, sed sine diversissimo & prorsus opposito. Continet enim ea ratio quamdam demonstrationis speciem, qua ad cujuslibet extirpationem erroris etiam hæretici, Constitutio censeatur invalida, si Quesnelliana ejus expositio subsistit.

Supponatur scilicet, quod tanto molimine Novator hic cum reliquis Bajanismi Sectatoribus contendit, *nonnullas* ex Propositionibus à Pio damnatis, *aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio sensu ab Assertoribus intento*; quandoquidem, quæ illæ sint, Constitutio non exprimat, nulla erit Propositio de qua Novatori, cuicunque libitum fuerit vitilitigare, non videatur licitum opinari, hanc esse in numero earum, de quibus trium Pontificum declarat sententia, quod *aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*: quod eùm absurdissimum sit, & Sedis Apostolicæ Sapientiâ indignum, non poterit exitialis istiusmodi consectarii originem non reddere omnibus catholicè sentientibus detestandam.

Quandoquam hactenus non solùm prohibita; sed etiam *condemnata* fuit *Propositio*, & quidem sub anathematis pœnâ, & cum Censuris, quales in Diplomate exprimuntur, quæ *sustineri simul potest in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*?

Qui

Qui sustineri posset Articulus tali, ut à Novatoribus exponitur modo, non diceretur sustineri posse *aliquo pacto*; sed simpliciter & absolutè. Unde apparet in ipsis Censuræ vocibus oppositio manifesta inter *aliquo pacto*, & *in rigore ac proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, ut quæ priore tantummodò tolerari posse viderentur, absolutè nequeant posteriore.

Ea itaque Bajanorum pertinacia, uti & Jansenistarum industria, seu veriùs execrabilis malitia est, ut quaslibet P. opositiones, quantumvis hæresios, aliisque Censuris respectivè notatas, retinere simpliciter sibi liceat, velut immaculatas *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*; abdicent autem solùm in sensu intellectas improprio, illegitimo, alieno, & qui non nisi *malignè Propositionibus affingi posset*.

Denique ut nihil desit complemento perfidiæ, ad fallendos Ecclesiæ Præpositos, & suffurandum ab iis Sacros Ordines, ac pinguiora Beneficia, didicere juniores à suis fraudulentissimis Doctoribus, sensum proprium convertere in alienum, & hunc vicissim in proprium & obvium, quoties necessitas, vel magni momenti utilitas visa fuerit postulare.

De illa quinque hæresum Jansenianarum dolosissima defensione à Quesnello subdolè tentatâ commonere superiùs Lectorem cœperam, & resumenda brevi impugnatio est. Nunc autem non tam citò Quesnelli demittenda fallacia, atque hæc quidem non ipsius primùm excogitata fuit ingenio; sed post refutationem clarissimam à Catholicis sæpiùs inculcatam, turpiùs à Novatoribus, præcipuè hoc tempore instauratur.

In eo igitur sita est machinationis hujus perniciès, quod dum Pii V. Bullam se recipere novi Theologi profitentur, non vera exhibitio obedientiæ sit; sed nequissima, ut jam ostendimus, simulatio. In sua Quesnellus, ut mendacissimè vocat, *Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum defensione*, quæ vera Ecclesiæ & Pontificum impugnatio est, pag. 83. ait." Clarè adeò perspecta nobis est mens
„ Pontificis, & vera significatio verborum
„ istorum; *quanquam non nullæ aliquo pacto*
„ *sustineri possent in rigore & proprio verbo-*
„ *rum sensu ab authoribus intento*, ut dubita-
„ re ampliùs non valeamus, quin inter Pro-
„ positiones istas aliquæ sint, quas sustinere
„ liceat cum earum authoribus in rigore &
„ proprio verborum sensu, qui ab iis inten-
„ ditur. „ Cùm autem quænam illæ sint, Constitutio non exprimat, latam hìc sibi facilè Novatores aperiunt januam, ut ex 79. Propositionibus, ibi severissimè prohibitis, atque damnatis, nulla in particulari sit, quantumlibet execrabilem continens perversitatem, cui aditus non pateat, ut *aliquo pacto sustineri possit in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*. Cavillationem hanc putidam, quasi indubitatam trium Pontificum mentem, reducere Quesnelli, eique adhærentium impudentia non veretur, postquam centies à Theologis Orthodoxis fortissimè repulsa atque contrita est: & quidem ante annos septuaginta & ampliùs à Doctoribus Duacenis; è quibus celebris Valentinus Randour, approbante Universitatis Cancellario, Epistolam dedit ad Libertum Fromondum, præcipuum è Lovaniensibus Jansenii Discipulum anno 1650. die 1. Augusti, qua ejus vellicat in eludendis definitionibus Pontificiis temeritatem. Fromondus scilicet assumpto *Fulgentii* nomine, *lucernam* scripserat *Augustinianam*, *quâ*, inquiebat, *breviter & dilucidè declaratur concordia & discordia, quâ duo ex Doctoribus Duacenis conveniunt, aut recedunt à cæteris hodie S. Augustini Discipulis*.

Sic autem quoad prætensam, [ut etiam nuperrimè à Quesnello] anathematis evasionem Randourius monet. " Certe, Fulgenti,
„ comœdiam personati agunt sub larvâ tuâ
„ Gomaristæ [in Hollandiâ] & Calviniani,
„ atque si par esset impudentia, dicerent si-
„ militer, se Bullam Pii V. suscipere, eâ sci-
„ licet Lege, ut articulus nullus in ea esset
„ damnatus falsitatis, erroris, hæresios in
„ sensu ab authoribus ipsis intento, nisi quem
„ vellent ipsi condemnare.

„ Hoc calami tui organo, non atramento;
„ sed felle loquuntur sociorum anonymorum
„ larvæ illæ, qui doctrinæ Catholicæ hostes,
„ ab annis ferè centum Belgium obsident,
„ ut totum in apertam contra Pontificem &
„ Regem pertrahant rebellionem. Hi in vo-
„ bis loquuntur, & de vestrâ cute ludunt:
„ hi ingenio & manu vestrâ utuntur. „

Eximio Doctori Duaceno credimus, *Gomaristas & Calvinianos* in Hollandia hæreticos, *abusos* tunc fuisse *ingenio & manu* Jansenistarum, quibus subsidiariam hoc tempore gnaviter navant operam.

Walonium Jansenianæ factionis in Urbe annis ampliùs viginti Agentem Generalem, retuli sæpiùs, inde scribentem *ad Sanctam Familiam*, in Bruxellensibus latebris delitescentem, ea, quæ Hollandicis vellet inseri Gazettis, apud Calvinianos æquè ac Jansenianos, Romanæ graviter detrahentia Religioni.

Hoc autem Novatore nullus in novâ Ecclesiâ visus mihi semper est astutiâ superior, ne-

neque scio an ulli suorum cesserit eruditione, non libros edere solitus; sed alienos animadversionibus castigare. Is nuntio accepto de faciendâ à Gerberonio novâ Bajanorum operum editione, solicitè Quesnello rescripsit anno 1692. die 15. Novembris. *Timeo, ne Dominus Kergrè* [Gerberonius] *in suis ad Baii opera Commentariis excedat, utendo enuntiationibus nimis duris, & debitam excedentibus moderationem, ut vidimus in* SPECULO PIETATIS, & similibus ab eo compositis lucubrationibus, quas non solùm Roma prohibuit, sed ipsa exhòrruit Gallia, & complures illic Episcopi, etiam Card. Noaillius, tanquam impias & hæreticas detestati sunt.

Walonius quidem Dogmatibus Gerberonii facilè consentiens; approbare tamen non potuit crudiores quasdam loquendi formulas ac nimiam in repugnando publicè Romanis Constitutionibus libertatem. Eludi eas modestiùs, exquisitiùque studiosiùs interpretationibus in alienum pertrahi sensum, atque ita irritas quidem reddi; sed minore scandalo & offensione maluisset. Verùm ea politicorum Jansenistarum regula displicet Sectæ *Candidorum*, à quibus ea simulatio rejicitur tanquam pudenda nimiùm Augustini Discipulis.

Secta utraque ab Arnaldo & Quesnello; sed pro diversis circumstantiis approbata est. Moderationem scilicet affectare utrique Novatori placuit, scribenti sub Christianissimi Regnantis ditione, ubi neque aperta hæresis, neque declarata contra Ecclesiam & Principem rebellio toleratur. Dixi *Christianissimi Regnantis*; nam anno 1644. in Ludovici XIV. infantia prodiit audax Arnaldi pro Jansenio Apologia. Adolescente Principe, decrescere cœpit Novatoribus securitas.

At quando inter Batavos degere Arnaldo & Quesnello obtigit; uti & in Belgii Catholici latebris, sub fidi Hospitis custodiâ, ubi non deerat ad imprimenda clanculum opera tenebrarum, typographus maximè idoneus, tunc simulatione depositâ, uterque scriptor ad partes propiùs visus est accedere *Candidorum*. sic ex animi sui sententiâ & genio scripsit quædam contrà Pontifices, & instituta ab eis Cardinalium in Urbe Congregationes, quarum Decreta scurriliter exagitat, præcipuè in *difficultatibus Steyaertio propositis* totâ parte 9.

Quesnellus quoque *Candidum* egit, Sedis Apostolicæ, & Decretorum atque definitionum omnium suis contrariarum novitatibus audacissimum impugnatorem, in *Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*: postea in Apologiis variis pro Archiepiscopo Sebasteno Missionis Hollandicæ Vicario, ejusque contra Sedem Apostolicam rebellibus sociis, in Colloquiis contra primam *Novi Testamenti cum Observationibus Moralibus* à se Gallicè editi condemnationem, denique in tot infamibus contra Bullam *Unigenitus* vindiciis, Omitto plenas furore *Notas in Decretum quo dissertationes* ejus in *Magni Leonis opera* prohibentur.

Simulatio autem, ut dicitur, politica, & vera hypocrisis magis placuit duobus his novæ Ecclesiæ Capitibus, quando denuntiandum fuit *Peccatum*, ut stolide prætenditur, *Philosophicum*, reverà maximè Theologicum; prætereà quoties atris coloribus depingere visum est Societatis sive Theologos sive Missionarios, & *Praxim Moralem*; Jansenianam verò & Bajanam hæresim inter inanissima phantasmata ad loca imaginaria ablegare,

Qui nempè Jansenistarum odioso laborant nomine, non nisi defensores gratiæ sunt, Christianæ Ethicæ, Disciplinæ veteris, atque sanctissimæ instauratores verbo & exemplo, pietate & Religione, præ cæteris commendabiles, si Arnaldo & Quesnello credimus.

Sed eorum testimonio nimium suspecto in causâ propriâ, adhibere fidem non possumus, obsistente non solùm nube densissimâ testium contrariorum, sed frequente potissimùm & nulli obnoxiâ fallaciæ experientiâ. Non enim hausta aliundè est, quàm ex indubitatis ipsorum lucubrationibus, quarum impia temeritas, lectori cuilibet Catholico necesse est horrorem incutiat, indolemque detegat in authoribus non turbulentam tantummodò, & indomitam; sed maledicam simul & contumeliosam, omnibus infestam & rebellem Potestatibus, perpetuò spirantem schismata & novitates, etiam hæreticas.

His quoties frænum injicere Episcopi & Summi Pontifices, adstipulante etiam Principum authoritate voluerint, in promptu Novatoribus declamatio est, *Deum permittere ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*. Potuitne dispositio excogitari aptior ad insinuandum simplicibus contra utriusque fori Principes universos, odium & seditionem?

Antequam dimittamus Quesnelli eique adhærentium *sincerissimam*, ut prætenditur, *venerationem & obedientiam erga Constitutiones Pontificum* Pii V, & Gregorii XIII. specimen adhuc aliquod venerationis istius & obedientiæ proferendum est ex Gabriele Gerberon in *Adumbrata Ecclesiæ Romanæ Catholicæque veritatis de gratiâ adversus Leydeckeri in suâ Historiâ Jansenismi hallucinationes, injusta-*

justasque criminationes defensione. Hanc Gerberonius edidit ficto nomine *Ignatii Eyckenboom Theologi*. Tota autem specioso adornata fuco *defensio* præcipuè sita est in resuscitandis Baii & Jansenii erroribus, atque hæresibus; impugnandis verò & eludendis omnibus contra eos definitionibus ac Censuris.

Illic itaque Gerberonius asserit, *Baii opera esse æternis seculis digna, priscam Sanctorum Patrum, maximè Augustini, doctrinam ubique spirare; tantum abesse ab Ecclesiâ Romanâ, quod Censuram Pii V. faciat suam; quin Clemens VIII. & Paulus V. qui paulò post illum in eâdem Cathedrâ sederunt, nullam in Congregationibus de Auxiliis, Bullæ Pianæ rationem haberi voluerint; imò honori Sanctæ Sedis malè consuluisse, qui Bullam hanc à Pio V. extorserunt, & evulgarunt*.

Iterum: *Qui Sedis Apostolicæ simul ac Michaelis Baii vindicias dabit, non prætermittet, magnam Pio V. injuriam fuisse illatam ab iis, qui Bullam tam fraudulenter extortam evulgarunt. Hoc eruditorum inter Catholicos de Pianâ Constitutione est judicium*:

Catholicos & eruditos intellige Gerberonio similes, præter quos scilicet *Catholicus* nemo est, nemo dignus nomine *eruditi*.

Ibidem: *in eo falsus est Leydeckerus, ac fallit, quòd à Gregorio XIII. in prædictâ Bullâ confirmatam asserit Constitutionem Pii V. rursumque damnatos* (Baji) *Articulos*. Urbanus VIII. Bullâ *in Eminenti* post relatam integram Pii V. Constitutionem cum 79. dogmatum condemnatione, *Deinde* (inquit) *piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster, intellecto per eum, non sine animi dolore, non defuisse tunc temporis aliquos Theologos tum studiosos, tum Professores, qui Articulos in prædictâ Constitutione damnatos, asserere, & pertinaciter defendere pergerent, pro officii sui munere eorumdem temeritatem atque audaciam ad totius Ecclesiæ periculum pertinentem, minimè contemnendam & dissimulandam censuit; sed ad coercenda hujusmodi ingenia, per aliam suam Constitutionem datam quarto Kalendas Februarii anno Incarnationis Dominicæ 1579. Pontificatûs sui anno 8. Pii Prædecessoris Constitutionem prædictam suâ quoque authoritate confirmavit, Articulosque ibidem comprehensos, iteratò damnavit; & ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem ac sententiam ignorare posset, suam hujusmodi confirmationis Constitutionem, alterâ Pii V. comprehensâ, publicavit & promulgavit*.

Quid ad hæc Gerberonius? Loco superiùs indicato, istud quidem fatetur Urbanum Pontificem asseruisse, *sed à Jesuitis deceptum*.

Quis proinde inficietur Gerberonium esse Apostolicæ Sedis, & Constitutionum ab eâ emanantium *maximè reverentem eisque*, ut Quesnellus prædicat, *sincerissimè submissum*? Nonne talibus gloriari, & secura esse potest Romana Ecclesia vindicibus contra omnis generis hæreticos?

Quesnellus in hoc Gerberonii Opere levioris quidpiam reperit difficultatis; quòd scilicet author supponat quasi à Romanis facilè dimittendam Pii V. Bullam, velut extortam subdolè, neque legitimè promulgatam; Quesnellus verò in Epistolâ ad Gerberonium datâ & relatâ in processu juridico, seu *Causâ Quesnellianâ* pag. 165. ait: *Nunquam Romani patientur, ut dicatur Bulla Pii V. non fuisse promulgata, quamvis ea foret ratio optima, qua se expedirent* difficultatibus, contra Bullam objici solitis ab Ecclesiâ novâ, seu veteris reformatrice.

Innovationem quidem istiusmodi ægerrimè ferunt omnes Romanæ Ecclesiæ Principes & Rectores, summi, medii & infimi; quandoquidem, ipso teste Cardinale Noailhio in Epistolâ ad Clementem XI. datâ, *nihil Constitutionibus illis deest, ut universam obligent Ecclesiam, & circa illas nec appellatio admitti nec mutatio expectari possit*. Verùm, inquit Quesnellus, nonne vel inde æquissima apparet lamentandi ratio, *omnes Potestates esse contrarias Prædicatoribus veritatis*?

Nihilominus Quesnello & ejus discipulis solatio est, oppositionem istam fieri *Permittente Deo, ut veritatis victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ*, quemadmodum scilicet Lutheranæ, Calvinianæ, & cujuscunque Sectæ propagatio, sive ut à Quesnello dicitur, *victoria, Divinæ gratiæ* beneficium ab iisdem hæreticis reputatur; à Mahometanis etiam singulare prodigium, tanta dominationis suæ extentio atque potentia.

Tot edocti nos speciminibus de mirabili Quesnelli, Gerberonii & similium *erga Constitutiones Pontificias obedientiâ*, quomodo denegare fidem possumus eisdem asserentibus *submissionem eam sincerissimam prorsus esse ac maximè reverentem*? Talibus nos argumentis convicti jubemur agnoscere, seriam esse, quam Quesnellus & ejus socii, magnificis præ se ferunt librorum inscriptionibus, *Defensionem Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum contra calumnias hæreticorum*. Veriùs alii dicunt, non talibus egere Ecclesiam aut Pontifices Defensoribus, non talibus Augustinum Discipulis, aut *Prædicatoribus veritatem*.

CAPUT XIII.

Ex aliis duobus Quesnelli testimoniis, de suorum erga Innocentium X. obedientiâ colligitur, quales in istiusmodi scriptoribus nacta sit veritas Prædicatores.

DIscussum superiùs Quesnelli testimonium, descripseram ex Præfatione *Apologiæ* ab ipso editæ *pro Duacenorum ac Lovaniensium Censuris*. Alia duo, quæ hic examinanda suscipio, continentur in *Additione ad Apologiam* pag. 400. & 402.

In priore ait: *Universi quos ratio ducit & æquitatis amor, non proprii concupiscentiæ commodi, agnoscunt, nullam esse in Ecclesiâ sectam Jansenianam, sive quæ sequi se Jansenii Dogmata profiteatur, Certissimum enim est, eos, qui Jansenistarum nomine appellantur, non alia amplecti placita, quàm S. Augustini; quia eadem & Ecclesiæ Romanæ sunt & Summorum Pontificum.*

In posteriore quod est pag., ut dixi, 402, Quesnellus asserit, *non minùs esse à veritate alienum, quod de prætensis Jansenistis dicitur, eos modo irreverenti & incongruo, excipere Bullam Innocentii X,* (qua famosæ Propositiones quinque feriuntur) *Calumnia patet vel ex eo, quod vix ulla à Theologis istis prodeat lucubratio, quæ non illustria præseferat sinceræ erga Constitutionem illam submissionis indicia.*

Ita Quesnellus, cui similis confidentia familiaris est, nimium credulos nata decipere, & persuadere, quod nulli sint vero nomine Jansenistæ; proinde inanes sint, imò noxii contra novam hæresim clamores, utpotè quibus & pax publica turbetur, & novitatis hæreticæ affletur infamia, vel suspicio viris maximè Orthodoxis.

Utinam veritate niteretur utraque Quesnelli enuntiatio! Verùm plena dolo malo est, atque mendacio, in perniciem Ecclesiæ, & animorum, vaferrimè excogitato. Tali enim creduli Apologiæ, nihil sinistri suspicantur in Dogmatibus, quæ sub perfidâ pietatis specie, venenum ingerunt mentibus exitiale. Idem mendacium sopiendis Ecclesiæ ac Reipublicæ Præpositis est accommodatissimum, ut ipsis incuriis, & quasi securè dormientibus, utriusque interitum impune hæretica novitas machinetur.

Nos itaque larvam hypocrisi detrahamus.

Vix sectam reperias inter hæreticos adeò malesanam, quæ à suo artifice nomen sibi ultro consciscere voluerit, aut tribui ab alio patiatur. Lutherani *Evangelici* dici voluerunt, Calviniani non alio appellari nomine, quàm *Reformati*, Ita nostri hic *adversarii* antonomastice *Augustiniani* dici cupiunt, non à fundatore proprio *Jansenistæ*. Eusebianos novimus fuisse Arianæ sectatores præcipuos impietatis, atque perfidiæ; illius tamen sectæ Episcopos pudebat nominis Ariani. Eosdem sic Athanasius mentientes inducit Epist. de Synod.; *Nos certè Arii sectatores non sumus, neque, cùm simus Episcopalis ordinis, Presbyterum sequimur, neque aliam fidem, præterquam ab initio traditam recipimus.*

Hoc illi stratagemate sperabant se faciliùs audiendos, ut Arii restituerent subdolè impietatem, fidemque destruerent à Nicænâ Synodo, toto applaudente Orbe Catholico stabilitam. Voluêre nihilominus Christiani æquè ac cæteri, & ferè præ cæteris nominari; videri unicè cupientes, non esse, quod erant maximè, ut possent nomen Catholicum cum hæretico suo conjungere sacrilegio. De his iterum sic Athanasius secundâ contra Arianos disputatione: *Qui Arianos Christianorum titulo insigniunt, plus nimio errant.... Eâdem enim ratione est consentaneum, ut Caipham nominent Christianum, & Proditorem Judam adhuc connumerent cum Apostolis ... Pro Christianis deinceps Ariani nuncupentur, eamque notam characteremque referant suæ impietatis. Ne ergo caussificationes quærant, neque probroso nomine pulsati, dissimulent se eos esse qui sunt....Si nominis pudore non tenentur, desinant eludere: sin pudori est, aut pro confusione, abdant se, aut resiliant à suis impietatibus,*

A Christo Christiani & sumus, & nuncupamur: illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò authorum suorum cognomenta, ut ad quos pertineant, præseferant. Quapropter qui secuti sunt Marcionem, non jam inde Christiani; sed Marcioniani appellati sunt,

Ita quoque Valentinus, Basilides, Manichæus, & Simon Magus Sectatoribus sua vocabula impertierunt: inde factum ut alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Manichæi, alii Simoniani, alii Cataphryges à Phrygia, alii à Novato Novatiani vocitati sint.

Hactenus Athanasius; Quesnellus autem, sit, inquiet, tota Sancti Patris oratio quoad partes omnes & singulas æquissima; verùm ut justa fiat ejus contra nos applicatio, necesse fuerit, non ex malesanis temerariæ plebis clamoribus, vel maledicis nostrorum suggestionibus adversariorum, sed ex scriptis nostris ostendere *Sectam Jansenistarum, sive quæ Jansenii dogmata profiteatur, vel irreverenter sentiat ac loquatur de Innocentii X.*

centii X. adversus Jansenium Constitutione: quin compertissimum statuo, atque à nemine exemplis oppositis convellendum, quod *vix ulla prodeat à nostrarum partium scriptoribus lucubratio, quæ non illustria præseferat sincera erga Constitutionem illam submissionis indicia*. In hoc, inquit Quesnellus, pedem figimus, quod antequam fortiore ariete concussum fuerit, famæ nostræ sufficiet, ab imperitæ multitudinis clamoribus, & malevolorum hostium calumniis vindicandæ.

Ita Quesnellus, quando recenter è Gallia profugus Bruxellenses latebras incolere cœperat cum Arnaldo, neque procul dissitis Gerberonio, & aliis è Gallia similiter elapsis.

Consilium omnibus erat, ut apud nos in otio, tenebris, & edendi quidlibet libertate, facultatem qua præditi videbantur scribendi Gallicè, strenuè exercerent. Talibus suppetiis exultavere Janseniani in Belgio, neque dubium, quin, ut non illiberalis solet esse nostræ indoles Nationis, profusa etiam in adjutores tam idoneos munificentia, nihil passa fuerit tantis hospitibus, sive ad necessitatem sive ad vitæ humanæ commoda lautitiasque deesse.

Nunc mihi Quesnelliana, quæ authore mortuo in Discipulis non defecit, temeritas discutienda est. Provocamur, ut modò vidimus ad indicandos, *qui Jansenii dogmata profitentur, vel de Innocentii X. Constitutione non omni reverentia loquantur, quandoquidem usu opposito compertissimum est, vix ullam prodire à Theologis vulgari nomine Jansenistis, lucubrationem, quæ non illustria præferat sincerissimæ submissionis erga Constitutionem illam indicia.*

De hoc in testimonium contra nos non solùm exercitus citatur; sed etiam *Universitas* eorum, quos non *proprii concupiscentia commodi*; sed *sola ratio ducit, solus amor justitiæ & veritatis*.

Talis proculdubio censeri debuit P. Eugenius de Gelder Brugensis ex ordine verè Sanctissimo Religiosus, sed à Novatoribus miserè circumventus, & quodammodo venumdatus.

Concionator is erat disertus eloquio, & ore omnium Jansenio addictorum celebratissimus *Prædicator veritatis*, ad quem quoties publice dicturus Lovanii esset, tanta confluere solebat Auditorum copia, ut eam templa vix caperent: neque Collegia erant Academica, præter unum alterumve, quæ portis latè patentibus alumnos non dimitterent ad tanti nominis Ecclesiasten tam pium, tam veridicum. Nullus certè in Belgio noscebatur ei similis, in audendo novum Jansenii Evangelium tantâ claritate, & confidentiâ annunciare.

Ex Concione ab eo habitâ festo S. Liborii in Ecclesiâ Parochiali, cui interfueram, retuli aliàs Laciniam perbrevem quidem; sed quæ Prædicatoris animum Jansenismo intimè perunctum, satis dilucidè commonstraret. Postquam multis ordinem nostrum contumeliis incesserat, ad impudentiæ complementum addebat de Jansenio, haud nominato quidem, sed ab omnibus facilè intellecto, quod *aliquis non ita pridem Belgii Episcopus, ut recentiorem, Gratiæ victricis hostem* (Molinam) *efficacius impugnaret, juvenis se in Galliam contulerit, ad acuendum stylum: inde rediens ad scribendum probè comparatus, quinque limpidissimos lapides ex Divino illo S. Augustini torrente acceperit, atque illis ut alter David superbum Goliathum, gratiæ victricis hostem prostraverit.*

Idem P. Eugenius *Præco* Intrepidus, si non Catholicæ *veritatis*, saltem verissimæ hæresios, in *libello supplice* typis edito, tanquam *voce ultimâ zelatricis innocentiæ ad Innocentium XI.* pag. 115. de Antijansenianis ait: *Per vafrè fabricatas propositiones doctrinam Jansenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Jansenii Doctrinam S. Augustini, à Doctrinâ Jansenii reverâ inseparabilem, arietarent & dejicerent*.

Ibidem pag. 30. Quod *Urbanus VIII. fuerit deceptus, patet ex propriâ ipsius Bullâ. Quod Innocentius X. fuerit deceptus, ad oculum demonstratur*. Istudne est quod *inter illustria submissionis sincerissimæ indicia erga Constitutionem Innocentii X.* censeri à nobis Quesnellus voluit, ne excludamur numero *Universorum quos ratio ducit & amor justitiæ ac veritatis, non proprii concupiscentia commodi?*

Neque P. Eugenius author adeò privatus & singularis est; quin universa ei sonoris plausibus adulata fuerit factio Jansenistarum, cumque in suâ audaciâ tantis foverit muneribus, & deliciis, ut inescandis illæ pluribus quotidie fratribus copiosè sufficerent.

Mortuo illi successit mox non in Religioso ordine, sed Clero seculari Mechliniæ famosus Decanus & Parochus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis trans Diliam, Ægidius de Witte, à *Candore* nominis dictus vulgò *Candidus* & *Albanus*, qui audaciâ & temeritate adeò cedere noluit P. Eugenio, ut se reddiderit pluribus pro Jansenio Apologiis, apertisque Constitutionum impugnationibus, in novâ Ecclesiâ celebriorem; ideò *Candidorum* secta *Jansenistarum*, prout à *Politicis*, sive hypocritis discernitur, ab hoc potissimùm Principe nomen sortita est.

Convin-

Convincendo Quesnelli mendacio sufficiunt soli operum ab Ægidio editorum tituli, quales sunt *Panegyris Janseniana* cum tribus eam secutis postea *Apologiis*, dein *Apologia nova pro sacrosanctâ Doctrinâ Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*. Post Apologiam istam prodiit *Augustinus Iprensis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbanâ VIII., Innocentii X., Alexandri VII., & Clementis XI, ereptus & erutus, sive Apologeticus perillustris ac Reverendissimi Domini Cornelii Jansenii*.

Sicut autem in ipso *Panegyreos Jansenianæ* titulo securus suis denuntiaverat tempore Pontificatus Innocentii XII. esse *tempus loquendi*, ita sub Clemente XI. mutatas conspiciens circumstantias, Classicum canit, suosque ad prælia aperto Marte cum Pontificibus ineunda hortatur in ipsâ *Augustini Iprensis vindicati* prævia inscriptione, Ducem se promptum exhibens: *Si quis est Domini, jungatur mihi* Exodi cap.32. Huic operi, præter eam *denuntiationem solemnem*, judicio omnium insolentissimam, Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth*, successere *Augustini Iprensis vindicati vindiciæ uberiores*.

Rationem omnium istiusmodi schismaticorum operum ipse Ægidius minimè dissimulat; sed pro sui nominis & ingenii candore, exponit dilucidè ac sæpius repetit, quòd sint quinque Propositiones ab Innocentio X. & secutis eum Pontificibus Censurâ hæreseos notatæ, juxta sensum suum obvium, proprium, genuinum, se autem Judice, sint maximè Catholicæ, atque ita non solùm ad Jansenium reverà pertineant; sed etiam ad S. Augustinum & fidem Ecclesiæ.

Audiatur de hoc Ægidius in *Augustino Iprensi vindicato* parte 2. cap. 3. contra *Neothomistas*, ut vocat, sic concludens. " Maneat igitur ratum, fixum, insuperabile, atque inconcussum, Propositionem primam, tam crudeliter condemnatam, sensu valdè obvio, proprio, ac germano exprimere veritatem non modò maximè orthodoxam; verum etiam totius Christianæ humilitatis principia, totius orationis fervidæ incentiva, totius confidentiæ & resignationis in Deum seminaria, ac totius gratiarum actionis fundamenta, in se, velut medullâ & nucleo, continentem. "

Sic autem sonat prima illa Propositio de cujus damnatione Ægidius tantopere conqueritur: *Aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: Deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant*. De Propositione hac ita Pontifices enuntiant: *Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

Ægidius autem Pontificibus, & totâ eis consentiente Ecclesiâ sapientior definit, Propositionem eandem esse *veritatem non modò maximè orthodoxam*, verùm etiam eximiis quibuscunque dignam præconiis, quæ verbis ejus descripta magnificentissimis jam retuli.

Ne verò, Lector, existimes in solâ Propositione primâ contra Ecclesiam propugnandâ, Ægidii stetisse audaciam, mox declarat. " Possem eâdem ubertate probationum, eodem authoritatum pondere, eâdem demonstrationis vi ad reliquas Propositiones progredi; sed Lectorum meorum ingeniis videbor diffidere, si post materiam hanc in primâ hujus dissertationis parte tam dilucidè & copiosè deductam, fastidiosâ repetitione doctrinam Propositionum cæterarum omnium de integro versare pergam ..... Præterquam quod intelligens omnis tantillum in hisce controversiis exercitatus, hac ipsâ solâ primæ Propositionis elucidatione, non ægrè penetrabit in sensus reliquarum, & æquè sanos, & æqualiter obvios ". Ideo indignam Augustini Discipulis & novæ Ecclesiæ Doctoribus arbitratur hanc suorum socordiam commilitonum, quòd declinandæ causa infamiæ & pœnarum rebellibus imminentium, rejicere non audeant Bullam Innocentii X. & Propositiones quinque in sensu obvio sustinere.

Defenderant has quidem, inquit, totis viribus ante latum à Pontifice anathema; at eo miseri, velut fulmine, in sua capita vibrato, perterriti, mox cecidere animis, & obedientes Pontifici, non quidem esse seriò; sed videri voluere; utpote minùs hypocritarum crimen veriti, quàm supplicia refragantium.

Intolerabilis ac pudenda nimium, inquit Ægidius, hæc virorum, alias fortium, imbecillitas, & simulata à Jansenianis Dogmatibus defectio, Proselytis nostris & Catechumenis pessimo indubie exemplo est. Quid enim pronius, quàm ut hi Magistrorum suorum à Jansenio fugam, ipsisque sensus obvii, & proprii, agnitam probatamque condemnationem, non simulationi tribuant, aut mentis restrictioni, odiosissimis toties exagitatæ Satyris; sed Janseniani systematis falsitati?

Inde quid aliud expectes, quàm ut nova Ecclesia tantis elaborata studiis & laboribus, tot exculta periculis, carceribus, exiliis, ab omnibus fere deseratur, suis quodammodo ruinis consepulta, & hominum tradita oblivioni? Nisi quod in paucis forsitan superfuturis

futuris sideribus, aliqua ejus dignoscenda sint vestigia.

Attamen in tanta publicè deficientium multitudine & gloriosè constantium paucitate, se suosque electos Ægidius consolatur illo Jonathæ ad suum Armigerum lib. 1. Regum cap. 14.: *Non est Domino difficile, salvare vel in multis, vel in paucis.* Plenam hanc solatii sententiam præmittit suis *Augustini Iprensis vindicati vindiciis uberioribus*.

Quæ fuerit authori scribendi posterioris operis occasio, à me aliàs verbo indicatum est, & forsitan locus postea non deerit, de quibusdam ad illud pertinentibus circumstantiis latiùs disserendi. Prosequendum modò in vindiciis anterioribus. Quæ citaveram ex parte 2. cap. 3. totis inculcantur viribus cap. 5. " Quæro jam (inquit Ægidius) à cordatis " omnibus, an non ipsi primæ Propositioni, " ut jacet, violentia quædam adferri debeat, " ut vel à loco suo avulsa, & variis mollientibus truncata terminis, perversum & " damnabilem sensum induat? Si verò in volumine ipso Janseniano cum explanationibus adjectis legatur; non ita Sol lucet in " medio & claro die, ut illius orthodoxia in " omnium integrorum oculos insilit, & sese " ad qualescunque absonas significationes " pertrahi non permittit.

" Pari facilitate diluere possem omnia, quæ " adversus Propositiones reliquas à variis " Authoribus producuntur. At quoniam satis est ad institutum meum, quod est judicium illud Pontificum Romanorum circa " famosas Propositiones convellere, & universalem Ecclesiam ab istius condemnationis ignominia exemptam dare; Si demonstrem, vel unam è Propositionibus litigiosis, imperitè proscriptam, atque illam potissimùm, quæ alias virtute continet; hic " carbasa contraham, paratus, dum operæ " pretium facturus ero, eadem asserendæ " Propositionum cæterarum innocentiæ explicatiùs, ac plena pandere.

" Ex dictis, opinor, jam satis superque " elucet, non rectè à Jansenii Advocatis defensionem Propositionum, etiam ut à conjuratis illis fabricatæ erant, abdicatam " fuisse.

Animum advertisti, Lector, ad ingenuam hominis, dissimulare nescientis, professionem ultroneam, imò magnificam gloriationem, nullis involutam offuciis, de suo, ut asserit, *instituto*, *quod est judicium Romanorum Pontificum* (proinde Innocentii X.) *circa famosas quinque Propositiones convellere, & universalem Ecclesiam ab istius condemnationis ignominiâ exemptam dare*. Quod hic Jansenista apertè asserit, certum est, Gerberonii, Quesnelli, Arnaldi & cæterorum, quibus Jansenismi infamia ex non levibus indiciis aspergitur, sententiam esse, ad fallendos Ecclesiæ Præpositos cavillationibus communiter intricatam.

Hanc hypocritarum perfidiam demonstrandam luculentiùs suscipio, quandocumque ipsis, aut eorum sectatoribus placuerit inficiari. Interim etiam hic quantum sufficit, ostenditur, esse mendacium putridum, quod à Quesnello in Lovaniensium & Duacensium Apologiâ dicitur: Primo: *Nullam esse sectam Jansenianam, quæ sequi se Jansenii dogmata profiteatur: atque hoc universos agnoscere, quos ratio ducit, & æquitatis amor, non proprii concupiscentia commodi*. Secundo: *Certissimum esse eos, qui Jansenistarum nomine appellantur, non alia amplecti placita, quàm S. Augustini; quia eadem & Ecclesiæ sunt, & Summorum Pontificum*. Tertio: *Prætensos Jansenistas, non irreverenti & incongruo modo excipere Bullam Innocentii X. imo vix ullam eos edere lucubrationem, quæ non illustria præseferat sinceræ erga Constitutionem illam submissionis indicia*.

Audiatur itaque novuum *submissionis* istiusmodi *sinceræ indicium*, ex eodem Ægidii cap. 5." Liquet ex his, quod pede firmo " & irretorto persistendum fuerit sive Episcopis, sive Theologis eruditis Belgii, & " Galliarum in ipsâ defensione Propositionum, etiam ut per se jacent, & Bulla ista " Innocentiana, magisque adhuc Alexandrina, totis viribus impugnandæ fuerint.

Bullas Pontificum, nominatim *Innocentii X. & Alexandri VII. totis viribus impugnare*, nunquid *est sinceræ submissionis* præclarum specimen? Tale etiam procul dubio est, quod Ægidius *institutum* suum esse profitetur *Judicium illud Pontificum Romanorum circa famosas quinque Propositiones convellere*.

Ita novo à Jansenistis imbuimur, non solùm Evangelio; sed etiam idiomate, ut longè aliam, imò contrariam sub iisdem vocibus intelligere deinceps oporteat significationem. Quod enim aliàs mortalium omnium sermone appellari solitum erat aperta, & ab ipso authore declaratissima rebellio, jubentibus hodiè Jansenistarum Doctoribus, Quesnello inprimis, inversâ penitus intelligendi normâ, debemus credere, quod sit *submissionis sincerissimæ erga Bullas Pontificias, nominatim Innocentianam, testimonium*, sive *argumentum* irrefragabile.

Verumtamen si quæ laus rebellionis est contra Ecclesiam; si quæ hæresios contra Pontifices propugnatæ, debetur non exigua Ægi-

Ægidio; quod non in sola, ut cœteri communiter Janseniani, hæreat superficie; sed ad ima usque penetret totius controversiæ fundamenta.

Hæc explicat par. 2. cap. 7." Pelagianâ „ lue inquinatissimi in hanc miseram lucem „ trudimur.... Opus est institutione à teneris „ unguiculis solidâ, ut ab illo contagio mortifero quis liber ad rationis usum perveniat; vel singulari Divinæ miserationis directione, ut ab illo deinceps verè ac validè eruatur. Hinc totum propè mundum apertè post Pelagium & Molinam, densatis cohortibus abire cernimus; atque ipsa in primis Italia, ut à Regionum illarum viatoribus hausi, perquàm malè audit in illo genere.

„ Non ergo gravis admodum Emiuentissimis Dominis Cardinalibus, è quorum Collegio dein Romani Pontifices assumuntur, inditur aut irrogatur injuria, si & aliqua suspicio nobis insit, paucos ex illis à valdè universali illo, & Ecclesiam miserrimè depopulante contagio, sive ab adolescentiâ fuisse immunes, sive postea melioribus instructionibus salubriter emersisse.

„ Cur ergo usque adeò peregrinum videri deberet; si Innocentius X. & Alexander VII., ille in scientiâ Theologicâ valdè parum exercitatus, hic neque in illâ doctus admodum (cum omni suâ Cardinalium, Consultorum, Qualificatorum turba) Jesuitis intimè coadunatus, contaminatione illâ naturaliter infitâ infecti fuerint: adeòque Propositiones in verâ Paulinæ, atque Augustinianæ per se efficientis gratiæ significatione condemnarint, atque protriverint .... "

„ Porro ex jam dictis liquere arbitror, condemnationem illam nullo pacto Catholicæ „ Dei Ecclesiæ; sed credulitati, aut imperitiæ nonnullorum Romanorum Pontificum, à societate Jesuiticâ ludificatorum, exploratissimè adscribendum esse. „

Quid ampliùs desideres ad Jansenianâ dignam sinceritate professionem *reverentiæ*, ac submissionis sincerissimæ erga Innocentii X. & subsequentium Pontificum, contra Jansenium *Constitutiones*? similis *reverentiæ & obedientiæ* professor eximius est Gabriel Gerberon in fictitio suo *Colloquio Abbatem inter & Jesuitam Belgam*.

Ibi pag. 30. dicitur " Hæc Bulla [Innocentii X.] non nisi ob falsas illusiones data, neque feriens nisi monstrum pictum, sive ut apertiùs loquar, hæresim imaginariam.„

Pag. 33." Bulla eadem est irrita, est nulla, inutilis & valde perniciosa Ecclesiæ. „

Si neque hæc tibi, Lector, egregia appareat *veneratio* ac *submissio* Jansenistarum *erga Bullam Innocentii X.* frustrà melioris aliquid reverentiæ in cæteris eorum voluminibus quæras.

Quesnellus de omnibus contra Jansenium datis Constitutionibus, quasi paulatim prolabentibus; triumphum canit *Notis in Epistolam Steyaertii* pag. 17. asserens, quòd *incipiat tandem Orbis Catholicus credere*, circa quinque damnatas hæresios Propositiones, *nihil in sensu Jansenii non esse Catholicum*. At mendacem hunc esse triumphum, videtur ipse agnoscere Quesnellus in Præfatione libri de *Pace Clementis IX.*; ubi pag. 34. conqueritur, quod „ Totus commoveatur & armetur orbis „ adversus librum, cui titulus: *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ Doctrina*, sive *Causa Divinæ Gratiæ*, qui liber deberet magno „ in pretio esse nostris Episcopis, cùm, qui „ Operi illi dedère operam, considerari debeant, velut auxiliares copiæ accurrentes, ut „ sint subsidio veritati, suaque Christiani „ exercitus Ducibus obsequia deferant. „

His in Processu contra Quesuellum juridico relatis Art. 9. Subjungit author, qui hodiè est Brugensium Episcopus: " Sic quidem „ Quesnellus non exiguam commilitonum „ suorum manum ostentat;.... At ostendit „ Illustrissimus Cleri Gallicani cœtus, ab „ unâ parte sese his *copiis Auxiliaribus*, quæ „ tantâ cum pertinaciâ pro hæresi pugnant „ Jansenianâ, non egere, & ab alterâ parte „ sese jactato turbarum numero etiam non „ terreri, dum judicatis à Sanctâ Sede tam „ firmo inhæret pede. Interim ex hac Quesnellianâ jactantiâ dilucidam elicimus probationem ad verificandum Articulum, qui „ hìc subjungitur: *Quod pertinaciter adhæserit factioni eorum, qui adversus Ecclesiæ Decreta, & adversus Edicta Principum conjurarunt, librum & Doctrinam Jansenii tueri*.

Ex illo opere, *Augustiana Ecclesiæ Romanæ Doctrina* excerpsit Galliæ Clerus ad Censuram duos hosce Articulos: I. *Jam tandem Ecclesia & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant Phantasma Jansenismi, quæsitum ubique; sed nusquam repertum, præterquam in laboranti quorumdam phantasiâ*.

Secundò Constitutione Innocentii X. nibil aliud actum, quàm ut renovarentur, atque exacerbarentur Disputationes. In eamdem viam pertractus est Alexander VII, ut homo ab hominibus facilè impellendus in eas, quæ parum ejus officio convenirent... Innocentius quoque XII, cùm ex officio teneretur veram profer-

proferre sententiam, generalibus æquivocisque verbis adhibitis, dat locum existimandi, se non ausum esse clariùs loqui, tanquam errare metuentem: atque illud in sensu obvio, ejusdem Pontificis, magis adhuc generale est & vagum, quàm verba Alexandri VII. in sensu à Jansenio intento. Episcopi denique Gallicani libertates Ecclesiæ Gallicanæ sub earum asserendarum specie labefactarunt, super recipiendâ Constitutione Innocentii X, & Alexandri VII, contra Jansenium.

In idem conveniunt Articuli illic tertius & quartus.

Quid de his Galliæ Clerus in Comitiis Generalibus congregatus? Audi Censuram: "Hæ quatuor Propositiones, quibus „ inquieti homines Innocentii X. & Alexan„ dri VII. Constitutiones, Innocentii quo„ que XII. Brevia æquissima, & ab omnibus „ approbata, aperte contemnunt, Episco„ pos Gallicanos rebus judicatis inhærentes „ incessunt maledictis, & causam hanc de „ integro retractari postulant, tanquam tot „ Constitutionibus, etiam accedente Ec„ clesiarum consensione, causâ nondum fi„ nita fuerit; falsæ sunt, temerariæ, scan„ dalosæ, Contumeliosæ in Clerum Galli„ canum, Summos Pontifices, & univer„ sam Ecclesiam; Schismaticæ & erroribus „ condemnatis faventes:„

Nihilominus Propositiones illæ judicio Quesnelli, sunt *Augustiniana Romanæ Ecclesiæ Doctrina, & Causa Divinæ Gratiæ*: Istud insuperabile *Subsidium* est, quod *auxiliares illæ copiæ allatum* venerant; imò, necessitate quodammodo urgente, *accurrerant veritati.*

Librum quoque eundem Quesnellus in *Epistolâ* typis editâ ad *unum è Clero Secundi Ordinis in Comitiis constitutum*, defendere adversùs Cleri sententiam minimè veretur, solitâ suâ audaciâ dimicans semper *pro veritate* novâ, & penes Catholicos hactenus inauditâ. Neque prætereundum ibi silentio autumat defectum æquitatis, quòd durè adeò Clerus feriat lucubrationem pro Jansenianâ unicè editam *veritate*; Librum autem sorbonici Doctoris du Mas *Historiam quinque Propositionum*, Augustini discipulis tam odiosam, permittat impunè totâ Galliâ distrahi. Neque causari, inquit, Comitia possunt, istius Operis ignorantiam; *constat enim oblatum fuisse Præsulibus Comitiorum præcipuis.*

Ineptissima hæc Quesnelli criminatio facilè refellitur ex eo, quòd quilibet Janseniano fascino non obcæcatus, utramque perlegens lucubrationem, perspiciat manifestè, *Augustinianam* illam *Romanæ Ecclesiæ Doctrinam*, Augustini Iprensis, seu Batavi esse, non Hipponensis; *Historiam* autem quinque Propositionum, à Doctore Sorbonico luci datam, Jansenianæ hæresi adversantem, à Censoribus Orthodoxis, & meritò approbari encomio.

Frustra ei Quesnellus laudem detrahere conatur, allegatis duobus, ut vocat, *erroribus capitalibus*, qui æquiorum judicio Censorum, nihil erronei, nihil non veri continent, sive Theologiam & Dogma spectaveris, sive Historiam. Non dubito quin inter plurima, quæ in *Historia* illa Jansenianis displicent, sit Luci publicæ exposita variatio, seu minimè cohærere visa eorundem professio circa Innocentii X. Constitutionem. Alii scilicet inter ejusdem Sectæ Proceres, illam omni se reverentiâ & submissione suscipere declarant, proinde jure latam, & continentem nihil contrarium veritati; alii innumeris eam incessunt contumeliis. De prioribus quod assero, non est cur stabiliam exemplis, quandoquidem suis esse omnibus commune adversarius glorietur; etsi mendacissimè, ut mox videbimus. Posterioris Ordinis sive detrahentium Constitutioni specimina aliquot jam dedi in Eugenio de Gelder, Ægidio de Witte, Gabriele Gerberou ipsoque Quesnello: Luculentiora nunc addituros ex Sanctamoreo.

Denique patebit, inter partes adeò vocibus dissonas, nullum esse penes Dogmata dissidium nisi momenti forsitan levioris. Sic Ægidius de Witte in *Augustini Iprensis vindicati vindiciis uberioribus* pag. 22. post graves de Quesnelli adversum se acrimoniâ querelas, *Cur ergo (inquit) sensibus juncti Disjungimur studio?* Ita quilibet debacchantes in Bullam Innocentii X, non distinguuntur sensibus ab iis, qui cum Quesnello *Sincerissimam* simulant, & profitentur vocibus, cum *reverentiâ submissionem*.

Quintum Jansenistarum Evangelium, ut aliàs monui, est Sanctamorei *Diurnum*, in quo Jansenianâ, seu Græcâ fide refertur, quidquid eo accidit tempore, quo cum cæteris Jansenistarum Oratoribus, Romæ Sanctamoreus egit causam novæ sectæ; ut, si Portæ inferi adversus Petram fidei prævalere potuissent, Bullam Innocentii X contra Jansenium impedirent.

Ex illo Opere tum Romæ tum Parisiis damnatissimo, quod etiam hodie præcipuum adversariis contra Ecclesiam armamentarium est, haurire illi solent, quidquid ferè mendaciorum Janseniana illius temporis comminiscitur Historia, & ejusdem sectæ hæreticis fundamentum pertinaciæ est.

Nos ista rebellium tela in ipsos conver-

tamus Adversarios, qui cum Quesnello moliuntur, Ecclesiæ Præsides hypocrisi circumvenire: ea nempè fallacia semper mihi visa est perniciosior, & magis detestabilis omni apertè impugnantium furore. Scopus enim fictè blandientium est, sopire omnes Ecclesiæ Potestates, ne novis hæreticis invigilent, curentque solicitè præstari definitionibus Apostolicis submissionem.

Quid, inquit Quesnellus, opus, tantos cieri motus in Petri naviculâ, quasi exitio proxima esset ex minitantibus naufragium procellis, dum tranquillissima ubique est malacia, nulla species tempestatis, præterquam in male feriatorum aliquot vel somniantium imaginatione? Quod pridem scripto & vocibus testati sumus, obtestari pergimus quotidie, Jansenismum phantasma manifestum esse, nullam sectam existere, quæ Jansenii Dogmata se defendere profiteatur; sed universos Pontificiis consentire definitionibus, & quidem eos, qui præ cæteris de inobedientiâ accusantur, cæteris passim *obedientiâ & reverentiâ* prælucere: denique remotos adeò se suosque esse a rebellione adversus *Constitutionem Innocentii X*, de quâ hîc potissimum sermo est, *ut vix ulla ab eis prodeat lucubratio, quæ non illustria contineat sincerissima eorumdem erga Constitutionem illam indicia submissionis*.

Nos autem dubitare non possumus, quin Sanctamorei *Diurnum*, quo opere post Jansenii & Baii volumina, nullum penes istiusmodi Theologos majore in pretio est, inter ea Quesnellus haberi voluerit testimonia, quibus certissimè convincamur de suorum *erga Innocentii X. Bullam sincerissimâ submissione*. Describamus itaque ex eo specimina aliquot minimè obscura.

Pag. 85. Author refert quid ipse cum Legationis sociis judicaverit de Pontificis circa quinque Propositiones sententiâ, si, ut præsagiebant, enuntiari eam contingeret, non concessâ Oratoribus Congregatione, qualem postulaverant. Judicavere scilicet, *eam Propositionum condemnationem fore sine formâ debita, inauditam hactenus, æquitati, & omnibus probi judicii regulis contrariam, quodque seipsam destrueret*. Casus autem quem præsagiebant, accidit; non fuere voti compotes quoad Congregationem qualem petierant; sed mansit qualis à Pontifice fuerat constituta; proinde consecutio penes adversarios necessaria est, *Bullam Innocentii X. formâ debitâ caruisse & cæteris laborasse vitiis, quæ à Sanctamoreo prænuntiata sunt*.

Qualis Congregatio, quale examen Novatoribus unicè placeat, ex Quesnelli discimus *Epistolâ* sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*. Pag. 19. *Si Romani*, inquit, *vellent conciliare authoritatem suis Censuris, deberent in iis procedere eo modo, quo processum est sub Clemente VIII. & Paulo V, in Congregatione de Auxiliis. Istud meretur reverentiam*; quia Partibus utrimque, quantum voluerint, auditis, post interminabiles annorum plurium Disputationes, nihil definiri potuit; sed sua utrique possessio & libertas relicta est, donec aliud Sedi Apostolicæ videretur. Unde Janseniani, in vilitigationibus exercitatissimi, sperabant se posse Denuntiatorum quinque Dogmatum examen in infinitum protrahere, atque adeò fatigatis tandem Consultoribus, Cardinalibus, ipsoque Pontifice, ab omni abstinendum penitus definitione, proinde amplissimum deinceps relictum iri Novitatibus campum.

Cæcos nempe autumant esse Ecclesiæ Præsides, & Judices fidei, etiam supremos, ut non percipiant discrimen manifestissimum, opiniones probabiles inter, & errores sæpe antea condemnatos, quibus hæreses etiam perniciosissimæ resuscitentur. Has Ecclesiæ fovere non licet, neque procrastinato dissimulare judicio; sed pestis instar in ipso statim opprimere necesse est atque extinguere principio. Quanquam & diuturnius examen, & operosius contra Jansenii hæresim institutum est, quàm aperta adeò requirere videbatur impietas.

Audiatur de hoc Eminentissimus Albizzius, quo nullus esse potuit rerum in hoc examine gestarum magis conscius, lib. de *Inconstantiâ in fide* cap. 3. "Quæ quidem (inquit) diligentia, me assistente Assessore supremæ & universalis Inquisitionis Romanæ, & maxima quidem adhibita fuit, cùm Sanctæ memoriæ Innocentius X, ad condemnationem quinque Propositionum, ex Jansenii Augustino decerptarum devenit.

„ Non enim contentus fuit, quòd in pluribus Congregationibus habitis coram Eminentissimis & Reverendissimis supremæ Universalis Inquisitionis Cardinalibus, Sententiæ Doctissimorum Theologorum Qualificatorum ordinariorum, adhibitis etiam extraordinariis Qualificatoribus exquirerentur; sed ipsemet Innocentius per plures dies, eorumdē Theologorum Qualificatorum sententias cum patientiâ audivit, & coram se, Cardinalibus Inquisitoribus, & Theologis Qualificatoribus, quemdam Abbatem de Lalane, aliosque Doctrinæ Jansenianæ fautores admisit, votaque Theologorum Qualificatorum in scriptis „ re-

„ redacta magno studio & diligentiâ perscrutatus fuit, aliisque eruditissimis viris in „ consilium adhibitis, ac indictis per Ecclesias Urbis supplicationibus, tandem in „ pervigilio Pentecostes ad condemnatio„ nem prædictarum quinque Propositionum „ devenit, afflante equidem Spiritu Sancto, „ cujus assistentia in gravissimo negotio „ semper evidentissimè apparuit;,

Illud Cardinalis Albizzii testimonium referens Eminentissimus Aguirre Theologiæ S. Anselmi Tomo 3. Editionis Romanæ anni 1690. Prolegomeno quinto exclamat "Eant „ nunc quicunque aliter sentiunt, aut lo„ quuntur, vel scripturiunt de examine, „ discussione, & consultationibus præpara„ toriis ad eam definitionem edendam, quâ „ nullam unquam diutiùs, aut attentiùs „ Roma meditata fuit;,

Testis denique irrefragabilis Alexander VII. Pontifex Maximus Constitutione, *Ad Sanctam*: *Nos*, inquit *qui omnia, quæ hac in regesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ authoritate, eadem causa discussa est eâ profectò diligentiâ, qua major desiderari non posset.*

Quid ad hæc omnia Ægidius de Witte in *Panegyreos Jansenianæ Prologo Galeato*? In primis de Congregatione ad quinque Propositionum examen à Pontifice constitutâ, ait fuisse, "non qualem Episcopi Augustino „ (Batavo) affecti proposuerant; sed fur„ dam ac clandestinam, & ubi omnia inau„ ditis Episcoporum Oratoribus, ex sola „ suggestione adversariorum perageban„ tur.... Factumque vidit Roma, ut ii, „ quorum plerique S. Augustini scripta nec „ à limine salutaverant, ac multi ne vel „ prima principia, vel ipsos terminos rei, „ de quâ tractabatur, intelligebant, judi„ cium tulerint de re gravissimâ, ex solis „ Augustini, cujus relatorem agebat Jan„ senius, Operibus ac Sententiis deci„ dendâ;,

Ibid "Huc accedit quod omnes zelosi, „ qui amore Patientis veritatis, & iniquarum „ negotiationum indignitate commoti, pro „ Jansenio loqui vellent, factione potentis „ Hallerii (Doctoris Sorbonici) & Phalangis „ confœderatæ, repulsam passi sint;,

Idid. "Infinita alia, & quidem dictis „ majora adferri possent, quæ ad inno„ centissimæ causæ (Jansenianæ) interitum „ vel ignoranter & tectè, vel improbè „ & fallaciter conspirarunt....

„ His igitur vulpinis insidiis circumven„ tus, solicitationibus pulsatus, ac tædio „ longioris moræ fatigatus ac victus Ponti„ fex, finem negotio imponere statuit, Pro„ positionesque, nullâ sensuum Orthodoxi. „ vel heterodoxi separatione factâ, damnavit.

Ibid. "Jansenii nomen Constitutioni „ Innocentianæ duntaxat insertum fuit nar„ rationis ritu, secundùm ea quæ Pontifex „ ab adversariis subdolis, clanculum, scor„ pionis instar, mordentibus, malè infor„ matus acceeperat;, Hactenus Ægidius de Witte in *Panegyri Jansenianâ*, quam, edoctus à Walonio, *posse fieri aliquid boni in S. Officio quamdiu duraret Innocentii XII. Pontificatus, quoad Regimen et Dogmatica miserabilis*, edidit cum hac epigraphe: TEMPUS LOQUENDI Eccles. 3. Verùm in hac suâ fiduciâ Walonius, & ejus socii delusos se postea confessi sunt, & gravissimè conquesti.

Quod Ægidius asserit de Congregatione ab Innocentio X. instituta, quasi illic *peracta essent omnia, inauditis Episcoporum* (aliquot Jansenio faventium) *Oratoribus*, convincitur falsitatis, non solùm ex Historiâ quinque Propositionum solidissimè descriptâ, atque edita nuper à Doctore Sorbonico du Mas; sed etiam ex testimonio ipsius Albizzii, tunc Assessoris S. Officii, dein Cardinalis, quo neminem actorum omnium magis conscium fuisse, ipsi Adversarii agnoscunt.

Lepidum est, quod in *Jansenianorum Cavillis* apud Franciscum Annatum Regis Christianissimi Confessarium legitur cap. 4. ubi ad ostentatam à Jansenianis in Congregatione coram Innocentio X, & Cardinalibus *eloquentiam*, *atque ab his* (si Jansenistis eredimus) *laudatam*, respondet Annatus, *ita laudatam ipsorum eloquentiam, ut fuerit desideratum judicium; nam cùm dicturi essent de quinque Propositionibus, cœperunt dicere de Jesuitis, ducto ab illis verbis exordio: Semipelagiana Jesuitarum Societas: tenuitque duas horas invectiva, pugnante in omnium Auditorum animis cum indignatione patientiâ. Satyram illam excepit effusa in commendationem S. Augustini, & Gratiæ per se efficacis Oratio; de quibus nulla erat controversia: & post longa quatuor circiter horarum fastidia, compertum est, nondum cœpisse dicere* DE TRIBUS CAPELLIS.

Distinctius tamen aliquid de illis Jansenistarum discursibus refert Doctoris Sorbonici Historia ad annum 1652. pag. 28. "Die „ (inquit) 19. Maii fuere introducti ad allo„ quium Pontificis quinque Oratores Janse„ ni-

„ nistarum, præsentibus Commissariis & „ Consultoribus. Post genuflexionem solitam, dicere cœpit Abbas Lalanius sermone composito, qui tenuit tres horæ quadrantes. Tota eò spectabat oratio, ut ostenderet, motam adversus quinque Propositiones tempestatem, non alium habere scopum, quàm ut Augustini Doctrina atque authoritas convelleretur, Machinationis hujus artifices declarabantur sociętatis Theologi cum Oratoribus Antistitum octogintaocto. Persuadere autem Sanctissimo conabantur, ab illis in præsenti negotio, quod totum est fidei, processum absque fide hactenus fuisse, & absque verecundiâ,

„ Finito discursu, & aliquantulo moræ interposito, Lalanius sermonem alium orsus est, sed verbis non ampliùs compositis, quo aliud horæ, & trium quadrantium spatium occupavit. Eo reduxit in compendium quinque nova scripta, inter quæ erat opusculum *Trium Columnarum*, quod prælegit integrum,

„ Finiente Lalanio, peroravit Sanctamoreus pro gratiâ efficiente se ipsâ, necessariâ ad omne opus bonum, & præter quam nulla cogitari valeat Christi gratia, sed Pelagiana tantùm. Sermo ejus tenuit horam & mediam; ingruentibus tamen tenebris, non potuit omnia legere quæ praeparaverat; unde necesse fuit Congregationi finem à Pontifice imponi. Oratores, antequam discederent, tradidere Sanctissimo quinque sua scripta, quorum jam mentio facta est. „

Scripta illa Pontifex debito subjecit examini, cumque vix aliquid continerent quàm quod antea inculcatum sæpius in privatis congressibus à Jansenianis fuerat, & ad nauseam usque à Cardinalibus, atque Consultoribus auditum, nihil superesse obicis Innocentius X. vidit, quin desideratissimum à Catholicis contra quinque hæreses anathema vibraret: quo ab Ecclesiâ scandalum tolleretur & perturbatio. De hac Pontificis sententiâ certiores redditi Jansenistæ, omnia ad reditum in Gallias disposuere..

Promulgata Constitutio Romæ fuit die 9. Junii, decimâ autem sextâ ejusdem Mensis illi valedixere sanctissimo, qui ut se adhæsuros semper Apostolicæ Sedi polliciti sunt, ita vicissim à Christi Vicario humaniter & benevolè dimissi. Istud tantummodo à Pontifice exquisivere, ut Sanctamoreus testatur, an Sanctorum Augustini & Angelici de efficaci gratiâ doctrinam configere voluisset, qui, eodem teste, respondit, utriusque sancti authoritatem adeò in Ecclesiâ firmatam esse, ut ab eâ dejiciendâ procul abfuerit: neque se voluisse attingere, aut novo subjicere examini, quæ Clemente VIII. & Paulo V. Pontificibus agitata fuerant.

Simile ejusdem Innocentii responsum est, quod à Sanctamoreo refertur, datum Eminentissimo Pimentel, *Certum esse, quod quinque Propositionibus nihil cummune sit cum Dogmatibus Augustini & Aquinatis, neque cum materiâ olim de Auxiliis controversâ*.

Hinc sibi plaudere Jansenistæ visi sunt, quasi pateret inde, Jansenii in quinque Propositionibus sensum ab anathemate immunem esse, Censuram in alienum atque imaginarium detorquendam, Hinc pariter nata est, quæ plurimis illusit simplicibus, fabula Jansenistarum, de inani novæ hæresios Phantasmate; quasi nullibi existentis, nisi in suorum cerebro adversariorum.

Quantumlibet suspectæ fidei sit responsionis utriusque Pontificiæ relator Sanctamoreus; nolim tamen hîc eam in dubium revocare, cum non nisi frivola sit, quæ inde educitur à Jansenistis, consecutio. Augustinum enim & Angelicum à Jansenii sententiis remotissimos esse pridem ostensum à Catholicis Doctoribus fuit, & ex præsenti meo contra Quesnellum Opere Lector facilè intellexit.

Neque ea materia contentionum fuit in Congregationibus de Auxiliis, ut pars utraque litigantium profitetur, utraque à scholæ suæ finibus procul Jansenium ablegat. Quapropter responsum illud Pontificium, quo tantoperè gestiunt adversarii, mihi quidem semper non majoris apparuit momenti pro causâ Jansenii, quàm pro Lutheri atque Calvini,

Imò majoris compendii esset, nec minoris videretur ponderis, si hæreticus quilibet Sedem Apostolicam, vel etiam Generalem Synodum interrogaret, num suo anathemate ferire voluerit Scripturam Sacram; securus indubiè juberetur esse, de illæsa atque inviolabili Sanctorum voluminum authoritate, Quis nempè hæreticus non sibi Sacros Codices æquè vindicet ac Jansenius Augustinum? Sed uterque perperam, uterque insanissimè.

Nunc, ut perfidia Sanctamorei, & sociorum, in promittendâ Pontifici perpetuâ cum Petri Cathedrâ unione, clariùs detegatur, animadverti convenit, infame Sanctamorei *Diurnum*, non fuisse in lucem editum, nisi anno 1662. proinde decennio post Constitutionem Innocentii, quando concitati disputationibus animi dudum debuerant defervuisse: & si quid initio temerè aut minus congrue scrip-

scriptum fuerit, debuerat tanti temporis mora prudentior emendasse.

Nihil itaque supponi hic potest præpropere in publicum prodiisse; sed maturo consilio, & longâ meditatione libratum.

Hinc ampliùs convincitur mendacissima Quesnelli Protestatio, quam supra nobis exhibuit importuna ejus pro Lovaniensibus *Apologia*. Juxta eam Quesnello atque ipsius clientibus apparet *toleranda minimè calumnia, quâ notantur velut inobedientes Constitutionibus Pontificum, quas submissione semper maximâ venerati sunt*. Inter Constitutiones illas memorandam sibi præcipuè censuit Innocentianam, cujus tanta suis reverentia sit, ut *vix ulla ab illis emittatur lucubratio, quæ non singularia præseferat sincerissimæ ergà eam obedientiæ argumenta*. Ego autem diruendo huic Quesnelli mendacio, sufficentia licèt hactenus protulerim, è fœderatorum ejus scriptionibus specimina; supetaddere tamen non refugio, quæ sola conficiendo negotio satis forent, testimonia ex ipso Sanctamorei Opere, quod nullus negaverit, irrefragabilis esse penes adversarios nostros authoritaris, ut pore præcipuum fovendæ Jansenistarum pertinaciæ fundamentum.

Nonne cæcutire oportuit in media luce eum, qui non perspexerit quem in finem legatus hic simul & Historicus, decennio post editam Constitutionem referat pag. 85. se suosque legationis socios collatis ante Pontificis sententiam consiliis statuisse, quinque dogmatum condemnationem rejicendam esse, veluti *formâ debitâ destitutam, inauditam, omni justitiæ, omnibus regulis contrariam, quæque se ipsam destrueret*, si nempe Congregationis forma, qualem ipsi petierant, non concederetur, ut eos non obtinuisse compertum est?

Talis itaque Jansenistarum *submissio*, eaque *sincerissima*, talis *reverentia erga Sedem Apostolicam* ab ipsis eorumdem describitur Oraroribus, ut nisi normam judicii & leges ab iis præstitutas, ad amussim Pontifex servaverit, pro certo habere debeat, suæ ab iisdem sententiæ non obediendum.

Pag. 130. Narrat Sanctamoreus, quæsivisse ex se Regis Christianissimi Legatum, an si à Pontifice ferri sententiam contingeret, parituri ipsi essent; respondisse autem sese *parituros; si lata fuerit juris ordine & Legibus Ecclesiæ custoditis. Se verò minimè obsecuturos; sed contemptui habituros judicium; si alienum à regulis institueretur ab Assessore Albizio, aut ab aliis æquè malè affectis, æquè ignorantibus, æquè obnoxiis Societati*; quod accidisse Sanctamoreus supponit.

Pag. 398. De Congregatione à Pontifice stabilitâ, *judicavimus* (inquit) *eam tanti ponderis negotio determinando parum idoneam, modoque procedere tam parum Canonico &c.*

Pag. 404. Occasione Pontificiæ definitionis tunc editæ ait, *suam suorumque ergà Sedem Apostolicam submissionem dirigi regulis rationis: in totius hujus instructione Processus neglectas à Pontifice fuisse omnes formas & modos detegendæ veritati necessarios.*

Pag. 419. *Qui ex Consultoribus favebant quinque Propositionibus, rationes pro earum defensione solidissimas proferebant.*

Pag. 518. *Propositionum condemnatio fuit extorta.*

Pag. 529. *Fecimus omnia quæ potuimus ad eam impediendam.*

Pag. 531. *Veriti fuimus ne nos Pontifex ad ei subscribendum vellet adigere.*

Retuli hactenus Jansenianorum tunc in Urbe existentium sensus, & judicia à Sanctamoreo exposita. Sunt autem prætereà quædam amicorum alibi degentium, ad ipsum literis data, quæ digna censuit, ut suæ inserta historiæ posteris traderenrur. Sic Pag. 3. Amicus ad ipsum scripserat: *Si Romani Censuram concipiant præcipitem*, qualis Sanctamoreo judice, est hæc Innocentii *contra quinque* Jansenii *Articulos, quid mihi faciendum sit scio: Ecclesia mihi regula est; Dispiciendum, penes quem ratio & veritas sit; Pontificemne hodiernum, an Prædecessores.*

Alterius Amici ad Sanctamoreum literæ Pag. 264. monent, *nullâ esse ratione verisimile, quod Roma possint reperiri judices, necessariâ imbuti scientiâ circa Propositiones controversas, affectu satis in veritatem propensi, satis muniti adversus cupiditatis illecebras, ut pro veritate cognitâ sententiam ferant.*

Alius ex ipsâ Urbe scribit Pag. 419. *Pontifex apparet adeò præoccupatus, ut nihil ab eo sperare liceat boni; omnia in malum ruunt, atque ut quantocyus acceleretur* quinque *Propositionum condemnatio; neque modus superest eloquendi quidpiam, quo obex injiciatur.*

Idem Amicus Pag. 440. *Fierine potest, ut tam misero loco veritas sit Romæ, ubi residere eam oportuit, velut in Throno? Speremus fore, ut Deus confundat omnes, tantâ ei injustitiâ adversantes.*

Pag. 522. Doctor quidam Parisiis ad Sanctamoreum scribens, solatii quidpiam comminiscitur, *quod nempe ferenda à Pontifice sententia, futura sit ambigua, & plenè æquivocis potiùs, quàm certæ significationis;* futu-

futura denique sit istiusmodi, ut ab utraque partium admitti valeat sensibus utriusque salvis.

Doctorem quempiam Sanctamoreus invitaverat, ut Romam accurreret, suppetias allaturus. Hic autem respondet pag. 523. *Subjicere veritatem judicio & Definitioni hominum suspectorum, quique intentionem quantumlibet bonam inspirare conatus fueris, nunquam satis luminis consequentur, aut peritiæ necessariæ, ut penetrent in arcana materiæ, circa quam disceptatio versatur; talium, inquam, judicio & definitioni subjicere veritatem, quid aliud foret, quàm eam disputationibus & Censuris suorum committere inimicorum?*

Pag. 533. Alius Sanctamorei Amicus post editam Constitutionem ei significat, *Non magnam illius reverentiam esse penes eos, qui aliquid intelligunt: adeò parum in ea observant justitiæ, passionis autem plurimum, prodente se manifestè nimis partium studio.*

In eâdem circumstantiâ scribitur de Pontifice Pag. 554. *Semper imprudentia erit, discutiendam committere causam Judici, qui ne terminos quidem, seu verba intelligit quæstionis, quæ discutienda est. Unde quid aliud expectetur quàm confusio?*

Sequuntur *Strenæ, & monita Charitatis ad Fidei Inquisitores directa pro anno 1700.* correcta & divulgata à Gerberonio. Sic ea denuntiant Apostolico Tribunali: *Omnia Decreta vestra, omnes Bullæ, pro nullis habenda sunt, quibus condemnatis (Jansenii) Augustinum, ne quidem intellecto à vobis latino ejus idiomate. Millies asserite, quòd liber Jansenii contineat Doctrinam parum sanam quinque Propositionum, de quibus inter Theologos disceptatur: contrarium persuadent nobis oculi, quibus adhibenda potius fides est, quàm omnibus vestris Definitionibus & statutis.* Nunquid insignis ubique panditur erga Apostolicam Sedem ejusque decisiones *reverentia*? Nunquid *obedientia maximè sincera erga Constitutionem nominatim Innocentii X.* contra Jansenium?

Sed quoniam superior Quesnelli Apologia, pro *Lovaniensibus* præcipuè est, in quorum vicinia author è Galliis profugus sedem fixerat, non destituendus eorum patrocinio, vel alio, cùm opus ei foret, subsidio temporali; eorum erga *Constitutionem Innocentii submissio* examinanda est; num *sincerissima* fuerit, sicut ab hoc novo hospite prædicatur.

Eminentissimus Aguirre in defensione Cathedræ Sancti Petri Disp. 21. sic præmonet, " Vidimus disputatione præcedenti, „ quomodo multi in Belgio, ac præsertim „ Lovanii, conati fuerint eludere Constitutionem Innocentii X. adversus Jansenium, „ eo prætextu, quòd Propositiones ibidem „ proscriptæ, aut non extent in ejus scriptis, „ aut non fuerint traditæ juxta eum sensum, „ in quo Pontifex eas reprobat, veluti hæreticas.

„ Quamvis autem utcumque evasionis genus fuerit gravissimè damnatum ab Alexandro VII. & rejectum à nobis ibidem „ sect. 3. oportet nunc id uberiùs rejicere, & „ ostendere, prædictas Propositiones verè „ extare in libris Jansenii, & juxta sensum, „ in quo ab ipso traditæ sunt: imò & ab ipsis „ ejus Defensoribus traditas postea fuisse, „ ac passim tradi, quantum conjicere possumus ex recentibus scriptis, & verbis ipsorum fideliter allegandis, præsertim juxta „ testimonium Patris Duffii Theologi Regis „ Catholici ad Innocentium XI. missi, Parte 2. Classe 1. & sequentibus. „

Ita Cardinalis, cujus singularis pietas, Candor, & in Censuris ferendis modestia, ab ipsis meritò commendari solet Lovaniensibus, Quesnello nusquam refragante. Quare istius Eminentissimi contra ipsos securiùs utor testimonio.

Prosequor itaque ex eodem ad Propositiones singulas. Sectioni primæ hunc titulum præfigit: " Ostenditur Innocentium X. jure „ merito tribuisse Jansenio primam ex quinque Propositionibus damnatis: ac præterea exhibentur loca, in quibus multi authores illam postea suscitasse videntur in Belgio. „ Tum in ipsa sectione ait: " Prima „ Propositio ex quinque Jansenianis inusta „ ab Innocentio X. veluti *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica* est: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; Deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.* Ut autem erubescant Dominus de Sancto Victore, & alii audentes „ negare, Propositionem hanc extare in Jansenio, accipe illam, atque eodem prorsus „ sensu ex lib. 3. ipsius de statu naturæ lapsæ „ cap. 13. „

Tum adductis Jansenii verbis clarissimis, sic Eminentiss. Animadvertit. " Satis certè, ut „ quotcunque oculos habent, videant doctrinam ejus esse eamdem cum illâ fulguritâ ab „ Innocentio: nec mirum quod damnavit illam Pontifex, veluti hæreticam, cùm sit sacris literis planè contraria, Divinæ pietati ac „ misericordiæ repugnans, & anathemate „ inusta à Sanctis Patribus, quorum plura „ testimonia exscripsimus.... Videamus nunc

an

„ an eandem Propositionem tradant, & in eo-
„ dem sensu Novi Augustiniani Belgæ, præ-
„ sertim Lovanienses. „

Citatis pluribus Lovaniensium textibus ita Cardinalis observat, " In quonam, quæso, „ ij authores recedunt ab illâ Propositione „ Jansenii damnatâ, aut quod ovum alteri „ ovo similius, quàm Theses ipsorum & do- „ ctrina Jansenii? Præstaret certè illam malè „ inbibitam, bene ex animi sententiâ cor- „ rigere. „

A prima Propositione Eminentissimus progreditur ad quatuor alias in sensu hæretico traditas tum à Jansenio, ut Sedes Apostolica verissimè declaravit, tum à pluribus ejusdem Novatoris Sectatoribus Lovanii resuscitatas; ut luctuosa nos pridem docuit experientia; atque utinam exitialis adeò lues intra unius oppidi mœnia, aut Provinciæ saltèm terminos se continuisset! Non tantos in Galliâ tumultus contra formulam juramenti Alexandrinam, non tantos contra Constitutionem *Unigenitus*, rebellis factio excitasset: neque Arnaldus, Gerberonius, Quesnellus eum pestiferâ sociorum colluvie, è Regno Christianissimo profugere compulsi, perniciem tantam finitimis Provinciis intulissent.

De Quesnello testimonium omni exceptione majus est Patris Thorentier, qui pro Generali Oratoristarum in exilium ablegato, Congregationem illam, *Assistentis* nomine, moderabatur. Cum pluribus ille Patribus præcipuis timore minimè panico territus imminentis periculi, ne Congregatio extingueretur propter novitatis infamiam, quam nonnullorum ei imprudentia afflaverat, suscipiendam meritò censuit doctrinæ regulam, quam in scholis suis servandam statuerant Generalia Oratorii Comitia, approbante Archiepiscopo Parisiensi, ipsoque Rege Christianissimo. Quesnellus autem Jansenio nimium addictus, nullis suorum hortationibus, nullâ reverentia Majorum ab ejus se novitatibus, quantumlibet damnatis, impiis & hæreticis divelli patiens, ignominiosâ maluit sibi fugâ consulere, quàm cervicis suæ duritiem authoritati inflectere, & Religioni.

Non solas fugâ suâ latebras quæsivisse Quesnellus deprehenditur; sed vel maximè fratrum suorum Montensium depravationem, quos in rebellionis suæ societatem adversus Ecclesiam, suique Ordinis Comitia, pertrahere conatus est.

Successu non penitùs caruit molitio, ut colligitur ex Thorentieri responso ad P. Picquery Oratoristis Montensibus Præpositum.

Imbutus hic à Quesnello fuerat Janseniano systemate tam solerter, ut Discipuli nomine, & calamo Magister uti potuerit ad impugnandam Comitiorum generalium Constitutionem, Audiatur de hoc Processus contra Quesnellum juridicus Art. 2. §. 2. " Genii „ (inquit) fanè superbi ac turbulenti signum „ est, si quisquam non solum superioribus „ suis obluctatur, & eorum jussis ac admoni- „ tionibus morem gerere recusat; sed insu- „ per alios instigare non erubescit, ut suum „ sequantur inobedientiæ ac pertinacis animi „ exemplum.

„ Signo hoc in fronte notatum exhibui „ Quesnellum, dum ob oculos posui audaciam illam, quâ extraneus in latebris deli- „ tescens, Oratoristas Montenses excitavit, „ ne ipsi quoque admissæ studiorum formulæ „ subscriberent: atque ipsorum patrocinium „ malè suscepit adversus Patres Bahier & „ Thorentier, qui Belgas illos Congregatio- „ nis suæ Presbyteros in vinculis charitatis „ trahere conabantur, & inducere, ut hac „ in re aliis corporis sui membris benè Ca- „ tholicis, sese conformarent. In viros hos „ Congregationis Primores acerrimè insur- „ rexit Quesnellus, eos tantùm non Calu- „ mniatores appellans, & turbulentos spiri- „ tus, qui *Infortunatam formulam* [ut ipse „ vocare non reformidat] Belgio minaren- „ tur. Adduxi minutas literarum, quas ip- „ se pro Patribus Montensibus concepit, ad „ dictos Patres transmittendas. „

Quales hæ fuerint, è responso Thorentieri, satis colligitur. Sic ille die 25. Junii 1691. " Ut clarè & liberè, quod verissimum est, „ eloquar, universi facilè assequentur, quod „ non sit Cartesiani systematis prohibitio, „ neque ratio Philosophica, aut moralis, „ quæ tuam adeò excitet bilem, & declama- „ tionibus visa fuerit digna tam acerbis con- „ tra formulam, ejusque artifices; sed quod „ revera sit Jansenismus, atque ei renun- „ tiandi obligatio, & loquendi atque scri- „ bendi aliter de gratia & libertate. Satis „ istud indicant tuæ literæ. „

Quesnello magis placuerat Præfatio Thesium quas Andegavensi Episcopo dicabant Oratorii quidam Presbyteri, Jansenianis, ut apparet, novitatibus non leviter initiati. In eâ scilicet magnificè ostentatur, etsi parum honorificè, istud de Congregatione Oratorii atque ejus potissimum Præposito Generali, quasi non valde Catholicis, testimonium: *Non alio, quàm Andilii & Arnaldi Doctrinæ lacte enutriri filios passus est Generalis noster Præpositus.* " His Thesibus (in- „ quit Thorentierius) totâ mox dispersis Gal- „ liâ, universum se conspexit Oratorium, & „ stupuit, factum esse Jansenianum. „

Imò,

Imò, Judice Quesnello, de omnibus Ecclesiæ contra Jansenium definitionibus, triumphante, totus quodammodo Mundus post Jansenium abire cœpit; sive, ut verbis iterum Quesnelli utar, quæ sunt in *Notis ad Epistolam Steyaertii* pag. 17. *Adeò non persuadetur, sensum ab authore* (Jansenio) *intentum esse hæreticum, ut jam tandem credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in eo non esse Catholicum*.

Ad pleniorem tamen de Pontificibus, & Ecclesiâ eis adhærente victoriam, duo adhuc Quesnellus pro Jansenianâ causâ desiderat, nempe plus scientię in Judicibus, minus autem virium in omnibus Jansenio adversantibus, ut enuntiat in scripto cui initium est: *Legi, Amice chare*.

Illic pag. 1. ait: *Non agitur hoc tempore de Jansenio ab omni illatâ ei aliàs injuriâ vindicando, obtinendaque omni, quantumlibet ei debita, administratione justitiæ. Non enim istud facile foret; cùm nimium adhuc potentiæ in adversariis sit, neque in Judicibus satis luminis ... Si Romana Curia nostræ esset subdita Potestati, eoque nostrum provehi contingeret Dominatum, ut Romam adigere possemus ad compositionem Bullæ, qualis nostris omnimodè votis congrueret, definitionem expectare posses, qualis nostrâ lucubratione describitur. At crede mihi, salutem Ecclesiæ, & veritatis in Romanis Constitutionibus non ponamus; Spes nostra nimio committeretur discrimini; Utamur potiùs quibuscunque præsentibus ad veritatis & Ecclesiæ defensionem adminiculis, ut ad plenam omnia* [pro Jansenio] *victoriam disponamus*.

An non igitur insigni dignum hypocritâ ingens illud Pathos est, quo Quesnellus in suos superiùs accusatores invehitur, quasi calumniatores injustissimos, minimè tolerandos sibi suisque Lovanii sociis; quibus erga Romanorum Pontificum Bullas, & quidem in causâ Baii & Jansenii, si *Apologiæ* Quesnellianæ credimus, nihil est *reverentius*, nihil *submissius*? Judicio aliorum vix minus reverentiæ, & submissionis jactare possent Lutheri & Calvini asseclę obstinatissimi; si non minus eis hypocrisis placeret, & impudentia.

Sed ut quælibet nova hæresis fraudis aliquid novæ ad se stabiliendum comminiscitur, ita singularis quædam simulandi ars & mentiendi, arrisisse præcipuè cernitur novis hisce Augustini Discipulis, quibus non plus Augustinianæ fidei est, quàm obedientiæ & venerationis erga Christi Vicarium, atque Ecclesiam universam.

Tales nobis Quesnellus occinit *Prædicatores veritatis*; quibus *Potestates omnes esse contrarias Deus permittat, ut ejus victoria attribui non possit, nisi soli gratiæ*, quæ, desertâ Christi Ecclesiâ, soli militare in posterum constituerit Jansenianæ.

CAPUT XIV.

Qualis prædicatio veritatis *penès Quesnellum, & alios ejusdem fœderis Theologos fuerit occasione Bullarum Alexandri VII. adversus Jansenii hæresim.*

Elisis Novatorum artibus, quibus avertere Innocentium X. ab infligendo quinque Propositionibus anathemate conati fuerant, apparuere hi quidem perculsi initio Vaticani fragorem fulminis percipientes: Non tamen ceciderunt animis; sed consilia contulere, certi quaqua ratione systematis adamati non dimittere defensionem.

Periculosæ plenum opus aleæ videbatur, oppugnare Constitutionem Pontificis à Rege Christianissimo expetitam, à Galliæ Episcopis omni acceptatam reverentiâ, ac submissione, nullo in cęteris Christiani Orbis partibus refragante Antistite, nullo usquam Theologorum Collegio, vel Academiâ. Verùm, ut Diabolus in novâ hæresi spem videbatur maximam collocasse, omnibus eam fraudibus contra quamlibet munire potentiam statuit, atque invitis Superis promovere.

Modum itaque suggessit percommodum, quo & hæresim retinerent, & Catholici viderentur; admittendo scilicet Constitutionem Pontificis; sed eo sensu, qui omnem ejus vim utilitatemque infringeret, dum tota damnationis sententia, in significationem verteretur fictitiam, quam constat neque Jansenio placuisse, neque ab alterutra contendentium parte fuisse Propositionum vocibus intellectam.

De putidâ hac Jansenistarum fallaciâ, graves ad Innocentium X. querelas perscripsere Galliæ Antistites, Parisiis congregati die 28. Martii 1654. " Post promulgatam (inquiunt) ab Universis Galliarum Episcopis
" Sanctitatis Vestræ Constitutionem, qua
" quinque Propositiones è Libris Cornelii
" Jansenii Iprensis Episcopi excerptæ dam-
" nantur, nihil aliud expectandum videba-
" tur, præcipuè à Gallis, qui in Sede Apo-
" stolicâ colendâ semper potiores fuerunt,
" quàm ut purâ, & non fucatâ concordiâ in
" veræ fidei unitatem, omnium animi conspi-
" rarent; sed dissidiorum author tam singu-
" lare, & piis omnibus summopere expeten-
" dum bonum Galliis invidit: quodque pa-
" làm obtinere non poterat, nempè ut à de-
" bitâ Sedi Apostolicæ reverentiâ per aper-
" tum

„ tum Constitutionis contemptum reecederetur, callidis molitionibus, ad simplicium, & incautorum mentes subvertendas, aggredi tentavit...

„ Quinque enim Propositiones Decreto „ illo proscriptas, damnare se quoque profitentur; sed alio planè sensu, quàm à Jansenio traditus & explicatus est, ad quem Propositiones illas nullatenus pertinere, constantissimè asserunt.

„ Hac arte restaurandis Disputationibus „ eisdem sibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.

„ Quare ut his incommodis prævertere- „ tur, & Constitutioni sua authoritas constaret, atque sincera ejus executio sequeretur; nos in hac Urbe Parisiensi congregati censuimus, & per Epistolam encyclicam declaravimus Propositiones illas & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii à Sanctitate vestrâ damnatas disertis & manifestis verbis... Quapropter & Constitutionem ordine Canonico latam, atque genuino in sensu intellectam, quem literæ istæ patefaciunt, devotissimo obsequio nos suscipere testamur; Prætereà daturos operam, ne quis curæ nostræ subditus impune, contraria vestris definitionibus docere, scribere, aut loqui præsumat, pœnis in hæreticos à jure decretis, alioquin à nobis statim puniendus'.

„ Ex quâ concordi omnium sententiâ subscriptionibus nostris firmatâ, Beatitudo Vestra facilè intelliget, nulli è Collegio nostro propositum fuisse, ut aliquid dignitati Constitutionis adversum scriberet vel proferret. „

Pontifex die 29. Septembris 1654. Brevi Apostolico zelum hunc Gallicanorum Antistitum laudans, probavit plurimùm datam ab illis suo Diplomati interpretationem; quia reverà, inquit, *damnavimus in quinque Propositionibus, Cornelii Jansenii doctrinam, ejus libro contentam, cui titulus Augustinus.*

Perstitit nihilominus Jansenistarum obstinatio in avertendâ à Patriarchę sui Dogmatibus infamiâ damnationis, ut hæresim spargere, quaqua versum pergant, Augustini nomine obvelatam. Defuncto Innocentio Clerus Galliæ querelas iterùm detulit ad successorem Alexandrum VII. communibus literis Lutetiâ Parisiorum datis 2. Septembris 1656.

„ Ministerio nostro (inquiunt Antistites) „ id egimus superioribus annis apud felicis memoriæ Innocentium X. ut Constitutionem ederet, quâ motus in Galliâ excitati ob Jansenii Iprensis quondam Episcopi doctrinam, certis capitibus comprehensam, compescerentur. Promulgatum à Gallicanis Episcopis Decretum studiosè amplexi sunt fideles populi; demptis paucis, qui de Jansenii doctrinâ nihil constitutum fuisse, palàm cum simularent, intimis animorum, sensibus, ex illius damnatione urebantur.

„ Horum cavillationes sine morâ comprimendas rati judicio suo decreverunt religiosissimi Episcopi, quinque Propositiones illas ad Jansenium pertinere, ejusque opiniones fuisse proscriptas. Quam suam sententiam cùm retulissent ad eundem Pontificem Maximum, illam humanissimis verbis non solùm probavit; sed authoritatis Apostolicæ pondere de integro confirmavit Brevi dato &c. „

„ Iisdem artibus (quibus Pelagius & Cœlestius errores clanculum propagabant) grassantur novæ sectæ Discipuli: ac prætereà ut à capitibus suis fulminis Apostolici amoliantur ictum, licèt obfirmato animo quinque Propositiones Jansenio iterum abjudicent, ad facti quæstionem, in qua Ecclesiam falli posse docent, controversiam deducere nituntur.

„ Quas ingeniorum versutias verâ prudentique verborum complexione infregit Breve Apostolicum; quod tricis illis syllabarum ad umbratiles scholarum disputationes relegatis, decisionisque authoritate ad juris quæstionem restrictâ, Doctrinam Jansenii, quam opere illo suo explicuit, in Propositionum confixarum materiâ, Pontificia Constitutione damnatam fuisse declarat...

„ Totam videremur debellati hostis gloriam in Decessorem refudisse, nisi constaret Orbi Christiano, quis tunc fuisset particeps curarum, & præcipuus rerum Administer, quem Parens optimus ad laudis ex hoc egregio facinore partem communionem adscivisset. „

Alexander VII. pro innatâ perspicacitate ingenii facilè animadvertit, quo illa vergeret Jansenistarum fallacia: ad quinque scilicet hæreses toto dispersas Jansenii volumine, cujus veluti compendium sunt, impunè perpetuò retinendas. Quapropter ne indulgentiâ, animis simplicium & incautorum perniciosissimâ, venenum istud serpere longiùs permitteret, efficaciore censuit antidoto, Constitutione scilicet clarissimâ depellendum.

Talis indubiè est, quæ incipit *Ad Sanctam*: ubi sic Pontifex: " Licet (inquit) ea, „ quæ Apostolicis Constitutionibus abundè „ fuerunt definita, novæ decisionis, sive decla-

„ clarationis acceffione nequaquam indi„ geant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores, illa in dubium revocare, vel fubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium cenfuimus non effe differendum. Emanavit fiquidem aliàs à fel. record. Innocentio Papa X. Prædeceffore nostro Constitutio, declaratio & definitio tenoris &c.

„ Cùm autem ficut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propofitiones, vel in libro prædicto ejufdem Cornelii Janfenii non reperiri; fed fictè & pro arbitrio compofitas effe, vel non in fenfu ab eodem intento damnatas fuiffe, afferere magno cum Christi fidelium fcandalo non reformident;

„ Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta funt, fufficienter & attentè perfpeximus, utpote qui ejufdem Innocentii Prædecefforis juffu, dum adhuc in minoribus conftituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congreffibus interfuimus, in quibus Apostolicâ authoritate eadem caufa difcuffa eft, eâ profectò diligentiâ, quâ major defiderari non poffet, quamcunque dubitationem fuper præmiffis inpofterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejufdem fidei unitate fefe contineant, ex debito nostri Pastoralis Officii, ac maturâ deliberatione, præinfertam Innocentii Prædecefforis nostri Conftitutionem, declarationem, & definitionem, harum ferie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas Propofitiones ex libro præmemorati Cornelii Janfenii Epifcopi Iprenfis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in fenfu ab eodem Cornelio Janfenio intento damnatas fuiffe, definimus ac declaramus, & uti tales, injustâ fcilicet eâdem fingulis notâ, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum figillatim inuritur, iterum damnamus.„

Data hæc Alexandri VII, Conftitutio fuit die 23. Decembris anni 1656. & statim veneratione maximâ ab omnibus Christi fidelibus accepta, frendentibus novis hæreticis; quorum partem nefcio qua imprudentiâ & cæcitate fufcipere palam aufi funt Vicarii Generales Cardinalis de Rets Archiepifcopi Parifienfis menfe Junio anni 1661.

Sed infolentem adeò non diffimulandam Pontifex statuit temeritatem, quin eam Brevi Apostolico mox acriter caftigaret eodem anno.

„ Non fine magnâ profectò admiratione „ (inquit) justo animi dolore, quo Paterna vifcera commoveantur, publicatum vestro nomine die 5. Maii anni hujus Edictum perlegimus; in quo fanè in primis non minùs temerariâ, quàm mendaci narratione profertur, tempore fel. record. Innocentii X. non aliud actum fuiffe, quam inquifitum, an Propofitiones illæ quinque de gratiâ veræ & Catholicæ, an potiùs falfæ & hæreticæ cenfendæ forent. Cùm eo planè tempore nedum de Propofitionibus ipfis cognitio habita fuerit; verùm quod è Janfenii libro *Augustinus* nuncupato, extractæ effent, & ita in fenfu ab eodem Janfenio intellectæ damnatæ, ut nos ipfi Constitutione nostrâ 17. Kalendas Novembris luculenter expreffè declaravimus.

„ Quod cùm adeò falfum patenfque mendacium in re tali afferere minimè veriti fitis, ubique malorum zizaniorum in agro Dominico feminatores, Ecclefiæ Catholicæ perturbatores, & quod in vobis eft, authores turpiffimi fchifmatis effe deprehendimini. Porrò autem etfi protervia in vobis dignofcitur, cavillationibus fubdolis & circuitibus obviam eundi Ecclefiæ definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Epifcoporum, & Prælatorum obfequium & zelus, & Christianiffimi Regis pietas tàm anxiè præsto eft; Nos tamen Pontificiæ charitatis manfuetudine, nondum fævâ viâ procedere; fed Paternâ clementiâ potiùs uti volumus, fperantes nimirum fore, ut univerfalis Pastoris vocem audituri faltem fitis, & fuis literis acceptis Edictum statim abrogaturi, ne Sanctæ hujus Sedis indignationem, & authoritatis vim experiamini, memores verborum Domini: *Omnis qui ceciderit fuper illum lapidem, conquaffabitur: fupra quem ceciderit, comminuet illum.* „

Retractarunt Vicarii Edictum fuum; Quefnellus autem, Gerberonius & alii contra omnes Pontificum Bullas obstinatiffimi, etiam hoc tempore *adeò falfum patenfque mendacium* instaurare atque *afferere minimè verentur, ubique malorum zizaniorum in agro Dominico feminatores, Ecclefiæ Catholicæ perturbatores, & quod in ipfis eft authores turpiffimi fchifmatis,*

In iifdem non minùs quàm in Vicariis illis Parifienfibus, imò multò magis *protervia dignofcitur, cavillationibus & circuitibus obviam eundi Ecclefiæ definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Epifcoporum & Prælatorum obfequium & zelus, & Christianiffimi Regis pietas tam anxiè præsto eft*: quibus denique *nihil deeffe ut univerfam Ecclefiam obligent*

obligent, & circa illas nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse, certum fuit Clero Galliæ in Comitiis Generalibus anni 1705. ut Cardinalis Noallius, qui Comitiis illis præfuit, testatus est literis ad Clementem XI. Pontificem Maximum, approbante Rege Christianissimo, scriptis anno 1711. 28. Junii.

Referenda nunc mihi Quesnelli temeritas est, resuscitans locis pluribus & impudentiâ non tolerandâ mendacium in Vicariis Parisiensibus ab Alexandro VII. tam graviter reprehensum. Sic ille in scripto cui initium est: *Legi, Amice chare*, pag. 2. " Universæ (inquit) damnationes quinque Propositionum reducuntur ad eam, quæ ab Innocentio X. lata est, cùm extra dubium sit, quòd solus hic Pontifex eas examini commiserit. Sed & pariter manifestum est, quod examinatæ tunc non fuerint, tanquam ad Jansenium pertinentes; de cujus sensu nulla in Constitutione fit mentio: quin, si Augustini Discipulis persuasum fuisset, Jansenii sensum ab Innocentio X. condemnari, cavissent illi sibi à submittendo se ejus Diplomati, ut submisere se statim, ac sempet postea absque difficultate.,,

Pag. 3." Evidens quoque est sensum illum non fuisse ab Alexandro VII. definitum. Pontifex hic neque Congregationes instituit, neque judicia, in quibus fieret Propositionum quinque discussio: aliud ab eo nihil præstitum, quàm quod testimonium reddiderit eorum, quæ facta fuerant sub Innocentio X. in quibus si falsus fuerit, aut lapsus memoriâ, supponendo factum, quod certè non fuerat, qualecunque testimonium ejus contrarium veritati, habendum pro definitione non est.,,

Pag. 4." Non igitur verum est, sensum Jansenii Constitutionibus Pontificiis fuisse condemnatum: iterum dico & inculco, licet Pontifices condemnando Propositiones in se ipsis, & absque relatione ad Authorem, credere potuerint, & crediderint reipsâ, fidem facientibus Jesuitis, Domino Hallier, & quibusdam Episcopis, quod Propositiones essent voluminis Janseniani.,,

Quid tandem faciet Ecclesia pertinacissimis hisce omnis authoritatis contemptoribus, & cæcutire volentibus in meridiâ luce? Millies ipsis Propositiones in Jansenio clarissimè ostensæ sunt: easdem ibi existere falsi sunt, imò gloriati ipsorum Majores, qui antè condemnationem tanquam suas, & omnium Sancto Augustino adhærentium, propugnaverunt in sensu proprio & obvio; sensum autem hæreticum ajebant non eis proprium esse, sed *alienum*, & tantum *malignè affingi posse*, ut ipsis Scripturarum Oraculis ab hæreticis *affingitur* suæ consentaneus impietati.

Lato autem in Propositiones anathemate, pristinos earum defensores adeò non puduit præstiti erroribus patrocinii, quin eisdem obstinatissimè retentis, multiplicem addidere mendaciorum perfidiam. Hanc aliàs detectam exhibui ex ipsâ declaratione Jansenistarum, communi omnium nomine, ab eorum, coram Innocentio X. Oratoribus oblatâ, & typis sæpiùs editâ, etiam nuper, ab Ægidio de Witte in *Panegyri Jansenianâ* pag. 103. & septem sequentibus. Præterea ex libro *de Gratia victrice* composito à Lalanio sub nomine Domini *de Bonlieu*; plurium autem & præcipuorum Jansenistarum calculis approbato. Videri illic potest in primis pagina 10. 16. 18. 21. 32.

Nobis hic sufficit, Quesnellianæ hypocrisis convictio, dum in *Apologiæ Historicæ* memoratâ superiùs præfatione audet patheticè exclamare adversus Catholicos, à quibus accusantur aliqui, tanquam Constitutionibus Apostolicis, præsertim Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII inobedientes. *Quis*, inquit, *istiusmodi calumniam patiens ferat, cùm nos, qui præcipue notamur, Constitutiones illas maximâ semper prosecuti fuerimus reverentiâ & submissione?*

Urbani VIII. Constitutio *in Eminenti* de Jansenii opere pronuntiaverat, *cùm ex diligenti & maturâ ejusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex Propositionibus à* (PioV, & Gregorio XIII.) *Prædecessoribus nostris olim damnatis contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes defendi... malo in scandalum totius Reipublicæ, & Fidei Catholicæ vertenti*.

Contra saluberrimam hanc Pontificis sententiam erexit se mox Antonius Arnaldus, tunc juvenis, ut secuturæ imposterum præluderet temeritati, meritus vel tum Principem inter Jansenianos locum. Triennali studio *Apologiam* composuit *pro Jansenio*, ubi p. 92. asserit, *Deum Jansenii Laboribus reservasse materiam de Gratiâ melius elucidandam, quemadmodum ædificationem Templi destinaverat Salomoni*.

Quod verò attinet ad Baii Articulos à Jansenio resuscitatos, postquam fuerant à Pio V., & Gregorio XIII, condemnati, respondet eadem Apologia in Præfatione: *Non potest sine voluntariâ excæcatione, & portentosâ pertinaciâ negari, Propositiones Baii, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capita-*

pitalia Doctrinæ S. Augustini: ubi quotquot sumus in Ecclesiâ Catholici Pontificibus consentientes, declaramur *excæcatione laborare voluntariâ & pertinaciâ portentosâ*.

Quandoquidem autem eadem *puncta capitalia* à Quesnello conspicimus renovata, & iterum proscripta in Clementis XI. Constitutione, si cuiquam libuerit accuratè illa expendere, inveniet singula locis suis à me discussa diligentissimè: unde facilè colliget, Augustini non nisi Batavi, esse *puncta Capitalia*, propiusque ad Calvinum accedere, quàm ad Doctorem Maximum, aut alium è Patribus ab Ecclesiâ probatis.

Arnaldus in eâdem Præfatione, *Celestem* (inquit) *Sancti Augustini Doctrinam clarissimè & solidissimè Jansenius explicuit*.

Insignis in authore tunc admodum juvene confidentia, imò temeritas est, Sedem Apostolicam cum tot eruditissimis ejus Consultoribus & Theologis, toti denuntiare Ecclesiæ quasi impetitam adeò, ut *clarissimè & solidissimè explicatam veritatem* non videat, vel potiùs nolit tagnoscere, utpote *cæcè voluntariè & portentosè pertinax*.

Arnaldus postea ætate provectior Quesnellum nactus est contubernalem discipulum Magistro audaciâ vix inferiorem. Hic in mendacissimâ *Defensione duorum Brevium* pag. 105. " illa (inquit) Alexandri VII.
„ verba *Filii iniquitatis*, quæ tantopere, &
„ in tot occasionibus jactantur, aliud non
„ probant, quàm fuisse illo tempore æquè ac
„ modò, egregios calumniatores, & statum
„ quæstionis delationibus falsis obfuscatum,
„ sepultumque sub calumniâ; nec nisi perfidè, vel stolidissimè expositum iis, quibus
„ debuerat esse præ cæteris exploratus.

Lovanii Doctor Steyaertius Vicarius apostolicus Sylvæducensis anno 1692, die 26. Julii considerans vibratam ab Alexandro VII. Censuram in Jansenianos, tanquam *Filios iniquitatis*, hanc thesibus Scholasticis inseruerat conclusionem: *Filii iniquitatis jam pridem judicio Alexandri VII. fuerunt, & irrevocabiliter erunt, qui judicio Sanctæ Sedis circa sensum Jansenii non acquiescent: proinde dum noti sunt, ad munia nulla Ecclesiastica admitti possunt*.

Quesnellus autem se suosque sentiens non minus aperte, quàm acriter hic perstringi, in Steyaërtium invehitur eâdem, quam mendacissimam esse monui, *duorum Brevium defensione*, pag. 106." Vide (inquit) quâ
„ conscientia, quo fundamento, quâ
„ animi dispositione ausus fueris scribere in
„ Thesibus anni 1692. illa verba furoris
„ plena „ *Filii iniquitatis jam pridem judicio Alexandri VII. fuerunt* &c. ut supra.

Licet ea Quesnelli oratio seu invectiva, directè impetat Steyaertium; cuilibet tamen ratione prædito evidens est, idem improperium sententiâ authoris conjici in ipsum Pontificem, atque hunc à Quesnello interrogari, *quâ conscientiâ, quo fundamento, quâ animi dispositione ausus fuerit* in Constitutione *Scribere illa verba furoris plena, quibus* vocantur *Filii iniquitatis* qui *Propositiones quinque vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi Fidelium scandalo non reformidant*?

Alexander VII. Quesnellianum improperium ipsâ suâ constitutione præoccupat, rationemque statim reddit; quia *Nos* (inquit) *qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ authoritate, eadem causa discussa est eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non possit*.

De eâdem *diligentiâ* verè *maximâ* testantem aliàs exhibui Cardinalem Albizzium lib. de *Inconstantiâ in Fide* cap. 3: Quo pariter testis certior esse non potest, utpote qui tunc Assessorem egerat S. Officii; unde meritò Cardinalis Aguirre in Theologiâ S. Anselmi Tomo 3. Prolegomeno 5. *Eant nunc* (inquit) *quicunque aliter sentiunt aut loquuntur, vel scripturiunt de examine, discussione, & consultationibus præparatoriis, ad eam Definitionem edendam, quâ nullam unquam diutius aut attentius Roma meditata fuit*.

Gerberonius autem pro solitâ suâ temeritate & impudentiâ, non veretur ipsam Apostolicam Sedem cum suis Administris & Cardinalibus arguere falsitatis & calumniæ in Historiâ generali Jansenismi Tomo 2. pag. 220. dicens: *Nemo potest asserere, quod quinque Propositiones sint Jansenii, & in sensu ejusdem authoris condemnatæ, nisi inferendo injuriam Jansenio; & sibi infamiam*.

Ibid. pag. 316. *Alexander VII. solâ fide Episcoporum Galliæ, absque aliâ informatione, absque alio examine declaravit, quinque Propositiones esse Jansenii, & in ejus sensu condemnatas*.

Proin Galliæ Episcopi veluti præcipua damnationis causa, præcipui sunt authores calumniæ Jansenio illatæ, sibique cum tanto crimine infamiam consciverе præ cæteris, si mendaci credimus Gerberonio.

Ægidius de Witte in Prologo Janseniane

na Panegyris pag.38. ex Sanctamorci *Diurno*, quod aliàs monui, Jansenianis passim esse quinti instar Evangelii, de Innocentii X. Successore Alexandro VII, ait, " Hic erat antea „ Cardinalis Chisius, quem partem non „ postremam in Bulla Innocentii habuisse „ constat... Is itaque Innocentio proximè „ tum in Sede Apostolicâ, tum in hujus negotii prosecutione suffectus, non nisi unus „ & idem, quantum ad hanc causam, cum „ Antecessore suo censendus nobis est. Quin „ imò conjecturis non levibus probatum pos„ semus dare, obtrectationes adversariorum „ per Chisium primò callidè circumventum, „ non minimâ ex parte ad ipsum Innocen„ tium promanavisse. „

Pag.39. "Halerius enim (Sorbonicus Do„ ctor ab Episcopis Antijansenianis ad Sedem „ Apostolicam destinatus) imposturarum in „ Jansenium, & Jansenio deditos primarius „ artifex, apud Eminentiam istam perfacili „ gaudebat accessu, & singularis planè be„ nevolentiæ, cùm apud eamdem ageret, „ significationibus demulcebatur. Chisius „ itaque jam non Chisius; Sed Alexan„ der VII. in Apostolico Throno consīdens, „ cùm audiret, *non nullos asserere, prædictas* „ *Propositiones in libro Cornelii Jansenii non* „ *reperiri*, Bullam edidit, in qua, ut videmus, „ multo asseverantiùs de libro Jansenii, & „ erroribus in eo deprehensis enuntiat. Ait „ enim Innocentio persuasum fuisse, quod „ Propositiones quinque in libro illius exta„ rent, & sensu damnabili, quem Consti„ tutione suâ dispulit, traderentur.

„ At profectò non aliis argumentis id In„ nocentio persuasum fuit, quàm quæ supe„ rius enucleatè & abundanter protulimus; „ hoc est solâ partium Jansenio adversan„ tium malignâ & innumeris contumeliis in„ crustatâ delatione, ac nullâ pro Jansenio, „ cujus vel nomen eloqui Oratoribus Episco„ porum (aliquot Jansenio faventium) in„ terdictum erat, vel tenuissimâ defensione „ auditâ.

Mendacium hoc vel ex eo convincitur, quòd in ipsis *Tredecim Theologorum suffragiis*, quæ Janseniani spargunt [quantumvis ab Alexandro VII. apocrypha declarata sint, & vetita adhiberi] de Jansenio & ejus scriptis non semel mentio habeatur. Ea deferri potuit reverentia Antistiti defuncto in pace Ecclesiæ, & obedientiâ erga Christi Vicarium, ut nulla ei inferretur infamia propter librum, quem author in vita sæpius, & magis authenticè morti proximus, judicio Pontificis submiserat. Sufficere quoque poterat liber ipse, qui suâ claritate, quæ ab omnibus agnoscitur, accusator sui esse poterat vel defensor. Ita S. Bernardus de Petro Abailardo scribens ad Guidonem Cardinalem Epist. 192. *Ego non eum accuso apud Patrem, est qui eum accuset liber suus*. Contra solam Jansenianì voluminis doctrinam accusatio instituitur: nulla contra Episcopi personam, qualiscunque ea fuerit; proinde neque ullus pro eo, vel contra audiri testis debuit; sufficiente, ut dixi, ipsius luce voluminis, scripti idiomate latino, omnibus in Urbe Theologis, consultoribus, judicibus notissimo.

Verùm, inquit Eugenius de Gelder, non tam idiomatis latini ignorantiæ, quàm negligentiæ Romanorum, & defectui examinis tota Janseniani sensûs iniqua condemnatio tribuenda est. Sic in *Libello supplice, seu voce ultimâ zelatricis innocentiæ*, ipsum Pontificem Innocentium XI. alloquitur Pag.30 *Quod Urbanus VIII. fuerit deceptus, patet ex propriâ ipsius Bullâ*. Ibid. *Quod Innocentius X. fuerit deceptus, ad oculum demonstratur*. Pag.31. *Quod Alexander VII. fuerit deceptus, ex eo constat quod liber Jansenii nunquam Romæ ritè fuerit examinatus*.

Obstringere sibi quodammodo Apostolicam Sedem adversarii volunt, prætensam sententiæ injustitiam tribuendo potiùs imperitiæ, negligentiæ, deceptioni, quàm malæ fidei, & affectui perverso. *In Reflexionibus Religionis & Statûs* pag.17. ait Gerberonius: *Quidquid Alexander VII. declaravit circa Factum* [Jansenii] *subreptitium fuit, quia nimis facilè credidit id, quod ad eum aliqui præventi Episcopi scripserant*. Eundem similia scribentem suprà vidimus in *Jansenismi Historiâ Generali* Tomo 2. pag.316.

Ægidius de Witte pro suâ inter Jansenianos eximiâ eruditione & perspicaciâ penetrare profundiùs se existimat in omnium anathematum adversus Janseniana dogmata latorum originem. Cum scilicet Roma ferè tota Pelagiana sit, aut Moliniana [quæ ab Ægidio pro Synonimis habentur] mirum non est, eam adversari Augustino Batavo, utpote qui juxta eum totus concinit Africano.

Ipsa Ægidii verba audiantur in *Denuntiatione solemni Bullæ Clementis XI. vineam Domini*. Pag.6. Ecclesiam sic alloquitur." Con„ jurasse contra te videtur universitas Populi „ Christiani à minimo usque ad maximum.

Pag.8." Infirma est ipsa Religionis Arx „ (Roma) terra infecta est à lue Pelagiana;„ Idem in *Augustino Iprensi* (Seu Batavo) *vindicato* pag.280." Benè subductâ ratione, Mo„ liniano aut Pelagiano contagio jam nunc „ contaminata videtur longè maxima Reipu„ blicæ Catholico-Christianæ pars. „

Pag.284.

Pag.184. " Magni discriminis est ista in „ dies invalescens in Ecclesiam pestilentia: „ & omnes bonorum omnium conatus colli- „ gendi, ac vires, ut tam atrox malum aver- „ tatur, & penitus contabescat. „

Ægidio de Witte consentit Gabriel Gerberon in *Responso ad discordiæ Jansenianæ Enarratorem dispunctum* Pag.5. " Undenam, „ putas, Pelagiana, aut saltem Semipela- „ giana hæresis novissimis his temporibus „ Christianum pene totum inundat orbem; „ nisi quia, præterquam quod omnes nasci- „ mur Pelagiani, Christianæ plebi subducan- „ tur Catholicæ, quas de Gratiâ Christi & „ Prædestinatione Scriptura & Sancti Patres, „ post Augustinum, protulerunt veritates, „ & his subductis nihil Populo Christiano „ oggeritur, quàm... Pelagianorum asser- „ tiones. „

Redit Ægidius de Witte in *Augustino Iprensi Vindicato* Parte 2. Pag.275. " Totum „ prope mundum apertè post Pelagium & „ Molinam, densatis cohortibus abire cerni- „ mus, atque ipsa in primis Italia perquam „ malè audit in illo genere; non ergo gravis „ admodum Eminentissimis Dominis Cardi- „ nalibus, è quorum Collegio Romani Pon- „ tifices assumuntur, inditur, aut irroga- „ tur injuria, si & aliqua suspicio nobis insit, „ paucos ex illis a valde universali illo, & „ Ecclesiam miserrimè depopulante conta- „ gio, sive ab adolescentiâ fuisse immunes, „ sive postea melioribus instructionibus sa- „ lubriter emersisse. „

Pag.276. " Cur ergo adeò peregrinum „ videri deberet, si Innocentius X. & Ale- „ xander VII. ille in scientiâ Theologicâ val- „ de parum exercitatus, hic neque in illa do- „ ctus admodum, & Urbis publicâ voce „ Jesuitis (juxta Ægidium certissimè Pela- „ gianis) intimè coadunatus, contamina- „ tione illâ naturaliter insitâ, infecti fue- „ rint,

Pag.255. " Pede firmo & irretorto per- „ sistendum fuit sive Episcopis, sive Theo- „ logis eruditis Belgii & Galliarum in ipsa „ defensione propositionum, etiam ut per „ se jacent ac resonant: & Bulla ista Inno- „ centiana, magisque adhuc Alexandrina, „ totis viribus impugnandæ fuerunt à „ verè intrepidis Divinæ gratiæ amato- „ ribus. „

Pag. quoque 250. dixerat. " Ex dictis „ satis superque elucere, non rectè à Jansenii „ Advocatis defensionem Propositionum, „ etiam prout fabricatæ fuerant, abdicatam „ fuisse; nam id erat Molinianæ ovationi, „ & Pelagianæ lui, per Ecclesiam grassanti, „ aditum præsentissimum aperire. „

Ne verò, lector, autumes Ægidium hunc nomine & omine *Candidum*, Sectæque inter Jansenistas *Candidæ* principem, in sola hærere Jansenianorum dogmatum defensione confusâ, sive generali, singulorum offert vindicias dissertissimas; specimen exhibens in hac Propositione Jansenii prima inter quinque hæreticas, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia: Deest quoque illis gratia qua possibilia fiant*. Postquam ex damnato Jansenii Opere, quidquid ibi pro stabilienda hac hæresi reperire potuit argumentorum, non levi studio collegit; Pag. 249. " Quæro jam (inquit) à cordatis omni- „ bus, an non ipsi primæ Propositioni, ut ja- „ cet, violentia quædam adferri debeat, ut „ vel à loco suo avulsa perversum, & dam- „ nabilem sensum faciat. „ . . . Pari jam fa- „ cilitate diluere possum omnia, quæ adver- „ sus Propositiones reliquas à variis autho- „ ribus producuntur. At satis est ad institu- „ tum meum, quod est judicium illud Roma- „ norum Pontificum circa famosas Proposi- „ tiones convellere. „

Hactenus de Witte, cujus quidem in hæresi obstinatio execrabilis est, neque tolerabilis temeritas apertè schismatica, in proterendis palam Sedis Apostolicæ Definitionibus, etiam sæpius à non uno Pontifice confirmatis, nullo Episcopo refragante; attamen candor ejus, quamvis in re pessimâ impudens, minùs Ecclesiæ noxius videtur, utpote circumveniendis, perdendisque Fidelibus minùs idoneus, quàm fallacissima Quesnelli hypocrsis, sub larvâ Fidei, Religinonis, obedientiæ, impiam obtegens hæresim & rebellionem.

Cum adductis hactenus luculentis adeò Jansenistarum textibus conferat Lector Quesnellianas in suos adversarios declamationes, quasi novis Augustini discipulis graviter simus injurii, quoties illos arguimus de non præstita Constitutionibus Apostolicis reverentiâ ac submissione. Contendit scilicet Quesnellus, *illis qui Jansenistarum nomine appellantur; nihil esse erga Pontificias definitiones obedientius: vix ullam ab ipsis in lucem procedere lucubrationem, quæ non illustria præseferat submissionis erga easdem sincerissima indicia; nullam denique Sectam esse hoc tempore, quæ Jansenii dogmata profiteatur*.

Hæc ejus nænia est, nisi dicere malueris nequissimam perfidiam, in Apologiâ pro Lovaniensium & Duacensium Censuris, præsertim in Præfatione, in ipso etiam opere pag. 400. & 402. à me autem tanquam putida men-

mendaciorum congeries convicta fuit clarissimis huc usque Documentis ex ipsorum Lucubrationibus Jansenistarum, etiam Quesnelli.

Quando igitur novos hosce Ecclesiæ Reformatores audis, anathema dicentes *omnibus sensibus, quos Romani Pontifices in quinque Propositionibus damnavere*, cave intelligas damnationem sensus Jansenii, prout in ejus volumine exprimitur; quia, inquit, Quesnellus lib. cui titulus Pax Clementis IX. pag. 179. "Sophisma consecutionis stolidæ est: „ *Damnamus omnes sensus quinque Propositionum, quos Ecclesia damnavit: ergo damnamus sensum Jansenii*. Hunc disertè ex„ cepimus, & circa eum promisimus solum „ reverens silentium.„

Pag. 18." Est ergo illusio intolerabilis „ dicere, quod sub vocibus *omnes sensus* „ comprehendantur sensus Jansenii. Similis „ illusio est velle istud colligere ex his voci„ bus: *Damno sine restrictione & exceptione*; „ nam semper subintelligi nihilominus debet „ exceptio sensus Janseniani.„

Nonne istud potiùs est illudere Ecclesiæ, & turpi fallaciâ furari quodammodo Sacros Ordines, Beneficia Ecclesiastica, & officia, quando Episcopis, vel etiam Romano Pontifici ejusque ad conferenda Beneficia Adjutoribus, & Ministris, interrogantibus Candidatum, num Constitutionibus Apostolicis, nominatim contra Jansenium editis, se submittat *absque restrictione & exceptione*? respondet, quemadmodum à Quesnello edoctus est, confidentissime affirmando? Talis institutio Christiani populi inusitata fuerat hactenus in Ecclesiâ, neque cognita à Sanctis Patribus: at singulari tandem acumine ingenii à novis Theologis, Ecclesiæ Reformatoribus excogitata.

Aliud suprà retuli Quesnelli mendacium, quod *nulla hoc tempore secta sit, quæ doctrinam Jansenii profiteatur*. Etsi quoque illud ipsius Quesnelli, Arnaldi & aliorum productis enuntiationibus, videri satis poterit confutatum, copiosioribus tamen etiam juvabit penitus debellare.

Gerberonius in *Morali laxiore* pag. 35. "Pauci sunt (inquit) qui sciant, quid doceat „ Augustinus, & legerint Librum Jansenii, „ quin convicti agnoscant Augustinum Iprensem eadem loqui, eadem sentire quæ Hipponensem.„

Idem in Reflexionibus Religionis & status Pag. 8." Si Professione solemni asseritur, „ quod sensus hæreticus, quo Propositiones „ damnatæ conspiciuntur, idem sit qui Jansenii, cogimur fateri, quòd Doctrina Sanctorum Pauli Apostoli, & Augustini in materiâ de Gratiâ & Prædestinatione sit hære„ tica, & condemnata.„ Quia scilicet Jansenii liber, nomen præferens Augustini, totus de gratiâ & Prædestinatione est, totus Doctori Maximo juxta Gerberonium consonus, proinde Catholicus haberi debet, & ab omni liberrimus Censurâ. An neque istud est *Jansenii Dogmata profiteri*?

Non minùs apertè & absque ambagibus Eugenius de Gelder *voce ultima*, ut vocat, *zelatricis innocentiæ* pag. 115. alloquens Innocentium XI. Pontificem, affirmat *Doctrinam Sancti Augustini à Jansenii Doctrinâ esse reverà inseparabilem*.

Martinus Steyaert, postquam diu visus fuerat Arnaldi Partibus adhærere, atque ita à Jansenii dogmatibus non alienus, tandem publicè declarare voluit, se eisdem adversarium. Declaratio ea fuit Editio *Notarum in quinque Jansenii Propositiones*, quas judicio justo à Sede Apostolicâ asserit esse condemnatas. Jansenistis illud apparuit, inexpectati belli denuntiatio, & Classici cantus, quo tota mox commota eorum Hierosolyma est; quia Theologus ille, ut ingenio erat acri, videbatur magni momenti negotiis tractandis perìdoneus, ideoque ejus à *Veritatis* novæ *Prædicatoribus* publica defectio, non poterat eis non accidere perquàm luctuosa.

Præ cæteris Ægidius de Witte calamum strinxit, omnemque tum in novo hoste fodicando, tum in defendendo Jansenii volumine exercuit Rhetoricam. Assumpto itaque *Palladii* nomine, edidit *Spongiam Notarum quibus quinque Propositiones asperserat Martinus Steyaert* Anno 1688.

Orditur Ægidius vehementi Philippicâ seu invectivâ acerbissimâ in adversarium, quod *Notis Scholasticis* aggredi ausus fuerit Iprensium Antistitem, Lovaniensium decus Theologorum, ipse Theologus etiam Lovaniensis, & Iprensis Ecclesiæ nuper Canonicus. Quis istud (inquit) expectasset à viro tali efficacis per se gratiæ tam strenuo hactenus defensore? Inde Palladius procedit ad Propositionum in Jansenio damnatarum vindicias, in quibus nihilominus ægrè fert, se sibique similes Augustini discipulos odioso Jansenistarum, veluti intolerabilium, & pessimæ fidei hominum nomine compellari.

Steyaertius scilicet in *Theoriâ expurgatâ* pag. 15. dixerat, se *Jansenistæ nomine* intelligere hominem qui *Jansenii doctrinam tuetur ac profitetur*, sicut accipitur Thomistarum, Scotistarumque appellatio, quia profitentur suorum dogmata Principium Scholasticorum.

Re-

Respondet Palladius Conclusione suæ Criseos in Steyaertii Notas pag. 20. " Finio, „ ut Theologus (Steyaert) cum *Jansenista* „ vocabulo. Si locutionis,fixarumque menti- „ bus idearum imperium teneret Theolo- „ gus, nomenclationi ejus atque descrip- „ tioni actutum accederemus; ac Jansen- „ istas haberi, magno duceremus hono- „ ri. Quid enim generosius in hac par- „ te? At, si Jansenistæ nomine intelli- „ gas *hominem exoticum*, *& non sanæ fidei*, „ hac ratione impactam nobis Janseniano no- „ mine calumniam aversamur „ quomodo enim convenire illud potest Augustinianæ *Prædicatoribus veritatis*? Vocari autem quempiam sensu Steyaertii *Jansenistam*, ut appellatio aliud non significet, quàm *hominem qui doctrinam Jansenii tuetur ac profitetur*, quemadmodum Thomistæ aut Scotistæ nominatio à professione Doctrinæ Scotisticæ, vel Thomisticæ derivatur, *hoc sensu Jansenistas haberi & esse magno duceremus honori*; *quid enim generosius ac gloriosius*? Sic palam denuntiat *Ægidius*, vulgò *Candidus*.

Ad ampliorem & abundantem Quesnelliani mendacii convictionem, quo negavit *Sectam existere eorum*, *qui* Jansenii dogmata profitentur, juverit ex eodem Ægidio testimonia superaddere luculentiora. In *Panegyri Jansenianâ* scripserat pag. 33. " En quibus „ artificiis utrique summæ Potestati ad libri „ excellentissimi, quem vel hoc, vel plura „ retro secula pepererunt, excidium ab his „ falsitatum Architectis obreptum sit. „

Pag. 68. " Jansenius diversos sensus circa materiam Propositionum, de quibus di- „ sceptatur, tradidit: quis illorum omnium „ notatus est Censurâ? „

Pag. 48." Provoco ego minimus Defen- „ sorum Jansenii omnes, quotquot sunt us- „ quam, Molinianos, ut ostendant, cum „ non jam dico in quinque Propositionibus; „ sed in unâ solâ ab Hipponensi Augustino „ vel terminis vel significatione disjun- „ gi. „

Pag. 51. " Solius planè Societatis inte- „ rest, Librum Jansenii condemnari. „

Panegyris hæc eodem quo apud Belgas anno 1698. prodiit, Romæ Decreto S. Officii confixa est: vehementer quoque displicuit Lovaniensibus non solùm Catholicis; sed etiam Jansenianis: Prioribus propter hæresios venenum; Posterioribus ob præcocem audaciam, quæ *tempus loquendi* apertè & publicè pro Jansenio, ejusque defensoribus advenisse, citò nimium denuntiabat.

Ægidius verò pro solitâ suâ temeritate, minimè territus Censurâ, sive Romanâ, sive Lovaniensi, utrique mox opposuit *Panegyrios Jansenianæ Apologiam*, cum hac statim in ipso titulo, ostentatione pertinaciæ, *justificationem, quam cœpi tenere, non deseram*.

Tum pag. 3. Lovaniensem sic alloquitur Theologum, " Si viri illi apud vos ornatissi- „ mi, sine velamine affectuum, atque ad so- „ lam vocem veritatis, auribus internis at- „ tenti, considerassent Jansenianam Pane- „ gyrim, de ejusdem nervis ac momento for- „ tasse æquiùs ac saniùs judicassent. At cùm „ ex præconceptis affectibus Censura strin- „ gatur.... tum verò nihil miri, tot nebu- „ lis involutam mentem, à judicio veritatis „ recedere, ac derelictis rectè censendi atque „ arbitrandi regulis, in sententiam iniquæ „ aspernationis, aut temerariæ damnationis „ labi.„

Quid augustius pro dogmatibus Augustini tantopere probatis, dici potuit, quàm quod pro universâ Jansenii doctrinâ, famoso ejus expressâ volumine, afferitur in hac Ægidii Apologia pag. 22.? Sic nempe Janseniano œstro percitus vociferatur. " Palàm coram „ Cœlo & terrâ, elatæ vocis encomio, Jan- „ senii [seu ejus operis] prædicandæ inno- „ centia, indefatigatæque preces apud Sa- „ cerdotium & Imperium sine intermissione „ accumulandæ sunt, ut... Liber Præsulis „ eruditissimi, ac collatis in Ecclesiam & „ Rempublicam meritis celeberrimi, tandem „ aliquando erumpat ex iniquis illis tene- „ bris, ubi factione obnoxiorum hominum „ jam à tot lustris obrutus ac pressus jacet.

„ Demonstrandum perspicuis rationibus, „ quod perquàm est facile, Doctrinam Ec- „ clesiæ magis jam esse illigatam Jansenio, „ seu personæ ac scriptis ejus, quàm unquam „ personæ Athanasii innexa fuit: cujus ta- „ men damnationem olim tam graviter Ec- „ clesia tulit. Unà conveniet declarare, „ scriptoris gloriosi volumen tum dignitate „ materiæ, tum excellentiâ sapientiæ, tum „ pietatis afflatu, libris omnibus, quos Ec- „ clesia Dei post Canonicas Scriptutas pro- „ tulit, aut non cedere, aut palmam etiam „ cum laude auferre. „

Mox ubi insolens adeò contra omnes tum Principes Scholasticorum, tum Patres Sanctissimos atque Doctores Ecclesiæ in lucem publicam prodiit temeritas, Orthodoxorum omnium excepta indignatione est: rectiùs dixero, horrore omnium, inprimis Apostolicæ Sedis, ad inferos remissam.

Verùm Ægidius pectus gerere solitus, nullis pervium querelis, nulli anathemati, composuit opus aliud schismatico non minùs ple-

plenum Spiritu, sub hoc titulo *Augustinus Iprensis vindicatus*, *atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis XI. ereptus & erutus*. Quem illic non præ se tulit zelum pro dogmatibus Jansenii universis?

Pro illis Pag. 255. monuit *& Mytram, & Pedum & Cathedras & opimos census*, *& vitam denique ipsam constantissimè exponendam esse*.

Aliquantum prosequi lubet, *in Jansenianæ Panegyreos Apologiis*. Cùm prima offenderet non solùm Chatholicos, ut dixi, sed etiam Jansenistas; ob invidiosa nimium Operis Janseniani elogia, quibus illud omnibus Sanctorum Patrum atque Doctorum voluminibus antefertur: nullis tamen moveri rationibus Ægidius potuit, quin debitæ loco palinodiæ, secundam promeret Apologiam, in quâ nihil de priore audaciâ remisit.

Hic pag. 13. invitatis iterum omnibus ad Janseniani voluminis lectionem, quantumlibet prohibitam. " A conditâ (inquit) " Ecclesiâ non est elaboratum opus, ubi controversia quædam sacra à primis fundamentis ad summa usque fastigia tam pulchrè, tam solidè, tam facundè, tam cohærenter, ac tam indivulsâ contignationum firmitate construitur.,,

Apologiæ huic secundæ tertiam Ægidius addidit, temeritate & impudentiâ non in inferiore, ubi præcipuè exagitandam suscipit Formulam juramenti ab Alexandro VII. contra Jansenianam hæresim præscripti, & priores vindicat Apologias, etiam Elogium superbissimum, Janseniano volumini concinnatum.

Hoc stabiliri autumat ratione *peremptoriâ*, atque omnem penitus amoliente speciem arrogantiæ, aut irreverentiæ in Sanctos Patres, maximè Augustinum, pag. 38. Apologiam tertiam sic concludens: " Si enim nullâ " Authorum cæterorum injuriâ Augustinus " Patrum Summus in Ecclesiâ habetur ac " creditur; quid ergo libratâ sententiâ pronuntiandum erit de opere, quod Augustini medullam, ex omnibus scriptis ejus " coagulatam, pulcherrimo ordine digestam, à primis fundamentis ad summa usque fastigia deductam, continuâ rationum " serie, velut implexis sibi ansulis concatenatam, atque ab omnium objectionum cavillationumque argutiis liberatam, gravissimo ac facundissimo eloquio continet? " Hæc dicti nostri basis erat, quâ nixi, totis nervis pro vindicando hoc magnificentissimo opere laboramus, de quo prædicari posset, quod simile ei *nec fuit*, *nec erit*.

" Denique quod junior Daniel pro insonte " Susanna, ego pro Jansenio contentâ voce " clamo Ecclesiæ Præfectis: *Revertimini ad judicium*; *quia falsum testimonium locuti sunt adversus eum*.,,

Quando Jansenii Librum audis ab Ægidio dici *Augustini medullam ex omnibus scriptis ejus coagulatam*, noveris simul medullam penès Ægidium esse istiusmodi, ut majore ipsi in pretio sit, quàm corpus totum sive *scripta omnia Augustini*.

Istud Novator ipse non obscurè indicat in suo *Augustino Iprensi vindicato* pag. 370. dicens: " Ab Ecclesiâ conditâ, ringatur qui " volet, nullum librum in quâcunque controversiâ exaratum, aut magis in scribendo locupletem, aut magis in probationibus contexendis solidum & invictum, aut " magis in se dilucidum orbis vidit. Quare " & ipsummet Augustinum in edendâ ipsius " Augustini sententiâ, à Jansenio claritudine " superari, omnis in utriusque lectione versatus, nec Partium studio ductus, ingenuè " confitebitur.,,

Pag. 373. " Si alterutrius esset facienda " optio, an ut sensus librorum S. Augustini " Hipponensis in materiâ liberi arbitrii & " gratiæ Dei, an verò sensus libri Janseniani juxta Constitutionem Clementinam, " Theologiæ tironibus ejurandus esset, minùs è condemnatione prioris, quàm è posterioris, Catholica Christi Ecclesia pateretur. Nam Augustinus Hipponensis, tum " quia non semper æquè in hac materia eruditus fuit, tùm quia adversarios binos, " Manichæos, & Pelagianos, è diametro in materiâ liberi arbitrii repugnantes, stylo " suo expugnandos ac fundendos habuit, aliquando aut minùs cautè, aut minùs clarè " locutus est..... adeoque in quæstionem, ac " vitiligationem trahi potest: Jansenius nullo modo.,,

Ægidium itaque esse non solummodo apertum; sed etiam disertissimum Janseniani systematis *Professorem*, evidentius est, quàm ut ab ullo rationis compote in dubium valeat revocari.

Nonne etiam *doctrinam Jansenii profitetur*, qui sustinet hunc Antistitem *fuisse Sancti Augustini Interpretem fidelissimum*? Sustinuit Gerberonius libro, quem vocare ipsi placuit *doctrinam moralem laxiorem Archiepiscopi Mechliniensis* pag. 60.

Juxta Arnaldum Apologiâ pro Jansenio in Præfatione: *Doctrina Antistitis Iprensis non est alia, quàm S. Augustini, atque hæc ab illo potentissimè stabilita est*.

Quantam autem discipulorum multitudinem

nem Arnaldus habuerit, quantam Gerberonius, notissimum omnibus in Gallia est, Numerosa illic quaquaversus diffusa Congregatio cernitur, quæ typis edidit Theses dicatas Andegavensium Episcopo, in quarum Epistola nuncupatoria jactatur magnifica hæc, & Jansenianis digna gloriatio: *Non alio quàm Audilii & Arnaldi doctrinæ lacte enutriri filios passus est Generalis noster Præpositus*. Audilius frater erat Arnaldi, similiumque sectator dogmarum.

Quesnellus quoque Arnaldi discipulum se diffiteri neque voluit neque potuit. Quantam autem Quesnellus ipse post se traxerit seriem adhærentium sibi Defensorum, funesta nimium docuit annis ultimis experientia; in Galliis præsertim, ubi à debitâ, & subinde jurata Sedi Apostolicæ obedientia abductos conspicimus tam multos, damnatisque Novatoris ejusdem erroribus obstinatissimè patrocinantes.

Gerberonius quoque, antequam pœnæ metu, sibi à Rege Christianissimo imminentis, e Galliâ profugeret, quot ibi pepercerit Sectatores, utcunque colligitur tum ex tempore plusquam viginti annorum quibus Theologiæ Tirones in suo Ordine instituit, tum ex rebellionis contra Bullam *Unigenitus*, scandalosissima eorumdem, in hunc usque diem pertinaciâ.

Non minor Congregationis est, quæ Quesnellum habuit in Novitiatibus Magistrum. Quæ denique *veritatis* nomine ab eo dogmata intelligantur, universis sollicitè *prædicanda* fidelibus, ex centum & uno discimus damnatis justissimè Articulis, quibus longè plures ab aliis referuntur.

Quàm egregius denique *Prædicator veritatis* Quesnellus fuerit, judicium nuper tulit Theologus hodiernarum peritissimus disceptationum, quòd licèt duriusculè sonans, cuivis tamen attentiùs conferenti, cum eo qui describitur, non appariturum autumo, ulla sui parte non conveniens veritati. Sic habet.
"Itane homuncio privatus, nullâ spectabilis di-
„ gnitate, nullo officio aut gradu, nisi simpli-
„ cis Sacerdotii, nullo commendabilis me-
„ rito, nisi fallacissimæ *defensionis Ecclesiæ*
„ *& Summorum Pontificum*, quam veriùs di-
„ xeris proditionem; homuncio, inquam,
„ solo tumidus vento superbiæ & præsump-
„ tionis, lacessere palàm & arguere audet
„ *omnes* non minùs Ecclesiæ, quam seculi
„ *Potestates*, tanquam contrarias *Prædicatori-*
„ *bus veritatis*?„ Huic Elogio quod addam vix superest, nisi quod in omnibus communiter novæ Ecclesiæ Apostolis deprehenditur (sed quo *Prædicatoribus veritatis*, nihil est magis oppositum) simulatio, hypocrisis, & textura ferè perpetua mendaciorum.

Hactenus me detinuit narratio eorum quæ Quesnellus cum sociis, novæ *Prædicatoribus* fidei, contra definitiones Pontificum damnantes hæresim Bajanam atque Jansenianam scribere ausus est. Plurima adhuc sunt eò pertinentia, præcipuè ad Bullam *Regiminis Apostolici*, quâ juramenti formulâ contra Jansenianam hæresim ab Alexandro VII. præscripta est, sed reservanda hæc sunt Propositioni 101. quæ inter damnatas ultima, & tota de juramento est. Alia quæ Alexandri Constitutionem secuta sunt, à Pontificibus decreta, eademque à *veritatis* novæ inter Catholicos incognitæ, *Prædicatoribus* impugnata, non minùs amplam quàm superiora omnia offerunt Dissertationi nostræ materiam; sed vereor ne prolixitas lectori ad finem forsitan properanti, tædium pariat, ideò prætermissis pluribus, cætera perstringam Dialogis, quorum & brevior stylus, & amœnior solet esse lectio.

CAPUT XV.

Dialogus Quietistam inter & Jansenistam de utriusque sectæ affinitate, & Prædicatoribus, Potestates omnes sibi contrarias sentientibus.

QUIETISTA: Liceat mihi, frater charissime, salvo amicitiæ vinculo, de vestrorum, aliàs Heroum, inconstantiâ conqueri, & de fide non satis bona. Arctam nobis & inviolabilem addicere visi estis necessitudinem, quando nobis res prosperè fluebant; quando non exiguo ex utroque sexu, nobis faventium potentia, etiam vobis non levi poterat esse subsidio; sed prævalentibus contra nos Adversariis, terga nobis subitò obvertistis; quasi pristinæ obliti amicitiæ, omniumque immemores beneficiorum.

JANSENISTA; Rependere, dum licuit, officia & patrocinia conati sumus; sed ubi tantâ vos procellâ obrui conspeximus, ut omnis pro vestra defensione irritus esset labor, cedendum duximus necessitati; cui enim usui fuisset obfirmata pro vobis contentio, nisi ut iisdem vobiscum persecutionis fluctibus involveremur? Prudentia itaque, quin & boni communis amor suadebat, ut rurmâ unâ cæsâ, exitio subduceretur altera.

QUIETISTA, Non est cur veritas sibi ab exitio metuat; premi illa & affligi persecutionibus potest, non interire, stante semper aureâ *Sancti Patris Quesnelli* sententiâ. *Deus* per-

permittit, *ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis*, *ut ejus victoria attribui non possit*, *nisi Divinæ gratiæ*: Sed nonne pudenda prævaricatio est, quam idem tam graviter reprehendit in Epistola ad Cardinalem Noallium, occasione editi ab eo Diplomatis contra *Casum Conscientiæ*? Doctores Sorbonici quadraginta, ut nosti, subscripserant *Resolutioni* aptissimæ, ad totius Janseniani systematis restitutionem. Omnes uno alterove excepto, mox ut indignationem sensere Pontificis, Regis, Archiepiscopi; judicium suum turpi palinodiâ retractarunt, abiicientes *veritatis defensionem*, cui se coram Sacris Altaribus, *usque ad effusionem sanguinis*, jurejurando obstrinxerant. De hac eorum inconstantiâ & violatione Sacramenti conqueritur meritò *Sanctus Pater* vester, fiduciâ certisimâ, foret ut *veritas* ipsa se à persecutoribus liberet. Sed interim ista Doctorum inertium ab agnitâ veritate defectio, sive feria, sive, quod verisimilius est, simulata, non desinit pusillis scandalo esse, adversariis triumpho. Meministi quid Ægidius *Candidorum* apud vos princeps, scripserit in *Augustino Iprensi vindicato* pag. 255. Et *Mitra*, *& Pedum*, *& Absida gradatæ*, *& Cathedræ velatæ*, *& opimi census*, *& vita denique ipsa constantissimè exponenda fuerant in negotio tanti ponderis*. O! Quantæ consolationis est, quod respondebat alias Quesnellus Heussenio Hòlandiæ Provicario, authoritate Pontificia exauthorato! Quæsierat Henssenius, an postquam Pontifex omne ei Proviceariatûs exercitium sub pœnâ excommunicationis interdixerat; posset nihilominus in eo prosequi. Respondit *Sanctus Pater*: "Potes indubiè salvâ
„ conscientiâ: Pontifex quidem in te fulmina
„ emittet, & quidqnid dirarum in ejus Pote-
„ state est; sed neque abbreviata est manus
„ Domini, & cor Pontificis æquè ac cætero-
„ rumPrincipum in manu ejus est. Justitia pro
„ vobis militat; verùm sive vicerit, sive ceci-
„ derit quis quis pro justitiâ dimicavit; per-
„ dere nihil potest, sed lucratur certissimè
„ omnia dum pro Deo sanguinem profuderit.

JANSENISTA: Patere, amabo, ut quę occurrit casuum disparratio, tuæ à me proponatur solitæ humanitati.

QUIETISTA: Nihil est quod in Amico mihi placeat præ candore: eloquere quod sentis.

JANSENISTA: Excessus apparuere in Principe vestro., quos haud facilè sit excusare, non quoad Dogmata solùm; sed etiam quoad mores.

QUIETISTA: Cur non te contines intra limites æquissimi judicii, quod *Prædicator veritatis*, vestrâ & Jansenistarum omnium sententiâ integerrimus enuntiavit? Neque istud in opusculo aliquo triviali; sed *libello supplice ad Innocentium XI. Pontificem* directo, *tanquam voce ultimâ zelatricis innocentiæ*, contra præcipuos utriusque Patriarchæ, vestri pariter ac nostri adversarios?

JANSENISTA; Intelligo, quem indicatum velis: est is Pater Eugenius de Gelder Brugensis, Sancti, & rigidi ordinis Religiosus, *Prædicator veritatis* intrepidus, qui eloquentiâ suâ pro Augustino nostro Baravo, usus est strenuè, neque voce solùm; sed etiam calamo. Laboribus ejus non exiguus respondit fructus dum libellis & declamationibus è Cathedrâ præfervidis, multorum animos succendit odio contra adversarios, & veritatis amatoribus conciliavit, profuturus multo ampliùs, si zelum novisset prudentiâ moderari.

QUIETISTA: Vereor, ne, quam prudentiam appellas, sit *prudentia carnis*, reprehensa in sacris literis, *inimica Deo* & noxia veritati. Hujus mundi sapientibus imprudentia visa est Apostolorum publica in Synagogis & compitis prædicatio. Zelus fidei excivit Anachoretas è desertis, & alios è latebris sanctos Confessores, etiam virgines temporibus persecutionum, ut nutantes in carceribus, & suppliciis confirmarent, quin & exprobrabant acerrimè Regibus iniquam in Sanctos Martyres crudelitatem. Jubet Apostolus nos *instare opportunè*, *importunè*. Deus ipse Isaię mandat: *Clama in fortitudine tua*, *& ne parcas*. Similia respondit Uranio Emesæ Episcopo Theodoretus, quando Nestorio abdicato, rectè sapiens, fortiter se opposuit impio Theodosii Imperatoris Edicto, quod hæreticis fraudibus extorserant Eutychiani. Zelus hic carò constitit Theodoreto; nam & in exilium pulsus est, & omnes ejus libri fuere flammis traditi. Uranius amici calamitatem miseratus, suaserat ut tempori cedens, de zelo aliquantum remitteret, & sepositis intempestivis scriptionibus, indulgeret tantisper silentio. At Theodoretus zelum prosequens, Uranio respondit: Epistola 122. "Non
„ modò non dolemus, quod libertate usi su-
„ mus; sed gaudemus & lætamur, & illum
„ laudamus, qui illis nos ærumnis dignatus
„ est, atque adeò familiares ad eosdem ago-
„ nes adhortamur .... si rectam Evangelicæ
„ prædicationis doctrinam nos tenere, ipsi
„ sunt testes, ad ipsos clamamus: state &
„ vos succincti lumbos vestros in veritate, &
„ calceati pedes in præparatione Evangelii
„ pacis. „

JANSENISTA: Distinguere oportet in-

ter zelum qui dicitur *fecundum fcientiam*, qualis hic fuit Theodoreti Epifcopi, & alium amici noftri Molinofio patrocinantis, non ubique confonum regulis morum & fcientiæ, Areo tamen audire, quod memorare cœperas, celeberrimi hujus Prædicatoris noftri de Molinofii causâ judicium.

QUIETISTA: fic ille in *libello fupplice* feu *voce ultimâ zelatricis innocentiæ* alloquitur Pontificem Innocentium XI. *Sicut* (Adverfarii) *per vafrè fabricatas quinque Propofitiones Doctrinam Janfenii Romę procurarunt damnari, ut per latus Janfenii doctrinam Sancti Auguftini à doctrinâ Janfenii reverâ infeparabilem, arietarent & dejicerent, fic etiam fortaffis multas Propofitiones Michaelis Molinos talibus terminis concepere, quod vix à pofitionibus fundamentalibus, à Sanctis Patribus Dionyfio Areopagitâ, Auguftino & aliis, ac Theologiæ myfticæ Doctoribus Bonaventurâ, Henrico Sufone, Taulero &c. nobis propofitis diftingui poffint; itaut per condemnationem Molinos, quem aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant, & prætenfæ ejus doctrinæ, videantur voluiffe eliminare illud parum quod reftat, fupernaturalis operationis Spiritûs Dei vivificantis.*

Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid fubdolè per fe & fuos efficiant Patres Jefuitæ, Spiritus illis frendentibus, ubi vult, fpirabit. Ita vir Apoftolicus, Confeffor ac pene Martyr Eugenius de Gelder.

JANSENISTA: Nihil equidem viri tanti judicio detractum velim. Quod ait de Propofitionibus Janfenii, penes nos extra omne dubium eft, neque ambigimus de eo quod afferit circa *multas fortafsis Propofitiones Michaelis Molinos*: imò neque prorfus diffentio circa id quod ait de Authore, *aliquos eum magis infelicem, quàm nocentem autumare*. Non tamen omne penitus ab ejus five moribus five Dogmatibus vitium P. Eugenius amolitur.

QUIETISTA: Obfirmatum te video in principiis noftri accufatione, aliàs de vobis adeò bene meriti, ut quotquot nactus fuerat Sectatores, quotquot Patronos, inter quos, ut nofti, non defuere complures ex utroque fexu, magni nominis & authoritatis, à veftris alienos penitus reddiderit Adverfariis, veftrûm autem amantiffimos: proinde plus aliquid grati animi à vobis in calamitate fuâ expectare poterat.

Sed quoniam nihilominus conftitutum vobis eft, pro acceptis beneficiis mala reddere, non deferendo folummodò Benefactorem; fed etiam accufando, age, ne Andabatarum inftar in tenebris digladiemur, articulum affume dogmaticum ex omnibus, judicio tuo abfurdiffimum, quem Pontifex in noftro principe damnavit, ego veftrum pariter effe aut ex veftro legitimè deduci fyftemate, confido me demonftraturum.

JANSENISTA: Non ftudiosâ mihi opus difquifitione eft: quid nobis commune cum Propofitione veftrâ primâ inter fexaginta octo ab Innocentio XI. profcriptas? *Oportet hominem fuas potentias annihilare: & hæc eft via interna.* Noftro autem judicio oportet potiùs potentias fuas perficere actibus Fidei, Spei, Charitatis: hæc via verè interna eft digna homine Chriftiano, & neceffaria; non autem otiofa veftra fegnities.

QUIETISTA: Sic homines deluditis, fic imponitis Ecclefiæ Romanæ ut contra veftram in jurando perfidiam notavit Clemens Undecimus, vos fcilicet jurejurando *eum Ecclefiâ loqui; fed eum eâ minimè fentire*. Nos quod fentimus, eloqui non erubefcimus; ita à Chrifto edocti, veftigiis infiftimus Apoftolorum, quorum fermo fimplex fuit, non ambiguis & dolofis vocibus implexus. Ais quod non oporteat hominem potentias fuas annihilare; fed Theologicarum virtutum actibus perficere.

JANSENISTA: Ajo enim verò, neque in hac affertione quidpiam fraudulenti eft, vel æquivoci.

QUIETISTA: *Sanctus* vefter *Pater Quefnel* quem cœlo tranfcribitis Chrifto proximum cum Auguftino, indubiè vobis author claffícus eft.

JANSENISTA: Imò claffícus primi ordinis, fideliffimus Auguftini utriufque, Hipponenfis videlicet & Iprenfis non interpres folummodo; fed etiam fectator.

QUIETISTA: In eo itaque fiftamus, alium non poftulo difputationis noftræ arbitrum. Quod à nobis expofcitis Fidei, Spei, & Charitatis exercitium, profluere indubiè debet ex gratiâ.

JANSENISTA: Oppofitum Pelagianum eft: atque in eo confentiunt nobis omnes Pontificii.

QUIETISTA: Difpiciendum modò quid intelligatur penes vos nomine gratiæ, ut inde pateat, quàm ferió virtutum ftudium, atque exercitium requiras.

JANSENISTA: Tam copiosè, tam dilucidè Magifter nofter Quefnellus gratiæ fuæ ideam proponit & inculcat, ut ipsâ fuâ luce & repetitione quodammodo nimia, offendat oculos legentium. Prop. 10. inquit: *Gratia eft operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteft aut retardare.*

Prop. 11. *Gratia non eft aliud quàm voluntas*

luntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet.

21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum.*

23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam.*

24. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentiâ Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.*

25. *Deus illuminat animam et eam sanat æquè ac corpus, solâ suâ voluntate: jubet & ipsi obtemperatur.*

Potuitne Quesnellus majore lumine, & eloquentiâ describere gratiæ nostræ indolem, & operationis modum, quàm phrasibus exprimendo tam variis & figuris tam illustribus?

QUIETISTA: Non potuit sanè: neque excogitari ratio à nobis posset aptior, ad confirmandam Propositionem nostram primam: *Oportet hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna.* Quæ enim operatio, quod humanæ *potentiæ* exercitium reperitur in Divini Verbi Incarnatione, sive assumptione humanitatis? Quæ *hominis*, vel cujuscumque creaturæ *potentia* concurrit ad *productionem* sui *è nihilo*? Quæ ad *reddendam mortuis vitam*, vel ægris *corporibus sanitatem*, quando *Deus* tam reddit prodigio, & suâ solâ voluntate? Si figuris talibus rectè, ut contenditis, exprimatur idea operationis gratiæ, evidens est, nullam in operibus bonis per gratiam elicitis locum habere liberum hominis arbitrium. Quę igitur ad bonum opus est in homine *potentia*?

JANSENISTA: Quamvis Quesnellus modis istiusmodi loquendi energicis usus fuerit ad exponendum simul & persuadendum lectoribus robur gratiæ invictissimum; non tamen ita intelligi voluit ut hominis voluntas nullo modo concurreret ad effectum, sed quod non sic ageret cum gratiâ ut effectum impedire posset vel suspendere. Propterea figuræ superiùs allegatæ, licèt à Quesnello *idearum* nomine appellentur, non tamen veluti ideæ omnimodæ, & in rigore sunt accipiendæ; sed benigniùs, ut jam monui.

QUIETISTA: Itane vobis solis benignitas ista debetur, ut verba clarissima, totque inculcata locis & modis disertissimis, in eandem semper concurrentibus significationem, Romano Judicio damnabilem damnatamque, vestri tamen gratiâ in sensum detorqueri oporteat improprium; nostris autem enunciationibus benignitas similis deneganda est? Acceptio personarum habens *pondus & pondus, mensuram & mensuram*, detestabilis non solùm Deo est; sed etiam omni homini justitiam amanti.

JANSENISTA: Quænam igitur interpretatio mitior applicari expressionibus vestris debuit?

QUIETISTA: Non alia quàm quæ Quesnellianis. Si nempe effata vestra, omnem hominis operationem lucidissimè excludentia, totumque opus bonum attribuentia Deo soli, nihilominus vobis jubentibus, ita accipienda fuerint, ut tribuerent quidem Deo determinationem, homini tamen efficacissimè determinato non auferrent liberam consentiendi & concurrendi potentiam; neque facultatem dissentiendi, impediendique effectum, uti & retardandi; cur non etiam sic via nostra *interna* exponitur, ut cùm dicimus *oportet hominem suas potentias annihilare*, non intelligatur de annihilatione propriè dictâ; reali, seu physicâ; sed tantummodo morali; qualis est in iis, qui omne bonorum operum studium dimittunt, & curam salutis, relinquentes se à Deo dirigi ut in ipsis operetur omnia secundum suæ beneplacitum voluntatis? Hæc via nostra *interna* dicitur, & *Quietis*, non minùs vestro congrua, imò necessaria systemati.

JANSENISTA: Nonnę Apostolus Philippenses, & in iis omnes homines monet; *cum metu & tremore salutem vestram operamini*? Moyses in Deuteronomio *Considera*, inquit Dei nomine, *quod proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum .... Elige ergo vitam*. Quapropter cui Catholico poterit non horrori esse, quod jam inter axiomata vestra referebas, *omne bonorum operum studium dimittendum esse, & curam salutis*? Magis etiam pietas aversatur Principis vestri Articulum secundum: *Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse solus agens: & ideò opus est seipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime*. Non melius sonat Articulus Tertius; *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva*. Abstinere etiam Molinos debuerat ab Articulo Quarto: *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem; quia Deus operari vult in nobis sine nobis*. Quem denique, ut plura similia prætercam, non offendat Articulus Quintus: *Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est*

eſt eſſentia Dei, in quâ transformata remanet, ac Diuinizata: & Deus tunc in ſeipſo remanet; quia tunc non ſunt ampliùs duæ res unitæ; ſed una tantum: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima ſe ipſam annihilat in eſſe operativo.

QUIETISTA. Ignoſcimus ignorantiæ quorumdam tudium qui talibus ſcandalizantur enunciationibus; verùm quòd in eorum vos numero ſitis, mirari ſatis non poſſumus. Non enim ingenium vobis deeſt, neque ſcientia, quâ verum à falſo hic diſcernere, noſtrorumque dogmatum cum veſtris concordiam perſpicere valeatis. Quod autem in allegatis à te Propoſitionibus loquamur apertiùs, quàm veſtra approbet circumſpectio, Candidi pectoris noſtri effectus eſt, laudi potiùs vertendus quam opprobrio. Vulgus itaque hominum pro ſuâ imperitiâ aliter ſentiat, & contra nos vociferetur; at ſapientes, in pertinentibus ad fidem & pietatem dogmatibus numquam claritas offendit; quin potiùs fuga lucis, & ſectatio tenebrarum, uti actionis malæ, ita & fidei non bonæ ſolet eſſe indicium.

JANSENISTA: Exoticorum adeò dogmatum cum noſtris concordia non ſupponi leviter; ſed probabilibus debet rationibus ſtabiliri.

QUIETISTA: Nil moror: neque refugio ordiri à ſecundo noſtro Articulo unde accuſationem tibi placuit inſtaurare: nempe *velle operari activè*, inquit Molinos, *eſt Deum offendere, qui vult eſſe ſolus agens, & ideo opus eſt, ſe ipſum in Deo totum & totaliter derelinquere*. Senſum hujus Articuli exponit quartus: *Activitas naturalis eſt gratiæ inimica; impeditque Dei operationes, & veram perfectionem; quia Deus operari vult in nobis ſine nobis*.

Activitas naturalis dicitur quæ ſolis operatur naturæ viribus, Deo ſupernaturaliter non concurrente. Actionem autem & Activitatem iſtiuſmodi eſſe *gratiæ inimicam*, ac proinde impedite Dei operationes ſalutiferas, veramque perfectionem, in veſtrâ hypotheſi manifeſtum eſt, & complutibus Queſnelli Propoſitionibus diſertiſſimè declaratum. Sic Prop. 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratiâ liberatoris*.

Ne verò quis exiſtimet, hac lege miſerâ ſolos comprehendi juſtitiâ deſtitutos, ſubjungitur Prop. 39. dogma idem ad omnes homines extendens: *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum: ardoris; niſi ad ſe præcipitandum: virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Prop. 40. *Sine gratiâ nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*.

Prop. 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis eſt à Deo; & ſine gratiâ non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris*.

Ediſſere modò, an activitas, quæ *non eſt libera, niſi ad malum*; quæ *nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, nihil virium, niſi ad ſe vulnerandum, nihil ardoris, niſi ad ſe præcipitandum*: quæ *capax eſt omnis mali, & incapax ad omne opus bonum*; quæ *non producit, niſi præſumptionem, vanitatem & oppoſitionem ad ipſum Deum*; qua *nihil amare, poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*, Ediſſere, inquam, an talis activitas non ſit *inimica gratiæ*, an non *impediat Dei operationes* ſalutiferas, *& veram perfectionem*?

JANSENISTA: Omittis callidè, quod in Propoſitione veſtra ſequitur: *Quia Deus operari vult in nobis ſine nobis*.

QUIETISTA. Hic ſcilicet aut nuſquam virus Molinoſticum proditur, quia penes cætera, ut vides, noſtri veſtrique ſyſtematis conſenſio omnimoda eſt. Sed neque hic ulla diſſenſionis ſpecies: Nonne enim juxta vos, ut ſuperiùs verbis veſtris retuli ex Prop. 2. *Gratia JeſuChriſti* (præter quam in hoc ſtatu nulla alia datur) *eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis & reſuſcitantis Filium ſuum*?

Quod Deus in Chriſti humanitate operatus ſit Incarnationem, & poſtea reſuſcitationem utrobique ſine humanitatis cooperatione, atque adeò in humanitate operatus ſit ſine humanitate, Theologis omnibus eſt perſpicuum. Si igitur Dei in nobis per gratiam operatio ſit *ſequela & imitatio operationis*, qua *incarnavit*, & poſtea *reſuſcitavit filium ſuum*, evidens pariter ſit, quod, ut *ſequela* iſta & *imitatio* accurata ſit, Deus in nobis per gratiam operetur ſine nobis. Veritus Queſnellus, ne mentem hic ſuam, quantumlibet expoſitam dilucidè, non ſatis Lectoribus perſuaſerit, figuris eam ac phraſibus aliis magis cenſuit inculcandam.

Poteſtne, inquit, *Idea* deſiderari accuratior *omnipotentis operationis ſuæ gratiæ*, quàm ſit ea *quam Deus ipſe nobis tradidit, eam ſignificans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*? Nonne Deus nos è nihilo produxit *ſine nobis*? Nonne & vitam nobis mortuis reddet ſine nobis, & reddidit hactenus reſuſcitatis omnibus?

Rur-

Rursus si, ut Quesnellus asserit, *justa idea, quam Centurio habet de omnipotentiâ Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, sit imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*, quid operationis nostræ est in sanatione posteriore, quandoquidem in priore nihil esse, compertissimum sit? Denique si ut infarcit iterum Quesnellus, *Deus illuminet animam, & eam sanet æquè ac corpus solâ suâ voluntate*, frustra à nobis ad eundem effectum requisiveris operationem.

Clara itaque vestra sententia est non minùs, quàm nostra, Deum operari velle in nobis sine nobis, bona scilicet virtutum exercitia, de quibus solis hic nostra contentio est. Patet igitur nihil esse in sententiâ hac nostrâ propter quod pudere vos nostræ debeat societatis, vel fœdus oporteat pristinum rurpere.

JANSENISTA: Jam monui figuras istiusmodi desumptas ab Incarnatione, resuscitatione à mortuis, reddita prodigio sanitate, Creatione quoque, sive productione creaturarum è nihilo, adhiberi quidem sapientissimè à Quesnello ad exponendas vires gratiæ invictissimas, proinde ejus operationem, quæ nec impediri valeat nec retardari, ut nostra fert inter Quesnellianas Propositio decima; sed non debere eam etiam cum tali intelligi rigore, ut *sequela & imitatio* sit veluti ad amussim, atque *idea* perfecta, & in nullo deficiens.

QUIETISTA: Bene habet: æquitati hoc dabimus, vel charitati, modò quod Propositionibus vestris durissimis concedi petitis; intelligentiæ mitioris genus, nostris non magis absonis impendere haud dedignemini. Charitas enim & amicitia benevolentiam exigit mutuam: qualiscunque etiam favere vobis visa fuerit justitia, eadem patrocinari nobis facilè deprehenditur.

JANSENISTA: Constat Sententiam Jansenii esse quod concessa nobis ex Christi meritis gratia sita sit partim in piâ illuminatione intellectus, partim in delectatione cœlesti voluntatis, quæ utraque actio vitalis est, ideòque profluens etiam ab homine, sive potentiâ ejus concurrente. Longè itaque absumus ab errore vestro, quo asseritis, quòd *oporteat hominem suas potentias annihilare*, quas bonis actibus ab eo potiùs cupimus perpetuò perfici.

QUIETISTA: Num inter cœtera rejici etiam à Theologia vultis receptissimum aliàs axioma de actualibus gratiis, præsertim primis, quo passim asseritur *Deus illas operari in nobis sine nobis*?

JANSENISTA. Hic aliqua inter nostros, ut verum fatear, dissensio est. Jansenius illas constituit in motibus indeliberatis, cogitatione scilicet & delectatione cœlitùs indita; ita tamen ut cùm utraque vitalis actus animæ sit, quo ea cogitat & delectatur objecto per cogitationem proposito, particeps indubiè est operationis: dicitur tamen *fieri in nobis sine nobis*, subintelligendo sine nobis liberè concurrentibus quia actio utraque indeliberata est non posita in arbitrio hominis; ut eam habeat vel excludat; inspirante scilicet illam Deo quando, cui, & quomodo vult. Quesnellus autem, prælucente Walonio, mavult actualem gratiam in actu constituere deliberato; nam juxta Articulum ejus vigesimum sextum, *Nulla dantur gratiæ nisi per fidem*; & juxta 27, *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*.

Fidem autem esse actum hominis deliberatum quis negaverit, præsertim ubi de Fide agitur per dilectionem operante? Talis penes Quesnellum necessariò est prima fides, & prima gratia; siquidem hæc semper justificat juxta Articulum Quesnelli 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*.

Sine actu fidei neminem adultum & sui compotem Peccatorem reconciliari Deo, nullus iverit inficias; quia clara Apostoli sententia est, impossibile esse sine fide placere Deo; & dogma omnium Catholicorum est à Tridentino Concilio perspicuè confirmatum, Fidem esse initium salutis, fundamentum, radicem, fontem omnis nostræ Justificationis.

His adde Articulum 52. *Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine, & semine; sed hæc Fides, non est absque amore & fiduciâ*.

Artic. 57. *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*.

Denique Artic. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*. Quapropter necesse est in Quesnelli systemate primam Peccatoris gratiam, cum sit peccatorum remissio, simul asseri Fidem esse, Spem, Charitatem, quam nullus sanæ mentis excluserit ab humanis actibus deliberatis; Jansenius autem cum Tridentino, & totâ Romanâ Ecclesiâ Theologicarum virtutum actus statuit, primâ gratiâ necessariò posteriores.

Perspicuus de hoc Tridentini Canon tertius est Sessione 6. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justi-*

Iustificationis gratia conferatur anathema sit.

Evidens itaque est, Quesnellum tum à Concilio, cujus minor nobis cura & æstimatio est, tùm quod amplius, à Jansenio dissentire, cùm ait, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, & adjutorio hominem credere sicut oportet & sufficit ut justificetur; quia *fides est prima gratia* atque hæc *concessa Peccatori est peccatorum remissio*; ut Quesnellum vidimus definientem Articulo 27. & 28. Cum que fides non justificet nisi comitem habeat Spem, & (saltem extra Sacramentum) dilectionem Dei super omnia benevolam, necesse est, hæc omnia in unum compingere actum; imò in unam, eamque primam gratiam actualem.

QUIETISTA: Seposito proinde omni partium studio, procul ablegato spiritu altercandi; demus Deo gloriam & locum veritati: sive Jansenium hîc tibi sequi placuerit, sive Quesnellum, qualiscunque à vobis obtenditur honestatis ratio, vel Religionis, frivola est, neque ullo modo idonea ut vos purget à violati turpiter fœderis ignominiâ.

Ex deductis enim hactenus facilè tua perspicacitas assequitur, vos in hac præcipuâ systematis nostri parte, quam præ cæteris minùs autumas tolerabilem, vocibus à nobis potiùs, quàm Dogmatibus diffidere. Si enim *ipse Deus nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam* ut Quesnellus asserit Articulo 23. quid confert, aut conferre valet humana potentia ad exercitia virtutum? Ne minimum quidem ad sui contulit creationem, neque ad resurrectionem conferet.

Unde si legitimæ sunt *ideæ* istæ, & plures ejusmodi, quas Quesnellus, veluti *à Deo nobis traditas* ingerit, necesse est Potentiam nostram ad actus bonos, ordinis naturâ superioris prorsus asseri fictitiam, boni autem intra limites naturæ, sive absque supernaturali gratiâ eliciti, ad chimeras pariter, rejiciendi sunt; quia juxta Articulum Quesnelli 39. & plures sequentes à me relatos, nihil in hominibus virium, nihil potentiæ absque gratiæ auxilio est nisi ad peccandum.

In vestro igitur æquè ac nostro systemate humana omnis ad bonum potentia destructa, sive ut verbo Molinosii utar, *annihilata est*.

JANSENITA. Iterum moneo, Quesnelli verba, non sicut sonant, rigidè intelligenda.

QUIETISTA. Moneo & ego, non plus juris vobis esse, quàm nobis ut Magistrorum eloquia benigniùs accipiantur, quàm resonent. Quoniam itaque nos adigunt importunæ vestræ in Quietismum contumeliæ, assumo luce meridianâ clariùs demonstrandum, esse istud unicum nostra inter ac vestra placita discrimen, quod sensus eosdem nos magis perspicuè & magis simpliciter proponamus, quos vestra secundùm carnem prudentia callidiùs judicat non divulgandos.

JANSENISTA. Si occulta penes nos latere mysteria hactenus voluimus, quis ea vobis Angelus revelavit; aut quo sagacitas vestra detexit judicio?

QUIETISTA. Non revelatione, non multo ad hoc opus est studio; sed omnibus inditum à naturâ lumen sufficit, quo novimus, ex antecedente dilucido consequens educere necessarium, & prorsus inseparabile.

JANSENISTA. Fidem tuam itaque libera, promissamque tam confidenter demonstrationem exhibe.

QUIETISTA: Solis naturæ viribus sine Dei concursu ordinario intra limites naturæ, petere sicut oportet, vel procurare nobis gratiam non possumus.

JANSENISTA. Nihil illo dicere poteras in fide Catholicâ fundatum certiùs.

QUIETISTA: A Deo nulla conceditur hominibus in Adamo lapsis gratia merè sufficiens; sed omnis est invicta, omnipotens, & reipsâ præstans effectum omnem, ad quem satis idonea est. Neque in potestate hominis est eam ab agendo *impedire vel retardare*.

JANSENISTA: Doctrina de hoc nostra eademque Augustini tam Hipponensis, quàm Iprensis Episcopi apparet irrefragabilis.

QUIETISTA. Prætereo Quesnellianas gratiæ figuras, ideasque duriores, quam in ullo reperiantur Catholico, neque talibus uti ausus legitur Jansenius, quia per eas non libertas solùm bonis actibus tollitur; sed etiam omnis nostra cooperatio. Quid enim operæ contulit Christi humanitas, ut à Verbo assumeretur? Quid mortui conferunt ad resurrectionem? Quid creaturæ omnes ad sui productionem è nihilo? Verùm ut dixi, duriores istiusmodi figuras ideasque prætereo.

JANSENISTA. Tuam in eo non amicam tantummodo benevolentiam; sed justitiam quoque & moderationem probo; quia credere potes securissimè, non aliud fuisse à Quesnello enuntiationibus istiusmodi fortioribus intentum, quàm ut Lectoribus persuaderet efficacissimum agendi modum gratiæ, qui genuinè & simplicissimè exponitur Propositione 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*.

QUIE-

QUIETISTA: Non poterat quoque magis simpliciter adimi bonis actibus libertas. Quid enim aliud est operari necessariò, quam sic agere, ut actionem *impedire nequeas aut retardare*?

JANSENISTA: Quasi nescias, varia esse necessitatis genera, quemadmodum & libertatis. Usitatissimum penes nos axioma est, centenis à Jansenio vicibus iteratum *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*; necessitate non ferreâ, non animum cogente invitum; sed suavi & gratissimâ voluntati, proinde non impediente sufficientem ad merita libertatem.

QUIETISTA. Intelligo quid velis; juxta vos; *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit: & sola violentia repugnat libertati hominis naturali*; Denique *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*: quæ triplex enuntiatio prout in eandem sensu conflit doctrinam, noscitur tradita à Michaele Bajo, atque in ejus sensu à Pontificibus damnata; resuscitata nihilominus à Jansenio & quoad Propositionem tertiam passa Censuram hæreseos.

JANSENISTA. Tertia ista in Pii V. contra Bajum Diplomate non legitur; Jansenio quoque perperam tribuitur quoad hæreticam significationem.

QUIETISTA. Non legitur illa quidem in Pii Pontificis Bullâ, neque in Jansenii scriptis verbotenus, sed quoad sensum. Evidens enim est cuilibet sive Bajum, sive Jansenium inspicienti, utrunque authorem, ubicunque loquitur de necessitate simplici & coactionis expertè componenda cum libertate, intelligi voluisse de libertate ad meritum & demeritum sufficiente.

Compertissimum quoque est, de Propositione tertiâ, hoc solummodò sensu intellectâ controversiam inter Theologos hactenus fuisse; hoc sensu & non alio Propositionem Innocentio X. Pontifici denuntiatam, postulatumque de eodem sensu & non alio judicium Apostolicæ Sedis. Jactare autem quod hæc sententiam tulerit, de sensu extraneo, de quo nulla extitit contentio & propter quem Pontifex minimè fuit à litigantibus, vel ab Episcopis interpellatus, est nugari turpiter in re seriâ: est exponere ludibrio Apostolicam Sedem, & Novatoribus viam pandere latissimam ad definitiones quaslibet tum Pontificum tum Conciliorum reddendas inutiles, detorquendo eas scilicet in sensus exoticos, & ab authore, cujus feriuntur Dogmata, intentione remotissimos. Quid proinde in totâ nostrâ hypothesi est vestræ non apprimè congruum institutioni?

JANSENISTA. At semper horrida manet vestra enuntiatio: *Oportet hominem suas potentias annihilare; & hæc est via interna*.

QUIETISTA: Non istud hominibus bardis, rusticis & idiotis scribimus; sed idoneis, ut in via mystica dirigantur. Sensum Molinosii pandit apertissimè, in eandem conveniens doctrinam Propositio ejus quinta: *Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in seipso remanet: tunc non sunt amplius duæ res unitæ; sed una tantùm: & hac ratione, Deus vivit, & regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo*.

Ubi vides modo istiusmodi emphatico non significari animorum, aut facultatum ab iis inseparabilium annihilationem physicam, quæ in hominis potestate non est, neque suaderi suicidium; sed *annihilationem* mysticam *in esse operativo*, qua animus in oratione, & quibuscunque rebus ad salutem pertinentibus, non se fatiget, vel studiose occupet curis, meditationibus, precibus sive mentalibus, sive vocalibus; sed à Deo se dirigi sinat, & moveri, quodammodo ut corpus examine.

Hic sensus Molinosii est: nonne & vester? Ita semper mihi visus est intelligi voluisse, qui librum Jansenii, etiam post prohibitionem, elogio prorsus eximio approbavit in Belgio Ægidius Pluyme anno 1641. die quintâ Novembris: *Ex lectione* (inquiebat) *Jansenii, plusquàm ex tot aliis à me lectis, licèt piissimis authoribus, persentisco me proficere in humilitate, & diffidentiâ de meo nihilo totali, cum plenissimâ in Deo confidentiâ & resignatione conjunctâ*.

Quisquamne adeò mente captum autumet hunc Jansenii encomiasten cum aliis quos sibi asserit esse consentientes, ut se cum omnibus animæ & corporis facultatibus tevera & propriè *nihilum totale* esse crediderit? Injurius quoque foret Sedi Apostolicæ, qui ejus in Molinosium sententiam interpretatione niti tam exoticâ sustineret.

Istud vobis proprium & singulare est, Romanorum Pontificum adversus vestra Dogmata definitiones in sensum detorquere alienissimum, atque ita recipiendo illas eludere. Nobis turpis nimium in rebus Fidei semper apparuit fallacia.

Denique nullum arbitror, sive ex Ecclesiæ nostræ proceribus sive ex plebe infimâ repe-

reperiri eò prolapsum dementiæ, ut *viam internam*, ejusque perfectionem in reali & physicâ hominis putaverit *annihilatione* consistere. Asserta itaque à nobis *Potentiarum annihilatio*, non alia est, quàm mystica, qualem Janseniani voluminis approbator in eo traditam, adeò magnificè prædicat.

JANSENISTA: Quis sanus sensus & nostræ, ut ais, conveniens hypotesi tribui potest cæteris quæ in Propositione quinta inferebas: quòd anima nihil operando non tantum *seipsam annihilet*; sed etiam *transformata remaneat ac Divinizata in Dei essentiâ, & tunc non sint ampliùs duæ res unitæ; sed una tantùm: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis: & anima seipsam annihilat in esse operativo*?

QUIETISTA: Video, te parum versatum in scriptionibus mysticis, qui talibus scandalizaris, qualibus nihil illic occurrit frequentiùs. Num offenderis etiam illo Apostoli, *vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus*? Quo sensu in hominibus perfectis dicitur Christus vivere, eodem dicuntur viam Sectantes Quietisticam, esse *unum cum Deo, & divinizati in esse operativo*. Eadem ratio, quâ suum *totale nihilum* ex Jansenii opere agnoverat Ægidius Pluyme, etiam docuit Ecclesiæ nostræ Principem Michaelem Molinos *annihilare animam* suam *in esse operativo*.

JANSENISTA: Quænam, amabo, ea ratio est, aut quæ excogitari potest tam mirabili favens Dogmati, neque tamen fidei contraria aut veritati?

QUIETISTA: Eadem, quæ vestrum docuit Approbatorem in Jansenii Systemate agnoscere suum *totale nihilum*; quam rationem, cum luci exponere verearis, candore ego solito depromam. Vestrum istud *totale nihilum*, æquè ac nostra *annihilatio potentiarum in esse operativo*, & similes locutiones emphaticæ, quæ mundanis hominibus & Theologiam mysticam ignorantibus horrori sunt, solidissimè fundantur in exclusione gratiæ sufficientis, & assertione victricis solumodo, quæ *impediri aut retardari* in Quesnelli sententiâ *non potest*, neque illi juxta Jansenium unquam *resistitur*, neque *resistere potest voluntas humana*.

JANSENISTA: Imo resistitur juxta Jansenium quoties indeliberata concupiscentiæ delectatio ardentior est delectatione gratiæ indeliberatâ. Resistitur præterea etiam gratiæ invictissimæ; quia concupiscentia dum vincitur, resistere non desinit seu reluctari.

QUIETISTA. Candoris plus expectaveram ab Augustini discipulo; sed confirmor in communi de Jansenianis judicio, eos novæ Ecclesiæ incolumitatem, & spem præcipuam ponere in triçis & çavillationibus, quibus dogmata sua, quantumlibet alias jactare ea soleant, ut Augustiniana, toti consona antiquitati, Divinis revelata Oraculis atque à Conciliis Nationum omnium, etiam œcumenicis approbata, fucis tamen obducere conantur.

Si vos sensuum vestrorum pudeat, nonne malesanus suæque salutis prodigus æstimabitur, qui suam in Fide & moribus directionem talibus commiserit Præceptoribus?

JANSENISTA. Minimè pudet nos dogmatum, utpote quæ non in tenebris, seu cubiculis occultamus anxiè; sed innumeris libris ac Thesibus quasi super tecta sonoris maximè vocibus prædicamus, totoque, quantum in nobis est, divulgamus Orbe: Quod autem ea à vibrato in alienos sensus anathemate vindicemus, in ea nihil irreligiosi est, indecori nihil. Imò innocua istiusmodi defensio veritatis debita est non solùm famæ Jansenii; sed etiam Doctoris Maximi consecratæ ab Ecclesiâ authoritati.

QUIETISTA: Evidens nimis est, sensum obvium quinque Propositionum, de quo inter Theologos ante Innocentii X. Constitutionem actis contentio fuerat, à Galliæ Episcopis Pontifici deuuntiatum, atque ab eo post longa examina Censuram hæresios retulisse. Non minùs perspicuum est, eundem non solùm in Jansenio; sed etiam in Quesnello locis plurimis & clarissimis traditum reperiri. Qui verò à vobis tribuitur Propositionibus sensus, quasi unicè à Pontificibus proscriptus, fictio tam inepta est, ut apud omnes mediocri saltèm sapientiâ præditos, aliud non efficiat, quàm quod Inventores ejus, & propagatores palàm arguat, quasi bona fide, religione, verecundiâ destitutos. Proinde non est cur istiusmodi ineptiis à scopo nobis proposito divertamur.

JANSENISTA. Visne igitur ut quinque damnatos in Jansenio Articulos, revera Jansenii esse fateamur, & quidem eodem sensu, qui proscribitur?

QUIETISTA. Quidni?

JANSENISTA: Idemne profiteberis de confixis in Molinosio Propositionibus?

QUIETISTA: Etiam.

JANSENISTA. Quâ igitur ratione sub hodierni congressus initium allegabas *libellum supplicem seu vocem ultimam Zelatricis Innocentiæ*, directam ad Innocentium XI., à celebri *veritatis* apud Belgas *Prædicatore Eugenio de Gelder*, Jansenium simul & Molinosium defendente?

QUIE-

QUIETISTA: Nosti Polemicis familiare, quod vulgò dicitur *Argumentum ad hominem*; cùm ibi rem esse intelligerem cum studioso vindice non Quesnelli solùm; sed etiam Jansenii, nihil opportunius visum est, quo te à præcipiti contra Molinosium Censurâ revocarem, quàm si iisdem te, quibus nos egere vindiciis ostenderem.

JANSENISTA. Quid igitur consilii, quo nos ab hostium insultibus & improperiis liberemus?

QUIETISTA: Consilium non superest expeditum magis & solidum, quàm si unanimes asseruerimus, Romanos Pontifices in suis contra nos Definitionibus, à veritatis tramite aberrasse, eam falsitatis instar & hæresios condemnando.

JANSENISTA. At confugiunt illicò Adversarii ad Ecclesiæ consensum, quem partim explicitum, partim implicitum ajunt Pontificiis utrobique Constitutionibus suffragari.

QUIETISTA. Quisquamne hactenùs consensus Ecclesiæ illustrior fuit, quàm qui hoc tempore præstitus cernitur Bullæ *Unigenitus*? Non tamen ei repugnare desiitis Appellando ad Generale Concilium.

JANSENISTA: Non appellamus temere, præeuntibus tot Episcopis.

QUIETISTA. Verùm si hos cum Pontificiis contuleris, quàm exiguum reperies constantium in Appellatione manipulum, præcipuè postquam ex hoc ipso tam multos eò usque defecisse vidimus, ut veritatem & justitiam in Pontificiâ Propositionum omnium Censurâ publicè profiteantur! Longè plures Episcopos superiora tempora conspexerunt refragantes Ecclesiæ Arianos; non tamen potuere illi qualicumque inflati multitudine se ab anathemate vindicare.

JANSENISTA: Nullum potest sive à Pontificibus sive à Conciliis vibratum anathema officere *veritati*, aut ejus lædere *Prædicatores*. Quæcumque in eam sæviant Potestates, quoscumque in eam turbines excitent inimici, adeò iis dejici non debent animi *Prædicantium* veritatem, ut exultare magis gaudio debeant, quòd digni habiti sint pro ejus defensione contumeliam pati.

Quod denique plures Episcopi veritatem deserant [imò deserant universi] *ipsa sat noverit se sola liberare*, ut scribens aliàs Cardinali Noaillio, monuit sapientissimè Quesnellus, & in Propositione quæ tantopere displicuit Clementi ejusque Sectatoribus, *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*. Ita Magister noster eo tempore, quo neminem inter Episcopos videbatur habere *veritas* defensorem, omnes cum seculi Principibus, ipsoque Romano Pontifice adversantes. Nunc igitur minùs calamitosa reddita est Ecclesiæ nostræ conditio, ad veritatis patrocinium conversis Præsulibus saltem aliquot iisque heroibus tam intrepidis, ut palàm, & quasi in faciem resistere audeant duobus Petri successoribus & toti Potentiæ non solùm Romanæ, sed etiam Antistitum cæterorum, quorum persuasionibus contra nos laica quoque concitatur authoritas. Quot præterea gloriosi pugiles nostram hoc tempore nobilitant Ecclesiam, fortes in confessione, spretis Beneficiis & officiis quibus excluduntur, subeuntes exilia cum exultatione; quorum fortitudinem, ut primorum Christianorum, prædicabit posteritas, ipsique hodie admirantur hæretici!

QUIETISTA: Miramur nos præcipuè vestram in excogitandis effugiis hactenùs inauditis industriam & fœcunditatem, quibus inutiles quodammodo redditis cunctas non modò Pontificum, & dispersorum orbe toto Antistitum; sed Conciliorum etiam Generalium Censuras. Vestris debemus studiis inventionem effugii exquisitissimi, quod traditis in præclarissimo opere, cui inscriptio est *Testimonium veritatis*.

Testimonium ibi certissimum, & Superius omnibus Romanorum Pontificum Præsulumque etiam in Synodo œcumenicâ congregatorum judiciis ac definitionibus, collocatur in *voce publicâ & clamore populi*, quem à subditâ sibi plebe obtinere facilè poterit quisquis vestrorum studiosus Dogmatum Parochus, aliquam apud suos scientiæ & pietatis opinionem fuerit consecutus.

Verùm quantumlibet istud effugii genus excellens, & vestro dignum ingenio sit, aliqua tamen ei ab adversariis objiciuntur, quorum solutio non adeò prompta, nostris quidem apparet Doctoribus. Quapropter nostrorum hîc tenebris lumen vestra precor afferat eruditio.

JANSENISTA. Quidquid illud est penes vos caliginis, veritatis radiis facilè dissipabitur. Tu proponere ne cuncteris.

QUIETISTA: Suppositum illud, inquiunt adversarii, *Testimonium veritatis* fallacissimum est, quandoquidem *vox publica & clamor populi* in paucis allegari valeat Diœcesibus, iisque solius Galliæ, reclamante ejusdem Regni parte longe maximâ cum reliquo Orbe Catholico Ducem & Doctorem fidei sequente Romanum Pontificem.

JANSENISTA: Ecclesiam nostram, sive

five ut declinandæ causâ invidiæ, Quesnellus vocare maluit, *Ordinem* nostrum, arctis nimium limitibus circumscribis. Constat enim longè latèque in finitimis etiam Provinciis, Belgii potissimum propagari.

QUIETISTA: Quod de finitimis Provinciis memoras, non assequor, quia experientiâ exploratissimum est oppositum, etiam de Belgio. Illic enim ab omnibus Episcopis & utrâque Academiâ, Lovaniensi æquè ac Duacensi Constitutio *Unigenitus* accepta statim, & pronis animis fuit. Quod attinet ad *vocem populi* & *clamorem publicum*, insurrexisse eum in Pontificios, Romani Diplomatis, & debitæ ei obedientiæ promotores, fabula est insigni apud exteros mendacio divulgata.

Duos habet Belgium nostrum Archiepiscopatus amplissimos, Mechliniensem & Cameracensem, præter Ultrajectinum, qui sub Acatholicâ Batavorum dominatione est. In Cameracensium Diæcesi sub quatuor successivè Præsulibus Clementina Constitutio possessione fruitur maximè pacificâ, populo nuspiam reclamante, etiam dum sedes fuit viduata Pastore. Ad Archiepiscopatum Mechliniensem pertinent Bruxellæ & Lovanium. Aut hic aut nullibi expectari debuit aliqua populi adversus Bullam commotio. Nulla autem audita uspiam. Extant typis Edita *Ecclesiæ Mechlinensis Acta* occasione Constitutionis *Unigenitus*, ubi è quadringentis ferè Parochis, vix quatuor aut quinque inveneris refractarios: è Religiosis Mendicantibus ne unum quidem.

Ex Abbatibus fama publica tres refert Quesnellianos; quorum unus, antequam inauguraretur, conspicatus se ab Archiepiscopo Benedictionem emungere non posse, nisi promissâ Constitutioni obedientiâ, pollicitus eam tunc quidem fuerit; sed postmodum, nescio quâ seu inconstantiâ, seu fide non optimâ, neque meliore sui nominis commendatione deprehensus sit, Constitutionis apud Belgas interitum moliri.

Prætenso quoque *clamori publico* & *voci populi* minimè favet, quæ refertur inaugurationis circumstantia.

Cùm scilicet in Metropolitanâ Ecclesiâ ad ceremoniam sacram ingens esset confluxus populi, neque compareret Archiepiscopus, neque Monachus, cui impendenda erat Benedictio, suboriri cœpit in populo suspicio & murmur de initiandi propensione in novam hæresim, cui Archipræsulem suum omnes noverant infensissimum. Concurrêre tandem ad hujus Palatium plurimi; plebæi morabantur in atrio, exitum avidè expectantes, atque ut fieri natum est in sortis inferioris multitudine, zelo inflammatâ Religionis, quam si impeti arbitretur, nihil est quod pro eâ vindicanâ non audeat; sed bene habet, quod irreligiosa Neoabbatis resistentia cesserit tandem Archiepiscopali constantiæ.

Aliàs quomodo repulsus ab Antistite, & denegatâ penitus Benedictione miser è Palatii area incolumis evasisset nescio: retulere mihi qui tunc adsuetant spectatores, quod si Archiepiscopalis reverentia Palatii à violentis manibus inferendis multitudinem coerceret, contumelias tamen in transitu impedire non potuisset, forte etiam Palatio egressum imber lapidum expectasset.

In Flandriæ Provinciâ Quesnellianus Parochus, cùm se Constitutioni *Unigenitus* adversarium declarasset, irruentem in se brevì sensit tumultuantium turbam, non velut in Pastorem; sed Lupum Ovibus exitialem, atque ita è Parochiâ expulsus est: Denique insigniter in mentiendo oportuerit esse impudentem, qui de Quesnelli damnatis à Pontifice Propositionibus, persuadere voluerit, eas acclamatione populi fuisse communiter receptas. Quod autem alicubi acclamatum extra Belgium fuerit, quid ampliùs probat, quàm pro Mahometicâ impietate, in vastissimo Turcarum Imperio concentus populi & applausus maximè sonorus? Celebriorne aut frequentior est in Galliis vox populi, & clamor publicus pro Dogmatibus Quesnelli, quàm pro Lutheri & Calvini in Germaniâ, Sueciâ, Norvegiâ, Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ, Bataviâ?

JANSENISTA. Tam longa & odiosa oratio dudum mihi fastidio fuit, tuli tamen, expectans semper avidè quò tandem vergeret, quid concluderet. Ex omnibus autem colligendum arbitror, te in Scholâ Molinæ potiùs, quàm Molinosii institutum.

QUIETISTA. Molinam horreo, & quidquid ei adhærentium sive Discipulorum, sive Sociorum est, Molinosium profiteor Magistrum, uti & Jansenium & Quesnellum, sed fragilibus pro eorum sententiâ argumentis insistere nequeo: Inconstantiam quoque aversor, & pusillanimitatem; magis etiam perfidiam eorum qui Magistros invicem consonos dividere cupiunt, & in uno damnant, quod in alio amplectuntur; nisi tam parum dixerimus perspicaces ut antecedente stabilito, consectarium indeclinabile non videant.

Molinosio fundamentum posuerat Jansenius, cui ille superstruendam censuit totius *vitæ internæ* seu *Quietisticæ* pulcherrimam molem, quam nulla unquam dejicere poterit

per-

persequentium tempestas, nisi subruto, quod retuli, solidissimo nostræ vestræque Ecclesiæ fundamento.

Lugenda proinde tuorum cæcitas sodalium est, qui nostris calamitatibus adeò non videntur ingemiscere, ut etiam insultare non pudeat; afflictisque fratribus addere afflictionem.

JANSENISTA: Non talium ego è numero sum; sed Doctor vester mysticus à veræ pietatis regulis aberrare sæpè nimium, & graviter visus est: unde reliquis à se traditis saluberrimis dogmatibus non leve attulit præjudicium.

QUIETISTA: Nescio an in prætensis Magistri nostri aberrationibus discernendis ipse à pietatis regulis non deflectas. Edic igitur, quæ præ cæteris dogmata in ejus te hypothesi offendant.

JANSENISTA. Quis pius & sapiens ferat, aut non inter blasphemias rejiciat quod exprimitur Articulo 49. *Job ex violentiâ Dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces?*

Art. 50. *David, Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis, hujusmodi violentias patiebantur harum impudicarum operationum externarum.*

Art. 51. *In Sacrâ Scripturâ multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Sampsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philisthæis; conjugium iniit cum alienigenâ: & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuissent: de Juditha, quæ Holoferni mentita fuit; de Elisæo, qui pueris maledixit: de Eliâ qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel Dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.*

Art. 44. *Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis; quia fuit ex Dæmonis violentiâ.*

Art. 45. *S. Paulus hujusmodi Dæmonis violentias in suo corpore passus est. Unde scripsit non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

QUIETISTA: Suppono hæc esse magis horrida, quæ ex Doctoris nostri Articulis selegisti, & nemo, ut ais, *pius ac sapiens ferat, aut non rejiciat inter blasphemias*. Ego autem in his omnibus discernenda censeo quæ ad factum sive ad historiam pertinent ab ijs quæ ad Doctrinam sive *Dogma*. In prioribus si erratum sit, videtur faciliùs à vobis condonandum, utpotè circa quæ neque Romanis Pontificibus, neque Conciliis Oecumenicis judicium conceditis falli nescium.

Quoad Dogmatica Scriptores mystici similes quodammodo sunt concionatoribus, qui zelo abrepti emphaticis subinde exaggerationibus indulgent, ideo nec ubique in rigore grammatico vel scholastico intelligendi. Refertur dictum Lepidum eruditissimi Cardinalis, vix esse Concionatorem egregium, qui Quadragesimam finiat sine tribus ad hæresim accedentibus enuntiatis, si verba ad amussim scholasticam expendantur.

De Scriptoribus mysticis, ut exempla invenias, non multâ opus est disquisitione: Quesnellianas considera gratiæ ideas, quas, si rigidè acceperis, videbis nullam homini relinquere in bonis actibus cooperationem; sed eum corporis instar exanimis passivè solummodo se habere, ut humanitati Christi accidit in Incarnatione, & humanitati cuilibet in resuscitatione à mortuis. Idem deprehenditur in sanatione corporum quam prodigio sola Dei omnipotentia operatur. Denique compertissimum est in creaturarum omnium productione è nihilo. Quæ omnia, si imagines sinceræ sunt & legitimæ ut nobis exhibeant ideam gratiæ, in hominibus efficientis quidquid boni operis est, apparet evidens, Deum in nobis bona omnia producere sine nobis, omnia nos pati solummodo, non agere.

JANSENISTA: Ita sonare Quesnelli verba non diffiteor, neque redarguere tuum hic ratiocinium valeo: Concludere nempè vis, quod sicut duriusculè sonantes alicubi Propositiones Quesnelli non debent accipi tam crudè, sed, ut dicitur, cum grano salis, ita & enuntiationes mysticæ Molinosii. Verùm non satis assequor cur expressionibus ille tam inter Theologos inusitatis, imò communi usui contrariis tam frequenter indulserit, cum facilè suspicari potuerit, futurum aliquando, ut, cùm adversarios lacesseret ingenio præditos & industriâ, scrutarentur illi Jerusalem in lucernis, neque verba authoris exponerent mitiùs; sed acciperent in significatione obviâ & maximè idoneâ ad accusandum.

QUIETISTA: Cogitatio & admiratio similis incessit alios complures, me inter cæteros, de Quesnello, quomodo is verius non sit, figuris, ideis, & phrasibus uti tam fortibus & tam frequenter, quæ gratiam manifestissimè inducerent necessitantem, eliminatâ penitùs sufficiente. Eadem quidem fuit sententia Jansenii; sed hæresios damnata sæpiùs à Pontificibus, & totâ eis obediente Ecclesiâ. Undè & Quesnelli prudentia prævidere facilè potuit, adversariis suis, quibus oculi ad accusandum lyncei sunt, subministra-

ſtrare ſe materiam amplam, & maximè idoneam denuntiationi.

JANSENISTA: Secutus ſibi videri potuit Queſnellus patrociniis & approbationibus tam illuſtribus, tot Pariſienſium Doctorum, Antiſtitum etiam præpotentium, atque in his Eminentiſſimi Cardinalis tot dignitatibus præfulgentis.

QUIETISTA: Defuerunt ne Molinoſio patrocinia & approbationes? obrigere ei ex omni ferè ordine, etiam Epiſcopali & forſitan eminentiore. Mulierum quoque Principum nobis faventium zelus & authoritas videbatur illum adeò ſecurum reddere, ut nemo ſibi ſatis tutum duceret accuſare.

JANSENISTA: Oppoſitum docuit eventus.

QUIETISTA: Neque Queſnelli ſors multo fortunatior fuit. Dum itaque in eâdem navi ſumus adverſo Flumine navigantes, iiſdem pulſi & afflicti tempeſtatibus, non ut Cadmæi fratres dilaceremus invicem; ſed collatis ſtudiis adjuvemus.

JANSENISTA: Supereſt ut allegatos à me Molinoſii Articulos, quâ vales peritiâ defendere coneris, vel à noſtris oſtendas non diſſonare ſententiis.

QUIETISTA: Quoties diſputatio mihi oritur cum Pontificiis, alia defenſionis ratio ineunda eſt: tecum veluti cum amico loquendum apertiùs. Sanctis Patribus familiare ſemper fuit, adverſarios, quibuſcum eſſet contentio, totis impugnare viribus, accerſitis undique argumentis ad convincendum maximè efficacibus: unde aliquando accidit, etiam Auguſtino, ut impugnantes hæreſim excedere veritatis limites viderentur, atque in errorem oppoſitum propendere: Sic, inquam, Auguſtinus contra Manichæos dimicans pro libero arbitrio, nimium huic tribuere, & Pelagio patrocinari viſus aliquibus eſt; hunc autem poſtea debellans, libertatem deſtruere, atque ad Manichæos accedere propiùs, quàm veritas Catholica pateretur.

Quidni ſimile quippiam eveniſſe tum Janſenio, tum Molinoſio noſtro aſſeratur? Ille Jeſuitarum hæreſim libero nimis blandientem arbitrio, dejicere parans, quidquid in Auguſtino, Proſpero, Fulgentio reperire potuit, Pelagio maximè adverſum, collegit ſtudioſiſſimè, ſuoque viginti annorum operi inſeruit, cum animadverſionibus ad ſuum optimè conducentibus intentum. Sed effugere nequiit accuſationem hæreſeos contrariæ libertati: Quin eò uſque contra Ipreſenſem Antiſtitem prævalet etiamnum potentia adverſariorum, ut liber ejus tam utilis, tam neceſſarius Eccleſiæ, oppreſſus maneat: neque ſpes appareat emergendi, donec diſſipatæ fuerint tenebræ Ægyptiacis ſimiles, quæ mentes occupant Romanorum Judicum, atque Eccleſiæ Præfectorum.

Sed & ſapientiſſimè nos monuit Queſnellus, cujus verba refert Proceſſus contra eum juridicus, ſperari fruſtrà Janſenianæ *victoriam veritatis*, niſi ſubrutâ prius adverſantium authoritate.

Huc conferendæ ſunt vires omnes, huc omnia nobis ſtudia dirigenda. Theoriam eorum in materiâ de gratiâ inter hæreſes relegandam ſuſceperat Janſenius, ethicam & praxim adminiſtrandi Sacramenta, Pœnitentiæ potiſſimùm & Euchariſtiæ, Joannes Vergerius Abbas Sancyranus: utriuſque ſolerter inſtitere veſtigiis Arnaldus, Queſnellus, & quotquot eis junxere ſe diſcipuli aut confœderati.

Supererat vellicanda eorum methodus orandi, atque meditandi. Hæc intacta ferè hactenùs manſerat, non exiguam apud multos concilians acrioribus noſtris hoſtibus authoritatem: quam hac in parte dejiciendam aggreſſus eſt Doctor noſter eximius Michael de Molinos, quem ad tantum opus Divina videbatur Providentia deſtinaſſe. Iſtud veſtrum quoque fuit initio, annis ampliùs viginti judicium, donec ingraveſcente contra virum Apoſtolicum perſecutione, & prævalentibus veritatis hoſtibus, ad extremam hæc perniciem deducta eſt: tunc veſtra propudioſè paſſa naufragium conſtantia.

Ut autem allata Patrum exempla, Auguſtini præcipuè, oppoſitas hæreſes, ſubinde ferventiùs impugnantium, applicem ad cauſam noſtram, cenſuit Molinoſius ad finem à ſuâ prudentiâ intentum, perutile fore; ſi, ut uſitatam adverſariis orandi atque meditandi methodum redderet ampliùs odioſam, fortiores iſtiuſmodi adhiberet expreſſiones, quibus vulgi quidem aures non aſſueverant; ſed perſuadere ſibi non poterat, eas offenſioni fore Sapientibus, qui conſcii eſſent, in quibus dicerentur, ſcriberenturve circumſtantiis.

JANSENISTA: Circumſtantias intelligo; ſed neque ex his ſatis aſſequor, quomodo telatos jam Articulos vindices à pravitate.

QUIETISTA: Iſtud tibi fundamenti inſtar ſit, circa quod nulla nobis; ſed cum Pontificiis ſolùm diſceptatio eſt, libertatem à neceſſitate ſimplici nullam prorsùs in hominibus eſſe poſt Adami lapſum juxtà axioma Janſenii: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundum id, quod operemur neceſſe eſt.*

JANSENISTA: Dici oportuit, juxtà *axioma Auguſtini*.

QUI-

QUIETISTA; Ab Augustino semel adhibitum esse constat; à Jansenio autem plus quam centiès, & (inquiunt Adversarii) sensu minimè Augustiniano, Sanctus Pater delectationem accipit deliberatam, cui omnes voluntati subditas facultates obedire necesse est: talem libero hominis arbitrio nequaquam officere necessitatem, nullus mortalium diffitetur, cùm ipsius sit exercitium libertatis, à voluntate facultatibus inferioribus imperatum, Jansenius autem delectationem intelligit indeliberatam, atque secundùm hanc asserit nos necessariò operari, non solùm exteriùs, sed interiùs etiam, volendo necessariò deliberatè, quod blandiens magis delectatio indeliberata suggesserit.

Luctam porrò Jansenius in hoc statu perpetuam affirmat inter delectationem cœlestem, quæ Christi gratia est, & terrenam, quæ cupiditas, sive concupiscientia, vocarique potest, inquit Jansenius, *adjutorium Diaboli*. Si itaque debilior, vel nulla adest gratia, evidens, eodem Judice, est victricem necessariò existere concupiscientiam terrenam; quæ naturam hominis corruptam nunquam penitùs destituit, Si denique Divina suavitas delectabilius invitat, quàm mundana, hanc cedere necesse est, hominemque se dedere priori.

Quesnellus autem obfirmatissimè asserit, in Jansenii systemate *nihil esse non Catholicum*, stabiliendoque fortiùs ejus robori intentus, eas adhibet figuras, & similitudines, quas nobis inculcare modis omnibus conatur tanquam legitimas *gratiæ ideas*, à Deo in scripturis omnibus revelatas, quibus contradicere nefas sit.

Porrò si admittere oporteat istiusmodi *ideas gratiæ*, perspicuum fit, nullam arbitrio nostro relinqui operationem cum gratiâ liberam; sed omnem subjici necessitati, quam neque declinare possumus, neque impedire ejus effectum, vel suspendere. Imò sicut *productio Creaturarum è nihilo* est unicè à Conditore, absque ullâ vel minimâ earum cooperatione; sicut Incarnatio sive assumptio humanitatis à Verbo est ab hoc unicè, nihil operæ conferente humanitate, quæ passivè tantummodò se habet; sicut denique *resuscitatio mortuorum* Deo soli tribuitur, tanquam authori unico, patiente eam Creaturâ, in cujus minimè potestate est, obicem ponere, vel cooperationem; non minùs evidens erit, gratiam in hoc statu solam, efficere opus bonum, hominibus illud tantummodo patientibus, si adhibitæ à Quesnello figuræ admittantur quasi *ideæ* legitimæ illius modi, quo Deus in nobis per gratiam operatur.

JANSENISTA: Notum est, quo consilio Quesnellus talibus usus fuerit phrasibus & figuris, quas *ideas gratiæ* credi voluit, & quidem veluti à Deo traditas in omnibus scripturis, ut nempè longiùs nos averteret à gliscente per Ecclesiam errore de gratiâ sufficiente, cui resistere vel obtemperare à liberâ hominis pendeat voluntate. Sententiam enim, quâ asseritur libertas indifferentiæ in hoc statu, nemo Augustini dogmatibus addictus, inficiabitur perniciosam esse, & *hæreticam* prout à Scholâ Molinisticâ explicatur; prout à Thomisticâ, *stultitiam*.

A geminis hisce errorum scopulis ubique naufragium fidei minitantibus, ut removeret ampliùs lectores suos Quesnellus, energicis adeò expressionibus indulsit, quæ operationem nobis omnem in bonis actibus adimere videantur, solamque relinquere passionem. Verùm non ea profectò mens ejus fuit, ut activam nobis tolleret facultatem; nimis enim perspicuum est, virtutum opera à nobis volentibus, & deliberantibus fieri, neque esse instar motuum concupiscentiæ, qui invitis etiam obveniunt, vel quos appellant scholastici *primò primos*.

Quesnello autem sufficit, eliminare libertatem indifferentiæ: quin & communitèr scrupulosiùs abstinet à vocabulo simplicis *necessitatis*, quam absque dubio stabilire addicè desiderat, eoque dirigit omnes gratiæ definitiones, expositiones dilucidas, figuras etiam pulcherrimas & fortiores, quàm significatio nimiùm grammatica, vel rigor philosophicus Theologiæ scholasticæ patiatur. Verùm locutus in eo genere liberiùs est, confidens se à nemine, nisi valdè malevolo & Christianæ adversario sinceritatis, aliter intelligendum; sed experimento didicit, nunquam homini satis tutum esse ab insidiis malignantium.

QUIETISTA: Istiusmodi ego genus hominum iniquissimum detestor. Visne autem ut aperiam tibi candidè, quod de communi nostro negotio semper habui persuasum?

JANSENISTA. Nihil est quod malim; nam præ Quesnello & Jansenio semper mihi charior fuit veritas.

QUIETISTA. Mihi etiam præ Molinosio. Sic igitur habe: Tua Janseniani sensûs, & Quesnelliani expositio ingenua, & genuina est: neque aliter mihi apparuit unquam: licèt eloquia Quesnelli tot modis fortissimis inculcata, visa semper fuerint sonare duriusculè; undè reprobari potuerint à Clemente XI. *tanquam captiosa, male sonantia & piarum aurium* (sed nimis simplicium) *offensiva*.

JAN-

JANSENISTA. Tolerabilis ea utcunque videri potuerat contumelia; nisi eam graviores aliæ comitarentur, etiam impietatis, blasphemiæ & hæreseos; quæ, quanquam non omnes Propositionibus singulis inflictæ sint, autumant tamen inter Pontificios non pauci neque infimi, censuram hæreseos, relatis potissimùm de gratiâ enuntiationibus in Romano fuisse judicio applicatas.

QUIETISTA: Non poterat inde Censura mitior expectari. Nimis enim Romanorum mentibus inhæret nota hæreseos, Dogmatibus quinque inusta Jansenianis, quæ à Quesnello terminis etiam fortioribus instaurari, cuilibet non præoccupato, manifestum est.

Non tamen propterea aversum animum gerimus, sive à Quesnelli expressionibus, sive à Jansenii: neque pro earum defensione effugia quærenda ducimus frivola; sed in utriusque sensu authoris intrepidè eas admittimus, licet minimè dubii, quin in eundem anathema à Romanis Judicibus latum sit.

Quesnellum quoque præ Jansenio longè duriùs locutum, ex utriusque lectione fit evidens. Jansenius enim solâ fuit contentus eliminatione gratiæ sufficientis, atque inductâ simplici in actiones quaslibet necessitate; ex victrice quidem gratiâ in bonas; in malas autem ex concupiscentiâ ardentiore, juxta familiarissimum Jansenio axioma, *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*.

Quesnellus Jansenio audentior, tam energicis istud exornat Phrasibus, figuris, ideis, definitionibus, ut actionis bonæ quodammodo nihil hominibus relinquere videatur; sed passionem tantùm. A vocibus tamen *passionis* & *passivi* abstinuit cautior, quàm Magister noster Molinos. Non itaque Dogmatibus ab invicem dissentiunt Doctores memorati, sed vocibus solummodò; propter quas à viris sapientibus, & maximè amicis moveri inter se prælia, illiberale est. Sic ipse censuit Augustinus, à quo etiam celebrari meruit dictum vetus, Fortunas Græciæ à nominum appellationibus non pendere.

JANSENISTA, Saltem imprudentiæ est, Doctrinam sanam, & reformandæ Ecclesiæ necessariam, committere damnationis periculo propter duritiem vocum, in tali materiâ odiosam, quæ hostibus in nostram intentis perniciem, nodosque vel in scirpo quærentibus, occasionem suppeditet criminationibus opportunam.

QUIETISTA: Videbantur res nostræ satis in tuto esse, tantorum potentiâ Patronorum, quos veritas nobis conciliaverat & fama pietatis. Si præpropera nos deluserit confidentia, vestris adhuc integris viribus juvari fœderatos decet, non gravari ampliùs contumeliis, ubi explorata vobis adeò reddita est nostræ innocentia, imò Sanctitas Doctrinæ.

JANSENISTA. Scriptores & Doctores mysticos fateor non adstringi apicibus verborum, ut scholasticos, sed iis uti potiùs solitos locutionibus, quæ instituendis moribus, & promovendæ pietati præ cæteris reputantur idoneæ.

QUIETISTA: Hac agnitâ hypothesi, offendere te non debuit, aut ullum Jansenianæ deditum veritati, quod Molinos dixerit: *Oportet hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna*.

Quis enim rudis adeò Minervæ Theologus est, ut autumet Doctorem nostrum de reali & physicâ agere destructione potentiarum, quæ vel non distinguuntur ab anima, vel arcto adeò vinculo ei copulantur ut nullâ valeant ratione separari, atque ita annihilari nequeant homine subsistente?

Metaphorica igitur solùm *annihilatio Potentiarum* ab omni sapiente intelligenda est, sicut ab humilibus dicitur, se nihil esse nisi peccatum, debere hominem æstimatione suâ manere in suo nihilo. Quod in vestro æquè ac nostro systemate, solis vocibus differente, locum obtinet in primis congruum.

Ut enim supersedeam definitis à Quesnello, quas sæpè retuli, Gratiæ notionibus, expositisque & ornatis tantâ figurarum ac phrasium varietate, unicum sufficit Jansenii celebratissimum axioma, prout ab eodem explicatur Antistite, *Quod ampliùs nos delectat* indeliberatè, *secundum id* velimus *& operemur necesse est*, necessitate antecedente & invincibili. Cum autem juxta Jansenium, nulla in nobis actio sit exempta à tali necessitate; quia nihil agimus nisi tali delectatione prævià determinati, nulla relinquitur nobis potestas libera eligendi, nisi intelligas liberam à violentiâ, sive à coactione. Nosti quid de solâ hac humanis actibus concessâ libertate pronuntiet S. Thomas in Quæstionibus disputatis de malo Quæst. 6. de Electione. *Quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum, . Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti... Si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, laus & vituperium.*

Quæ Aquinatis oratio, etsi quoad *hæresios* Censuram vestro nostroque inflictam dogmati, placere nequeat; quoad elicita tamen

men ex illo consectaria minimè displicet, ut pote solida & ipsius naturæ dictamini prorsus conveniens. Frustranea enim & insipiens *deliberatio* est de virtutis opere quod noveris, in tuâ nullatenùs potestate esse ut facias, vel omittas. Sic Gregorius Nyssenus de Philosophia: *Necesse est eum qui consultat, esse Dominum actionum*. Cui sapienti videbitur seria, cui utilis *exhortatio* ad opus necessarium, vel impossibile ei ad quem exhortatio dirigitur?

Præceptum pariter supervacaneum erit, & Augustini judicio stultum. Unde & injustitia sequitur *punitionis* ut observat Augustini Magister Hieronymus contra Jovinianum *ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est*. Vulgatissima etiam ipsius est Augustini sententia: *Si necessitate motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest*. Eâdem denique ratione justissimâ, atque ipso naturæ lumine extra omnem positâ dubitationem nititur Documenti ab Aquinate traditi pars posterior; quòd *si ex necessitate movemur ad volendum, tollatur laus & vituperium*.

JANSENISTA. Multum Aquinati, ejusque sectatoribus hic concedis, in quo tibi consentientes non facilè inter nostros reperies.

QUIETISTA. Veritatis Prædicatores non decet eidem agnitæ reluctari.

JANSENISTA: Exotica nihilominùs, & absurda semper videbitur Molinosii assertio: *Oportet hominem suas potentias annihilare*.

QUIETISTA: Sic apparebit eis, qui actiones humanas meriti & demeriti capaces, judicant debere esse liberas, etiam à simplici necessitate, & non solùm à violentiâ seu coactione: quod judicium constat esse Romanorum Pontificum, vestro æque ac nostro contrarium Patriarchæ.

Verùm, si de Theologis eruditis *Augustini Discipulis* agitur, qui post Adæ lapsum in omnibus humanis actibus necessitatem agnoscunt, sive à gratiâ dimanantem, sive à concupiscentiâ fortiore, non video quâ ratione offendere quemquam valeat Molinosii assertio.

Ipse S. Bernardus, quantumlibet vobis aliàs nobisque oppositus, agnoscit tamen in *necessitatis* hypothesi consecuturam potentiæ, seu voluntatis annihilationem. Clarissima de hoc Melliflui sententia est disputantis de gratiâ & libero arbitrio. *Est* (inquit) *ratio data voluntati, ut instruat illam, destrueret autem si necessitatem ei ullam imponeret, quo minùs liberè pro arbitrio se volveret, sive in malum, consentiens appetitui, aut nequam spiritui, ut fit animalis, non percipiens, ea, quæ sunt spiritûs Dei: sive ad bonum gratiam sequens*. Audis quod *ratio destrueret voluntatem, si necessitatem ei ullam imponeret*, ut in nostro vestroque imponitur systemate, sive in malum ut consentiat appetitui prædominanti, atque ita *nequam spiritui*; *sive ad bonum, sequens gratiam* concupiscentiâ fortiorem. Ubi evidens est destructionem voluntatis intelligi non physicam, seu realem; sed moralem solummodò, & metaphoricam, in vulgari hominum sermone usitatissimam.

JANSENISTA: Inferri animo *necessitatem*, sive à concupiscentiâ terrenâ ad malum, sive à gratiâ superiore ad bonum, non asserimus.

QUIETISTA: Næ vos Theologi & Philosophi estis mirabiles, qui dum pro Jansenio, ejusque systemate, tanquam pro *Aris & focis*, ab anno elapsi seculi quadragesimo primo, in hunc usque diem contra Pontifices præliamini, minimè ignorantes, quòd ea necessitas ubique disertissimè in famoso Jansenii volumine inculcetur, nihilominùs inficiari minimè dubitatis, quod ulla à vobis asseratur *necessitas* illata voluntati, sive à victrice gratiâ, sive à concupiscentiâ amplius delectante.

Quale istud sive Theologorum genus diceres, sive Philosophorum, quod affirmans confidentissimè definitionem prorsus dilucidam; definitum tamen asserere se pernegaret? Regula nempè omnium Dialecticorum est, ipso naturæ lumine notissima, definitum & definitionem inter se converti, utpote rem unam penitùs eamdemque, aliis tantummodo expressam vocibus, & in definitione quidem clariùs.

Quomodo illatam homini à gratiâ necessitatem describere quis posset accuratius, quàm tot Quesnelli de gratiâ enuntiationibus videmus expositam? Inter eas singulari luce emicat hæc decima: *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Quid enim dixeris esse operationem necessariam aliud, quàm operationem quæ impediri nequeat aut retardari? Huc revoca memoratas à me sæpiùs ideas gratiæ ex Christi meritis concessæ, de quâ sola præsens nostra agit dissertatio.

Nullus sanæ mentis Theologus dubitari à quopiam posse arbitrabitur, quin necessitantem gratiam significare Quesnellus voluerit Propositione hac 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis; utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei Incarnantis & resuscitantis Filium suum*.

Quæ Propositio, utpote illimitata & Dog-

Dogmatica, æquivalet universali, qua diceretur omnis gratia Jesu Christi esse gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, sive quæ certissimè vinci nequit, atque, ipso interprete, ut vidimus, Quesnello, impediri à nemine potest, aut retardari.

Vis aliquid magis emphaticum aut magis evidens, quo illata nobis per gratiam necessitas demonstretur? Mox suppeditat plus quàm opus est Propositio 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam.* Estne ulli creaturæ libera sui productio è nihilo? An resuscitatio mortuorum ab eorum pendet, aut postea pendebit liberâ voluntate? Nonne tum productio illa, tum resurrectio ex necessitate eis obvenit propriissimè dictâ?

Nega modò, si andes, à gratia, prout à vobis exponitur, in actus nostros necessitatem profluere manifestam. Si negare perrexeris, Deum necessariò deceptorem statues aut Quesnellum. Deum quidem, si is creaturarum è nihilo productionem, & resuscitationem à mortuis tradiderit nobis quasi ideam, juxta quam concipere nos oporteat omnipotentem suæ gratiæ in nostris voluntatibus operationem. In ideâ enim necessitas reperitur exploratissima, ab eo autem quod sequi & imitari ideam dicitur, procul exulat necessitas, si vobis credimus; aut si meritò horres Deo Sanctissimo impingere deceptoris blasphemiam, necesse est Quesnellum fatearis, non solùm insigniter mendacem, sed etiam atrociter blasphemum, qui tales affingere Deo ausus fuerit ideas, quas constet esse ab omni alienissimas veritate.

JANSENISTA: Inficiari neque possum, neque cupio determinationem actibus nostris meriti capacibus inferri à gratiâ, eamque talem quam infringere voluntas humana nequeat, aut vincere, sive ut Quesnelli utar vocibus, quam *nihil impedire possit aut retardare.* Neque dubitari potest quin determinatio istiusmodi reverà sit necessitas quædam, ita semper appellata à Patribus, dein à scholasticis, recenter etiam à Jansenio, in opere celebri, atque illic familiarissimo sibi axiomate; *Quod ampliùs nos delectat*, delectatione indeliberatâ seu gratiæ, seu concupiscentiæ, *secundùm id operemur necesse est*, tam interiùs volendo, quàm exequendo exteriùs. Cavendum tamen hoc tempore ab illo *necessitatis* nomine, reddito nimiùm odioso propter obtentas perperam contra Jansenium Constitutiones.

QUIETISTA. Si obtentæ perperam Constitutiones judicio vestro fuerint, quare eas palàm non rejicitis æquè ac Bullam *Unigenitus*?

JANSENISTA, Istud quidem à veritatis Prædicatoribus exigere pridem videbatur Religio, sed longioris ea res discussionis est, quàm ut præsenti colloquio jam inde nimiùm protenso commodè valeat terminari.

QUIETISTA: Nostrâ quoque plus interest, conciliatis utrimque Dogmatibus pristinam resumere amicitiam.

JANSENISTA. Plus obicis in eo, nec facile superandum prospicio.

QUIETISTA. Non est abbreviata manus Domini, quæ, ut cœperat *facere utraque unum*, interruptam restituere non minùs facilè poterit unionem. Dissidium interim, quod primum occurrerat, & censebatur præcipuum de gratiâ, *ac viâ internâ*, arbitror sublatum satis dilucidè.

JANSENISTA. Inclinat me quidem charitas, & quædam species justitiæ, ut verisimilem non averser datam à te hactenùs expositionem; sed non penitus adæquata est; neque hanc arbitror hodierno congressu commodè terminandam.

QUIETISTA: Nolim esse molestus nimis; differamus cætera in proximum.

JANSENISTA. Interim vindicias para, quas hactenùs callidè declinasti de actibus quibusdam illicitis, quos Satanas in Sanctis aliquibus violentè operari à Molinosio dicitur.

QUIETISTA, Responsi debiti nihil à me studio prætermissum; promptissem etiam cætera, nisi Colloquium tibi opinione meâ citiùs abrumpere placuisset.

CAPUT XVI.

DIALOGUS SECUNDUS

Jansenistam inter & Quietistam quo utriusque novæ Ecclesiæ unio instauranda concluditur.

JANSENISTA: Responsum avidus expecto ad objectas à me nuper actiones quasdam turpissimas, quas Molinosius attribuit Sanctis, Jobo potissimùm velut cogente Diabolo perpetratas,

QUIETISTA: Respondeo, ut nuper, me in Molinosio authoritatem falli nesciam haud agnoscere, præcipuè circa facta, quæ undenam is collegerit, vel ex quâ historiâ, ex quo didicerit scripturæ commentario, non asse-

assequor. Quin dæmon satis virium habeat & malitiæ, ut si Deus permitteret, spurcitias etiam majores in corporibus efficeret maximè Sanctis, nullus dubitat; sed frænum ei ab omnipotente inijci, pariter certum est, præcipuè quoad actiones, quas author naturæ, etiam post primi hominis lapsum, humano subditas manere voluit imperio.

Aliquos in parte hominis inferiore elici à Dæmone, concitatis humoribus, posse motus in ordinatos, atque ad consensum liberum allicientes, ex ipso discimus exemplo, & testimonio Apostoli, de illatis sibi hac in parte gravibus à Satana molestiis conquerentis. Verùm si humani corporis membra, potestati Dæmonis quoad omnia prorsus subiici credimus, quænam homo spurcissimus quisque, impius & Sacrilegus, causari non poterit, voluntate suâ minimè consentiente in suis membris à solo exercita Diabolo? Sic nullus de adulterii, parricidii, blasphemiæ aut alio quolibet enormi crimine convinci unquam poterit, in communem humani generis hostem omnia facilè conjecturus.

JANSENISTA. Credibile est, quod suspicari audio Molinosii adversarios, has ejus Propositiones, in rudibus quibusdam, & infirmioribus, præsertim è sequiore sexu occasionem fuisse excessuum minimè levium, etiam sacrilegiorum; imò quod pejus est, reus agitur, & præ cæteris Dux ipse *viæ internæ & veritatis* Quietisticæ *Prædicator*. Undè maximè sinistrum patitur nova Ecclesia præjudicium.

QUIETISTA: Compati hìc vos magis decet, quàm insultare misero; quando quidem etiam quæ de Tornacen siveſtro nuper Vicario Generali, de Cancellario Duaceno, & quibusdam aliis non infimæ apud vos notæ viris referuntur, non valdè honorifica vestræ accidunt Ecclesiæ, propterea vel maximè, quòd delictis omnibus, quantumlibet horridis, excusationem præbeat, & occasionem, Doctrina vestra, eaque minimè vulgaris apud vos pretii; sed totius vestri Systematis radix & fundamentum: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

Denique præscindere liceat à factis quibusdam particularibus & odiosis, quæ Molinosius inconsultè nimis attribuit aliquibus sanctis, patietur humanitas tua, ut dicam candidè quod res est, memorata Jansenii sententia, quæ à vobis omnibus quasi sacrosancta defenditur, appareat longè perniciosior, quàm quæ tantopere offendit in Molinosio.

Nam si posterior scandalum parere videtur, quia passiones aliquas veriùs, quàm actiones, vi & coactione Diabolicâ in sanctorum quorumdam corporibus absque patientium consensu elicitas, & proinde intuitu eorum innocuas profitetur, quanto ampliorem scandalis & accusationibus materiam præbere nata est sententia Jansenii, quæ omnibus prorsus humanis actibus libertatem adimit, & proinde Aquinatis judicio, cui nullus dissentit Catholicus, *est hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti... deliberationem, exhortationem, præceptum & punitionem, laudem & vituperium.*

Quibus suppositis quid boni, quid laudabilis superest in sanctis, non dico aliquibus; sed universis? Quid mali & damnabilis in sceleratissimis, quos Orbis tulit? Nihil quippe boni est in humanis actibus, quod laudem non mereatur, nihil mali quod non vituperium. Proprietas enim utraque ab essentiâ, cui tribuitur, inseparabilis est, omnium Judicio sapientum.

JANSENISTA. Si ea de nostræ hypothesis fundamento, & quodammodo cardine totius fidei, fixa menti tuæ est sententia, non video quæ ratio tibi esse possit, desiderandi Ecclesiæ nostræ cum tuâ Quietisticâ unionem.

QUIETISTA. Ad eam orationis duritiem me compulit vestra nimium pathetica, de quibusdam Principis nostri, ut apparet, excessibus sive in loquendo, sive in operando, declamatio & querimonia.

JANSENISTA. Inter Amicos candore opus est & confidentiâ: ad utrumque nostrûm pertinet *Prædicatio veritatis*. Hanc amo, hanc quæro unicè, & exploratam fieri cupio omnibus. Edissere igitur si quid tibi suggerit eruditio, unde vulnus à te nostræ jam hypothesi inflictum curari valeat, ne veritatem agnitam oppugnare imposterùm censeamur.

QUIETISTA. Verum nequit esse vero contrarium.

JANSENISTA. Istud quidem *nullus* hominum ignorat, sed veritatis nomen omnis sibi error vindicare solet, etiam hæreticus.

QUIETISTA: Nulla veritas certior esse potest quàm quæ revelata cœlitùs, vel approbata illic est. Deus enim prima veritas est, à quâ omnis alia tanquam à sole radius, à fonte rivulus derivatur. Ideò veritates Fidei omnes certissimæ sunt.

JANSENISTA: Istud quoque negatur à nemine; at non singulis immediatè hominibus Deus loquitur suaque proponit credenda mysteria; sed aliquibus sanctis atquè ad hoc speciali Providentiâ delectis, ut verbum

Dei ipsi excipiant tradantque seu voce, seu scripto cæteris. Tales testimoniorum suorum præcones in lege veteri adhibuit Deus Moysen & Prophetas, in nova Apostolos per quos toto orbe Evangelium propagavit. Apostolis successere Sancti Patres, atque his recentiores aliqui sanctitatis eximiæ Theologi, qui licet authoritate Apostolis inferiores, credibile tamen est ad aliorum institutionem singulari à Deo fuisse lumine collustratos, Prærogativâ istiusmodi donatos esse oportuit, quos ad reformandam Ecclesiam æterna sapientia destinavit.

QUIETISTA. Hoc stabilito, de quo inter nos convenit, spero me cætera facilè expediturum, ut neque de propriis, neque de mutuis impostorum Dogmatibus dubitemus, atque unio inter nos deinceps inviolabilis restituatur. Inprimis enim pro Sancyrano & Jansenio, tanta concurrunt indicia Sanctitatis, ut non videam, quis eam ratione præditus valeat inficiari.

JANSENISTA. Inficiantur novissimi Pelagiani, utpotè quorum interest dejici famam eorum, à quibus fortissimè debellantur.

QUIETISTA. Talium non est cur nos moretur profecta ex odio censura.

JANSENISTA. Persuasam semper habui non vulgarem Sancyrani Abbatis Sanctimoniam, uti & Jansenii, adeò ut neutra apud me opus habeat confirmatione. Verùm non omnis Sanctus, quamdiu cum mortalibus degit, immunis est ab erroribus; quin Patres Græcos Augustini scriptionibus contra Pelagium anteriores, fuisse Pelagianismo implicitos, Jansenius pro indubitato habet: ipsum Augustinum postquam à Manichæorum hæresi conversus fuerat, in Semipelagianismum incidisse, ex ipsius Doctoris maximi testimonio exploratum est.

Quapropter, licèt integritas vitæ non contemnendum appareat pro doctrinæ innocentiâ argumentum, non tamen irrefragabile est. Fortiore itaque opus est pro conficiendâ utriusque Magistri nostri Sancyrani & Jansenii in Dogmaticis authoritate, quantumlibet utriusque Sanctitas, a nobis eximia prædicetur.

QUIETISTA. Augustinus errorem agnitum mox deposuit: Neque solam ego Sanctimoniam allego, quasi vindicandis utriusque Authoris vestri Dogmatibus sufficientem; sed coassumo, quod partim ipsi, se instinctu Numinis scribere experti sint, partim alii non minùs pii, quàm Docti, simile quid de iis testimonio confirmarint.

Quoties Sancyranus de se Sanctissimè fuit testatus, quod quæ enuntiabat Dogmata, non ex libris didicerit, sed legeret in ipso Deo, qui est veritas æterna; quodque in omnibus sequeretur ductum interiorum illuminationum, Inspirationum, documentorum, quæ sibi à Deo identidem suggeri sentiebat.

JANSENISTA. Profectò Sancyranus tanquam Sacrilegus, & inter Impostores, quos Diabolus instruxit, maximè execrabiles habendus esset, si tot revelationes perfidè confinxisset.

Triennio post Jansenii mortem Lovanii in Templo principe, à Religioso Ecclesiaste, Clero Academico applaudente declamata est Oratio funebris ac dein typis edita: in ea jubemur credere de Jansenii libro, *Opus esse Singulari Dei providentiâ ac Spiritûs Sancti directione susceptum ac consummatum, quod veritatis incommutabilis radium esse, omnes veritatis amatores profitentur.*

Animatus quoque ad illud suscipiendum fuerat hoc amici dicto Prophetico; PERFICE ET MORERE: *quæ sanè verba cum ipso effectu conjuncta, quantum stabiliant virorum optimorum, de speciali ejus in hoc opere, per Spiritum Dei directione sententiam, nemo non videt, .. In omnibus incommutabilem veritatem intuendo, Jansenius, quasi terrestris Angelus incedebat; jugiter Divinæ præsentiæ intentus, & altiori etiam frequenter contemplati ne suspensus, Divinos impetus non rarò patiebatur: sæpè enim à victnis, cùm se solum existimaret, visus est inter lacrymas stare attonitus, quandoque etiam à familiaribus, elevato in Deum animo identidem inclamare O veritas! O veritas!*

Hactenùs Ecclesiastes, Consentit omninodè qui tunc in Archiepiscopi Mechliniensis Seminario Theologiam Tironibus tradebat, de Jansenii opere testimonio publico sic declarans; *Non tam hominis alicujus Sapientissimi, piissimique, quàm Seraphici simul & Cherubici spiritûs in terris munus obiisse videtur Reverendissimus hic Antistes, imò quodammodo verbum expressisse Divinum.*

QUIETISTA. Plurima scio istiusmodi esse de Jansenii opere, tanquam Divino, testimonia. Verùm ea mihi minimè necessaria sunt, ut de tam Sancti Antistitis volumine credam summa omnia; & assensum præbeam Magno Arnaldo asserenti in Apologia pro Jansenio, quod Speciali Dei Providentiâ missus prò meliori gratiæ elucidatione, atque istud libro posthumo fideliter fuerit executus.

JANSENISTA. De ipso pariter Arnaldo aliquid simile persuasum habui semper, æstimationem hanc meam confirmante amplius autho-

authore nuper *Causa Arnaldina* in Præfatione, ubi memoratur Parisiensium contra Doctrinam ejus tanquam hæreticam Censura,
" Cum hæc (inquit) procudebatur, & solus
„ ambulabat Arnaldus in superiore quodam
„ ambulacro exteriorum Ædificiorum Portûs
„ Regii Parisiensis, rei eventum expectans,
„ & coram Deo inde secutura perpendens,
„ subitò in illius animum hæc Augustini ver-
„ ba, velut Cœlitus emissa incurrerunt:
„ *Quia non in me persecuti sunt, nisi verita-*
„ *tem, ideò adjuva me ut certem pro veri-*
„ *tate usque ad mortem*,
„ Quibus verbis tunc non parùm recrea-
„ tus, & in veritatis defendendæ proposito
„ ejus obfirmatus est animus. „ Vides quàm solidis Ecclesia nostra basibus sustentetur: à quantis fides nostra Apostolis prædicata sit, Tantis autem præsidiis nova vestra Reformatio destituta est, tot odiosa, & infamis reddita præjudiciis, ut qui eam profiteri publicè audeat, reperias neminem,

QUIETISTA: In tempora quidem incidimus luctuosa, tempora persecutionis & afflictionis; sed veritas, & constans in eâ animus, omnia tandem superat. Latere tantisper cogimur, donec atrox nimium tempestas deſæviat; interim in ipsis nos tribulationibus consolamur, quod digni habiti simus pro justitiâ & veritate contumeliam pati. Quem vestrûm quoque aliàs non puduit, Jansenistam se publicè profiteri?

Quamdiu, & quot libellis fallacissimis declarastis Jansenismum, ejusque Sectatores esse Phantasmata, reperta nusquam, nisi in cerebro Jesuitarum, atque illis temerè credentium! Si non puduerit Arnaldum, Gerberonium, Quesnellum & quosdam eorum socios è Galliâ profugos, apparere quod erant, & quam scriptis anonymis divulgabant hypothesim, apertis frontibus propugnare; cur tantâ solicitudine se abscondere studuerunt in Ditione Catholicâ, ut Quesnellus Norisio, ad Eminentissimorum Patrum Collegium postea promoto, scripserit: *A Solito hominum commercio segregatus locum incolo, vix paucis amicis notum, paucioribus pervium?*

JANSENISTA: Tempora tunc fuere nubila, atque tam misera ubique conditio defendentium veritatem, prævalentibus apud omnes Principes hostibus veritatis, ut ubi ejus vindicibus pedem liceret securum figere, non appareret. Et quidem adhibitam quantamlibet industriam, ad eludendas insidias adversariorum, Quesnello, Brigodeo, Gerberonio non suffecisse, funestus nimium eventus docuit. Verùm evidens ea fuit Quesnelliani Articuli confirmatio: *Deus permittit ut omnes Potestates sint contraria defensoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*,

QUIETISTA: Contrarias quidem vobis hactenùs vidimus Potestates omnes; Victoria autem expectanda adhuc manet; neque inane videtur augurium eorum, qui credunt, victoriam non vestris priùs quàm nostris veritatibus obventuram; connexio siquidem inter utrasque arcta adeò est, ut divelli se abinvicem non facilè patiantur. Molinosii nempè Dogmata vix ampliùs differunt à Jansenianis, quàm hæc à prohibitis in Quesnello; nisi quod posteriora magis extensa sint, atque exposita clariùs.

Quemadmodum scilicet Quesnellus, quæ in Jansenio de gratiâ & morte Christi quinque comprehensa Articulis proscribuntur, non instaurare solùm; sed pluribus etiam Phrasibus ac figuris voluit illustrare, ita Molinosius Jansenii sensum sibi visus assequi, & penetrare intimè, conatus est, deductis inde consectariis legitimis *viam* suam *internam*, seu Theologiam mysticam adornare.

JANSENISTA: Si ea Doctoris vestri mens fuerit: consilium infeliciter, & perperam executus est, odiosam non solùm reddens *viam internam* enuntiationibus exoticis; sed etiam se flagitiis infamem,

QUIETISTA: Non fides est omnibus habenda statim narrationibus & accusationibus contra eum, quem constat adversarios passum fuisse plurimos, omni loco & tempore sibi insidiantes. Supponamus tamen omnia, quæ de ipso referuntur maximè infamia, testimoniis constare irrefragabilibus, quin & quod difficilius creditu est, Rei confessionibus confirmata; passus illa obvenire Deus ipsi fuerit, ut humanum *nihilum*, quod alios salubriter docebat, suâ quoque disceret experientiâ.

Inde contra Molinosium vociferentur Pelagiani, quorum tantus ubique numerus est; scandalizentur simplices ab illis seducti; at Sancti Augustini Discipulos juxta Divinum Jansenii Commentarium institutos, non intelligere auream illam Augustini sententiam, *Quod ampliùs nos delectat, secundum id operemur necesse est*, satis nequeo admirari. Axioma enim illud in Jansenii opere adeò frequens, saluberrimum ad infringenda omnia recentium Pelagianorum spicula, visum ipsi fuit in omnibus circumstantiis opportunum. Totius illud Janseniani systematis & nostri fundamentum maximè solidum est, nullis proinde patiamur Pelagianorum machinis convelli.

JANSENISTA. Capio, quid intendas;

das; nempè Molinosium, quidquid sordidi egerit, ex delectatione egisse non sibi libera; sed cui resistere non potuerit, quin succumberet necessariò, utpote vel omni penitus auxilio gratiæ destitutus, vel donatus adeò debili, ut cederet necessariò delectationi concupiscentiæ indeliberatæ ardentiori; *quod* enim *amplius nos delectat* indeliberatè, *secundum id* etiam deliberatè interiùs exteriùsque *operemur necesse est*.

QUIETISTA: Istud procul dubio à me intenditur: nec vereor, ne ullus Jansenianæ sectator hypotheseos subruat, vel inficietur. Adde nunc Augustini regulam ipso naturæ lumine notissimam, *Ista causa est voluntatis, si non potest ei* (tentationi, quæ delectatio indeliberata est) *resisti, sine peccato ei creditur*

Similem idem Sanctus regulam præscribit, juxta quam de omnibus actibus tam bonis quàm malis, Æquum Judicium feratur: *Motus* (inquit) *quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostrâ positus potestate, neque laudandus, cùm ad Superiora, neque culpandus homo esset, cùm ad inferiora detorquet, quasi quemdam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem benè*.

JANSENISTA: Quidquid pravorum actuum à Molinosio commissum est, meritò ei imputatur, quia fuit *voluntarium*, quod Augustino ad imputandam ei malitiam sufficit.

QUIETISTA: Istud est quod à Pontificibus frequenter, & meritò in vobis reprehenditur; quod nempe Augustini sententias mutilationibus passim, vel additionibus, vel præposteris interpretationibus corrumpatis. Augustinus dixit *Motus nisi esset voluntarius, atque in nostrâ positus potestate*: vos rescissâ conditionis parte posteriore, eâque præcipuâ, quæ libertatem constituit necessitatis expertem, solum assumitis *voluntarium*; quasi quidquid voluntate committitur, etsi necessariò, non sit expers meriti, vel demeriti.

JANSENISTA: Quidni ita sentiamus?

QUIETISTA. Quia à Sanctissimo Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnata sub anathemate fuit Bajiana hæc Propositio 39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat; liberè tamen fit*: Et hæc 67, *Homo peccat, etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit*.

Istud quidem Jansenius fundari crediderat in Augustino, atque hinc minimè veritus est asserere, quod *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiratur libertas à necessitate; sed sufficiat libertas à coactione*. Assertionem hanc declaravere hæreticam Innocentius X. Alexander VII. Innocentius XII. & Clemens XI. Nullâ uspiam Accademiâ, nullo Episcopo refragante.

Quesnellus etsi omnia Jansenii Dogmata affirmet continere *nihil nisi Catholicum*; non aliud tamen agnoscere videtur meritum quàm nomine tenus, & maximè impropriè. Constat enim nihil meriti esse ante fidem: *Fides* autem *usus, augmentum & præmium Fidei, totum est Donum puræ liberalitatis Dei*, juxta Quesnelli Articulum 69. Donum scilicet puræ liberalitatis opponi præmio, quod propter merita datur, satis indicat ipsa vocum significatio.

Tot præterea Definitiones gratiæ, tot figuræ mirabiles, quas Quesnellus obtrudit velut legitimas, atque ab ipso Deo traditas gratiæ ideas, ut nullam libertatis speciem homini relinquunt, ita nullam meriti rationem, vel præmii, nisi ad significationem alienissimam nomina transferamus. Quæ contra meritum, pariter contra demeritum necessitas militat.

Si igitur *Quod ampliùs nos delectat, Secundum id operemur necesse est*; Si etiam nihil à nobis agitur nisi ex delectatione prævià indeliberatâ, quæ vel cœlestis est gratia ad bonum, vel concupiscentia terrena ad peccatum, quæ tandem nobis supererit actio non elicita ex necessitate; quandoquidem juxta Jansenium homo vigilans nunquam omni delectatione vacuus est, & quæcunque fortior quàm opposita, voluntatem abripit, consensum exprimens necessariò; ubi autem æqualis utraque fuerit, voluntatem hætere ancipitem necesse est, atque ab omni remanere penitus actione suspensam? Sic omnis ab humanis actibus arcebitur libertas, omne proinde meritum & demeritum.

Meministi Satyræ Montaltianæ, authore Blasio Pascale, contra sufficientem gratiam Thomistarum?

JANSENISTA: Vix alius in *Epistolis* vulgò *Provincialibus* locus leporem melius exhibet Pascaliani ingenii, quàm Epistola illa secunda.

QUIETISTA: Addere poteras, vix aliud indolem hominis prodere magis irreverentem, & temerariam: neque hic malesanus histrio potiùs, quàm Theologus consideravit, vix ullum esse Jansenianæ novitatis Articulum, in quem acumen idem non minùs lepidè, & magis veraciter convertatur.

JANSENISTA. Conversionis istiusmodi aveo specimen audire.

QUIETISTA: " Certè, mi frater, si " quid in Galliâ possem, hoc curarem publi-" cè

„ cè à Præconibus proclamari ; Notum omnibus esto, cùm meritum vel demeritum, mercedem & præmium, vel punitionem & pœnam, libertatem & indifferêtiam Janseniani dicunt, Id eos significare velle, non esse meritum vel demeritum, non esse mercedem & præmium, non esse libertatem, non indifferentiam. Hoc facto tum vobis Janseniani meriti & demeriti, mercedis & præmii; punitionis & pœnæ, libertatis vestræ & indifferentiæ buccinandæ potestas fieret; at priùs nullo modo. Hinc facilè cernes, vestrum meritum & demeritum, vestram libertatem & indifferentiam, tantùm politicè esse, quod ad fallendam Ecclesiam prædicatis. „

JANSENISTA : Si de nostris ita sentias dogmatibus, ad Pontificios accedis, neque video, quam mediteris cum reformatrice nostrâ Ecclesiâ unionem.

QUIETISTA : Non est mihi animus, vestris quoad sensum refragari dogmatibus; sed enuntiationibus non paucis quibus cum Romana Ecclesia loquimini, etsi cum eâ minimè sentiatis, ut pridem vobis Clemens XI. exprobavit in Bullâ *Vineam Domini*. Talibus olim sermonibus decepistis Illustrissimum Bargellinum Clementis IX. in Galliâ Nuntium, ut graviter ipse questus noscitur. Non talibus fundata artibus à Christo Ecclesia est, non talibus eam Apostoli propagarunt.

JANSENISTA : Non omnibus omnia conveniunt temporibus & circumstantiis: Reverà tales non sunt modò, ut veritatem prædicari nudam, & nullo obductam velamine, expediat. Meministi quanta Gilbertum Duacenæ Cancellarium Universitatis, & ejus in Jansenismo socios divexaverit persecutio ob fidei professionem nimis candidam.

QUIETISTA ; Non nimis candida ea fuit; sed occulta credebatur: quæ nempe Theologis istis accidit calamitas, originem duxit à stratagemate quo ab Augustinianæ veritatis hostibus, professio intercepta est: quæ destinata fuerat Arnaldo, in manus incidit adversariorum. Hinc tantum ab his strepitus, tantum pulveris excitatum, ut offuscatis Judicum oculis, inflicta Prædicatoribus veritatis fuerint exilia, privationes &, quæ his omnibus pœna gravior est, hæresios infamia.

JANSENISTA : Inter accusationis capita referuntur scripta quædam, judicio Arnaldi innocua; sed quæ adversariis visa sunt tegendæ hæresi accommodata. Inter hæc Thesis tertia est è septem ab Adversario subdolè compositis, quas Augustini Discipuli simplicitate nimiâ approbarunt. *Quid de gratia sufficiente sensu Thomistico? Minùs displicet; quia, nisi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloso tempore occulendis gratiæ Evangelicæ mysteriis est peridonea. Interim cùm vox illa, & res voce expressa, purioribus Ecclesiæ seculis ignota fuerit, illam meritò ex sanâ Theologiâ relegandam judicamus.*

Dominus Rivette amico sic scribit: *Gratia sufficiens, reddita hic est quodammodo necessaria. Si ad effectum, ad quem sufficiens appellatur, non sufficiat, sufficit utcunque, ut ab adversariorum nos insidiis liberet. Cæterùm voce eâ utor, quàm possum rarissimè, & semper addendo solicitè particulam alienantem, Sensu Thomistico.* Doctor de Laleu *Exultarem* (inquit) *gaudio; si advenisset tempus prosiliendi in publicum, & loquendi liberè idiomate Sancti Augustini. Fateor me non satis exploratas habere circumstantias temporis præsentis. Caveamus autem solicitè, ne horam à Divinâ Providentiâ constitutam præveniamus. Eam advenisse crediderat Gilbertus; sed eventus docuit oppositum.*

QUIETISTA : Hæc omnia non apparent bonæ Fidei indicia, neque Divinæ veritati, quæ simplicissima est, satis congruunt.

JANSENISTA. Quid igitur sanioris consilii tua nobis suggerit prudentia, ut vestram inter nostramque Ecclesiam soluta à lustris aliquot unio coalescat.

QUIETISTA : Præcipuum quod in vobis desidero, est firmitas, & candor in defendendâ Jansenii sententiâ cum consectariis, quæcumque ex antecedente posito profluere ratio evidens dictaverit. Resumamus itaque Jansenii nostri aureum axioma à Doctorum Aquilâ acceptum. *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

JANSENISTA : Quid inde magni ponderis confectum dabis?

QUIETISTA. Cùm delectatio hic à Jansenio declaretur indeliberata, quam habere, vel non habere non sit in hominis potestate, neque ei, quæ fortior est, resistere; vel si æqualis fuerit, in partem se inclinare alterutram, nonne malesanus est, qui viam Quietisticam aversetur? Cur enim vanis, seu nil profuturis conatibus me fatigem? Velimne contra delectationem præviam & prævalidam conniti? Labor noscitur frustraneus, quia *quod ampliùs nos delectat*, secundùm id, Jansenio judice, volumus & agimus necessariò. Unde liquet, supervacaneum etiam conatum fore, ut sequar quo me delectatio fortior pellicit, quandoquidem ipsa per se determinet, & consensum exprimat necessitate insuperabili.

bili. En stabilitam hominis *quietem*, ut dimissâ omni solicitudine inutili, sinat agere Deum solum; quas enim ejus Providentiæ & bonitati placuerit immittere nobis, vel permittere delectationes oppositis fortiores, non est periculum, ne non sequamur, quo ineluctabilis necessitas traxerit.

JANSENISTA. Neque nobis ex argumento tuo eluctari facile est: Inde quoque confirmabitur sententia Aquinatis, quod suppositâ in nostris actibus necessitate, etiamsi absuerit violentia, & coactio, *tollatur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus & vituperium*: atque ita ad Quietismum via instruitur planissima. Verùm sic receditur à Propositione Jansenii tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*.

QUIETISTA: Num igitur seriò agnoscis à Jansenio traditam esse Propositionem illam, quam Pontifices Censurâ hæreticos confixere?

JANSENISTA. Ægidius de Witte, & plures alii nostrarum partium Theologi, non solùm negant, Jansenium quidquam simile docuisse, sed etiam Propositiones exhibent ex eodem Jansenii volumine descriptas, quæ damnato Articulo apparent contrariæ.

QUIETISTA. Non quæro, quid aliqui Jansenio devoti existiment, vel cavillentur: Sed quid tua de eo Judicet æquitas. Ego si ad exponendum quod sentio, me compellis, Propositionem damnatam tam perspicuè contineri locis ibi compluribus comperi adeò manifestè, ut sola possit voluntaria & obstinatissima cæcitas inficiari.

Ut autem aliorum, qui à te citantur, negatio, quamdam præseferat speciem veritatis, exoticum Propositioni damnatæ attribuunt sensum, quem nemo sub iis vocibus aute Pontificium anathema intellexit. Doctrinam ego minimè amo, quæ absque futilibus istiusmodi interpretationibus, nequeat sustineri.

JANSENISTA. Istud quidem meritò; sed horrida sunt, quæ veritate suppositâ Pontificii judicii, contra Propositionem illam tertiam spontè profluunt ex nostro systemate consectaria. Si enim ad meritum & demeritum in hoc statu requiratur libertas à simplici necessitate, & non sufficiat libertas à violentiâ seu coactione, ut non sufficere definiunt Pontifices, quæ tandem hominibus actio erit capax meriti, vel demeriti?

Nam laudatissimum vidimus axioma Jansenii *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, neque operamur unquam in ejusdem Antistitis hypothesi nisi alliciente prævia delectatione indeliberatâ, eâque fortiore, quàm sit omnis opposita. Si autem contigerit, æquales esse utrimque illecebras, suspensa hærebit voluntas necessariò, in neutram se valitura partem inflectere, vel determinare.

Denique cùm in notissimo Jansenii systemate omnis illa delectatio prævia sit terrena, ad concupiscentiam pertinens, vel cœlestis ad gratiam, fieri nunquam poterit in hoc statu ut actio quædam sit libera à necessitate, sit capax meriti vel demeriti.

QUIETISTA: Adde, consecutione legitimâ, & indeclinabili, *tolli punitionem & præmium, laudem & vituperium, deliberationem exhortationem & præceptum*, ut pridem notavit Angelicus, & ante eum Augustinus cum sanctis & sapientibus universis, ipso quoque docente lumine rationis.

JANSENISTA: Nonne, ut dixi, horrida hæc sunt?

QUIETISTA. Horrida sunt Pelagianis & similibus, viam ignorantibus veritatis, quæ ipsa est *via* nostra *interna*, & *via quietis*. Hanc Quesnellus ipse nobis non obscurè insinuat Proposit. non paucis. Clarissima est 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est, peccatorum remissio*. Dispositio enim & conatus utilis ad primam gratiam in nullius hominis potestate est, adeò ut, si quis adhibetur, noxius necessariò sit, & magis gratiæ impedimentum; quia ad primam gratiam evidens est, nullam posse gratiam disponere vel juvare: Sine gratiâ autem omnis actio peccatum est, ut multis Quesnelli Propositionibus stabilitur: unde qualicumque ante gratiam conamine, quid aliud possumus, quàm augere continuò præcedentium cumulum delictorum? Optimum igitur Peccatoribus consilium est *quies* ab omni opere.

JANSENISTA: Tam citò oblivisceris axiomatis, quod nostræ fidei, & Reformatricis Ecclesiæ fundamentum est: *Quod ampliùs nos delectat, secunùm id operemur necesse est*; Proinde Consilium prodesse non poterit, si fortior adsit ad malum delectatio concupiscentiæ, quàm gratiæ: neque consilio opus erit, si delectatio gratiæ concupiscentiam superet suavitate. Quesnellus autem, licèt Jansenii hipothesim approbet, quasi in omnibus Catholicam; plus tamen roboris, gratiæ cuilibet judicat tribuendum; ita ut nulla unquam gratia succumbat, quantumlibet ardentibus concupiscentiæ illecebris juxta Articulum ejus 16. *Nullæ sunt illecebræ quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti*: & universim juxta Arti-

ticu-

ticulum 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*. Art. 28. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat semper affert fructum suum*.

Tandem verò in idem conveniunt Jansenius & Quesnellus, ut homini in hoc statu auferant libertatem indifferentiæ; quia juxta Quesnellum delectatio gratiæ semper potentior est delectatione concupiscentiæ, ideòque necessariò semper victrix est, insistendo axiomati Janseniano, *quod ampliùs nos delectat, secundum id operemur necesse est*.

QUIETISTA: His aliud junge Quesnelliani systematis documentum 40. *Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Sine gratiâ igitur cavendum homini est ab omni actione; ne aberret, ne se vulneribus conficiat, & præcipitet in damnationem: cum gratia non opus est labore, studio aut sollicitudine ad benè agendum: Sinendus tantùm est Deus agere cum suâ gratiâ, prout ipsi libuerit, sicut quando creaturas producit è nihilo, quando mortuis reddit vitam, quando assumpsit humanitatem: hæc se ad unionem hypostaticam disponere non potuit, neque ulla creatura ad sui productionem concurrere, neque homo mortuus ullo se promovere conamine ad resurgendum.

QUIETISTA: Sunt istæ Quesnello ideæ accuratissimæ, ab ipsâ Dei sapientiâ *tradita in omnibus suis scripturis*. Ubique tua prudentia perspicit, viæ Quietisticæ confirmationem, ut semel nos Deo, & nostra omnia resignemus; de cætero curantes nihil; eùm cura omnis humana, aut superflua sit, aut etiam noxia; quin & extra nostram posita libertatem.

Sed quid libertatem nomino? Amisimus eam olim in primo homine. Et quidem opera, quæ vigili ratione facimus, constat adæquatissimè dividi in bona per gratiam, & peccata sine gratiâ. Primam petere vel ad eam nos disponere sicut oportet, minimè possumus, ut contra Semipelagianos Sancti Patres & Concilia, ex ipsis Sacris Paginis docuerunt. Quandocumque gratia adfuerit, nos ei resistere non posse, indubitatus Jansenii, & à Quesnello sæpiùs inculcatus, fidei vestræ Articulus est: Absente gratiâ nihil nos habere virium, nisi ad peccandum, multis à Quesnello Propositionibus traditum accepimus, nec paucioribus à Bajo & Jansenio.

Denique inter omnia peccata, in quæ natura hominis corrupta labitur, nullum à libero nostro pendere arbitrio, constans Jansenii doctrina est. Sic lib. 3. de gratiâ Christi cap. 26. postquam ex Augustino retulit, quod *Peccatum sit motus, undè liberum est abstinere*, hunc suum subiicit commentarium: *Quam definitionem sæpè* (Augustinus) *protestatur, nulli peccato, nisi solius primi hominis convenire*.

JANSENISTA: Commentarius is reverà Jansenii est: audi & rationem; Quia, inquit, *cætera ita peccata sunt, ut sint etiam præcedentium supplicia peccatorum*.

QUIETISTA: Ratio apparet mirabilis; quia dum *peccata* Jansenius causatur *præcedentia*, videtur subintelligere actualia & personalia; allegari autem oportuit peccatum unicum, idque solâ contractum origine, non à singulis propriâ commissum electione.

JANSENISTA: Peccatum Originis vocare Jansenius meritò potuit plurali numero, juxta loquendi methodum etiam in Divinis Oraculis usitatam, cujus ratio redditur à Tridentino; quia peccatum illud verè multum est, utpote tot in se transgressionibus distinctum quot hominum voluntates in Adamo positæ fuerunt, ideoque tot facere peccata, quot homines sunt, ad quæ inquitas derivatur.

QUIETISTA: Hac ratione vocari posse peccata plura non inficior; verùm ambigua sine interprete apparebat locutio, & sensui obnoxia minimè Catholico. Non enim primum quod ab homine rationis compote admittitur peccatum, potest esse *præcedentis supplicium* delicti in propriâ commissi personâ, ut patet.

JANSENISTA: Recta nihilominus Jansenii enuntiatio est, etiam in significatione vulgari; quòd omnia, quæ in hoc statu committimus, sint *præcedentium supplicia peccatorum*, vel personalium scilicet, vel Originalis.

QUIETISTA: Quæ personalia hìc memoras delicta, ob quæ *supplicium* irrogetur? Retineamus firmiter, nullis satis extollendum encomiis axioma Jansenii: *Quod ampliùs nos delectat secundum id operemur necesse est*: & illud Angelici, ipso manifestum lumine rationis, quod *si non sit aliquid liberum in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum* (etsi coactio abfuerit) *tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, laus & vituperium*.

JANSENISTA. Nullane igitur penes te peccata sunt personalia?

QUIETISTA: Vicissim sciscitor, quomodo possunt esse penes te, qui cum Jansenio judi-

judicas, omnia in hoc ftatu fieri neceffariò ex delectatione indeliberatâ fortiore, quàm fit oppofita ?

JANSENISTA: Quoties quidem major eft illecebra concupifcentiæ, quàm gratiæ, priorem fequimur neceffariò, ita ut in poteftate nemo tunc habeat ab omni penitùs abftinere tranfgreffione, fed unam peccati fpeciem, quivis poteft eligere præ alterâ. Tentatus fcilicet ad impudicitiam, poteft tentationem vincere ex motivo fuperbiæ, ne, fi forfitan crimen divulgatum fuerit, detrimentum famæ patiatur: fic in avaro, ne aliquam is fubire debeat jacturam pecuniæ, hujus amor frænare poterit concupifcentiam carnis.

QUIETISTA: Sic alicubi differere mihi vifus eft Janfenius. Verùm ut juxta vetus dictum, *quandoque bonus dormitat Homerus*, miserè hallucinatus in hoc fuerit Auguftinus vefter Bavarus. Sic enim totius fui fyftematis deftruit fundamentum: *Quod ampliùs nos delectat fecundùm id operemur neceffe eft*. Quomodo enim hoc fubfiftente axiomate, dum major eft carnalis ardor libidinis, quàm delectatio pecuniæ, vel alterius rei appetitus qulibet inordinatus, liberum erit homini eligere quod delectat minùs ?

Nam etiam gratia commiferationis erga pauperem, ut modicam ei elargiar eleemofynam, fatis mihi roboris præftabit, ut illatam gravem ab adverfario injuriam condonem, vel fuperem tentationem luxuriæ vehementem ? Talis veftra opinio exotica nullum inveniet fuffragatorem, ipfique apertè contraria eft rationi. Nimias præterea vires tribuit fauciatæ per primi hominis inobedientiam voluntati.

JANSENISTA. Nullumne igitur peccatum in hoc ftatu liberum erit ?

QUIETISTA. Nullum omnino, nifi renuntiaveritis totius veftræ hypothefeos bafi præcipuæ.

JANSENISTA: Argumentum reverà perfpicio neque ratione folida diffolvendum, neque eludendum facilè arte Sophifticâ. Standum itaque fortiter eft in eo quod ante ex Janfenio retulifti, *nulli peccato nifi folius primi hominis convenire*, quod fit, *motus*, *unde fit liberum abftinere*: Sufficere proinde ad peccatum & demeritum in hoc ftatu, quod liberum fuerit in Adamo, in quo, cùm voluntates noftræ pofitæ fuerint, etiam nobis libertate quadam remotiffimâ, peccatum dicitur liberum.

QUIETISTA: Prohibita quidem ea fententia eft in tertiâ Janfenii, & poftea magis explicitè in prima inter 31. quas Alexandri VIII. imperitia condemnavit; fed pofteriori vulneri remedium attulit Arnaldi eruditio in *Difficultatibus Steyaertio propofitis par. 9*. Similem laudem de medicato vulnere, quod Chrifti gratiæ inflixerat Alexander VII. tribuit Arnaldo incomparabilis vefter Academiæ Duacenæ nuper Cancellarius Jacobus Gilbertus Ecclefiæ veftræ Confeffor gloriofus, ac penè Martyr.

JANSENISTA. Quod modò de peccatis differuimus, applicatur facilè actibus bonis, ope gratiæ exercitis; non enim verifimile eft, minus virium ineffe *adjutorio Chrifti*, quod Gratia eft, Divina, & fupernaturalis, quàm motui concupifcentiæ, qui à Janfenio *adjutorium Diaboli* appellatur.

Iftud robur gratiæ confirmant folidè tot à Quefnello traditæ ideæ, ac Definitiones gratiæ, quibus invictiffima ejus virtus oftenditur. Sive igitur Janfenium fequamur, five Quefnellum, afferendo juxta priorem quod delectatio major, fancta vel turpis, prævaleat femper neceffariò; five juxta Quefnellum *omnis gratia fit operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire valeat aut retardare*. Gratiâ abfente manebit femper peccandi neceffitas, ut ex deductis hactenùs eft evidens.

QUIETISTA: Quid igitur remorari vos debet à refumendo nobifcum fœdere; quin etiam ab unione utramque inter Ecclefiam componendâ; cùm circa Articulos præcipuos nulla inter nos diffenfio fit ?

Modos aliquos loquendi à Molinofio ufitatos, licèt à veftris quoad fenfum dogmatibus non diffideant; fi tamen veftris auribus duriufculè fonent, non difficile nobis erit, aliquantulum mitigare, atque ab iis & fimilibus deinceps in publico abftinere: quemadmodum poft perfecutionem contra Seguenotium & Sancyranum, prudentia veftra rectè ftatuit, loquendum deinceps cautiùs, coràm fimplicibus faltem & hoftibus, ne inde fcandalum priores concipiant, pofteriores anfam calumniandi. In Ecclefiâ quoque Romanâ penes Pontificios contentiones non defunt; fubinde etiam acriores; abfque fchifmate tamen, aut violatione charitatis.

Quoad inflictam Molinofio, & quibufdam ejus fectatoribus infamiam, perfonalis ea fuit, & maximè in factis turpibus fundata. Horum memoria tempore multum elanguit; neque paucorum hominum, qualifcumque deprehenfa, vel fuppofita fuerit culpa, maculare debet alios integros vitæ & puros fceleris. Penes quem proditio Judæ, reliquo Apoftolorum Collegio, aut plurium focietati Difcipulorum, flagitium afflavit vel infamiam ? Nullane hodiedum crimina commit-

mittuntur inter Romanæ Fidei Prædicatores seu Clericos, seu ordinum aliàs Sanctissimorum Religiosos?

Decet vos præ cæteris excusare delicta in quocumque patrata genere, juxta laudatissimam Theologiæ vestræ regulam: *Quod ampliùs nos delectat, secundum id operemur necesse est.*

Cum plurimi ex utroque sexu, Doctrinæ Quetisticæ famâ exciti, ejusque tanquam suavissimæ simul & saluberrimæ, ardentes desiderio, ad Molinosium confluerent, hàc usus occasione Diabolus fuit, ut fœlices adeò nostri Systematis progressus sisteret, fructusque destrueret jam partos; suscitavit in Molinosio, & quibusdam ejus adjutoribus, motus concupiscentiæ vehementes, quibus resistere efficaciter non poterant; quia & motus isti obvenerant Doctoribus nostris minimè liberi; sed indeliberati penitus; quibus tamen pulsatos succumbere necesse fuit, cùm vel gratia tunc omnis deesset juxta Quetnellum, vel debilior cœlestis illa delectatio esset juxta Jansenium; *Quod* autem *ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, ubi denique *necessitas, nec laus, nec vituperium est*, ut observat post Augustinum Angelicus, ipsoque discimus naturæ lumine.

JANSENISTA: Neque ego deducto à te hactenùs ratiocinio velim resistere, tum pro excusatione personarum, tum pro Systematis vestri cùm nostro compositione. Unum superest quod te obsecrem; ut singulos in Molinosio damnatos Articulos assumens, connexionem inter eos nostramque hypothesim, qua potes claritate simul & brevitate demonstres, non verbotenus; sed Scripto, quod Doctoribus nostris exibere valeam attentiùs considerandum; nam licèt allegatis à te probationibus, utpote solidis, obsistere pertinaciter nolim; majoris tamen momenti & moliminis est efficere, ut cæteri omnes, vel saltèm præcipui nostrarum partium acquiescant.

QUIETISTA: Quoniam ita jubes, & maximè utilem fore, pro utriusque Ecclesiæ nostræ commodo, unionem, ego quoque censeo, quod à me postulas, eò conducturum, lubens suscipio. Parallelum igitur expecta proximè. Est autem de quo te præmonitum velim, Parallelum istud parte sui non exiguâ compositum esse à Theologo nostris sententiis non addicto; sed undecunque veritas eluxerit, nulli despicienda est sapienti. Denique penes prudentiam tuam erit, verum ubique à falso discernere.

CAPUT XVII.

Parallelum Doctrinæ Quietisticæ & Jansenianæ quoad septemdecim Priores Molinosii Propositiones.

NE informe & truncum sine capite Parallelum appareat, necesse est compendio saltem brevissimo repetam, quæ de primâ Molinosii Propositione in Dialogis amplè disserui.

Quietismi Propositio 1. *Oportet hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna*. Non agitur de reali annihilatione, seu physicâ; sed morali solùm & mysticâ, quâ homo sine ullo ad bona opera exercenda, & fræuandas cogitationes conamine, libero ad bonum ac malum arbitrio destitutus, velit in omnibus habere se quodammodo negativè, ac relinquere abripiendum, quocunque sive Deus per gratiam, sive Diabolus traxerit per concupiscentiam. Hic Molinosii sensus est, cui prorsus congruit Jansenianus juxta familiarissimum Jansenio axioma, quod ampliùs nos delectat, secundum id operemur necesse est. Nullum scilicet opus agimus nisi præviâ delectatione aliquâ indeliberatâ, sive terrenâ ad malum alliciente, sive cœlesti ad bonum: si unica est absque oppositione alterius, vincit necessariò, uti & si opposita minus fortis est. Sic omnis libera hominis potentia cernitur quodammodo annihilata.

Quietismi Propositio 2. *velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: & ideò opus est se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime*. Per velle operari activè intelligit Molinos velle operari liberè. Talis volitio penes Jansenium in bonis actibus inordinata est, utpote Pelagiana vel Semipelagiana, juxta Propositionem hanc ejus quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*.

Quod Molinos ait, Deum velle esse solum Agentem, subintellige liberum, id que in actibus bonis, in quibus juxta Jansenium humana voluntas insuperabili trahitur necessitate, atque ita patiendo magis, quàm agendo. Ideò juxta Jansenium æquè ac Molinosium *opus est se ipsum in Deo totum ac totaliter derelinquere, & posteà permanere velut corpus exanime*.

Ne verò scrupulosior quispiam Jansenianus indignè ferat, talem à me sibi, suisque tri-

tribui in omnibus actibus necessitatem, & similem corpori exanimi impotentiam, præ oculis habeat Quesnelli Articulos, tantis hodiedum clamoribus contra Pontificem defensos. Quid ampliùs quàm corpus exanime conferimus ad actus bonos, si ideæ sint legitimæ, quibus à Quesnello instituimur, ut discamus quomodo Divina in nobis gratia operetur?

Videlicèt sicut omnipotentia creationem è nihilo, resuscitationem mortuorum, cæcorum illuminationem, & plures similes in ægris corporibus factas prodigio sanationes nullâ concurrente liberè hominis facultate; ita operatur & gratia.

Quid Christi humanitas; in quâ verbum caro factum est, ad sui exaltationem, sive cum Dei Filio unionem conferre potuit ampliùs, quàm corpus exanime? Quid amplius res è nihilo producta potuit ad sui creationem? Quid in sui resuscitatione plus efficit mortuus? Quam partem in illuminatione oculorum magis habet cæcus, aut alius quilibet in sanationibus, quæ sic fiunt prodigio? Quid, inquam, in bis omnibus plus conferunt aut conferre valent homines, quàm corpus quodlibet omni motu ac spiritu destitutum?

Ad has nihilominùs figuras, ad has à Quesnello ideas remittimur, quibus nihil accuratius habet in promptu, ut nos edoceat modum, quo Deus per gratiam operatur in nobis bona velle & perficere. Undè Quesnellus & Janseniani cæteri se ludibrio exponunt, quoties videri affectant seriò contra suos declamare adversarios, quasi ab his Jansenio inferatur injuria, dum ei gratiam tribuunt *necessitantem*, à qua voce semper hic Episcopus abstinuerit. Satis nempè illi fuit asserere, quòd præsente fortiore gratiâ, quàm concupiscentiâ, secundùm priorem operemur necessariò, sive ut Janseniani Systematis utar vocabulo, *operemur necesse sit*. Verùm quid Jansenii vindices, prætenso istiusmodi distinctionis acumine, aliud apud sapientes obtinent, quàm ut Theologorum vix digni nomine, ad Grammaticos ablegentur, illic audituri, idem esse Synonimis significatum, proinde asserto uno, non posse alterum recusari?

Honestior apparet excusatio alia, quæ Quesnelli Articulos causatur in opere mystico assertos, ad majorem Christianæ Gratiæ commendationem, nostræque depressionem superbiæ compositos fuisse, vocibus aliquanto magis energicis, quàm passim scholastici patiantur.

Nolim mitigationi, quasi rigidus refragari, modò quæ sive Quesnelli, sive Jansenii enuntiationibus præstatur humanitas, Molinosii expressionibus non denegetur. Qualiscumque igitur explicatio benignior concessa prioribus fuerit, impertiatur etiam posterioribus, ut illud Molinosii *velut corpus exanime*, non æqualitatem significet, sive similitudinem omnimodam; sed inferioris gradûs seu ordinis. Satis itaque tam Molinosio, quàm Jansenio est, libertatem in omnibus sive bonis, sive malis actibus destruxisse.

Quietismi Propositio 3. *vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva*. Claudius Seguenot ejusdem cum Quesnello Congregationis Presbyter lib. de virginitate locis pluribus in Censurâ Sorbonicâ notatis ait. *Vota nihil addunt perfectionis: sunt tantùm imperfectorum: sæpe sunt impedimenta aliò vocantis Dei*.

Propositio tum hæc, tum Molinosii sequitur ex Systemate Janseniano quo omnis è statu naturæ lapsæ expellitur gratia sufficiens, neque alia admittitur, quàm certissimè & necessariò victrix. Huic sententiæ adde aliam multis à Quesnello Propositionibus stabilitam, quâ omnis actio non elicita per gratiam, necessariò peccatum est. Proinde an non temeraria videbitur præsumptio, *vota* emittere, atque ita sub peccato obstringere te ad actionem, quàm nescis, an habiturus in potestate sis ut facias? Quis promittere sibi securus potest auxilium supernaturale, omnipotens, insuperabile, quod neque Diabolica tentatio, neque perversitas voluntatis infringere valeat, non defuturum quoties voti urserit obligatio? Omnis scilicet sufficiens gratia, pridem à Jansenio & ejus Sectatoribus sublata est.

Vota itaque *de aliquo faciendo*, necesse est in Jansenii atque Quesnelli sententiâ dicantur non *perfectionis* solummodò *impeditiva*; sed manifestam supponere temeritatem, multorumque inferre necessitatem criminum, si vota fuerint istiusmodi, quæ frequentia postulent bonorum simul & arduorum actuum exercitia.

Quietismi Propositio 4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes & veram perfectionem; quia Deus operari vult in nobis sine nobis*. Activitatis naturalis nomine intelligi nequit activitas naturæ, divino auxilio speciali supra naturæ ordinem elevata; non enim actiones istiusmodi usitatâ penes Theologos locutione in numero *naturalium* censentur; sed supernaturalium. Quod autem actio omnis cum Dei concursu ordinario elicita sit *inimica gratiæ impediatque Dei operationes* salutiferas, & *veram*

veram perfectionem, docere nos voluit Quesnellus Articulo suo 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sine gratiâ non producit nisi praesumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.*

Si naturalis omnis cognitio Dei, quæ provenire non potest, nisi à Deo, relicta suæ activitati naturali absque gratiæ auxilio non producit nisi effectus adeò perversos, quid melioris operationis ab aliâ quâlibet hominis activitate relictâ viribus naturæ poterit expectari?

Apostolus Epist. 1. ad Corinthios cap. 15, ait: *Abundantiùs omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum*. Versio Gallica Montibus Hannoniæ edita, inde vulgò dicta versio Montensis, mavult ita exprimere, ut Apostulus dixerit: *Non ego; sed gratia Dei, quæ mecum est*. Quod à Janseniano versionis authore non intelligitur, sicut à S. Hieronymo, & aliis Orthodoxis, ut bonorum laus præcipua debeatur gratiæ, inferior aliqua cooperationi hominis. Talis interpretatio non placuit Jansenio, qui Tom. 1. libro 5. cap. 11. *Pelagiana*, inquit, *phrases sunt gratiam provocare, allicere, cooperari voluntati*, Tomo 3. libro 2. cap. 23. *Laudem boni operis, bonæque voluntatis partiri cum Deo, impium esse, ex eo patet, quod post lapsum hominis tota laus bonæ voluntatis, atque operis in solam gratiam referenda sit*. Ideò Quesnellus Articulo 69. ait: *Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*. Art. 25. *Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus solâ suâ voluntate: jubet & ipsi obtemperatur*.

Hic tuam, lector, postulo attentionem, ut Quesnellianæ series doctrinæ non te fugiat, Art. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentiâ Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de Omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*; quòd scilicet sanatio fiat solo motu voluntatis Dei, proindè ut Molinosius animadvertit, *Deus vult operari in nobis sine nobis*: Operari utique virtute suæ gratiæ, quæ etiam ipsa non est aliquid extra Deum, sive ab ipso in animis productum, ut communiter creditur à Pontificiis; sed inquit Quesnellus Art. 36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ, ac gratiam Christianam, est, quod primam unusquisque in propriâ personâ recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.*

Nullam igitur gratiam recipimus in nobis; imò gratia nostra nihil est nisi Deus ipse, sive omnipotens ejus voluntas, quæ à Deo non distinguitur. Ita Quesnellus Arti. 11. *Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet*. Iterùm Arti. 19. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus Omnipotens voluntas: Hæc est idea quam Deus ipse nobis tradidit in omnibus suis scripturis*.

Gradum hinc facimus ad penetranda intimè mysteria Quesnellianæ gratiæ inter Catholicos hactenus inaudita. Art. 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem*. Art. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*; à quâ nunquam justificatio separatur.

Unde consecutio deducitur necessaria, quòd, cùm prima gratia sit fides, atque ipsa *peccatorum remissio*, omnes ad justificationem necessariæ dispositiones à primâ gratiâ minimè distinguantur. Quemadmodum itaque evidens est, nullo Catholico in dubium revocante, quod primam gratiam Deus in nobis efficiat sine nobis, idem pariter dicendum videbitur in Quesnelliana hypothesi de spe & pœnitentiâ, sine quâ nulli obvenit adulto Peccatori justificatio.

Sic denique actus quoslibet ad justificationem necessarios in unicam, eamque primam compactos gratiam, opus erit à *Deo in nobis effici sine nobis*. Quid hic igitur desideres ad omnimodum Quesnelli cum Molinosio consensum?

Quietismi Propositio 5. *Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in quam transformata remanet ac divinizata: & Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ; sed una tantùm: & hac ratione Deus vivit & regnat in nobis: & anima seipsam annihilat in esse operativo*.

Istiusmodi locutio mystica quantumlibet exoticis involuta expressionibus, aliud reipsa intendere in authoris hypothesi non videtur, quàm quod pluribus jam ostensum est Quesnelli Dogmatibus comprehendi. Illud scilicet Molinosii *Nihil operando anima se annihilat*, intellige non de annihilatione phycâ seu reali, quæ satis noscitur impossibilis, sed de morali, & mysticâ, ut solent se annihilare, seu reputare nihilum veri humiles, vel simulare hypocritæ: subinde his junge simplices aliquos Jansenianâ hypocrisi circumventos.

Ita Frater Ægidius Pluyme, postquam Pon-

Pontificiam Janseniani voluminis condemnationem viderat, sensum nihilominùs suum testimonio publico innotescere omnibus voluit, quasi eo Pontifex esset ad Palinodiam adducendus. *Me* [inquit] *præsente, aliisque, Theologus quidam doctus & pietate egregius, perlecto & ruminato quater toto opere Augustini Jansenii, tot tantisque encomiis opus illud affecit, ut omnes raperet in admirationem & amorem tam insignis operis .... Ego quoque* [addit de se Frater Ægidius] *persentisco cum aliis quod ex lectione Jansenii plus, quàm ex tot aliis à me lectis, licet piissimis authoribus, proficiam in humilitate, & diffidentiâ de nihilo nostro totali*.

Quisquamne Jansenii assecla, hoc boni Fratris sui Ægidii sermone offenditur, quasi asserat homines nihil rei esse? Crassa istiusmodi interpretatio dicetur detegere potiùs sermonis mystici ignorantiam in lectore, quàm in scriptore, aut Dogmate pravitatem, fixum itaque sit, ANNIHILANDI vocabulo destructionem penes Quietistas minimè significari propriam, seu realem; sed metaphoricam tantùm, qualem ex Jansenii lectione Frater Ægidius didicit annis multis antè, quàm ullus ex Molinosio Quietista.

Ejusdem rationis sunt *animæ* in Deum resignatio, *transformatio*, *Divinizatio*, *unio*, imò *unitas cum Deo*, quemadmodum in humanis dicitur amicorum invicem constanter amantium anima una. Quod autem in damnato Molinosii Articulo venenum Catholici præcipuè detestantur, est modus ille perniciosissimæ, ut ajunt, Quietis, juxta quem *anima nihil operando*, sive *annihilando se ipsam in esse operativo*, ad eminentem adeò provehi perfectionis apicem inanissimè statuatur.

Quietem hanc haurire Molinosius potuit è Jansenii volumine, ipsoque novi ejus systematis fundamento: *quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*: Si nempè agere nihil deliberatè possumus nisi præviâ delectatione indeliberatâ, quæ necessariò vel cœlestis gratia est, vel concupiscentia terrena; si & quæcumque ex alterutrâ major fuerit, consensum exprimat necessariò, nonne anima patiens magis quàm operans dicenda est?

Hac ratione, sive hypothesi vult Molinosius *animam nihil operari*. Sicque mirabilis illa *Quies* non incongruè censetur filia, & nisi fallar, primogenita Jansenismi, secundogenita videbitur hypothesis Illustrissimi Fenelonii Archiepiscopi Cameracensis ab Innocentio XII. condemnata. De hac forsitan disserendi locus dabitur post præsentis terminum Paralleli.

Quietismi Propositio 6. *Via interna est illa, in qua nec lumen cognoscitur, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo rectè proceditur*. Viam Jansenisticam aptissimè descriptam, antequam natam, exhibuit Angelicus in Quæstionibus disputatis de malo Quæst. 6. *Si non sit aliquid liberum in nobis; sed ex necessitate* (etsi coactionis experte) *movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, punitio, laus & vituperium*: addere Sanctus Doctor potuisset: *tollitur omnis ad bonum conatus, omne studium virtutis, & cognoscendi Deum, lumen, & resignationem*.

Sic nempè universi manebimus in *nihilo nostro totali*, ut inter primos Jansenii discipulos se humiliantem vidimus bonum Fratrem Ægidium Pluyme.

Non est verisimile, intentionem Molinosii fuisse contrariam cognitioni Dei, ejusque luminis quoties Deo placuerit illam animæ ultro infundere; sed viam suam *internam Quietis* introducere cupiens, ab omni bonorum operum labore & curâ suos censuit liberandos.

Huc etiam Quesnellus præcipuos intendit nervos dolosissimi ingenii, nec minùs fallacis eloquentiæ. Multiplici enim figurarum & phrasium varietate totus est, ut persuadeat, universos hominum actus, atque conatus necessariò peccata esse, si absque auxilio gratiæ eliciantur: hâc autem præsente, non posse non sanctos esse: neque humano arbitrio liberum relinqui, ut gratiam admittat, vel rejiciat, vel ut cum eâ minùs aut ampliùs operetur.

De priotis generis actibus habemus Articulum 40. *Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Artic. 39. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet virium nisi ad se vulnerandum*.

Non melior quàm voluntatis, est conditio intellectûs, & quidem in Dei cognitione proficiscente ab ipso Deo Artic. 41. *Omnis cognitio Dei non potest venire nisi à Deo, & sine gratiâ non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*. Non solùm igitur inutile; sed etiam damnosum maximè est, cognoscere Deum sine gratiâ. Eadem ratio est de *cognitione luminis, amoris, & resignationis*.

Gratiâ verò præsente, frustraneus, imò impossibilis est omnis liberi arbitrii conatus, ad cognoscendum Deum, vel lumen, vel amorem, vel resignationem; si à Quesnello rectè describitur modus, quo Deus in homine per gratiam operatur. Quomodo autem fas nobis erit ambigere, quin descriptio legitima sit,

sit, si quidem à Deo ipso traditur? Artic. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam.*

Ideam illam Quesnellus pluribus in idem collimantibus figuris, ac definitionibus illustrando confirmat. Articulos de hoc verba clarissima continentes, longo ordine superiùs retuli,

Quid potuerunt Creaturæ efficere circa suam è nihilo productionem, sive quoad modum, sive quoad substantiam? Omnipotens Dei voluntas, atque ea *sola* totum operata est. Sic enim prosequitur Quesnellus Art. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentiâ Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus* SOLO MOTU SUÆ VOLUNTATIS, *est imago ideæ quæ haberi debet de Omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.* Art. 25. *Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus solâ suâ voluntate: jubet & ipsi obtemperatur,*

Quietismi Propositio 7. *Non debet anima cogitare de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.* Quorsum omnis ea cogitatio, nisi ut animam reddat ampliùs peccatricem, Quesnello judice? Si quidem Art. 45. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt:* Par ratio est de cæteris animæ facultatibus,

Proinde hoc stante Quesnelli axiomate, omnis humana actio vel charitate laudabilis est, vel damnabilis cupiditate. Cogitatio itaque de præmio, & paradiso, ad spem excitans; sicut & alia de punitione, de inferno, de morte, & æternitate, ingerens timorem, si non profluxerit à charitate, quomodò penès Quesnellum effugere poterit maculam cupiditatis? Omnium enim humanorum actuum adæquata apud eum divisio est, in salutiferos ex charitate, & noxios ex cupiditate.

Eadem sententia aliorum in Belgio Jansenistarum est, variis expressa enuntiationibus, atque ab Alexandro VIII. anathemate confixa. Talis est ibi septima: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; Si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.*

Ibidem Propositio 10. *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.*

Prop. 13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quotiès intuitu licèt beatitudinis operatur.*

Neque Jansenius, neque ejus discipuli, dogmatum istorum primi artifices extitere: præcessit eos integro ferè seculo Michaël Bajus Art. 38. *Omnis amor Creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Neque ea sententia cum Bajo emortua est, sed recentioribus iterùm typis edita, & audacissimis propugnata dissertationibus à Gabriele Gerberon contra Pium V. Gregorium XIII. Urbanum VIII. & universam Pontificibus consentieutem Ecclesiam.

Arnaldus Libro de *Frequenti Communione* agens de *necessariâ dispositione pro tam admirabili mysterio*, ait, *oportere pervenisse ad virtutem quamdam divinam, & ex præcedenti habitu deificam, nec non ad firmam & insuperabilem eum rebus divinis adhæsionem:* Denique *ad amoris divini absque ullâ mixtione puritatem.* Multa de punitione & præmio, paradiso & inferno, nec non utriusque æternitate cogitatio non indicat *amoris divini sine ullâ mixtione puritatem*, quâ quisquis destituitur, à Sanctissimi Corporis participatione, juxta Arnaldi regulam arcendus est.

Non igitur juxta eandem *debet anima cogitare de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate*, utpote quæ ad amorem quidem animam disponunt; sed non nisi spe duce & metu comite: undè non videtur *amoris divini sine ullâ mixtione puritas* cum his facilè componenda, quandoquidem juxta Quesnellum, ejusque in reformandâ Ecclesiâ adjutores, omnis actus qui à charitate distinguitur ad damnabilem rejici debeat cupiditatem.

Inter Quesnelli Articulos clarus de hoc est 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum est malus.*

Metus itaque & spes, quibus, ut ex Tridentino discimus, ad amorem Dei benevolum ducimur, cùm non sint propriè charitas, quæ inter virtutes Theologicas ordine tertia est, & cætetarum omnium Regina, necesse est Quesnelli judicio, sint *cupiditas*, sint *amor malus quo nos ipsos ac mundum diligimus.* Meliorisne penes eundem Doctorem, conditionis censebitur, metum illum & spem generans cogitatio de morte, inferno, æternitate, punitione, præmio & paradiso?

Quietismi Propositio 8. *Non debet velle scire*

scire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eâdem voluntate maneat resignata, nec ne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus examine manere.

Quis enim sine fructu exponere se prudenter velit periculo peccandi? Si nempè volitio ista & cognitio sit expers gratiæ, non potest juxta Articulos Quesnelli complures esse libera à delicto. Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet virium nisi ad se vulnerandum*. Art. 40. *sine gratiâ nihil amare* (proinde nihil velle, nihil cogitare deliberatè) *possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Quotusquisque autem Quesnelli Discipulus à Magistro tam magnificè de gratiâ sentire doctus, ut neget eam simul cum peccato lethali in eodem posse consistere subjecto, persuadere sibi nisi temerè poterit, quòd talem penes se habeat gratiam quotiescumque *scire voluerit, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eâdem resignatus maneat, necne*; uti & quoties *suum voluerit statum cognoscere, vel proprium nihil*? Prærogativam adeo augustam à quâlibet in hoc statu gratiâ inseparabilem, Quesnellus tradidit locis pluribus, ut demonstravi alias luculentè. Hîc duo tantùm breviſſimè repeto in commodum lectoris qui superiora forusan non viderit, vel non meminerit.

Primum est Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*. Quæ ratio esse poterit tribuendi minus virium, minus excellentis indolis vel prærogativæ gratiis secundæ, tertiæ, & cæteris sequentibus, quàm primæ?

Alterum traditur Art. 63. *Baptizatus adhuc est sub Lege sicut Judæus, si Legem non adimpleat vel adimpleat ex solo timore*. Nullus peccans lethalitèr, adimplet legem: igitur Peccator omnis Baptizatus *est sub Lege sicut Judæus*. Esse autem sub Lege sicut Judæum, est esse sine gratiâ juxta *Quintum* Quesnelli *Monitum* pag. 353. *Esse sub Lege est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sine gratiâ, sine amore, sine charitate, nihil habet in corde, præter timorem servilem*.

Proinde evidens est in memoratâ hactenùs Quesnellianâ hypothesi, quod communitèr non levi periculo peccandi exposita sit *volitio sciendi, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eâdem voluntate resignata maneat anima nec ne*. Eidem discrimini obnoxia est *volitio cognoscendi suum statum vel proprium nihil; quia*, ut absque speciali revelatione compertum est nemini, sitne amore dignus an odio, quod in Quesnelli sententiâ eo-ipso irritatur omnis gratiæ privatio, non nisi temerè præsumere quis potest, sibi, quandocunque solis naturæ viribus voluerit, *primam gratiam, quæ remissio peccatorum est*, minimè defuturam.

Supposito itaque Quesnelli systemate haud incongruè dixisse videbitur Molinosius: *Non debet* (anima) *velle scire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eâdem voluntate resignata maneat nec ne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere*; utpote sic & non alitèr se proximo excempturus delinquendi periculo. Denique nullum esse in Quesnellianâ hypothesi consilium sapientius, quàm quo suadetur imitatio corporis exanimis, animadversio in sequentem Articulum manifestiùs demonstrabit.

Quietistini Propositio 9. *Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscunque rei; & in viâ internâ omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus*.

Evidens est assertionem hanc Molinosii, suppositâ Quesnellianâ hypothesi, sensum pati innoxium, imò salutiferum. Non enim agitur contra reminiscentiam animæ supernaturalem, sive ex gratiâ dimanantem; quia non solùm utilitas & sanctimonia; sed etiam necessitas ejus nimiùm aperta est. Idem prorsus esto judicium de Reflexione, quæ, si Divinæ gratiæ soboles est, existere nequeat, nisi sancta, quam in potestate hominis non fuerit impedire; quandoquidem juxta Propositionem Quesnelli decimam, *gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*.

Sensus itaque Molinosii consentiens Jansenianis, sed Pontificiis contrarius est, quo prohibetur animæ omnis *reminiscentia* naturalis, sive sui, sive Dei, sive alterius cujuscunque. Eadem sententia est de *reflexione* viribus elicitâ naturæ. Utraque etiam juxta Jansenium & omnes ejus Discipulos necessariò peccatum est. Sic nempè Jansenius de statu naturæ lapsæ lib. 4. cap. 18. *Ita peccato periit libertas arbitrii ad faciendum bonum, ut ante gratiam non solùm non possit universam Legem moralis honestatis implere; sed nec unam quidem, nec unum opus ejus. Ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu, quo sibi videtur legem vel servare, vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur*.

Ibidem. *Ita periit libertas abstinendi à peccato, ut nec in ullo quidem opere* (sine gratiâ) *omnis peccati culpam possit effugere*. Dixerat istud Jansenius à Michaële Bajo, cujus est hæc inter Propositiones damnatas vigesi-

gesima septima: *Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet*.

Magis terruerit Jansenium Bajana hæc, in doctrinam oppositam censura, quæ est Propositio Baji sexagesima quinta: *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet*. Hæc Baji Censura ita placuit Jansenio ut non attenderit ad duorum Pontificum adversus eam anathema, neque ad humilem Baii Palinodam, neque ad promissam à se & quidem sæpiùs Pontificiis Decretis ac definitionibus obedientiam.

Magis seriam fuisse confidamus submissionem, quam ultimâ vitæ horâ publicis Testamentis tabulis consignavit. Urinam Quesnellus, qui errantem Jansenium tantâ secutus fuerat pervicaciâ, aliquid testimonii similis, saltem in vitæ termino reliquisset! Sed quantum Ecclesiæ de ejus exitu scire licuit, suis immortuus est erroribus, etiam hæreticis; obstinatæ scilicet ad Concilium Oecumenicum appellationis fiduciâ imprudentissimè securus; quasi satis ea ponderis apud Deum & homines habitura sit, ut omnem à scandalosâ rebellione, maculam abstergat.

Verùm ineptissimis istiusmodi offuciis Tribunali Superûm non illuditur. Denique si vera foret relata Baii & Jansenii opinio, pluribus à Quesnello Articulis resuscitata, meritò suos docuisset Molinosius Discipulos, quòd *omnis reflexio* naturalis, *sit nociva*, *etiam Reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus*: quòd *anima non debeat* (imò non possit sine peccato) naturaliter *reminisci*, nec sui, nec Dei, nec cujuscunque rei. Quid igitur agendum? Prorsus nihil; sed *debet anima ut corpus exanime manere*. Tota hæc, ut patet, Molinosii doctrina, vel ex Jansenio & Discipulis ejus hausta est, vel eis facilè conilianda.

Quietismi Propositio 10. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est*. Considerato Jansenii axiomate, latissimè patenti *quod ampliùs nos delectat*, *delectatione* etiam *indeliberatâ*, *secundùm id operemur necesse est*, cur *necessarium* videbitur *ad proprios reflectere defectus*, quos impedire nequiverimus, eorum objecto seu materiâ ampliùs delectante, quàm quidquid virtutis, sive illecebræ cœlestis occurrerit contrariæ?

Excipit Molinosius, *dummodo non adsit voluntas scandalizandi*. Sic etiam Jansenius, percussus quodammodo nimiâ axiomatis sui amplitudine, restringere illud voluit in malis actibus, itaut delectante magis vitio, quàm virtute, *secundum illud* quidem *operemur necesse sit*; relictâ tamen libera voluntati inter vitia optione. Placuerit eadem Molinosio, quantumlibèt ineptè conficta species libertatis, atque ipse pariter *voluntatem scandalizandi proximum* cum altero peccati genere commutandi, *via interna* Sectatoribus non solùm facultatem tribuit; sed etiam consilium & forsitan præceptum.

Janseniana exceptio, velut ineptiarum maxima, sæpè alias in præsenti opere impugnata est, utpote qua tota axiomatis cenciis ab eo inculcata ratio funditùs evertitur.

Eadem exceptionis fallacia convincitur ex illecebrâ gratiæ, quæ ita delectat & allicit hominem ad bonum determinatum, ut in ejus potestate non sit adjutorium illud ad aliam boni speciem detorquere; concessam videlicet gratiam ad elargitionem eleemosynæ, convertere ad emittendum votum perpetuæ Castitatis, vel superandas quaslibet luxuriæ tentationes.

Quod inter gratias, seu beneficia Dei Molinosius collocet *impotentiam reflectendi ad defectus proprios*, non adeò mirum videbitur Quesnellianæ hypotheseos Sectatori. In eâ enim omnis elicita solis naturæ viribus actio; necessariò peccatum est; qua propter cùm illa *ad defectus proprios reflexio* a Molinosio reprobata, non nisi naturalis ordinis sit, meritò in eâ hypotesi beneficium Dei reputabitur, peccati illius impotentia committendi.

Quietismi Propositio 11. *Ad dubia quæ occurrunt, an rectè procedatur, nec ne, non non est opus reflectere*. Semper supponitur dubia illa non suggeri à Spiritu Sancto; sed occurrere naturaliter: ad talia non opus dicitur reflexione, scilicèt naturali, quæ juxta Quesnellum, & Jansenium non careret vitio.

Quetismi Prop. 12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nullâ re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet*.

Ab ipsis novæ Ecclesiæ incunabulis Doctrina similis prodite in publicum cœpit, verùm initio subtimidè, & non nisi fucis illita pietatis eximiæ. Protrusisse eam primus aliquandiu creditus fuit Joannes vergerius Abbas Sancyranus, propter Apologias, quibus eam contra Sorbonicos propugnavit. Sed visum postea fuit Sancyrani discipulis expedire, ut

ut cùm prior lucubratio, censuræ substrahi non posset, saltem infamiæ subduceretur Caput novæ Ecclesiæ & Patriarchæ; odiosi autem operis invidia conjiceretur *in Agnetem à Sancto Paulo* Portus-Regii Monialem, Sororem Arnaldi.

Libellus titulum præferebat *Corona Sanctissimi Sacramenti*. Numero 13. instituimur amore erga Deum tam puro, ut illo initiati, nihil imposterùm curemus, nihil desideremus, ne ipsam quidem potestatem *subjiciendi nos Deo*, & perfectâ mandatorum observantiâ *merendi* ejus fruitionem, nostramque perpetuam felicitatem: *Non respiciat Jesus Christus animarum merita; sed omnia disponat pro libito: Renuntiemus potestati, quam habemus, Deo nos subjiciendi, in eo quod existentibus in gratiâ seipsum promiserit. Non isthic collocemus spem nostram; sed maneamus in beatâ incertitudine, quæ independentiam Dei veneretur.*

Ulteriùs procedit mirabilis ille & inauditus antea amor, à novis istis Ecclesiæ Reformatoribus prædicari cœptus: Numero 16. *Jesus Christus se ipso occupetur, neque ullam in se patiatur Creaturam seu nihilum. Nihil curet extra se: non offeramus nos illi, ut se nobis applicet; sed potiùs ut ab illo rejiciamur, propterea quod se debeat nobis præferre. Amplectamur illam applicationis negationem: Eligamus potius ut Christus nostri obliviscatur, quàm ut nostri memoria Christi ergà se applicationem interrumpat, eum applicando ad Creaturas.* Numero 11. *Jesus Christus maneat in se ipso, relinquens Creaturas in impotentiâ ad se accedendi.* Nonne ubique loqui Molinosium crederes?

Quod hic asserit, eum qui suum liberum arbitrium Deo dicavit, *debere propriæ salutis spem purgare*, significat non posse spem salutis sive desiderium visionis & amoris beatifici ibi sistere; sed in bono ipsius Dei, ejusque gloriæ incremento. Ita spem suam *purgare* didicerit forsitan à Jansenio. Sic enim is de *statu naturæ lapsæ* libro 3. cap. 20. *Concupiscentia respectu Dei, amor vitiosus est; nam ille semper, quidquid concupiscit, hoc ultimò ad ipsum amantem refert.*

Lib. 5. cap. 9. *Spem Christianam deprimunt, qui eam subtrahunt charitati, & quodam sinceritatis adulterio, puritatem Divinæ & gratuitæ charitatis in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem vertunt.*

Ibid. cap. 10. *Absit ut ita Christianus propter retributionem operetur, ipsum Deum mercedem tanquam sibi utilem* (sive sibi bonam) *expectando*.

Ibid. *Ex quo amore nascitur ut etiam pœnas timeat. Sed sicut ex illo timore nunquam justitiam Dei operabitur, ita etiam ex illo concupiscentiæ amore nunquam justitia diligetur.*

Consentit Quesnellus Propositione 56. dicens: *Sola charitas Deum honorat*. Prop. 53. *Sola charitas Christiano modo facit* (actiones Christianas) *per relationem ad Deum & Jesum Christum*. Aliter elicitæ actiones, etiamsi ex fide & spe, nullius pretii sunt, quin etiam vitio non carent juxtà Propositionem Quesnelli 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.*

Talis à Sancyrani & Jansenii tempore semper fuit doctrina, Reformationem Ecclesiæ in fide & dogmatibus spirantium Novatorum: quorum vestigiis insistere volens Molinosius, *propriæ salutis spem* ab amore proprio sollicitè statuit *expurgandam*, ut nihil speretur, nisi quantum ratio dictaverit Charitatis.

Quietismi Propositio 13. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Dei relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostrâ: relinquendum ut faciat in nobis sine nobis suam Divinam voluntatem.*

Quid aliud consultiùs suadere suo poterit Discipulo Jansenius vel Quesnellus? Aut enim is ad quem instructio dirigitur, gratiæ auxilium habet, vel eo destituitur. *Si habet*, bonum efficit & quidem infallibiliter, ac necessariò juxtà Quesnellianam gratiæ definitionem, Propositione 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Si supernaturali illo subsidio præmunitus non est, peccat necessariò in omni opere juxtà Propositionem Quesnelli Quadragesimam; *Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; Proindè nihil velle, nihil agere nisi peccatum.

Nonne igitur homini ope gratiæ non instructo melius est abstinere interim ab omni opere, & *resignato* antea *Deo libero arbitrio eidem Deo relinquere cogitationem & curam de omni re nostrâ, & relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam Divinam voluntatem*?

Dixi *in nobis sine nobis* tam in Quesnelli, quàm Molinosii Sententiâ, in neutrâ scilicet ulli gratiæ cooperamur liberè: Penes Jansenium non minùs necessariò instinctum gratiæ sequimur, si indeliberata ejus delectatio fortior sit delectatione concupiscentiæ: si inferior, consensum obtinere ab animo non potest, sed victoria necessariò est penes concupiscentiam & peccatum. Quie-

Quietismi Propositio 14. *Qui Divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut à Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio; cùm sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & est velle, quòd Divina voluntas nostræ conformetur, & non quòd nostra Divinæ. Et illud Evangelii Petite & accipietis, non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imò hujusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.*

Hæc Propositio consectarium quoddam est Propositionis primæ & secundæ; *Oportet hominem suas potentias annihilare; & hæc est via interna. Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: & ideò opus est seipsum in Deo totum & totalitèr derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

Utramque hanc Quietisticam Propositionem Quesnelliano Systemati & Jansenio consonam esse Superiùs demonstravi. Penes neutrum ex his Doctoribus datur actio indifferens; sed omnis neccessariò mala est ex concupiscentiâ, vel bona ex gratiâ, neutra in libero hominis posita arbitrio, subsistente Jansenii axiomate; *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

Neque juxtà Jansenium ullo tempore ab omni vacuus delectatione est homo vigilans. Undè semper necessariò peccat, prævalente concupiscentiæ delectatione, nisi potentior sit gratiæ; quâ absente, quid melius, seu minus mali accidere homini potest, quàm cessatio ab omni opere, proinde & ab omni petitione?

Incertus communiter homo est, an supernaturali gratiæ auxilio præveniatur; Quapropter dum charitate semel, ut confidit, se totum cum omnibus animæ facultatibus Deo obtulit, ac penitùs resignavit, minùs obnoxia peccandi periculo videbitur Quesnello *Quies*; nam juxtà Articulum ejus 59. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali & incapax ad omne bonum.*

Offendere quidem solet Romanos & Pontificios ratio, quæ in Propositione Quietisticâ redditur, ob quam *nihil à Deo petere conveniat ei, qui Divinæ voluntati resignatus est*, ex eo quod *petere sit imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis & electionis, & sit velle quod Divina voluntas nostræ conformetur; & non quod nostra Divinæ.*

Verùm quid in totâ Molinosii Propositione est, quod Agnetem à S. Paulo Portûs Regii Monialem Arnaldi Sororem, & Sancyranii discipulam, non vidimus in *Corona Sanctiss. Sacramenti* enuntiantem, veluti quintam quodammodo essentiam perfectissimæ charitatis, sive ut Arnaldus libro de *Frequenti Communione* part. 3. cap. 7. vocat; *amorem Dei purissimum, & omnis expertem mixtionis!*

Talem ibi Arnaldus *dispositionem* præscribit, velut *necessariam pro tam* admirabili mysterio. Qualis autem ea *mixtio est*, cujus expertem esse oporteat amorem Dei purissimum? Omnis, inquit Arnaldus, sive cujuscunque actus ad amorem benevolum non pertinentis; expertem itaque spei, prout hæc distinguitur à charitate.

Si talis sit ad communicandum *Dispositio necessaria*, necesse pariter erit, spem meram & propriissimè dictam, *imperfectionem* reputari, & quidem minimè levem. Imò, inquit Quesnellus, finem ambagibus ponens & dissimulationi; Spes istiusmodi cupiditas propriè est & peccatum. Doctrinam hanc clarè, & nullo oblitam fuco continet Propositio ejus 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*: Quæ de usu sensuum, eadem cæterarum animæ facultatum ratio est, ut nullus Arnaldi vel Jansenii assecla diffitetur. Petitio propriè non actus charitatis est; sed communiter fertur in ea potiùs quæ nobis bona sunt, atque ad nostram attinent felicitatem.

Quem denique de rebus ad perfectionem spectantibus instrui magis voluerit Sancyranus, quàm Arnaldi sibi charissimi, & ad maxima quæque destinati Sororem, eamque inter Portûs-Regii Amazones non vulgarem? Quæ proinde hæc typis edidit, perfectionis sublimissimæ, ut credidit, documenta, extra omne apparet dubium à præcipuis Reformationis Doctoribus, ei fuisse tradita, quâ promovente, supponerent, ad alias faciliùs dimanatura.

Abstinendum itaque ab omni petitione inculcat illa totis eloquentiæ suæ viribus in memoratâ sæpiùs *Coronâ* Num. 13. *Non respiciat Jesus Christus animarum merita*; adeòque nec vota; *Sed omnia disponat pro libitu: Renuntiemus potestati, quam habemus Deo nos subjiciendi*, etiam per humillimas preces & petitiones. *Non isthic collocemus spem nostram; sed maneamus in beatâ incertitudine, quæ independentiam Dei veneretur.*

Num. 14. *Æstimemus nos felices, quod Divinorum donorum nullo modo reddamur participes.*

Num. 16. *Jesus Christus seipso occupetur, neque ullam in se patiatur creaturam, seu nihilum: nihil curet extrà se.* Proindè non cu-

ret petitiones nostras, neque illis *occupetur*, Non offeramus *nos illi*, *ut se nobis applicet*; *sed potiùs ut ab illo reiiciamur*: reiiciantur itaque & petitiones nostræ. *Amplectamur illam applicationis negationem*: *Eligamus potiùs, ut Christus nostri obliviscatur, quàm ut nostri memoria Christi erga se applicationem interrumpat.*

Si desiderare oporteat, ut Christus nostri potiùs obliviscatur, quàm ut se nobis applicet; ne nostri memoria applicationem ejus erga se impediat, vel interrumpat, abstinendum penitùs videbitur à petitione, & precibus quibuscunque ad Christum, & per Christum ad Deum, ab Ecclesiâ dirigi solitis, etiam in Sacro-Sancto Missæ Sacrificio. Eadem ratio si legitima est, valebit pro abrogandis invocationibus omnium Sanctorum. Nescio an eò usque suos deducere Sectatores Quietismi Spiritus voluerit, quo conspicimus Sancyrani Discipulam, & maximè inter suos Arnaldi Sororem, Lectores sui operis conatam allicere.

Hinc facilis gradus ostenditur ad renuntiandum omni curæ & studio salutis, omnibusque ad Deum pro ea obsecrationibus; siquidem præeligere debemus ut *non respiciat* Deus *animarum merita*, vel preces, *sed omnia disponat pro libitu*, nosque perpetuò hìc *maneamus in beatâ incertitudine quæ independentiam Dei veneretur*. Si conveniat *nos Christo Mediatori & Redemptori offerre ut ab illo reiiciamur*, Quidni & Deo Salvatori nos pro obtinendo simili beneficio offeramus? Nonne eximiè pia foret oratio, ut Deus *nostri obliviscatur*? Nondum eò progressus legitur Molinos, aut ex ejus quispiam Sectatoribus.

Quietismi Propositio 15. *Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere; quia utrumque est actus propriæ voluntatis*: Subintellige quando ex propriâ electione & libero arbitrio fit; tunc enim & sine gratiâ est, & necessariò peccatum in Quesnelli Systemate, juxta quod Articulo 40. *Sine gratiâ nihil amare*, aut agere *possumus*, *nisi ad nostram condemnationem*. Gratiâ autem præsente, non est actus *propriæ voluntatis*, seu liberi arbitrii, cùm non sit in potestate hominis opus bonum suspendere, vel cœlesti impulsui denegare consensum.

Adde, quòd *actus* gratiæ subsidio elicitus, non magis fit *propriæ voluntatis*, quàm nostri productio ex nihilo, aut resuscitatio ex mortuis juxtà Articulum Quesnelli 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam*.

Nè verò quis existimet operationem gratiæ hâc & pluribus istiusmodi Propositionibus judicatam, solùm in eo similem à Quesnello asseri creationi & resuscitationi, quod utrobique effectus sequatur infallibiliter; sed non simili modo; quia nullus pro creatione & resuscitatione supponitur in homine consensus liber, sicut pro operatione gratiæ requiritur à Tridentinâ Synodo Sess. 6. cap. 5, & de Justificatione Canone 4. Verùm nihil apparet posse alteri esse magis contrarium, quàm Tridentini sive Capitis, sive Canonis doctrina hypothesi Quesnellianæ.

Sic nempè indicato Synodi cap. dicitur " Declarat præterea (Synodus) ipsius „ justificationis exordium in adultis à Deo „ per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, „ quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per ejus excitantem atque „ adjuvantem gratiam ad convertendum se „ ad suam ipsorum justificationem, eidem „ gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur; ita ut tangente Deo cor hominis „ per Spiritus Sancti illuminationem, neque „ homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & „ abjicere potest: neque tamen sine gratiâ „ Dei movere se ad justitiam coram illo, liberâ suâ voluntate possit. „

Similiter Canone 4. " Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum „ & excitatum, nihil cooperari assentiendo „ Deo excitanti atque vocanti, quò ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si „ velit; sed veluti inanime quoddam, nihil „ omnino agere, merèque passivè se habere, „ anathema sit. „

His adde Canonem 3. " Si quis dixerit, „ sine præveniente Spiritûs Sanctis inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. „

Quid omnibus his de gratiâ definitionibus consonum traditur à Quesnello? Ut à posteriore incipiam undè pendent ferè cætera; Articulum Quesnelli inspice vigesimum sextum, *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*. Art. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*. Synodus ferit anathemate asserentes, *credere hominem posse sicut oportet, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio*: Quesnellus ait *primam gratiam esse* ipsam *Fidem*, imò *remissionem* peccatorum. Synodus

nodus anathema infligit dicenti, *Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quò ad justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit.*

In Quesnelli autem sententiâ evidens est, quod sicut liberum hominis arbitrium nihil operatur ut primam gratiam accipiat, utpotè prorsùs gratuitam, quamque Deus in nobis operatur sine nobis liberè concurrentibus, ita pariter *liberum arbitrium nihil agat*, aut agere possit, *quò ad justificationis gratiam se disponat, ac præparet*.

Si ut à Quesnello instituimur, *prima gratia quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*; consequens est, liberum arbitrium nihil agere, sed *merè passivè se habere, & velut inanime quoddam*, sicut in *productione cratura è nihilo*, & *resuscitatione* à mortuis nulla creaturæ intervenit cooperatio; quâ utrâque similitudine edocere nos Quesnellus voluit *ideam* operationis gratiæ.

Hæc scilicet juxta ipsum omnis insuperabilis est, quam *nihil impedire possit, aut retardare*. Ita dissolvitur, atque in leves abire auras cogitur omnis, à Tridentino Concilio declarata, ac definita liberi facultas arbitrii, prædita *dissentiendi* gratiæ, eamque pro libitu *abjiciendi* absolutissimâ potestate.

Nihil ampliùs hìc, quàm Quesnellus, docuisse Molinos deprehenditur, aut voluisse. Ex toto denique relato hactenùs Quesnelli systemate consectarium manifestum est, quod præsenti comprehenditur Molinosii Articulo.

Agitur enim de actibus liberi arbitrii, circa quos ab Angelico animadversum accepimus, quod ubi libertas non est; sed necessitas, *tollatur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, laus & vituperium*; proindè & consilium, & omnis morum regula.

Hoc supposito nonne perspicuum ex Quesnellianâ hypothesi profluit dogma præsens Molinosii? Sicut *non debent à Deo rem aliquam petere* [quia nulla petendi congruè, penes hominem libertas est] *ita nec* illi ob rem aliquam gratias agere (nisi gratia necessitans eò tulerit) *quia* aliàs *utrumque*, petitio scilicet & gratiarum actio, *est actus propriæ voluntatis*; Proindè non Spiritûs Sancti instinctus, sine quo juxta Quesnellum *voluntas nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Idem tot Quesnelli Propositionibus traditur, ut repetere hic singulas, tædium mihi pareret & Lectori.

Quietisini Propositio 16. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœnâ propriis peccatis debitâ; quia melius est Divinæ Justitiæ satisfacere; quàm Divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostro interessato: nec est res Deo grata, nec meritoria; quia est velle Crucem fugere.*

Magnificus amoris erga Deum purissimi Prædicator videri voluit cum Sancyrano Jansenius. Utriusque vestigiis studiosè institit Arnaldus in relato superiùs libro de *Frequenti Communione* parte 3. capite 7. unde Propositionem 23. inter triginta & unam, excerptam hanc vidimus, atque ab Alexandro VIII. justissimè condemnatam: *similiter arcendi sunt à Sacrâ Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Secuti quoque Arnaldum Discipuli non parum operæ posuere in eliminando ex animis omni amore sui, & alio quocunque præterquam erga Deum purissimè benevolo.

Sic author operis, cui inscriptio est: *Director spiritualis pro iis qui nullum habent*: pag. 139. *Est*, inquit, *certa quadam dispositio, in quâ debet esse ut Sacræ Eucharistiæ particeps fiat. Exigebant Sancti Patres, ut Christianus, cùm ad Communionem accederet, tam puro erga Deum præditus esset amore, & omnis alterius amoris experte, ut mortuus esset non solùm peccato, & mundo, sed etiam sibi.*

Liber is Belgicè editus, magno usui esse dicitur in Hollandiâ penès *Missionarios* quosdam, vulgari nomine, *Apostolicos*; sed Arnaldo, & Quesnello magis, quàm Sedi Apostolicæ devotos, à quibus è Galliâ profugis, rebellionem contra Pontificem edocti, arte mirabili noverunt *purissimam* suam eum schismate, fortè & hæresi, jungere charitatem. Quàm probè, quàm religiosè tales supponendi sunt suos instituere Christianos!

Indulgentiarum penes eos æstimatio & cura exigua, imò potiùs contemptus. Quoniam scilicet earum desiderium, in hominibus indicat amoris aliquid erga se, dilectionem hinc Dei arguunt in expetentibus Indulgentias, non adeò puram, quin mixtionis quidpiam patiatur. Non tamen ausi sunt hactenùs istiusmodi Apostoli bellum indulgentiis indicere apertum, veriti, ne quam prodere nondum expedit, à Romanâ Ecclesiâ defectionem, profiteri nimis properè censeantur.

Quapropter occultiùs eas suffodere cœperunt, & quasi sensim sine sensu luxare, atque hine indè decerpendo convellere.

Librum præ oculis teneo typis editum à Roma-

Romanæ Ecclesiæ studiosissimo Presbytero sæculari Missionario in Hollandiâ, verè Apostolico, atque ideo exule; editum, inquam, typis non publicè, neque ad commovendum in adversarios populum; sed ad informandum Pontificem, eique ad Ecclesiæ Regimen assistentes Eminentissimos Proceres & Consultores.

In eo opere author ex testimoniis authenticis & quidem singulis Notarii Apostolici subscriptione firmatis refert à pag. 232. quædam de Arnaldicis illic Missionariis, partim in libellis anonymis, partim in concionibus, & colloquiis inculcata. "Collocatam (inquit) à Christiano populo in Sacris indulgentiis fiduciam rident, arguunt, pene ut supestitiosam, & inanem; præcipuè indulgetias Portiunculæ, Scapularis, funiculi quas nugas & quisquilias ajunt adinventas ut emungantur crumenis pecuniæ; & generatim Pontificias Regularibus concessas, aliud non esse, quàm crepundia puerorum. Sunt qui minantur suis Pœnitentibus, se absolutionem eis trimestri integro negaturos, quotiès ad Regularium oratoria pro lucrandis indulgentiis diverterint: alii mulctas pecuniarias imposuere.

„ Indulgentias pro vivis asserunt, non ultrà se extendere, quàm ad diminutionem, vel condonationem pœnæ à Confessario impositæ; adeò ut si Indulgentia sit plenaria implere pœnitentiam illam non debeamus.

„ De Indulgentiis pro Defunctis dicitur Pontifex agere, sicut qui delapso in aquas funem porrigit, quem novit breviorem esse, quàm ut pertingere ad miserum posset: demonstratio ea quædam affectus benevoli est; quanquam ad juvandum inutilis, ita de istiusmodi suis Indulgentiis Pontifex ait: *Valeant quantum valere possunt*. Alii ex Missionariis illis ajunt, nullos esse in Cœlo Sanctos, qui mercedem habent pro applicatâ ad Defunctorum solatium Communione. „

Hæc & plura similis generis testimonia, singula ad fidem in Judicio faciendam, legitimè signata, videre & integrè legere mihi licuit manuscripta.

Illustrissimus Humbertus Guilelmus à Præcipiano Archiepiscopus Mechliniensis ut inter Belgii Antistites eminete zelo Religionis noscebatur, à supremis Fidei in Urbe Quæsitoribus jussus fuerat, colligere Propositiones, quotquot judicaret pacem in Belgio turbare publicam, & Tribunali Apostolico denuntiandas. Paruit is anno 1692. & ingentem catalogum typis edidit, ne & in crebris, ut fieri solet amanuensium incuriâ descriptis sæpiùs exemplaribus error multiplex occurreret, & nimiùm difficilis foret singulorum authenticatio descriptorum. Singulas nempe paginas duorum Notariorum testimonio roborari Archiepiscopus voluit in omnibus ad Innocentium XII. & singulos S.Officii Cardinales fideliter transmittendis.

Illic in Appendice Partis 7. inter Propositiones cæteras sub titulo *de indulgentiis*, referuntur sequentes cum locis & Authoribus indicatis: *supponamus, quod omnes præscriptas conditiones impleveris, anne propterea plenè consecutus es indulgentiarum effectum? Nequaquam. Indulgentiæ tantùm præcisè prosunt, quantum tu ex tuâ parte confers, & nihil plus valent, quàm tuus labor, & tuus conatus sufficit judicio Dei.*

Indulgentiæ non possunt prodesse illi, qui non habet voluntatem Deo plenè satisfaciendi, & qui non facit, aut non est dispositus ad faciendum, quidquid ad plenam satisfactionem possibile est. Putamus indulgentias, sicut & alia pro Defunctis oblata suffragia, tantum ipsis valere, quantum studio pœnitendi, proximo subveniendi in hac vitâ meruerunt.

Idem Archiepiscopus in Epistolâ Pastorali anni 1692. graviter conqueritur, *Nonnullos eò processisse audaciæ, ut communicata cum piis Fidelibus Christi ac Sanctorum merita ex Ecclesiæ thesauro, cujus Depositarius est Romanus Pontifex, sive sacras, ut loquimur, indulgentias, libellis sine nomine editis, & interdum etiam pro concione, multo sæpius in colloquiis privatis vel flocci faciant, vel Christiani populi justè collocatam in iis fiduciam redarguant pene ut superstitiosam & inanem.*

Non magni ponderis eadem visa fuit Sancyrano; quamvis eum Montaltius excusare voluerit. Perspicua enim Sancyrani sententia est Tomo 1. Epistolarum Pag. 113. *Nullus est* (inquit) *efficacior modus, animas in Purgatorio detentas juvandi, quàm si pro illis Deo Sacrificium patientiæ offeramus. Quodvis aliud solatium* (Missarum & Indulgentiarum) *quod ipsis optari posset, ipsis nihil instar est, comparatione illius, quod à nobis proficitur.*

Hugo Franciscus Van-Heussen unus ex quatuor, quos Petrus Codde, cum titulo Archiepiscopi Sebasteni, Vicatius Apostolicus Hollandiæ, sibi substituit pro Missionum illarum Regimine Provicarios, ediderat Tractatum *de Indulgentiis & Jubilæo*, quem Romana

mana S. Officii Congregatio confixit anno 1687, nec immeritò; cum subdola istiusmodi lucubratio, specie indulgentias exponendi, eas restringat adeò & veluti enervet, ut exigua earum virtus, & usus rarus admodum futurus sit.

Provicarius hic, Quesnello devotissimus, inter plures, quas ab eo didicit novitates, animum in rebellione contra Pontificem, ad vitæ usque terminum obfirmavit. De hac fortè amplius disserendi se offeret occasio ad Propositionem Quesnelli 97.

Joannes Opst. aetius in Seminario Mechliniensi anno 1690. Theses proposuit Theologicas, in quibus de Indulgentiis ageus, scurriliter ludere visus est, verbis aliquibus Lutheranum minùs, quàm Catholicum dedecentibus Professorem. *Non intelligo* (inquiebat) *quid opus sit Missis, ei moribundo, cui indulgentiam Confessarius promittit; si valet ipsius indulgentia ut fungat, n'si forte non tam opus sit Missis, quàm Missarum stipendio, non ad refrigerandas animas in Purgatorio; sed corpora in refectorio*.

Propter quæ & alia forsitan non saniora Illustrissimus Humberrus, mox ut à Brugensium Episcopatu Mechliniam ad Archiepiscopatum translatus est, censuit Professorem istiusmodi non diutiùs tolerandum.

Denique Quesnelliani Catholicæ Reformatores Ecclesiæ, lugentes quidem conspiciunt, se nondum roboratos esse viribus & authoritate, ut, quæ contra Indulgentias & alios Romanæ Fidei Articulos meditantur, efferre tutò in publicum sine fucis liceat; sed tamen veluti per rimas Molinosius explorando, detexit, Articulum suum 16. revera sensum esse omnium à quibus vitium reputatur amor omnis, præterquàm Dei purissimus, & expers penitus mixtionis.

Tales Præceptores mysticos à Sancyrani & Arnaldi tempore haud defuisse, conjectura apparet minimè temeraria, tum ex multis adeò Magistri utriusque, & Portus-Regii Defensoribus, tum ex Dogmatibus penès eos usitatissimis, nominatim Quesnelli juxta quem actionum omnium humanarum adæquata divisio est *Charitas vel cupiditas*, vel quod ab alterutrâ imperatum, ab eâ virtutis, aut vitii nancisciuur denominationem.

Qua propter, cùm Indulgentiarum petitio, ex amore non quidem terreno; sed cœlesti, sui tamen ipsius, in populo Fideli soleat dimanare, non propriè Charitas; sed concupiscentia dicitur cœlestis, quod juxtà Quesnellum sufficit, ut cupiditatis sordidæ nequeat maculam evitare.

Ab hoc itaque Magistro reipsa non discrepat Molinosius dicens: *Non convenit Indulgentias quærere pro pœnâ propriis peccatis debita; quia melius est, Divinæ Justitiæ satisfacere, quàm Divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato. Nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere*: quæ fuga cùm in hominibus ex sui communissimè profluat amore, ab inhonestæ cupiditatis infamiâ, non magis Quesnello, quàm Molinosio judice, liberabitur.

Quietismi Propositio 17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ: &, si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur; quia est natura*, cujus motibus frænum imponere non est in liberâ hominis potestate; quemadmodum à Quesnello æquè ac Jansenio discitur.

Vel enim adest gratia, quâ præsente, nullum est peccandi periculum, juxtà Propositionem Quesnelli 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedunt illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti*, Prop. 19. *Gratia Christi* (qualis est omnis, quæ ex Christi meritis conceditur in statu naturæ lapsæ) *est gratia suprema, sine quâ confiteri Christum nunquam possumus, & cum quâ nunquam illum abnegamus*. Prop. 10. *gratia* omnis in hoc statu, *est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*.

Tali autem absente præsidio, abstinendum homini est ab omni opere, etiam conamine adversus illecebras tentationum; quia resistentia qualiscunque vel impossibilis tunc est, vel aliud non efficit, nisi ut in peccatum hominem necessariò agat præcipitem, juxta Prop. Quesnelli 40. *sine gratiâ nihil amare* [proinde nec velle, nec agere] *possumus, nisi ad nostram condemnationem*. 39. *Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum*.

Ex his collige, quod nequidem sit in potestate hominis sine gratiâ, tentationi ad peccatum gravius resistere, consentiendo leviori, sive cum veniali commutare lethiferum; aliàs *sine gratiâ amare* aliud *possemus, quàm ad nostram condemnationem*: plus *luminis* haberemus quàm *ad aberrandum: ardoris*, quàm *ad nos præcipitandum*, plus *virium* quàm *ad nos vulnerandum*.

Non minùs in Jansenii systemate Propositio Molinosii videbitur innoxia, quia si in omnibus actibus, *quod ampliùs nos delectat*

flat, sec undùm id operemur necesse est, intellecto axiomate, ut a Jansenio accipitur, de indeliberatâ, sive gratiæ, sive concupiscentiæ delectatione, si & alterutra delectatio semper in homine vigilante est, nulla prorsus actio, nulla electio in libera hominis relinquitur potestate. Quapropter *tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ & cognitione animæ nostræ*, quænam *ampliùs habenda* nobis *ratio tentationum*? Quæ *resistentia fieri debet*, aut potest à libero arbitrio? Quæ *adhiberi* utiliter *industria*? *Si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur; quia natura est*, in hoc statu adeò infirma, ut quamcunque in partem *major* traxerit indeliberata, sive concupiscentiæ ad malum, sive gratiæ ad bonum *delectatio, necesse sit* eam sequamur, secundùm eam interiùs exteriusque *operemur*.

Duo hic lectori in memoriam revocanda sunt: primum, quod etsi penes Jansenium non omnis gratiæ, quemadmodum juxta Quesnellum, victoria sit absolutâ, quin dependeat à circumstantiâ non fortioris, sive non delectantis amplius concupiscentiæ indeliberatæ, nihilominus appellari Quesnellus non desinat vero nomine Jansenista, ex eo quod universam Augustini Batavi doctrinam velut Catholicam, & quidem velut orbis Catholici applaudente judicio, prædicet *Notis in Epistolam Steyaertii* pag. 17. *Adeò non persuadetur, sensum ab authore* (Jansenio) *intentum, hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipso non esse Catholicum*.

Alterum, quod à quibusdam Jansenii Mangonibus allegatur, est, Antistitem illum *necessitatis* nomine non intellexisse rigidam illam, quæ à Scholasticis Physica dicitur; sed Moralem tantummodo, quæ humanam non excedat penitus, quin superari valeat, facultatem, sicut viro gravi, & compoti rationis, non deest potentia Physica, ut coram multitudine tripudiet in foro nudus, moraliter tamen fieri nequit, ut eò se adduci seu prece seu pretio patiatur. Similiter nemo est qui in amici gratiam, jocosè petentis, sibi nasum amputet, quantumlibet sufficientibus ad hoc viribus polleat.

Talibus subinde exemplis usum fuisse Jansenium agnosco; sed neque ullus in ejus sensibus versatus inficiari poterit, adhibitas ab eo comparationes istiusnodi, non velut adæquatas; sed ad sui turpitudinem dogmatis mitiori quadam specie obvelandam.

Aliàs apertè nimiùm se prodit peccandi necessitas rigidissimè Physica, quæ nullis naturæ viribus, in quâcunque homo labitur circumstantiâ, declinari valeat, aut superari. Sic lib. 2. de gratiâ Salvatoris cap. 1. clarissimè enuntiat: *Cujus medicinali gratiâ & adjutorio, nisi vires pristinæ instaurentur, tam est impossibile voluntati, ut benè velit, & operetur, quam homini cæco ut videat, vel Surdo ut audiat, vel tibiis fracto, ut rectè gradiatur; quamvis eis & lux, & species, & Scipiones, & omnia cætera Sanitatis adjumenta Suppetant*. Non minor, quàm concupiscentiæ ad malum, tribuitur à Jansenio efficacia victrici gratiæ Salvatoris ad bonum.

Neque dixeris, medicinale istud adjutorium cuicumque defuerit, à Deo non denegandum, modò ardentibus, sicut oportet, precibus expetatur: inanissima excusatio in Jansenii sententiâ est; nam ad petendum sicut oportet, non minùs gratia efficax necessaria est, quàm ad aliud quodcumque salubritèr operandum: talis autem quoties abfuerit, non solum non agitur aut petitur benè, sed neque agi benè aut peti potest. Ubique enim locum obtinet, juxta Jansenium axioma *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur*, & velimus, *necesse est*. Quisquis igitur pro efficaci gratiâ non orat, indicium evidens est, minorem penes eum fuisse gratiæ ad petendum necessariæ delectationem, quàm concupiscentiæ; nullam enim gratiam sine aliquo etiam supernaturali auxilio peti posse, non soli Jansenio; sed omnibus etiam contra Semipelagianos Catholicis tanquam fidei dogma indubitatum est.

Denique Jacobus Gilbert Academiæ Duacenæ Cancellarius, Jansenii, suamque Sententiam exposuit famosâ Thesi VI. *In materiâ gratiæ procedit argumentum negativum ab actu ad potentiam, & verè concluditur: Titius non operatur bonum; ergo non potest illud operari*: Similiter, Titius non orat pro obtinendâ gratiâ efficaci; ergo non potest pro eadem orare. Pergit Cancellarius: *Et è contra benè concluditur affirmativè à potentiâ ad actum: Titius potest operari bonum; ergo illud operatur*. Eadem Jansenistarum omnium sententia est; sed non omnibus eadem allubescit claritas in eloquendo, utpotè persuadente pluribus humanâ formidine, ut nebuloso adhuc nimium tempore, intra tenebras se recipiant ambiguitatis. Ab ipso interim Quesnello refellitur allata pro Jansenio excusatio. Propositione scilicet secunda ait: *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis: absque illâ non solùm nihil fit, sed nec fieri potest*: proinde sine illâ Christi gratiâ, quæ est principium efficax boni cujuscumque generis, quale indubiè est oratio, non solum non oratur, sed nec orari potest.

Quid

Quid igitur in Molinosii Articulo est, non apprimè consonum Jansenio ejusque Sectatoribus? *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ: &, si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura*, quæ nullis potest naturæ viribus superari: auxilium autem ordinis altioris post Adæ lapsum in nullius unquam potestate hominis fuit ut obtineret, nisi cui ipsâ obvenerit. Genuinus hic Jansenii sensus est, idem Quesnelli, & cujus non inter novos hoc tempore Augustini Discipulos? Sed hos Sedi Apostolicæ rebelles, veluti suos Batavia agnoscit, non Roma.

CAPUT XVIII.

Paralleli prosecutio usque ad Propositionem Molinosii 32.

Propositio Quietismi 18. *Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, Speciebus, & propriis conceptibus non adorat Deum in Spiritu & veritate*,

Joannes Hesselius Lovaniensis Doctor Michaelis Baii Socius & Particeps novitatum, qui specie honoris, reverà ut à Belgio amoveretur; & saniora à Tridentinis Patribus disceret, tanquam Theologus Regis Catholici ad Concilium missus, ibi diem ultimum obiit.

Explicationem is Decalogi in Belgio ediderat, in qua cap.65. ait: *Non quasi humanâ formâ circumscriptum esse Deum Patrem, arbitrandum est; ut de illâ cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat. Tale enim Simulachrum Dei nefas est Christiano in Templo collocare*.

Ad hanc videtur sententiam respexisse Alexander VIII. anno 1690. die 7. Decembris inter 31. Articulos damnans hunc 25. *Dei Patris simulacbrum nefas est Christiano in Templo collocare*. Hesselium præcesserat Calvinus lib.5. Instit. cap.11. dicens: *Nefas est Deo invisibili & incorporeo imaginem visibilem & corpoream collocare*,

Rationem autem Hesselius reddit cap.66 *quia*, inquit; *ex imaginibus, quibus Deus Pater, aut Spiritus Sanctus effigiatur in humanâ specie, facilè in errorem Antropomorphitarum, qui putant Deum, secundùm Divinitatem habere corpus, & humanam effigiem, esseque circumscriptum, incident imperiti*.

Augustinus de Fide & Symbolo cap.7.

vetat collocari in Christiano Templo simulacra, qualia suo tempore quorumdam effinxerat ignorantia, existimantium perfectam iis Dei similitudinem, formamque contineri: unde & plures simplices propendere cœperant in Idolatriam.

Hinc captata à Calvino ac dein Hesselio, & recentioribus Augustini, ut vocari amant, discipulis occasio, imagines Dei Patris, in formâ hominis expressas, è Templis Fidelium eliminandi.

Quando hæc machinatio ab Alexandro VIII. in relato Articulo prohibita, & condemnata est, è Lovaniensibus duo anonymi quidem, sed aliundè satis cogniti, edidere in Pontificis Decretum *Notas*, quas vocant, *Breves & modestas*: Doctor Steyaertius *Breves & leves*: rectiùs alii *Breves & perniciosas*: ubi circa Articulum 25. pro suâ *modestiâ*, authores illi animadvertunt, non debere imposterum vocari *nefas*, seu grave crimen, *collocare* istiusmodi imagines in Ecclesiis; sed tamen minimè convenire ut *collocentur*.

A talibus edocti Professoribus Discipuli, ubicunque commodè potuerint, variis obtentibus, imagines illas ab Ecclesiis amoverunt, in Diœcesi præcipuè Mechliniensi, quando Archiepiscopus eis obtigit bonus quidem; sed non plurimum peritus, neque alios ferè nactus Consiliarios, & administros, quàm qui, cùm essent Theologiæ ignorantissimi, tamen in suâ præsidentes ignorantiâ, ubicunque possent, Reformationem Ecclesiæ affectabant, ut se Gallis Reformatoribus, notis Apostolicæ Sedis, ac Religiosorum hostibus jungerent, viderenturque in suâ imperitiâ præ Belgis cæteris eruditi.

Opportuna pluribus visa industria fuit, veterum innovatio Altarium, ut copiâ Imaginum sublatâ, substituerentur ideæ novæ à Reformatoribus excogitatæ.

De Leone Isaurico observat Spondanus ad annum Christi 726., quod ut se excusaret ab exercitâ contra Sacras imagines impietate, responderit, *Non eâ se spectasse, ut imagines prorsùs delerentur, sed sublimi loco collocarentur, ne ore eas quisquam attingeret, atque ita eis quodammodo contumeliam inferret*. Ad quod Spondanus, *quâ quidem*, inquit, *techna id moliri curabat, ut imagines longè ab oculis removendo, paulatim in dissuetudinem honoris inciderent*.

Sub Archiepiscopo Mechliniensi, qui, ut jam monui, non ex bonitatis, sed peritiæ defectu, & Anti-Pontificiorum sibi assistentium consilio, novitatibus favere visus est, Reformatores Ecclesiæ scrupulum movere Fide-

libus illic conati funt, quasi de idololatriæ periculo, ac certâ irreverentiâ, quod in iifdem Sacris Proceffionibus, in quibus venerabile Chrifti corpus circumferebatur, comitarentur etiam imagines Deiparæ, & aliorum Sanctorum, juxta confuetudinem illic vetuftiffimam, & confirmatam Diplomate Urbani VII. anno 1531. undecimo Kalendas Februarii dato, quod incipit *Inter multiplices curas*. Cogitaviffe itaque Reformatores iftos confilia, quæ non potuerunt ftabilire, eventus docuit, quando & fe odiofiffimos populo reddiderunt, & Antiftitem multis implicuere moleftiis.

Præterea quod eodem tempore infelicitèr meditati fuerint novum Symbolum *Septem* Capitum, five ut vocabant *punctorum*, quæ imponebant credenda omnibus *explicitè & neceffariò neceffitate medii*. Symbolum iftud, mox ubi typis editum comparuit, multorum fpiculis impetitum eft, & Sedi Apoftolicæ denuntiatum, meruit prohiberi.

Contra Cenfuram hanc infurrexere Symboli authores, novo opufculo fub hac infcriptione: *Juftificatio Praxeos Paftorum, aliorumque Curatorum, quâ confueverunt populo proponere feptem Fidei puncta, tanquam credenda explicitè & neceffariò neceffitate medii*. Sed non meliorem fortem, quàm libellus prior, nacta eft *juftificatio*, confixa anno 1683. 9. Februari. Inter puncta autem *neceffariò explicitè credenda neceffitate medii* erat quod *Deus fit Spiritus*.

Puncti hjus inculcatio maximè neceffaria vifa fuerit Reformatoribus, propter frequentiam imaginum & figurarum, quibus populus utitur ad orandum, non abfque periculo Idololatriæ ut novatores comminifcuntur. Eadem indubiè ratio moverit Anti-Romanos è Clero Hollandiæ, ut in novâ ante annos aliquot editione Romani Breviarii eliminarint imaginem veterem, quæ pro fefto *Sanctorum omnium* exhibere confueverat, cum Beatis omnibus, Sanctiffimam Trinitatem formâ folitâ, Patrem fcilicet & Filium fpecie humanâ, Spiritum Sanctum, veluti Columbam: ad latus Filii in gradu inferiore Matrem Virginem. Hac prætermiffâ placuit Reformatoribus tres perfonas folo repræfentare Triangulo.

Quid autem ifthæc omnia, & plura iftiufmodi fibi velint, nondum quidem certa penitùs apparet divinatio; fufpicionibus tamen finiftris & formidini non levi fuppeditant argumenta Janfeniftarum Duacenfium ab Arnaldo fictitio interceptæ litteræ, & aliæ tum in *Quefnellianâ Causâ*, tum in *Proceffu* contra Gerberonium adductæ, cum juratis pridem de Sancyrano teftimoniis, quæ non obfcurè indicant plura adhuc, & graviora à Janfenii Sectatoribus recondita fervari in tempora reformationibus opportuniora.

Ex confidentiffimâ Molinofii cum novis Auguftini Difcipulis confuetudine fufpicio oritur non temeraria, eum, quæ fuos docuit Difcipulos, non celaviffe familiares fibi tam benevolos; fed cum eis contuliffe confilia de dogmatibus & mediis, ad meditatam fpectantibus Ecclefiæ innovationem.

Molinofius itaque fuis ex utroque fexu non infimæ, neque vulgaris notæ, & potentiæ amicis, Patronis, fectatoribus fretus, crediderit, fe tantis munitum præfidiis, fecurè poffe in lucem producere, quod fibi fœdere conjunctiffimi Janfeniani, Duces ac Magiftri reformationis, nondum aufi fuerant tam manifeftè refufcitare.

Janfenifmi fcilicet Doctoribus neceffaria adhuc vifa fuit Pelagianorum aftutia, quam Hieronymus exagitat Epiftolâ ad Ctefiphontem. *Sola hæc Hærefis eft, quæ publicè erubefcit loqui, quod fecretò docere non metuit, Magiftrorum filentia profert rabies Difcipulorum: quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant; ut fi placuerit Auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam Magiftrorum: fi difplicuerit, culpa fit Difcipuli, non Magiftri*. Ratione non diffimili Janfeniftæ in opufculo, dicto *Corona Sanctiffimi Sacramenti*, prodere cœperant novæ Reformationis Myfteria, quæ fi placuiffent, referenda fuerant ad gloriam Sancyrani, qui *Coronam* illam, fi non compofuerit, variis tamen contra Sorbonicos lucubrationibus propugnavit. Si difplicuiffent, ut difplicuere graviffimè, Monialis è Portu-Regio imprudentiæ tribuerentur, non Arnaldo fatuæ virginis fratri, non Sancyrano, utriufque in fpiritu, & dogmatibus Ductori.

Plura Sancyranus per Claudium Seguenotium, & alios clàm Difcipulos fpargere cœperat, Catholicis inaudita, quæ poft obortam adverfus ea tempeftatem, fupprimere tantifper, & in difponenda meliùs ad Reformationem tempora recondere maluerunt.

Dominus de Preville in *Progreffu Janfenifmi* Pag. 17. ait Dominum de Troyes *Religiofi Ordinis NN. fuiffe apoftatam*. De hoc autem leguntur aliqua in jurato teftimonio Joannis de Jovaud Ciftercienfis Ordinis Abbatis & Secretarii Sancyrano aliàs familiaris, & ab eo prædicati, tanquam *qui talentis eft præditus minimè vulgaribus, & edendis in lucem libris peridoneus*. Teftatus autem jurejurando Religiofus hic Abbas fuit, *Sancyranum fepiùs fignificaffe, quod maximi faceret Dominum*

num de Troyes detentum in Castro Parisiensi, vulgò Bastille, imbutum errore Illuminatorum, in cujus consuetudinem, dicebat Sancyranus, se adductum fuisse per prodigia, cum sibi aperuisse omnia sensa sua, esse omnia perquam sana & eminentia: se eum diu palàm defendisse, & fovisse subsidiis; atque ad hoc se à Deo movente, fuisse impulsum; Dein ob rationes alias destitisse quidem ab eo publicè propugnando; doctrinam tamen ejus semper probaturum, ut admodum salutarem: Denique si Dominus de Troyes sit Hereticus, se quoque Hereticum esse; utpotè eadem cum ipso sentientem. Fuit itaque Sancyranus è Sectâ *Illuminatorum* istiusmodi, qui absque discursibus, figuris, imaginibus, immediatè à Deo, inspiratione simplici, & quasi visione etudiuntur, atque in ipso Deo vident, legunt omnia.

Idem Cisterciensis Abbas jurejurando affirmat, *Sancyranum sepiùs jactavisse, quòd quæ enuntiaret dogmata, non ex libris didicisset; sed legeret in ipso Deo, qui est veritas æterna; quodque in omnibus sequeretur ductum interiorum illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi identidem à Deo suggeri sentiebat.* Talis indubiè expeditissima & compendiosissima ad Scientiam Theologicam via est: Ad hanc Religiosos Juvenes Sancyranus invitaverit, quando memoratum Cisterciensis Ordinis Sectetarium sic hortabatur: *Adducito mihi quindecim aut viginti Religiosos juvenes, qui sint instar tabulæ rasæ, nullis imbuti aliundè sententiis; omni ratiocinio sepofito, aures mihi tantùm faciles præbeant, & subiiciant intellectum; in me recipio fore ut sex mensium spatio omnes ad Supremum Theologiæ apicem provehàm.*

Ex Appamiensis quoque Episcopi testimonio de Sancyrano intelligimus, non defuisse ei discipulos, à quibus post obitum Magistri Doctrina potuerit latiùs, etiam ad posteros propagari. *Prorsus*, inquit Episcopus, *mihi exploratum est, eos omnes, qui se Sancyrani directioni subjecerant, eò redactos ab illo fuisse, ut cum ipso solo agant, à quo tam arcto & cæco imperio constringuntur, ut utrumque illis ad indagandam veritatem*, eamque à mendacio discernendam *medium necessarium, ratio scilicet & authoritas eripiatur.*

Jubentur enim omni abstinere ratiocinio, quo dogmatum novitas discuteretur, & arcentur ab aliorum hominum consuetudine. Deinque persuadet Sancyranus, omnes homines falli, ideòque meritò à se prohiberi, ne ullum præter se solum consulant.

Hæc ita se habere, patet ex iis omnibus, quibus arcta fuit cum Sancyrano necessitudo; aspectum omnium fugiunt, nec se videri patiuntur. Suâ nempè contenti, & sibi plaudentes scientiæ plenitudine, *ad Supremum Theologiæ apicem sex mensium spatio provecti sunt*, ut discipulis suis omnibus promittentem audivimus Sancyranum.

Quam adeò eximiam institutionis artem, ut primi ab eo didicerant discipuli, & forsitan discipulæ, ab his quoque generatio altera accepetit, ad suos eam Nepotes in finem usque temporum transmissura. Qui cum Sancyrano, & similis consortibus prærogativæ, sublimia quoque de Deo, de Gratiâ, de Prædestinatione mysteria, *non ex libris*, non humano *discit* studio; *Sed legit in ipso Deo, & in omnibus sequitur ductum interiorum illuminationum, inspirationum, Documentorum, quæ sibi identidem à Deo suggeri sentit*, cur *in oratione utatur imaginibus, figuris, speciebus & propriis conceptibus*?

Imò qui illis utitur, tanquam mediis, ut ad Dei disponatur & perveniat adorationem, non videbitur etiam Quesnello *adorare Deum in Spiritu & veritate*. Charitas enim quæ adorationem Dei continet in spiritu & veritate, nullos juxta eum exigit, nullos patitur actus prævios, humanâ elicitos operâ, tanquam dispositiones, quibus ad charitatem anima deducatur; cum Fides, quæ in Quesnelliana hypothesiâ charitate nunquam disjungitur neque distinguitur, primum quoque omnium bonorum operum sit, & ante quod omnia necessariò peccata sint, ut aliàs non semel vidimus ex variis Quesnelli Propositionibus collectione ineluctabili demonstratum.

Quietismi Propositio 19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum*, sicut oportet; quia proveniens ex argumentatione dilectio, sive ex comprehensione intellectûs, non est ex gratiâ, cujus operandi modus à Quesuello describitur; qualis scilicet est omnipotentiæ producentis è nihilo creaturas, & reddentis vitam *mortuis*.

Utraque hæc Dei actio minimè prærequitit libetam hominis dispositionem aut conatum, quin & præcedere justificationem nullus potest, ut nullus primam gratiam juxta vigesimum septimum quoque Quesnelli Articulum *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Juxta 28. *Prima gratia quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.* Non est cur secunda & tertia Gratia minoris efficaciæ sit, quàm prima. Proinde singulæ virtutem continent justificandi, atque ita singulæ charitas sunt sine quâ nulli, saltem extra Sacramentum (in Quesnelli sententiâ ne in Sacramento quidem) obvenit Sanctificatio.

Amor autem qui non est ex gratiâ, penes eundem nequit esse Dei propriè; bonus scilicet de quo solo Molinosius loquitur; quia per Quesnelli Articulum 40. *Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: Et per 41. *Omnis cognitio Dei*, quolibet humano studio, & intellectûs ratiocinatione appareat acquisita, *non potest venire, nisi à Deo, & sine gratiâ non producit, nisi præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris*.

Qualiscunque demùm apparens Dei dilectio, si non est Charitas sanctificans, non potest *veri Dei amor* esse, sed creaturæ, & quidem noxius juxta Quesnelli Articulum 46. *Cupiditas aut Charitas usum sensuum*, ideòque cæterarum pariter animæ facultatum, *bonum vel malum faciunt*.

Quod omnis Charitas justificet, multis à Quesnello Propositionibus traditur, etiam superiùs citatâ 28. *Prima gratia quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*. Neque est cur minoris ad justificandum roboris sit, ut jam monui, secunda & tertia gratia, quàm prima; unde in hac hypothesi necesse est omnem gratiam, sine quâ charitas, uti & gratia sine charitate esse nequit, justificationi sufficere. In primæ Epistolæ Joannis Cap. 3. vers. 9. De Charitate in genere & absque ullo limite Quesnellus pronunciat, non posse existere in animâ subdita peccato. *Nullum*, inquit, *peccatum mortiferum, in eodem secum charitas patitur subjecto*.

Quietismi Propositio 20. *Asserere quod in Oratione opus est, sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur: ejus locutio est operatio; & semper in animâ operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus & operationibus eum non impedit*.

Dogmatis hujus pars prior est indeclinabile ex Quesnelli enuntiationibus consectarium. Cum enim, quidquid non est ex gratiâ, & quidem insuperabili, & justificante, penès ipsum non careat peccato, evidens est, quod Deo animam non alloquente per gratiam, homo peccet in omnibus actibus, discursibus & intentionibus deliberatis.

Quale igitur auxilium istud esse poterit, nisi noxium? Qualis ad illud suasio, quale consilium, & undè natum, nisi ex ignorantiâ?

Quod in Propositione sequitur, *Deum non loqui*, statim author explicat, quia *Dei locutio est opratio*. Omnem Dei in animâ locutionem, inspirationem, & gratiam esse operationem Dei, docemur Articulo Quesnelli 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, Jubentis & facientis quod jubet*. Art. 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei Incarnantis & resuscitantis Filium suum*.

Eodem collimant Propositiones Quesnelli plurimæ, ut eliminatâ omni gratiâ sufficiente, sola efficax stabiliatur, quam nulla infringere valeat tentatio, aut humani pervesitas arbitrii.

Quòd *Deus semper in animâ operetur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, operationibus eum non impedit*, insinuat omnes hominis sine gratiâ operationes, esse gratiæ impedimenta; atque adeo à culpâ non eximi. Hanc vidimus Quesnelli in multis ejus Propositionibus expressam disertissimè sententiam: qualis est 40. *sine gratiâ nihil amare*, velle aut agere *possumus nisi ad nostram condemnationem*; peccando scilicet Divinæque ponendo obicem gratiæ.

Molinosius dicens, *Deum semper in animâ operari quando hæc suis discursibus, cogitationibus & operationibus eum non impedit*, videbitur aliquibus Deum constituere in gratiis efficacibus impertiendis admodum liberalem; sed nihil hic reverâ liberalitatis in Deo, nihil misericordiæ prædicatur, cui non consentiat Quesnellus, quantumlibet impiis suis & blasphemis opinionibus tyrannidem in Deum conjiciens & crudelitatem. Non enim, si verba Molinosii attentè consideres, propriè affirmant Deum frequenter adeò in animis per efficacem gratiam operari; sed tunc tantummodo *operari semper, quando anima suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit*: semper autem impedit necessariò, quoties gratiâ non prævenitur, sive Molinosio credimus, sive Quesnello.

Quod in Propositione dicitur, quando anima *suis operationibus non impedit*, discrimen indicat inter actiones solis naturæ viribus cum Dei concursu ordinario elicitas, & alias quæ sunt ex gratiâ. Priores Molinosius, uti & Quesnellus animæ tribuit: posteriores Deo soli.

Deturne istiusmodi quies in homine, ut aliqua in eo omissio sit purè libera, sive absque ullo actu, Quæstio Philosophica est inter scholasticos problematicè disputata. Nihilominus animum, dum vigilat nunquam ab omni penitùs amore sive libero, sive necessario vacare, sententia communissima est.

Quietismi Propositio 21. *In oratione opus est manere in fide obscura & universali cum quie-*

quiete, & oblivione cujuscunque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, & sic in Dei præsentiâ manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum; sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.

Ab hoc & similibus *Quietem* inculcantibus documentis derivata est in auctorem & ejus discipulos appellatio *Quietistarum*. Origo autem systematis deducitur è Jansenianô, prout à Quesnello ejus vindice accepimus declaratum.

Tam enim juxta Augustinum Batavum, quàm delitescentem ejus nuper apud Batavos discipulum; omnia opera, quæ fiunt absque medicinalis gratiæ auxilio, peccata sunt, in quibus Deum *complacere sibi* minimè posse, omnibus compertissimum est. Quodcunque autem in nobis gratia operatur, Quesnello judice, non magis actio nostra est, quàm unio hypostatica in Christo, quæ est assumptio humanitatis facta à Dei Filio, fuerit ipsius actio humanitatis, vel quàm sanatio prodigiosa corporum, vel productio Creaturarum è nihilo, & resuscitatio mortuorum, creaturis è nihilo productis, vel sanatis, vel resuscitatis tanquam eorum actio tribuenda sit.

Istud momenti maximi dogma est, quod nobis tantâ figurarum, idearum, phrasium varietate, altissimè imprimendum censuit, Jansenianæ Ecclesiæ hoc tempore Doctor maximus, & mox ab obitu calculis suorum in Sanctorum Patrum Canonem publicè relatus, *Sanctus Pater Quesnel.*

Ex illo dogmate, non minùs dilucidâ, quàm necessariâ consecutione fluit, quod traditur Propositione ejus sexagesimâ nonâ, *Fides, usus, augmentum & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

Dum *Fidem* audis, & ejus *usum*, primam gratiam cogita, & quidquid bonorum operum est in homine; quia juxta Articulum Quesnelli 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per Fidem*: Juxta 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*; atque adeò Fides & ejus usus, omnia, quæ in homine sunt bona opera, complectitur, sed quorum nihil sit propriè nostrum, sive actionis nostræ liberæ, & meritoriæ, siquidem *totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

Totum proinde est necessitate exercitum, etiam juxta Quesnelli Articulum 10. clarissimè definientem; quòd *gratia sit operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*, sive in existendo, sive in operando; sicut productio Creaturarum è nihilo, vel resuscitatio mortuorum in potestate nullius hominis est *ut impediatur aut retardetur.*

Ubi autem libertas non est, sed necessitas, ut sapientissimè docentem audivimus aliàs Angelicum, *tollitur deliberatio & exhortatio, præceptum, punitio, laus & vituperium*: Proinde monitum atque exhortatio Molinosii, ut in *oratione maneamus absque productione actuum*, solummodo potest intelligi de abstinentiâ ab actibus qui in nostrâ fuerint potestate; ne insanire voluisse ab omnibus censeatur.

Evidens itaque est Molinosium Janseniano systemati, & ejus fautoribus addictum, à liberi tantummodo arbitrii actibus & cogitationibus sine gratiâ elicitis, veluti peccatis discipulos suos avertere studuisse. Is scopus est Quietisticæ hypotheseos pariter, & Quesnellianæ.

Quietismi Propositio 22. *Cognitio hæc per Fidem non est actus à Creaturâ productus; sed est cognitio a Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit: nec postea cognoscit illam se habuisse: & idem dicitur de amore.*

Primam gratiam non esse actum à Creaturâ productum, saltem liberè; sed esse cognitionem à Deo Creaturæ traditam, afferenti Quesnello æquè ac Molinosio, litem non movebunt Catholici. Quod autem *Fides* ipsa, & *cognitio per fidem*, non sit actus à Creaturâ productus, saltem liberè; sed sit cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse; quodque idem sit de amore, quantumlibet exoticum appareat; Quesnellianæ tamen videtur apprimè consonum doctrinæ, juxta quam *Fides est prima gratia*: & *prima gratia quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*,

Necesse igitur est, vel primam gratiam simul esse amorem, vel justificationem fieri sine omni amore & quidem extra Sacramentum: quæ laxitas, etiam à Quesnello, horrida meritò judicabitur & detestabilis. Qua propter dicendum necessariò est, in Quesnelli sententiâ primam gratiam fide simul imbui & amore. Oppositum quidem definitum in Synodo legimus Tridentinâ; sed ea, quemadmodum Sancyrano, ita & Quesnello, authoritatis est perexiguæ.

Quis autem primam gratiam se habere, vel quando habuerit, cognoscit? Idem dici poterit de gratiâ secundâ, tertiâ & sequentibus. Denique cum prima gratia juxta Quesnellum eadem esse debeat cum fide & amore ad justitiam sufficiente, verisimile est quod traditam hanc à Deo in primâ gratiâ fidem, & cognitionem, adeò existimet obscuram, ut habitam non distinctè anima resciat aut postea recordetur. Simile quid

quid in eâdem hypothesi applicandum videbitur amori, quem primæ gratiæ, homini incognitæ, Quesnellus statuit involvendum.

Quietismi Propositio 23. *Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in quâ per totam vitam persistendum est; dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, per contemplationem infusam: & hâc cessante anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso premanere, absque eo quod ampliùs redeat ad secundum aut primum.* Propositioni huic jungi poterit 26. & 31.

Quietismi Propositio 26. *Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mysticâ; cum non sit nisi unica via scilicet via interna.*

Quietismi Propositio 31. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas: quæ non debent à sensibus cognosci: opus est amittere virtutes.*

Remotissima quidem tota hæc institutio est à doctrinâ, & praxi communissimâ virorum maximè spiritualium, qui dirigendas in pietate animas suscipiunt. Verum novi Apostoli, quibus visa est Ecclesia densissimis ubique tenebris obsita cæcutire, visi pariter sibi sunt, singulari Dei Providentiâ, & erga Ecclesiam beneficentissimâ commiseratione destinati, ad restituenda quæ collapsa ubique fuerint, longitudine temporis, & negligentiâ ignorantiâque Antistitum, Doctorum & aliorum omnium quibus animarum directio commissa est.

De Sancyrano ita scribit Illustrissimus Isaacius Habert Vabrensium Episcopus in *Defensione Fidei* adversùs Jansenianos, parte 2. pag. 20. " Nunquam discipulos „ initiandos suscipiebat, prout immediatè ex „ eorum declarationibus cognovi, quin inci„ peret à depressione, reprehensione, & con„ temptu Doctrinæ communis, ingeminan„ do, oculis clausis, retorto capite, elatâ „ manu, gestu severo, & quodammodo re„ pellente, Ignorantia, tenebræ, errores, cæ„ citas ubique! „

Redit huc testimonium jurejurando datum à Joanne Jovaud Cisterciensis Ordinis Abbate & Secretario quod ex Sancyrani ore acceperit. " Corruptionem Ecclesiæ non so„ lùm in moribus esse; sed in pluribus etiam „ dogmatibus: perpaucos esse, qui Ecclesiæ „ filii dici mereantur. „

Tum Sancyranum addidisse: " Si me „ audire & sequi constituis, evidenter tibi „ ex doctrina Patrum & Conciliorum demon„ strabo, usque ad quæ secula duraverit vera „ Ecclesia, quo tempore destrui cœpta sit. „ Tempus ædificandi, tempus destruendi; „ Deus ipse Ecclesiam dissolvit: tempus ædi„ ficandi transiit. Episcopi, Ecclesiastici, „ Religiosi plerique spiritu Christianismi, „ spiritu gratiæ, & Ecclesiæ destituti sunt „.

Religiosi hujus testimonium confirmatur altero Nobilis è Clero Presbyteri & Abbatis Commendatarii Alexandri Colas Domini de Pormorant, qui manu pectori admotâ, & per Sacros Ordines jurans, inter cætera declaravit, se " coram audivisse Abbatem San„ cyranum debacchantem adversus praxim „ Religiosorum & omnium hominum Spiri„ tualium istius temporis. Minimè, inquie„ bat Sancyranus, intelligunt Evangelium, „ & semitas Jesu Christi. Ego Evangelium „ verè possideo, & perfectam Scriptorum à „ Sancto Paulo intelligentiam. Tum deplo„ rabat conditionem hominum, significans, „ omnes errare in tenebris, & semitas terere „ à veritate alienissimas. Eadem asserebat ex „ Sancyrani Nepotibus natu major „.

Denique Franciscus de Caulet Presbyter è Clero Abbas Fuxensis Commendatarius, postea Appamiensis Episcopus de Sancyrano juridicè interrogatus, Sacramento interposito declaravit, quòd eum audiverit asserentem, *destruendæ tempus Ecclesiæ eluxisse, & multa istiusmodi protrudentem, atque arguentem omnia in genere: ex quibus*, inquit, *Statim certò judicavi, esse hominem periculosum, utpotè Novatorem, assiduum laudatorem sui, & contemptorem omnium aliorum. Suspecta quoque mihi erat tam studiosa silentii inculcatio ad pleraque quæ proferebat dogmata, quæ dicebat se negaturum omnia, si à me cuipiam proderentur.*

Introducendæ suæ in Ecclesiam Reformationi Sancyranus & Jansenius, obicem quodammodo præcipuum censêre Ordines Religiosos, Sedi Apostolicæ passim, devotione & obedientiâ inviolabili conjunctos. Quoniam itaque hos corrumpere, suisque addere partibus nimis difficile Reformatoribus istis visum est, ad eos deprimendos animum converterunt.

Istud eorum consilium argumentis innumeris detectum dare, atque convincere mihi in promptu est,

Molitioni suæ initium posuisse perhibentur plusquam à seculo, juxta testimonium iteratum Domini de Razilly Nobilis Turonensis à Carmelitanis Patribus Turonensis Con-

Conventûs, ac totius Provinciæ Moderatoribus in formâ authenticâ consignatum. Juxta hoc " Nobilis ille circa annum 1620. interfuit " colloquio, in quo D. Sancyranus, D. Jansenius, & alii viri in Ecclesiâ spectabiles " consilia conferebant. Inter cætera proponebat Dominus du Verger (Sancyranus) " ut ne Fideles Regularium Templa adirent " tam frequenter, optimum factu fore, si " Ecclesiastici, qui administrandis Sacramentis dabant operam, praxi uterentur ei " oppositâ, quæ illo tempore usurpabatur à " Regularibus; Pœnitentiæ Sacramentum " difficile redderent; Eucharistiæ autem ut " usus tarior esset, efficerent,

" Jansenio consultum non videbatur, in " Religiosos simul omnes insurgere; sed initium ajebat sumendum esse à Jesuitis; neque enim difficile futurum, demonstrare, " perversam esse eorum de gratiâ doctrinam, " & sopitas de câ re sub Clemente VIII. concertationes restituere; In cum finem se librum conscripturum addicebat, quo Jesuitarum doctrinam impeteret, quem suspicio est eum esse, qui dein prodiit in publicum, hoc insignitus titulo, *Augustinus* " &c. "

Quo autem fructu prodierit, videre quotidie cogitur Ecclesia, & nullo satis tempore lugebit. Ne protrahi nimiùm videatur digressio, consideret Lector Theologus, & non avidus contentionum, quæ à Jansenii & Sancyrani tempore Ecclesiam atque Rempublicam in Galliis ac Belgio turbaverunt, quò Spectaverint tot Jansenistarum Opera contra Ecclesiæ & Principum leges edita, absque ullius approbatione Censoris, vel Superioris facultate, quorum non alius apparuit scopus, quàm Religiosos Ordines reddere odiosos, quasi hæreticos, omnisque corruptionis in dogmatibus & moribus authores.

Unicum quod Bajus, Sancyranus, Jansenius, Arnaldus, videbantur hactenus reliquisse intactum, erat orandi genus, ac meditandi, Religiosis usitatissimum, modusque juxta illud excolendi animos spiritualibus exercitiis, viâ successivè triplici, *purgativâ* ut dicitur, *illuminativâ*, & *unitivâ*; Quæ exercitiorum ratio è pluribus hausta Sanctis ac mysticis Doctoribus, recentiùs est methodo deducta commodiore in *admirabili exercitiorum libro, Sedis Apostolicæ judicio & omnium utilitate comprobato*, ut in Horis Canonicis festo S. Ignatii testatur Ecclesia.

Nimis autem invaluerat Exercitiorum illorum authoritas, ut ea apertè aggredi auderent Jansenius ejusque discipuli, obliquè tamen impetere non desiere, Doctrinam contrariam velut necessariam inculcando.

Meditationibus scilicet ad *viam purgativam* pertinentibus ingeritur peccati horror, consideratione mortis perpetuò imminentis, rigidissimi judicii, & perennium suppliciorum, quorum nulla unquam mitigatio expectanda sit. Istiusmodi meditationibus territi salubritèr animi, & spe veniæ pœnitentibus promissæ propositoque beatitudinis æternæ præmio quod Deum super omnia diligentibus destinatum est, eriguntur alliciunturque fortius ad pœnitentiæ, amoris & cæterorum observantiam mandatorum.

Tantis dispositionibus minimè opus statuit hypothesis Quesnelliana, utpote quæ Peccatoribus, etiam sceleratissimis, nullâ prævia pœnitentiâ, nullâ penitùs dispositione, solo primo gratiæ auxilio, veniam impertit, & cum offenso Numine reconciliationem; siquidem juxta Articulum Quesnelli vigesimum octavum *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*.

Mirifica hæc est à novis excogitata pœnitentiæ Administris, nefariorum hominum subita ad Sanctitatem, quasi per saltum promotio. Prima autem gratia, quæ *remissio peccatorum est*; eadem fides asseritur Articulo Quesnelli 27, *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*.

Utriusque hujus conjunctione Articuli confirmatur non minùs mirabile salutis procurandæ compendium quod est Artic. 68. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus*; cùm tamen dicatur Art. 57. *Totum deesse Peccatori, quando ei deest spes, & non esse spes in Deo, ubi non est amor Dei*; Art. etiam 58. *Nec Deus esse, nec Religio, ubi non est Charitas*.

Ne turpissima censeatur inter Articulos pugna, necessarium est actus Fidei, spei, charitatis 'pœnitentiæ in unam compingere primam gratiam, artificio in Ecclesiâ hactenus inaudito. Tot in unâ, eâque prima gratiâ contentos actus, veluti latentem thesaurum nullâ detegere huc usque, aut persentiscere potuimus experientiâ.

Quid autem Quesnello superest ut respondeat, nisi quod de fide suggeritur à Molinosio Propositione 22. *Cognitio hæc per fidem non est actus à creaturâ productus, sed est cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse, & idem dicitur de amore.*

Ita quod Janseniani apertè dicere palàm veriti sunt, obscuris tantùm hactenùs locutionibus insinuantes, Molinosius potentium fretus gratiâ patronorum, in ipsâ non dubitavit

tavit Christiani Orbis Metropoli in lucem publicam emittere, inde facilè in Provincias & Regna extera divulgandum.

Applauserint tunc quidem Janseniani in nocturnis suis diurnisque cum molinosio Conventiculis; maluere tamen veluti Apelles post tabulam latentes, explorare judicia tum populi, tum cleri, supremorum in primis fidei Quæsitorum; ne temere se exponerent discrimini.

Genus istud astutiæ à Pelagianis forsitan in novam Ecclesiam derivatum est, de quibus sic Hieronymus ad Ctesiphontem: *Sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit. Magistrorum silentia profert rabies discipulorum: Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant; ut, si placuerit Auditoribus, quod dixerint, referatur ad gloriam Magistrorum; Si displicuerit, culpa sit discipuli, non Magistri: Ideò crevit vestra hæresis, & decepit plurimos, .. Quia semper docetis, semper negatis.*

Comprehenso Molinosio, magis postea condemnato, consternationem afflictionemque Jansenianorum discimus ex Walonii litteris tunc Româ datis ad *Sanctam Familiam* Bruxellis anxiè delitescentem. Mœroris ratio fuit, non adeò charitas erga Molinosium sectæ sibi fœderatæ Principem, quàm infamia, aspergenda inde sibi, ac suis, quos in commendando, tuendoque Molinosio potiores babuisse partes, erat tunc temporis in Urbe vulgatissimum.

Dejecto tantâ infamiâ, Quietistarum Duce, non tamen cecidere animis Janseniani in Galliâ & Belgio, ubi metus nullus, vel exiguus Inquisitionis est; sed dolorem sibi callidè dissimulandum censuêre.

Nihilominus Eugenium de Gelder Brugensem vidimus, expresso nomine, partim pro Jansenio, partim pro Molinosio scribentem ad Innocentium XI. Opus, quod vocat *Libellum supplicem*, seu *vocem ultimam Zelatricis innocentiæ*; ubi Pag. 15. de suis, Jansenii & Molinosii adversariis Pontifici conqueritur, quòd " sicut per vafrè fabricatas quinque Propositiones doctrinam Jansenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Jansenii, doctrinam S. Augustini, à doctrinâ Jansenii teverà inseparabilem, arietarent & dejicerent; sic etiam fortassis multas Propositiones Michaelis Molinos talibus terminis concepere, quod vix à positionibus fundamentalibus, à Sanctis Patribus Dionysio Areopagitâ, Augustino & aliis, ac Theologiæ mysticæ Doctoribus Bonaventurâ, Henrico Susone, & cæteris, nobis propositis, distingui possint; itaut per condemnationem Molinos, quem aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant, & prætensæ ejus doctrinæ, videantur voluisse eliminare illud parum, quod restat supernaturalis operationis Spiritus Dei vivificantis. Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid subdolè per se & suos efficiant adversarii, spiritus (Jansenii & Molinosii) illis frendentibus, ubi vult spirabit."

Ita Pater Eugenius abutens Sacro textu; Sed non vates felicior quàm præco veritatis; Nam licèt, Jansenianæ in Belgio pestilentiæ contagium corripuerit tunc temporis ex Ordine ejus Sanctissimo non paucos, neque inferioris tantummodò subsellii viros; singulari tamen Numinis beneficio & zelo summorum Præsidum ab annis nunc pluribus effectum conspicimus, ut toto illo Ordine nihil sit à Jansenianâ lue alienius, nihil ardentius pro apostolicarum observantiâ Constitutionum.

Jansenianos passim cæteros condemnato Molinosio, puduit quidem habitæ cum eo necessitudinis, ipsiusque, cujus derivandam in se verebantur infamiam, Quietisticæ appellationis. De suis tamen nihil hactenùs remisere dogmatibus, in quibus nova illa Ecclesiæ Reformatio potissimùm fundata est.

Eliminanda è viâ mysticâ, & dirigendi animas ratione est meditationum series, materia & methodus exercitiorum; si Quesnelli dogmata subsistant.

Cui enim usui aut fructui esse possunt tot Meditationes, ex quibus *via purgativa* componitur, ut incussâ mortis, judicii, suppliciorum formidine, horrorem peccati animus concipiens, ad *viam illuminativam*, in Christianæ vitæ operibus consistentem, ac tandem ad unionem cum Deo quæ tota charitas est, animus disponatur?

In primis ad formidinem quod attinet, ineptissima ea ad Deum accedendi semita est, si quidem juxta Quesnelli Articulum 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet adipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ; sed per fidem & per amorem sicut Filii*: Ratio hujus redditur Articulo 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Talis Dei repræsentatio indubiè nata est ab eo potiùs aversionem & horrorem ingerere, quàm spem in ejus misericordiâ collocandam, aut allicere ad dilectionem.

Juxta Art. 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Juxta 64. *Peccatur*

tur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando. Arti.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia.*

Irane via conveniens, aut qualiscunque sive propinqua, sive remota, aut remotissima ad conversionem, ad imitationem Christi, ad unionem animæ cum Deo dispositio est *hypocrisis, seu falsa justitia*?

Plures aliæ Quesnelli Propositiones sunt, quibus asserit omnia opera, quæ Charitas non sunt, vel ab eâ non imperantur, esse peccata. Ideo Christianæ Institutionis initium judicio istiusmodi Magistrorum ducere imposterum oportebit, non ab inspiratione formidinis; sed Charitatis; cùm sine eâ nullus ad justitiam proficiat conatus, sed actiones singulæ cumulum necessariò augeant delictorum.

Frustra etiam ad justitiæ aut Charitatis consecutionem fatigabitur anima Exercitiis, aut meditationibus; Sed potiùs in otio permanendum est, & quiete tranquillissimâ sine labore & solicitudine. Vel enim deest gratia, & sine hac omnis actio necessariò peccatum est: proinde unionis cum Deo impedimentum, non præparatio: vel gratia adest; tunc autem Deus solus efficit omne opus salutiferum, sicut prodigio factam *Corporis sanationem, resuscitationem à mortuis, & creaturæ* cujuslibet è *nihilo productionem*: adde si lubet, *Incarnationem*, sive unionem hypostaticam Verbi cum humanitate.

Apage igitur molesta tot meditationibus, lectionibus atque operibus laboriosis exercitia sive Quesnellus audiatur, sive Molinosius.

Neque angit quempiam, viæ sive Jansenianæ, sive Quietisticæ amatorem, quòd in suo otio ab omni cessans opere tam interiùs, quàm exteriùs, non videatur satisfacere præceptis Fidei, spei, charitatis, quæ actus exigunt; nam licet nihil actuum experiatur, securus tamen est præcepta illa, quantum sufficit, impleri, singularum a solo Deo pendentium largitione benevolâ gratiarum, ut *prima gratia quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*; proinde omnes actus virtute complectitur ad justificationem Peccatoris necessarios; etsi nullum is, qui justificatur, se habere præcipiat. Unde suam haurire Molinosius potuit Propositionem 22. *Cognitio hæc per fidem non est actus à Creaturâ productus; sed est cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse & idem dicitur de amore.*

Indè etiam facilè deducitur Propositio Molinosii 31. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes*, nempè sensibiles, sive *quæ* ut Propositio indicat, *à sensibus cognoscuntur*; quia in Quesnelli sententiâ veræ virtutes à Dei omnipotentiâ, & bonitate in nobis oriuntur sine nobis; sicut *prima gratia quæ à Deo conceditur Peccatori*; & tamen *est peccatorum remissio*. Nec ipsa prima gratia sensibus cognoscitur; uti neque, quam includere necessariò supponenda est, Fides, Spes, Charitas, pœnitentia.

Quod *nullus meditativus veras exerceat virtutes internas*, apparet in Quesnellianâ hypothesi manifestum; quia meditativus discursibus procedit sibi liberis, atque ex horum dictamine se dirigit in operando: is autem modus, si Quesnello credimus, non convenit gratiæ; sed hæc efficit, quidquid boni operis est, non aliter, quàm creaturas Deus è nihilo producit, mortuis reddit vitam, assumpsitque Dei Filius humanitatem, absque hujus cooperatione libera ad incarnationem; uti nec cujuspiam creaturæ ad sui è nihilo eductionem, aut revocationem a mortuis. Unde juxta Quesnellum facilè intelligitur, quomodo *Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei*, atque adeò omnium bonorum actuum, *totum sit donum puræ liberalitatis Dei*: quod non esset, si virtutes meditationibus, discursibus, atque istiusmodi exercitiis liberi arbitrii acquirerentur. Habemus itaque, cur in Quesnelli Systemate, æquè, ac Molinosii Systemate, *nullus meditativus*, quatenus talis, *veras exerceat virtutes internas*; imò nihil nisi vera vitia & peccata; cum nullum opus sine gratia elicitum, Quesnelli judicio, immune à delicto sit.

Quietismi Propositio 24. *Qualescunque Cogitationes in oratione occurant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur; sed cum indifferentiâ & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei; imò eam perfectiorem efficiunt; quia anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.*

Cogitationes impurissimæ nullum præsente gratiâ creant consentiendi periculum in Senrentiâ Quesnelli 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedunt illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti.* Art.20. sine ulla exceptione, absque omni limite penes Quesnellum *vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis* obe-

obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. Art. 15. *Quando Deus mandatum suum & externam locutionem comitatur unctione sui spiritûs, & interiore vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit*.

Si autem gratia abfuerit, quid suaderi in Quesuelli sententiâ prudentius poterit, quam abstinentia ab omni actu? Quia quidquid homo tentaverit, abigere cogitationem non valebit, nec aliud suo conamine efficere, quàm suggestioni indeliberatæ, deliberatam addere iniquitatem juxta Articulum Quesnelli 39. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Quietismi Propositio 25. *Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio & contemplatio actualis; quia resignatio & oratio, oratio & resignatio idem sunt; & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio*.

Exotica quidem & in sensu tum obvio, tum authoris non est congrua veritati expressio; licèt non existimem Molinosium desipuisse adeò, ut crederet resignationis actus ante somnum elicitos, toto somni tempore durare physicè; sed moraliter tantum, quemadmodum à Quesnelli sociis exponitur sub culpâ mortiferâ obstringens obligatio amandi Deum ex toto corde, omni tempore & in omni actu, moraliter, inquiunt, non penitus in rigore physico.

Ita benignè intelligi procul dubiò voluerit Arnaldi Discipulus Joannes Neercasselius cum titulo Castoriensis Episcopi, Vicarius Apostolicus in Hollandiâ, cùm in prohibito Romæ opere de *Amore pœnitente* lib. 1. cap. 22. ait: *Nullus est locus, nullum tempus, nullum opus, in quo ab hoc amore (Dei super omnia) cessari possit*. Ibidem: *Est ergo hoc præceptum ad omnia tempora determinatum*.

Alius Arnaldo addictissimus Franciscus Van Vianen Lovanii in Thesibus anni 1687. *Deus propter se super omnem Creaturam diligendus est, ita quidem ut omni tempore sit verum dicere, talis diligit Deum super omnia*.

Non est semper loquendum, nec semper tacendum; sed eo modo, quo jam dictum est, semper est amandum, & quidem sub obligatione peccati mortalis.

Matthæus etiam Rouvroy ad Theologiæ cathedram in Namurcensi Seminario elevatus, sed dein Authoritate Episcopi amotus, ita docuerat Tractatu de fine: Nemo „ est qui non videat; obligationi semper „ amandi Deum non satisfieri per habitum „ aliquem otiosum, aut ferè otiosum: ut „ ergo satisfaciamus illi obligationi, non sufficit fictitius aliquis habitus otiosus, aut „ ferè otiosus; sed requiritur habitus amo- „ ris, qui vacare (ab actione) non potest: „ adeoque ut actus divini amoris sic exer- „ ceatur, ut morali quodam more loquendi, „ quovis tempore verè de hoc dicatur: hic „ amat Deum super omnia, amat Deum ex „ toto corde, amat Deum usque ad contem- „ ptum sui: etenim si actus ille non sic exer- „ ceatur, aliquo tempore (modo loquendi „ morali) verum erit dicere: Non diligit „ Deum super omnia, non diligit Deum ex „ toto corde, adeoque talis homo pro illo „ tempore convincitur reus peccati morta- „ lis. „

Unde verisimile mihi quidem apparet, Molinosium aliud hìc non credidisse; quam Quesnelli asseclas; actum scilicet resignationis, ideoque orationis durare somni tempore; durare, inquam, non physicè; sed moraliter; quautumlibet plus sonare verba sua perfidus volucris, ut credulis sibi discipulis, mulieribus præsertim, commendabilem magis redderet novitatem suam de Quiete, otio & somno omnibus Meditantium actibus prævalente.

Quietismi Propositionem 26. cum Quesnelliano systemate contuli Superiùs.

Quietismi Propositio 27. *Qui desiderat & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum; sed se ipsum, & malè agit, cùm eam desiderat, & eam habere conatur qui per viam internam incedit, tam in locis Sacris quàm in diebus solemnibus*. Desiderium & studium devotionis sensibilis, quantumvis honestum, & utile communiter à mysticæ Theologiæ Doctoribus censeatur, non tamen apparet propriè Charitas; ideo Quesnello non placet, juxta quem Artic. 53. *Sola Charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum & Jesum Christum*. Art. 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum aut malum faciunt*. Quæ autem sensuum, eadem ratio cæterarum animæ facultatum est.

Quietismi Propositio 28. *Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius*. Eadem videtur sententia fuisse Sancyrani; à quo, forsitan & à Fratre suo Antonio Arnaldo traditam acceperit Agnes à Sancto Paulo Monialis Portus-Regii in *Corona Sanctissimi Sacramenti*, ubi monemur *ut renuntiemus potestati, quam habemus Deo nos subjiciendi, in eo, quod existentibus in gratiâ se ipsum promiserit; sed maneamus*

mus in beatâ incertitudine, quæ independentiam Dei veneretur.

Ibidem docemur expetere, ut *Jeſus Chriſtus ſeipſo occupetur, neque ullam patiatur in ſe Creaturam, ſeu nihilum, ut nihil curet extra ſe, ſed ut ab illo rejiciamur, ut noſtri obliviſcatur potiùs, quàm ut noſtri memoria Chriſti erga ſe applicationem interrumpat, eum applicando ad Creaturas.*

Si non curaret nos Chriſtus, ſi nos rejiceret, ſi noſtri obliviſceretur, nullâ habitâ ullius meriti ratione, poſſetne deeſſe nobis *in ſpiritualibus tædium*? Sed iſtud Amazoni Arnaldinæ *bonum eſt*, ſi quidem *per illud* Judicio etiam Molinoſii, *purgatur amor proprius*, qui juxta Queſnellum *cupiditas eſt*, oppoſita charitati; ſine qua omnia peccata ſunt.

Quietiſmi Propoſitio 29. *Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipsâ ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt* ut Molinoſio, ſic etiam memoratæ Amazoni, & quibuſcunque obtigerit inſtitutio, qualis in *Coronâ Sanctiſſimi Sacramenti* eſt. His enim ſibi à Deo præſtitum videbitur, quod deſiderabant, ut cuilibet patet conſideranti.

Quietiſmi Propoſitio 30. *Totum ſenſibile, quod experimur in vitâ ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.* Ratio Molinoſii eſt; quia ſenſibile quod in vitâ ſpirituali experimur, eſt ordinis naturalis: ſupernaturale autem ſenſibus non ſubjacet. Quis tali experientiâ cognoſcit primam gratiam, eamque in Queſnelli ſententia neceſſariò juſtificantem? Quis ſenſibus experitur operationem gratiæ ſi vera ejus idea eſt aſſumptio humanitatis facta à Dei Filio, productio Creaturarum è nihilo, & plures ſimiles in Queſnellianâ hypotheſi obviæ? Si autem illa quæ experimur in viâ ſpirituali ſenſibilia, ſint ordinis naturalis, quantumlibet bona Catholicis videantur, Molinoſio tamen & Queſnello abominabilia, ſpurca & immunda ſunt, quia juxta Articulum poſterioris 40. *Sine gratiâ nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* Art. 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, non poteſt venire niſi à Deo, & ſine gratiâ non producit, niſi præſumptionem, vanitatem & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.* Art. 42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas.*

CAPUT XIX.

Paralleli proſecutio uſque ad Propoſitionem Molinoſii 41.

Quietiſmi Propoſitio 32. *Nec ante, nec poſt communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quàm permanentia in ſolitâ reſignatione paſſivâ; quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui fieri poſſunt, & fiunt in viâ ordinariâ. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei, aliàs ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.*

Quidquid Queſnellus ſimulet rigoris circa Pœnitentiæ Sacramentum, & aliis quibuſdam ad mores ſpectantibus documentis; ſi tota ejus hypotheſis inſpiciatur attentiùs, nihil illâ laxius eſt, atque ad conciliandos ſibi hypocritas, ſuis unice deditos commodis; ſalutis autem incurios, callidiùs excogitatum.

Cum enim juxta Queſnellum, ut ſæpè vidimus, *Fides ſit prima gratia*, atque hæc cuilibet conceſſa Peccatori, ſit *peccatorum remiſſio*, neque probabilis occurrat ratio minus virium tribuendi ſecundæ gratiæ ac cæteris deinceps; non erit cur homo diſponere ſe præſumat ad juſtitiam; aliàs Semipelagianus notabitur, autumans primam gratiam noſtris conatibus obtineri: ſed quoties peccaverit, neceſſarium erit in otio & quiete maximâ expectare à Deo primæ gratiæ, & cum eâ juſtitiæ infuſionem, ſine quâ omnis tentata ab homine diſpoſitio, novo cum delicto commaculat, ut multis Queſnelli enuntiationibus ſtabilitur.

Quod audis de primâ gratiâ, quæ juxta Queſnellum Fides & remiſſio peccatorum eſt, neque à noſtro pendet arbitrio, aut conamine, ſolius miſericordiæ Divinæ beneficium, idem ſtatuere oportebit de bonis operibus univerſis, ſi quidem juxta Articulum Queſnelli 69. *Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei* (itaque actionum omnium) *totum eſt donum puræ liberalitatis Dei*.

Supervacanea proinde fuerit ſalutis noſtræ, perfectionis, & cujuslibet boni operis cura, inutile ſtudium, quando juxta Articulum ejuſdem decimum, *gratia* omnis, ſine quâ nihil poſſumus, *eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare*; ut nihil potuit Creaturarum è nihilo productionem, nihil poterit reſuſcitationem à mortuis. His ſcilicet, & pluribus iſtiuſ-

istiusmodi figuris intelligere nos Quesnellus voluit, qualis sit gratiæ in hominibus operatio, quomodo nulla penitùs libera nostræ cooperatio voluntatis.

Quibus suppositis tum de efficaciâ insuperabili omnis gratiæ, tum de ejus absentiâ, quæ singulis actibus peccandi invehit necessitatem, minimè perniciosa, sed potiùs utilis videbitur animadversio Molinosii, quòd, *Si occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sint, quoties non dignoscitur, eos esse ex impulsu speciali Dei, aliàs sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.* Naturalis indicium semper evidens suggestionis est, Quesnello judice, *si reprimi valeat*, quia juxta Articulum ejus 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet.*

Omnibus itaque liberi arbitrii actibus supersedendum prudentiùs videbitur, sive ante communionem, sive postea. Quæ enim congrua ad illam esse poterit præparatio; aut quæ salubris humiliatio, petitio, actio gratiarum elici ab hominis voluntate, quæ juxta Articulum Quesnelli 39. *Si à gratiâ non prævenitur, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, nihil ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum?*

Ut suam Molinosius sententiam non verbis solùm; sed exemplis etiam stabiliret, etsi diu ad Altare Sacrificans hæreret, *Quiete*, ut apparebat cœlesti perfruens; mox tamen ubi ab Altari recesserat, è sacristiâ se recipiebat & Ecclesiâ. Molinosio condemnato cum præsenti suo Dogmate; non tamen praxis, uti commoda, multis cœperat placere, aboleri hactenus satis potuit.

Opportunè Religiosus aliquis Præfectus Ecclesiæ, totâ passim notus Urbe, tanquam eximiâ præditus pietate, neque tribuens nimium respectibus humanis, cùm ad evellendum istiusmodi abusum, neque privata Confessariorum monita, neque increpationes publicæ Concionantium satis hactenus momenti, seu virium habere conspiceret, ipse sibi statuit actu celebri concurrendum. E Clero Presbyter, Quietisticæ in hoc sectator praxeos, quotidie mox ab Altari se proripiebat ex Ecclesiâ: quod animadvertens Præfectus, duos è pueris, qui Sacris inserviunt, jussit eum, accensis facibus, ad fores usque Ecclesiæ comitari. Attonito Presbytero, & tandem in Templi foribus interroganti, quid ea sibi novitas vellet, responsum à pueris fuit, *hanc sibi reverentiam deposcere, quod gestabat, Venerabile Sacramentum.*

Facti hujus, ut per Urbem fama percrebuit, in pluribus quidem compescuit hanc insolitam levitatem; non tamen adeò, quin hodiedum, etiam in devoto aliàs femineo sexu, quædam ejus appareant vestigia, non optimæ conducentia ædificationi.

Unde ab Ultramontano recentissime adveniente hospite interrogatus, num mulieres istiusmodi Lutheranæ essent, quæ autument Christum in sola esse Eucharisticâ sumptione, atque hac momentaneâ actione præsentiam terminari? Respondendum duxi, minimè istud quidem; sed apparere surculum quemdam, nondum emortui penitus Quietismi.

Propositio Quietismi 33. *Malè agit anima, quæ procedit per hanc viam internam; si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi: & idem dicitur de locis sacris; quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.*

Similitèr per viam gradientibus Quesnellianam videbitur malè agere quisquis diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare inse devotum aliquem sensum; si enim eò non movetur à gratiâ, non immunis redditur à peccato qualiscunque ille voluntatis propriæ conatus, juxta Articulum Quesnelli 40. *Sine gratiâ nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.*

Neque excusare videbitur conantem, quod inse senserit cogitationem de Deo, *quæ non poterat venire nisi à Deo*; nam hæc ipsa *sine gratiâ non producit, nisi præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris*; ideoque Quesnelli judicio fallax est, & occulto laborans vitio quidquid speciei apparuerit melioris.

Si verò motus à gratiâ est, sequitur eum anima necessariò, quandoquidem per Articulum Quesnelli 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. Conatus* proinde *particularis*, quem anima adhibere præsumit, ipse satis indicat non esse motum ex gratiâ, vel animam Quesnellianâ non esse imbutam scientiâ, vel Fide, juxta quam gratia describitur, ita ut se habeat instar operationis, quâ Deus res procreat è nihilo, aut resuscitat mortuos; ubi evidens est nullum Creaturæ conatum posse disponere vel arbitrii libertatem cooperari.

Cùm autem necessitanti huic gratiæ, neque pendenti ullatenus à liberâ hominis determinatione, tempus aut locum præfigere nemo valeat, aut illam positis in suâ potesta-

te

te precibus obtinere,temerarium videbitur devotionem tuam diebus festis aut locis Sacris affigere, si pariter existimes, conatus omnes, uilex gratiâ processerint,non eximi à delicto.

Nicolaus Le Tardif in Senatu Regis Christianissimi Causidicus, cui ut soror erat Monialis in Portu-Regio, etiam Director animæ suæ obvenerat Saucyranus, de eo juridicè jussu Regis interrogatus, interposito Sacramento respondit, se inter cætera ab eo fuisse edoctum, quod *justi in omnibus sequi debeant interioris gratiæ instinctum, qui eis legis instar sit, non curando Leges externas; quamvis ejusmodi motus externis legibus adversentur*: non distinguendo inter loca aut tempora: neque sacro loco, aut tempore cooperari gratiæ juxta Quesnellum magis liberè homo poterit, quàm alibi, aut aliàs: neque, si gratia defuerit, conatus viribus naturæ ubicunque & quandocunque elicitus magis excusabitur à culpâ, quin & hæc forsitan à loci aut temporis Sacri circumstantia augebitur.

Quietismi Propositio 34. *Verbis & linguâ gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu Pater noster recitare.*

Nisi Doctores olim Sorbonici Censuris Theologicis, Rex Christianissimus, & qui ab eo præcipuus Administer designatus fuerat Cardinalis Richelius, carceribus, emergentem eo tempore Jansenii & Sancyrani Sectam in ipsis quodammodo incunabulis validè repressissent; quousque tentari cœpta Ecclesiæ Reformatio progressura tandem fuisset, non est facile divinare.

Suspicio aliquorum est, intentam fuisse Romanæ Ecclesiæ ruinam, ipsiusque Religionis in plerisque Articulis subversionem.

Nimia autem videri debuit temeritas, simul in omnia convolando, generalem initio pandere machinationem: variis itaque paulatim gradibus Reformatio tentata est.Religiosos & eorum vota Claudius Seguenotius, Pontifices & Episcopos, cum animarum Directoribus penè universis, Sacramentorum usum & efficaciam Sancyranus impugnare cœperat, preces & invocationes Sanctorum, etiam Christi, arrodere Agnes à Sancto Paulo Monialis, Arnaldi Fratris & Sancyrani institutionibus ad novitates studiosissimè comparata.

Progressum ad ulteriora stitit sorbonica, ut dixi, & supremæ in Galliâ Potestatis vigilantia. Nonne laciniæ à me superiùs, decerptæ è *Coronâ Sanctissimi Sacramenti*, viam aliquousque pandere videbantur præsenti Quietisticæ Propositioni? Et quidem illa Portus-Regii Monialis neque oretenus, neque precibus intra animum contentis patiebatur Christum ab hominibus interpellari; volebat ab eo preces nostras non exaudiri, & si fieri posset, ne audiri quidem; quin rejici nos ab eo maluit, & tradi quodammodo oblivioni.

Optabat denique, ut sua vota imitaremur, & edito ad hoc typis opere pellexit. Docuit nos renuntiare meritis, ac desiderare, ut nullam illorum Deus habeat rationem; sed omnia disponat pro mero libito. Nonne idem videbitur de votis nostris & precibus? Proinde ad quid illis Deum sollicitabimus?

Jansenianisquidem Doctoribus nunquam familiariter usus fui, ut an Orationes ipsi funderent, deprehendere coram licuerit, nam etsi eis instituendus adolescens à tutoribus improvidè commissus fuerim; brevi tamen, Deo miserante, laqueus contritus est, atque eo liberatus discrimine, meliori Ordini sum adscriptus.

Postea tamen ætate provectâ, ratione muneris evitare non potui, quin frequens me accederet quidam illarum fautor partium, in officio, & dignitate Ecclesiasticâ constitutus, qui licèt scentiâ Theologicâ vix levissimè tinctus, suam etiam in ea ignorantiam non diffiteretur; attamen ut erat tricis legalibus instructissimus, Jansenianis, quibus erat toto addictus animo, perutilem præstabat in litibus operam. Ut autem videri subindè Catholicis volebat, novæ Sectæ contrarius, devotorum istiusmodi describebat hypocrisim. Nusquam (inquiebat) eos orare labiis videas: Ingressi Templum, ut sacrificio intersint, primâ capitis versùs aram maximam inclinatione totam terminant exteriùs religionem; orationis enim nullum in iis cernas indicium.

Utque erat inter familiares Satyricus, Jansenistarum quos intimè noverat, pietatem exhibens, ostendebat ridiculam, nec minimum habentem ejus, quam aliàs simulant, devotionis.

Verùm hic amplissimæ immemor dignitatis mimus, se Anti-Jansenianum mentiens, percipere non videbatur, quod suum pro Novatoribus studium & contra suum Antistitem prævaricatio multiplex innotuisset; adeòque suam in aliorum effigie depingeret hypocrisim.

Quanquam neque ad eum gradum videbatur ejus provecta simulatio, ut singularem affectaret moribus ædificationem: quin ex conturbernalibus, quorum erat non exiguus

guus numerus, complures eum obfervavere ftudiofiùs, num Horas faltem Canonicas recitaret, ad quas non folùm Sacerdotium, fed pingue etiam beneficium adftringebat. Obfervatus autem fuit ab ipfo matutino tempore, quo è lecto adhuc calidus, ad negotia confurgeret, ufquedum in illum nocte, bene potus, extincto lumine, rediret: nunquam denique in eo Orationis Canonicæ quidpiam vel alterius potuit deprehendi.

Huic viro in Scholâ Lovanii Academicâ, benevolè venerabundos inclinare capita vidi, quotquot aderant novarum Partium Doctores, utpote quos non lateret, quanto fuâ authoritate, & fuis artibus, effet novæ Ecclesiæ præsidio.

Quantum precibus vocalibus, aut etiam mentalibus deditus fuerit Ragotius Tornacensis Epifcopi Vicarius, & ad Reformationem Belgii è Gallâ miffus, non eft quod difcutiam, vita ejus loquitur, & copiofior, quàm Latinæ Ecclesiæ Sacerdotem decuit curanda alendaque familia.

Denique fi valere ubique debeat, quæ ab Ægidio de Witte in *Auguftinolprenfi vindicato* Pag. 355. Pontificiæ Poteftati præfcribitur *Salvatoris noftri gnome ad Regulam Sacratiffima, vivâ mentis applicatione, honore, ac reverentiâ omni fufcipienda, ab initio non fuit fic*; Quid fiet Officio Ecclefiaftico, quod à tot feculis in ufu eft? Quid Sanctis Ecclefiæ Ritibus etiam in Sacrificio? Infinita alia prætereo.

Quietifmi Propofitio 35. *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes, etiam virtuofas ex propriâ electione, & activitate, aliàs non effent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut humanitatem Chrifti; quia cùm ifta objecta fenfibilia fint, talis eft amor erga illa.*

Juxta Janfenium non Solùm non convenit, fed neque fieri poteft, ut quifquam mortalium poft lafpum Adæ Operationes faciat virtutis ex propriâ electione, & activitate, fcilicet liberâ. Quis enim *electioni propriæ* locus eft ubi eft neceffitas ad unum? Notiffimum autem eft axioma Janfenii; *Quod ampliùs nos delectat, Secundùm id operemur neceffe eft*, tam interiùs volendo, quam exequendo exteriùs.

Sine delectatione autem præveniente, nullam ab homine fieri poffe electionem, actionemve deliberatam non minùs indubitata ejufdem Antiftitis Sententia eft.

Rationem aliam cur non conveniat; ex electione & activitate propriâ operari, Quefnelli nobis fuggerit adducta fæpius Propofitio 39. *voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nifi ad aberrandum, ardoris, nifi ad fe præcipitandum, virium nifi ad fe vulnerandum. Eft capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*,

Præveniente autem gratiâ nihil prorfus fupereft electionis propriæ; nam fequi gratiæ ductum neceffe eft; fi quidem juxta Propofitionem Quefnelli decimam, *Gratia eft operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteft, aut retardare*, five in exiftendo, five in operando: Et Prop. 20. *Vera gratiæ idea eft, quod Deus vult fibi à nobis obediri, & obeditur: imperat & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia fibi fubmiffa funt.*

Eftne in poteftate hominis mutare *veram ideam gratiæ* aut rei alterius cujufcunque? Effentias rerum effe immutabiles non eft Tiro metaphyficus, qui ignoret.

Succedit Propofitio Quefnelli 22. priorem confirmans verbis maximè energicis: *Gratia Jefu Chrifti* (præter quam non datur alia in hoc ftatu) *eft gratia fortis, potens, fuprema, invincibilis, utpote quæ eft operatio voluntatis Omnipotentis, fequela & imitatio operationis Dei Incarnantis, & refufcitantis Filium fuum.*

Plures iftiufmodi Propofitiones, quas alibi non femel retuli, non eft opus hìc iterum accumulare.

Ex parte alterâ Enuntiationis Quietifticæ colligo, Molinofium ab Arnaldi, & Quefnelli Sectatoribus apparere in cultu Deiparæ & Sanctorum, redditum fcrupulofiorem, quàm Fideles hactenus. Non parum in Belgio turbarum fuit propter exiguæ molis, fed non minimæ feu imprudentiæ, feu nequitiæ opufculum, quod prodiit titulo *Monitorum Salutarium B. Mariæ Virginis ad Cultores Suos indifcretos.*

Exhorruit ad illa mox Populus Orthodoxus: exultavere vicini hæretici, nominatim Middelburgenfes in Zelandiæ Provinciâ Batavi, qui illud ex Latino Belgicè tranflatum, utroque idiomate ediderunt, veluti ad fui Schifmatis de Romanæ Ecclefiæ fuperftitionibus triumphum.

Supprimi illud quidem Sedes Apoftolica mandavit, atque in primis Alexander VIII. excerptum hinc Articulum inter 31. vigefimum fextum ad inferos remifit: *Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana eft*. In opufculo nempè Monito 6. exprimebatur: *Laus quæ defertur mihi, ut mihi, vana eft.*

Non fcrupulofus adeò in deferendo cultu Mariæ, etiam ut Mariæ, vifus eft Angelicus Do.

Doctor in librum tertium Sententiarum distint. 9. Quæst. 1. ubi *Dicendum*, inquir, *quod B. Virgini etiam ut est persona quædam per se agens, debetur honor per se: unde aliâ adoratione adoratur, quàm Filius ejus; ideo non potest adorari latriâ; sed duliâ. Quia tamen non solùm adoratur ratione sui; sed etiam ratione Filii, ut Mater Dei, ideo quantum pertinet ad Christum, honoratur hyperduliâ.*

Cùm autem de *Amore* Molinosius agat, occasionem sui dogmatis accipere potuit ex præcipuis Jansenii Sectatoribus Sinnichio & & Arnaldo. Ita prior in Tesibus Lovanii anno 1661. die 4. Aprilis *Omnis hominis deliberata actio, cùm amor sit, vel ex amore procedat, & omne quod est, sit vel Deus, vel creatura sub mundo intellecta, sequitur quod omnis humana actio sit Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis est, hoc est, mala est.*

Propositio hæc inter 31. confixas ab Alexandro VIII. est septima. Eodem Decreto proscribitur hæc vigesima tertia, quæ est Arnaldi libro de frequenti Communione Parte 3. cap. 7. *Similiter arcendi sunt à Sacrâ Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Quietismi Propositio 36. *Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quod solus Deus vult occupare & possidere.* Huc redeunt citata verba Sinnichii & Arnaldi.

Quietismi Propositio 37. *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet homo elicere actus explicitos virtutum oppositarum; sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.*

Juxta Quesnelli Articulum 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti.* Si autem gratia desit, impossibile est elicere actus expliciros virtutum oppositarum, docente nos iterum Quesnelli Articolo 39. *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet.... Virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali & incapax ad omne bonum.* Neque sufficit ulla gratia præterquam efficax, ut in potestate hominis sit ullius boni actus operatio juxta Articulum ejusdem secundum: *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum, absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest.*

Quietismi Propositio 38. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideòque dimittenda.*

Pondus etiam infructuosum est juxta Jansenium, si quidem *quod ampliùs nos delectat* delectatione indeliberatâ seu gratiæ, si hæc adsit & ampliùs delectet, seu concupiscentiæ, si ejus illecebra plus delectationis adferat quàm gratia. Pondus idem mortificationis voluntariæ infructuosum est in Quesnelli sententiâ, non solùm quia in Notis ad Epistolam Steyaertii pag. 17. & 18. universam approbat Jansenii doctrinam, jactans quòd *adeò non persuadeatur, sensum ab authore* (Jansenio) *intentum hæreticum esse, ut jam demùm credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipso non esse Catholicum*; sed etiam, quia omnis fructus bonus in Quesnelli Systemate à solâ gratia expectandus est; neque illa si abfuerit, ullâ mortificationum Cruce voluntariâ obtineri potest; quin sine gratiâ quo plures suscipiuntur istiusmodi Cruces, eò plus erescere necesse est multitudinem peccatorum, cùm ut modo in Quesnello vidimus, *voluntas quam gratia non prævenit... Nihil habeat virium, nisi ad se vulnerandum*; & Articulo ejus 40. *sine gratiâ nihil amare possimus* (proinde nihil agere) *nisi ad nostram condemnationem.*

Preterea Art. 24. *Justa idea quam Centurio habet de Omnipotentiâ Dei, & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.* Quæ sanatio cum utrobique fiar solo motu gratuito voluntaris Dei, cur ad sanandam animam à cupiditate suscipiatur *Crux voluntaria mortificationum*, quæ, ut monui, si non sit ex gratiâ, adeò animam non sanat, non disponit ad sanationem, ut magis vulneret?

Quietismi Propositio 39. *Sanctiora opera & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab animâ vel unicam adhæsionem.* Ratione nixus invictissimâ juxta Quesnellum istud enuntiat Molinos; Quid enim, inquit Quesnellus Art. 2. superiùs relato, nonne *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum*, itaut *absque illâ non solùm nihil fiat, sed nec fieri possit*?

Quidquid igitur sancti operis processerit, quidquid pœnitentiæ, frustraneum est juxta Articulum Quesnelli 3. *in vanum Domine præcipis*, multò magis in vanum omnis nostra industria, noster labor, nostra pœnitentia, omnis denique quantumlibet sancta apparens operatio est, *si tu ipse* efficaci gratiâ *non das quod præcipis*. Non quasi mandatorum tuorum observatio, & victoria de tentatione qualicunque, aut etiam adhæsione ad carnis aut seculi voluptates foret impossibilis, novimus Domine, (inquiunt Janse-

nia-

niani) facem nobis præferente Articulo Quefnelli 4. quòd *omnia poſſibilia ſint ei, cui omnia poſſibilia facis eadem operando in illo*, per gratiam utique efficacem: in nemine autem, cui hæc tua invictiſſima operatio defuerit, ulla poterit pœnitentia, aut alterius boni molitio operis ſupplere defectum, & removere ab anima vel unam pravam adhæſionem.

Quietiſmi Propoſitio 40. *Beata Virgo nullum unquam opus exteriùs peregit, & tamen fuit ſanctis omnibus Sanctior. Igitur ad Sanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.*

Janſenierit Molinos ſupra omnem modum; ſi, ut Propoſitio ſonat, omne Beatæ Virgini negare voluerit opus exterius; cùm varia verbis clariſſimis referant ſcripturæ, atque humano vivens modo, vacare ſemper ab actu exteriore non potuerit. Non igitur veriſimile eſt, de aliis Molinoſium operibus intelligi voluiſſe, quàm de ſingularibus quibuſdam, qualia ſacer textus non memorat, & à Sanctis ſolent communiter frequentari.

Quidquid autem ſit de temeritate, aſſeri circa facta, quorum, ut de Chriſto conſtat, ita minimè dubium eſt, quin pertinentium ad Sanctiſſimam ejus Matrem, multa ſilentio in ſcripturis prætcrita ſint; quod in Propoſitione Molinoſii dogmaticum eſt, videlicet *ad Sanctitatem perveniri poſſe abſque opere exteriori*: Queſnello non mirum videbitur, penes quem Sanctimoniam ſola gratia & quidem interiùs operatur, quemadmodum diſcimus ex Articulo ejus 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio*: atque ita Sanctificatio Peccatoris ante ullum pietatis opus exterius. Articulo 54. *Sola charitas eſt, quæ Deo loquitur: hanc ſolam Deus audit* Art. 55. *Deus non coronat niſi charitatem*; Arti. 56. *Deus non remunerat niſi charitatem, quoniam charitas ſola Deum honerat.* Arti. 68. *Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide & precibus.*

Nonne videtur Molinoſius Queſnelli Dogmatibus inſtitutus, atque ex his doctus ſic concludere; igitur ad Sanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori?

Quæ in Quietiſmi Propoſitionibus ſequitur, diverſa nimiùm, & ſpurca materia eſt, quam ut eodem cum præcedentibus capite agitetur.

CAPUT XX.

Proſecutio Paralleli uſque ad Propoſitionem 54.

Quietiſmi Propoſitio 41. *Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigiliâ, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſicè illorum manus, & alia membra contra voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos, in quo caſu non ſunt peccata; quia in his non eſt conſenſus.*

Videtur homini obſcæno Spiritus nequam Articulum hunc & reliquos præſenti capite ſecuturos non abſimiles ſuggeſſiſſe, ut quæ animo deſtinaverat crimina, obvelaret ſpecie humiliationis, & transformationis à Deo intentæ, & miniſterio Dæmonis exercitæ in corpore, animâ remanente innoxiâ, utpote non conſentiente.

Hâc circumventum fallaciâ diſponebat facilè credulum ſequiorem ſexum, ut molienti flagitia Directori, ſe non opponeret; ſed volitam à Deo humiliationem, transformationemque, etiam in ſe exequi pateretur.

Plures mecum Theologi, conſideratis pridem Janſenii & Sancyrani Dogmatibus, antequàm Molinoſii flagitia in lucem erumperent, aut nota in Belgio eſſet doctrina ejus adeò deteſtabilis, ſuſpicari cœperant ſiniſtra iſtiuſmodi de Ipreniſis Epiſcopi, & Sancyrani dogmatibus, tanquam occaſionem præbentibus turbæ hominum ſceleratiſſimæ, qualibet flagitia excuſandi, obtentu ſubdolo neceſſitatis; quin & alio ſubinde magis frivolo, immiſſarum cœlitus inſpirationum.

Neceſſitas peccatis omnibus obtenditur à Janſenio lib. 3. de gratia Chriſti cap. 26. ubi citat Auguſtinum lib. de duabus animabus cap. 11. dicentem: *peccutum eſt motus voluntatis, unde liberum eſt abſtinere*. In quam Auguſtini ſententiam ita mox notat Janſenius: *Quam definitionem ſæpe proteſtatur* Auguſtinus, *nulli peccato, niſi ſolius primi hominis convenire*; quia cætera omnia neceſſitate committuntur, quod famoſo ſuo Janſenius axiomate confirmat *Quod ampliùs nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.*

Ut iſtud clariùs lector percipias, exponenda ratio eſt, qua tam exoticum nititur documentum. Sic eam ipſe Janſenius declarat

rat lib.4. de gratiâ Christi cap.7. *Delectatio ut quis bonum velit, non ex naturâ boni, aut supernaturalis operis; sed potiùs ex conditione volendi necessaria est; voluntas enim sine delectatione velle, aut moveri nullo pacto potest: quod sane intuitu cujuslibet operationis* (etiam malæ) *locum habet*.

Delectationem hìc non intelligi à Jansenio liberam, sive ipsum liberi arbitrii consensum, quo delectatio indeliberata, & prævia approbatur; sed præviam ipsam & indeliberatam tum in malis actibus, tum in bonis, ex ipso ostenditur Jansenio lib.4. de gratiâ Christi totis præcipuè primis octo capitibus.

Delibemus aliquid ex cap.3." Delectationem istam Cœlestem esse verum ex Augustini sensu, medicinalis gratiæ adjutorium, quod Deus ad justitiam operandam voluntati tribuit, ex eo demonstrari potest; quia similiter docet, delectationem terrenam esse causam cur ab Adam Posteris justitia deseratur, ac deserendo peccetur. Cùm enim peccatum, & rectè factum omnino contraria sint, hoc ipso quo docet, ita peccata perpetrari, ut voluntas terrenâ quadam delectatione præcedente præparetur, & impellatur, lectoribus intelligendum relinquit id, quod toties de cœlesti delectatione, atque suavitate ad justitiam operandam conferente, tradit ex generaliori quâdam & arcanâ ratione ad voluntatem tam sublimibus operibus præparandam, multò magis esse necessarium, ut eo tanquam adjutorio Sancti Spiritus adjuta & elevata, & concupiscentiarum suarum visco expedita, in operationes cœlo dignas prorumpere & evolare possit.

" Hanc igitur delectationem peccatorum antecedere, & ex illâ proficisci, quod ab hominibus peccetur, non uno loco S. Augustinus profitetur.... Unde manifestissimum esse puto, nullum peccatum fieri ab hominibus, quin voluntas,.. quadam delectatione titilletur, & proritata provocetur, ut ita quodam quasi Diaboli adjutorio, ut ita loquar, impulsa ad ruinam pertrahatur.

Capite 4. iterum velut ex Augustino Jansenius docet." Quamdiu in hac vitâ mortali vivimus, esse in homine luctam quamdam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cœlestis, quarum utralibet vicerit, animum secum consentientem ac pronum trahit."

Cap.6." Ex his jam perspicuè intelligitur, tantopere esse necessariam istam delectationis Divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus, & delectationibus dimicamus, ut nisi major sit quàm terrena, quâ noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur; major enim delectatio, nunquam sanè delectatione minore superabitur; sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo, suavitate detinuerit."

Postquam Jansenius libri illius quarti octo capita impendit, ut ostenderet, *Medicinale Christi adjutorium esse cœlestem suavitatem, seu delectationem*, contendit cap.11. *Delectationem istam cœlestem juxta S. Augustinum esse actum vitalem & indeliberatum animæ, & quidem amoris, ac desiderii præcedentis consensum*. Quam opinionem suam ita summatim explicat: *Dicimus igitur delectationem illam seu suavitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim etiam secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur*.

Dissimulo hìc meritorum omnium in bonis actibus destructionem. Prætereo etiam hæresim Propositionis tertiæ inter quinque ab Innocentio X. Alexandro VII. Clemente XI. condemnatas: & præscindendo ab omni anathemate, ac præjudicio, solum considero Jansenii axioma, & quidem prout ab ipso jam vidimus explicatum.

Quantumlibet illud ab impuris, quibus Propositio scatet Quietistica, abstineat expressionibus, an tamen malitiæ ac veneni minus contineat, non facilè determinaveris. Quid enim flagitii est adeò enormis, quod ab omni culpâ & demerito non eximat juxta allegatum sæpiùs Doctoris Angelici testimonium? Audiatur iterum ex *Quæstionibus disputatis* de Malo Q. 6. de Electione: *Si non sit aliquid liberum in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, laus & vituperium*.

Effugium à Jansenio tentatum, quasi non nisi ad malum in genere sit necessitas; sed libera electio ad speciem, sicut nempe clavum clavo pellere, sic tentationem unam consentiendo alteri, vincere valeamus; quàm sit frivolum, ostendi sæpiùs; non enim delectatio ad malum in genere est, vel abstractum à specie, sed maximè determinatum: neque delectatio cœlestis, in potestate hominis est juxta Jansenium, ut ad unam virtutem alliciens, ad alterius virtutis exercitium divertatur.

Eandem Jansenii cavillationem invictissimis pridem rationibus protrivit Stephanus de Champs lib.3. de hæresi Jansenianâ disput.3. cap.6. Neque existimo cuiquam impo-

fterum Jaufeniano animum fore, ut Magiftri fui hic vindicias fufcipere temerarius præfumat.

Si itaque lafcivo, feu fornicario, feu etiam adultero, fuorum fœditatem criminum obiicias, cur beftialibus iftiufmodi fpurcitiis non prætulerit honeftatem, beatitudinem, Deum ipfum; Refpondebit mifer talia quidem fubindè fibi in memoriam rediviffe; fed in occafionibus occurrentibus fe ardentiorem fenfiffe carnalis concupifcentiæ delectationem. Si homicidii voluntarii, & fortè parricidii Reo qui profugere, & peregrè exulare cogitur, ob oculos ponas, in quantas fe malefanus conjecerit calamitates: hæ mihi, inquiet, dum facinus diurnis nocturnifque cogitationibus præmeditabar, deliberans de loco, tempore, & cæteris circumftantiis, obverfatæ fuerunt non femel, neque conturbarunt animum leviter; fed tamen odium inimici, & inde natus amor ac defiderium vindictæ, fortiùs me urgebat. Quid igitur agerem? *Quod ampliùs nos delectat fecundum id velimus & operemur neceffe eft.* Sic edoctus fui ab erudito & valdè pio S. Auguftini Difcipulo.

Pueri à Janfenii Sectatoribus inftituti, quoties de fuis redarguentur vitiis; in promptu femper habituri funt, quod refpondeant, placuiffe fibi magis lufum, quàm ftudia, magis nugas & petulantiam, quàm fcientiam & pietatem. *Quod* autem *amplius delectat; fecundum id velimus & operemur neceffe eft.*

Decreveram veluti convictam fatis Janfenii, eique adhærentium dimittere cavillationem de prætensâ in fuo Syftemate electione liberâ delictorum quoad fpeciem, quoties ad peccandum inevitabilis conftringeret neceffitas; verùm cùm eandem hoc tempore inftaurare Janfeniani non definant, diffimulando oppofitas, quas diffolvere nequeunt, rationes, non inutile cenfeo, tentatæ fruftra evafionis ineptias, luci exponere clariori.

Allecto, inquiunt; concupifcentiæ illecebris ad fornicandum, fi tentatio ifta obvenerit in foro coram frequenti hominum multitudine, non deerit, quo carni frænum iniicere valeat, motivum fuperbiæ; ne, qui vir continens exiftimatus hactenus fuerat, libidinis infamiâ notetur. Poterit præterea, inquiunt, libidinis pruritum vincere ratione avaritiæ; fi turpitudinem explere non poffet nifi pretio ingenti.

Mira in adverfariis cæcitas eft, quòd non perfpiciant quàm non Catholicæ folummodo veritati; fed fuis etiam, quos cum pertinaciâ defendunt, erroribus contradicant. Quefnellus Articulo 61. ait *Timor nonnifi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juftitiæ non ducitur.* Et 62. *Qui à malo non abftinet, nifi timore pœnæ, illud committit in corde fuo, & jam eft reus coram Deo.*

Falfiffimus quidem uterque Articulus eft, & jure optimo condemnatus; quia omni formidini, æternorum etiam fuppliciorum virtutem adimit cohibendi hominem à peccando, quam nobis prædicant Divina Oracula, & Sanctorum Patrum traditio, maximè Auguftini; fed non eadem vis eft incuffo humanitus timori fubeundi alicujus incommodi temporalis quæ ineft immiffæ cœlitus formidini Judicis fupremi, & perennium apud inferos cruciatuum.

Nemo fapiens dubitat quin in Latronibus, timor fupplicii fæpè manum retrahat à facinore; fed non penitus animum, quin is affectum retineat erga crimen, paratus exequi, quando opportunum videbitur punitionis periculo definente. Ita neque in avido pecuniæ libidinem fic domat avaritia, quin turpitudinis affectus maneat, licèt fornicatio, vel adulterium exteriùs omittatur.

Eadem ratio eft de fuperbiâ, quæ pulfatum luxuriæ ftimulo coràm aliis lafcivum juvenem, fiftere quidem poterit, ne abripi fe ad turpitudinis exercitium patiatur in publico, fed animum ab amore noxio non liberabit, quin occafionem defideret obfequendi libidini, abfque difpendio honoris.

Non igitur hìc tentatio, alterius electione peccati propriè vincitur; fed ad interiorem folummodo reftringitur iniquitatem: neque qualifcunque cernitur exteriorum fufpenfio criminum, vel etiam omiffio, ex liberâ juxta Janfenium oritur electione; quia & ipfa neceffarius majoris delectationis effectus eft. Hypocritam fcilicet magis allicit boni nominis adamata, & tanto quæfita ambitu poffeffio, quàm concupifcentiæ carnalis in talibus circumftantiis pruritus.

Quifquis turpitudini deditus eft, non fuâ trahitur paffione ut fatisfacere ei velit in publico; fed occulto. Sic quoque abftinentia à nimiorum fumptuum fpurcitie, non indicat in abftinente, liberi arbitrii electionem, quafi avaritiam, five pecuniæ amorem liberè præferat voluptati; fed delectans ampliùs pecunia, avarum neceffariò retrahit, à nimiis obnoxio fumptibus exercitio fœditatis.

Denique nulla prorfus in hoc ftatu humana actio eft, quam in Janfenianâ hypothefi expedire valeas à neceffitate. Ait enim Auguftinus Batavus lib. 4. de gratiâ Chrifti cap. 7. *Voluntas fine delectatione velle, aut moveri nullo pacto poteft. Quod famè refpectu cujufi-*

jusſibet operationis locum habet, ſive circa objectum bonum operatio verſetur, ſive circa malum, ſive circa indifferens.

Cùm autem juxta eundem Antiſtitem Dogma generale ſit, omnis impatiens exceptionis, *Quod ampliùs nos delectat ſecundùm id velimus & operemur neceſſe eſt*, patet univerſarum neceſſitas actionum.

Vel enim delectatio ad agendum alliciens eſt abſque aliâ ſibi oppoſitâ; quo caſu evidens eſt, nos juxta eam in Janſenii ſententiâ operari neceſſariò: idem ſtatue, ſi oppoſita delectatio debilior ſit; ſi verò fortior, vincit neceſſariò: ſi æqualis, ſuſpendi neceſſariò animum à conſenſu in alterutram partem, claris enuntiata vocibus opinio Janſenii eſt.

Documentum alterum Sancyrani eſt, quod Nicolaus Le Tardif Regius Cauſarum Patronus jurejurando teſtatus fuit, ſibi ab illo traditum. " Juſtos in omnibus ſequi debe-
„ re interioris gratiæ inſtinctum, qui eis in-
„ ſtar legis ſit, non curando leges externas,
„ quamvis ejuſmodi motus interiores legi-
„ bus externis adverſentur.

„ Quod Sancyranus confirmabat exemplo
„ viri Nobilis, qui Nepotem ſuum fornica-
„ tionis in Domo reum, ac propereà ali-
„ quandiu à Domo remotum, in Articulo
„ mortis conſtitutus ſimulavit ſe velle in gra-
„ tiam recipere & coràm complecti. Verùm
„ ubi eum tenuit, in ipſo, quem fingebat,
„ complexu, ficâ miſerum confodit, ſic ul-
„ turus injuriam Deo per fornicationem illa-
„ tam.

„ Patrato homicidio Euchariſtiam poſtu-
„ lat, præmittens quidem Confeſſionem; ſed
„ nullâ factâ homicidii mentione. Negat Sa-
„ cerdos ſe ei Sacram Hoſtiam porrecturum,
„ niſi de homicidio tam notorio ſe in confeſ-
„ ſione accuſet, & feriæ pœnitentiæ oſten-
„ dat indicia. Reſpondet æger, non eſſe cur
„ tam præclari facinoris ſe pœniteat: atque
„ ecce (inquit) ut ſcias, quàm illud Deo
„ gratum fuerit, ipſe mihi Sacram Hoſtiam,
„ quam detuliſti, inſigni miraculo imperti-
„ vit. Rem ita ſe habere Sacerdos depreben-
„ dit. „

Fides hiſtoriæ, & prætenſi miraculi ſit penes Sacyranum, qui etiam ſe *per prodigia* adductum fuiſſe ait in conſuetudinem & amicitiam Domini Troyes, quem hiſtoria illius temporis memorat, fuiſſe Apoſtatam Religioſi Ordinis NN. & velut hæreticum Sectæ *Illuminatorum*, Pariſienſi Carceri mancipatum.

Sic imprudentiſſimè glorianten nuper vidimus ſcriptorem juvenem, quaſi viginti & ampliùs Beneficiis Divinitus obtentis interceſſione unius è quatuor Epiſcopis Sedi Apoſtolicæ rebellibus, in cauſâ Formulæ Alexandri VII. contra ſenſum Janſenii.

Deum autem prodigiis approbare vitium vel errorem, præſertim noxium, in Eccleſiâ Catholicâ non eſt auditum: Neque ea Scriptoris juvenis nimis credula ſive ſimplicitas, ſive levitas, in Supremo Tribunali debitâ caruit reprehenſione.

Nobis hic unicè diſcutienda eſt, quæ initio ponitur Saucyranii doctrina aſſerens, quod *Juſti in omnibus ſequi debeant interioris gratiæ inſtinctum, qui eis inſtar legis ſit, non curando leges externas; quamvis ejuſmodi motus interiores externis legibus adverſentur*.

Quo quis magis temerarius, aut etiam impius erit, commiſſo crimine, atque fabricatâ ſuo ingenio hæreſi, vel ab alio acceptâ, & à ſe mordicùs contra Eccleſiam defensâ, cauſari impudentiùs poterit, interiorem inſtinctum, quem immiſſum ſibi cœlitus credit, ideò non paſſurus ſe ab eo ad ultimum uſque ſpiritum dimoveri.

Notum eſt Sedis Apoſtolicæ Judicium contra quinque Janſenii hæreſes ſolemniſſimè pronuntiatum, promptâque, ut decuit, Chriſtiani Orbis obedientiâ ſuſceptum. Præceſſerat autem annis duodecim Conſtitutio Urbani VIII. in *Eminenti*, quâ multæ Janſenii Propoſitiones tanquam à Pio V. & Gregorio XIII. in Bajo & Sociis pridem damnatæ, à Janſenio nihilominus *magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis* (Apoſtolicæ) *contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defenſæ*. . . *malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ perniciem vertenti*, ſapientiſſimè iterum configuntur.

Poſt iſtud, non niſi præmiſsâ diligenti & maturâ ejuſdem libri, à Janſenio compoſiti, *Lectione*, *Sedis Apoſtolicæ Judicium*, imò contra iſtud Antonius Arnaldus, tunc juvenis, utpotè vix annum ætatis ingreſſus trigeſimum, ſibi ſtatuit totis viribus dimicandum.

Videbatur enim in neſcio quo, ſive ſomnio, ſive inſomnio, hanc mentis illuſtrationem accipere, vel à Magiſtro ſuo Saucyrano didicerat, *in ipſo Deo legere, qui eſt æterna veritas, quemadmodum Deus Salomoni reſervaverat ædificationem Templi, ita materiam de gratiâ à Deo fuiſſe Janſenio deſtinatam, ut elucidaretur clariùs*. Ita credere nos Arnaldus jubet in Præfatione Apologiæ, quam non exiguo volumine pro Janſenio edidit anno 1644.

Secuta anno proximo altera eodem authore.

Anno autem 1653. edita eſt, quam ſuperiùs

perius indicabam, Constitutio Innocentii X. anathema infligens quinque Jansenii Propositionibus tanquam hæreticis, ac dein anno 1654. ab eodem Pontifice prodiit condemnatio Arnaldinæ istius utriusque pro Jansenio Apologiæ.

Iteratum toties Sedis Apostolicæ judicium non quidem corrigere Arnaldi fidem; sed reprimere utcunque audaciam visum fuit. In secundâ tamen ad Ducem & Patrem Franciæ Epistolâ resumpsit temerarius hæresim Jansenii; sed magis callidè propugnandam. Duas ex eâ Epistolâ Propositiones Censuris gravibus Sorbona proscripsit.

Negaverat ibi Arnaldus damnatos quinque ab Innocentio Articulos, in Jansenii volumine reperiri; simul tamen asserens, *defuisse Petro tentato gratiam, sine quâ nihil poterat*.

Sorbona autem satis intelligens, quò utraque enuntiatio vergeret, priorem declaravit *temerariam, scandalosam, injuriosam Summo Pontifici & Episcopis Galliæ, atque etiam prabere occasionem renovandæ ex integro post damnationem Jansenii Doctrinæ*: Posteriorem *temerariam impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam*: Authorem verò *à sinu suo repellendum expungendumque ex Albo Doctorum suorum, atque à corpore suo plane resecandum censuit, & ipso facto repulsum, expunctum, resectumque declarat, nisi intra diem decimum quintum Mensis Februarii proximè sequentis, mentem suam mutaverit, & huic præsenti Censuræ subscripserit coràm* Domino Decano, *Illustrissimis Episcopis*, Doctoribus, *& prædictis Deputatis*.

Data fuit Censura in Comitiis Generalibus die ultimâ Januarii 1656. Verùm Arnaldus à Magistro suo Sancyrano edoctus fuerat, interioribus suis potius obsequi instinctibus, quàm legi cuicunque exteriori. Inspirationem itaque velut Divinitùs acceptam, cum suo effectu & circumstantiis, magnificè memorat recentior pro eo Apologia, cui titulus est *Causa Arnaldina*.

Illic in Præfatione Pag. 25. dicitur, "Quo „ die procudebatur Censura illa à conju„ ratis Inquisitoribus, mirum quid Arnaldo „ accidit. Solus cùm ambularet in superiori „ quodam ambulacro exteriorum ædium „ Portus-Regii Parisiensis, rei eventum exs„ pectans, & coram Deo inde secutura men„ te perpendens, subitò in illius animum hæc „ Augustini verba, velut cœlitùs emissa, in„ currerunt; *Quia non in me persecuti sunt, „ nisi veritatem, ideò adjuva me ut certem „ pro veritate usque ad mortem*.

„ Quibus verbis tunc non parum recrea„ tus, & in veritatis defendendæ proposito „ ejus obfirmatus est animus; & eadem in „ sera etiam ætate non sine solarii, & pietatis „ sensu, sibi in memoriam coràm amicis re„ vocavit." Eo fructu, quem lugere Ecclesia cogitur, elapsis ab eo tempore septuaginta ferè annis; & necdum statim finis.

Hinc enim Schismatica Arnaldi, & Discipulorum pertinacia ad eum ascendere visa est gradum temeritatis, ut vix à declaratis Ecclesiæ hostibus plus improperiorum, & sacrilegi contemptûs Sedes Apostolica patiatur.

Illis scilicet Divinorum instinctuum, & inspirationum mendaciis, quæ tanquam Oracula virgines fatuæ Portus-Regii à suis accepta Directoribus adorabant, effectum vidimus, ut earum septuaginta & ampliùs toto quadriennio absque Sacramentis vivere, & complures interim emori maluerint, ut exprimit Ægidius de Witte in Panegyreos Jansenianæ Prologo Galeato Pag. 47. *sine cruce, sine luce, hoc est sine prece Sacerdotali*.

Postea quidem fraudibus circumventi Ecclesiæ Præpositi Sacramenta hypocritis permisere; sed detectâ exinde fallaciâ sustulere iterum, ne usus eorum sacrilegus pergeret, reatus cumulare & supplicia.

Ad *Illuminatorum* Sectam pertinet ea, quæ *Tremulorum* dicitur: in Belgio Queckeros vocamus: In Angliâ longè major eorum numerus est, & potentia, quàm apud Batavos. Respublica patitur illos quidem dissimulatione & conniventiâ; sed nullo permittit Diplomate. Contigit autem ignotum me Amstelodami eorum semel interesse conventui ut ineptias explorarem. Mox illic mihi incidit cogitatio, videri Jansenianæ sive Quietisticæ speciem devotionis. Nihil erat Sacræ imaginis in Templo, libellus precum nullus.

Sedebant omnes sine motu, etiam labiorum, expectantes illuminationem à Spiritu Sancto, quem tandem aliquis revelantem sibi sentiens, quod ad ædificationem cæteris communicaret, erexit se, & cœlum intuitus aliquantulum, cœpit pro concione dicere vix aliud, quam Sancti Joannis Evangelium, mutatis tam imperitè verbis sæpiùs repetitum, ut victus tædio, finem expectare non potuerim, neque potuerint alii, qui curiositatis causâ aderant extranei.

Quantumlibet autem stolida appareat ea Tremulorum Secta; fefellit tamen initio non paucos, quibus magno usui erant faventes suo genio, & concupiscentiæ illustrationes; undè facilè crederent immissa esse cœlitùs dictamina, quæ à non placentium sibi legum observantia liberarent. Quibusdam etiam inter eos nequioribus istud commodi attulit simpli-

simplicitas credulorum, quod ab his, quidquid vellent, emungerent, allegando suum sibi spiritum suggerere, ut tale beneficium peterent, ab altero non denegandum. Quâ revelatione suppositâ censebatur Religio obstringere posteriorem ne Spiritui Sancto resisteret; sed omne concederet postulatum.

Hujus Sectæ stultitia ubi Catholicis innotuit, in promptu fuit responsio, ut quando Tremulus quidpiam ex spiritûs instinctu peteret, vicissim Catholicus sibi spiritum dictare assereret, solvendum pretium quod determinabat: ita penes plurimos repressa utcunque insania est.

Ad eandem nihilominus Sectam accedere videtur Propositio 3. Claudii Seguenotii ex eâdem cum Quesnello Congregatione Presbyteri, *Opera consilii ubi inspirata sunt, & applicata per inspirationem huic vel illi personæ, sunt obligatoria, & transeunt in præceptum*, Propositio hæc excerpta fuerat ex ejus libro *de Virginitate*, qui ad Judicium Facultatis Theologiæ Parisiensis delatus anno 1638. Mense Majo, proscriptus ab eâ fuit Mense Junio & sententia Julio proximo confirmata. Nominatim Propositio quam retuli, tertia, declarata est *falsa*, *periculosa*, *conscientiarum perturbativa*, *& erronea*.

Denique utra hypothesis de sequendo spiritu privato sit damnosior, eorumne qui à Molinosio instituti sunt, an qui à Saucyrano, seguenotio, Arnaldo, non facilè dictu est. Prior enim spurcitie scatet; sed adeò apertâ, ut valdè hebetem, vel lasciviâ corruptum esse oporteat, qui post detectum à Sede Apostolicâ venenum, eam imposterum amplectatur: posterior autem à fœtentibus adeò sordibus abstinens, quin & pietatis præse ferens speciem, occultiore toxico plures enecat, fovensque contra Ecclesiæ Præpositos rebellionem, cò nova hæc Secta est provecta potentiæ simul & audaciæ, ut de efficaci contra eam remedio, nisi Divina fortiùs succurrant præsidia, videatur Sedi Apostolicæ desperandum,

Quæ in Molinosio sequitur spurcissimarum series enuntiationum, absurda adeo est, ut solâ sui displicere debeat relatione, neque deceat diutiùs illi, quàm ad scopum nostrum necesse fuerit, immorari. Cum itaque in eandem singulæ videantur concurrere fœditatem, sufficere poterit perfunctoria earum relatio, ac demum fini attexere compendiosam cum Jansenistarum Dogmatibus comparationem.

Quietismi Propositio 42. " Potest dari „ casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus „ carnales contingant eodem tempore ex „ parte duarum personarum, scilicet Maris „ & fœminæ, ex parte utriusque sequatur „ actus.

Quietismi Propositio 43. " Deus præteritis sæculis sanctos efficebat Tyrannorum „ ministerio; nunc verò eos efficit Sanctos „ ministerio Dæmonum, qui causando in eis „ prædictas violentias, facit ut illi seipsos „ magis despiciant, atque annihilent, & se „ Deo resignent.

Quietismi Propositio 44. " Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis; „ quia fuit ex Dæmonis violentiâ.

Quietismi Propositio 45. " Sanctus Paulus hujusmodi Dæmonis violentias in suo „ corpore passus est; undè scripsit. Non „ quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.

Quietismi Propositio 46. " Hujusmodi „ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandum animam, & ad eam „ ad veram transformationem & unionem „ perducendam, nec alia superest via: Et hæc „ est via facilior & tutior.

Quietismi Propositio 47. " Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, „ ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum; „ sed permanere debet homo in suo nihilo, „ & etiamsi sequantur pollutiones & actus „ obscœni propriis manibus, & etiam pejora, „ non opus est seipsum inquietare; sed foras „ emittendi sunt scrupuli, dubia & timores; „ quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur „ sancta libertas. Et præ omnibus non opus „ est ea confiteri, & sanctissimè fit non confitendo; quia hoc pacto superatur Dæmon, „ & acquiritur thesaurus pacis.

Quietismi Propositio 48. " Satanas, qui „ hujusmodi violentias infert, suadet deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in viâ internâ ulterius progrediatur; undè ad ejus vires enervandas, melius est eas non confiteri; quia non sunt „ peccata; nec etiam venialia.

Quietismi Propositio 49. " Job ex violentiâ Dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces*, sic interpretando locum ex cap. 16. Job.

Quietismi Propositio 50. " David, „ Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis, „ hujusmodi violentias patiebantur harum „ impurarum operationum externarum.

Quietismi Prop. 51. " In Sacrâ Scripturâ multa sunt exempla violentiarum ad „ actus externos peccaminosos; ut illud de „ Sam-

„ Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigenâ, & cum Dalila Meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuissent: De Juditha, quæ Holoferni mentita fuit: de Eliseo, qui pueris maledixit: De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel Dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contigit, in dubio relinquitur.

Quietismi Propositio 52. " Cùm hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto Deo magis unitur.

Quietismi Propositio 53. " Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur, se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quòd in iis consenserint; & videre quod sint animæ, quæ proficiunt in viâ internâ; sed regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ, ac à Theologicâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum internâ certitudine, quod talis operatio est violentia; & certus sum, quod hoc lumen à Deo procedit; quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare. „

Ecclesiæ victoria fuit, & singulare Divinæ Providentiæ beneficium, tam nefariæ hujus Sectæ dogmata simul & facta detexisse, quæ exposuisse fidelibus, hæresim debellasse est. Quis enim talia sine horrore audiat, vel absque indignatione gravissima adversus authorem ejusque socios tantæ conscios & participes impietatis? Mox itaque ut palàm innotuit, nocendi viribus destituta est: &, si non extincta penitus, in paucis saltem reliquiis delitescens, adeò remansit elanguida, ut ipsam videatur suæ quodammodo pudere turpitudinis. Spiritus verò privatus Sancyrani, Seguenotii, Arnaldi, Angelum lucis mentiens, pergit serpere ut cancer, & quo subtilius venenum est, perniciem confidit minùs facile declinandam.

Regula Moliniosii quę in fine Propositionis quinquagesimæ tertiæ conspicitur, etiam Jansenianis (& quibus non hæreticis?) Spiritûs privati Sectatoribus communis est. Quis nempè istiusmodi Novator suâ obcæcatus superbiâ, non sibi persuadeat, suggesta divinitùs sibi suisve advenisse præceptoribus Dogmata, ac tali quidem luce, tali certitudine, ut nullum sibi relictum sentiat dubitationi locum?

De similibus Augustinus Tractatu 45. in Joannem ait: *Innumerabiles sunt, qui se videntes non solùm jactant; sed à Christo illuminati videri volunt; sunt autem hæretici. Fortè per januam intraverunt? Absit.* In confutandis istiusmodi supra Ecclesiam sapere volentibus, & quasi à Deo singulariter edoctis, Augustinum diu præcesserat Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 15. & lib. 1. cap. 1.

Qui Arii fallacias recentiùs descripsere, sic ejus exhibent in cœlestibus fingendis illustrationibus hypocrisim, ut Sancyranum, cum suâ discipulos instruendi methodo, à me superiùs ex juratis eorum testimoniis relatâ, depingere videantur. Præterea S. Bernardum qui sui temporis hæreticis larvam similiter detrahit Serm. 42. in Cantica. Dimissis quoque cæteris vetustioribus, suppeditat nobis exempla non pauca historia recens, ex quâ unum alterumve breviter attingendum.

De primo Anabaptistarum Parente Nicolao Pelargo, ita Meshovius historiæ Anabaptistarum lib. 1. num. 4. " Sicubi hospitium subibat, mitam in vultu gravitatem, morumque candorem præse ferebat, & sapiens videri, & specialis Dei amicus venerari cupiebat. Undè si qui ipsum convenirent, & salutatum alloquerentur, raptus quasi, & mente in Cœlo defixus hærebat, neminem se conspicari simulans, quousque sibi consultum videbatur; ac tum demùm ex alto velut somno & extasi ad se reversus, fortuitò respectabat, & ad se in colloquium præsentes admittebat; quo dolo plurimos circumvênit, Divinorum visionibus intentum arbitratos: „ Veluti cùm *Sancyranus sua Dogmata legeret in ipso Deo, qui est veritas æterna.*

Prosequitur Meshovius lib. 2. Num. 19. dequodam Melchiore Rinck Pelargi illius & Munceri discipulo." Homo erat, si quisquam alius, fraudulentus sanè, & in promovendâ hæresi singulari quodam præ aliis astu præditus... vitæ fuit asperioris & rigidæ [si corticem attendas] mores ipsi suaves & civiles, in conversatione comis ac affabilis.... Sermo ipsi de Deo, de visione beatificâ, de retiuctorum præmiis frequens.

„ Meditationi (seu potiùs contemplationi) deditissimus fuit, quam omnibus in „ toto

„ toto mundo deliciis præferre consueverat.
„ Enthusiasmos & extases frequenter passus,
„ totus cum Patre (luminum) ut vocant,
„ dies sermonibus terebat. Hinc alterum
„ Moysen eum nonnulli vocabant. „

Locum hunc de Illuminatis istiusmodi mysticis terminet animadversio Francisci Simonis Tractatu *De Fraudibus hæreticorum* Parte 1. Fraude 7." *Peregrino Spiritu*, ut Epi-
„ phanius vocat, *agitatas pecudes* deteste-
„ mur: non imponant nobis illi *perfecti &*
„ *spiritales*, illa *Electionis semina*, ut ipsi se
„ appellant: non aguntur Divino Spiritu...
„ De Spiritu Sancto ejusque motione ta-
„ ceat, quisquis est contumax adversus De-
„ creta Ecclesiæ Catholicæ, ejusque Recto-
„ ris supremi, quem Spiritus Sanctus regit.
„ Augustinus ait Epist.50. in fine. *Non ha-*
„ *bent Spiritum Sanctum, qui sunt extra Ec-*
„ *clesiam: de illis quippè scriptum est, qui se*
„ *ipsos segregant animales, spiritum non ha-*
„ *bentes; sed nec ille eum percipit, qui fictus*
„ *est in Ecclesiâ, quoniam deinde scriptum est:*
„ *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fi-*
„ *ctum. Qui ergo vult habere Spiritum San-*
„ *ctum, caveat foris ab Ecclesiâ remanere,*
„ *caveat in eam simulatè intrare: aut si jam*
„ *talis intravit, caveat in eâdem simulatione*
„ *persistere, ut veraciter coalescat arbori vi-*
„ *tæ*,

Denique licèt in Jansenio sacrilega non deprehendatur temeritas, quâ Molinos viris sanctissimis facta attribuit adeò turpia, ut ne nominari quidem decuerit, præsertim sexui infirmiori, quem præcipuè susceperat in via Quietistica dirigendum; non minùs tamen Jansenii hypothesis nefarios quosque actus in lapsis post Adamum peccatoribus excusat, imò nocentior in hoc Jansenii institutio est, quòd non aliquibus solùm; sed universis adimat criminibus libertatem; excusatio autem Molinosii tantùm subsidio sit Sanctis, ad quos in humilitate & patientia exercendos permittere Deus dicitur, ut ea vis illis minimè consentientibus à diabolo inferatur.

In hoc etiam Jansenii sententia magìs impia est, quàm Molinosii; quòd prior cum necessitate criminum simul componat demeritum, & inferenda apud inferos supplicia, quæ hæresis in tertio Jansenii Articulo justissimè condemnata est, utpote sanctitatem Dei destruens & justitiam in puniendo; Molinosius autem in eo æquior est, quòd, quibus libertatem eripit criminibus, non deberi judicet cruciatus. Neque abstergitur macula à Jansenii systemate dicendo, quòd juxta hoc violentia non inferatur; sed simplex tantummodo necessitas à majore æstu concupiscentiæ, atque hinc progenita delectatione; sic, inquam, hæresios macula non abstergitur à dogmate Jansenii; quia absente etiam violentiâ & coatione, quæ est vis illata ab extrinseco, nihil conferente passo, sola, quæ dicitur necessitas simplex, ut observat Angelicus, universâ suffragante Ecclesiâ, ipsoque dictante lumine rationis, sufficit ad destruendum omne meritum & demeritum, præmium & pœnam, laudem ac vituperium. Idem fuisse judicium Sanctorum Patrum, in primis Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, ejusque discipulorum Prosperi, Gregorii Magni, Bernardi, sæpe aliàs demonstratum est.

Sinamus igitur inposterum Quesnelli asseclas cum suo Duce gloriari, quasi Jansenius ad suas tandem partes *orbem* pertraxerit *Catolicum, adeò ut jam demum credere cœperit, nihil in ejus sensu* (prout in famoso ejusdem voluminе exprimitur) *non esse Catholicum*. Si hanc obstinatus sententiam ad Divinum deferre moriens voluerit judicium, delicti hujus veniam non magis illi sperare audeo, quàm multiplicis adversus Ecclesiam, temeritatis & hæreseos approbationem.

CAPUT XXI.

Finis imponitur Parallelo.

Quietismi Propositio 54. *Spirituales vitæ ordinariæ in horâ mortis se delusos invenient & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis*,

Rationem pridem reddidit Sancyranus, quam ex ejus discipulis discere Molinosius potuit. Sic enim de iis Illustrissimus Abra de Raconis Vabrensium Episcopus in *Defensione Fidei* contra Jansenianos Parte 2. pag.20. de Sancyrano loquitur." Nunquam Discipulos
„ initiandos suscipiebat, ut ex ipsorum te-
„ stimonio cognovi, quin inciperet à depres-
„ sione, reprehensione, & contemptu Do-
„ ctrinæ communis, ingeminando oculis clau-
„ sis, retorto capite, elatâ manu, gestu
„ severo & quodammodo repellente. *Igno-*
„ *rantia, tenebræ, errores stupendi, cæcitas*
„ *ubique*. „ Et quidem in Sacerdotibus, Theologis, & Directoribus animarum.

Quid itaque miri si populus longè adeò à Christianis moribus & virtutum semitâ communiter aberret? Hæc contra Sancyranum accusatio invictissimè confirmatur pluribus jurejurando datis testimoniis, quæ attuli suprà, &, ne Lector perquisitionis molestiâ fatigetur, aliqua brevissimè repeto.

Alexander Colas Dominus de Pormorant

rant Sacerdos & Abbas Commendatarius manu pectori admotâ, & per Sacros Ordines jurans declaravit, se " coram audivisse „ Abbatem Sancyranum debacchantem adversùs praxim Religiosorum & omnium „ hominum spiritualium istius temporis. *Minimè intelligunt Evangelium, & Semitas Jesu Christi*, inquiebat Sancyranus, addens: *Ego Evangelium verè possideo, & perfectam Scriptorum à Sancto Paulo intelligentiam*.

„ Tum deplorabat conditionem hominum, „ significans omnes errare in tenebris, & semitas terere à veritate remotissimas. Eadem asserebat ex Sancyrani Nepotibus natu major. „

Joannes Jovaud Cisterciensis Abbas & Secretarius, jurejurando pariter testatur Sancyranum sibi asseruisse sequentia: " Præsens „ Congregatio Pontificis, Prælatorum, Pastorum, Doctorum, Religiosorum & populi, quos videmus vivere sub iisdem legibus, non alio sensu dici potest Ecclesia, quàm quod in locum veræ Ecclesiæ successerit, quemadmodum aqua cœnosa & fœtida eundem alveum occupans, quem olim aqua viva, limpida & salubris, ejusdem fluminis nomine appellatur.

„ Neque hæc Ecclesiæ corruptio solùm in „ moribus est; sed in pluribus etiam Dogmatibus: Perpauci sunt qui Ecclesiæ filii dici mereantur. Si me audire & sequi constituis, evidenter tibi ex doctrinâ Patrum & Conciliorum demonstrabo, usque ad quæ sæcula duraverit vera Ecclesia, quo tempore destrui cœpta sit.

„ Tempus ædificandi, tempus destruendi: „ Deus ipse Ecclesiam dissolvit: tempus ædificandi transiit. „

Verbis Quesnellus utitur aliquanto mitioribus, sed ad eandem non obscurè conducentibus significationem. Art. 95. *Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum Fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos*. Juxta explicationem Apostoli, quod senescit, prope interitum est.

Quod autem Ecclesiæ & saluti animarum præcipuè luctuosum accidit judicio Quesnelli, est quod altiore consilio *permittat* Deus, ut in tanta morum & dogmatum corruptione, in tantâ veritates prædicantium paucitate *omnes Potestates* tam Ecclesiasticæ, quàm seculares, *sint veritatis Prædicatoribus contrariæ*.

Omnibus igitur Potestatibus imputandum est, nec levi vertendum culpæ, quod *vita ordinaria* non abrogetur cum Magistris suis & Sectatoribus Mysticis, sive, ut Propositio ait, *spiritualibus*, qui omnes *se in horâ mortis delusos invenient & confusos*.

Ab hac scilicet liberi calamitate erunt omnes & soli, à Sancyrano, Quesnello, atque Molinosio in vitâ extraordinariâ instituti; si hæc tam vera & sancta, fuerit quàm nova, exotica, & communi Ecclesiæ praxi ac judicio reprobata.

Quietismi Propositio 55. " Per hanc viam „ internam pervenitur, etsi multâ sufferentiâ, „ ad purgandas, & extinguendas omnes passiones; ita quòd nihil ampliùs sentitur, „ nihil, nihil, nec ulla sentitur inquietudo, „ sicut corpus mortuum: nec anima se amplius commoveri sinit.

Quietismi Propositio 56. " Duæ leges & „ duæ cupiditates, animæ una, & amoris „ proprii altera tamdiu perdurant, quamdiu „ perdurat amor proprius: unde quando hic „ purgatus est, & mortuus, quod fit per viam „ internam, non adsunt ampliùs duæ leges, „ nec duæ cupiditates, nec ulteriùs lapsus „ aliquis incurritur: nec aliquid sentitur ampliùs, ne quidem veniale peccatum. „

Quietismi Propositio 57. " Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum „ non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia, nec venialia. „

Quietismi Propositio 58. " Ad hujusmodi „ statum pervenitur non reflectendo ampliùs „ ad proprias operationes; quia defectus à „ reflexione oriuntur. „

Quietismi Propositio 59. " via interna „ sejuncta est à Confessione, à Confessariis, „ & à casibus conscientiæ, à Theologiâ, & „ Philosophiâ.

Quietismi Propositio 60. " Animabus „ provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit „ impossibilem, & supplet ipse tantâ gratiâ „ præservante, quantam in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non „ est bonum in tali casu ad Sacramentum „ Pœnitentiæ accedere; quia id est illis impossibile. „

Quietismi Propositio 61. " Anima, cùm „ ad mortem mysticam pervenit, non potest „ ampliùs aliud velle, quàm quòd Deus „ vult; quia non habet ampliùs voluntatem, „ & Deus illi eam abstulit. „

Quietismi Propositio 62. " Per viam internam pervenitur ad continuum statum „ immobilem in pace imperturbabili. „

Quie-

Quietismi Prop.63." Per viam internam
„ pervenitur etiam ad mortem sensuum, quin
„ imo signum quod quis in statu nihilita-
„ tis maneat, id est mortis mysticæ, est, si sen-
„ sus exteriores non repræsentent ampliùs res
„ sensibiles, ac si non essent; quia non perve-
„ niunt ad faciendum quod intellectus se ad
„ eas applicet. „

Sanctitatem adeò mirabilem, tot inauditis antea prærogativis, & effectibus excellentem, exhibet nobis *via interna* Molinosii. Eadem compendio traditur Quesnelli Articulo 43. sic enuntiante: *Primus effectus gratiæ batismalis est, facere ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*.

Paulus Apostolus vas electionis, & in tertium Cœlum elevatus, dum mortalis viveret, procul abfuit à tali interiore pace, & morte quodammodo passionum. Amara ejus de tentationibus importunis querela legitur Epistolâ ad Romanos cap.7. *Scimus enim, quia Lex Spiritualis est; Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato; quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio: consentio legi; quoniam bona est; nunc autem jam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in carne meâ bonum: nam velle adjacet mihi; perficere autem non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.*

Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud; sed quod habitat: in me peccatum.... Condelector enim Legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam Legem in membris meis. Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Epist.2. ad Corinthios cap.12. *Ne magnitudo revelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me* &c.

Denique ne in luctâ succumberet 1.Cor. cap.11. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Cùm hæc scriberet Apostolus, Baptismalem gratiam pridem acceperat, neque eam ullo postea peccato lethifero amisit.

Imò quomodò amittere potuit, supposito, quem modò retuli, Quesnelli Articulo, & axiomate Jansenii lib.4. de gratiâ Christi cap.7. *Voluntas sine delectatione velle aut moveri nullo pacto potest: Quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet.*

Si enim juxta Quesnelli sententiam, *primus effectus gratiæ Baptismalis est, facere ut moriamur peccato adeò, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*; Quomodo antequam gratia Baptismalis amissa fuerit, induci homo poterit ad peccatum, cui consentire nequeat *ullo pacto sine delectatione*, eâque præviâ ut Jansenius exponit? Itaque donatus gratiâ Baptismali ne leviter quidem imposterum delinquere poterit; nam etiam ad peccatum veniale requiritur consensus, & ad hunc prævia delectatio juxta Arnaldi, Quesnelli, & totius novæ Ecclesiæ Iprense Oraculum. Postquam enim lib.4. de gratiâ Christi cap.1. dixerat, *Medicinale Christi adjutorium esse cœlestem suavitatem, seu delectationem*, Cap.11. ait, *Delectationem istam cœlestem esse actum vitalem, & indeliberatum animæ, & quidem amoris ac desiderii præcedentis consensum*. Denique mentem suam ita Paucis complectitur. *Dicimus igitur delectationem istam, seu suavitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est; partim etiam Secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur*. Quod autem hic Jansenius de gratiæ delectatione pronuntiat ad actus bonos, idem intelligit de concupiscentiæ delectatione ad actiones pravas, &, sicut gratiam, quam medicinale Christi adjutorium vocat, in cœlesti suavitate ac delectatione indeliberatâ constituit; ita motus concupiscentiæ indeliberatos, appellat *adjutorium noxiæ suavitatis, adjutorium Diaboli*, etiam *adjutorium quo Diaboli*.

Denique Jansenii sententia est, delectationem & complacentiam indeliberatam, sive in bonis, sive in malis actibus in statu naturæ lapsæ, & liberi arbitrii debilitati, semper esse humano præviam consensui, atque hunc ab illâ fortiùs alliciente, necessariò prædeterminari.

Ex allatis hactenus consequens manifestum est, tum in Jansenii Systemate, tum in Quesnelliano, Baptismi gratiam nunquam amitti. Imò Catholicorum omnium judicio sola ad hoc sufficit Doctrina Jansenii, quæ est lib.3. de gratiâ Christi cap.26. ubi postquam definiverat ex Augustini libro de duabus animabus cap.11. *Peccatum est motus* (contra legem) *unde liberum est abstinere*, statim subjungit: *Quam definitionem sæpè protestatur* (Augustinus Batavus) *nulli peccato, nisi solius primi hominis convenire.*

Protestationem hanc necesse est, penes omnes Catholicos sonare pessimè, neque apparet, quâ ratione valeat à Censura hæresios

liberari; præcipuè post Apostolicæ Sedis in quinque Jansenii Propositiones anathema. Deficiente scilicet in malis actibus libertate, deficere etiam demeritum, Orthodoxus hodiè nemo inficiabitur; ideòque nihil erit, quod acceptam in Baptismate Sanctitatem unquam auferat. Omnis igitur Baptizatus in infantiâ, ut nullum unquam contrahet reatum peccati, non erit, cur Sacramenti gratiâ vel hujus effectibus spolietur.

Non hìc mihi propositum est, Quesnelli dogma impetere. Istud enim abundè præstiti loco proprio; Quod autem huc pertinet modò, solum est ostendere ejusdem effati cum relatis novem Quietismi Propositionibus concentum.

Istum, nisi fallar, quicunque lector, saltem mediocriter Theologus, jam inde perceperit, conferendo Articulos Molinosii singulos cum hoc unico Quesnelliano tribuentre *gratiæ Baptismali*, quidquid de *viâ internâ* à Molinosio in relatis jam dogmatibus prædicatur. Quod posterius addit de Confessionis impossibilitate, legitimum est in Quesnellianâ hypothesi, profluens ex peccandi impossibilitate consectarium.

Quietismi Propositio 64. " Theologus
„ minorem dispositionem habet, quàm homo
„ rudis ad statum contemplativi; primò quia
„ non habet fidem adeò puram: Secundò
„ quia non est adeò humilis: Tertiò quia non
„ adeò curat propriam salutem: Quartò quia
„ caput habet refertum phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus:
„ & non potest in illum ingredi verum lumen. „

Ideò quoque Saneyranus, ut veram de Deo & rebus Divinis scientiam Discipulis instillare posset, *Adducito mihi* (inquiebat) *juvenes qui sint instar tabulæ rasæ, nullis imbuti aliundè sententiis, omni ratiocinio seposito, aures mihi tantùm faciles præbeant, & subiiciant intellectum; in me recipio, fore ut sex mensium spatio, omnes ad supremum Thologiæ apicem provehàm*: Ita Jurejurando testatus est Joannes Jovaud Cistercienfium Abbas & Secretarius, se ex ejus ore sæpiùs accepisse.

Præterea Saneyranus, ut ajebat ipse, & sæpe, juxta idem Testimonium repetiit, non sectabatur *Theologiam à S. Thoma humanis ratiocintis, & Aristotelicis principiis depravatam*; sed quæ optima contemplatio est, *absque ullo librorum subsidio legebat sua dogmata in ipso Deo, qui est veritas æterna*: Quis porrò istiusmodi lectionis mirificæ seu contemplationis fructus extitit? *In omnibus sequebatur ductum interiorum illuminationum, inspirationum, Documentorum, quæ sibi idem à Deo suggeri sentiebat.*

Quietismi Propositio 65. " Præpositis
„ obediendum est in exteriore, & latitudo
„ voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore verò
„ aliter res se habet, quo solus Deus & di-
„ rector intrant. „

Quesnellus conspiciens detrimentum minimè leve suis oriri commilitonibus, eo quòd recusarent subscribere formulæ juramenti ab Alexandro VII. constituti contra hæresim Jansenii, ideòque excluderentur à Sacris Ordinibus, Beneficiis, & Officiis; huic malo censuit, quacunque meditatâ studiosissimè fallaciâ, occurrendum, Ratus autem fuit, non posse tempus expectari opportunius, quàm quod Walonius sub larvâ Catholici, in Urbe Agens Generalis Jansenistarum, nuntiaverat tunc eluxisse; Innocentio scilicet XII. *Pontifice Ecclesiam*, tunc ut mentiebatur ille, *miserrimè gubernante, nihil intelligente præsentium controversiarum & aliundè rebus contra Molinismum in Sancto Officio optimè dispositis*,

Hinc Ægidius de Witte, veluti destructis omnibus anteriorum Pontificum contra Jansenium definitionibus, triumphum edidit hoc titulo, *Panegyris Janseniana*, ipso suos titulo commonefaciens, advenisse *tempus loquendi*.

Ægidium biennio prævenerat Quesnellus protruso in lucem dolosissimo opere quod vocare ipsi placuit *Defensionem Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum*, quâ nulla esset potuit ab initio ad finem usque perniciosior Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ impugnatio.

Unicus Operis scopus erat, persuadere suis, posse eos imposterum ad obediendum Ecclesiæ Præpositis, subscribere juramenti Formulæ Alexandrinæ, etsi minimè crederent, quidpiam fuisse à Jansenio, in volumine de gratia erratum.

In suo Quesnellus opere pag. 487. & aliquot sequentibus refert Epistolam Arnaldi ad suum Fratrem Episcopum Andegavensem, quâ rationem reddit, cur noluerit hactenùs subscribere formulæ contra Jansenium, ut Episcopi exigebant: *Quo minùs*, inquit Arnaldus, *assentire me profitear, gravissima difficultas impedit, quod nefas omnino existimo, profiteri me credere, quod non credo. Neque enim in illorum sensum unquam adduci potui, qui subscriptiones illas, quas pauci quidam è nostratibus Episcopis exigere tentarunt, quasi meras ceremonias spectant, quibus necesse non sit congruere interiorem mentis assensum: atque adeò hac persuasione*

im-

imbuti, licèt quinque Propositiones in Jansenio extare non credant, tamen id subscriptione suâ confirmare nihil verentur.

Notum est, magnam Eruditorum partem, à quibus ejusmodi subscriptiones extortæ fuêre, hoc animo, quod postulabatur, præstitisse. Non ignoras, Præsul Illustrissime, res a me totâ Galliâ pervulgatas narrari: Ita Arnaldus.

Ex omnibus autem, quos memorat, *Eruditis*, neminem reperias Anti-Jansenianum; nam neque Arnaldi, neque Quesnelli suffragio ullus horum temporum Theologus, numero *Eruditorum* adscribitur, nisi qui novitatum pulvere conspersus sit: neque ullus probè Catholicus se judicio Sedis Apostolicæ circa Jansenium submitrere detrectabit. *Eruditi* itaque illi omnes Præpositis Ecclesiæ interiùs rebelles, exteriùs submissi (quod perfidorum proprie hypocritarum est) non alii sunt, quàm Augustini Batavi sectatores.

Gabriel Gerberon *in Reflexionibus Religionis & Status*, contra Juramentum, quod juxta Formulam Alexandri VII. exigere decreverat Archiepiscopus Mechliniensis Humbertus à promovendis ad Sacros Ordines, Administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, & Prædicationem Evangelii, pag. 21. " Quid „ utilitatis (inquit) habet illa formula ad di„ gnoscendos suspectorum sensus, & decla„ randos hæreticos, si doctrina ipsorum in „ quinque Propositionibus fuerit condemna„ ta? subscribant formulæ, non subscribant: „ Semper Theologi isti, qui Jansenistarum „ nomine intelliguntur, eadem dogmata „ sustinebunt, neque subscriptio efficiet, ut „ alii appareant, quam apparuerint hacte„ nus, neque ut sententias & fidem mutent. „ Ideo nihil inutilius est istiusmodi Formulæ „ subscriptione: „Quia præstita illa Ecclesiæ Præpositis obedientia in exteriore hærens cortice, nihil operatur in animo.

Religio hæc Jansenistarum est in juramentis. Nescio quid expectari ab eis melius valeat in votis, & nominatim obedientiæ. Claudius Seguenotius ejusdem cum Quesnello Congregationis Presbyter, Sancyrano conjunctissimus, & eodem, quo ipse anno carceri mancipatus, lib. *de Virginitate* docuetat. *Vota nihil addere perfectionis, tantùm esse imperfectorum & sæpè impedimenta aliò vocantis Dei: abusivè vocari consecrationes: obedientiam non esse opus consilii, paupertatem voluntariam ex voto, excludi à paupertate Evangelicâ.*

Constat vota debere esse de meliori; si autem nihil penitus addunt perfectionis, tantùm sint imperfectorum, & sæpè impedimenta aliò vocantis Dei, quæ species ea placentium Deo votorum est? Obedientiam hactenus numeraverat Ecclesia inter opera consilii & quidem Evangelici; si autem nova reformatio obedientiam ne inter opera quidem consilii patiatur; non videbitur esse de meliori, proinde neque religiosi voti materia.

Minùs itaque absona apparet Molinosii hìc sententia, quàm Seguenotii; quia prior obedientiæ votum agnoscit & obligans saltem in exteriori, posterior autem ipsam Religiosi voti destruit quodammodò essentiam. Quesnellus, ut videre cœpimus, & deducetur ampliùs postea, suos docet ludere in juramento, atque illud exigentibus illudere Præpositis Ecclesiæ.

Quietismi Propositio 66." Risu digna est „ nova quædam doctrina in Ecclesiâ Dei, „ quod anima quoad internum gubernari de„ beat ab Episcopo: quod si Episcopus non „ sit capax, anima ipsum cum suo directore „ adeat. Novam dico doctrinam; quia nec „ Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Cano„ nes, nec Bullæ, nec Sancti, nec Autho„ res eam unquam tradiderunt; nec tradere „ possunt; quia Ecclesia non judicat de oc„ cultis, & anima jus habet eligendi quem„ cunque sibi benè visum.„

Quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, approbare minimè potuit Sancyranus, quandoquidem ex memorato sæpiùs eoque jurato testimonio Joannis de Jovaud Abbatis Religiosi & Secretarii Cistereiensis accepimus Novatorem istum asseruisse, quòd præsens Congregatio Pontificis, Prælatorum, Pastorum, Doctorum, „ Religiosorum & populi, quos videmus vi„ vere sub iisdem legibus, non alio sensu dici „ possit Ecclesia, quàm quod in locum veræ „ Ecclesiæ successerit... Quòd hæc Ecclesiæ „ corruptio non solùm in moribus sit; sed in „ pluribus etiam dogmatibus; quod perpau„ ci sint, qui Ecclesiæ filii dici mereantur: „ Quod Episcopi, Ecclesiastici, Religiosi „ plerique Spiritu Christianismi destituti „ sint.„

In tantâ morum & dogmatum corruptione, quæ cum Episcopis reliquam invasit, imò pessumdedit Ecclesiam, si Jansenianis creditur, quomodo præcipi prudenter potuit, ut suis singuli Episcopis se traderent, quoad cordium intima gubernandos?

Relatum de Sancyrani novitatibus testimonium confirmatur alio Alexandri Colas Presbyteri Nobilis, Domini de Pormorant, qui manu pectori admotâ, per Sacros Ordines jurans ait, se " coram audivisse Abbatem San„ cyranum debacchantem adversùs praxim

„ Religiosorum, & omnium hominum Spi-
„ ritualium. Minimè (inquiebat Sancyra-
„ nus) intelligunt Evangelium Jesu Christi.
„ Omnes(etiam Episcopi)errant in tenebris &
„ semitas terunt à viâ veritatis remotissimas.
„ Eadem asserebat ex Sancyrani Nepoti-
„ bus natu major.„

Plura sunt istiusmodi de Sancyrano testimonia. Non itaque minus uterque ille, quàm Molinosius, alienus erat à doctrinâ, & praxi, quod *anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo*: à quo igitur? Num ab inferioribus Ecclesiasticis aut Religiosis? Minimè; nisi eodem, quo Sancyranus, fuerint imbuti spiritu.

" Ego enim (inquiebat) Evangelium verè
„ possideo, & perfectam scriptorum à S.Pau-
„ lo intelligentiam. Quæ enuntio dogmata,
„ non ex libris didici; sed legi in ipso Deo,
„ qui est veritas æterna. In omnibus sequor
„ ductum interiorum illuminationum, inspi-
„ rationum, documentorum, quæ mihi iden-
„ tidem à Deo suggeri sentio. Tanta autem
„ mihi est discernendarum animarum præro-
„ gativa, ut, quas semel observavi, digno-
„ scam electæne à Deo sint, an reprobatæ.

Non minùs, quàm Molinosius in damnatâ Propositione, alienus erat Sancyranus, ab hoc consilio: *Si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat*. Sic enim de illo Lingonensis Episcopus, qui antequam eum satis nosceret, directorem constituerat Monasterii *à Sanctissimo Sacramento*:" Ubi
„ in hoc Monasterio stabilitus est, Monia-
„ lium sibi captabat intellectum; præsertim
„ Mariæ Angelicæ, quæ cæteris præerat.
„ Præcipiebat ei ut suas cogitationes, quas
„ ei paudebat, nemini indicaret: me in pri-
„ mis celaret modum, quo in ejus directione
„ utebatur; quamvis nulla penès Sancyra-
„ num, omnis penes me in Monasterium
„ istud esset potestas juxta Bullam, quâ pri-
„ mum Moniales illic sedem figere passæ sunt.„

Non ita pridem Mechliniensis Archiepiscopus Humbertus conspicatus fuerat Monasterium Virginum corrumpi à Directore extraneo, eoque Arnaldicæ factioni devotissimo, quem Archiepiscopi Prædecessor à suis deceptus Consultoribus designaverat Monialibus istis Confessarium: Illustrissimus itaque Successor detecto periculo, ne cæpta illic novitatum pernicies latiùs serperet, amovit Confessarium, substituto altero de cujus integritate & prudentiâ poterat esse securus.

Erat is Archipresbyter vir pius & mitis, atque ad directionem Monialium omni ex parte optimè comparatus: duæ nihilominus refractariæ restitere eâ pertinaciâ Archiepiscopo, ut maluerint biennio absque omni vivere perceptione Sacramenti, quàm se submittere mutationi.

Offerebat eis clementissimus Antistes, ut si fortèan aversionis quidpiam haberent à Confessario novo, alium ipsæ sibi eligerent ex Religiosis omnibus quorum plurimos Civitas amplissima complectitur. Duos solum Archiepiscopus excipiebat de novitatibus non leviter suspectos. Nos autem (respondebant Virgines fatuæ) nullum admittere volumus, nisi Confessarium pristinum, vel alterutrum saltem ex duobus illis Augustini Discipulis, qui ab Archiepiscopo prohibentur.

Denique prospicientes, talem sibi Confessarium nunquam ab Archipræsule concedendum, initis cum Factione consiliis, declaravere contentas se fore eodem, quo cæteræ utebantur Sacramenti Pœnitentiæ Administro, modò sibi permitteretur, quod denegatum fuerat, conversationis cum exauthorato solatium.

Ut postulato Antistes annueret movebant potiùs supplices reliquarum Monialium preces & lachrymæ, quàm prætensa rebellium utilitas, à quibus vix alia expectanda fuerit Confessio quàm Sacrilega. Qualis enim ad Absolutionem dispositio est in animo pertinaci, & certo non cedere, non obedire Antistiti, non Ecclesiæ, Confessionem & Communionem annuam præcipienti: nisi obtentâ priùs conditione iniquissima, ipsisque futurâ postulantibus exitiali.

Ita suas tunc discipulas, & quidem Sanctimoniales instituebant *Familiæ Sanctæ* Doctores Ascetici, inter quos non infimo loco erat hic director, in toto famosus novo *Ordine*. Nonne istud est jus quodammodo prætendere *Directores sibi placitos*, etiam invito Antistite, *eligendi*? Quod enim refractariæ illæ voluere sibi solatium conversationis, quivis satis intelligit, exauthoratum illum functurum ut antea, directoris fine nomine officio.

Nam quod Monialibus istis animæ suæ statum, etiam peccata detegentibus absolutionis beneficium impertire imposterum nequeat, parum interest; siquidem juxta Sancyrani hypothesim *Absolutio* Sacerdotalis quæ peccata confitentibus datur, *aliud non est, quàm declaratio remissionis, quam præcedens perfecta contritio impetravit*.

Imò juxta Quesnellum *Prima gratia quam Deus concedit Peccatori est peccatorum remissio*. Hic inter damnatos ejus Articulos est vigesimus octavus, aliis ab eodem authore pluribus confirmatus, qui ut cum Sancyrani dogmate concilietur, necesse fuerit primam gratiam asserere ipsam Contritionem perfectam.

Quod

Quod Absolutio sit mera declartio remissorum antea delictorum juxta traditam à Sancyrano doctrinam, jurejurando testatissimum habetur à pluribus in juridicâ, quæ jussu Ludovici XIII. factâ, hodiedum legitur informatione.

Præterea rebellio contra Episcopum, ipsumque Pontificem Maximum, quæ ex consilio directoris istiusmodi fit, virtuti poriùs in novâ Ecclesiâ tribuitur quàm vitio.

Adde quod peccata illic venialia materiam absolutioni non constituant sufficientem, neque utiliter passim juxta istiusmodi, talis confessio toleretur.

Denique cùm juxta librum Arnaldi de *frequenti Communione*; partim à Sancyrano compositum, fuerit olim in Ecclesiâ unicum genus Pœnitentiæ, idque ceremoniale, seu publicum, in quo non nisi peccata mortalia quædam graviora, eaque publica exponebantur, nulla premit animi anxietas mulieres, talibus credulas Doctoribus quando denegato sibi, quem unicè voluerant, directore, ab omni abstinent Confessione, absolutionem interim expectantes à solo Deo, primæ sine dubio gratiæ annectendam, quin potiùs *prima gratia, quæ peccatori conceditur est ipsa peccatorum remissio*.

Quod autem rebellibus in Monasterio, & nolentibus confiteri, non permittatur Communio Eucharistica, si ab infamiâ præcisio fiat, parum illas solicitas tenet, docente Sancyrano, quòd *invocatio nominis Jesu æquè efficax sit ac Eucharistiæ Sacramentum*.

Is erat sensus Epistolæ, quam Sancyranus dederat ad Monasterii superiorem, quæ, horâ relaxationi destinatâ, eam cæteris prælegit Monialibus, inter quas erat Maria Aquaviva Ducis d'Atri Filia, quæ jussu Regis interrogata, juridicum de hoc testimonium tulit die 19. Junii 1638.

Plura postmodum in Portu-Regio, antequam avectis inde Monialibus, funditus destrueretur; reperta sunt documenta, à Novatoribus data, quibus se Virgines illæ fatuæ consolarentur facilè, in privatione omnium Sacramentorum, nominatim Eucharistiæ, quasi Divino Corpori nihil homines arctiùs uniat, & Sanctiùs, quàm talis species excommunicationis.

Quietismi Propositio 67. " Dicere, quod
" internum manifestandum est exteriori Tri-
" bunali Præpositorum, & quod peccatum
" sit id non facere, est manifesta deceprio;
" quia Ecclesia non judicat de occultis: &
" propriis animabus præjudicant his dece-
" ptionibus & dissimulationibus. "

Hujus sententiæ fuisse Sancyranum, colligitur ex documentis ejus practicis, teste Lingonensium Episcopo, qui Sancyrano familiariter usus fuerat, adeò ut subditis sibi Monialibus *à Sanctissimo Sacramento* eum præfecerit directorem.

Antistes ille anno 1638. 10. Julii authoritate Regiâ interrogatus, adiit postridiè Supremum Galliæ Cancellarium, eique tradidit declarationem, quam ante menses aliquot à se scriptam miserat ad Illustrissimum Dominum de Harlay Maclovienses Episcopum.

In ea sic referebatur: " Sancyranus in
" hoc Monasterio (cui nomen à *Sanctissimo*
" *Sacramento*) stabilitus... Mariæ Angelicæ
" Monasterii ejusdem Superiori vetuit, ne
" suas, quas ei pandebat, cogitationes, ali-
" cui indicaret, mihi in primis reticeret mo-
" dum, quo in ejus directione utebatur;
" quamvis nulla penes Sancyranum, omnis
" penes me esset in Monasterium potestas.

" Ex Sancyrani instructione Moniales rarò
" confitebantur, rariùs communicabant; adeò
" ut Maria Angelica Arnauld, licèt superior,
" semel quinque mensibus à communione
" abstinuerit; semel etiam festo Paschatis.
" Quorum omnium nullum mihi faciebat in-
" dicium, prohibente Sancyrano...

" Crevit in illo adversus me odium, dum
" scivit, occulta sua Mysteria à me revela-
" ri. Mysteria voco arcanas sententias in dog-
" maticis.

Franciscus de Caulet Sacerdos & Abbas Commendatarius Fuxensis, qui postea fuit Appamiensis Episcopus, jurejurando testatus est de Sancyrano, cujus institutioni ab amico temere commissus fuerat, quòd ubi dogmatis quidpiam proposuisset, quo offendi animadverteret Candidatum, mox eundem adstringeret silentio; *Cave*, inquiebar, *ne id ulli dixeris, aut à me prolatum fuisse, pernegabo*.

Post varia concludit testis; " Suspecta
" mihi fuit tam studiosa silen[illegible]inculcatio ad
" pleraque quæ proferebat dogmata; quæ
" dicebat se negaturum omnia, si à me cul-
" quam proderentur.

" Ibid. Hoc præterea mihi exploratum est,
" eos omnes, qui Sancyrani directioni se
" subjecerant, eò redactos ab illo fuisse, ut
" cum ipso solo agerent, à quo tam arcto &
" cæco imperio constringuntur, ut utrum-
" que illis ad indagandam veritatem, eam-
" que à mendacio discernendam medium,
" necessarium; ratio scilicet & authoritas, eri-
" piatur. Jubentur enim ab omni abstinere
" ratiocinio, quo dogmatum novitas discu-
" teretur, & arcentur ab aliorum hominum
" consortio. " De-

„ Denique perfuadet Sacyranus omnes „ homines [etiam Epifcopos] falli, ideòque „ meritò à fe prohiberi, ne ullum præter fe „ folum confulant. Hæc ita fe habere, patet „ ex iis omnibus, quibus arcta fuit cum San- „ cyrano neceffitudo: afpectum omnem fu- „ giunt nec fe ab aliis videri patiuntur. „

Citatus fæpiùs Joannes Joüaud Cifterciensfium Abbas & Secretarius relatis novitatibus quas à Sancyrano non femel fibi traditas acceperat, fubjungit. " In his omnibus „ congreffibus vehementer commendabat ut „ fententias à fe traditas nulli proderem, al- „ legans illud ex Sacris Paginis, *occultè propter metum Judæorum*. „

„ Quocirca referebat hiftoriam, fe inter „ & alium Ecclefiafticum peractam. *Verebar*, inquit, *ne quæ ipfi communicaveram* „ *principia, denuntiaret Epifcopo Pictavienfi,* „ *aut alteri: quod ut impedirem, ftatim hominem rogavi, ut Confeffionem meam Sacramentalem exciperet. Ille primùm hæfit* „ *attonitus ex tam fubitâ, & inexpectatâ poftulatione: aures tamen confitenti mox præbuit, confitebar autem deliquiffe me, talia* „ *ei dogmata inculcando, rogabamque, ut ab* „ *hoc delicto me abfolveret. Sic hominem ad* „ *arcanum obligavi, quod aliàs fervare non* „ *potuiffet*.

„ Hæc Sancyranus narrans, adeò effundebatur in rifum, ut nunquam eum tantâ diffolutione ridentem confpexerim. Neque „ rifum continebat Dominus Barcos ejus „ Nepos. „ Intereft Magiftrorum meditantium in Ecclefiam introducere novitates contra fidem, & praxim, communi ufu & judicio approbatam, non innotefcere ftatim Ecclefiæ Præfidibus, antequàm Secta fua fatis firmata viribus fuerit.

Ideò novos iftiufmodi Doctores ita loquentes inducit Vincentius Lirinenfis Commonitorii cap. 26." Venite infipientes, & mi- „ feri, qui vulgò Catholici vocitamini, & „ difcite fidem veram, quam præter nos nul- „ lus intelligit; quæ multis antè feculis la- „ tuit; nuper verò revelata & oftenfa eft: Sed „ difcite furtim atque fecretim; delectabit „ enim vos. Cùm didiceritis, latenter do- „ cete, ne mundus audiat, ne Ecclefia fciat: „ paucis namque conceffum eft tanti myfte- „ rii capere fecretum. „ Profus illi amant clam docere, quæ habent maximè perniciofa.

Talibus hæreticis Sancti Patres, inprimis Hieronymus in cap. 9. Proverb. Auguftinus Tract. 97. in Joannem, applicant illud quod eft Prov. 9. *Mulier ftulta & clamofa, plenaque illecebris, & nihil omnino fciens, fedit in foribus domus fuæ fuper fellam in excelfo urbis loco, ut vocaret tranfeuntes per viam, & pergentes itinere fuo: fi quis eft parvulus declinet ad me: & vecordi locuta eft: Aquæ furtivæ dulciores funt, & panis abfconditus fuavior*.

Eadem fallacia folicitum tenuit S. Bernardum Serm. 65. in Cantica, " Quid facie- „ mus (inquit) his malignifimis vulpibus, „ ut capi queant, quæ nocere, quàm vincere „ malunt, & ne apparere quidem volunt; „ fed ferpere. Denique indixere latebras fi- „ bi, firmaverunt fibi Sermonem nequam; „ *jura, perjura, fecretum prodere noli*; quod „ inter Prifcillianiftarum Dogmata Augufti- „ nus refert lib. de Hærefibus cap. 70.

Similia de Calviniftis memorat Florimundus Ræmundus lib. 7. cap. 15. " Ante- „ quam difcedant (inquit) omnes jusjuran- „ dum dant, fe Religionis hujus fuæ fecre- „ tum nemini aperturos, veterum hæretico- „ rum exemplo.

Confiderans iftud Francifcus Simonis *de Fraudibus hæreticorum* Parte 1. Fraude 4. ait: " Quoniam verò notior paffim eft fraus „ hæc hæreticorum generatim fpectata, „ quàm ut pluribus fit opus exemplis, aliò me „ conferam, fi adnotavero attis ufum ipfum „ præcipuum, maximèque perniciofum effe „ apud eos hæreticos, qui quoad externos „ ritus, quàm minimo difcrepant à germa- „ nis Catholicæ Ecclefiæ Filiis.

„ Calvino quidem clàm profeminare er- „ rorem non diu licuit, cùm facrificium Miffæ, „ & quidquid eft externorum rituum maxi- „ mè Sacrorum, abolere meditaretur. Quanquam & arte clancularià eft ufus, quoad „ licuit. Sed illis potiffimum hæreticis ars „ hæc eft facilis in multos annos, quorum „ perfidia intra fpeculationem ferè contine- „ tur, & modicâ inflexione Sermonis Ortho- „ doxi exprimitur, ita ut facilè fugiat in- „ cautos. „

Talis eft Janfeniana, feu vergeriana hypocrifis quæ annos ampliùs octoginta, innumeris illufit fimplicibus: neque propinquiffima adhuc apparet ab ea pefte, Ecclefiæ liberatio.

Quietifmi Propof. 68. " in mundo non „ eft facultas, nec Jurifdictio ad præcipien- „ dum, ut manifeftentur Epiftolæ Directoris, „ quoad internum animæ: & ideò opus eft „ animadvertere, quod hoc eft infultus fata- „ næ &c. „

Continetur Eadem doctrina in dogmate latiùs fe extendente quod Maria Aquaviva Ducis Atry Filia, Ordinis Sancti Benedicti juridicè interrogata retulit, fe à quibufdam

(San-

(Sancyrani affeclis) nuperrimè fuisse edoctam; quod *nemo teneatur testari ea, quæ alterius honori nocere possent, vel occasionem præbere ejus condemnationi*. Hac ratione non solùm omnia Sacræ Inquisitionis Tribunalia in materia Fidei; sed etiam Magistratus laici pro puniendis criminibus, examina testium instituentes, destituerentur præcipuo ad veritatem assequendam præsidio. Proinde doctrina istiusmodi non solùm ad occultandas novitates dogmaticas; sed etiam praxes maximè sceleratas aptior est, quàm quæ in Molinosio condemnata. Ad eundem finem dirigitur tam studiosè impositum à Sancyrano omnibus suis discipulis silentii præceptum circa ea, quæ Ecclesiæ dogmatibus contraria instillabat.

Habes hic Catholice Lector, Parallelum, geminas inter Sectas, quibus consilium initio fuit, amico inter se convenire fœdere, ut juvarent invicem operâ & authoritate; forsitan etiam in unam utraque conflueret. Inchoata graviter studia, adspirante nequam spiritu, non caruere successibus, tanto confluente ad Molinosium undique Fautorum ex utroque sexu, & quidem potentium, multitudine, ut aliquibus Sedis Apostolicæ Ministris vix satis tutum videretur, manus injicere in novæ capita factionis, quæ & obvelabat singularis species sanctitatis, & nimia cingebat patrocinantium turba,

Sed Divinæ placuit Providentiæ, novam Ecclesiæ calamitatem miseranti, permittere Molinosii, eique adhærentium lapsus adeò enormes, & flagitia, ut mox ubi innotuere, non solùm Præceptoribus iniquitatis omnem abstulerint authoritatem; sed ipsa in suspicionem adduxerint dogmata, quæ cum Authore præcipuo, ad supremum delata Ecclesiæ Tribunal, talem inde retulere sententiam, quæ omnes percutit Sectatores adeò, ut & lui eos Quietistici deinceps nominis puduerit, & Fundatoris.

Puduit vel maximè novos quosdam Augustini discipulos, præstiti eis patrocinii: neque magna Ecclesiæ novæ commendatio est, fœdus iniisse, arctamque contraxisse necessitudinem cum hypocritis tam sordidis, tam sceleratis. At nempe dum facinora tam impia latuere, videbatur Augustini Batavi cultoribus Doctrina Molinosii, quoad Articulos, saltem præcipuos legitima Jansenismi, accepti latiùs, soboles.

Dico *latiùs acceptis* prout scilicet complectitur Dogmata Sancyrani eique adhærentium Novatorum; etiam sororis Arnaldicæ tam mirabilia & perniciosa; quæ se prodidere in *Corona Sanctissimi Sacramenti*.

Sic enitescit semper splendidiùs, quales sint, tanto nobis fastu oppositi *Prædicatores veritatis*, quibus *Potestates omnes*, Judice Quesnello, *sunt contrariæ*, & quidem, *permittente Deo*, ut secutura tandem veritatis Jansenianæ *victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ*.

Propositio damnata nonagesima septima.

Nimis sæpè contigit membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata; sed justus vivit ex fide & non ex opinione hominum. *Observ. Mor. in Act. 4. v. 11.*

CAPUT I.

Propositionis iniquitas & pernicies compendio demonstratur; repulsis frivolis, quæ pro ea allegantur, excusationibus.

Nescio quâ cæcitate, vel nequitiâ, Quesnellus *Protestationem* contra hujus Articuli Censuram ordiatur ab allegatione perfidiæ, quasi Censores textum corruperint, ut sibi fingerent, quod ferirent. Corruptionis ego ne minimum quidem, disquisitione adhibitâ, quantumlibet diligenti, reperio vestigium. Mutilationem arguit, sed quam nemo hactenus mortalium viderit, solus ipse somniat, omnium oculis de aperto mendacio convicendus.

Pag. itaque 319. ait. " Truncando mea
„ verba, conantur Propositionem meam red-
„ dere odiosam: *Nimis sæpè contingit, mem-*
„ *bra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè*
„ *unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari*,
„ *tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel*
„ *tanquam ab eâ separata. Sed justus vivit*
„ *ex fide, & non ex opinione hominum*. Ab-
„ stulerunt illa verba: *Il n'arrive que trop*
„ *souvent* (*Non nisi nimis sæpè contingit*) *ut*
„ *mihi imponerent, quasi dicerem quod etiam*
„ *hodie omnes Sancti in Ecclesiâ tractentur*
„ vo-

„ *velut excommunicati; quod neque mihi in mentem incidit, neque asseritur absque horrore.*

Cui oculi sani sunt in capite sano, videt Quesnelli sententiæ nihil detractum, immutatum in eâ nihil. Verba enim authoris Gallica respondent his Latinis *Non nisi nimis sæpè contingit*. Versio à Denuntiatoribus facta, prout in Constitutione exprimitur, est *nimis sæpe contingit*, Istud autem *nonnisi*, quod velut superfluum, brevitatis causâ omittitur, nihil superadderet, nihil demeret sensui: nihil in eo poneret mutationis, ut omnibus Gallicum Latinumque intelligentibus manifestum est.

Expressio Quesnelli Gallica, est etiam in linguâ meâ Belgicâ familiaris, neque inelegans; rarioris autem usus apud Latios: de quo quidquid fit, evidens est expressionem unam æquivalere alteri: & juxta S. Hieronymum genus optimum interpretandi est, non semper verba verbis reddere; sed sensum sensui. Quam regulam si in vertendis voluminibus Sacris secfati fuissent Quesnellus & ejus socii, non exitialis adeò occurreret, ut cernitur modò vitiatorum textuum multitudo. Mos scilicet Novatoribus est, multiplices conficere vulgari idiomate versiones, ut singulis novi quidpiam Dogmatis inspergant, quo tandem quidquid commenti fuerint erroris in dogmaticis, versione aliquâ, junctis expositionibus, reperias confirmatum.

Præsens itaque Propositio est, sive ut refertur in Constitutione: *Nimis sæpè contingit*: sive ut in Gallico penes Quesnellum: *Non nisi nimis sæpè contingit, membra illa; quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari, tanquam indigna, ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

Quis igitur nisi mendax Quesnello spiritus revelavit, à Pontifice, Cardinalibus, aut Theologis Propositionem condemnantibus, hunc subintelligi verbis sensum, *quod etiam hodiè omnes Sancti in Ecclesiâ tractentur velut excommunicati*? Non nisi frivola ea Novatoris fictio est, ad obtegendam Articuli sui injustitiam excogitata. Verùm cùm nihil indicii proferre valeat quo commentum adeò temerarium stabiliatur, ad quid ejus allegatio utilis esse potuit, nisi ut priori adversus Ecclesiam criminationi, novam adversùs Pontificem superadderet calumniam? Sedes Apostolica Propositionem intelligit ac damnat, ut in Constitutione exprimitur, sensus obvio. Num in eâ sive intelligentiâ, sive damnatione falsitas, aut vitium est?

„ Restringendo (inquit Quesnellus) Articulum ad casus qui possunt accidere, & „ reverâ sæpius evenerunt, licitum mihi esse duxi consolari membra Christi injustè à „ Christi Corpore separata, vel quæ quasi „ talia censentur exemplo Capitis sui Jesu, „ qui excommunicati instar habitus est, prædixitque è sui fidelibus meliores à societate Sanctorum & Communione Ecclesiæ „ rejiciendos.

Hunc in finem adducit *Protestatio* Sanctum Augustinum lib. *de verâ Religione* cap. 6. *conquerentem, sæpè bonos viros expelli de Congregatione Christianâ*. Verùm immediatè additur id non fieri per sententiam Ecclesiæ; sed *per non nullas nimiùm turbulentas hominum seditiones*. Ibid. in margine monemur, agi *de patientiâ sanctorum in persecutionibus*, quibus tunc temporis Ecclesia multoties exposita fuerit & divexata.

Eadem explicatio convenit simili textui qui adducitur ex lib. de Baptismo contra Donatistas cap. 17.

Fuere olim etiam Concilia quædam illegitima, Pontifices intrusi, & plures schismatici Antistites & Tyranni; ideone quæ à talibus tunc perperam acta sunt, ad nostra rectè tempora transferuntur? Hæreticis illa, schismaticis & similibus maximè nefariis, meritò ab Ecclesiâ per legitimam sententiam segregatis propria perversitas est, ut aliquam suo schismatis sagrilegio, quo Christi tunicam discindunt, & quibuscunque criminibus, propter quæ anathemati subjecti sunt, excusationis speciem, obtendant.

Denique, ait Quesnellus, " si Propositio mea sic accipitur, ut, dum fidelibus in „ communi suggerit plenam hanc solatio veritatem, specialitèr quasi ex intentione „ meâ dirigatur ad eos, quibus injustè aspergitur infamia Jansenismi, per me licet ut „ credatur, modò non de illâ intelligas excommunicatione, quæ lata est adversus „ eos, qui Propositionum quinque erroribus „ adhærent. Comprehendere enim excommunicatio hæc minimè potest illos qui errores eosdem condemnant sincerè & magis „ Catholicè, quam ipsorum adversarii. „

Tale expectaveram à Quesnelli impudentiâ responsum, quo judice, nullus uspiam est, aut fuit unquam, ne Jansenius quidem, erroris vel unius in hac materiâ defensor; hæresis itaque Janseniana, uti & Bajana, ab Arnaldo, Quesnello, Gerberonio eorumque sectatoribus, exploditur quasi imaginaria. Inter hos Pseudonymus Lucas Veronensi in *strena veritatis amatoribus oblata*. Pag. 51. *Hæreses Bajana atque Janseniana optimè vocantur imaginariæ*.

Ibid.

Ibid. *Defensores Propositionum Bajo & Jansenio attributarum, nonnisi Augustinum & veritatem defendunt.*

Pseudonymus etiam *de saint-victor* in *Prætenso Dei inimico* Pag. 10. *Neque hodie ulli sunt neque fuerunt unquam veri nominis Jansenistæ.*

Gabriel Gerberon *in Examine responsi ad querimonias contra agendi rationem* (Illustrissimi Humberti) *Archiepiscopi Mechliniensis* Pag. 84. *Demonstratum est, luce meridianâ clariùs, Jansenianam hæresim nec unquam fuisse propugnatam, nec propugnari modò.* Antonius Arnaldus in Phantasmate Jansenismi Pag. 42. *Nemo est in Ecclesiâ, de quo meritò credas, quod sustineat ullam è quinque Propositionibus damnatis.*

Iterum Gerberonius In citato *examine Responsi* Pag. 65. *Provocavimus vos, & in æternum provocabimus, ut solidâ probatione designetis aliquem Theologum inter Catholicos, qui tenuerit, aut teneat unam ex quinque damnatis Propositionibus.*

Similis est, licèt aliquanto modestior provocario Quesnelliana in libello cui titulus: *Doctrinæ Augustinianorum Theologorum circa quinque Propositionum materiam expositio* Pag. 29.

Rursus Pag. 22. quasi certissimè partâ de omnibus Anti-Jansenianis Doctoribus, Episcopis, Cardinalibus, ipsisque Summis Pontificibus victoriâ, triumphans concludit: *Consequitur, omnium nunc oculis patere, quàm inani fundamento substructum sit totum novæ hæreseos figmentum; quanto se crimine polluerint, qui tantos in Ecclesiâ dissensionum fluctus gratis excitarunt.*

Libellis istis, præterquàm Quesnellianæ *Protestationi*, ante Constitutiones *Vineam Domini Sabaoth*, & *Unigenitus Dei Filius* editis, videri potuit, Constitutio utraque fecisse satis, & abundè, ut istiusmodi impostorum temeritas reprimeretur; verùm adeò consequi effectum illum non potuit Sedis Apostolicæ Providentia, ut vel inde sumpserit Novatorum desperatio occasionem, se obcæcandi ampliùs, atque ex ipsâ maximè Bullâ *Unigenitus* concludendi, existere nuspiam erroris aliquid in Jansenio damnatum.

Argumento id se conficere autumant non facilè dissolvendo.

Si Jansenianus, inquiunt, sive damnatus aliquis in Jansenio error, existeret uspiàm, reperiretur indubiè in excerpris è Quesnello Propositionibus: Ab his autem hæresim omnem erroremque abesse longissimè, omnia Scripturis & Patribus, maximè Augustino consona esse, demonstrant Hexapla, & innumeræ pro Quesnello vindiciæ. Ita illi.

Ego verò & famosâ Hexapla, & quidquid istiusmodi vindiciarum, pro Quesnello editum nancisci potui, majore discussi diligentiâ, quàm tenebrarum opera merebantur, quæ absque ullâ approbatione, absque facultate sive Ecclesiasticâ, sive Seculari, adversantibus utriusque fori gravissimis Legibus, contra supremam Pontificis Maximi authoritatem, & toto admissam Orbe Catholico Definitionem annis ultimis prodiere.

Illis opposui Tomos quatuor, secuturo, si Deus voluerit, etiam quinto, quibus non solummodo dissolutum fuerit, quidquid ab adversariis objectum; sed exemplis præterea & probationibus luculentis convicta patebit fallacia & nequitia authorum, qui Ecclesiæ Romanæ veluti in errores noxios prolapsæ, videri cupiunt necessarii maximè Reformatores.

Ecquis audiverat hactenus, tantam esse hoc tempore, & tam generalem Ecclesiæ corruptionem, ut non solùm juxta Propositionem 95. *Veritates eò devenerint, ut sint Lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi sit veluti idioma incognitum*: juxta 96. *ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis*; Sed etiam ut juxta 97. *Nonnisi nimis sæpè contingat, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita sunt Ecclesiæ, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata?*

Mirificè hinc sibi plaudunt hæretici, quòd tali nuntium remiserint Congregationi, in quâ tyrannis adeò execrabilis, & plusquàm Babylonica dominatur confusio. Infirmi & simplices inter Catholicos scandalizantur atque in fide nutare incipiunt, Janseniani autem disponunt omnia, ut qui, non nisi exteriore hypocrisi in Communione fidelium sunt, ab eâ facilè, quando opus, aut utile videbitur, se expediant, specie honestatis non admodum repugnante.

Constitutionem *Unigenitus Theologicè propugnandam* suscipiens, decreveram damnatos in eâ errores, & hæreses sic convellere, ut authorum famę parcerem; sed nimis multa in ipso compositionis exordio mox occurrêre, quæ vel invitum cogerent mutare consilium.

Mutationis hujus rationes aliquas reddidi initio Tomi 1. in Prolegomenis cap. 1. Nunc autem specialis adigit necessitas, impudentia Quesnelli insanissimè gloriantis, quasi *Sanctitate* suorum *majore*, & *magis strictâ cum Ecclesiâ unione*, quàm reperiri soleat in iis, quorum exploratissima orthodoxia est.

Temeritatis eximiæ complementum est, quod ex Quesnellianâ retuli *Protestatione*, non posse ab Ecclesiâ separari adhærentes sibi Theologos, utpote qui errores, Jansenismi nomine intellectos, percussosque anathemate, *condemnant sincerè magisque Catholicè*, quàm nos omnes cum Doctoribus, Episcopis, Cardinalibus, ipsisque summis Pontificibus, qui Quesnellianæ Parti, magis implacabiles adversamur.

Disquisitionem ea exigunt de singulis partibus distinctam. Quemadmodum scilicet duobus Articulis superioribus, provocante nos Quesnelli audaciâ, examinandæ fuerunt *veritates*, quæ, si Quesnello creditur, eò calamitatis in Ecclesiâ *devenerunt*, *ut sint lingua quasi peregrina & velut idioma incognitum plerisque Christianis*; ac dein discutere oportuit, quinam legitimi isti veritatis Prædicatores sint, quibus *Potestates omnes* tam Ecclesiasticæ, quàm seculares, nullâ penitùs exceptâ, *sint contrariæ*, sic modò incumbit dispicere, quænam ea *membra sint magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ*, *quæ nimis sæpè contingit respici atque tractari tanquam indigna*, *ut sint in Ecclesiâ*, *vel tanquam ab eâ separata*.

CAPUT II.

Expenditur prætensa sanctitas eorum, quos Proposi.io Quesnelli asserit, respici atque tractari tanquam indignos ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatos.

Solemne pridem hæreticis fuit, famam sanctimoniæ aucupari, unde non exigua sibi conciliaretur authoritas, ipsique commendatio Novitati. Propterea Christi monitum, quod traditur Matthæi capite 7. contra *Falsos Prophetas*, *qui veniunt in vestimentis ovium*; *intrinsecùs autem sunt Lupi rapaces*, S. Hieronymus ad hypocrisim præcipuè refert hæreticorum: *specialiter*, inquit, *de hæreticis intelligendum est*, *qui videntur continentiâ*, *castitate*, *jejunio*, *quasi quâdam pietatis se veste circumdare*; *intrinsecus autem habentes animam venenatam*, *simpliciorum fratrum corda decipiunt*.

Origenis non unus, neque levis in Dogmaticis lapsus fuit; dignus tamen author ampliùs commiseratione, quòd & martyrii zelo exarserit adolescens, & virili ætate gravia ab Infidelibus pro fide passus sit; licèt in hac eum constantia defecerit ac propterea meritò fuerit excommunicatus. In hodiernis Ecclesiæ quoad fidem Reformatoribus zelus præcipuè emicat, & ferè unicè ad convellendas Sedis Apostolicæ Constitutiones, & stabiliendas hæreses, sæpè ab Ecclesiâ condemnatas.

Fide subrutâ, Congregationem Fidelium concidere necesse est. Quòd illam à seculis aliquot destruere Deus cœperit, neque jam existat eadem ampliùs, à Sancyrano aliàs vidimus affirmatum. Supposito hoc penes Novatores oraculo, non mirum videbitur, quòd Bajana & Janseniana Factio, obtentu Ecclesiam reformandi, novam erigere voluerit cujus Artifices seu Fundatores in Belgio præcipui fuerint Bajus & Jansenius, cum potentioribus quibusdam Patronis; in Galliâ Sancyranus & Arnaldus, quibus accesserint Seguenot, Troyes & Barcos Sancyrani ex sorore Nepos; de quorum omnium sanctitate hîc breviter aliquid tanquam specimen proferendum.

Post Lutherum & Calvinum prætensos Romanæ Ecclesiæ Reformatores, quos reverâ & meritò *contigit respici atque tractari tanquam indignos*, *qui essent in Ecclesiâ*, & *tanquam ab eâ separatos*, quosque non arbitror à Quesnello intelligi nomine *membrorum illorum*, *quæ magis sanctè & magis strictè unita fuerint Ecclesiæ*; Primus qui eam in Fide & Dogmatibus reformandam suscepit, apparuit Michael Bajus Doctor Lovaniesis.

Defensorem fidei contra Calvinianos agere initio voluit; sed qualiscunque hic ei intentio fuerit, parum admodum fructûs boni hoc ejus studium Ecclesiæ pepetit; proptereà quòd in plurimis prope nimium ipse ad Calvinum accederet, neque famæ & præsumptioni, neque suscepto operi responderet eruditio.

Referunt ejus Sectatores Toletum dixisse *nihil Bajo vidi humilius*, *nihil doctius*: quod elogium à viro tanto datum fuisse, difficile creditu est; quia & scripta Baii non copiosa, scatent erroribus, & explorata nimium Toleto erant specimina arrogantiæ intolerabilis, qualia in nullo facilè reperias Doctore, qui, & sobriè sapiens, & probè Catholicus habeatur. Sola quæ ab ipso refertur Gerbetonio, in novâ Bajanorum operum editione, Epistola ejus ad Pium V. Pontificem, verè Optimum & Maximum, sanctitate inprimis & scientiâ, etiam Theologicâ, abundè sufficit, ut author de temeritate & superbiâ, nullo dignâ Catholico covincatur.

Quomodo enim prædicatæ tantopere humilitati congruit tam pertinax & scandalosa tot annorum rebellio adversus Dogmaticam Sedis Apostolicæ Constitutionem, & obcæcatio voluntaria in erroribus, etiam hæreticis obfirmata

mata adeò, ut neque reliquo Pii V. tempore, neque initio Gregorii XIII. adduci ad obedientiam & sanam mentem Bajius potuerit, nisi Constitutio à posteriore iterata Pontifice, missusque Româ in Belgium doctissimus Pontificis Concionator, argumentis fortissimis pervicaciam Theologi frangeret aberrantis.

Quòd intereà refractarium obturantem aures Pontificiis mandatis, suique Archiepiscopi Cardinalis Granvellani, ac denique absente Eminentissimo, Vicarii ejus saluberrimis monitis, etiam precibus piorum omnium rectè sentientium contemptis, *contigerit respici atque tractari tanquam indignum ut esset in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatum*, cui imputetur alteri, quàm ipsi Bajo?

Monitus hic tandem de incurso anathemate, se in genua lacrymans provolvit coram Vicario, ut absolutionem acciperet; at Vicarius meritò censuit suspendendam, donec Pontificiæ contra suos Articulos sententiæ se submisisset. Ægrè huc Baji superbia adduci potuit, postquàm literas effræni plenas arrogantiâ ad Pium V. Pontificem dederat, quas Gerberonii Impudentia non veretur cum suâ edere approbatione.

Horrens denique Bajus in Excommunicatione sordescere, obedientiam oretenus coram testibus promisit, non tamen obtineri tunc ab eo subscriptio potuit; cùm vellet publicam, maximè apud posteros, infamiam devitare. De hoc Vicarius Cardinalem Archiepiscopum Romæ degentem literis mox reddidit certiorem.

Scandalosa hæc Baji tergiversatio effecit ut Sanctissimi Pii Successor Gregorius XIII. cum mandatis urgentissimis ad eum mitteret Concionatorem suum Franciscum Toletum ex Urbe, securum de Regis Catholici brachio, si opus esset, minimè defututo. Hoc tandem ariete, Divinâ adstipulante gratiâ, dejici oportuit ac diffringi inflexibilem aliàs unius Theologi obstinationem.

Patet igitur inanissimam esse & fraudulento plenam mendacio gloriationem Quesnelli, si de Bajo & similibus intelligi voluerit, prætensam Judicii iniquitatem, quo illos nimis sæpè contigerit respici atque tractari, tanquam indignos ut essent in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatos, qui ei essent sanctè ac strictè uniti præcæteris. Post retractationem publicam etiam scripto traditam, nullus Bajo ampliùs velut ab Ecclesiâ exuli insultavit, conversionem gratulati sunt universi; nisi quod Academicos quosdam religiosiùs Catholicos, subinde offenderit tum in ipso, tum in ejus Discipulis, aliqua damnatorum Dogmatum expositio, quæ cum retractatione seriâ videretur minùs facilè componenda.

Errores Baji complures, & forsitan plerosque, annis emortuos quinquaginta, Jansenius resuscitavit; sermonibus quidem, propter quos ex Hispaniâ clam profugere coactus est, ne à Quæsitoribus Fidei, ut Decretum fuerat, caperetur; multo amplius pestiferâ scriptione, Bajanam perniciem ab Inferis reduxit in famoso volumine, quod præter assumptum mendacissimè nomen, nihil habere noscitur *Augustini*.

De hoc opere solemnem exhibui sæpiùs Urbani VIII. sententiam, quod *ex diligenti, & maturâ ejus lectione compertum fuerit, in eodem multas ex Propositionibus olim damnatis* à Pio V. & Gregorio XIII. *contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi ... malo in scandalum totius Reipublicæ Christianæ & Fidei Catholicæ perniciem vertenti*.

Quærere hic nobis liceat ex magnificis damnari hujus voluminis Approbatoribus, quid de ejus censeant authore; sciveritne quid scriberet; quod scilicet multas ex Propositionibus olim damnatis, contra damnationes & prohibitiones defenderet, magno Sedis Apostolicæ contemptu? Perspectamne habuerit Pii V. Censuram, quâ Articulos in in suo Diplomate recensitos, *damnat, circumscribit, abolet, deque iisdem & similibus post hac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscunque interdicit? Qui secus fecerint* (pergit Sanctissimus) *ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, Beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus; vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare ...... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, Decreti, & mandati, privationis & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum*.

Nulla ratione verisimile est, hanc Pii V. Constitutionem, uti & Gregorii XIII. pro ejusdem editam confirmatione, fuisse Jansenio ignotam, quandoquidem præsente Lovanii Toleto, tantâ solemnitate, tanto Academicorum omnium applausu & publicâ obedientiæ Professione, Constitutio promulgata utraque fuerit.

Conjecturâ hac mihi, etsi certissimâ, opus non est, qui exaratum Jansenii manu propriâ Codicem Legi, & perlegi sæpiùs, è quo referendam mox laciniam descripsi. Erat autem Codex iste veluti collectio materiæ, unde volumen celebre esset operosiore studio elaborandum; de cujus scopo ne dubites, eum ipso statim Codicis exordio Jansenius ostentat, *Ad excusandas* [inquit] *Propositiones Magistri Michaelis Baii*, tum ibi sequitur quidquid excusationis commentitiæ, seu veræ cavillationis à Jansenio & cæteris Baji Sectatoribus fuerat excogitatum.

Deiu pro Ecclesiâ valde sollicitus hic ejus Reformator Batavus, Pelagianam hæresim dolet adeò revivíscere, ut gravis inde pernicies metuenda sit. Quid autem penes eumdem luctuosius, quàm Baji in tot Propositionibus condemnatio? Quandoquidem enim saluberrimum, inquit, Baji consilium fuerat, doctrinam veterem, novitatibus scholasticorum pene oppressam atque ex Ecclesiâ quodammodo eliminatam reducere ac stabilire, non potuit non funesta accidere Pontificia contra propositum tam pium, contra gloriosum adeò Fidei vindicem Censura.

De hoc verba Jansenii audiamus. "Admodum (inquit) mirandum est, Pelagianam hæresim, quæ à Sancto Augustino refutata, & ab Ecclesiâ, Augustini doctrinam definiente, reprobata est, tantum potuisse, ut aliquoties surgere conata, sæpè elisa, tamen post tot secula, per Philosophorum acumina, nemine advertente, caput ita erexerit, ut in majore penè vigore esse videatur, quàm unquam fuit, apud nonnullos."

Tum in margine notatur *Impedimentum Doctrinæ veteris introducendæ*. Prosequitur dein textus. " Non sine arte Satanæ procuratum fuisse videtur obstaculum illud condemnatio M. B. (Michaëlis Baii) ut, qui doctrinam illam gratiæ Novitiam destruere vellet, & veterem introducere, contra Sedem Apostolicam luctari in speciem videatur. Nihil enim invidiosiùs clamabitur, quàm illam Sedem dedecorari."

Hactenus Jansenius, cujus posteriori dicto nullus Catholicus refragabitur; verùm utinam illud inter scribendum paulò altius impressum ipse animo tenuisset! Frænum forsitan injecisset irreverenti calamo, authoritatis Apostolicæ ejusque anathematum quodammodo contemptori. Jansenium enim talia scribendo temerè se excommunicationis vinculo irretivisse manifestum apparet cuilibet verba hujus Antistitis cum Pontificiis conferenti. Tu quisquis es, lector sapiens, expende utraque, & proculdubio mecum statues, impossibile esse Jansenii dogmata (& forsitan quandoque personam) ab anathemate vindicare.

Totum reclamantem audio Jansenistarum chorum: Istud scilicet est, inquiunt, quod Theologus noster mysticus Paschasius Quesnel in præsenti Articulo sapienter observat, & meritò luget, *Nimis sæpè contingere membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata*.

Verùm quis præter Jansenistas, novitatis studio insanientes, dixerit, indicium magis sanctæ, ac magis strictæ cum Ecclesiâ unionis esse, *contemptum* publicum Pontificiæ authoritatis, & dimanantium ab eâ Constitutionum, maximè dogmaticarum? Quis Catholicus de multiplicium errorum, & hæresum æquissimâ condemnatione Apostolicâ pronuntiet, quod sit *impedimentum doctrinæ veteris introducendæ*, & *non sine arte Satanæ procuratum obstaculum*? singularis ista Quesnelli eique adhærentium impudentia est, non solum dogmata abrogare Catholica; sed vocabulis etiam usitatissimis, alienas prorsus, quin & oppositas tribuere significationes.

Magis consentanea rationi apparet excusatio altera, quòd sua scripta Jansenius Pontificiæ sæpiùs submiserit sententiæ, tum in compositionis exordio, tum in medio opere, tum denique eo finito, antequam typis committeretur, & quidem in extremo vitæ Articulo, vix mediâ ante obitum horâ condito Testamento.

Excusationem amplectimur, ut ab authore suspicio avertatur pertinaciæ, mortuum comitantis ad judicium; sed non propterea amoliti ab eo possumusculpam minimè levem, & crassam ignorantiam dum librum suum vivus scriberet & sanus. Neque videtur inconstantiæ turpis, vel etiam fraudis vitio carere potuisse tot annorum studiosa lucubratio pro articulis, quos non poterat non esse conscius, à duobus fuisse Pontificibus condemnatos: & tamen interim apparere cupiens devotus Sedi Apostolicæ, compositionem suam, ejusdem Cathedræ apertissimum *contemptum*, judicio se Pontificis submittere protestatur.

Verùm protestationem manifestè adeò contrariam actui, toties repetito, & modis omnibus operosissimè inculcato, difficulter credere omnis sapiens poterit, seriam satis esse, & excusando authori penitùs sufficientem: non fuisse excusando volumini, edita ab Urbano VIII. declaratio, ipsaque inter legendum Jansenii opus, evidentia convincit.

Ignoscant itaque nobis sectæ illius Discipu-

ſcipuli ac Magiſtri quod Janſenium, dum pro damnatis in Bajo Articulis ſcriberet, impingeretque in latas à Pontificibus cenſuras, collocare nequeamus inter *membra*, ut Queſnellus prædicat, *magis ſanctè & magis ſtrictè unita Eccleſiæ*.

Sunt & alia, quæ tam præclaram de Janſenii Sanctimoniâ & unione adeo ſtrictâ cum Eccleſiâ, exiſtimationem difficilem reddunt. Inter ea eſt, præceps ejus, ut aliàs monui, ex Hiſpaniis fuga, dum ſecundâ ibi fungens pro Lovanienſibus Legatione, Dogmata effutiret, in Regno Catholico non bene olentia, ob quæ à Fidei Quæſitoribus decreta fuerit ejus comprehenſio.

Sed is à benevolo, quid immineret intelligens, clandeſtino receptu ſibi cenſuit conſulendum potiùs, quàm fidem ſuam exponendam examini. Suſpicionem contra eum non leviter augent Epiſtolæ ab eo ſcriptæ ad Sancyranum, quæ apud hunc inventæ Novatorem, dum carceri traderetur, dein ſæpiùs typis editæ ſunt ad detegenda palam iniquitatis conſilia, quæ nova ſecta contra Eccleſiam agitabat.

Illic anxia ſemper cernitur Janſenii ſolicitudo, *ne Roma reſciat* quidpiam de novo *Auguſtino*, antequam typis penitùs abſolutis, in lucem prodeat, per omnes mox Belgii & Galliæ Provincias divulgandus; ne aliàs mandato Pontificio, in ipſis Typographiæ tenebris ſepeliatur.

Hinc Typi ex Hollandiâ accerſiti, ut in ipſo Epiſcopali Palatio impreſſio fieret ſecretiſſima.

Antiſtite morte præoccupato non defuit Lovanii fidus Janſenianis Typographus, qui ſe conductoſque ſubſidiarios jurejurando obſtringeret ad arcanum. Sed non eſſe conſilium contra Dominum, experti ſunt iniquitatis operarii, quando ex appenſis in ſuprema domûs contignatione foliis, aliqua vento in plateam delata, indicium fecere pernicioſi voluminis, & loci ubi procudebatur.

De eo mox redditus certior Sedis Apoſtolicæ Bruxellis Internuntius, interdictum expedivit, ne fieret proſecutio laboris, donec Summus Pontifex, expenſo pro ſuâ gravitate negotio, quid expediret bono Eccleſiæ, determinaret.

Re in Urbe maturiùs examinatâ, Congregatio Sancti Officii, atque ipſe Pontifex librum, omnemque ejus prohibuit impreſſionem. Quid autem aliud ſuprema authoritas apud obſtinatos novæ hæreſios promotores effecit, quàm ut multiplicatis operariis, duplo magis acceleraretur editio, & per omnes diſperſio Regiones?

Secuta quidem eſt adverſus refractarios Pontificiorum longa ſeries mandatorum; ſed & inde accenſa ampliùs rabies Janſeniſtarum eſt, atque obfirmata magis rebellio. Tantum malum eſt hæreſis ab iis potiſſimum profecta Doctoribus, qui famam ſcientiæ ac pietatis quibuſcunque artibus conſecuti, à diſcipulis non facile deſeruntur; quin & ipſis Doctoribus, quod quidem rariſſimum eſt, ſeriò converſis, difficilis manet reductio diſcipulorum.

Sic de Berengario, erroribus contra Euchariſtiam, & magis perfidiâ, in iis fallaciter abdicandis infami, tandèm ſeriò, ut piè confidimus, pœnitente, refertur, quod vocem hanc lugubrem moriens emiſerit. *Hodiè in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.*

Speremus Janſenio meliora, quamvis uter pluribus nocuerit, atque impoſterum nociturus ſit, non appareat exploratum: neque videatur ſufficere debuiſſe bonæ fidei Epiſcopo ſua iſtiuſmodi ſcripta ſubiicere Pontificio Tribunali; nam neque typis committere decuit diſſeminanda per Eccleſiam, antequam ad notitiam poſſent Pontificis pervenire, quæ pluribus noverat Sedis Apoſtolicæ Decretis atque difinitionibus adverſari.

Cupio tamen ſupponere, quod creditu perdifficile eſt, ignoraviſſe Janſenium, quòd à Pontificibus proſcripta reduceret. Num tanta cæcitas ſine culpâ fuerit, Divino relinquitur judicio diſcutiendum; at quantamlibet intellectui vim infero, non experior in poteſtate mea poſitum ut credam Queſnello, & cæteris Janſenii diſcipulis, eum, cùm prohibitas ſub anathemate, reduceret tanta confidentiâ novitates, fuiſſe inter *membra magis ſanctè, & magis ſtrictè unita Eccleſiæ*, à Sapientibus reputandum.

Complures ei in Belgio obtigerunt ſocii errorum; tres præcipuè Patroni, qui de ſtercore quodammodo elevarint pauperem, fabri ſcilicet lignarii in Hollandiâ filium, eleemoſynis lovanii in ſtudiis ſuſtentatum, cum proſpicerent in docendis, quas meditari cœperant, novitatibus, ſuoque in Religioſos odio exequendo idoneum, magnis apud Madritenſem Curiam commendationibus eò denique promoverant, ut ad Iprenſes Infulas à Rege Catholico nominaretur.

Neque cum vitâ, quæ in Epiſcopatu breviſſima fuit, ejus dimiſere in defendendo operte poſthumo patrocinium.

Fuere illi Præſes Conſilii ſupremi, Belgii Primas Archiepiſcopus Mechlinienſis, & Gandavenſis Antiſtes. Priori utpote laico, & Theo-

Theologiam penitùs ignoranti, condonanda faciliùs culpa est, nisi quod odium adversus familias Religiosas nec in fecularibus excusandum sit, præsertim administrationi Justitiæ & reipublicæ Præfectis. Punitio ei non defuit, undè minimè expectaverat, pluribus scilicet apud Regem Catholicum accusationibus oneratus, spoliatus officio, ab omnibus desertus, vitam ingloriùs terminavit. Duos Antistites in Janseniani voluminis defensione post damnationem, pertinaces, Sedis Apostolicæ sententia, in Belgio publicè affixa, à Fidelium Communione removit.

Perculsi hac castigatione Antistites, eâdem veluti medicinâ salutiferâ, proficere statim maluerunt, quàm malis se ulterioribus implicare. Submisère itaque se, & Jansenianio volumine abdicato; sublato etiam per pœnitentiam publicam scandalo, reconciliati Ecclesiæ sunt.

Si Excommunicatis illis director animorum obtigisset Quesnellus, obfirmasset eos in pertinaciâ Articulo suo præsenti: *Nimis sæpè contingit membra illa quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna, quæ sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata; sed Justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.* Plura addidisset excogitata à se industriè, ad fovendam contra Pontifices rebellionem, & contemnendam excommunicationis sententiam peridonea: quale est Propositio 90. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per Primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis*: & non aliter, Non desunt vobis Episcopis Domestici, non desunt inter Lovanienses Theologi, aliique in vestris Diæcesibus multiplici vobis beneficio devincti, qui mallent agi vobiscum lenius, quàm rescissione ab Ecclesiâ, & tradendo vos satanæ; proindè deficiente illo generalitatis sive *totius corporis consensu*, etiam *præsumpto*, authoritatis fundamentum deficit, potestatis exercitium omne eliditur. Addidisset Quesnellus Articulum 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesiâ, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.*

Quis dubitet, quin ea penès Quesnellum Excommunicatio sit injusta, utpotè inflicta propter defensionem Jansenianæ veritatis & Justitiæ quæ in novi Augustini damnatione læditur tam manifestè. Inter *debita* muneris Episcopalis est propugnatio veritatis ac patrocinium justitiæ, quæ proscriptione operis tam sancti, tam utilis, opprimitur.

Perrexisset Quesnellus: Neque officere vobis potest, quòd nequitiâ adversantium Jansenio, videamini ab Ecclesiâ expulsi; quia *Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ affixos* vos esse per charitatem testis indubiè vobis est conscientia, atque ipsa veritas & justitia, cujus defensio tanto à vobis incommodo contra ipsos Pontifices, eisque suffragantes Cardinales, Episcopos, Doctores, intrepidè suscepta est. In eo verò vos ostenditis Pauli Apostoli imitatores, juxta Articulum 92. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.* Neque necesse est accelerare adeò, ut à Pontifice Romano vobis absolutio impertiatur, si quidem juxta Articulum 93. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Jesus restituit quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

Sed illo tempore nondum emerserat novum Ecclesiæ lumen, opus Quesnelli, tam plenum solatio pro sectæ cujuslibet hæreticis, anathemati subjectis ab Ecclesiâ. Neque scio an nostrates illi Episcopi, talia adversus Ecclesiæ Censuram præsidia, admittere voluissent.

Si autem malesanis adeò præbere aures consiliis placuisset, non defuisset muneri suo Leopoldus Archidux, quin contra eos, tanquam suspectos de heresi procedi juridicè, authoritate Sedis Apostolicæ curasset; sed magis sapuère Præsules Belgæ, qui sepositâ mox omni tergiversatione, Pontificio se submisere judicio, prioremque in resistendo scandalosissimam temeritatem, conveniente pœnitentiâ eluerunt.

Non jactavere juxta dementiam Quesnellianam, *membra se esse magis sanctè & magis strictè unita Ecclesiæ*, perperam se *respici atque tractari, tanquam indignos ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatos; sed justum ex fide vivere, non ex opinione hominum.*

Agnoscendum nihilominùs singulare Divinæ providentiæ beneficium, quod eo tempore maximè periculoso de tali nobis prospexerit Gubernatore, cujus non solùm eximia pietas & Religio omnibus exemplo esset; sed etiam magnitudo animi, &, quâ valebat apud Regem, gratia, terrori ac fræno esset molientibus perniciosas in causa fidei novitates. Summa denique ejus erat tum apud Populum, tum apud Belgii Principes ac Magistratus authoritas, nemine ejus jussibus repugna-

pugnate, ac ne obmurmurante quidem, præterquam in clandestinis forsitan Janseuistarum Conventiculis.

Sic igitur confracta cecidit tota Triumviratûs Janseniani machina, adversùs quam prævalere nihil posse aliàs videbatur, nihil ausurus quispiam tentare.

Reverà Internuntius affixo Bruxellis publicè Excommunicationis programmate, se inde clàm recipere consultiùs duxit, ne sive à Senatu, sive à tumultuante forsitan plebe, molestiam pateretur,

In illis quippe Regionibus, à quibus Tribunal exulat Inquisitionis, ægrè communitèr à Magistratibus Laicis ferur quæcunque publica Excommunicationis Denuntiatio, etiam adversus ignobiles, & sortis infimæ Plebæos. Obtenditur scilicet quietis publicæ perturbatio metuenda; maximè si feriatur aliquis viribus, aut patrociniis potens, in dignitate aut munere publico constitutus, ut hic duo Supremi Consilii Senatores, amplissimarum Urbium Antistites, unus etiam Belgii Primas.

Accesserat Sanctitatis fama, quam utrique conciliaverant largæ in pauperes eleemosynæ, earumque affectata quodammo do ostentatio; præcipuè vero numerosa Factio Novatorum, in Cœlos usque extollentium suæ Athlantes religionis.

Erat itaque unde terror injiceretur Apostolicæ Sedi, ejusque apud Belgas Internuntio, nisi perspecta Archiducis pietas, Religionis zelus, intrepida fortitudo, & pluribus parta victoriis authoritas, simul cum Augustissimo Sanguine, eam sibi acquisivisset, omnium venerationem, ut non minùs ejus, quàm Regis Catholici imperia reverenter susciperent.

Is Internuntium Bruxellas securissimè reduxit, & refractarium utrumque Antistitem docuit debitam Christi Vicario deferre obedientiam.

At, inquies, nonne durities fuit Christianam dedecens mansuetudinem, & Pontificiam charitatem, duos tanti nominis & dignitatis Episcopos *respicere, atque tractare, tanquam indignos, ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatos*; cum essent membra *magis sanctè & magis strictè unita Ecclesiæ*?

Bonum dicitur ex integrâ causâ: malum lum ex singulis defectibus. Largitio Eleemosynæ in se quidem optima est, salvandis tamen minimè sufficit, quos pervicacia reddit Christo, ejusque Vicario rebelles. Sine fide etiam impossibile est placere Deo, quemadmodum cum Apostolo Sacrosancta monet Synodus Tridentina, & qui Ecclesiam non audierit, sive Episcopus, sive Archiepiscopus, Primas aut Patriarcha, tanquam Ethnicus & Publicanus penes Catholicos habendus est; qualis & in Divino censebitur Tribunali:

Ita de magnis, sed fidei non bonæ Eleemosynariis Arianis Augustinus libro 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. ait:" Hæ-
„ reticus Arianus non insultet Ecclesiæ: Lu-
„ pus est, agnoscite: Serpens est, ejus ca-
„ pita conquassate: blanditur, sed fallit: multa
„ promittit; sed decipit. Venite, inquit, de-
„ fendam: si necessitas est, pascam: Si nu-
„ ditas, vestiam: dabo pecuniam: statuam,
„ quid per singulos dies quisque recipiat. O
„ Lupe male, O Serpens iniquè, O Serve ne-
„ quissime! .... Ergone, hæretice, vestis
„ nudum, ut exspolies iutus Christo vesti-
„ tum? Ad hoc pascis esurientem, ut animæ
„ auferas cibum cœlestem? Ad hoc das pe-
„ cuniam, ut sic tibi isti vendant Christia-
„ num rebaptizandum, quemadmodum Ju-
„ das Judæis Christum vendidit crucifigen-
„ dum? *Pecunia tua tecum sit in perditionem*.

Nolim equidem de duobus nostratibus Episcopis opinari tam atrocia; quantumlibet Jansenio ejusque novitatibus perditè addicti essent; atque in eorum eleemosynis appareret quædam captatio auræ popularis, quâ perniciosæ adversus Ecclesiam Factioni conciliaretur authoritas, quando à Sanctis adeò promoveri videretur Præsulibus, in Fide & morum Dogmatibus reformatio,

Concursu & veneratione vix majore confluere solet Fidelis populus ad solemnem Pontificis, imo Sacramenti Sanctissimi Benedictionem, quam singulis tunc diebus Sabbathi post decantatas Bruxellis in Templo Principe Litanias, Plebs universa præ foribus expectaret exciperetque impertiendam ab Archiepiscopo ex eminentiore loco Benedictionem.

Tanta, ut dixi, Sanctitatis fama, in cujus possessione pacificâ videbantur duo illi Antistites, ut ponderis non parum novitatibus tribuebat, ita solicitudinem & metum minimè levem injiciebat Catholicis, ne si Pontificius apud Belgas Internuntius Excommunicationem, adversùs duos illos Præsules denuntiaret, tumultuaretur Populus, & Senatus Regius offenderetur.

Verùm, ut supra monui, utrique incommodo opportunè occurrerat Divina Providentia, & Regis Catholici pietas, quando Archiducem Leopoldum destinavit Belgio Gubernatorem cujus tanta apud summos & infimos erat æstimatio, ut coërcendis quibuscunque motibus solus ejus nutus sufficeret.

In duorum istorum Excommunicatione Antistitum, quisquis historiam novit, neque Jan-

Jansenianæ deditus novitati est, nequaquam de duritie arguet Apostolicam Sedem, sed de excessu forsitan mansuetudinis & clementiæ. Non paucis enim scandalo fuit, pluribus offensioni, quod tanto tempore, Urbano VIII, & Innocentio X. Pontificibus suspenderetur anathema, dum Constitutio dogmatica non privatis solum sermonibus; sed scriptis etiam publicis, utriusque Antistitis nomen præferentibus audacissimè impugnabatur.

Benè autem habet quod saltem denuntiata excommunicatio collyrium oculis delinquentium fuerit, quo rebellionis & pertinaciæ tot Sacrilegiis horridam conspicerent pravitatem. Excommunicationem enim latæ sententiæ pridem incurrerant, iteratisque millies criminibus, tum in Sacrificiis nefariè oblatis, tum in aliorum administrationibus Sacramentorum, se reddiderant Deo & hominibus probè Catholicis execrabiles.

Si Præsulibus illis, ut dixi, obrigisset instituì à Quesnello, didicissent locum hic maximè obtinere, quod ait *contingere nimis sæpè, membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari, tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata: Sed justum ex fide vivere, & non ex opinione hominum.*

Isto instructi Dogmate Janseniani minimè terrentur quibuscunque dimanantibus à Christi Vicario censuris, ut gloriantem vidimus Quesnellum in *Epistolâ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* Pag.30. *Romani majore pollent ingenio, quàm ut credant, nos terreri sententiâ latâ Excommunicationis Pontifici reservatæ.* Credulitas enim illa imprudens nimiùm foret, dum omnia personant infamibus Satyris & Protestationibus Quesnellianorum, quibus Pontificia anathemata, tanquam solis terrendis simplicibus & ignorantibus idonea, apertissimè contemnuntur.

In hac fide, seu perfidiâ vixit Quesnellus, in hac mortuus creditur suo experturus interitu, num frustrà dictum Petro fuerit, *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlo.* In superûm jam didicerit Tribunali, quantum valeat ea sibi suisque vindicata (quo jure nescio) prærogativa, ejusdem Epistolæ Pag.18. *Habemus nos hoc singulare præ cæteris, quo nobis benè est quodque semper retinebimus, quod sumus in possessione, eâdem semper progredi semitâ quidquid opponant Romani Censores, & quodcumque Decretum ab hoc emanaverit Tribunali.*

Nihilominùs ibidem Quesnellus Pag.4. professus fuerat: *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant nisi errores, & quando in formâ legitimâ eos damnant, laudamus & approbamus sententiam, quamvis Tribunal agnoscere non possimus.* Istud de sententiâ cujuscumque Magistratûs, aut Judicis laici, etiam hæretici aut Ethnici asserere, Quesnellus cum suis potuit, neque Calvinista quilibet aut Mahometanus tantumdem tribuere Pontificum judiciis detrectabit.

Non tamen parum concedere Romanis definitionibus videbitur penes Jansenianos, quisquis eas in ordinem redegerit Laicarum in causis Secularibus decisionum; quia, inquit Quesnellus in eâdem Epistolâ Pag.39. *Certum est, Decreta Civilia magis justa esse, & magis conformia æquitati, quàm Decreta Curiæ Romanæ.*

Gabriel Gerberon in Historiâ Jansenismi edita Gallicè anno 1700. Tom.2. Pag.161. acerbissimè luget *annum 1653. Episcopis & Theologis in Galliâ, Augustini Defensoribus fatalem in negotio quinque Propositionum, quas tunc contigit ab Innocentio X. condemnari. Neque magis fortunatus*, inquit, *fuit annus ille ejusdem in Belgio doctrinæ Propugnatoribus, occasione Diplomatis Urbani VIII:* ubi causa hæc infelicissimè terminata est, Excommunicatis publicè duobus, ut suprà relatum est, Episcopis.

Hinc Gerberonius excusandum statuit Jansenianæ partis Theologum, qui Jansenianæ veritatis zelo & lati in eam anathematis indignatione succensus dixerat: *Malo errare cum Augustino, quàm benè sentire cum Papâ.*

Tomo 3. Pag.76. Memorat idem Historicus librum quem mirificè laudat, velut hoc maximè commendabilem titulo quod *detegatur ibi intentio & molitio Jesuitarum, vergens primò ad Augustinianæ Doctrinæ in Jansenii volumine condemnationem: Secundò ad subversionem omnium quæ à Sorbonâ & Senatu Regio Sancita fuerant ut limites aliqui præfigerentur usurpationibus Curiæ Romanæ.*

Quis igitur dubitet, quin Religiosus adeò Historicus non minùs, quam Theologus, Gabriel Gerberon, sit inter *membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita sunt Ecclesiæ?*

Attamen ut *nimis sæpè contingit*, contigerit ipsi *respici atque tractari, tanquam indignum; ut esset in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatum*; sed cui fuerit singulari solatio, & firmandæ in Jansenismo constantiæ, *quòd justus ex fide vivat, non ex opinione hominum.*

Quot talis novæ Ecclesiæ *Sanctus*, Theologiæ in suo Ordine Magister erudiverit sua fide

fide & Dogmatibus Tirones; quibus annos viginti, vel ut alii dicunt triginta, variis in Conventibus præfuit! Gerberonianæ attribuitur institutioni, quod ex Reformationis illius rigidæ Congregatione, præeuntibus nuper scandalosissimè quibusdam non infimæ notæ Rectoribus, Cœnobitas ad rebellium Sedi Apostolicæ castra, viderimus conferto agmine transcurrentes.

Citatus à Gerberonio liber *de molitionibus Jesuitarum* contra Jansenium & pro Romanis Pontificibus, ab ipso Regio Parisiis Senatu ad rogos condemnatus fuit; sed hoc ipsum supplicium in gloriam operis Historicus convertit.

Similiter Pag.84. ait *Diurnum Sanctamorci* sententiâ Regii Senatûs fuisse *incendio addictum tanquam instaurans Jansenii hæresim, atque injurium Pontifici & Episcopis.* Sed & hanc pœnam Gerberonius perhonorificam operi & authori statuit, colligens indè Jansenii adversarios fuisse ad infitas redactos, cùm nempè refellere novos Augustini Discipulos non possent, securius commodiusque duxerint recurrere ad Censuras.

Pag.86.Tandem dicitur *accensus quidam indignatione, quod tam multa & præcellentia opera ad rogos damnarentur, poëma composuisse* hoc titulo, *Unguentum adversus ustulationem, sive remedium arcanum ad impediendas librorum combustiones*. Illic, inquit Gerberon, *Pontifex seductus, & seducens alios, vocabatur* (à novo Augustini Discipulo) *Antichristus, quod author, à familiari monitus displiciturum, explicuit congruè, & correxit.*

Unde si infamis adeò poëmatis authorem, si Sanctamoreum ipsumque Gerberonem respicimus, *tanquam indignum ut sit in Ecclesiâ, vel ab eâ separatum*, occurret indubiè Quesnellus, Triumviros istos collocaturus in numero eorum, qui magis sanctè & magis strictè uniti sunt Ecclesiæ.

Denique si Jansenianus quispiam authoritatis omnis, Constitutionum, & anathematum contemptor maximè temerarius, excommunicationes incurrerit, crinibus capitis sui vix pauciores; vel indè præcipuè dignus videbitur Quesnello, ut *inter membra magis sanctè & magis strictè unita Ecclesiæ* censeatur. Luculentioribus istud exemplis superest demonstrandum.

CAPUT III.

Ejusdem Prosecutio examinis.

Innata homini, & Christiano præ cæteris propria commiseratio est erga afflictos, etiam reos, præsertim non penitus obstinatos. Ideò impugnatis, quantùm videbatur sufficere erroribus, maluissem famæ parcere authorum; nisi ea foret Quesnelli eique adhærentium temeritas, ut spretâ omnium Ecclesiam gubernantium authoritate, rejectis obtritisque omnibus contra Baii atque Jansenii hæresim Decretis, deposito omni metu, & reverentiâ Censurarum, suâ gloriari malitiâ, ipsique palam Ecclesiæ insultare præsumerent.

Quæ enim plusquam sesqui seculo, ab anno scilicet 1567. hucusque contra novam sectam à Pontificibus determinata ac definita providè fuerant, Arnaldi, Quesnelli & similium cognitionem fugere non potuêre. Cumque, uti Christianos decuit, ipsi errorum authores præcipuiBajus atqueJansenius, Censuræ se submiserint, quanta juvenis unius Arnaldi, utpotè annum tunc agentis non nisi trigesimum secundum, arrogantia fuit, & quàm malesana temeritas, in ipsa summorum trium Pontificum judicia insurgere, editis duabus pro Jansenio Apologiis!

Et quidem Præfatio prioris insigne specimen dat, undè de toto opere, ipsoque authore, tanquam minimè Catholico, facilis apparitura sit sapienti cuilibet conjectura. Sic enim ibi Arnaldus: *Non potest sine voluntariâ obcæcatione & portentosâ pertinaciâ negari Propositiones Baii, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia doctrinæ S. Augustini, quæ & Sedes Apostolica, & universa pridem Ecclesia approbavit.*

Eo supposito Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. Propositiones illas immeritò prohibuerint, *& condemnarint*, inflictâ earum imposterum defensoribus excommunicatione.

Verùm omnis Bajanorum dogmatum attributa Pontificibus & Conciliis approbatio est fictitia: nec minùs mendax eorundem dogmatum, cum Hipponensi Antistite consensus, ut demostraverunt sæpiùs Doctores Catholici, atque in præsenti opere ostensum est, ubicunque hypothesis Bajana in Quesnelli Propositionibus resuscitatur.

Quâ proinde potuit ratione conqueri Arnaldus: quâ Quesnellus, Gerberonius, aut quiscunque alius eidem deditus Præceptori discipulus, quòd separatus ab Ecclesiâ cen-

fcatur? Eorum quilibet fe ipfum à Chrifti corpore diftraxit, quoties laræ à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. Sententiæ confcius, aliquem ex damnatis ibi Articulis defendere aufus eft. Aufus eft autem impudentiffimè, ut vidimus, Arnaldus tum in geminis pro Janfenio Apologiis, tum alibi frequentiffimè toto quinquaginta annorum tempore, quo poft Apologias editas fupervixit, non ad deponendam; fed confirmandam magis audaciam, atque ad plures femper extendendam Articulos.

Quidquid fere voluminis vel Dogmatis perniciofi Pontifex, vel Sacra Cardinalium profcripfit Congregatio, Arnaldus ejufque Socii ac Difcipuli contra Cenfuram defendere non funt veriti; fi nempè cuipiam illorum Romana fententia adverfaretur.

Paucis ante Arnaldi obitum annis prodiit ab Alexandro VIII. condemnatio Articulorum 31, quorum faltem 30. ad novos Auguftini Difcipulos pertinuiffe indubitatum eft. Verba cenfuræ clariffima nihil ftudii exigunt, ut intelligantur.

Relatis nempè Propofitionibus ita fubjungitur. " Quibus maturè confideratis; idem „ Sanctiffimus (Alexander VIII.) ftatuit & „ decrevit, triginta & unam fupradictas Pro„ pofitiones, tanquam temerarias, fcanda„ lofas, malè fonantes, injuriofas, hærefi „ proximas, hærefim fapientes, erroneas, „ fchifmaticas, & hæreticas refpectivè, effe „ damnandas & prohibendas, ficut eas dam„ nat & prohibet, itaut quicunque iftas, aut „ conjunctim, aut divifim docuerit, defen„ derit, ediderit, aut de iis etiam difputa„ tive publicè, aut privatim tractaverit, nifi „ forfan impugnando, ipfo facto incidat in „ excommunicationem, à quâ non poffit, „ præterquam in Articulo mortis, ab alio, „ quâcunque etiam dignitate fulgente, nifi à „ pro rempore exiftente Romano Pontifice „ abfolvi. „

Cuicunque pietatis aliqua, vel Religionis fcintilla eft, reverebitur dimanantem à Petri Cathedrâ, fupremo Ecclefiæ Tribunali, fententiam: Sed ea nimiùm Baii, Janfenii, eofque fectantium dogmatibus infefta eft, quàm ut Novatorum iftiufmodi valeat eam, affectata quantumlibet modeftia, & fallaciffiam hypocrifis, difsimulare.

Primus in eam freuduit Walonius, utpotè cui Romæ degenti Decretum mox innotuit. Ardebat Janfeniftarum Agens ille Generalis acribus illud pungere obfervationibus; fed quis modus eas typis fubjiciendi in Italiâ, ubi vigent Tribunalia Inquifitionis? Tutius ipfi vifum eft hanc fpartam committere Arnaldo, cui in Bruxellenfibus latebris otium non deerat, neque fidi novatoribus copia Typographi.

Verùm Arnaldo annis & laboribus fatifcente, Quefnellus non invitus humeros oneri fuppofuit, futuro inde leviori, quod materiæ non parùm Walonii induftria fuppeditaret. Lucubrationi fuæ Quefnellus titulum infcripfit, quafi foret *Epiftola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*.

Operæ pretium videretur ex eâ lacinias defcribere non paucas nifi tædium metuerem lectoris; quia, exigente crebrò Janfeniana hypocrifi, ut illi convincendæ *Epiftola* opportuniffima eft, ita & ingerendæ frequentiùs recurret ejus occafio, etiam contra Propofitionem proximam. Interim tamen & hìc delibare convenit aliqua, ut author *Epiftolæ*, qui idem eft Articuli hic damnati, per fuperftites fuos difcipulos infultare nobis definat, quafi *magis ipfi Sanctè, magis Strictè uniti fint Ecclefiæ*, quàm illi à quibus *refpiciuntur & tractantur tanquam indigni ut fint in Ecclefiâ vel tanquam ab eâ feparati*.

Attende igitur lector, atque fepofitis præjudiciis, & omni partium affectu judica, non aliundè, quàm ex ipsâ *Abbatis Epiftolâ*, quam Quefnelli effe nunquam ipfe, aut ullus ejus five focius, five difcipulus negaverit, aliàs non unâ à nobis probatione indeclinabili, de mendacio convincendus. Judica, inquam, Lector, vel ex folâ hac Quefnelli Epiftolâ, num ejus in damnato Articulo querela veritate nitatur & juftitiâ; an exquifitifsimâ hypocrifi. Evidens inprimis eft, neque inficias iverit quifquam Quefnelli difcipulus, ipfum comprehendere fe voluiffe, numero eorum, quibus *nimis fæpè contingat refpici, & tractari tanquam indignos ut fint in Ecclefiâ, vel tanquam ab eâ feparatos*; qui tamen reverâ *fint ei magis fanctè & magis ftrictè uniti*; ad quos proindè folatium iftud pertineat præ cæteris, *juftum ex fide vivere, & non ex opinione hominum*. Audiatur itaque hujus Sancti Epiftola Pag. 3. " Quoad Romana iftiuf„ modi judicia (quale eft de quo agitur, Ale„ xandri VIII. contra Articulos 31.) quifque „ ftatuit ut fibi vifum fuerit, non curando ful„ mina folita intentari illis qui talibus fe re„ cufaverint Definitionibus fubmittere; Nos „ quid de iifdem cenfeamus, privatim inter „ nos liberrimè edicimus. Quando judicia „ Romana jufta funt, quando non apparet „ admixta pafsio, quando veritati nullate„ nùs præjudicant, quando nihil damnant nifi „ errores, & quando in formâ legitima eos „ damnant, laudamus & approbamus fenten„ tiam quamvis Tribunal agnofcere nõ poffi„ mus. „ Vi-

Vidimus aliàs Quesnellum noluisse agnoscere Tribunal sui Ordinis seu Congregationis Oratorii Berulliani, quando hæc in Comitiis Generalibus approbante Archiepiscopo Parisiensi, ipsoque Rege, docendi Regulam in Philosophicis & Theologicis præscripsit. Notissima hæc Quesnelli rebellio, ne graviùs puniretur, causa ei fuit è Galliis profugiendi.

Non minùs refractarius fuit Clero Gallicano in Comitiis Generalibus congregato anno 1700. ubi Quesnelli aliorumque Jansenistarum Propositiones aliquot, tacitis authorum nominibus condemnatæ sunt. Non minùs etiam pertinax detrectavit submittere se Comitiis Cleri Generalibus anni 1705. in quibus decreta fuit admissio Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth*, eique præstanda ab omnibus obedientia.

Quod igitur Tribunal in Ecclesiâ legitimum videri Quesnello potuit? Non aliud quàm Concilium œcumenicum, ut nullo interim fræno docendi quidlibet, atque sentiendi valeat temeritas coërceri; sed & Tridentinum œcumenicum fuit, & tamen contemptum novimus à Sancyrano, neque magni fieri à Dupinio, de Witte & similibus novi Augustini Discipulis, qui cum Quesnello varia docent Tridentinis Patribus contraria, de libertate & gratiâ, de possibilitate Præceptorum, de voluntate Dei, morte Christi pro salute hominum, de Potestate clavium in Sacramento Pœnitentiæ, de Excommunicatione, de timore & virtutibus tum Theologicis tum Moralibus &c.

Famosum nuper à Jansenianis editum *Testimonium veritatis* satis manifestè indicat, nullum unquam celebrari posse Concilium, cujus elidere, sive eludere authoritatem Novatores istiusmodi nequeant, quoties suis senserint opinionibus adversari. Quandoquam eis in promptu non erit, adducere pro se qualicunque mendacissimo figmento *vocem publicam*, *Clamorem Populi*?

A Baii tempore plures quàm ducenti Articuli partim ab ipso, partim à Jansenio & utriusque sectatoribus traditi, atque à Summis damnati Pontificibus fuere; ne vel unum tamen reperire Articulum hactenùs potuisquem in sensu Authoris falsum esse aut meritò condemnatum Janseniana factio profiteatur.

Hæc ante Constitutionem *Unigenitus* non adeò passim & publicè videri voluit Sedis Apostolicæ contemptrix, ejusque definitionibus rebellis; ideò fallaci potiùs excogitato stratagemate inficiari solita erat, proscriptos Articulos in authorum, à quibus traditi fuerant, operibus contineri. Ubi autem verba eadem in nimio legerentur collocata lumine, recursus supererat ad sensum Authoris ab Augustiniano inseparabilem, proindè longè dissitum ab eo, quem voluerit aut potuerit Pontifex condemnare; ne inter definitiones veteres, quibus Augustini olim Dogmata approbata fuerant, & novissimas, quibus in hodierno scriptore, eadem contingeret reprobari, conflictus fieret religionis. Istiusmodi cavillandi ars Quesnello placuit in fallacissimâ *Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum Defensione*, ac simili *Duorum Brevium*. Placuit etiam in citatâ *Epistolâ Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*. In eâ Prælatum suum ita Quesnellus instruit Pag. 11. " Quod attinet ad Propositiones triginta & „ unam proculdubiò miraris quod notatæ „ fuerint censurâ; perspicuum enim est, ple„ rasque habere sensum bonum. „

Ibid. " Quamvis dari eis posset significa„ tio aliqua censuræ obnoxia; istud tamen „ non fieret, nisi violentâ contortione ver„ borum. „

Ibid. " Certissimum est, & toti mundo „ notorium, quòd sensus pravus, in quo so„ lo apparere possit locus censuræ, à nemine „ traditus fuerit, à nemine defensus. „

Pag.48. " Damnata Propositio 6. *Gratia* „ *sufficens statui nostro non tam utilis, quàm* „ *perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus* „ *petere: A gratiâ sufficiente liberâ libera nos* „ *Domine*, desumpta est ex Lovaniensi Do„ ctore Sinnichio (inter primos Jansenii Se„ ctatores celebri) qui, si agat de gratiâ „ Molinisticè sufficienti, prout absque du„ bio agit, errare quidem potuit, non satis „ seriò agens de subjecto tam sancto, quàm „ est gratia; & quia parum serio utitur pre„ cibus Ecclesiæ. Cæterum quòd commise„ rit errorem dignum anathemate Inquisi„ tionis (imo Pontificis) hoc non facilè cre„ ditur. „

Pag.11. Damnata Propositio 14. " *Ti*„ *mor gehennæ non est supernaturalis*, plena „ æquivocationibus est; falsa & abnoxia cen„ suræ in uno sensu, vera & à censuræ peri„ culo remota in altero. „

Pag.44. Prop.28. " *Valet Baptismus col*„ *latus à Ministro, qui omnem ritum exter*„ *num; formamque baptizandi observat; in*„ *tus verò in corde suo apud se resolvit: Non* „ *intendo quod facit Ecclesia*.

„ Propositionis hujus condemnatio, non „ potest afferre, nisi infinitas turbas scholis „ & conscientiis: adversatur Doctrinæ Pa„ trum, & Doctissimorum inter Theologos. „

Ibid. " Magna præsumptio est credere „ sensa eorum (qui docuerunt Propositio„ nem illam) deserenda esse ad sequendos „ aliquot Consultores, aut parum intelligen„ tes, aut nimiùm præventos in favorem pro-

„ priarum opinionum, quas volunt toti Ec-
„ clesiæ commendatas reddere, unius autho-
„ ritate Decreti. „

Propositio 29. *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in Fidei Quæstionibus decernendis infallibilitate.* De Propositionis hujus censurâ audiatur Epistola Quesnelli Pag. 28. " Damnatio Propositio-
„ nis 29. fuit facinus maximè audax, quod
„ contra sensum universæ Ecclesiæ unquam
„ aggressa est Roma. „

Pag. 31. " Quæ hæc est miseria? En tibi
„ pronuntiata sententia, quæ decidit litem
„ magnam inter Concilia & Pontifices, quæ
„ Episcoporum & Populi fidem dirigit, quæ
„ Conciliorum authoritatem & necessitatem
„ prorsus destruit; quæ facit Ecclesiam de-
„ pendere à repentino impetu unius Potifi-
„ cis, similis Alexandro VI. vel audacis ut
„ fuit Julius Secundus, & Sixtus Quintus.
„ Denique nos contrarium sustinentes, de-
„ claramur Schismatici, & ipso facto excom-
„ municati, ac cœlum nobis in perpetuum
„ occluditur, si fidem habeamus septem vel
„ octo Theologis Ultramontanis, & toti-
„ dem Cardinalibus, qui ut plurimum, nihil
„ intelligunt. „

Ibid. " Decretum hoc, inquantum spe-
„ ctat Pontificis infallibilitatem in decidendis
„ quæstionibus Fidei, videtur audax facinùs,
„ & nisi in hoc rerum articulo nos strenuos
„ præbeamus, conclamatum est de libertate
„ nostra, & infligitur vulnus, cui serò medi-
„ cina parabitur, si non obstetur principiis. „

Quid ab impudenti schismatico, aut furente in Sedem Apostolicam hæretico, scribi contra eam majori irreverentiâ potuit, & temeritate? Quid aptius ad dissuadendam omnibus erga Decreta Pontificia submissionem? Istud scilicet penès Quesnellum est *magis Sanctè, & magis strictè uniri Ecclesiæ*, rebellionem apertam contemptumque sacrilegum titulo unionis Sanctæ, & Christianæ obedientiæ condecorare. At penes Catholicos, qui Pastorem dentibus dilacerat, non ovis gregis sed lupus, aut ferus aper de Silva est:

Denique conqueruntur perperam, neque multâ digni commiseratione sunt, istiusmodi Novatores, qui conscii Legis Ecclesiasticæ, & quidem observatu facilis, cujus transgressioni excommunicatio annexa sit, eam violant libertate maximâ, ac levitate despiciunt, quasi Lex nulla foret, nulla pœna aut vinculum Excommunicationis.

Inter Regulas Indicis Sacro-Sanctæ Synodi Tridentinæ jussu editas legitur hæc decima: *Si quis libros hæreticorum, vel cujusvis authoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in Excommunicationis sententiam incurrat. Qui verò alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur.*

Pius V. post enuntiatam Constitutionem ex omnibus afflictionibus, sententiam in Bajanos Articulos, statim subjungit ac *quæcunque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium authoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, deque iisdem & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus, dignitatibus, gradibus, honoribus, Beneficiis & Officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus: vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis Articulo, liberare.*

Arnaldus, repudiato hoc Pii V. Diplomate; & quidem postquam à Gregorio XIII. & Urbano VIII. noverat confirmatum, Apologiam edens pro Jansenio in ipsa Præfatione ait: *Aliquæ Propositiones Baii* (à tribus illis Pontificibus damnatæ) *constituunt principia fundamentalia Doctrinæ Sancti Augustini toties à Sede Apostolica approbatæ.*

Imò Arnaldi Discipulus sub nomine fictitio *Joannis Lucæ Veronensis* latens anno 1680. *strenam amatoribus veritatis obtulit*, in quâ Pag. 51. ait: *Hæresis Bajana optimè vocatur imaginaria*, ut vocari ab Arnaldo solet hæresis Janseniana.

Gabriel Gerberon in Operum Michaëlis Baji recentissimâ editione cum vindiciis, contra latam à tribus Pontificibus in ejus Articulos censuram, refert quidem humilem Baji submissionem; sed pro solitâ suâ temeritate atque impudentiâ judicium Apostolicum arguit, dicens: " Valde indiligenter & animo
„ novæ scholæ commentis magis, quàm San-
„ cti Augustini sententiis imbuto, discussa
„ fuisse Michaëlis Baji Opera, liquet ex ipsâ
„ Censurâ, quæ Eruditorum testimonio Ro-
„ manam Sedem dehonestat...

„ Utinam adeò diligens & accurata fuisset
„ ista inquisitio, ut aliquas Sanctorum Pa-
„ trum ac Conciliorum sententias non repro-
„ basset, & in alias brutum ac irritum ful-
„ men non contorsisset! „

Paulò superiùs: " Liber Baji de meritis
„ operum, de primâ hominis justitiâ, de
„ virtutibus impiorum, de peccato originis,
„ de justificatione, de libero arbitrio &c.
„ vios quosdam alioquin eruditos; sed ma-
„ gis

„ gis in futilibus quibusdam scholæ recentioris disceptationibus, quàm in Scripturis „ Sacris, & Patribus exercitatos offendere „ potuit: Pontificem [Pium V. doctissimum „ & Sanctissimum] pariter offendisse potuit; „ ex aliorum videlicet pravo relatu. „

Non hæret Gerberonius in vagis istiusmodi adversus Romanum judicium contumeliis; sed mox ad Dogmata dilabitur particularia, quibus contra Apostolicam Constitutionem audacissimè defensis, consonâ toti disputationi impudentiâ sic conducit: " Ex qui„ bus æquiores arbitri deducunt, non modo „ inutilem; sed fovendis & augendis; quàm „ sedandis ac componendis contentionibus „ aptiorem; imò magis in Catholicæ verita„ tis perniciem, quàm in errorum extirpatio„ nem latam esse arbitrantur Censuram „ hanc. „

Aut ibi Gerberonius impingit apertissimè & temeritate, quâ vix ulli cedat Schismatico, in Antibajanam trium Pontificum Constitutionem, incurritque latam illic anathematis pœnam, aut quid tandem ad hoc opus sit, cupio à quocunque legum Interprete Catholico edoceri. Catholico, inquam; nam & ipse Gerberonius se jurisperitum venditat, fictitium agens *Abbatem Frigidæ Vallis*, neque veretur *Eminentissimis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dicare* infame Opusculum, quod vocat *Juris Pontificii Quæstionem circa Decretum ab Inquisitione Romana adversus 31. Propositiones latum*.

Illic ementitus Abbas, quasi Pontificis volens parcere honori, veriùs ut spiritum suum Schismaticum, quasi reverentiæ velo obtegat, Pontificis definitionem in solorum vertit sententiam Inquisitorum. Ad convincendum autem Gerberonii mendacium sola requiritur inspectio Decreti.

In illo enim post examinis à Pontifice imperati & omnium relationem Propositionum statim subditur: *Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit & decrevit triginta & unam Supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, Erroneas, Schismaticas & Hæreticas respectivè, esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet, ita ut quicunque illas aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à quâ non possit præter quam in Articulo mortis, ab alio, quâcunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi*.

Evidens itaque est & sententiam esse Pontificis, & Ecommunicationem ipso facto incurrendam infligi cuicunque Propositiones illas sive conjunctim sive divisim defendenti, ut Quesnellum vidimus defendere audacissimè, & nunc videbimus Gerberonium in sua *juris Quæstione*, quam ex Galliâ profugus composuit, ediditque in Belgio, etsi fingatur esse *juxta exemplar impressum Tolosatibus*, ubi talis operis impressionem, minimè verisimile est fuisse permittendam.

Ea fictio non soli tribuenda est Typographo; sed potiùs authori, ut Lectorem decipiat, ne miretur talia scribi in Belgio, ubi neque author, neque Typographus, si innotesceret, abiret impunè; sed tam scriptio, quàm editio simulatur tribuenda Galliæ, quia major ibi prætenditur à Novatoribus libertas, quàm communiter à Catholicis agnoscatur. Quidquid sit, audiendus hic nobis Gerberonius, tanquam *Abbas Frigidæ vallis*.

Statim rem ipsam aggreditur Pag. 5. interrogans simul & respondens didacticè, sine tergiversatione, & ambagibus. " Estne (in„ quit) Decretum validum? Respondet ju„ ris Pontificii Candidatus esse ipso jure nul„ lum. Nam primò ad legem condendam, „ jura requirunt inter alia, ut sit utilis non „ Principi statuenti; sed Populis, quibus lex „ imponitur. Atqui præmissum Inquisitio„ nis Romanæ Decretum prorsùs inutile est „ Reipublicæ Christianæ, & nihil illi condu„ cit; Ergo ipso jure nullum est. „

Pag. 7. " Secundò prædictum Decretum „ magis in Ecclesiæ pernicem, quàm in ejus „ bonum vergit. Ergo prædictum Decretum „ ipso jure nullum est. „

Pag. 9. " Tertiò Decretum de quo hìc „ agitur, est per se injustum. Ergo est ipso „ jure nullum. „

Pag. 11. " Quartò in Decreto, de quo „ loquimur, pœna in multis summè excedit „ culpam. Ergo ejusmodi Decretum per se „ est injustum. „

Pag. 12. " Quintò Decretum, de quo „ hìc agitur, est subreptitium. Ergo ipso ju„ re nullum. „

Non hæret Gerberonii impudentia in censuris & contumeliis adversus Decretum generalibus: Propositiones complures seligit defendendas. Sic Pag. 11. ait: " Octava Pro„ positio: *Necesse est Infidelem in omni opere* „ *peccare*: & Undecima: *Omne quod non est* „ *ex Fide Christianâ supernaturali, quæ per* „ *dilectionem operatur, peccatum est*; præ se „ fert sensum, quo Sanctus Augustinus firmi„ ter ac confidenter contra Semipelagianos „ demonstravit, quòd omne, quod non est „ ex

„ ex fide, quæ per dilectionem operatur, peccatum eft, & quod proinde omnia Infidelium opera, fi non ex officio, faltem ex non recto fine peccata funt.„

Ibid. Vigefima tertia Propofitio, eft ipfiffima Sancti Dionyfii fententia, quam nullo jure à Cenforibus damnari, nemo eft, qui non videat.„

Quod de Sancto Dionyfio dicitur, à me in fuperioribus refutatum eft, uti & cætera ferè omnia quæ pro aliarum defenfione Propofitionum à Gerberonio adferuntur. Videtur enim Quefnellus in fuis Articulis ftudiosè colligere voluiffe, quidquid in Bajo, Janfenio & utriufque Sectatoribus fuerat hactenùs condemnatum. Quapropter ne in immenfum mea excrefcat lucubratio, à repetendis toties errorum expugnationibus abftinere cogor, etfi exceffus eorum maximè enormes, & omnibus orthodoxis execrabiles fæpius juverit memoraffe, ut affectata aliàs modeftia & pietas, de hypocrifi locis pluribus convicta neminem lateat. Non enim vacat omnibus totum opus perlegere.

Prætereunda hìc non eft fcheda ipfius Gerberonii exarata manu, ubi Decretum Alexandri VIII. defcribitur, & ad Propofitiones fingulas Notæ perbreves, quæ non paucis Authorem fuum excommunicationibus innectunt, ut lector facilè perfpiciet.

Sic nempè in fchedâ eft: Prima Propofitio damnata: *In ftatu naturæ lapfæ ad peccatum formale & demeritum fufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in caufa fua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* " Hæc Propofitio [inquit Gerberonius] eft vera in Sancto Anfelmo.„

Propofitio fecunda damnata: *Tametfi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ftatu naturæ lapfæ operantem ex ipfa non excufat à peccato formali.* " Hæc Propofitio (inquit Gerberonius) eft Catholica in fenfu quo à Theologis afferitur.„

Propofitio tertia damnata: *Non licet fequi opinionem vel inter probabiles probabiliffimam.*" Hæc Propofitio (inquit Gerberonius) „ conficta eft in fenfu quo damnatur.

Propofitio quarta damnata: *Dedit femetipfum pro nobis oblationem Deo, non pro folis Electis; fed pro omnibus, & folis Fidelibus.* Gerberonius: " Hæc Propofitio eft Catholica.„

Propofitio quinta damnata. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jefu Chrifto influxum, adeòque hinc rectè inferes; in illis effe voluntatem nudam & inermem fine omni gratiâ fufficienti.* Gerberonius." Propofitio eft Catholica, & Sanctorum Patrum in fecundâ parte: primâ eft fictitia & æquivoca.„

Propofitio fexta damnata: *Gratia fufficiens ftatui noftro non tam utilis, quàm perniciofa eft: fic ut proinde meritò poffimus petere: à gratiâ fufficiente libera nos Domine.* Gerberonius: " Prima pars eft æquivoca: fecluso joco „ eft Catholica in fenfu dicentis.„

Propofitio feptima condemnata: *Omnis humana actio deliberata, eft Dei dilectio vel mundi, fi Dei, charitas Patris eft; fi mundi, concupifcentia carnis, hoc eft mala eft.* Gerberonius: " Propofitio feptima eft Catholica fententia S. „ Auguftini, & S. Leonis, fi benè exprimatur.

Propofitio octava condemnata: *Neceffe eft Infidelem in omni opere peccare.* Gerberonius: " Propofitio eft Catholica, & certa in „ fenfu afferentium.„

Propofitio nona condemnata: *Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & difconvenientiam cum naturâ, fine ullo ad Deum offenfum refpectu.*

Propofitio Decima damnata: *Intentio, quâ quis deteftatur malum, & profequitur bonum merè ut cœleftem obtineat gloriam, non eft recta, nec Deo placens.* Gerberonius:" Propofitiones nona & decima funt confictæ & „ æquivocæ.„

Propofitio undecima damnata: *Omne, quod non eft ex Fide Chriftianâ fupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eft.* Gerberonius. " Propofitio eft Catholica Sancti Auguftini fententia.„

Propofitio duodecima condemnata: *Quando in magnis Peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamfi videantur credere, non eft fides Divina; fed humana.* Gerberonius: " Propofitio eft Catholica, & „ omnium ferè Theologorum.„

Ad Propofitiones alias ufque ad vigefimam fecundam inclufivè dicit Gerberonius, quòd fint confictæ, & pleræque æquivocæ.

Propofitio vigefimatertia damnata: *Similiter arcendi funt à Sacrâ Communione, quibus nondum ineft amor Dei puriffimus, & omnis mixtionis expers.* Gerberonius. " Propofitio eft Sancti Dionyfii.„

Propofitio vigefima quarta damnata: *Oblatio in Templo quæ fiebat à Beatâ Virgine Mariâ in die Purificationis fuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauftum, & alterum pro peccatis, fufficienter teftantur, quod indiguerit Purificatione, & quod Filius qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus effet, fecundùm verba Legis.* Gerberonius: " Propofitio conficta eft per calumniam & „ ignorantiam.„

Propofitio vigefimaquinta damnata: *Dei*

Dei *Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare*. Gerberonius: " Propositio „ est expressa Sancti Augustini Doctrina.

Propositio vigesima sexta damnata: *Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est*. Gerberonius:" Propositio est conficta & æqui- „ voca. „

Propositio vigesima septima damnata; *Valuit aliquando Baptismus sub hac formâ collatus in nomine Patris &c. prætermissis illis Ego te Baptizo*. Gerberonius:" Propositio est conficta. „

Propositio vigesima octava condemnata: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus verò in corde suo apud se resolvit, Non intendo quod facit Ecclesia*. Gerberonius: " Propositio est Catholica & plurium „ Theologorum. „

Propositio vigesima nona damnata: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum autoritate, atque in Fidei Quæstionibus decernendis infallibilitate*. Gerberonius: " Propositio est omnium Gallorum. „

Propositio Trigesima condemnata; *Ubi quis invenerit Doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respicendo ad ullam Pontificis Bullam*. Gerberonius: " Propositio conficta est & „ æquivoca. „

Propositio trigesima prima damnata; *Bulla Urbani VIII. In Eminenti est subreptitia*. Gerberonius: "Propositio est vera & „ certa. „

Hactenus Gerberon. Nonne istud apertissimè est impingere in Decretum, quo Christi Vicarius Propositiones istas ita prohibet, ut *quicunque illas aut conjunctim aut divisim defenderit, aut de iis etiam disputativè publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem*?

Causari Gerberonius non potest sive prohibitionis adeò rigidæ, sive pœnæ delinquentibus impositæ adeò gravis ignorantiam, utpotè qui Decretum manu propriâ descripsit, ut suis illud ad Propositiones singulas animadversionibus vellicaret. Contracta itaque multis adeò transgressionibus à Gerberonio excommunicationis pœna, manifestissima est. Quis proindè hominem tam temerarium, supremæ in Ecclesiâ authoritatis & constituti ab eâ anathematis, *ipso facto incurrendi*, irreligiosum adeò contemptorem, mirerur à nobis *respici atque tractari, tanquam indignum qui sit in Ecclesiâ, vel ab eâ separatum*? Ipse se voluntariè & malevolè separavit, ceu-ties sacrilegus & irregularis.

Ne auxesios figuram hic me sectari autumes Lector, vel duritiem, considera eum spatio annorum ferè quadraginta in Jansenianis & Bajanis Propositionibus, fuisse obstinatum, uti & intereà in damnatis pluribus ab Alexandro VIII. absque ullâ ad finem usque vitæ, quantum scire nobis licuit, pœnitentiâ. Toto autem illo tempore, præterquàm eo quo carceribus mancipatus partim in Belgio, partim in Galliis fuit, Divina, ut supponitur, celebrare mysteria non destitit, excommunicatus pariter & irregularis.

Hæc Ethica Jansenistarum securior est, hæc penes Quesnellum sanctitas eximia, & unio maximè stricta cum Ecclesiâ. Quis enim dubitet, quin fidum suum Achatem, & in novæ Fidei, novæ Ecclesiæ defensione generosum præ cæteris, atque intrepidum commilitonem comprehendi voluerit præsenti suâ, pro persecutionem immeritò patientibus Apologiâ? *Nimis sæpè contingit, membra illa quæ magis sanctè, & magis strictè unita sunt Ecclesiæ, respici atque tractari, tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata*. Sed (quàm aptè istiusmodi Confessoribus Quesnellus applicat, quod sequitur!) *Justus ex fide vivit, non ex opinione hominum*,

Celebris in Belgio Censura est, quam Facultas Theologica Lovaniensis, seu major & sanior ejus pars anno 1685. die 13. Novembris tulerat adversus Ægidii de Witte Articulos quosdam Anti-Pontificios. Repressa utcunque, eo Lovaniensium judicio apparebat Ægidii temeritas, donec ex Galliâ Profugi Jansenistæ Arnaldus, Quesnellus, Gerberonius suppetias tulerunt. Tunc magis, quàm unquam antè contumeliæ in Sedem Apostolicam resuscitatæ sunt.

Gerberonius sub nomine Francisci Manseau in *Examine Responsi ad querelas de Archiepiscopi Mechliniensis Dogmatibus, & agendi ratione*. Pag. 82. Ægidio succurrens ait. " Hujus authoris generosè persecutionem „ patientis propter justitiam, doctrina inju- „ stè proscripta est, per nescio quam, mise- „ rabilem Censuram quorumdam Lovanien- „ sium Theologorum. „

Quomodo non suscepissent Jansenistæ illi in Belgium Profugi causam Ægidii de Witte, quando ipse Tornacensium Episcopus Gilbertus de Choyseul, novos Augustini Discipulos ubicunque posset, protegere solitus, eandem sibi assumpsetat vindicandam? Sic ille anno 1688. Steyaertio in Epistolâ typis editâ pag. 29. ait. " Vestram fa- „ cultatem (Lovaniensem) semper venera- „ tus

„ tus sum, Frater; sed vix temperem, quin „ istam, quâ Domini de Witte scripta inusta „ sunt, Censurâ, minùs justam esse existi„ mem, ne dicam præcipitem. Nihil in „ scriptis Domini de Witte deprehendi nisi „ Catholicum; imò sententiam ejus puto ad „ Fidem Catholicam pertinere, & à Deo re„ seratam.„

Nihilominus in Belgio nostro Austriaco nullus Episcopus in suâ Diæcesi Ægidium illum tunc pati voluit. Pernicio.um nimis & indocilem Novatorem statuerat Archiepiscopus Humbertus arcto carcere coërcere; nisi quantocius deposito Pastoris officio & Collegiatæ Ecclesiæ Decanatus, se Mechliniâ, & extra totius Archidiæcesios limites recepisset.

Gandavum se contulit, quæ Civitas ipsi Patria erat; sed mox ab illius quoque Diæcesios Antistite jussus migrare, in Pago Aughemio non procul Aldenardâ, Parochum nactus fuit benevolum receptorem. At Conventiculum illic celebrari audiens Aldenardensis Gubernator, immissâ illùc nocte militum turmâ Conciliabulum dissipavit. Quapropter cùm in ditione Catholicâ pedem Ægidius figere non sineretur, Ultrajectum se contulit, à Batavis nihil molestiæ metuens propter Jansenii & Baii hæresim, in tam multis consonam Calvinianæ.

Cui igitur dubium apparere poterit quin Ægidium hunc Quesnellus intelligi à nobis voluerit in numero illorum, qui *magis sanctè & magis strictè uniti sunt Ecclesiæ*; quos tamen *nimis sæpè contingit respici atque tractari tanquam indignos qui sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatos*? Sanctitatem scilicet Quesnellianæ congruam Ecclesiæ, & unionem cum eâ strictissimam, quibus probare potuit illustrioribus argumentis, sive actibus magis heroicis, quàm editionibus talium librorum, quorũ vel soli tituli indicant authorem intrepidum, nullis unquam certum cedere definitionibus, quantumlibet sæpè à Sede Apostolicâ iteratis, & quantocunque acceptatis Antistitum consensu?

Quid nempè fortius à novæ Ecclesiæ Apostolo scribi potuit, quàm *Panegyris Janseniana*? Ibi ad nova pro Jansenio prælia, & quasi certam victoriam suos author confidentiùs invitat ipsâ *Panegyreos* fronte denũtians, advenisse *Tempus loquendi*. Condemnatâ Panegyri tum à Sede Apostolicâ, tum à charis sibi aliàs Lovaniensibus, nequaquam territus Ægidius, tres substituit Apologias, audaciâ nihil remittente; quin ut in lapsu gravium observant Mathematici, diuturnitate lapsuum addente motibus incrementa. Addita est his *Apologia nova pro doctrinâ Sanctâ Sancti Cornelii Jansenii*. Fueratne audita hactenùs similis in Christi Ecclesiâ temeritas? Accessit etiam grandiore volumine *Augustinus Iprensis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. ereptus & erutus per Ægidium Albanum* (Belgicè Ægidium de Witte) *nuper in Civitate Metropolitica Mechliniensi Decanum, & Pastorem Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ trans* (Flumen) *Diliam*.

Aliud ejusdem authoris opusculum eodem tempore typis editum, molis quidem minus complectitur; sed non minus audaciæ, & furoris, quàm quidquid hactenùs ab eodem luci datum conspeximus, ipso quodammodo fatente Ægidio Pag. 1." Rem (inquit) „ magnam aggredior, ô! Ecclesia Catho„ lica, & hac quidem ætate insolitam peni„ tùs ac peregrinam; sed insueta tentare „ compellit durum telum necessitas.„

Quænam ea? In ipsâ copiosè legitur operis facie *Denuntiatio solemnis Bullæ Clementinæ* [*quæ incipit, Vineam Domini Sabaoth*] *facta universæ Ecclesiæ Catholicæ, ac præsertim omnibus Hierarchis ejus tanquam evertentis doctrinam gratiæ, quâ Christiani sumus, tanquam resuscitantis Pelagium cum suis affectis, tanquam objicentis Ecclesiam extraneorum scandalo, diffidia jam nimium diu durantia, acerbiùs exulcerantis, atque sub sensus Janseniani involucro, prim s & certissima Christianæ pietatis, humilitatis, gratitudinis, Spei ac Charitatis principia ac fundamenta, hoc est gratiam Dei per se efficientem hæretico carbone notantis. Quasi tuba exalta vocem tuam. Isaiæ* 58.

Grandia ut vides, & prorsus mirabilia ostentat ipsâ suâ fronte lucubratio: qualia necesse est contineat textus, conveniente inscriptioni audaciâ deductus?

" Nullatenus dubito (inquit pag. 2.) „ quin, si in Spiru Sancto legitimè congrege„ ris, ô Sponsa Christi! Bullamque Clemen„ tis XI. anno Incarnationis Dominicæ 1705. „ 17. Kalendas Augusti editam, maturâ de„ liberatione excutias, eandem compertura „ sis multo evidentiùs ac periculosiùs *alie„ nam ab Apostolicis Dogmatibus & à defini„ tionibus Sacrorum Conciliorum, & cuncto„ rum probabilium Patrum*, quàm illas Ho„ norii ad Sergium literas, quæ suis ambi„ guitatibus atque obscuritatibus involutæ, „ sententiam Pontificiam haud ita perspicuè „ & tersè pandunt.

„ De Clementis autem hodiè in Aposto„ licâ Sede confidentis mente, aut senten„ tiâ,

„ tiâ, nihil planè est quod te inectam, aut „ ancipitem tenere valeat.„

Pag. 3. " Confer Augustiniana & Janseniana Dogmata, & deprehendes, non ita „ lucere solem in meridie, quàm Iprensium „ Præsulis cum Doctorum tuo Apice Aurelio Augustino suavissima concordia splendeat.„

Pag. 4. " Tandem (Adversarii) fastigium ferali machinæ addidere per Constitutionem nuperam Clementinam, quæ „ Alexandri VII. Definitionem renovans, simul vias omnes intercipit, & effugia obstruit, quibus Iprensis Antistitis patroni „ hactenus, sive ipsam Alexandri Bullam in „ initius trahere, sive gratiam Divinâ virtute suâ, quæcunque voluerit, efficientem, „ à damnatione Pontificiâ eripere satagerunt.

„ *Facti* & *Juris* Quæstio, quâ viri celebres Doctrinam sanam hactenus servabant „ incolumem, per Clementem rejecta, abolita, exsufflata est: *Silentium obsequiosum* „ æterno silentio sepeliendum. Concertatio „ *de sensu obvio, quem ipsæ Propositionũ verba præ se ferunt*, evanuit, excessit, evasit. „ Ipsemet individuus Janseniani libri sensus, „ interno abnutu ut hæreticus proscribendus „ est: nec ore solùm; sed corde damnandus.„

Pag. 5. " Cùm Janseniani libri sensus, „ quem atro hæresios carbone Clemens notat, non alius evidenter, quàm ipsemet „ celebratissimi Doctoris tui Aurelii Augustini sensus sit, quod ego Sanctorum tuorum minimus contra quoscunque ad solis „ radios monstrare spondeo; perspicis ô sapientissima Mater, in quam perniciem conjiciat fideles tuos ista Archi-Antistitis tui „ Bulla; utpote quæ strenuissimi adversus „ Pelagianam pestilentiam Athletæ tui Dogmata, sub titulo Janseniani sensus ejurari „ mandet.„

Pag. 11. Sic *denuntiationem* Ægidius concludit: " Quamobrem, ut undè cœpi, deni„ que redeam, ac finem dicendi faciam, „ Constitutionem jàm sæpiùs memoratam, „ ego minimus in Domo tuâ, ô! Sponsa „ Christi, Præfectis tuis omnibus per orbem „ sparsis, denuntio, ut inimicam gratiæ Dei, „ ut fautricem Pelagianæ superbiæ, ut ca„ lumniatricem insignis Episcopi (Jansenii) „ ut destructricem Hierarchici Ordinis, per „ ea quæ extorqueri mandat perjuria, ut om„ nis boni, quod à solâ verâ gratiâ manare „ potest, obtruncatricem, omnis mali iliadem, animarum ruinam, salutis excidium, „ & tuam apertam, ac inevitabilem stragem.„

Huc usque Ægidius denuntiationem suam hoc terminans versu Psalmi 39. *Domine Deus meus annuntiavi justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ*. Dicere oportuit in Ecclesiâ perquàm restrictâ, utpote quæ ex universis Orbis Catholici, & præcipuè Regni Christianissimi Episcopis nonnisi unum habuit Constitutioni illi Pontificiæ refragantem; eumque minimè levi, & non uno pridem in suis lucubrationibus notatum stigmate.

Recepit autem Bullam eamdem in Comitiis Generalibus Clerus Galliæ, ipsaque Lovaniensis Academia solemni actione gratiarum, & cantu publico Hymni Ambrosiani. Edicat autem Ægidius, ubinam ab ullo exploratæ Fidei Scriptore oppositionis quidpiam editum sit, vel adversi sermonis publicè auditum. Sola frenduit apud Calvinistas Batavos Janseniana Factio liberiùs; timidè verò, & nonnisi clandestinis Conventiculis in Galliâ & Belgio. Ubinam igitur *Ecclesiam* illam *magnam* Ægidius reperit, in quâ Fidei suæ *annuntiaret Justitiam*?

Paucitatem hîc suam ac penè solitudinem advertens, animum tamen non despondet; sed ex ipsis suis cladibus veluti fortior in *Augustini Iprensis vindiciis uberioribus*. Pag. 43." Quidquid [inquit] circumveniantur „ Pontifices, dormitent Episcopi, sileant eru„ diti, me solum relinquant, Clementinam „ Bullam variis effugiis & cavillis frigidissi„ mis tueri pergant: Quidquid demum oc„ clament contra me inimici, vel deficiant „ amici; &c.

Verùm si ab Ægidio omnes deficiant, etiam amici adeò ut *relinqui solus*, & unicus supponatur, cui censebitur Ecclesiæ, nisi forsitan invisibili *membrum magis sanctè & magis strictè unitum*?

Denique in Romanâ Ecclesiâ juxta Ægidium vera pietas esse non potest: quâ igitur ratione prædicabitur sancta? Pag. scilicet 46. solicitè nos admonet, dicens: " Veræ pieta„ tis ædificium exstrui nullo modo potest, „ nisi positis à Clarissimo Jansenio sanctissi„ mis & humillimis innixum basibus, qui & „ propterea inter veræ sapientiæ mysticæ „ Patronos, Doctores, ne dicam Coryphæos „ non immeritò numerandus est.„

Bases autem illas à Jansenio positas minimè admittit; sed respuit, horret, anathemate detestatur Ecclesia Romana, Ducibus, ac jubentibus summis Christi Vicariis. Proinde suo Ægidius convincitur testimonio, quòd in Ecclesiâ Romanâ non sit, certè esse nequaquam cupiat.

Quomodo enim membrum velit esse istiusmodi cœtus, in quo *vera pietatis ædificium*

cium neque ullum fit, neque exstrui ullo modo possit, defectu basium necessariarum? Præterea juxta hujus Theologi simul & Quesnelli computum, Romana Ecclesia aut tota in hæresim incidit, aut incidet propediem.

Juxtà Ægidium enim in iisdem *vindiciis uberioribus* Pag. 42. "Post examen non adeò „ diuturnum (Augustini & Jansenii) ad meridianam lucem clarescet Bullæ Clementinæ „ obreptio, subreptio, hallucinatio, & in „ totius Christianæ Religionis perniciem directa fraus. Pullulat tamen Bulla ista, & „ radices agit per annos sex, & exurgit, & „ germinat, & increscit nocte ac die; & cùm „ produxerit fructus plenos ut messis fiat, „ mittent falcem suam cum suis asseclis Jesuitæ, & parùm aberit quin Ecclesiam, jam „ nunc Moliniano suo afflatu satis arentem, „ quaqua patet, in horrea sua Pelagiana colligant universam. „

Sex illis annis jam alii tredecim accessere; intereà a nobis Ægidius abijt, in mundo alio aliam quæsiturus Ecclesiam, innixam *basibus illis sanctissimis & humillimis* Jansenianæ gratiæ, *sine quibus veræ pietatis*, proinde & beatitudinis *ædificium extrui nullo modo potest*.

Ab annis ampliùs quadraginta certiores nos Quesnellus reddiderat Propositione 95. *Veritates eò devenisse, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi sit veluti idioma incognitum: adeò remotus à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum Fidelium: neque advertatur satis, quòd hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos*. Porrò Interprete Paulo Apostolo ad Hebræos cap. 8. *quod antiquatur & senescit, propè interitum est*.

Unde verisimile apparet, Ecclesiam nunc penitùs interiisse, siquidem perspicuum est Romanam Ecclesiam universam destitutam illis basibus in Jansenianâ gratiâ consistentibus, ædificium sibi longè aliud delegisse Ægidianæ illi Religioni *Sanctissimæ* & humillimæ prorsus oppositum.

Eadem Romanæ Ecclesiæ jam absoluta destructio penes novos Augustini Discipulos confirmari videbitur ex eo quod Sancyranus ab annis nonaginta judicaverit *Deum ipsum tunc Ecclesiam dissolvisse*, ante secula complura cœpisse destruere, seque asseruerit paratum Cisterciensis Ordinis Abbati & Secretario Generali, *ex Doctrinâ Patrum & Conciliorum demonstrare evidenter usque ad quæ secula duraverit vera Christi Ecclesia*. Ex jurato id nobis constat ejusdem Religiosi testimonio.

Denique Clemens XI. Pontifex verè Optimus Maximus Bullâ *Pastoralis officii* declaravit nullam se habere velle in Spiritualibus Communionem, cum omnibus Constitutionem *Unigenitus* non recipientibus. Quæ autem Orbis Catholici Regio fuit, quæ Provincia, aut Civitas, quæ eum tanquam Christianæ Caput Legitimum Ecclesiæ non agnosceret, non sibi venerabilem profiteretur ut Filio parentem?

Quidquid verò in aliquibus subinde defuit obedientiæ, simile videri potuit quibusdam in filiisfamilias, paternorum transgressionibus mandatorum: At in rebellibus adversus Sedem Apostolicam Jansenianis nihil sanctæ obedientiæ, aut veræ pietatis deprehenditur; sed subdolis tantùm obducta fallaciis hypocrisis.

Eam in Quesnello detexere clarissimè Prolegomena tomi primi, ubi Epistolam ejus ad Clementem XI. dolo plenam, convenientibus animadversionibus illustravi.

Cùm denique omnibus præsentem Quesnelli Articulum legentibus appareat perspicuum, quod ad se suosque in novitatibus socios hic potissimùm attenderit, quos palam notum est, *sæpè respici atque tractari tanquam indignos ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separatos*, qui tamen Sententiâ Quesnelli, *membra sunt Ecclesiæ magis sanctè, & magis strictè unita* Corpori; exigit ea temeritas ut exemplis aliquot ad ipsos præcipuè Factionis Coryphæos attinentibus discutiatur.

Epistola Patris Thorentierii, qui loco exulis Generalis, Berullianum in Galliis Oratorium, Assistentis & Vicarii Potestate moderabatur, specimen suppeditat, Quesnelli dignum querimoniâ. Scripta Epistola erat Responsoria, ad eam, quam dederat Pater Picquery Montensis Oratorii Rector.

In sensum hic abductus reprobum dicitur institutione Quesnelli, postquam hic è Galliis in Belgium profugerat. Quænam præterea & undè orta Congregationi, præsertim in junioribus, depravatio fuerit, utcunque ex eâdem discitur Assistentis Epistolâ datâ 23. Junii 1691.

Refert ea Thesim Episcopo dicatam Andegavensi, quâ Oratorii Patres egregium suæ Congregationis, ac præcipuè Generalis Præpositi elogium hac brevi exibent periodo: *Non alio, quàm Andilii & Arnaldi doctrinæ lacte enutriri filios passus est Generalis noster Præpositus*. Andilius & Episcopus ille, Arnaldi fratres erant, cum eo etiam sensibus conjuncti. Circa Magnificam autem hanc Dedicationis laciniam sapienter animadvertit Thorentierius, *totam Oratorii Congregationem* con-

conspicere, & mirari, se hac professione redditam esse Jansenianam.

Fuisse Præpositum Generalem inter *membra magis sanctè & magis strictè unita Ecclesiæ*, Quesnellus indubiè vix minùs credi voluerit, quàm seipsum inter ea locum præcipuum promereri; sed non eadem tunc fuerit Parisiensis Archiepiscopi, aliorumque sententia, qui authores Regi Christianissimo fuere decernendi exilii adversùs illum Præpositum tanquam adversus hominem corrumpendo, destruendoque suo Ordini idoneum potiùs, quàm ædificando.

Satis prospiciebat Rex sapiens, quanta fidei strages in ditionem Christianissimam derivanda esset, quantum hæresios novæ contagium, si Congregationem, totâ Galliâ propagatam, tot præfectam juvenum Ecclesiasticorum Seminariis & Scholis, tantâ apud summos & infimos valentem authoritate, tamâ etiam probitatis, contingeret fieri hæresios disseminatricem.

Quapropter cum infamia hæc aliquando Presbyteros illos non leviter aspersisset, parum absuisse dicitur, quod & ipsius Thorentierii ad Montensem Præpositum Epistola satis indicat, quin totam Rex Congregationem in Gallia dissolveret. Sed promissa tunc sanioris doctrinæ formula, subscriptionibus firmanda omnium, Congregationem tunc ab exitio liberavit.

Quesnellus sibi fugâ consulere maluit, quàm se præbere morigerum Regi, Archiepiscopo Parisiensi suique Ordinis Generalibus Comitiis, etiam iteratis. Ita scilicet se *magis sanctè & magis strictè unitum* præstare *Ecclesiæ* voluit, non quidem Romanæ, cujus fidem impugnat; sed Bajo-Jansenianæ in quâ *Sanctos* inter *Patres* jam inde meruit *Augustino* proximus celebrari.

Post obitum Arnaldi Novatoribus in Hollandiâ Missionariis ConsultorTheologus, Magister, & quasi alterum Quesnellus Oraculum fuit; sine cujus consiliis, atque directione vix aliquid contra Missionarios Orthodoxos, præcipuè Religiosos, contra Pontificium apud Bruxellenses Internuntium, & Romanam Curiam, nova factio moliebatur.

Adversus hanc necesse habuit Clemens XI. Fidelem populum insigni Brevi Apostolico commonere anno hujus seculi tertio die 7. Aprilis." Ut quod paucis denuntiatum est
„ (inquiebat Pontifex) omnibus istarum re-
„ gionum Catholicis pleniùs innotescat, nul-
„ lusque ampliùs de Pontificia nostra volun-
„ tate ambigendi supersit locus, eâ de re vos
„ omnes, dilecti Filii, per præsentes literas
„ duximus admonendos, de vestrâ quidem
„ eximiâ pietate, constantique erga Apostoli-
„ cam Sedem obedientiâ planè confisi, nul-
„ lam imposterum apud vos fidem, aut adi-
„ tum inventuros paucos illos, Ecclesiæ si-
„ mul & Reipublicæ turbatores, qui subdo-
„ lis artibus, falsisque narrationibus candidos
„ animos vestros decipere, aut etiam, si pos-
„ sent, in errorem abducere conati sunt.
„ Sinite illos, Dilecti Filii; quia cæci sunt,
„ atque utinam non excæcaverit illos malitia
„ eorum! Ostendite vos veras Christi oves
„ esse, qui supremi in terris Pastoris, ab eo-
„ demDomino constituti monitis obsequun-
„ tur, & non audiunt voces alienorum. Alie-
„ ni profectò sunt, qui dum gregem Dei di-
„ videre tentant, mactare potiùs ac perdere,
„ quàm custodire velle deprehenduntur.
„ Obtendunt illi quidem exactioris disciplinæ
„ speciem, ac de rigidioris Theologiæ sibi
„ famâ blandiuntur; quales verò animò sen-
„ sus foveant, quove mente colliment, qui-
„ cunque sapiens rerum æstimator facilè ju-
„ dicabit certissimâ illâ, quâ nos ad eos, qui
„ veniunt in vestimentis ovium, dignoscen-
„ dos, Salvator noster instruxit, adhibitâ
„ regulâ *à fructibus eorum cognoscetis eos*.
„ Quis enim, ut cætera taceamus, tot ab iis
„ hac in causâ editos libellos videat jurgiis,
„ maledictis, mendaciis, calumniis, apertâ-
„ que in Apostolicam Sedem irreverentiâ ac
„ temeritate undequaque scatentes, quas
„ magno vel ipsis heterodoxis scandalo fuis-
„ se comperimus, quin statim agnoscat, quàm
„ longè illorum authores defensoresque à
„ Spiritu Dei sint, qui non est dissensionis
„ Deus; sed pacis: quam longè à sincerâ
„ Christi charitate, quam adeò verbis præ-
„ dicant, factis destruunt: quàm longè de-
„ mùm à veræ humilitatis, & obedientiæ,
„ quæ cæterarum virtutum fundamenta
„ sunt, tramite; dum adversùs ipsam Beati
„ Petri Sedem, Christianorum omnium Ma-
„ trem & Magistram, caput attollere, ejus-
„ que mandatis obviam ire; quin imò & po-
„ testatem convellere, ac palàm impetere
„ non erubescunt.
„ Vos autem, Dilecti Filii, non sic; sed
„ in accepto à Majoribus vestris pietatis insti-
„ tuto perseverantes, quem religione profi-
„ temini, Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
„ Principatum promptâ, ut verè Catholicos
„ decet, obedientiâ comprobate."

Quesnellus verò omnes illos Ecclesiæ & Reipublicæ perturbatores, libellorum infamium Scriptores, fautoresque, incentores inobedientiæ & rebellionis adversùs Petri Cathedram, quo magis temerarii fuerint, & sacrilegi, magis Sanctos prædicat, *magis Sanctè, & magis strictè unita Ecclesiæ membra*, cujus corpus discindere, atque à capite divel-

divellere modis omnibus conantur: Caput quoque ipsum maledicis vellicaut Scriptionibus, & velut unguibus dilaceratum, etiam calcibus obrerunt.

Quid infamium olim imaginum, præcipuè contra Pontificem, & Cardinales, Lutheri atque Calvini hæresis excogitavit; quod occasione Petri Codde, depositi à munere Vicarii Apostolici, non iterum excudit rabies Janseniana, quibusdam non melioris notæ superadditis, quæ viderentur præsentibus propria circumstantiis? Hac suâ Janseniani Batavi temeritate sacrilegâ, exemplo fuere sociis Parisiensibus, ut typis ederent imaginem, ubi impia effingitur solemnitas, quâ Clemens XI. Pontifex verè Sanctissimus, bajulis quatuor Cardinalibus ad inferos deferretur, illic, me janitore, cum cæremonia admittendus.

Istiusmodi fructus Quesnellianæ fidei & charitatis sunt, tantopere à Magistro & discipulis solitæ prædicari. Sic illi *magis sanctè, & magis strictè* unita asseruntur *Ecclesiæ* suæ *membra*: talis *justitia* est, quâ in fide illic, & *ex fide vivitur*, Calvinianæ non multum dissimili.

Sed non tam citò relinquere nos oportet Quesnelli in Hollandiâ Proselytos, Religionis affinitas valde idonea est, conciliandis ibi novæ Ecclesiæ Patronis; quemadmodum oppositio fidei maxima eorum, qui Pontifici adhærent, ratio apparet aptissima obtinendis apud Acatholicos proscriptionibus eorum, quos nova Ecclesia sibi sentit præcipuè infestos. Eodem conducit ratio politica, & schismaticæ consona Religioni" Quod Rei„ publicæ securitati minimè expediat, Missio„ narios illic tolerari supremam agnoscentes „ in Pontificibus authoritatem, quoad De„ finitiones fidei à nemine dependentem. „ Quid enim, inquiunt, Si Pontifex decernat „ Catholicis omnibus contra hæreticos præ„ liandum, atque omnes in Fœderatis Pro„ vinciis Orthodoxi, quingentorum millium „ forsitan numero non pauciores, tali regulâ „ obedientiæ imbuti fuerint? Quid non pe„ riculi immineat Reipublicæ, quam Anti„ pontificiam esse constiterit, suoque com„ plecti sinu tot subditos in suam perniciem „ conjuratos?„

Subtilis ea Jansenistarum politica est, non ingrata subinde Magistratibus, qui ab ipsis Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, nomen Catholicum, & puriorem Ethicam sibi vindicantibus suppeditari gaudent prætextus eliminandi Missionarios, illius potissimum instituti, quod suæ experiuntur hæresi maximè adversum.

Undè fit ut quoties durius aliquid contra nos apparuerit constitutum, Jansenianis magis Sacerdotibus, quàm ipsis Magistratibus Acatholicis, à rerum consciis imputetur. Decretis autem istiusmodi & eorum effectibus ampliora longè sunt vota eorum qui Quesnello se in Missionibus Hollandicis devoverunt.

Insignis de hoc Epistola est Presbyteri Prau Wels apud Hollandos *Missionarii*, ad Quesnelli Secretarium data 28. Maii. 1703. in quâ postquam *reflexiones* petiit ad *infame*, ut vocat, *Breve* Clementis XI. ad Hollandiæ Catholicos, *Bonna* (inquit) *in potestatem nostram brevi veniet, & Namurcum. Inde liberatum ibimus miseros Lovanienses oppressos, expulsuri quoque Internuntium Pontificis, & omnem istiusmodi fecem hominum Toutte cette Canaille Ridendo dicere verum quis vetat? Nunquam Internuntius tantum nobis profuit, quantum traditione sui Brevis* (de quo supra) *Ipsi Catholici adversùs illud facinus indignantur. Edictum Ultrajectense* (adversus Pontificios) *durum est, & duriora adhuc sequentur. Eò deveniendum est necessariò, ut deceptor ille nequissimus* (Internuntius) *subigatur. Monachi divulgant Breve; sed Clerus ut obreptitium respicit, Ordines ut seditiosum.*

Quisquamne existimet Epistolam istiusmodi dignam esse Missionario Apostolico, & non magis schismatico?

Imò, inquit Quesnellus, quanto magis scriptor ille vobis indignus videbitur ut sit in Ecclesiâ, tanto membrum à nobis dignius reputabitur, sanctiùs eidem & strictiùs unitum.

Clemens XI. eodem Brevi statuit ac declarat Potestatem nemini esse sive jurisdictionem, quocunque titulo, ut se in Missionis illius Regimen ingerat, præterquam ei, qui post Sebasteni Archiepiscopi suspensionem, (quæ in depositionem postea mutata est) à Pontifice ad illud muneris fuerat destinatus.

Mandati hujus violatoribus *Excommunicationem* Sanctissimus constituit, ipso facto & absque declaratione aliâ incurrendam. Verùm Missionarii illi à Quesnello ad omnem falaciam, & ubi hæc non sufficeret, ad apertam instructi inobedientiam & rebellionem, contemptâ excommunicatione, Breve Apostolicum initio, ut jam vidimus, rejecêre, tanquam inscio Pontifice, vel decepto adversariorum fraudibus obtentum, neque ullis sive Eminentissimorum Caroli Barberini & Paulucii, sive Illustrissimi Internuntii, sive aliundè acceptis certissimis documentis, averti se à cavillatione istâ, quantumlibet frivolâ, passi sunt.

Visa scilicet necessaria fuit ad seductionem

nem simplicium, ut aliqua rationis species obtenderetur inobedientiæ. Tam præclara Missionariorū institutio accepta debetur Quesnello & similibus novi Augustini Discipulis, quibus, cùm esse tutis in Gallia non liceret, latebras sibi in Belgio quæsiverunt.

Præter sæpè nominatos est Dominus Christin, veriùs Driot, Bellovacensis Monachus gladiatus, quo aptiorem non invenerat Sebastenus, ut Nepoti suo præficeret Pædagogum. Ita hic scripsisse legitur Quesnello anno 1702. 12. Novembris. " Experientiâ „ edoctus de Romanâ Curiâ, & indole Mo„ nachorum, cogor credere, nihil æquitatis „ ab alterutrâ nos habituros unquam, nisi vi, „ & gravioris incusisione formidinis. Si autem „ ne hac quidem viâ profecerimus, docu„ mento saltem erit posteris, nihil nos uti„ lium prætermisisse, atque omni penitùs va„ care culpâ.

„ Si Augustini Discipulis, fortitudo „ non defuisset & constantia, non eò prola„ psam miseriæ, cogeremur hodiè eorum „ causam gementes cernere. Vocem exaltare „ cæpimus, & confidentiùs loqui, quando „ tempus non erat ampliùs. Roma & Monachi „ ex alienâ submissione proficiunt, fiuntque „ sem per audentiores. Speramus die crasti„ nâ vel proximè (contra Pontificem & Re„ ligiosos) proditurum ab Hollandiæ Ordi„ nibus Edictum fortius, quàm fuit nupe„ rum... Ad illud, quod ultimò notaveras, „ respondeo, Romanorum malitiam, & Mo„ nachorum, videri ad culmen pervenisse: ex „ modestiâ nostrâ, eorum magis confirma„ bitur perversitas. „

Hactenùs Driot, quem non talibus opinor in Monachali Ordine fuisse regulis institutum; sed à Jansenianis ea focùs hauserit vel Magistris. Undecunque autem illi talis obvenerit doctrina, sensibusque intimis conveniens praxis, dignior apparet utraque furente schismatico, quàm nomen profitente Catholicum, & Religiosi Ordinis Sacerdote. Sed penes Quesnellum vel indè efficitur membrum *magis sanctè & magis strictè unitum Ecclesiæ, ex fide vivens, non ex opinione hominum*. Sive, ut ajebat alius, fortitudo hæc *heroicas* inter *virtutes* præcipuè necessaria est, ut quis in Portûs-Regii referri canonem mereatur. Quadringentos facilè numerat Hollandica Missio Seculares Presbyteros, quorum plerique Sebasteno magis, quàm Romano Pontifici adhærere illo tempore videbantur; nullus tamen, ut dixi, ad dirigendum Præsulis Nepotem magis ei idoneus apparuit, quàm, excucullatus hic Monachus, Calvinianam hæresim professo prædicanti, quàm Catholico similior Religioso.

Hinc quoque de Sebasteni fide minimè bonâ augetur suspicio, & conjectura nequaquam honorifica.

Christini illius & Gerberonii occasione mirari satis nequeo vertiginem quorumdam diabolicam, qui cùm in Monasteriis, vitæ partem transegerint non modicam, postea in prava dogmata prolapsi, è Monasteriis in eas partes diffugiunt, ubi sentiendi, docendi, scribendi, agendi quidlibet potestas conceditur liberrima. Mirabile autem in talibus apparet præcipuè, quod veluti conditionis suæ pristinæ obliti, in Monachos tanquam acti rabie debacchentur, ut hic in Driotio conspicimus, & superiora damnavere tempora in Luthero & similibus à Fide & Religione Apostatis.

Inter Hæresiarchæ hujus Articulos quadraginta & unum à Leone X. proscriptos legitur coronidis loco: *Prælati Ecclesiastici & Principes Seculares non malè facerent, si omnes Saccos mendicitatis delerent*: Magis etiam scurriliter loquitur lib. de votis Monasticis: *Cupio eradicata, & extincta, & abolita esse universa Monasteria; quæ utinam Dominus igne & sulphure Cœlesti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat adeò ut ne memoria illorum quidem supersit*.

Obiter noto impudentiam Lutheri, quòd minùs ipsum decuerit vehemens in *mendicitatis Saccos* declamatio, cùm ipse non in Monasterio solùm; sed etiam in Seculo inde se vitam aluisse fateatur.

Redeo ad missionem. De prohibitione, ne quis absque Pontificis authoritate in Missionum istarum se Regimen ingerat, *sub pœnâ excommunicationis ipso facto, absque declaratione aliâ, incurrendæ*, Heussenius à Sebasteno constitutus aliàs Provicarius; sed cum eodem authoritate Apostolicâ suspensus, ac dein cum ipso depositus Quesnellum censuit consulendum.

Duas complectitur consultatio Quæstiones. Prima est: *an in his rerum circumstantiis, salvâ conscientiâ liceat recurrere ad Protestantium Magistratus*: Altera, *an Provicarius ab Episcopo constitutus, & à Capitulo* (imaginario) *confirmatus, possit hic & nunc exercere officium*? Ad utramque sic respondit novæ Ecclesiæ Oraculum die 8. Januarii 1703." In „ primis Magistratui Protestantium, seu Præ„ potentibus Bataviæ ordinibus, plus juris „ est, quàm Communionis Romanæ Prin„ cipibus, ut cognoscant, qualia in suas „ Provincias Decreta à Pontifice mittantur „ & plus habent, quod metuant, ne quid suæ „ Reipublicæ, & Regimini adversum Roma „ mo-

„ moliatur; quia Monachi semper intenti „ sunt, ut quidquid sub Romanæ Curiæ jugo „ maximè est oneri, in has Provincias intro- „ ducant, atque eadem Curia omni incum- „ bit studio, ut suum huc invehat domina- „ tum. „

Hactenus Quesnellus ad Quæstionem primam. Hæccine *membrum* sapiunt *magis sanctè, & magis strictè unitum Ecclesiæ*, an potiùs indignum quod in eâ locum occupet; si nondum incursis tot excommunicationibus exularet?

Antequam responsum ad Quæstionem alteram inspicimus, præmittenda animadversio est circa Episcopi appellationem & Capituli.

Episcopum Heussenius vocat, quasi Sebastenus Archiepiscopus esset hoc ipso Hollandiæ Ordinarius. Quo autem jure ille in Partibus Armeniæ Archiepiscopus, titulum sibi vendicat Episcopatus, imo pluriumEpiscopatuum in Fœderatis Belgii Provinciis? Non ne Episcopatuum distributio penes Summum Pontificem est? Si usum & jus contrarium sibi tribuere gestiat nova Ecclesia, edoceri nos cupimus à quo eam facta fuerit authoritatem.

Qualis porro Hollandiæ Episcopus, tale & Capitulum est non minùs imaginarium, nec magis legitima ejusdem, reclamante Pontifice, Potestas Ecclesiastica jurisditionis. Nihilominùs Bataviæ, imò totius novæ Ecclesiæ Oraculum Quesnellus, resolvere non dubitat. " Depositum illum à Pontifice Provica- „ rium posse istius muneris functiones omnes „ exercere liberrimè; quia Pontificis sen- „ tentia subreptitia est, obtenta fraudibus „ adversantium Clero (seu Partibus Janse- „ nianis) ad opprimendum innocentem ejus „ Episcopum: Neque solùm potest licitè, sed „ ex præcepti debito tenetur Provicarius of- „ ficium prosequi, tum ne propriæ suæ con- „ sentire videatur infamiæ; quia in Romano „ Diplomate Causa Sebasteni implexa adeò „ est causæ Provicariorum, ut consentire posteriori nequeat, nisi qui assensum præ- „ beat etiam priori.

„ Approbare autem Sententiam adversùs „ Archiepiscopum, est oppressioni subscri- „ bere innocentis, eumdem agnoscere reum, „ confirmare judicium, quo nullum unquam „ magis extitit illegitimum, atque omni de- „ stitutum Ordine æquitatis. Periculosæ qui- „ dem plenum opus aleæ videbitur hæc ve- „ stra resistentia; nihil intentatum relinquet „ Romana Curia, non parcitura excom- „ municationibus. Totus contra vos tanquam „ rebelles & schismaticos concitabitur Or- „ bis Catholicus. Verùm quisquis causam „ Dei & justitiæ tuetur, sive victor evaserit, „ sive oppressus potentiâ succubuerit victus, „ nihil detrimenti patitur; sed etiam sangui- „ nem profundens & vitam, securus reddi- „ tur se cum æternâ beatitudine omnia lu- „ craturum."

Hoc confirmati oraculo Heussenius & & socii, facilè in eam ivere sententiam, ut conculcare pedibus statuerent quidquid emanaverit, vel immineret ulterius Decreti Apostolici, etiam excommunicationis.

Tali scilicet temeritate schismaticâ & obstinatione, accedentibus quotidianis sacrilegiis, quoties Sacramentum sive suscipere, sive ministrare alteri contigerit, membra fiunt *magis sanctè & magis strictè unita Ecclesiæ*, quantumlibet à Pontificibus & cæteris probè Catholicis respicienda, atque tractanda, tanquam *indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata*.

Remedium itaque novis Augustini Discipulis adversùs anathemata multiplex est, maximè si Galli fuerint, prætensis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus gaudentes.

Sic vidimus aliàs Quesnellum fictitii *Abbatis* nomine scribentem *Epistolam ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, in quâ privilegio gloriatur, Catholicis hactenùs inaudiro Pag. 18. dicens: " Habemus nos hoc sin- „ gulare præ cæteris, quo nobis benè est, „ quodque semper retinebimus, quòd simus „ in possessione gradiendi semper eâdem se- „ mitâ, quidquid opponant Censores Ro- „ mani, & qualecunque Decretum ab eo „ emanaverit Tribunali. „

Fallacia quidem Jansenianis usitatissima est, ut quæcunque à Pontifice prodierit definitio, etiam dogmatica & de Fide, qualis Alexandri VIII contra Articulos 31. fuit, si novitatibus suis sentiant adversantem, facilè despiciant quasi simplex *Inquisitionis judicium*. Fallaciæ hujus non aliundè accersendum est specimen: insigne exhibet eadem Quesnelli Epistola.

Pag. 19. de eâdem agens Definitione Pontificis: " Quod, (inquit) Romani volunt, „ ut captivemus intellectum, & eum sub- „ mittamus judicio septem vel octo Consul- „ torum, &, si vis, totidem Cardinalium, „ ad quos illi sua sensa referunt, idipsum „ est, cui nos nunquam submittemus. „

„ Ibid." Non ita fatui sumus, ut agnosca- „ mus arbitros & judices fidei nostræ duode- „ cim plùs minùsve Theologos, qui sæpè non „ aliâ instructi sunt scientiâ, quàm lectione „ aliquot scholasticorum, & quorum pleri- „ que pleni ideis scholasticis, sese statuunt „ Ju-

„ Judices Patrum & Conciliorum, quos nunquam legerunt. „

Pag.43." Censores Romani præjudicant „ authoritati Sanctæ Sedis, quando ejus nomine edunt tales Censuras, &, nisi cautiores fiant, efficient ut in Sanctam Sedem, aliundè Catholicis omnibus adeò venerabilem, redundet contemptus, qui similibus Decretis debetur. „

Si nuper Sedes Apostolica honori suo apud Quesnellum ejusque in Jansenismo socios, consulere voluisset, & suis obtinere obedientiam Decretis, solicitè cavere debuerat, ne ullas nunquam proscriberet Baii, Jansenii, eisque adhærentium opiniones, sed aliorum, Jansenianis maximè contrariorum, quales reputantur authores Propositionum Moralium 65., quas Innocentius XI. condemnavit.

De hoc Diplomate sonora audiebatur vox, etiam Jansenistarum, orthodoxis in eo consentientium. *Os Domini locutum est, per suum in terris vicarium*: Non ibi dicebatur *Sententia septem vel octo Consultorum, & si vis totidem Cardinalium*: Nullum ibi *periculum fuit, ne Censores Romani præjudicarent authoritati Sanctæ Sedis* atque hanc adducerent *in contemptum*.

Quidquid enim contra Theologos Orthodoxos & Sedi Apostolicæ obedientes decernitur; submittunt hi se promptissimè, neque reclamant novi hæretici; at quoties sanciri quidpiam contra novos Augustini Discipulos contigerit, frustrà ab iis Roma expectaverit obedientiam, nihil relatura nisi seditiosos rebellium, protestantium, Appellantium clamores, & plaustra contumeliarum.

Proinde sinendi hi sunt impunè innovare quidlibet, nisi turbari motibus & dilacerari schismate Ecclesia malit, atque Apostolicum Tribunal mille calumniis onerari.

Talibus Lutherus comminationibus se cohibiturum speravit Leonem X. ne quid in novam hæresim, ejusque authorem graviùs constitueret. Ita scribere Christi vicario Hæresiarcha ausus est: " Sine me [inquit] optimè Leo, hic & meam aliquando causam „ agere, verosque tuos hostes accusare. Notum esse arbitror tibi, quid mecum egerit „ Cardinalis Sancti Sixti Legatus tuus imprudens, & infelix, imò infidelis, in cujus „ manu ob tui nominis reverentiam, cùm „ me, & omnia posuissem, non hoc egit, „ ut pacem statueret, quam uno vocabulo „ potuisset facilè statuere; cum ego tunc promitterem silentium, & finem causæ meæ „ facturum, si adversariis idem mandaretur. „ At homo gloriæ cupidus cœpit mihi Palinodiam mandare... Unde quidquid post „ hæc secutum est, non Lutheri, sed Cajetani tota culpa est... Palinodiam ut canam, Beatissime Pater, non est quod ullus „ præsumat, nisi malit adhuc majore turbine „ causam involvere. „

Sic quoque nostri temporis novatores terrere minis tum Sedem Apostolicam, tum inferiores in Galliâ & Belgio Episcopos conantur, ne quid contra novam hæresim audeant, graviorum metu tumultuum, ut experientia docuit, & etiam nunc docet nimium frequens, non inania istiusmodi esse factionis terriculamenta, cui constitutum pridem, impletumque opere videmus consilium, nihil permittendi penitus cōtra se Decreti sive Episcopalis, sive Pontificii, quin scriptionibus illud impetat acerbissimis, ut non præsentis solummodo statuti dejiciatur authoritas; sed etiam animus eorum qui Ecclesiam moderantur, ne inflicto à Novatoribus vulneri pergant velle imposterum remedium præscribere, cum viderint ex ipsâ quodammodo medicinâ malum nova semper capere incrementa, neque sedari rabiem, sed accendi.

Hinc Antistitum forsitan non paucorum, quasi affusâ aquâ refrigescit zelus, fortitudo languet, si non prorsus infringitur.

Simili ratione & intempestivâ prudentia Cornelii Pontificis animus, qui vultum instantis Tyranni & supplicia non timuit, visus est Sancto Cypriano, aliquid de constantia adversus schismaticos remisisse, quando hi duce audacissimo, cui nomen erat *Felicissimus*, Romam profecti, teste S.Cypriano Epistola 55. *minis & terroribus aggressi sunt Pontificem cum summâ desperatione comminantes* &c. Quibus uti & Quesnellianis aliquibus hodiè in Appellatione pertinacibus applicari poterat illud Psalmi 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas*.

Adversus furorem istiusmodi animavit Cypriani Epistola Sanctissimum Pontificem, & in eo omnes etiam futurorum temporum Episcopos: *Quod si ita res est, Frater, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione proficiant, actum est de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac Divinâ potestate, nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus; si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus.*

Experientiâ tot seculorum, præcipuè posterioris, Sedes Apostolica abundè edoceri potuit, ad reprimendas emergentes hæreses nihil profici indulgentiâ & dissimulatione, maxi-

maximè si hanc constiterit esse formidine elicitam. Sic enim novitatibus penes sectatores authoritas conciliatur, hæreticis quoque timeri se conspicientibus crescit audacia, ut timoris plus incutiant, quandoquidem eo se stare, qui aliter non possent, ex prosperis initiorum successibus deprehendant.

Singulis hic Præsulibus usui esse posset dictum Ethnici, sacro usui adaptatum. *Tu ne cede malis; sed contra audentior ito*; Vel potiùs Divinæ monitum Sapientiæ Ezechieli datum cap. 2. *Ne timeas eos, neque sermones eorum metuas; quoniam increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia Domus exasperans est* nova Ecclesia in solis fundata erroribus, fraudibus, mendaciis, atque calumniis.

Romanæ autem covenit Divinum Oraculum, quod legitur Jeremiæ cap. 1. *Ne formides à facie eorum: Ego quippe dedi te hodiè in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum... Bellabunt adversum te, & non prævalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus.*

Ecclesiæ Principibus denuntiat S. Bernardus Epist. 188. *Nulli dubium est quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, querelas sedare.* Idem Sanctus Epist. 191. ad Innocentium secundum: *Tuum est de cætero Beatissime Pater, providere, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est Sponsa Christi, amice sponsi: tuum est tandem uni viro Virginem castam exhibere Christo.*

Quod hic Innocentio dicitur, ad omnes pertinet Romanos Pontifices, quidquid Quesnellus oblatret in *Epistola Abbatis* Pag. 31. dicens: " Sat notum est, quàm parum Pon- „ tifex conferat ad condenda Decreta, & „ quàm ineptus sit ut multum eò conferat. „ Imò reviviscere Janseniani faciant calumniam Walonii scribentis *ad Sanctam Familiam* in Bruxellensibus latebris se occultantem, quod *Pontifex sit in Dogmaticis sicut O in cifra*: Nos contra istiusmodi voces fovendo schismati, & confirmandæ hæresi idoneas, cum Sanctis Patribus & Scripturarum Interpretibus Orthodoxis pergemus credere, à Dei Filio cuilibet dictum Romano Pontifici *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo Claves Regni Cœlorum; Pasce oves meas.*

Quapropter S. Hieronymus *quem Deus in interpretandis Sacris Scripturis Doctorem Maximum providere dignatus est*, ut in Horis Canonicis legimus, meritò scripsit Damaso Pontifici Epist. 57. *Ego Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio...: Quicunque tecum non colligit, dispergit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est.* Quesnellus itaque obstinatissimis suis junctus Protestantibus & Appellantibus non colligens cum Pontifice, sed ab eo collecta dispergens, Hieronymi sententiâ non Christi, sed Antichristi est.

Insanissima proinde Quesnelli vociferatio est, quâ persuadere omnibus vellet, se suosque *membra esse Ecclesiæ, magis sanctè & magis strictè ei unita*, quando à Pontificis fide & obedientia non solùm ipsi deficiunt; sed alios etiam avertere Schismaticis vocibus & libellis infamibus moliuntur. Ab hac quamdiu resipiscere perversitate detrectant, ignoscere debent fidelibus, qui cum S. Hieronymo credunt eos qui cum Christi Vicario non colligunt, dispergere; hoc est Antichristi esse, cùm Christi esse desierint; ideòque non aliter *respici* posse, non aliter *tractari*, nisi *tanquam indignos ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab ea separatos.*

Quod *justus ex fide vivat, & non ex opinione hominum*, quis nescit Catholicus? Sed vanissima allegatio est in ore hominis, qui fidem erroribus gravissimis, & inflexibili in iisdem pertinaciâ, dudum noscitur amisisse.

Etiam Quesnelli Discipulis fixum est de Magistri sui contra Sedem Apostolicam adscitosque ab ea Eminentissimos judiciorum adjutores, Theologos & Consultores doctissimos evomere mutuatas ab Hæreticis & Schismaticis contumelias, quales ex geminis Quesnelli Epistolis collectas exhibeo.

Prima Epistola est citata à me sæpius sub nomine *Abbatis*, altera sub nomine *Ecclesiastici de mente S. Augustini*: " Maxima pars „ Cardinalium & Theologorum (qui adhi- „ bentur ad examen dogmaticum Propositio- „ num) nihil intelligit.

„ Censores Romani exiguam habent antiquitatis notitiam; imò sæpè ignorant, „ quod in recentioribus Theologis est opti- „ mum.

„ Consuetudo veritates Religionis deci- „ dendi per duodecim Romanos Censores & „ plerumque pauciores, parum honorifica „ est Sanctæ Sedi.

„ Plerique Censores laxis opinionibus ad- „ dicti sunt & meliori Ethicæ adversarii. „ Hinc minimè mirum, quod laxioris Ethicæ „ & perversorum Dogmatum propugnato- „ res, subsidium inveniant & Patrocinium in „ Romanis Tribunalibus.

„ De-

„ Decreta Romanæ Curiæ communiter „ conduntur sine debitâ cognitione causæ & „ per factionem.

„ Regulares, quos scimus propriæ utilita- „ ti magis, quàm Ecclesiæ esse affixos, ma- „ ximè dominantur in omnibus illis Congre- „ gationibus.

„ Ministri Curiæ Romanæ seduci se sinunt „ à factionibus ad infligendas Propositioni- „ bus Censuras.

„ Tribunal Romanum videtur esse latro- „ num latibulum (Gallicè *un Coupe-gorge*) „ ubi Censores ita insidiantur hominibus, ut „ eos damnent, antequam defensioni dent „ locum.

„ Istud porro certum est, Decreta Civilia „ magis justa esse, & æquitati conformia, „ quàm Decreta Romanæ Curiæ.

„ Censores Romani susque deque per ne- „ fas applicant Propositionibus Censuras, „ pro mero libitu, non ex dictamine veritatis „ aut justitiæ.

„ Etiam per hoc Censutarum malitia abo- „ minabilis est, quod earum scopus sit fove- „ re discordiam inter Regulares, & Theolo- „ gos è Clero, præ cæteris Catholicos.

„ Censuræ illæ magis obscuras reddunt „ Quæstiones, & disputationes difficiliùs ter- „ minandas.

„ Metuunt scilicet Romani, ne nimis citò „ in scholis oriatur concordia, atque ita im- „ posterum Censoribus opus non sit. Prop- „ tereà sibi persuadent non benè eoncepta „ fore sua Decreta; nisi novis tricis impli- „ cent sententias: unde Tribunalis ejusdem „ reddatur authoritas iterum necessaria. „

Hæc omnia & plura istiusmodi ex duabus illis Quesnelli Epistolis excerpi curavit Illustrissimus Humbertus Archiepiscopus Mechliniensis Mandato Eminentissimorum Cardinalium Inquisitorum Fidei contra hæreticam pravitatem.

Quæ Collectio, etsi ob Propositionum multitudinem plenum tunc consequi effectum non potuerit, Pontifice octogenario; eùm tamen typis edita, & duorum ad singulas Paginas firmata subscriptionibus Notariorum, ad singulos missa fuerit Cardinales, & alios, quos informari maximè rei intererat Christianæ, zelus iste & studium Archiepiscopi, fructu postea non caruit uberiore, quando Clemente XI. ad Thronum Apostolicum elevato; & crescente in dies Jansenistarum audaciâ Duce Paschasio Quesnel, Roma perspexit fortioribus contra novam hæresim opus esse remediis.

Initium Clemens duxit, amovendo suum in Fœderatis Belgii Provinciis non bonæ fidei Vicarium, à Novatoribus in eifra *Bonifacii* nomine appellatum. Inde progressus contra Sorbonicos quadraginta, Jansenianæ Resolutioni *Casûs Conscientiæ* subscribentes, saluberrimam edidit Constitutionem *Vineam Domini Sabaoth*, quâ omnibus imposterum cavillationibus Jansenistarum via præcluditur. Tandem securim posuit ad radicem, gravissimis Censuris feriens tum Quesnellianum opus *Novi Testamenti Gallicè cum Observationibus Moralibus*, tum exigente authoris pertinaciâ, postulantibus Rege Christianissimo, ac pluribus Galliæ Episcopis, etiam Eminentissimo Parisiensi, excerptos ex eodem Opere Articulos 101. Censuris convenientibus notavit.

Verùm ut hæreticis propria obstinatio est, quos Quesnellus Jansenii & Baii novitatibus autea imbutos, etiam suis aliquot superadditis, velut ad perversitatis instituerat consummationem, eosdem *Protestationibus*, *Appellationibus*, & omnis generis Apologiis contra Apostolicam sedem instigare nunquam destitit: unde demum Sanctissimus Pontifex edere coactus est Bullam *Pastoralis Officii*, quâ à suâ separat communione omnes, qui Constitutioni *Unigenitus* refragantes, se submittere detrectant.

Quid igitur faciemus talibus ut novæ fidei, ita & novæ Ethicæ, novæ disciplinæ Doctoribus, qui vel ideò haberi ab omnibus volunt, tanquam *membra magis sanctè & magis strictè unita Ecclesiæ*? Næ is autem iniquus admodum talibus sanctis est, qui eos *respicit ac tractat, tanquam indignos ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab ea separatos. Justus*, inquiunt illi, *ex fide vivit, & non ex opinione hominum*: quo quidem nihil dici potuit verius; sed omnis in applicatione superest difficultas. Non enim Ecclesia credere unquam poterit pertinaces Baji, Jansenii, Quesnelli asseclas esse justos, & ex fide suâ vivere magis, quàm id creditum hucusque fuerit de Calvinistis & aliis cujuscunque generis Infidelibus; quos in finem usque mundi militans Christi Ecclesia detestabitur.

Commemorata hactenùs Quesnelliano quidem Articulo de nequitia convincendo abundè sufficiunt; attamen non nisi pars exigua est illorum, quæ in Novatoris hujus lucubrationibus absurdissima continentur, demonstrantque hominem nullius fidei esse, honestatis, aut pudoris. Plura quæ huc referri possent specimina, secturis reservo Propositionibus.

Propositio damnata nonagesima octava.

Status Persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo. *Observ. Mor. in Lucæ 22. vers. 37.*

CAPUT I.

Fraus Propositionis multiplex, & pernicies ostenditur.

QUemadmodum Martyres non *pœna* à Latronibus discernit; sed causa, ita neque *conformes Christo facit* inflictarum ab hominibus pœnarum tolerantia, nisi propter justitiam illæ obvenerint, & patientiâ perferantur homine dignâ Christiano.

Persecutio injustitiam supponit. Talis olim Tyrannorum fuit adversus Christianos ex odio fidei exercita crudelitas: tales hodiedum sunt, etsi absque sanguinis effusione, in hæterodoxorum Provinciis moveri solitæ adversus Catholicos tempestates: Verùm quid hic reperias simile, quando Summus Pontifex, cui Potestas Clavium à Dei Filio concessa est, & totius commissum Regimen Ecclesiæ, prohibet noxia animabus dogmata, decernedo simul pœnas ab inobedientibus incurrendas? Quid, quando Episcopi vestigia Pastoris Maximi sequentes, Censuris adigunt subditos, ut quæ prima sedes tam salubriter sanxit, accuratissimè observentur? Quid quando Seculi Principes, ut ab iis ratio muneris, & imposita à Deo obligatio postulat, Ecclesiam ejusque leges non solùm adversus hostes extraneos; sed etiam contra temerarios in ipsâ Ecclesiâ violatores, potenti conantur brachio vindicare?

Occasio *Observationis Moralis* à novo Interprete hìc desumpta est ex illis Christi verbis: *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus est.* Attendere autem nos oportet ad singulas *Observationis* circumstantias, ut de ejusdem pestiferâ, quâ scatet, malitiâ statuatur.

Scopus ab Authore prætenditur, Lectores instituere ad pietatem, & quidem præcipuè ad *persecutionis & pœnarum tolerantiam*, quas quis patitur *tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius*. Ratio additur; quia *status* ille *persecutionis & pœnarum, ultima plerumque probatio est, maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.* Si Observatio hæc edita fuisset eo loco & tempore, quo dominantes Episcopi Schismatici, à Catholicâ aversi religione, moverè soliti fuerant persecutionem adversus Fideles, Pontifici & Ecclesiæ adhærentes, condonari faciliùs scriptori potuisset imprudentia, in non exprimendis satis conditionibus necessariis, ut pœnarum tolerantia fit *maximè meritoria*, & *magis conformem faciens hominem Christo*. Sapientissimè enim Sanctus Hieronymus, in accusatione hæresios noluit quemquam esse patientem; sed monuit diluendam, quantocyus maculam, adeò ut ne suspicioni quidem relinqueretur occasio; neque, si avertere possumus, permittere licet scandalum proximi, quando non solis proprium Pharisæis fuerit; sed pusillis etiam commune.

Verùm quas hìc comminisci Quesnellus potuit circumstantias, aut quis poterit hodie vindex ejus maximè industrius, ut *observatio* apparere valeat, præsenti conveniens statui Ecclesiæ, & non atroci ejus Præpositos lacessere contumeliâ, imò calumniâ onerare, fovere simul hæreses ab Ecclesiâ condemnatas?

Quilibet enim hodiernarum utcunque conscius dissensionum, facilè perspicit, intendi hìc à Quesnello suas, suæque *Sanctæ Familiæ*, Portus-Regii & similium pro Jansenianо Systemate obstinatissimè pugnantium vindicias. Talibus accidit hoc tempore sanctis *status persecutionis & pœnarum, quas tolerant, tanquam hæretici, flagitiosi, & impii*. Hæc *ultima ab iis probatio censetur, & maximè meritoria;utpote quæ homines faciat magis conformes Jesu Christo.*

Non alius sensus omnium hæreticorum est, quotiescunque sive ab Ecclesiasticâ, sive à Regiâ potestate, castigationis quidpiam pro suâ pertinaciâ patiuntur. Sed reverâ nulla in hoc illis, nulla Quesnello aut ejus sociis, si propriè loquamur, obvenit *persecutio*; quia hæc, ut suprà monui, insectationem significat iniquam, quæ locum minimè habet in casibus, de quibus Propositio enuntiat.

Quæ scilicet species injustitiæ est, quando

do hæreses à Sede Apostolicâ in Bajo & Jansenio condemnatas Ecclesia detestatur? Quæ injuria pertinacibus earum defensoribus fit, quando eos Ecclesia horret *tanquam hæreticos, flagitiosos, impios*, jubente Christo illos qui Ecclesiam non audierint, haberi sicut *Ethnicos & Publicanos*?

Non persecutio; sed digna Regis Christianissimi Administro & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinale vigilantia, ac studium Religionis fuit, quando Joannem Vergerium Abbatem Saucyranum, Claudium Segnenotium, Dominum de Troyes, ne exitialium zizania novitatum in Agro Dominico latiùs disseminarent, carceribus coërcuit.

Excommunicationis sententia lata ab Innocentio X. & ejus jussu publicè denuntiata in Belgio contra Archiepiscopum Mechliniensem & Episcopum Gandavensem non *persecutio*; sed salurifera eis medicina fuit, quæ à Jansenismi pessumdatos, & quasi mortuos lethargo, post decennalem & ampliùs inobedientiam excitavit, reduxitque ad officium. Neque ipsius Protopræsidis sub idem tempus Bruxellis exauthoratio vocari persecutio debuit, sed digna Rege Catholico providentia, ne dignitate abuti Minister ille pergeret ad patrocinium novitatis, avitæque religionis in Belgii Provinciis excidium.

Non magis appellanda persecutio est, quidquid recentiùs Apostolica Sedes, quidquid Curia Gallicana cum Sorbona, quidquid Aula Hispanica & Bruxellensis, quidquid Leodiensis Princeps Episcopus, cum Primate Belgii Archiepiscopo Mechliniensi Humberto, Adversus Arnaldum, variis occasionibus decrevere; licèt pro hujus præcipuè defensione Observatio Quesnelli fabricata videatur. Quidquid enim instituti ab Arnaldo discipuli, vel cum eodem in Sancyrani Lyceo Socii, pro suo sive Doctore, sive condiscipulo declament, atque scripturiant, mendacibus quidem Apologiis circumvenire simplices aliquot poterunt, atque Historiæ ignaros; sed eruditorum neminem, nisi quem novitatis amor, in voluntariam traxerit cæcitatem.

Lescotius Doctor Veteranus postea Carnotensis Episcopus, Magister Arnaldi, non solùm probè Catholicus; sed etiam acerrimus fidei contra emergentem hęresim propugnator, cum explorasset Arnaldi ingenium, reperissetque in nova pronum, ac plena periculo Dogmata, quod idem plures observare cœperant, in primis Richelius Cardinalis, impediendum censuere, ne societate sorbonicâ donaretur. Eminentissimo istud, utpote Sorbonæ Provisori & Summo Regni Gallici Administro haud difficile erat avertere scandalum.

At Cardinale, ipsoque Rege defunctis, resumpsere animos Arnaldici, & quotquot noverant in aliis quoque Civitatibus, imò Provinciis, Arnaldo & novis opinionibus addictos, ad conferenda pro Candidato suffragia Parisios accurrere compulerunt. Sic anno 1643. novus socius Collegio Sorbonico adscriptus est.

Quòd autem positus antea à Richelio obex numerari minimè debeat inter *persecutiones*, non sola manifestavit intima Arnaldi cum Sancyrano familiaritas & necessitudo, sed etiam pluribus firmata testimoniis fama publica, de spiritu novitatis dominante in eodem juvene indocili & temerario: multo ampliùs prodidit annus 1644. qui secutus proximè fuit infortunatissimam novi socii assumptionem.

Tunc enim stygium illud opus, Arnaldi *pro Jansenio Apologia* in lucem prodiit; quod cùm molis esset non exiguæ, indubiè componi cœperat intereà, dum omnem authorem lapidem movit frustrà, ut *societas* sibi *Sorbonica* obtingeret, querebaturque ejus factio acerbissimè, quasi de violatis omnibus Justitiæ Regulis in Candidati dignissimi exclusione.

Ea itaque pro Jansenio Apologia cum authorem ostenderet Apostolicæ Sedis contemptorem, damnatorumque a tribus Pontificibus Dogmatum audacissimum vindicem, invicta prorsus fuit Cardinalis Richelii & Ludovici XIII. contra Arnaldum defensio. Cujus enim extra novam Sectam effrons adeò potuit esse impudentia, ut lecto isto pro Jansenio volumine, inficias iret, Christianissimi Regis, ejusque Eminentissimi Administri in excludendo illo à societate Sorbonicâ Novatore, fuisse justam maximè, sapientemque providentiam; promotionem verò cessuram in Ecclesiæ luctum atque Academiæ aliàs clarissimæ, opprobrium & dedecus non facilè eluendum?

Sola memorati voluminis Præfatio satis speciminum continet; unde Orthodoxus quilibet judicare valeat, qualis in Doctore juvene spiritus dominaretur, quæ pietas, quæ erga Christi Vicarium reverentia, aut species Religionis.

Post gravissimas Sorbonæ & Hispanicarum Universitatum in Baji Articulos censuras, Romani Pontifices tres successivè Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. judicavere *sententias* (79.) *strictо coram Sede Apostolicâ examine ponderatas, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas,* erro-

erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè, & uti tales (inquiunt) *damnamus, circumscribimus & abolemus, deque iisdem & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuò privamus; ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. .... Nulli ergo omninò hominum liceàt hanc Paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, Decreti, & mandati, privationis & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei se noverit incursurum.*

Ita tres memorati Pontifices in Diplomate quod S. Pius condidit, Gregorius XIII. & Urbanus VIII. confirmavere; quanquam ut in eodem notatur Diplomate è damnatis prohibirisque illic tam graviter Propositionibus, aliàs *non nullæ aliquo pacto*, sensu videlicet improprio, ab Assertoribus minimè intento *sustineri possent*. Arnaldus autem in Præfatione Apologiæ pro Jansenio, ut inutilem reddat, trium illorum Pontificum contra damnaros Articulos Censuram, imò Censores ipsos exponat risui & sibilis universorum, ait: *Ipsi Pontifices in Bullâ suâ expressè declararunt non nullas Baji Propositiones aliquo pacto sustinere posse in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.*

Cavillationem hanc, à Bajo olim refractario excogiraram, ab ipso dein meliùs sapiente rejectam, post annos septuaginta resumere non est veritus Arnaldus, ita ut damnatos inter Articulos nullus esset quem sibi sustinere licitum non duceret, & quidem in *rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*. Cui igitur usui esse posset talis condemnatio? Nonne viderentur anathemate feriri posse ipsa Scripturarum Oracula, si ad hoc sufficeret, aliquem sensum improprium tribui eis à malevolis, vel ab ignorantibus posse, quanquam verba in rigore & proprio verborum sensu intento à Spiritu Sancto, Divini Codicis authore, sint verissima?

Denique eadem aliàs à pluribus, atque à me sæpiùs protrita cavillatio est, ut non possit nisi insigni dedecore suos afficere resuscitatores. Sed ut Janseniana pridem obstinatio exuit Religionem, ita & verecundiam impudentia, ut devicti centies, eundem repetere identidem locum certaminis non reformident. Nos probatis insistimus, donec novi quidpiam argumenti, quod responsum mereatur, adversarii procuderint.

In relatâ Arnaldi pro Jansenio Apologiâ, Præfatio sola, ne pluribus me Lectoremque fatigem citationibus, copiosa satis suggerit documenta, quibus Quesnellus impudentiæ convincatur, & fidei pessimæ, dum Ecclesiæ Præpositis impingere calumniam audet, quasi eorum sive ignorantiâ, sive malevolentiâ acciderit, ut Arnaldus ranquam hæreticus, flagitiosus, impius aliquando habitus sit, cui reverà justo & sancto (si Quesnello credimus) ad perfectionis apicem deesse hæc unicè *persecutio* videbatur, velut *ultima probatio, quæ eum faceret magis conformem Christo*.

Quin scilicet Quesnellus præsenti contra Ecclesiæ Regimen querelâ, intelligi voluerit, quæ sibi & similibus Augustini Discipulis subeunda fuerint ab Ecclesiæ Præsulibus adversa, propter Jansenium, neminem arbitror dubitare; licet quisquis illarum partium Sectator est, ridiculè negaturus sit, reperiri uspiam vero nomine Jansenianum; *ridiculè*, inquam, Catholicorum omnium ipsorumque Hæreticorum, præterquam Jansenizanrium, judicio. Arnaldinæ itaque Apologiæ pro Jansenio *Præfatio* audiatur: nobis oculi testes meliores erunt, quàm quidquid confuti ex mendaciis elogii, à magnificis Arnaldi Præconibus fabricatum est. *Augustini Doctrina* (inquit) *per Iprensem Antistitem potentissimè stabilita est*: Ibidem *Jansenius clarissimè & solidissimè explicuit Cœlestem S. Augustini Doctrinam super materiâ de gratiâ.*

Jansenii Doctrina continet principia fundamentalia Doctrinæ S. Augustini, toties à Sede Apostolicâ approbata.

Jansenii Propositiones damnari non possunt tanquam hereticæ, aut tanquam erroneæ; nisi Sancta Sedes & tota Ecclesia de approbatis erroribus & heresibus accusentur.

Accusationes ob quas Urbanus VIII. Lectionem voluminis Janseniani prohibuit, falsæ fuerunt.

Falsæ Pontifici datæ fuerunt informationes, quasi liber Jansenii Belgis scandalo esset.

De scandalo isto Sedem Apostolicam commonuerant non solùm Religiosi è variis Ordinibus Theologiæ Professores, & quidem Lovaniensis Academiæ Doctores antiquissimi, facultatem Theologicam Regentes; sed etiam Pontificius Bruxellis Internuntius.

His excita querelis Roma accuratiore examine librum discussit." Cum autem (in-
„ quit Urbanus VIII. Constitutione *in Emi-*
„ *nenti*

" *nenti*) ex diligenti & maturâ ejusdem libri
" cui titulus, *Augustinus* (Jansenii) lectionem
" postmodum compertum fuerit, in eodem
" libro multas ex Propositionibus à Prædecessoribus nostris olim (Pio V. & Greg. XIII.)
" ut præfertur damnatis, contineri, & magno cum Catholicorum scandalo & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi; Nos huic malo in scandalum totius
" Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem verteuti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutionis
" Gregorii ac Pauli Prædecessorum nostrorum, nec non Decretorum hujusmodi totos & integros tenores..... præsentibus
" pro totaliter expressis & insertis habentes,
" motu proprio & ex certâ scientiâ nostrâ,
" ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine,
" hac perpetuò valiturâ Constitutione, ejusdem Pii & Gregorii Prædecessorum, hujusmodi Constitutiones prædictas, omniaque & singula in iis contenta, Apostolicâ authoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, librumque prædictum, cui titulus est *Augustinus* [Jansenii] articulos, opiniones & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas atque damnatas, ut à nobis compertum est, continentem & renovantem.... eâdem authoritate per præsentes omnino prohibemus, ac pro vetitis & prohibitis haberi volumus & mandamus, jubentes insuper sub omnibus pœnis & censuris in prædictâ Constitutione Pii Prædecessoris contentis, à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absolvere contrafacientes possit, ne quis cujuscunque conditionis, & qualitatis sit, etiam speciali & specialissimâ notâ & expressione dignus, de prædictis ut supra damnatis, & in prædicto libro contentis...quoquo pacto loqui, scribere & disputare audeat... Tum Sequitur comminatio Similis ei quam ex Pii V. Constitutione Superius retuli: " Nulli ergo omnino
" hominum liceat, hanc Paginam nostræ Confirmationis, approbationis, additionis, prohibitionis, jussionis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum cjus se noverit incursurum;

Sed hæc omnia despexerit scilicet Arnaldus, postquam contemptum Apostolicæ Sedis, & omnium inde emanantium Constitutionum atque anathematum edoctus fuerat à suo Oraculo Sancyrano, à quo forsitan etiam modum didicerit, sua dogmata *legendi in ipso Deo qui est veritas æterna, & in omnibus sequendi ductum interiorum illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ*, ut aliàs Sancyranus, etiam *sibi identidem à Deo suggeri senserit* Arnaldus.

Tali conceptâ præsumptione, quantumlibet fatuâ, quid non audeant Novatores, quam non sibi arrogent authoritatē omnibus Episcopis & Pontificibus superiorem? Sic institutus verisimiliter à Sancyrano Arnaldus, atque (ut ille solitus erat discipulis promittere) *Sex mensium spatio ad Summum Theologiæ apicem evectus*, annorum vix triginta duorum juvenis, confidentiâ mirabili contra universam Christi Ecclesiam, in eâdem Præfatione denuntiat: *Non potest sine voluntariâ excæcatione, & portentosâ pertinaciâ negari, Propositiones Baii, quæ in Jansenio reperiuntur, esse puncta capitalia doctrinæ S. Augustini à Sede Apostolica toties approbata, ut damnari hæreseos nequeant aut erroris, quin ipsa Sedes Apostolica & Ecclesia universa de erroribus, & hæresibus accusentur.*

Testatur nihilominus Cardinalis de Noailles literis ad Clementem XI datis anno 1711. die 28, Junii *Certum illi* (Clero Gallicano in Comitiis Generalibus Congregato anno 1705.) *fuisse, Pontificiis Decretis adversus Jansenium nihil deesse ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse*. Tum Eminentissimus addit: *Idem & de Apostolicis adversus Bajum...... definitionibus professorum fuisse clerum existimo, si de illis actum fuisset.*

Minimè consentiunt Quesnellus & Arnaldus; sed obligationem hanc omnibus illis obediendi Constitutionibus & Definitionibus adeò non admittunt; ut erratum ubique à Pontificibus, errari ab omnibus Episcopis & Academiis Catholicis, ipsi totâ sapientiores Ecclesiâ, impudenter sustineant.

Neque intra limites se Arnaldus continuit assertionis simplicis, sed in contumelias contra Ecclesiam juvenili tunc, ut vidimus, petulantiâ prorumpens, *Non potest* [inquiebat] *sine voluntariâ excæcatione & portentosâ pertinaciâ negari, Propositiones Baji, quæ reperiuntur in Jansenio, esse puncta capitalia Doctrinæ Sancti Augustini*. Hactenus ex solâ Arnaldi pro Jansenio Præfatione specimina retuli: unum addo ex ipsa Apologiâ Pag. 92. *Quemadmodum Deus Salomoni reservavit ædificationem Templi, ita jure merito dixerimus, materiam de gratiâ à Deo Iprensium Antistiti Jansenio reservatam fuisse clariùs dilucidandam*

Hæc

Hæc omnia & plura iſtiuſmodi quantumlibet, abſurda condonari potuiſſent juvenili imprudentiæ, niſi recentiſſimè præceſſiſſet Urbani VIII. Conſtitutio, ex quâ diſcere Arnaldus potuit & debuit, peſtilentem eſſe Janſeniani voluminis doctrinam, neque tolerandam ejuſdem Epiſcopi in reſuſcitandis Baji damnatis opinionibus temeritatem, utramque teſte Pontifice, *vertentem in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ & Fidei Catholicæ perniciem*.

Verùm Arnaldus authoritatis Apoſtolicæ apertiſſimus contemptor, contra Chriſti Vicarium cum omnibus ſibi aſſiſtentibus Cardinalibus, Conſultoribus, Theologis & universâ adhærente Capiti Eccleſiâ, denuntiat, neminē potuiſſe talem edere declarationem, aut editę conſentire, niſi voluntariè cæcum & perditè obſtinatum; quandoquidem ſententiæ Janſenii non aliæ ſunt, quàm per Auguſtinum ad nos cœlitùs derivatæ, quas Eccleſia ipſaque Sedes Apoſtolica toties approbavit, ut *condemnari de erroribus aut hæreſibus nequeant; niſi Sancta Sedes atque Eccleſia univerſa de erroribus & hæreſibus accuſentur*.

Ita pro ſuâ tunc ſapientiâ, ſeu potiùs inſipientiâ juvenis Arnaldus, magiſterium ſibi vindicans ſupra omnes, quos Chriſti Eccleſia Doctores & Epiſcopos complectitur Orthodoxos.

Neque juvenilem iſtiuſmodi in eo levitatem compeſcuit, aut moderata eſt ætas provectior, quin anni ſinguli nova addere ſemper viſi fuerint audaciæ incrementa. Experta iſtud eſt Apoſtolica Sedes cum Epiſcopis & Academiis ubique Catholicis; Sorbonâ præcipuè, poſt condemnatas quinque in Janſenio Propoſitiones hæreticas, quas Arnaldus ſuo patrocinio, etiam contra anathema cenſuit non deſtituendas.

Poſt priorem pro Janſenio Apologiam, quæ, ut dixi, comparuit anno 1644. alteram ſimilis molis & nequitiæ, mox edidit anno ſequenti.

Ambas confixit Innocentius X. anno 1654. 23. Aprilis, poſtquam anno præcedente damnaverat memoratas quinque Janſenii Propoſitiones; cùm illas ſcilicet in gemina Arnaldi Apologiâ verbis æquivalentibus propugnatas Sanctiſſimus conſpiceret, exigere meritò videbatur bonum Eccleſiæ, & fidei Catholicæ in eâ conſervandæ integritas, ut exitiales illæ Arnaldi vindiciæ non perſiſterent immunes.

Sed neque Arnaldus vindiciis illis Decreto Apoſtolico proſtratis, concidit animo; quin duos iterùm pro Janſenio compoſuit Tractatus tanquam Epiſtolas, quarum ſecunda famoſior ſcribebatur *ad Ducem & Parem Franciæ* tanquam *reſponſio ad ea quæ in variis contra priorem Epiſtolam lucubrationibus obiiciebantur; occaſione ejus quod Nobili Aulico contigerat in quâdam Pariſiis Eccleſiâ Parochiali*, ubi in Pœnitentiæ Sacramento denagata ei fuerat abſolutio propterea, quòd nollet agnoſcere ullam hęreſim in Janſenii volumiue contineri.

Arnaldus itaque in hac poſteriore ſua Epiſtolâ, tum Nobilis iſtius, tum Janſenii cauſam ſuſcipit totis viribus defendendam. Contendit, Propoſitiones quinque, anno 1653. damnatas, in toto Janſenii opere non inveniri; interim autem venenum ipſe primæ Propoſitionis, quæ aliarum quatuor radix quodammodo & fundamentum eſt, hac brevi ingerit periodo: *Defuit Petro tentato gratia ſine quâ nihil poterat*. Quod ſi ſtabilire potuiſſet, facilem augurabatur victoriam Propoſitionibus reliquis.

Fraudulenta machinatio non latuit Sorbonicorum prudentiam: excerpſit proinde Facultas Theologica geminos hoſce ad cenſuram Articulos, quorum primum de negatâ Petro tentato gratiâ, declaravit *temerarium, impium, blaſphemum, anathemate damnatum, & hæreticum*. Alterum de non inventis in Janſenio quinque Propoſitionibus ab Innocentio X. condemnatis; Sacra Facultas cenſuit eſſe *Scandaloſum, temerarium, injurioſum Summo Pontifici & Epiſcopis Galliæ, atque etiam præbere occaſionem renovandæ ex integro poſt damnationem doctrinæ Janſenii*.

Cenſuram hanc non fuiſſe præcipitem teſtatur ipſa Facultas in decreto, ſe *per duos menſes integros de re totâ habitis ferè quotidiè apud eandem Sorbonam ſolemnibus Comitiis deliberaſſe*.

Quàm verò Arnaldus Matri ſuæ docilem ſe & obedientem, imò quàm ſcandaloſè refractarium & contumacem præbuerit, ex ipsâ diſcimus Sorbonæ declaratione, editâ anno 1656. die ultimâ Januarii, quam retuli aliàs: & quia Queſnelli impudentia quantumlibet ſæpè detecta & convicta, nunquam deſinit mendaciſſimis Orbem implere queſtibus, quaſi contra ſe ſuoſque in Auguſtini ſchola condiſcipulos, univerſi Eccleſiæ Præpoſiti, junctis ſibi etiam Seculi Poteſtatibus, conſpirent, neceſſarium ſubinde eſt, prætenſarum iſtiuſmodi perſecutionum, quarum à Novatoribus frequens adeò intorquetur exprobratio, occaſiones, cauſaſque repetere, ut tandem aliquando ſuo illi repreſſi dedecore obmuteſcant.

Saluberrimæ igitur monitionis Sorbonicæ renovanda memoria eſt: " Optaret ſanè, &

„ & ex animo optaret Sacra Facultas prædi-
„ cti Magistri Antonii Arnauld damnatâ Do-
„ ctrinâ, personam servari, quippè sibi cha-
„ rissimam, tanquam Filium Matri, & eam
„ in rem sæpè ipsum per amicos hortata est,
„ ut veniret ad Comitia, Matri se subiiceret,
„ ejuraretque falsam & pestilentem doctri-
„ nam: idem cum eâ sentiret, & unanimis,
„ atque uno cum eâ corde & ore honorifica-
„ ret Deum & Patrem Domini nostri Jesu
„ Christi.

„ Verùm non modò amantissimæ Parentis
„ suæ consilia & hortamenta contempsit; sed
„ etiam die 27. præsentis mensis per Appari-
„ torem Regium eidem Facultati significavit,
„ se pro nihilo ac nullo habere, quidquid
„ ipsa in re præsenti egisset; acturaque esset.

„ Quare eadem Facultas, ipsum à sinu suo
„ repellendum expungendum que ex Albo-
„ Doctorum suorum, atque à corpore suo
„ plene resecandum censuit, & ipso facto re-
„ pulsum, expunctum, resectumque declarat,
„ nisi intra diem 15. mensis Februarii proximè
„ sequentis mentem suam mutaverit, & huic
„ præsenti Censuræ subscripserit coram Do-
„ mino Decano Illustrissimis Episcopis, Do-
„ ctoribus & prædictis Deputatis.„

Hactenus Sorbona. Arnaldus verò mentem adeò non mutavit, ut eam obfirmaverit ampliùs, ipsos suos Censores vindiciis ferocioribus lacessens, quarum aliquas cum ipsa *ad Ducem & Parem Franciæ Epistola* Alexander VII. profligavit.

Recensentur illæ in Decreto hoc ordine: *Epistola & Scriptum ad Sacram Facultatem Parisiensem in Sorbonâ Congregatam die 6. Decembris anno* 1655.

Scripti pars altera ad Sacram Facultatem Parisiensem in Sorbonâ congregatam die 10. *Decembris* 1655.

Epistola & alter Apologeticus adSacram Facultatem Parisiensem in Sorbonâ congregatam die 17. *Januarii anni* 1656.

Epistola inscripta viro Sapientissimo Henrico Holdeno Sacræ Facultatis Parisiensis Doctori, incipiens: Eâ temporum conditione.

Vera Sancti Thomæ de Gratiâ sufficiente & efficaci Doctrina dilucidè explanata.

Propositiones Theologicæ, de quibus hodiè maximè disputatur, clarissimè demonstratæ.

Sunt & alia scripta pro iisdem Arnaldi enuntiationibus edita quæ in Pontificio Diplomate non continentur, forsè quod accusata Romæ non fuerint, aut multitudo nefandorum operum fatigaverit Apostolicum Tribunal, neque fructus apparuerit par laboribus tot examinum, quandoquidem rebelli adversus Ecclesiam Factioni fixum quodammodo videatur cujuslibet damnati voluminis loco plura substitueee, & quidem prioribus deteriora.

Janseniani hactenus gloriati præcipuè fuerant Arnaldinâ contra Sorbonæ judicium *Dissertatione*; quia singulari fuit astu composita, ad conciliandos sibi Theologos quosdam Catholicos, efficacis per se Gratiæ Assertores; sed fallaciam eandem à Quesnello sæpius adoptatam, de ineptiâ convici in *Prolegomenis*. Quesnellus ipse in *Observationibus Moralibus* à Clemente XI. tam solemniter condemnatis satis prodit qualis Magistri sui sententia fuerit, atque adeo omnis Arnaldina molitio ad involuendum tenebris sensum suum detestabilem, & Sorbonæ quidem judicio *impium, blasphemum, & hæreticum* in ipso confracta & Subruta Quesnello est.

Nihilominus hic veluti *persecutionis status & pænarum, quas*, si huic Arnaldi Discipulo credimus, *toleravit* Magister tanquam *hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima* ei *probatio* fuit, & maximè meritoria, utpote quæ eum *magis fecerit conformem Christo*. Procul tamen à vitæ termino Arnaldus abfuit quando hanc *probationem* subiit annum scilicet ætatis agens nonnisi Quadragesimum quartum, postquem vivus superfuit aliis triginta & octo, usque ad annum Superioris Seculi nonagesimum quartum. *Probationem* eandem in ultimum usque senium protrahere, eique obstinatus immori Arnaldus ipse voluit, coacervaturus sibi semper ampliùs Janseniana merita, ad conformitatem cum Christo, justitiam, & salutem minimè conductura.

Probationis Arnaldicæ, seu *persecutionis*, ut vocat, specimina, quæ Censuram Sorbonicam subsecuta sunt, & mihi innotuere, præcipua compendio referam. Certissimum est Arnaldum post Jansenii, & Sancyrani obitum, fuisse totius contra Ecclesiam rebellis exercitûs Ducem; proinde quoties Sermo & querela est de nova secta, seu novæ propagatoribus hæresios, nullus dubitet, quin præ cæteris intelligi oporteat Arnaldum; quemadmodum, eo mortuo, Quesnellum; quamvis posteriori fasces submittere detrectaverit Ægidius de Witte & Gabriel Gerberon. De tribus ultimis differendum est, ubi Arnaldum expedivero.

Intereà dum hic luctabatur cum sorbonicis propter inflictam geminis enuntiationibus Censuram, in auxilium clarissimæ Facultatis venêre copiæ potentiores à Cleto Gallicæ, Generalia tunc celebrante Parisiis Comitia. Ab his literæ Encyclicæ ad reliquos totiusGalliæ Episcopos profectæ sunt cum documentis, quibus eosdem conscios redderent

eo-

eorum, quæ Patres illic conscripti egerant, & ulteriùs censuerant agenda in Provinciis.

De his certiorem quoque reddunt Alexandrum VII. Epistolâ datâ eodem anno 1656 die 2. Septembris, cui post gratulationem Pontificatûs Maximi, ad quem mortuo Innocentio X. electus fuerat, conqueruntur graviter de Obstinatis Jansenianæ Sectæ Proceribus, & eorum cavillationibus, quibus inutilem reddere conantur novæ hæresios condemnationem. Primo loco Antistites denuntiant fallaciam quam sorbonici in Arnaldo reprobaverant, de quinque damnatis Propositionibus in Jansenio non repertis.

" Nos sanè (inquiunt Præsules) Ministerio nostro id egimus Superioribus annis „ apud felicis memoriæ Innocentium X. ut „ Constitutionem ederet, qua motus in Galliis excitati ob Jansenii Iprensis quondam „ Episcopi doctrinam, certis capitibus comprehensam compescerentur. Promulgatum „ à Gallicanis Episcopis Decretum, studiosè amplexi sunt Fideles populi, demptis „ paucis (Arnaldo & Sociis) qui de Jansenii „ Doctrinâ nihil constitutum fuisse palàm „ cùm simularent, intimis animorum sensibus ex illius damnatione urebantur.

„ Horum cavillationes sine mora comprimendas rati, Judicio suo decreverunt Religiosissimi Episcopi, quinque Propositiones illas ad Jansenium pertinere, ejusque „ opiniones fuisse proscriptas. Quam suam „ sententiam cum retulissent ad eundem „ Pontificem Maximum; illam humanissimis „ verbis non solùm probavit; sed authoritatis Apostolicæ pondere de integro confirmavit, Brevi dato ad hunc Cleri Gallicani cœtum, qui tunc propediem cogendus „ erat, nisi moræ quædam obstitissent.

„ Porrò dum conventum agimus, primum „ nobis studium fuit tuendæ religionis, quam „ ab infestis Calvinianæ hæresios sectatorum molitionibus vindicare curavimus, „ impetrato à Clementiâ Christianissimi nostri Regis Edicto, quo nefarios illorum conatus repressum iri nobis meritò pollicemur.

„ Priorem curam excepit alia illi germana „ ob erroris societatem, de profligandâ Janianâ Doctrinâ, Brevis Apostolici Majestate, quod frequenti cœtu legi, promulgari, in acta redigi, omniumque subscriptionibus muniri curavimus.„

Tum memoratâ Pelagii ac Cœlestii fallaciâ, quâ errores suos clanculum disseminabant, sed detectos Zozimus (inquiunt Gallicani Antistites)" Peremptorio Decreto prostravit. Iisdem artibus grassantur novæ sectæ discipuli: ac præterea, ut à Capitibus suis fulminis Apostolici amoliantur „ ictum, licèt obfirmato animo, quinque „ Propositiones Jansenio iterùm adjudicent, „ ad Facti Quæstionem; in quâ Ecclesiam „ falli posse docent, controversiam deducere nituntur.

„ Quas ingeniorum versutias verâ prudentique verborum complexione infregit Breve Apostolicum (Innocentii X. datum 29. „ Septembris anno 1654.) quod tricis illis „ Syllabarum ad umbratiles scholarum disputationes relegatis, decisionisque authoritate ad juris Quæstionem restrictâ, Doctrinam Jansenii, quam opere illo suo explicuit, in Propositionum confixarum materia, Pontificiâ Constitutione damnatam „ fuisset declarat.

„ At enim ut se damnationi subducant, „ celeberrimum B. Augustini nomen obtendunt, cujus Doctrinæ se profitentur se esse „ Sectatores Jansenii tamen pravas atque detortas quas ad Doctoris egregi locos adhibet, inter prætationes amplectuntur; sicque „ Magistrum illum optimum, dum verbis colunt, adultero sensu violant. Quod à nobis „ adnotari oportuit in Actis ad Brevis promulgatione confectis, ut eorum caliditatibus iretur obviam, quibus incautorum, & simplicium animis illudunt, ac si „ Augustinum asserrerent ipsi, à cujus tamen „ sententiâ pertinaciter discedunt.„ Reliqua Epistolæ Compendii gratiâ prætermitto. Subscriptio erat *Beatissimè Pater: Obsequentissimi & devotissimi Filii vestri, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & Ecclesiastici viri in Cleri Gallicani Comitiis congregati Parisiis Generalibus die 2. Septembris 1656.*

Non diu tardavit Constitutio Alexandri VII. cui initium est *Ad Sanctam Beati Petri Sedem*. Data enim est eodem anno die 16. Octobris, sive ut Stylus Bullæ exprimit die decimo septimo Kalendas Novembris. In hac statim Pontifex enuntiat, ea quæ ab Innocentio X. contra Doctrinam Jansenii definita sunt, novæ Decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigere; quod tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verantur.

Dein relatâ integrè, & confirmatâ Innocentii Constitutione " mandamus (inquit) „ omnibus Christi Fidelibus, ne prædictam „ teneant, prædicent doceant, verbo vel „ Scripto exponant; vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel occultè, imprimant sub pœnis, & Censuris contra „ hæreticos in jure expressis, ipso facto „ abs-

„ abſque aliâ declaratione incurrendis; Ibidem vocat "iniquitatis filios, qui prædi-„ ctas quinque Propoſitiones vel in libro „ prædicto Cornelii Janſenii non reperiri; ſed „ fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non „ in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, „ aſſerere magno cum Chriſti Fidelium ſcan-„ dalo non reformidant. Nos qui omnia, quæ „ hac in re geſta ſunt, ſufficicuter & atten-„ tè perſpeximus, utpote qui ejuſdem Inno-„ centii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in „ minoribus conſtituti, Cardinalis munere „ fungeremur, omnibus illis congreſſibus „ interfuimus, in quibus Apoſtolicâ autho-„ ritate, eadem cauſa diſcuſſa eſt, eâ profe-„ ctò diligentiâ, quâ major deſiderari non „ poſſet; quamcumque dubitationem ſuper „ præmiſſis impoſterùm auferre volentes, ut „ omnes Chriſti Fideles in ejuſdem fidei uni-„ tate ſeſe contineant, ex debito noſtri Pa-„ ſtoralis Officii, ac maturâ deliberatione, „ præinſertam Innocentii Prædeceſſoris no-„ ſtri Conſtitutionem, declarationem, & „ definitionem, harum ſerie confirmamus, „ approbamus & innovamus, & quinque il-„ las Propoſitiones ex libro præmemorati „ Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui ti-„ tulus eſt *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſen-„ ſu ab eodem Cornelio Janſenio intento „ damnatas fuiſſe definimus, & declaramus „ & uti tales, injuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis „ notâ quæ in prædictâ declaratione & defi-„ nitione, unicuique illarum ſigillatim inuri-„ tur, iterum damnamus, ac eundem librum „ ſæpè dicti Cornelii Janſenii, cui titulus „ *Auguſtinus*, omneſque alios tam manu-„ ſcriptos, quàm typis editos, & ſi quos for-„ ſan impoſterum edi contigerit, in quibus „ prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii, ut ſu-„ prà, damnata defenditur vel adſtruitur, „ aut defendetur & adſtruetur. „

Juxta Conſtitutionem Sancti Pii, à Gregorio XIII. & Urbano VIII. Pontificibus confirmatam incidit Arnaldus in pœnas graviſſimas, *omnibus dignitatibus, honoribus, Beneficiis & Officiis perpetuò privatus, ac etiam inhabilis ad quæcunque, vinculo quoque anathematis innodatus, à quo nullus Romano Pontifice inferior valuerit ipſum, excepto mortis articulo, liberare*, liberari autem ne tunc quidem potuit abſque ſeriâ rebellionis contra Conſtitutiones Apoſtolicas pœnitentiâ, qualis in eo nunquam apparuit; ſed ſcandaloſiſſima ad finem uſque obſirmatio, adeò ut ipſos Pontifices cum Cardinalibus & Conſultoribus ſuis religioſiſſimis pariter ac doctiſſimis, imò cum totius orbis Chriſtiani Epiſcopis, Academiis, atque Doctoribus univerſis, Chriſti Vicario conſentientibus, eâdem ſemper voluiſſe proſcindere contumeliâ cenſeatur, quam effutivit olim publicè denuntians, eos *voluntariè obcæcatos, & portentosè pertinaces eſſe, qui Propoſitiones Baii à Janſenio reſuſcitatas negant eſſe puncta capitalia doctrinæ Sancti Auguſtini*.

Talia impietatis & impudentiæ ſpecimina conſpicati Eccleſiæ Præpoſiti in juvene, cujus cum ætate ſemper creſcere viſa eſt temeritas, quid demiſſionis & obedientiæ expectare ab eo poterant, ſtudiis perpetuò augentibus præſumptionem? Sorbonam vidimus repudiatâ doctrinâ ejus tanquam *impiâ, blaſphemâ & hæreticâ*, authorem ipſum, cujus deſperata apparebat correctio, tanquam membrum putridum, ne exitiali contagio inficeret ſocios, â corpore ſuo *repellendum, reſecandumque*, cenſuiſſe & decreviſſe.

Illuſtriſſimorum Antiſtitum & reliqui Reverendiſſimi Cleri in Comitiis Generalibus congregati querela graviſſima fuit contra *novæ ſectæ diſcipulos* à quibus, Duce Arnaldo *Petri Navis atrociter concutitur*. Hæc *nova ſecta eſt germana Calvinianæ ob erroris ſocietatem*: & tamen iiſdem artibus graſſatur quibus olim Pelagius & Cæleſtius.

Succedens mox Conſtitutio Alexandri VII. novos illos Sectarios declarat *publicæ tranquillitatis perturbatores*, & *filios iniquitatis*, qui nempè *prædictas quinque Propoſitiones vel in libro Janſenii non reperiri; ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti-Fidelium ſcandalo non reformidant*. De Arnaldo ſpecialia quædam reſervo in caput proximum, ubi de prætensâ ejus *probatione ultimâ* diſſeretur. Interea fraus & pernicies Propoſitionis, ut latiſſimè extenditur, demonſtranda eſt.

Juxta hunc Queſnelli Articulum patientur facilè ſectæ cujuſlibet Novatores, ſive Lutheri aſſeclæ, ſive Calvini, Baii, atque Janſenii à Summis Pontificibus aliiſque Epiſcopis anathemata in ſe tanquam in hæreticos vibrari; ſiquidem fidei iſtud potiùs optimæ, quàm erroris noxii aut hæreſeos indicium eſt; *Status* enim *perſecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto*.

Quid igitur Eccleſiæ ſupereſt remedii contra lapſos in hæreſim, quo ad fidem eos revocet & obedientiam? Nihil prorſus ubicunque novitas invaluerit Queſnelliana. Callidus enim novæ Propagator fidei imminentia prævidens anathemata, ne ſui his terreantur Neo-

Nec phyti, varia commiuiscitur elidendis illis accommodatissima, modò fides habcatur, *novo Moralis Evangelicæ Compendio*, ad usum novæ Ecclesiæ singulari industriâ excogitato.

Singuli de Excommunicatione Articuli sufficiens quodammodo adversus eam apparent Novatoribus antidotum; Quid itaque si simul junxeris universos?

Juxta Nonagesimum, *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat, per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto totius corporis*; & non aliter. Quandonam autem de novis Augustini Discipulis præsumere Primi Pastores Ecclesiæ prudenter poterunt, consentire omnes lato vel ferendo contra eos anathemati? Si quid uspiam adversus quemlibet eorum, sive inter summos fuerit sive inter infimos, tentet Episcopus, Sacra Cardinalium Congregatio, vel Pontifex Maximus, periclitanti socio suppetias parari ubique conspicimus, &, si quæ in eum vel ejus opus sententia proferatur, in promptu contra eam vindiciæ sunt.

Nulla proinde Excommunicatio adversus Quesnellum ejusve Discipulos unquam valida judicabitur, utpote à quibuscunque lata Pastoribus, destituta semper fuerit authoritate legitimâ, quam Christus neque Petro, neque ejus successoribus contulerit; sed toti Ecclesiæ: neque hæc censeri debeat eis committere exercendam; nisi supposito sive præsumpto totius Corporis consensu, quem constat esse moralitèr impossibilem; quandoquidem in ipsius Rei, eique adhærentium potestate sit, Quesnello Judice, impedire.

Accedit ejus Articulus 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam nos debet impedire ab implendo debito nostro: & nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulsi; quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.* Quæ nempè Excommunicatio est aut fuit unquam pertinacibus intentata Jansenii Discipulis, quæ horum judicio non fuerit injusta? Quis ex illis debitum sibi incumbere non arbitretur, novi, quod pro legitimo amplexus fuerit, retentionem prædicationemque Evangelii?

Quando igitur propterea videbitur expelli ab Ecclesiâ, fieri istud non poterit; nisi *hominum nequitiâ*: unde persecutionem patiens *Deo, Jesu Christo, ipsique Ecclesiæ* arctiore potiùs charitatis vinculo affixus in Tribunali superûm censebitur, quàm separatus. Non tamen propterea oportet Ecclesiastici iniquitatem judicii, nostramque (inquiet) innocentiam demonstrare; sed juxta Articulum Quesnelli 92. *Pati potiùs in pace Excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem.*

Tali imbutæ regulâ Moniales Portus-Regii magna pace & tranquillitate animorum passæ sunt annis pluribus omnium privationem Sacramentorum, etiam in mortis articulo, potiùs, quàm Alexandri VII. Formulæ subscribendo, Jansenianam prodere veritatem; sic imitatæ virgines illæ gentium Apostolum, dedêre exemplum fortitudinis sive obstinationis, & insaniæ pluribus novæ Ecclesiæ Presbyteris, quod sequerentur, & Historicis earumdem partium, quod magnis exornatum encomiis transcriberent posteritati.

Aliud pro istiusmodi veritate patientibus solatium est, quod traditur Articulo Quesnelli 93. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato, Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

Regula quarta Indicis jussu Concilii Tridentini edita, atque à Summis Pontificibus approbata de Bibliis in vulgari idiomate promiscuè non legendis declarat, eos qui absque facultate *legere ea, seu habere præsumpserint, nisi Bibliis priùs Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non posse.* Hanc regulam Antistites Belgii Austriaci, duce Humberto Archiepiscopo Mechliniensi cum à Novatoribus despici animadverterent, præsertim post Arnaldi sociorumque in Belgii Provincias adventum, singuli Decretis editis jussere accuratius observari.

Contra mox Arnaldus, Gerberonius, & è Belgis Ægidius de Witte, scriptionibus audacissimis commovere populum conati sunt. Inter cætera idiomate Belgico edita ab Ægidio Opuscula comparuit ficto nomine *quorumdam Civium Ostendanorum ad commorantes Brugis Amicos Epistola* circa Brugensis Episcopi Decretum; in quâ dicitur Pag. 15. " supposito quod aliqui sustineant Antistitis „ Decretum in se esse irritum, invalidum, „ hæreticum, imò ab ipso Dæmone inspira„ tum, quodque hac ducti opinione, Biblia „ sua nolint tradere, & malint propterea non „ accipere absolutionē à Sacerdote; sed illam „ expectare à Deo, nonne tales excusari pos„ sunt, peccatorum à Deo veniam impetrare, „ & salutem consequi? „

Istud est quod aliis verbis Quesnellus asserit; *Jesum quandoque sanare vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: istud est Jesum restituere, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

Restitutio illa facillimè obtinetur, imò ultrò

ultrò conceditur absque ullo prævio hominis conatu, absque ullâ prævia dispositione; siquidem juxta Quesnelli Articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*.

Singulare etiam novæ Ecclesiæ privilegium est, quod in eâ omnis Sacro tinctus Baptismate, semper justus, semper remaneat Sanctus, ac ne Sanctitatem quidem amittere valeat: Articulo scilicet Quesnelli 43. *Primus effectus gratiæ Baptismalis est facere ut moriamur peccato, adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*.

Evidens est Baptismalem gratiam non expelli, nisi delicto mortifero: hoc autem quomodo committi valeat ab homine effectum istiusmodi Baptismalis gratiæ semel consecuto, velim aliquo novæ Ecclesiæ Oraculo edoceri. Nam juxta Jansenium nequit aliquis sive malo consentire, sive bono, nisi delectatio præcesserit, eaque ardentior, quàm opposita; quomodo autem homo Baptismali gratiâ donatus, proinde & primo ejus effectu, qui est *mortuum esse peccato adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi*; Quomodo, inquam, homo sic constitutus, sic dispositus vehementiori dici poterit allici delectatione, atque ita majorem sentire in corde & sensibus, propensionem ad vitium, quàm ut resistere ei homo possit, & denegare consensum? Ad peccandum autem juxta Jansenium prærequiritur delectatio ad malum atque ea omni consensu deliberato anterior, quàm neque accersere neque impedire in hominis potestate sit.

Ne exoticum adeò, & cum fide Catholicâ componendum à nemine Systema, Jansenio affingere videar, audiatur ipse libro 4. de Gratiâ Christi cap. 7. *Si illa* (delectatio cælestis) *desit, voluntas veluti torpens ac mortua, nihil omnino boni amplecti potest: quemadmodum etiam è contrario nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam ante delectaverit*. Ibid. ut *Augustinus* Iprensis *omnem nobis scrupulum ambiguitatis eximeret; delectationem omnis operationis secuturæ mensuram statuit, succinctissimè, clarissimè, absolutissimèque pronuntians: Quod ampliùs nos delectat, secundum id operemur necesse est, nimirum quod amplius nos delectat, etiam ampliùs velimus, ac diligamus necesse est; tanto enim quidque vehementius volumus, quantò delectamur ardentiùs; quod autem magis volumus ac diligimus, secundum id operemur necesse est*.

Denique caput concludens repetit: *voluntas enim sine delectatione moveri nullo pacto potest: quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet. Unde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur*.

Is autem qui juxta Quesnellum *mortuus esse peccato, adeò ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi*; Is inquam, quomodo intelligatur carnalibus delectari ampliùs, quàm Spiritualibus, & quidem delectatione præviâ, antequam peccet, aut peccare velit; quandoquidem ut possit velle in memorato Jansenii Systemate, necessaria sit delectatio volitionem antecedens, velut causa, vel dispositio?

Mirari itaque desinamus, quod omnes in novâ Ecclesiâ à suis quasi Sancti habeantur; utpotè qui solo illic Baptismalis gratiæ fructu primo redditi fiunt impeccabiles. Quapropter quod dicitur Quesnelli Articulo 97. *Nimis sæpè contingit membra illa quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari, tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab eâ separata*, non sic accipe, quasi contingat aliquando, Quesnelli socios non esse membra sanctè & strictè unita Ecclesiæ, sive meritò *respici atque tractari tanquam indigna, ut in illâ sint, vel tanquam ab eâ separata*: Sed istud intellige accidere meritò Lutheranis & similibus, à quibus sejuncti videri cupiunt etiam Janseniani.

Denique quod juxta Articulum præsentem 98. *Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius; ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo*, non ita sinimur interpretari, quasi aliquando aliter accidat Jansenii discipulis; sed quia Quesnellus de sectis aliis fatetur, pœnas quæ eis tanquam hæreticis, flagitiosis, impiis infliguntur non esse probationem ultimam & maximè meritoriam, quæ conformes faciat Christo; cùm hic innocens passus sit.

Verùm in Quesnelli sententiâ proximè imitantur Christum, qui in Jansenianis dogmatibus retinendis, atque prædicandis intrepidi sunt, & quidquid vaticani fulminis in eorum capita detonuerit, immoti sustinent: talibus solatio esse suum Articulum Quesnellus voluit; talibus nempè, *status persecutionis & pœnarum quas tolerant, tanquam hæretici, flagitiosi, impii, ultima probatio est, maximè meritoria* &c.

Quid istiusmodi hypocritis, sive Doctoribus, sive circumventis eorum fraude discipulis, agat Sancta Mater Ecclesia, ut eos ad obedientiam & fidem Catholicam reducat?

Anni fluxere centum & septuaginta à tempore, quo Michaël Bajus Calvinianam hæresim suscipiens debellandam, novas sibi copias conscripsit, nova fabricavit arma, Sanctis Patribus & Theologis Orthodoxis hactenùs inusitata; sed proprio Marte, extra Ordinem decertare præsumens, dum propiùs, quàm oportuit, ad inimicos accessit, adeò ab his involutus apparuit, ut non nisi iniquis conditionibus visus fuerit se liberasse.

Hic itaque Lovaniensium Novatorum manipulus, dum spreto Summi Ducis imperio feliciter confligere non potuit, meritò dicitur non fuisse de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël; & quidem contra ipsum postea Bajum, tanquam refractarium, ejusque Commilitones arma sua convertere annis aliquot Ecclesia coacta fuit. Rebellibus his superatis & partim ad officium reductis, partim territis & compressis, pace fruiti sumus usque ad tempora Sancyrani & Jansenii.

Priorem ex his Christianissimi Regis authoritas, industria & zelus Cardinalis Richelii, Vincennensi prope Parisios carcere domuit; Jansenium Deus ipse potentiore suæ gratiæ dejecit ariete, ut feliciùs post obitum resuscitaret.

Non sic fracta est pertinacia discipulorum; quin sæpiùs caput attollere conata, sæpiùs Catholicorum Principum & Episcoporum, in primis Apostolicæ Sedis debuerit authoritate ac potentiâ refrænari. Ad hoc quot Decretis, Constitutionibus, definitionibus Censuris, etiam Excommunicationibus, quot exiliis & carceribus opus fuit! Neque tamen his omnibus Christiana Respublica & Ecclesia tranquillitatem satis consequi potuit, Novatoribus istis semper occasioni invigilantibus, qua sperare possent hæresim suam aut dissimulandam gravioris metu turbinis, aut Præpositorum negligentiâ, ignorantiâ, atque alicubi prono in Jansenii dogmata affectu, latiùs divulgandam.

Mirabilis quidem, & quæ vix fidem apud Posteros inveniet; obstinatio nuper fuit Cevennensium Calvinistarum, qui tot suorum millibus è Galliâ profugis, exiguo illic numero superstites, restitere tamdiu Regi potentissimo, immissisque ab eo exercitibus; quia nihil est ferocius hæresi, quæ quidquid plebis, aliàs imbellis est, ipsasque mulieres, milites facit heroibus pares.

Ad similem quodammodo pertinaciam videtur Quesnellus suos disponere Sectatores; quidquid enim spiritualium armorum, etiam anathemarum contra eos vibret Ecclesia, quidquid Principes eis intentent carcerum & exiliorum, nolite, inquit terreri: mundus vos odit, cui Sanctitas Evangelica semper odio fuit: & quidem *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis*: his exercendæ tempus patientiæ advenit: Electos, ut aurum ignis, reddit adversitas puriores; sive ut præsens enuntiat Articulus: *Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria; utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

Quo quidem pestilenti monito, nescio an ullum sive in damnatis Quesnelli *Observationibus*, sive in alio cujuscumque hæretici volumine damnosius Dæmon procuderit; hac enim quisquis circumventus est fallaciâ, si in damnatam ab Ecclesiâ inciderit hæresim, contemnit facilè, quidquid anathemaris vibraverit Pontifex, quidquid temporalium pœnarum junxerint alii Principes; talibus sive minis, sive inflictis suppliciis adeò non proficitur ad correctionem, ut sanctioris obtentu fortitudinis, magis rabies augeatur, & pertinacia.

Non tamen nostro primùm tempore, neque ex Quesnelli cerebro fraus illa originem duxit, antiquissimis usitata hæreticis, teste Francisco Simonis Tractatu de fraudibus hæreticorum Parte 3. *Fraus* (inquit) *Decima nona est, obstinare animum, & de pertinaciâ hæreticâ gloriari, ut de constantiâ Martyribus dignâ.* Tum exemplis eam compluribus deducturus, lepidè invitat *Historiarum Sanctarum scriptores, quibus Acta Martyrum atque Confessorum colligere, digerere, illustrare est curæ.*" Adeste animis (inquit) sanctos à me „ accipite adhuc vobis incognitos, ordine „ permagno, signatorum millia permulta; „ sed charactere bestiæ, sanctos omnes, & „ quidem Sanctos Martyres judicio suo; sed „ hæreticos ad unum omnes.

„ Tractationem de fraudibus Hæreticorum aggredienti, prima mihi fraus se obtulit *Mentiri sanctitatem vitæ*, & simplicium Christianorum oculos fascinare virtutibus diabolicis omnis generis. Ibi *quamdam Castitatem Diaboli* memorantem Origenem induximus: ibi diabolica humilitas, modestia, gravitas, proseminandis erroribus idoneæ virtutes celebrandæ nobis erant: hìc verò profligatâ hæresi, miseræque prostratâ, solis hæreticorum animis altè fixâ, quid de virtutibus diaboli superfit præter constantiam, quâ se invisi hominibus superisque, jactent Martyres quosdam, nullo pondere authoritatis aut potentiæ de statu suo dimovendos?

„ Pontificiâ pariter & Cæsareâ potestate „ per-

„ perculsa jacebat Pelagiana & CæIestiana „ hæresis: fraudes omnes consumpserat cum „ nefariâ factione Julianus ad fraudem om- „ nem maximè factus. Quid ageret? erum- „ pente foras animi obstinatione contestatus „ est, nullâ vi se de proposito dimotum iri, „ quidquid in se procellæ & persecutionis „ sæviret *temporibus etiam Orthodoxis*.

„ Ad hæc verò confirmari se exemplo ge- „ nerosorum Martyrum, qui ad fornacem Ba- „ bylonicam instanti tyranno responderunt: „ *Potens est Deus ò Rex, liberare nos de for- „ nace hac* &c. Nihil post hæc gloriosi sermo- „ nis omisit, quo flammis dignam pertina- „ ciam speeie circumdaret Christianæ Con- „ stantiæ.

Hactenus Simonis: nunc ipsemet Julianus audiatur in libello, quem octodecim Pelagianorum Antistitum nomine dedit ad Zozimum Pontificem, ut certiorem eum redderet propositi sui ac sociorum de rejicienda, quæ præscripta eis fuerat, fidei declaratione. *Certum sit* (inquiunt) *apud sanctitatem vestram, quia quantumlibet hoc mare, ventis flantibus intumescat, & amaris in nos fluctibus efferatur, nunquam integri judicii domum, quæ suprà justitiam Christi fundata est, poterit commovere*. Frustra tentabitur nostra à cœtu fidelium separatio, qui supra Christi justitiam fundati sumus.

Quidni adderet cum Quesnello, *nimis sæpè contingere, membra illa quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari, tanquam indigna ut sint in Ecclesiâ, vel tanquam ab ea separata; sed justus ex fide vivit, & non ex opinione hominum*? Imò *status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo*.

Bonifacius Pontifex, non Apostolicis solùm; sed Regiis etiam Edictis utebatur strenuè, ut refractarios compelleret ad subscribendum latæ in Pelagium & Cœlestium sententiæ. Julianus autem ut suos in rebellione hæreticâ obfirmaret, molis non exiguæ volumen hypocrisi plenum composuit de *bono constantiæ*.

In hoc opere abutens subdolè vocabulo gratiæ, videri penè voluit Catholicus: *Divina* [inquit] *gratia est amare & firmare constantiam, quæ cæteras possit custodire virtutes, & contra omnia, quæ resistunt, defendere veritatem*; licèt *Deus*, Quesnelli judicio, *permittat ut omnes Potestates*, etiam Pontificia & Regia, *veritatis Prædicatoribus sint contrariæ*.

Cœlestium & socios Urbe Regiâ exulare jusserat religiosissimus Princeps Theodosius: de hoc, quasi horrida contra veritatis discipulos & præcones persecutione graviter questus est Cœlestius Nestorio, à quo insignem accepit Epistolam responsoriam hæretico plenam solatio, aptissimamque ut eum in hæresi obfirmaret, verbis veluti resonantibus pietatem. *Noli* (inquit) *ægrè ferre, venerabilis, perferens ea quæ inferuntur asserentibus veritatem, & refugientibus pollutorum Communionem; quia & sanctis qui ante nostram ætatem extiterunt, gratæ fuerunt ærumnæ: & ipsæ quidem temporales erant; veritas autem æterna... Paulus hoc modo quoque & Petrus interfecti sunt. Et quid ampliùs dici opus est? Ita actum est semper per diversas tentationes pietate currente. Noli igitur à veritate deficiens eam prodere*.

Ticonii Donatistæ animum coneutere visa fuerat totius contra novam Sectam commotio Ecclesiæ: ne autem in hac conturbatione deficeret, Parmenianus Donatistarum Episcopus eum fallaci obtentu constantiæ ad persistendum in hæresi animavit: verùm Augustinus hanc Parmeniani Epistolam tribus libris pessumdedit, quorum ultimus cap. 6. hortatorem pessimum sic debellat. " Audent sacri- „ lega Schismata, vel hæreses impiæ, quan- „ do in flagello, ut se corrigant, admonen- „ tur, pœnas furoris sui, etiam inter marty- „ ria deputare, quod existimans etiam Par- „ menianus, in fine Epistolæ suæ exhortatur „ Ticonium, ut in parte Donati permaneat, „ & persecutiones perferat, adhibens etiam „ testimonium scripturæ dicentis Eccles. cap. „ 2. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & „ diverterunt in vias pravas: & quid facient „ cùm inspicere poterit eos Dominus?*

„ More suo cuncta de Divinis libris adver- „ sùs se ipsos proponentes... Nonne scrip- „ tum est Eccles. cap. 4. *Non contradicas ullo „ modo veritati*? Cui autem nisi veritati con- „ tradicitur, cum etiam Regi, ex veritate „ aliquid jubenti resistitur? Sed Rex homo „ qui minatur, vel qui vindicat ad tempus „ molestus est; non sic ille Rex, qui etiam „ veritas dicitur, qui nunc quoque illis per „ Prophetam clamat Jeremiæ cap. 2. *Sine „ causâ percussi filios vestros: Disciplinam „ non receperunt...*

„ Sub vindictâ Regum potest hominum „ pertinacia falso nomine virtutis laudari; „ æternis autem ignibus concremari, nec „ erit, nec vocabitur fortitudo.... Priùs „ quid faciant, & postea quid patiantur, ad- „ vet-

„ vertant, ne dum adversus facta sua oculos „ claudunt, & ad pœnas suas oculos ape- „ riunt, & hic frustrà temporalem patiantur, „ & in ultimo Judicio Dei etiam pro hoc „ ipso, quod frustrà eos talibus molestiis, „ ut emendaret, admonuit, æterno suppli- „ cio puniantur.

CAPUT II.

An Documenta ab Arnaldo Octogenario præsertim de libris prohibitis edita, & orta inde contra eum offensio, dici mereantur probatio ejus ultima & maximè meritoria, quæ eum magis conformem fecerit Jesu Christo.

AD suam indubiè suique potissimùm Magistri defensionem referri Quesnellus voluerit præsentem Articulum: licèt nemo pariter inficias iturus sit, utroque eum exemplo discipulos animari voluisse, ne metu similium contra se processuum, Censurarum, ac nasciturae ex iis infamiæ à sententiâ dimoveantur; sed contra Potestates omnes stent immoti, novumque strenuè pergant divulgare Evangelium.

Retuli aliàs judicium Walonii de Epistola Quesnelli sub nomine *Abbatis* contra Decretum Alexandri VIII. tanquam incongruâ; quapropter necesse fuerit fortiori illud opere confutari. Ad hoc postulabatur eruditio & industria plurium annorum exercita studio & lucubrationibus.

Suscepit laborem Arnaldus ætate licèt decrepitâ qui cùm distinctas octo partibus difficultates edidisset contra Steyaertium Doctorem Lovaniensem, Diæceseos Silvæducensis Vicarium Apostolicum, scriptionem hanc ultimam quasi memorati operis prosecutionem & coronidem, appellari voluit *Nonam partem difficultatum* &c.

Viso titulo exhorruit Romæ Walonius, utque hac Arnaldi imprudentiâ destrui vidit, ac vehementissimè doluit, quidquid complurium annorum mendaciis & hypocrisi fabricarat, æstimationem scilicet Arnaldi in Romanâ Curiâ, tanquam viri Sancti, & Scriptoris non minùs erga Sedem Apostolicam reverentis ac submissi, quàm eruditi Ecclesiæ contra hæreticos Defensoris; patientis interim persecutionem veluti hæretici, & rebellis adversùs Christi Vicarium; cujus autem Scriptoris crimen unicum sit, laxitatibus adversari.

Istud occinenti ubique confidentissimè Walonio crediderant in Urbe non pauci, penes quos hic Jansenistarum Agens, verus Augustini habebatur Discipulus. Nunc autem cum difficultatum contra Steyaertium author vulgatissimus esset Arnaldus, non poterat non palam innotescere partis ultimæ contra Sedem Apostolicam maximè irreverentis, omnemque excutientis obedientiam author idem convictissimus, quandoquidem lucubratio hæc posterior, ipso suo titulo se prædicet prioris operis prosecutionem, cùm inscribitur *Nona pars Difficultatum Steyaertio propositarū*. Sola mihi modo *Pars* ista satis speciminum subministrabit, undè Arnaldi appareat effrænis indoles & temeritas, nullam venerans Potestatem, certa nulli se submittere definitioni, omnem contemnere. In excerpendis speciminibus sequar communiter ordinem Paginarum, unum præmonens, totius libri scopum esse Decreta convellere Apostolicæ Sedis, in primis ea quæ libros Novatorum feriunt, dein ea quæ Propositiones, præsertim 31.

De montensis Oratorii Præposito ista scripserat Steyaërtius Archiepiscopo Cameracensi; *Circa lectionem librorum prohibitorum multum aberrat, dum in responso proprio profitetur, libros ejusmodi occultè legi posse, si quis judicet, injustè damnatos, & nullum in illis errorem existere.*

Ad quod Arnaldus respondet Pag. 4. " Existimasti, Curiam Romanam multùm „ tibi obstringendam, si obedientiam, quam „ contendis Decretis ejus esse debitam, ul- „ tra omnes limites protenderes. „

Pag. 9. " Esset Christianos tractare ut „ Judæos; si eis diceretur, quemadmodum „ videris velle, ut Romani Pontifices, & alii „ Episcopi dicant: Parete nostris præceptis, „ etiamsi neque sciatis vos, neque sciant Pa- „ stores vestri, neque quos possetis consu- „ lere, viri docti, cur vobis præcipiamus: „ cavete à talis libri lectione: grave deli- „ ctum committeretis legendo, quamvis ne- „ mo exponere vobis valeat rationem, quæ „ nos moverit, ad lectionem ejusmodi vobis „ prohibendam. „

Pag. 14. " Utinam liceret Sermonem „ non instituere de ejusmodi materiis, quæ „ natæ sunt odium parere! Sed eò nos adi- „ gis; quis enim silentium sibi licitum esse „ arbitretur, ubi agitur de elidendo conatu, „ quo Theologis, imò Fidelibus universis „ imponere niteris jugum non tolerabile „ obedientiæ cæcæ, quod neque Deus, „ neque Ecclesia, neque ratio imposuit? „ Minima nunc cura est, ut alicujus circa „ gratiam fides, vel praxis administrandi „ Sacramenta detegatur; sed quæritur utrum „ legere audeat libros prohibitos. Nova „ ista Inquisitionis species est, quam conaris intro-

„ introducere . . . Satis apparet . quod talis „ servitus , si eam stabiliri contingeret ; ut „ videris velle stabilitam , non exiguus obex „ foret hæreticorum conversioni . . . Charitatis igitur est , tollere hanc Petram „ scandali , quæ innumera animarum millia „ à via salutis averteret , & detineret in „ Schismate . „

Archiepiscopus Cameracensis sub quo Montensis Civitas amplissima est , excitus clamoribus populi , & Magistratuum querelis de novitatibus ibi antea inauditis , tres delegerat viros in dignitate constitutos D. Bassery Vicarium Apostolicum Silvæducensem dein Brugensium Episcopum, Masium Capituli Decanum & Sreyaërtium Doctorem Lovaniensem, qui Basserio in Vicariatu Apostolico successit . Hos, inquam, Archiepiscopus Cameracensis delegaverat Examinatores , qui munere perfuncti communem Epistolam scripsere Archi-Præsuli , quâ eum de compertis à se in examine redderent certiorem .

Inter Articulos erat is , quem suprà Arnaldus suscipit exagitandum .

Circa lectionem librorum prohibitorum (inquiunt tres illi Commissarii) *multùm aberrat* Præpositus Oratorio Montensi , *dum in responso proprio profitetur , libros ejusmodi occultè legi posse , si quis judicet injustè damnatos , & nullum in illis errorem existere .*

Ista Delegatorum sententia , Arnaldo judice , tam est iniqua , ut non sine gemitu exclamantem jam viderimus . " Utinam lice„ ret Sermonem non instituere de ejusmodi „ materiis ! . . . Sed eò nos adigis . Quis „ enim silentium sibi licitum arbitreretur &c.„

Sreyaertium Arnaldus aggreditur, quasi unicum sententiæ illius , Præposito contrariæ authorem . Nos autem Arnaldo opponimus non solùm duos prætereà quos callidè reticet Steyaërtii , eosque authoritatis non contemnendæ Socios , sed etiam quorquot in Ecclesiâ scriptis celebres sunt authores , & novitatum pulvere non afflati . Cuinam , amabo usui est talis à Præposito annexa conditio , *si quis judicet injustè damnatos , & nullum in illis errorem existere* , nisi ut privatus quilibet statuatur judex supra Episcopos , supra Fidei Quæsitores , atque ipsum Christi Vicarium , circa libros , quos tanquam Fidelibus perniciosos , scarentes erroribus , etiam impiis & hæreticis sub pœnâ Excommunicationis ipso facto incurrendæ prohiberint & condemnarint ?

Occurrit scilicet Montensis Præpositus , & absque ullo sive librorum sive personarum discrimine , facultatem tribuit omnibus amplissimam legendi libros qualiecunque prohibitos Censurâ , sub quâlicunque pœnâ , & quidem anathematis , ipso facto incurrendi ; si modò quilibet volens eos legere , *judicet damnatos esse injustè nullumque in illis errorem existere* .

Istud scilicet est , ut Michaëlis Baji opera omnia à Gerberonio novis typis edita , librum Jansenii & universas pro utroque Apologias Bajanus quilibet ac Jansenianus licitè privatim legat . (Quidni Lutheri quilibet aut Calvini Discipulus de sui idem statuat voluminibus Patriarchæ ?) nullâ territus prohibitione , nullo lædendæ conscientiæ , atque offendendi Numinis timore: Istud Arnaldi apud suos maximi authoritate stabilitum est .

Sic Petrus de Ligny Theologus Duacenus , juvenis tunc quidem , & nonnisi Philosophiæ Professor, Ardelio tamen novarum partium perservidus scripserat tempore vigentis apud Duacenos Larvæ Arnaldicæ . *Persuasum penitùs habeo Iprensem Episcopum* (Jansenium) *condemnatum fuisse machinationibus Molinisticæ factionis , nullamque ab eo traditam fuisse doctrinam de gratiâ , nisi quam docuit Augustinus , quin imò credo , nullum unquam Pontificem magis evidentia dedisse fallibilitatis suæ signa , quàm condemnando Propositiones quinque in sensu intento à Jansenio. Ideò libros omnes de Jansenismo tractantes lego sine scrupulo .*

Idem devorum se Arnaldo discipulum declarat in Professione Fidei missa ad Episcopum , quem supponebat esse novæ Ecclesiæ Protectorem .

Professio illa ut Symbolum Apostolorum , continens Articulos duodecim , sic habet Articulo primo : *Declaro coram Deo , quod assensu inviolabili amplector universas Domini Arnaldi sententias , quem amavi & æstimavi supra omnes Theologos ab initio , quo animum cœpi ad Theologiam applicare . Credo quòd hac viâ sensum S. Augustini assequi potero securiùs .*

Arnaldo scribens eodem tempore Jacobus Gilbert Academiæ Duacenæ Cancellarius , ei gratulatur quòd tam egregiè defenderit Jansenium , ut Doctrinam Euangelicam de gratiâ Christi sanaverit à vulnere, quod ei Constitutione suâ inflixerat Alexander VII. cujus plaga nondum penitus obducta est .

Quærendum itaque superest ex Arnaldo ejusque discipulis , num autument sibi proprium , & non cæteris passim commune perversissimis erronibus , ut editas à se suisque lucubrationes sustineant, tanquam consentaneas veritati, nec nisi injustè ab Episcopis,

pis, vel à Romanis etiam judicibus condemnari? Cur non itaque idem sibi jus illi vindicent legendi libros suos ac fuorum, quod ab Arnaldo & ejus Sectatoribus tantâ confidentiâ propugnatur?

Quod de libris dicitur, Consectario non absono trahi videbitur ad doctrinam, ut cuilibet retinere, *occultè* tradere, *occultè* defendere liceat, censuris quantumcunque gravibus condemnatam, modò quis sibi persuadeat esse ab errore Theologico immunem, nec nisi perperam prohiberi.

Non occultè solùm Arnaldus; sed etiam publicè tuetur quidquid tam Dogmatum, quàm librorum à Pontifice proscribitur, quoties judicio suo censuram, sive Dogma, sive lucubratio non meretur. Exemplis istud compluribus ad praxim mox videbimus deductum; sed paucis attingenda prius est Arnaldi Declamatio contra *jugum*, quod vocat *non tolerabile obedientiæ cæcæ*, & ait Steyaërtium cum duobus delegationis sociis *imponere velle universis Fidelibus*, hoc ipso quo censeant, *multum aberrare* Præpositum oratorio Montensi; dum asserit libros *probibitos occultè legi posse*, *si quis judicet injustè damnatos*, *& nullum in illis errorem existere*.

Cur non ostendere Arnaldus conatur illam discipuli sui opinionem convenire sensui aut praxi Ecclesiæ? Nos meritò dicimus novitatem esse in Ecclesiâ inauditam, nec posse aliter, quàm pessimè sonare in auribus omnium probè Catholicorum. Libertinos aliquot & temerarios Novatores in Jansenistarum Gymnasio institutos non moramur. Arnaldi itaque vociferatio contra eam trium Delegatorum sententiam, quasi ea novam induceret Inquisitionis speciem, jugum Christianis non tolerabile, est prorsus mendax & frivola, nec alia egens confutatione, quam quod inter Catholicos hactenùs fuerit incognita.

Provocatur denique quisquis superest Arnaldo mortuo vindex, aut Discipulus, ut Authorum seu veterum, seu recentium scrutatus volumina, in medium proferat aliquos Jansenianis temporibus anteriores, vel de condemnatis in illo Antistite Dogmatibus non suspectos, qui Montensi Præposito in suâ sententiâ præluxerint, vel tribus illis adversati fuerint Delegatis.

Præterea opinio Præpositi non intra limites concluditur istorum operum, quorum prohibitio nullam indicat rationem; Sed extenditur ad quæcunque, etiam in quorum prohibitione causa multiplex, & gravissima allegatur. Exempla de hoc plurima sunt & notissima: in primis Liber Jansenii, Rituale Aletanum, Novum Testamentum Montense, libri in quibus asseritur æqualitas SS. Petri & Pauli sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in Supremâ Ecclesiæ gubernatione, & recentius ac maximè celebre est opus Quesnelli divisum in Tomos quatuor, continens versionem Gallicam Novi Testamenti cum observationibus moralibus. Prohibitioni huic præmittit Clemens XI. rationem abundantissimam; dicens; " Nos librum hujusmodi „ nonnullis ex venerabilibus Fratribus no„ stris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in „ Theologiâ Magistris maturè, ut rei gravi„ tas postulare videbatur, examinandum „ commisimus: Illi vero mandatis nostris ob„ sequentes, librum ipsum post accuratam „ ejus discussionem, unanimi consensu pro„ hibendum esse censuerunt; utpote qui Sa„ crum ipsum Novi Testamenti textum ex„ hibet damnabiliter, nec sine ausu temera„ rio vitiatum, & alteri versioni Gallicæ du„ dum à felicis recordationis Clemente Pa„ pa IX. Prædecessore nostro, per quasdam „ suas in simili formâ Brevis die 20. Apri„ lis 1668. expeditas literas damnatæ, in „ multis conformem; à vulgatâ verò editio„ ne, quæ tot Seculorum usu in Ecclesiâ „ probata est, atque ab Orthodoxis omnibus „ pro authentica haberi debet, multipliciter „ discrepantem & aberrantem.

„ Notas insuper & observationes conti„ net, habentes quidem speciem pietatis; „ sed ad virtutem ejus abnegandam subdolè „ deducentes, in quibus passim occurrunt „ doctrinæ & Propositiones seditiosæ, teme„ rariæ, perniciosæ, erroneæ, alias damna„ tæ, & Jansenianam hæresim manifestè „ sapientes.

„ Hinc est quod nos, quibus à Domino „ Pastoralis curæ, atque vigilantiæ munus, „ quantum nobis ex alto conceditur, salu„ briter exequi cupientes, de eorumdem „ Cardinalium consilio, librum supradi„ ctum, sive præmissis, sive alio quovis ti„ tulo inscriptum, ubicuuque & quocunque „ alio idiomate, seu quavis editione, aut „ versione hactenus impressum, aut impo„ sterum, quod absit, imprimendum, au„ thoritate Apostolicâ, tenore præsentium „ damnamus & reprobamus, ipsiusque Li„ bri impressionem, descriptionem, lectio„ nem, retentionem & usum, omnibus & „ singulis Christi Fidelibus, etiam Specificâ „ & individuâ mentione & expressione di„ gnis, sub pœnâ excommunicationis, per „ contrafacientes ipso facto absque aliâ de„ claratione incurrendâ, à quâ nemo à quo„ quam, præterquam à nobis, seu Romano Pon-

„ Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in „ mortis articulo conſtitutus, abſolutionis „ beneficium valeat obtinere, omnino inter- „ dicimus & prohibemus, volentes, & eâ- „ dem authoritate mandantes, ut quicun- „ que librum hujuſmodi penes ſe habuerint, „ vel in futurum quandocunque habebunt, „ illum ſtatim atque præſentes literæ eis in- „ notuerint, Locorum Ordinariis, vel hæ- „ reticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere „ atque conſignare teneantur: hi verò exem- „ plaria ſibi ſic tradita illicò flammis aboleri „ curent, in contrarium facientibus non ob- „ ſtantibus quibuſcunque. „

Plurimæ iſtiuſmodi prohibitiones Librorum ſunt ſive à Pontificibus, ſive ab Epiſcopi s inferioribus, ſive à Sacræ Inquiſitionis Tribunalibus editæ, in quibus ratio maximè ſufficiens redditur, cur non expediat illorum Operum lectionem promiſcuè permitti.

Talia Arnaldum exempla minimè latuerunt; utpotè qui Pag. 19. inſultat Alexandro VII. ob condemnatam Miſſalis Romani Gallicam verſionem, gravibus additis prohibitionis argumentis. " Evidens eſt (inquit „ Arnaldus) quod Magnatum precibus effi- „ ci poſſit, ut Pontifex condat leges injuſtas, „ quemadmodum certò conſtat Cardinalem „ Mazarinum precibus ſuis induxiſſe Ale- „ xandrum VII. ad condemnandam Miſſalis „ verſionem. „

Ubinam autem, ut ab Arnaldo prætenditur, in hujus operis proſcriptione, evidens adeò injuſtitia eſt? Prohibitionis rationem Pontifex reddit in ipſo ſuo Diplomate, eamque minimè levem, dicens. " Ad aures no- „ ſtras ingenti cum animi noſtri mœrore per- „ venit, quod in Regno Galliæ quidam per- „ ditionis Filii, in perniciem animarum no- „ vitatibus Studentes, & Eccleſiaſticas ſan- „ ctiones, ac praxim contemnentes, ad eam „ nuper veſaniam pervenerint, ut Miſſale „ Romanum latino idiomate, longo tot Se- „ culorum uſu in Eccleſiâ probato conſcri- „ ptum, ad Gallicam vulgarem linguam „ convertere, ſicque converſum typis evul- „ gare, & ad cujusvis ordinis & ſexûs per- „ ſonas tranſmittere auſi fuerint, & ita Sa- „ croſancti ritus majeſtatem latinis vocibus „ comprehenſam, dejicere & proterere, ac „ Sacrorum Myſteriorum dignitatem vulgo „ exponere, temerario conatu tentaverint; „ Nos quibus, licèt immeritis Vineæ Domi- „ ni Sabaoth à Chriſto Salvatore noſtro „ plantatæ, ejuſque pretioſo Sanguine irri- „ gatæ cura demandata eſt, ut ſpinarum hu- „ juſmodi, quibus illa obrueretur, obvic- „ mus incremento, earumque, quantum in „ Domino poſſumus, radices ſuccidamus, „ quemadmodum novitatem iſtam perpetui „ Eccleſiæ decoris deformatricem, inobe- „ dientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, „ Schiſmatis, aliorumque plurium malorum „ facilè productricem, abhorremus & dete- „ ſtamur, ita Miſſale prædictum Gallico „ idiomate à quocunque conſcriptum, vel „ impoſterum aliàs quomodolibet conſcri- „ bendum, & evulgandum, motu proprio, „ & ex certâ ſcientiâ, ac maturâ delibera- „ tione noſtris, perpetuò damnamus, repro- „ bamus & interdicimus, ac pro damnato, „ reprobato, & interdicto haberi volumus, „ ejuſque impreſſionem, lectionem & reten- „ tionem univerſis & ſingulis utriuſque ſe- „ xûs Chriſti Fidelibus cujuſcunque gradûs, „ ordinis, conditionis, dignitatis honoris & „ præeminentiæ, licèt de illis ſpecialis & in- „ dividua mentio habenda foret, exiſtat, „ ſub pœnâ Excommunicationis latæ ſenten- „ tiæ ipſo jure incurrendæ, perpetuò prohi- „ bemus: Mandantes, quod ſtatim quicun- „ que illud habuerint, vel in futurum quan- „ docunque habebunt, realiter & cum ef- „ fectu exhibeant, & tradant locorum Ordi- „ nariis, vel Inquiſitoribus, qui nullâ inter- „ poſitâ morâ exemplaria igne comburant, & „ comburi faciant, in contrarium facienti- „ bus non obſtantibus quibuſcunque. „

Edicat igitur ſive Arnaldi, ſive Montenſis Præpoſiti quiſcunque defenſor, quænam hic ſpecies ſit obedientiæ adeò cæcæ, qualis ab Arnaldo ad conflandam Pontificibus, eorumque Tribunalibus invidiam confingitur, quaſi volumina prohibendo fidelibus ſic ſtolidè dicerent. *Cavete à talis libri lectione: grave delictum committeretis legendo; quamvis nemo exponere vobis queat rationem quæ nos moverit ad lectionem ejuſmodi vobis prohibendam.*

Quot affiguntur prohibitionibus cenſuræ, tot rationes ſunt, quarum ſingulæ poſſent reprobationi ſufficere.

Verùm (inquies) non iſtud eſt quod Arnaldo, Queſnello eorumque Sectatoribus faciat ſatis: volunt illi Cenſuras qualeſcunque non ſimpliciter aſſeri; ſed probari, deſignatis in quolibet libro propoſitionibus, quæ talem meruerint caſtigationis infamiam. Sic & non aliter admittere Cardinalis Noaillius voluit condemnationis ſententiam in *Novum Teſtamentum* Queſnelli *Gallicum cum Obſervationibus Moralibus*.

Suſpicimus quidem univerſi Eminentiſſimam, & pluribus venerandam titulis authoritatem; verùm non poſſumus non dolere, Mi-

Ministros ei & Consiliarios obtigisse, vel eruditionis nonadmodum magnæ, vel quod deterius est, novatoribus colludentes. Quidquid sit, eventus docuit, neque Quesnelli, neque ipsius Archipræsulis famæ satis consuluisse eos, quicunque authores hnic fuerint differendæ obedientiæ usque dum Pontifex Constitutione *Unigenitus* proferret excerpta è QuesnellianoOpere dogmata, quæ ei censuras meruerint, priore Diplomate inflictas; Sic enim censuris pluribus & longè gravioribus occasio data est, ut cuilibet priores cum posterioribus conferenti sit manifestum. Neque vulgus hominum, sive Lectorum pars maxima, facilè sibi induxisset in animum, ut crederet damnabilia dogmata tam multa, & tam pestifera Quesnelli opere contineri, nisi collectionem fidamBulla*Unigenitus* exhibuisset. Superest addendum aliquid de Missalis versione Gallicâ. Ex Pontificia ejus censura patet, non prohiberi illam veluti infidelem, sive à latino idiomate aberrantem; sed propter obnoxiam gravissimis abusibus novitatem. Perpetua Ecclesiæ, ipsiusque Synagogæ praxis fuit, & stabilita maximè ceremonia, ut non omnis oratio Sacerdotis vulgi auribus exponeretur: hinc *secreta* in Missæ Sacrificio appellantur. Quomodo autem *Secreta* manserint, si vulgari idiomate reddantur omnibus communia?

Hoc inter cætera, privilegio gaudent, & passim à Catholicis discernuntur Jansenianæ mulieres. quod hæ totum cum Sacerdotibus Sacrificium, legendo etiam Consecrationis Formulam, veluti consacrificantes absolvant. Incongruum autem est in novâ Ecclesiâ, & vitio datur, si quis Missæ tempore Rosarii precibus occupetur.

Notandum etiam quòd in Pontificio Diplomate dicatur: *Quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, Seditionis, Schismatis, aliorumque plurium malorum facilè productricem abhorremus, & detestamur; ita Missale prædictum Gallico idiomate à quocunque conscriptum, vel imposterum aliàs quomodolibet conscribendum, & evulgandum ... perpetuò damnamus, reprobamus & interdicimus ..... ejusque impressionem, lectionem & retentionem universis & singulis utrjusque sexûs Christi Fidelibus, sub pœnâ Excommunicationis latæ sententiæ, ipso jure incurrendæ perpetuò prohibemus*. Unde liquet non solam quæ tunc prodierat Missalis Romani versionem Gallicam prohiberi, sed omnem *à quocunque conscriptam, vel imposterum aliàs quomodolibet conscribendam & evulgandam*.

Nihilominus *Familia* suo judicio *Sancta*, omnem vocibus abominari solita speciem laxitatis, nihil in praxi licitum statnens probabile, nisi extra omne simul dubium sit, ac periculum, etiam remotissimum à legis tramite aberrandi, spretâ Pontificis authoritate, ac prohibitione gravissimâ, explosâ denique *latæ sententiæ* excommunicatione, composuit novam, ac typis iterum edidit Missalis Gallicam versionem. Ad illudendum verò simplicibus immutavit titulum, loco *Missalis Romani*, ponitur *Annus Christianus seu Missæ Dominicarum, Festorum & Feriarum totius anni*.

De hac Novatorum perfidiâ monitus Humbertus Mechliniensium Archiepiscopus, antequam eorum Bruxellis latibulum detexerat, graves ad Innocentium XII. querelas detulit. Quapropter opus illud in Tomos undecim divisum Romæ subjectum examini fuit, facilèque à Judicibus deprehensum, quod & in novâ damnationis sententiâ exprimitur, fuisse illud ab Alexandro VII. prohibitum & condemnatum.

Execrabilis proinde Quesnelli eique cooperantium temeritas fuit, Pontificiæ tam aperta, tam studiosa violatio sanctionis, tot fœta criminibus, atque incursibus anathematum, quoties nefandi operis iterabitur lectio.

Vix erat Matrona Princeps pietati addicta, cui ea lucubratio à Novatoribus non obtruderetur tanquam quotidianum continens exercitium devotioni accendendæ, Sacrificii præsertim tempore accommodatissimum. Quæ scilicet aptior ad Divini Corporis sumptionem excogitabitur præparatio, quàm quæ à Sancta Matre nostra Ecclesiâ Sacerdoti cuilibet præscribitur sacrificanti? Ita mulieres, ita viri quicunque laici à nostræ Reformatoribus Ecclesiæ instituuntur, non aliter ad Divinissimi Mysterii accedere participationem, quàm commisso priùs mortifero crimine; eam esse Communionem Sanctissimam, quæ excommunicationem supponit, atque adeò Sacrilega est. Merito Innocentius XI. inter Articulos 65. damnavit hunc 55. sicut jacet, ut minimum tanquam scandalosum & in praxi perniciosum: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem*.

Quantum Arnaldici non exultare solummodo hac prohibitione visi sunt, sed insultare maximè quibusdam odiosis sibi authoribus! Nota de hoc sunt Gerberonii opuscula quæ edidit in latibulo Bruxellensi; sed ex crassâ nimiùm imò potiùs affectatâ ignorantiâ tunc meminisse noluit, quod tum ipse, tum

tum sui Socii & Discipuli non videantur sacrificare unquam, vel communicare alitèr, quàm sacrilegè. De Laicis viris & mulieribus Missalis Gallici lectionem præmittentibus constat, ex Decreto Alexandri VII. & quidem contra Quesnelli audaciam recentiùs confirmato. De Sacerdotibus quoque Missale illud Gallicum divulgantibus ratio magis manifesta est, quòd & pollutam perpetuò circumferant lethali crimine conscientiam, & percussam anathemate, non posse nisi multiplicare Sacrilegia, quoties Sacramentum sumpserint, vel ministraverint aliis?

Cesset itaque ridicula, vel detestanda potiùs Quesnelli hypocrisis, quâ se suosque tot criminum reos, tot anathematum incursibus à Christi Fidelibus separatos, haberi tamen ab omnibus velit, tanquam *membra magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ, viventia ex fide* Jansenianâ, *impiâ & blasphemâ hæresi*, ut à Pontificibus sæpè declaratum est, & ab universâ creditur Ecclesia.

Facessat etiam Novatoris ejusdem Articulus præsens fovendæ rebellium pertinaciæ & Excommunicationum contemptui perquàm idoneus; quo dicitur: *Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria; utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

Nulla æquior de prætensis Jansenianorum persecutionibus judicandi ratio est, quàm, si sepositis accusationibus vagis & rumoribus vulgi, quin etiam præjudiciis, quantumlibet fundatis; ex iis præcipuè sententiam feramus, quæ ipsi neque possunt, neque volunt, inficiari sua esse: Et quidem, quoniam hîc *de probatione ultimâ* Sermo est, & de Arnaldo, Scriptum ab eo octogenario editum, certissima de authore judicandi suppeditat argumenta. Liber ille est quem mihi superiùs proposueram unicè expendendum. Ne autem, ut experiri jam cœpimus, singula ab eo temerè & falsissimè asserta refutando, præsentis capitis nimium excrescat dissertatio, solas ex eo opere lacinias referam absurdissimas, quæ, utpote Romanorum Pontificum, institutorumque ab illis Tribunalium Decretis ac Definitionibus directè contrariæ, nullâ penes Catholicos indigent oppugnatione, ipsâ suâ præferentes fronte pestilentiam: quanquam si adversariis aliàs placuerit, etiam de his ac similibus pro suâ temeritate & impudentiâ concertare, dum finem imposuero præsenti operi, quod reliquum vitæ fuerit, ad prosequendas istjusmodi de religione controversias, à fidei hostibus provocatus non denegabo.

Interim quam bellè Arnaldus suam adornaverit *Probationem ultimam conformitatis cum Christo*, discimus ex ejus contra Christi Vicarium frequenti atque obstinatissimâ rebellione, in memorato sæpius opere, quod vitæ ultimum fuit, si *Testamentum* exceperis retractationis nihil continens, solâ plenum hypocrisi & pertinaciâ.

Difficultatum itaque contra Steyaertium parti nonæ, eique ultimæ insistamus. Pag. 21. dicitur: " Spiritus Sanctus non semper assi-
„ stit Pontifici in ejusmodi casibus: non sem-
„ per immotum servat. Exemplum accipe.
„ Non minùs vehementèr Innocentius XI.
„ quàm postea Alexander VIII. solicitatus
„ fuerat, ut maculam inureret libro, cui
„ titulus est. *Amor pœnitens authore Episco-*
„ *po Castoriensi*: Verùm Deus Gratiam im-
„ pertivit Innocentio XI. quâ importunis il-
„ lis solicitationibus resisteret, easque reii-
„ ceret hoc responso: *Liber bonus est, &*
„ *author Sanctus*. Eisdem solicitationibus
„ succubuit Alexander VIII. Num tibi per-
„ suades nos propter unum *donec corrigatur*,
„ quod vocas *Solemne Decretum Pontificis*
„ *jussu editum*, debere Sancti illius Præsu-
„ lis excellens volumen abiicere tanquam
„ noxium?„

Quemadmodum mendaciis & calumniis non minùs, quàm incendio publicò infame *Diurnum* Sanctamorei parte sui non minimâ, constabat fictitiis vivæ vocis Oraculis, ita & hic Arnaldina pro Castoriensis volumine Apologia, unicè nititur Jansenianâ fide, de Innocentii XI. approbatione. Ecclesia Dei, ut rectè contra suos advertit Ægidius de Witte, non regitur narrationibus istjusmodi ab una partium inter se contendentium relatis, negatis, ut jure optimo solet, ab alterâ; sed Decretis & declarationibus publicis, formâ debitâ consignatis. Quis enim alioquin Schismaticus aut hæreticus, si ad alloquendum privatim Pontificem admissus fuerit, mentiri posteà impunè quidlibet de colloquio non valeat?

Ad rempublicam autem Jansenianam conducere indubiè visum est, Joannem Neercasselium, cum titulo Castoriensis Episcopi Vicarium Apostolicum pro Hollandiâ, ejusque librum referre in Canonem; quia Vicarius ille Arnaldo, Quesnello eorumque Sectatoribus devotus, librum suum, antequàm lucem aspiceret, eorum submisit judicio concinnandum. De eo in *Causâ Quesnellinâ*, sive processu juridico sic legitur Pag. 79. " Arnaldus dum judicio suo submis-
„ sum habebat ab eodem Vicario edendum
„ librum

„ librum *Amor pœnitens*, has inter alias ad „ librum illum die 12. Novembris 1684. „ eidem remittebat notas: *Nescio an circa* „ *finem poni à te conveniat: Scio in Petri* „ *Cathedrâ fidem esse indeficientem .... Et* „ *enim in Petro dictum est: Confirma fratres* „ *tuos. Istud Romani accipient pro falsi nesciâ* „ *Pontificis authoritate*: „ quod scilicet minimè deceret novum Augustini discipulum.

Exultavit Neercassellius adventu Quesnelli in Belgium, cujus operâ in novitatum studio juvaretur, ut intelligimus ex ejusdem vicarii ad illum Epistolâ datâ anno 1685. die 9. Martii: *Gaudemus quod iniquitatem fugiens, nobis propinquior sis factus: tua eruditio ac doctrina nos certantes adjuvabit*. Prætensa illa *iniquitas* qualis fuerit, retuli aliàs ex literis ipsius Patris Thorentierii, qui Oratorii Berulliani in Galliâ Generalis Assistens, Congregationem tunc moderabatur: erat, inquam, prætensa illa *iniquitas* abdicatio Systematis Janseniani, quæ iterato Comitiorum Generalium Decreto omnibus imperabatur.

Altera ejusdem Castoriensis Episcopi ad Quesnellum Epistola data est eodem anno die 10. Augusti, quam solitâ auxilii imploratione terminat: *vale vir consultissime ac eruditissime, & uti soles, me amare & juvare semper velis*. Dein 19. Octobris: *Rogo ut, quæ desunt Amori pœnitenti, ita ordines, ac maximè decens judicabis. Exemplaria oportebit priùs in Galliis* (ubi major nobis copia, & authoritas Patronorum est) *quàm in Belgio venum exponi*. Iterum 2. Novembris de Approbationibus, quas eidem volumini ex Galliis procurabat Arnaldi atque Quesnelli authoritas, ad hunc scribit idem Episcopus. *Ubi illas acceperis, velim prælo subdi ea ratione, quâ tua istud prudentia æquum decensque judicabit*. Pro studiosè adeo impensa opera aliisque Officiis non defuisse hunc Missionis Batavicæ Vicarium, quin grati animi sui effectum Quesnello reddiderit, Colligere facilè est ex ipsius Vicarii ad eum literis datis anno 1685. die 18. Aprilis.

Prosequitur Arnaldus in Difficultatibus Pag.41. " Putasne peccaturum graviter Sa„ cerdotem, qui Montaltii *literas Provincia*„ *les* tam utiles, & præclaras legeret? Ex„ ploratum nobis est, illas in Conclavi ulti„ mo linguis variis lectas fuisse approbatio„ ne maximâ à Cardinalibus, quos erudi„ tio præ cæteris effecerat commendabi„ les „. Acceperit istud Arnaldus mendacissimi testimonio Walonii. Jansenistarum ille Generalis Agens & Explorator in Urbe perfidus, quot non inde malitiæ suæ figmenta, ad *Sanctam* novæ Ecclesiæ latentem in Belgio *familiam* perscribere solitus fuit, ut Gazettis, præsertim Hollandicis insererentur, minimè honorificum allatura Romanis Tribunalibus præjudicium! Alexander VII. Decreto anni 1657. 6. Septembris, quo iterùm damnat & prohibet Libros, Epistolas & Libellos quoscunque, ubi Doctrina Jansenii damnata defenditur, vel quomodolibet approbatur, collocat octodecim Montaltii Epistolas, vulgò *Provinciales*, singulas exprimens,

Die 9. ejusdem mensis in Galliâ Senatus Regius Aquensis easdem Epistolas declarans famosas, plenas calumniis & perniciosas, statuit ut in loco Suppliciis destinato, palàm à Carnifice laceratæ, infami consumerentur incendio: venditionem & distributionem sub pœna infligendâ corpori prohibuit: vetitâ etiam retentione, jussit exemplaria omnia deferri ad Syndicum supprimenda,

Cùm autem fixum sibi certumque nova Ecclesia habeat tumultuari perpetuò adversus Potestates omnes, etiam Apostolicam Sedem, quoties aliqua suis contraria novitatibus Sanctio emanarit, proscindere contumeliis, non destitere Janseniani utramque sententiam, quasi iniquissimam contra Epistolas, Arnaldo judice, *tam utiles & præclaras*,

Denique Rex Christianissimus Jansenistarum clamoribus fatigatus, triennio post commisit easdem Epistolas examini suorum Parisiis Theologorum: inter quos erant quatuor Episcopi, alii novem Doctores inter Sorbonicos neque suspecti, neque vulgaris notæ. Ab his anno 1660, die 7. Mensis Septembris hæc prodiit Censura: " Nos infra„ scripti Regis Decreto selecti ad ferendum „ judicium de Libro cui titulus est, *Ludovici* „ *Montaltii Literæ Provinciales &c.* Præmis„ so ejusdem libri diligenti examine, testa„ mur Jansenianas hæreses ab Ecclesia dam„ natas, in eo propugnari atque defendi tum „ in dictis literis Ludovici Montaltii, tum „ in Notis Willelmi Wendrokil, tum in „ adjunctis Disquisitionbus Pauli Irenæi; at„ que id esse adeò manifestum, ut, si quis „ neget, necesse sit vel non legisse librum „ hunc, vel non intellexisse, vel certè quod „ pejus est, non putare id hæreticum esse, „ quod à Summis Pontificibus, & ab Eccle„ siâ Gallicanâ, & à Sacra Facultate Theo„ logiæ Parisiensis damnatur ut hæreticum. „ Testamur insuper, maledicentiam & petu„ lantiam tribus illis authoribus adeò esse „ familiarem, ut nulli hominum condicioni „ parcat, exceptis Jansenistis: non Summo „ Pontifici, non Episcopis, non Regi, non „ præ-

„ præcipuis Regni Administris, non Sacræ „ Facultati Parisiensi, non Religiosis familiis: ideoque librum esse dignum pœnâ libellis famosis, & hæreticis à jure constitutâ. „

Censuram Rex Christianissimus cum suo Consilio intimo confirmans, Solemni sententiâ die 23. Septembris ejusdem anni 1660. jubet, librum illum manu Carnificis publicè comburi; Simul venditionem sive distractionem sub pœnis gravissimis interdixit.

Redit nihilominùs Arnaldus Pag. 120., & ubique in suo Montaltio cladem passus, ubique condemnatus, perfrictâ fronte incessere audet rursus Steyaertium dicens: " Non „ leviter te constrictum, redactumque ad „ angustias sensisses, si [Pater Picquery „ Oratorio Montensi Præpositus] interrogatus à te, quosnam libros prohibitos judicaret se posse legere, respondisset *Epistolas Provinciales Montaltii*. „

Pag. 42. Novo nos convicturus, eoque ineluctabili argumento de Romani injustitiâ Tribunalis. " A multo tempore, [inquit] „ non fuit libellus precum in tantâ æstimatione, in quanta *Officium*, quod vocatur „ *Portus-Regii*. „ Pag. 46. " Dic ergo nobis, quid tibi videtur de hoc exemplo? Nulla, fuit obreptio, aut subreptio in prohibitione memorati operis, utpote decreta propter Bullam Pii V. veram & non suppositam. An igitur credis, graviter peccatum „ fuisse ab Augustini Discipulis non obediendo; sed editiones prosequendo usque „ ad triginta & ampliùs? Putasne centum „ millia hominum, quibus non fuit alius libber Precum, non potuisse absque culpâ „ lethiferâ orare Deum, hujus adminiculo libri?

„ Hoc itaque exemplum invictè probat, „ esse quasdam librorum prohibitiones, quas „ noxium foret observare; etiam ubi in prohibitione nulla occurrit obreptio „. Hactenus Arnaldus.

Rectiùs diceretur, *hoc exemplum*, uti & alia plurima invictè probare Spiritum Arnaldi, & ei adhærentium, esse Spiritum rebellionis & Schismatis, qui præter inanem speciem nihil pietatis habeat aut religionis. Quis enim nisi contumaciæ spiritus excitare Jansenianos potuit ad multiplicandas adeò editiones Operis, à Sede Apostolicâ prohibiti?

Censuræ illius expressio mitior fuit, quàm Parisiensis, ab officiali illic edita anno 1688. die 10. Aprilis sic enuntians; *Omnibus consideratis, invocato priùs Sancto Dei nomine, condemnavimus & condemnamus Breviarii Romani editionem, & versionem Gallicam, tanquam novitatem Conciliis, spiritui & usui Ecclesiæ contrariam, & tanquam versionem neque sinceram, neque fidelem, continentem quoque plures sensus in errorem inducentes, pluribus hæresibus fundamentum ac fomitem subministrantes, denique tanquam versionem multis erroribus atque hæresibus ab Ecclesiâ damnatis conspersam*.

Hic usus, hic scopus communiter procuratarum istiusmodi à Novatoribus versionum est, ut errores, etiam hæreticos, quos Latinorum mutatione textuum ingerere non auderent, faciliùs inferant subdolâ in Gallicum translatione. Talis scilicet corruptio, neque tam citò advertitur, neque tam facilè convincitur de perfidiâ, excusantibus aliis in translatore defectum attentionis, aliis peritiæ.

Nobis absque animadversione non est prætereunda gloriatio Arnaldi de *triginta & ampliùs editionibus*, quas manifestissimo Romanæ prohibitionis contemptu in Galliâ Jansenistæ fuerint prosecuti; de mirabili ejusdem Sectæ studio & industriâ in damnato illo opere omnibus commendando distribuendoque, simul & in subducendo omnium manibus quocunque altero, recitandis precibus idoneo; ita ut *centum millibus hominum, alius libellus precum non fuerit*, præter eum cujus sive lectio, sive retentio sub peccati mortalis reatu interdicitur juxta Regulam decimam Indicis Tridentini.

Dixi sub *peccati mortali reatu*, qui libris omnibus judicio Sedis Apostolicæ prohibitis communis est; non arbitror autem me temeritatis à quoquam Catholico arguendum, si illi Gallicæ versioni annexam prætereà dixero excommunicationem, quæ juxta eandem Indicis Regulam *statim incurritur, si quis .... cujusvis autboris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit*.

Suspicio quidem falsi dogmatis non exprimitur in Romano diplomate; passim tamen creditur, imò oculis conspicitur plus quàm una, eaque fundatissima quæ Tribunal Apostolicum ad ferendam contra librum sententiam potuit permovere. *Suspicionis* istiusmodi ratio inter cæteras, mihi quidem minimè levis apparet, quod versionis author, ubicumque reperit *Christum Redemptorem omnium* ut Ecclesia legit in Vesperis primis, & secundis cujuslibet Dominicæ Adventûs, in utrisque Vesperis Natalis Domini, Dominicæ infra ejus Octavam, Festo Circumcisionis, & semper in Laudibus Confessoris Pontificis, solicitè illud expunxerit, ne uno quidem loco relinquens tanti Mysterii vestigium.

Tam studiosa corruptio, quemadmodum Jan-

Jansenianos inducere potuit ad librum illum obtrudendum omnibus, ita & Romanos Judices ad prohibendum. Quidquid sit justissimè exulare ab Ecclesiâ jubetur opus perfidum.

Neque Authori, aut Divulgatoribus excusatio est quod Urbanus VIII. illud *Jesu Redemptor omnium* cum in hymnis pluribus legeretur, in aliquibus, ad tollendum repetitionis tædium, mutaverit, nam longè aliud est imminuere repetitionis frequentiam, aliud auferre penitùs Catholici Dogmatis significationem.

Denique mirari & conqueri cum Arnaldo & Quesnello desinant Jansenistæ cæteri, quòd malè Catholicis oleant tales Romani judicii contemptores, qui post latam adversùs Gallicum istud Breviarium, sententiam, nihilominùs promiscuè omnibus ad illud legendum consilio suo authores, omnium illud manibus ingerunt; imò *centum millibus hominum* imponunt lectionis ejus quodammodo necessitatem.

Ubicunque tales fidelium corruptores animorum, tales deceptores seductoresque simplicium, neque à Præpositis Ecclesiæ, neque à Regibus & Reipublicæ Moderatoribus sinuntur impunè novitatibus turbare Provincias, non implere omnia libellis famosis & impiis; sed anathemate feriuntur, coërcentur carceribus, pelluntur in exilium, hæc barbara adversus sanctos, ut Quesnellus queritur, persecutio est; penes me autem impietas & sacrilegium, Sacramenti cujuslibet in peccato mortifero, sine pœnitentiâ susceptio atque administratio, quam in novis Augustini Discipulis Sancta Mater Ecclesia videre quotidie cogitur & lugere, spe affulgente curationis exiguâ, propter obduratam nimium in criminibus obstinationem.

Ex ipsâ siquidem medicinâ, aliàs salubertimâ, magis eos in rabiem agi conspicimus. Porro quantumvis gravia rebellium istiusmodi peccata sint, ab ipsis proprio commissa arbitrio, plura tamen imputanda eis autumo aliena, non solum ratione exempli perversissimi; sed multo magis fallacium monitorum, & institutionis subdolæ, quæ causa præcipua transgressionum est. *Centena* scilicet ista *hominum millia non alio utentia libro precum*, præter eum, quem *legere aut habere non possunt absque peccati mortalis reatu*, à Sacramentis interim non abstinent: quibus igitur tot sacrilegia potissimum adscribenda sunt: Seductisne miseris, an ducibus cæcorum nequissimis, quos nonnisi superbia obcæcavit & malitia?

Cessent itaque Quesnellianæ ad sui suorumque defensionem ineptissimam excogitatæ detestabiles næniæ, *status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hereticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

Qualiscunque illata hìc prætenditur obstinatissimis istis & turbulentis Novatoribus *persecutio*, similis videtur illi, de quâ fanaticos nuper in Galliâ Calvinistas lamentantes audivimus, quæ & ipsis quasi *ultima* apparuit *probatio* magis faciens conformes *Christo*.

Non vocavere illi quidem *maximè meritoriam*, utpote nullum hominis meritum agnoscentes; sed in hoc fallaciâ superantur à Quesnellianis, qui vocetenus *meritum* profitentur, certissimè conscii se omne reipsâ cum suis evertere penitùs fundamentis, ut à me sæpiùs in Quesnelli de Gratiâ Propositionibus demonstratum est.

Sufficere ad hoc potest Propositio 69. *Fides, usus, augmentum & præmium fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei. Donum puræ liberalitatis* in communi usu & significatione nominum opponitur mercedi & propriè dicto præmio, quod nonnisi bene merentibus præstatur. Fundamentum prætereà meriti penes omnes sive fidei, sive solius naturæ lumine præditos est libertas, quæ à Quesnelliano de gratiæ Systemate longissimè exulat.

Redeundum modò ad Arnaldinæ specimina sanctitatis, ex quibus colligi utcunque valeat, an quidquid illi prætenditur obvenisse *persecutionis & pœnarum*, immeritò illatum sit: proinde an in ultimâ præcipuè senectute existimari debeat velut *ultima* Arnaldi *probatio & maximè meritoria, quâ magis fieret conformis Christo*. Eodem *Difficultatum* Opere, eâdem Parte 9. pag. 48. Arnaldus è Steyaertio quærit. " Credisne Decretum (In-
„ nocentii X. editum anno 1654. die 23.
„ Aprilis) quo Convenensis Episcopi, qui nu-
„ per obiit Tornacensis, proscribitur *Man-*
„ *datum circa promulgationem Constitutionis*
„ *Innocentii X. damnantis Propositiones quin-*
„ *que de gratiâ & libero arbitrio*, Credisne,
„ inquam, Pontificis Decretum illud benè
„ fundatum fuisse, eique aliquid deferen-
„ dum? In eam ut ires sententiam, credi à
„ te pariter oporteret, Pontificem solum,
„ sive in Concilio, sive extra illud, Judicem
„ esse in causis fidei: quam si amplecteris
„ opinionem, ostendis, te antiquitatis esse
„ ignorantissimum. „

Ibid. " Quod attinet ad condemnatio-
„ nem librorum, nihil magis peregrinum
„ deprehenditur, quàm confixio *Instructio-*
„ *num quas Rituale* continet *Aletanum*....

„ liber

„ liber ille exhibet collectionem omnium, „ quæ Episcopo illi piissimo & Sanctissimo ze„ lus suus, & conscientia dictaverat esse mo„ menti maximi ad fidelem Divinorum My„ steriorum administrationem, quorum se à „ Deo constitutum noverat dispensatorem. „ *Instructiones* istæ legi nequeunt, quin ubi„ que se prodat lumen & unctio spiritûs, simul „ & Doctrina morum adeò pura, ut percellat „ universos, quibus aliqua, quantumlibet te„ nuis, est obligationis Evangelicæ notitia. „ Quis credidisset, librum istiusmodi damna„ ri unquam potuisse? „

Convenarum Episcopus ad Tornacensem postea Cathedram translatus, non omnibus semper Catholicis apparuit fidei probatissimæ; nam & quod edidit *Mandatum* de promulganda Innocentii X. contra Jansenianam hæresim Constitutione, non aliò visum est tendere, quàm ut Jansenii sensum damnationi subduceret, quem tamen postea publicè abdicavit. De Præsulis hujus sinceritate & constantiâ dubium ipse movet Gerberonius in Historia Generali Jansenismi Tomo 2. pag. 231 dicens: *Archiepiscopus Senonensis, & Episcopus Convenarum brevì post agnovere, quantum infixerint vulnus Ecclesia, subscribendo cum cæteris condemnationi S. Augustini in Jansenio.*

Nonne igitur Gerberonii comprehensio, Carcer, & quidquid aliud *pœnarum* subiit, juxta Quesnelli in præsenti Articulo mentem judicari debuit *ultima probatio, & maximè meritoria, qua magis conformem fecerit Jesu Christo*?

Convenensis autem Antistitis memoriam neque Arnaldi pro ejus diplomate Apologia, neque Jansenistarum luctus in ejus obitu, Catholicis valdè commendabilem reddiderunt: Verùm & cum Arnaldus in novâ Ecclesiâ Doctor maximus habeatur, ejusque scripta celebrentur ut Oracula, velim aliquis ejus post obitum vindex ostendat, quomodo fatua non sit sive Convenensis Diplomatis defensio, sive impugnatio Censuræ: ostendat, inquam, quomodo sequatur, ut *Legitima esse valeat Convenensis Mandati condemnatio, necesse esse Pontificem sive in Concilio, sive extra illud esse solum judicem in Causis fidei.*

Non enim melior apparet consecutio, quàm si ex cujuscunque operis patrocinantis doctrinæ hæreticæ, damnatione Pontificiâ inferas, Pontificem solum sive in Concilio sive extra illud de Causis fidei judicare.

Clementi XI. Cardinalis Noallius literis datis 28. Junii 1711. testatus est de Clero Gallicano in Comitiis Generalibus anni 1705 congregato, *certum illi fuisse Pontificiis Decretis adversus Jansenium*, seu librum ejus & doctrinam, *nihil deesse ut universam Ecclesiam obligent... Idem & de Apostolicis adversus Bajum, Molinosium & librum vulgo dictum Les Maximes des Saincts, Definitionibus professurum fuisse Clerum existimo; si de illis actum fuisset.* Ea itaque Pontificum Decreta optimè *fundata esse*, eisque non solùm *aliquid*; sed plurimum *deferendum*, censuit cum Christianissimo Clero Cardinalis Noallius, neque istud ullatenus pendere ex Quæstione, an solus Pontifex sive in Concilio, sive extra illud judicet de causis fidei. Sed hæreticis familiare est & fuit semper, in causâ suâ desperatissimâ, dum authoritate omni & ratione verisimili destituuntur, refugere ad cavillationes, quantumlibet ineptas, quibus circumveniantur simplicies, quasi damnari hæresis nequeat, nisi eâdem ruinâ etiam Catholici involvantur.

Aletanum Rituale, sive traditæ in eo *Instructiones*, judicio Arnaldi tam sanctæ sunt, ut *legi nequeant, quin percipiatur lumen & unctio spiritûs cum doctrinâ morum adeò purâ, ut percelli necessarium sit universos quibus aliqua obligationis Evangelica notitia est*. Apparet autem maximè admirandum, prædicari ab Arnaldo ejusdem operis sanctitatem tam eximiam, tam necessariò obviam cuilibet legenti; latuisse tamen passim Theologos Orthodoxos, ipsamque Apostolicam Sedem, quæ post tanta Jansenistarum & deceptorum ab illis Antistitum, attributa eidem operi Encomia, accuratiore illud discussum examine censuit, & solemni judicio declaravit, Clemente IX. Pontifice die 9. Aprilis 1668. *Continere, non solùm nonnulla à Rituali Romano aliena; sed etiam doctrinas quasdam & Propositiones falsas, singulares, in praxi periculosas, erroneas, & consuetudini in Ecclesiâ communiter recepta, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositas & repugnantes, quarum usu & lectione Christi Fideles in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent.*

Quapropter nos (inquit Pontifex) *opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, librum præfatum authoritate Apostolicâ, tenore præsentium omnino damnamus, reprobamus & interdicimus.... Ejusque impressionem, lectionem, retentionem & usum universis & singulis utriusque sexûs Christi Fidelibus... sub pœnâ excommunicationis lata sententiæ ipso facto incurrendæ, perpetuò prohibemus, mandantes ut statim, quicunque illum habuerint, vel in futurum quandocunque illum habebunt, Locorum Ordinariis vel

vel Inquisitoribus .... realiter & cum effectu exhibeant, tradant & consignent; qui nullâ interpositâ morâ exemplaria sibi tradita, & alia quaecumque habuerint, igne comburant & comburi faciant.

Arnaldus autem Pag. 53. compatiens ignorantiæ Pontificis, iniquitatem sententiæ conjicere maluit in Ministros & Consultores perfidos, à quibus fuerit deceptus." Alioquin „ [inquit] cavisset sibi ab inferendâ tantâ „ injuriâ Episcopo, de Ecclesiâ tam benè „ merito, nisi circumventus fuisset fraudibus „ hypocritarum & improborum mendaciis.„

Si, lector, forsitan nescis quænam ea sint Episcopi illius tam magnificè prædicata ab Arnaldo merita, quibus ipsi Ecclesia tantopere obstringitur, præcipua existimo, ipsius intentione laudatoris, consistere in scandalosissimâ contra Sedem Apostolicam rebellione & pertinaciâ in recusando subscribere formulæ Alexandri VII. contra hæresim Jansenianam: quapropter in depositionem ejus ab Episcopatu, propendisse dicitur idem Pontifex, suadentibus pluribus Galliæ Episcopis, atque à Consilio hoc minimè alienus fuisse Rex Christianissimus. Verùm cùm præscriptæ aliàs à Gallicanis Episcopis legi, de requisito ad hoc duodecim Antistitum judicio, consentire Pontifex nollet, evasit Reus.

Hæc tam eximia Aletensis Episcopi penès Arnaldum merita sunt, ut si perspecta habuisset Clemens IX., neque tam leviter tinctus fuisset Religionis Christianæ regulis, vel rudioribus saltem principiis, *cavisset* sibi profectò, ut non dubitat Arnaldus, *à feriendis illius operis dogmatibus tam puris, tam plenis lumine & unctione spiritûs, ut percellere valeant universos, quibus aliqua, quantumlibet tenuis est obligationis Evangelicæ notitia.*

Adeò Arnaldi & Quesnelli Ecclesia opposita est Romanæ: adeò contraria utriusque Religio, ut, quæ in Romana sunt *doctrinæ & Propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ & consuetudini in Ecclesiâ communiter receptæ, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ & repugnantes, quarum usu & lectione Christi-Fideles in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent*; In Ecclesiâ novâ, sive Arnaldi & Quesnelli studiis reformatâ, Propositiones eædem sint *dogmata tam pura, tam plena lumine & unctione spiritûs, ut in admirationem pertrahant universos, quibus aliqua, quantumlibet tenuis, est obligationis Evangelicæ*, novæ scilicet & reformatæ, *notitia*.

Ex eâ Religionis utriusquæ, atque adeò Ecclesiæ oppositione facilè intelligitur, quâ ratione pietas utrobique alia, & sanctitas contraria prædicetur. Rebellio contra sedem Apostolicam, & in retinendo Jansenii sensu, quantumcunque hæretico obduratissima pertinacia, hunc Antistitem tanquam *piissimum & Sanctissimum*, retulit in Canonem Portus-Regii.

Suspicio verò Jansenismi, & afflata Episcopo inde qualiscunque infamia cum depositionis periculo, initium fuit aliquod *probationis*: Depositio ipsa atque Excommunicationis denuntiatio publica requirebatur, ut in Quesnelli sententiâ esset *ultima probatio, & maximè meritoria*, quæ gloriosum adeò Confessorem *magis redderet Christo conformem*.

Cui autem conformem ea fecerit industria, & solius novæ Ecclesiæ dignum Episcopo artificium, quo Jansenismi ejurationem simulans, Pontificis nuntium circumvenit, atque ita quamdam reconciliationis speciem à Clemente IX. sibi suisque sectatoribus & sectatricibus suffuratus est?

Hinc multiplicata impostetum sacrilegia, quoties Moniales Portus-Regii & similes Divinorum Mysteriorum, quæ interdicta eis fuerant, redderentur participes.

Prosequitur Arnaldus Pag.68. " Prohi„ bitio libri, cui titulus, *Defensio disciplinæ* „ *quæ observatur in Diœcesi Senonensi, circa* „ *impositionem pænitentiæ publicæ pro pecca-* „ *tis publicis*, approbari non potest; sed „ est injusta secundùm omnes suas cir„ cumstantias.„

Pag.61." Quantumvis parum boni sen„ sus, & intellectûs cuipiam sit, legere li„ brum illum non potest, quin dignum cen„ seat omnibus elogiis, quibus eum conde„ corarunt Illustrissimi ejus Approbatores.„

Eò igitur miseriæ reducta est Apostolica Sedes si Arnaldo creditur, ut ne *quantumvis parum* quidem *boni sensûs & intellectûs* habeat, judicatura aliàs suam contra opus illud sententiam esse *Secundùm omnes circumstantias injustam*, librum autem summis dignum encomiis.

Nos credere malumus Sancto Martyri Cypriano non adulari solito, ne quidem Summis Pontificibus. Hic schismaticos legatione dolosissimâ, cujus caput erat *Felicissimus*, ad omnem insigniter comparatus fallaciam, proficisci ad Cornelium Pontificem intelligens, & quidem eâ allectos fiduciâ quod, si prævenirent literas Cypriani, Romanam facilè essent Curiam decepturi, confidentiam eorum ridet Epist.55. *Romam*, inquit, *cum mendaciorum suorum mercibus navigaverunt, quasi veritas post eos navigare non posset... Nec cogitant eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia*

fidia non possit habere accessum.

Pag.85. gravius crimen impingit Arnaldus Apostolicæ Sedi, ejusque in librorum censura adjutoribus." Non bene (inquit) „ Censores consuluêre incolumitati Religionis, prohibendo *Meditationes Cartesii*, & „ ejusdem *Notas in Programma quoddam sub* „ *finem anni* 1654. *in Belgio editum*: Et tamen non prohibuerunt illud Programma. „ Nonne istud est prohibere, ne quis venenum se conficiat, & tamen vetare ne sumatur „ antidotum? „

Animadversum à pluribus est, quod licet è Catholicis aliquos Cartesius nactus fuerit sectatores, ex his tamen paucissimi sint, qui universas ejus sine exceptione approbent novitates, præcipuè statutam corporis essentiam in determinatâ suâ extentione actuali, adeò ut de hac detrahi nihil possit, nisi tantumdem essentia minuatur. Quàm istud Mysterio Eucharistico infestum sit, videt quisquis innovandi libidine obcæcatus non est; sed & perspiciunt, & Arnaldo ejusque discipulis, tanquam ridiculis exprobrant Calvinistæ, dum adeò magnificè gloriantes audiunt Jansenianos, quasi nemo tam feliciter triumphaverit de Calvino, quàm Arnaldus, fidem nostram Eucharisticam perpetuâ stabiliens Traditione. Rideut, inquam, Calvini asseclæ, atque inter hos non infimi subsellii Petrus Jurieux libro de *Spiritu Arnaldi* Parte 2. observatione 16. præsertim à Pag. 137. ubi contendit hæreticus, pugnam Arnaldi pro Transubstantiationis mysterio non nisi ludicram esse, quandoquidem Cartesiana corporis essentia, ab Arnaldo ejusque asseclis adoptata, cum illo Fidei nostræ dogmate minimè consistat: atque ego quidem hanc Cartesii de corpore sententiam à nemine vidi hactenus cum Fide Catholicâ conciliatam: neque vidisse autumo Arnaldum. Quapropter nisi novitatis amor fat uus mentem tenebris involvisset, abstinere debuerat à Cartesianorum illorum operum exprobranda Sedi Apostolicæ prohibitione.

Sunt & alia ab eo præstita damnatis lucubrationibus patrocinia: gravoris tamen criminis reum constituit, prohibitorum sub Excommunicatione dogmatum non resuscitatio solùm; sed audaciæ plena propugnatio, Adversus temerarios adeò Vicarii sui contemptores indubiè Christus valere voluit suum monitum, ut Ecclesiam non audiens, nobis sit *tanquam Ethnicus & Publicanus*: At penes Quesnellum hæc *ultima* fuerit *Arnaldi probatio, & maximè meritoria quæ cum fecerit magis conformem Christo*:

CAPUT III.

Arnaldi contra dogmaticas Apostolicæ Sedis, præsertim Alexandri VIII. definitiones rebellio: qualis in ipso fuerit ultimæ demonstratio probationis.

QUÆ contra Constitutiones Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Arnaldus scripserit, commemoravi aliàs, ubi circumstantiæ postulabant, locis pluribus, hic solum referendas mihi proposui, quas in senectute edidit contra Steyaërtium *difficultates*, atque ex his non nisi *partem nonam*, quæ infamis operis ultima est, tota ex professo vindicans tum, ut supra vidimus, damnata Romæ volumina, tum præcipuè sententiam exagitans Alexandri VIII. contra Articulos 31. *temerarios*, *erroneos*, *Schismaticos*, *hæreticos*, & aliis *respectivè* Censuris notatos.

Apostolicum hoc de Propositionibus judicium, atque excommunicationem latæ sententiæ despiciens Arnaldus, non sistit in generalibus contra Decretum contumeliis, ut ferè Quesnellus *Abbatis* nomine; sed audaciam extendit ad Dogmata in particulari, quæ contra Christi Vicarium intrepidus suscipit propugnanda: initium tamen ducens à Censuris quibusdam Generalibus, quibus veluti Ecclesiæ novæ, vel reformatæ Pontifex, Romanum Oraculum aggreditur vellicandum.

Pag. 123. ait" Decretum istud contra „ Articulos 31. non potest, nisi contentio- „ nes & divisionem in Ecclesiâ fovere. „

Ibid." Nihil magis perfidum & mali- „ gnum, quàm illorum dogmatum exposi- „ tio, ut exemplis variis fiet evidens; unde „ pateat Decretum esse subreptitium. „

Pag. 124." Decretum est plenum æqui- „ vocis, & quidem subdolè affectatis, ut „ feriantur Propositiones, quas nunquam „ sustinuimus, nisi eo sensu, quo sunt ve- „ rissimæ. Talis est Prop. 14. *Timor gehennæ* „ *non est supernaturalis*. „ Juxta Arnaldum adeò supernaturalis non est, ut etiam turpis sit, nisi elicitus ex charitate.

Pag. 125." Plures sunt in hoc Decreto „ Propositiones, quarum ut Censuram peterent Delatores, non alia eis fuit inten- „ tio, quàm præcipuas Ethicæ Christianæ „ regulas, ac fundamenta subvertere. Tales sunt Propositiones septima & octava: „ *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi*: *Si Dei, Charitas Patris* „ *est*,

" *est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc* " *est mala est*. Et; *Necesse est Infidelem in* " *omni opere peccare*. " Excipit Arnaldus illud quod elicitur ex fide per dilectionem operante, qua scilicet convertitur, & infidelis esse desinit. Aliàs omnis ejus eleemosyna, omnis exhibita parentibus reverentia, omnis solutio debiti, restitutio depositi, administratio justitiæ, necessariò peccatum est, Pag. 127." En fructum, quem proferet " Decretum; videlicet, quod Molinistis " intra & extra Societatem existentibus, " arma porriget, quibus concutiant San- " ctissimam Christianæ Ethicæ regulam, " præ cæteris omnibus maximâ fultam au- " thoritate præcipuorum Ecclesiæ Docto- " rum, ac Sanctissimorum Pontificum. "

Prop. 128." Ausisne inficiari Propositio- " nem 7. (*Omnis humana actio &c.* ut suprà) " esse consonam doctrinæ Augustini? Per- " spicuum est, Franciscanos ex Ordine Mi- " norum attribuisse doctrinam illam Theo- " logis, qui non tradiderant ut suam; sed " ut Augustini. Quâ denique ratione voca- " ri valeat in dubium, quin Theologi isti, " æquè ac Augustinus *charitatis* vocabulum " acceperint pro quolibet Dei amore, sive " perfectus ille fuerit sive imperfectus (mo- " dò ad justificationem sufficiens in Quesnel- " li systemate.) Quænam igitur æquitatis " species te sivit asserere, quod doctrina ista " justissimè condemnata sit? Hoccine tu as- " seras de Doctrinâ Augustini? "

Pag. 156." Negare non potes; negan- " tibus autem probandum suscipio, quòd " cum infideles non retulerint opera sua in " Deum, legitimè deducatur, non caruisse " macula peccati. "

Pag. 159." Fieri nequit ut in illo statu " actionem ullam exerceant amore Dei; " quia voluntas eorum à Deo penitùs aversa " est, & conversa ad semetipsam: idcò " quidquid agant, quidquid aggrediantur, " quidquid eliciant propositi de vitâ, quàm " possint optimè instituenda, semper in ge- " neralem incidunt naturæ depravationem, " quâ sibi ipsis affigantur arctiùs... Ex de- " pravatione sequitur naturæ, quod volun- " tas, donec sanctâ per gratiam fuerit, suo " semper bono adhæreat particulari. " Unde, inquit Arnaldus, rectè deducitur Propositio 8. *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* " Ut eâdem Propositione Pag. 170. Insultans iterùm Steyaertio, quærit, quomodò igitur dici ab eo potuerit *justissimè condemnata*.

Hinc Arnaldus transilit ad Propositionem 30. *Ubi quis invenerit Doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

Pag. 171." Ingens (inquit) doctrinæ Ca- " tholicæ pernicies imminet ab hujus Articuli " Censura. Nullusne tibi metus est, ne inde " oriatur in Theologis neglectus Sanctorum " Patrum? Evidentius est, quàm ut inficia- " ri quisquam valeat, scopum eorum, qui " hunc denuntiavere Articulum, fuisse ut " inutilem redderent Augustini de Gratiâ & " Prædestinatione Doctrinam. "

Pag. 176." Quid igitur faciendum Theo- " logo, qui Doctrinam aliquam clarè fun- " datam invenerit in Augustino, si eam pa- " ritet conspiciat Pontificio aliquo Diplo- " mate confixam? Neque dixeris casum " esse Metaphysicum, qui neque contigerit, " neque videatur inposterum eventurus: " quin confidentiùs affirmo, casum esse ad " praxim nimium pertinentem. (Probatione " ad hoc aliâ opus non est, quàm ipso, " quod profers, exemplo de Jansenio, qui " hanc fundatissimam in Augustino senten- " tiam, *Omnia opera Infidelium sunt peccata*, " conspiciens inter Baii Articulos Constitu- " tione Pontificiâ condemnatos, *Hæreo*, " inquiebat, *fateor; sed quid ad Augusti-* " *num?*

Pag. 184." Bajus dixit, & dicere cum " Augustino debuit, actiones Gentilium, " cùm sublevabant miseriam pauperis, cùm " debitum reddebant, exercebant fidelita- " tem, fuisse in individuo malas; quia non " referebantur in Deum, & habitus illorum " actuum non veras virtutes fuisse, sed vitia " virtutes imitantia. "

Pag. 190." Imponis igitur Bajo, quan- " do sine ullâ probatione supponis, quòd " Sancti Augustini mentem assecutus non " fuerit. " paginâ autem 194. Suam erga Christi Vicarium reverentiam Arnaldus Steyaertio ostensurus ait." Hoc pacto permitti- " mus, ut ad deferendum aliquid Apostoli- " cæ Sedi, dicas Propositionem non esse " damnatam sensu Augustini; modò pariter " fatearis deceptum fuisse Pontificem, " quando eam damnavit in sensu Baii; ut " pote qui aliud non docuerit, quàm acce- " perat ab Augustino. "

Pag. 201. Non solummodo certus est Arnaldus, Propositionem illam esse Augustini; sed etiam cum cæteris ejus de gratiâ dogmatibus adeò connexam, ut falsa hæc esse nequeat, quin simul illa de erroribus convincantur." Quis autem rationis com- " pos dixerit, recentioris alicujus Bullam " Pontificis prævalere tot veterum, non " solùm Pontificum; sed etiam Concilio-

" rum

„ rum ſententiis, quibus Auguſtini Dogma-„ ta comprobantur ? „ Præcipuum itaque novi Doctor exercitûs robur collocat in Propoſitione *de operibus infidelium*, quo potiſſimum ariete confidit Pontificiam ſe deiicere in feriendis Dogmatibus authoritatem; quaſi Auguſtinianum in hoc Articulo, & à totâ probatiſſimum antiquitate Dogma proſcripſerit; quapropter mereri videretur hæc Arnaldi temeritas, ut pluribus eam argumentis convellerem; niſi id abundè præſtitum crederem contra Articulos Queſnelli ſuperiores, quibus peccati arguitur actus omnis, imperio charitatis non elicitus. Quia tamen non cuilibet Lectori Tomos evolvere priores otium fuerit, ne ſcandalum interim creet iſta Arnaldi in citando pro ſuis erroribus Auguſtino, & tota vetuſtate inſolens confidentia, conveniet etiam hic, vaniſſimum ejus de Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Alexandri VIII. Clementis XI. Definitionibus triumphum, de patenti convincere mendacio.

S. Auguſtinus Epiſt. 5. ad Marcel. *Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus cuſtodientes quamdam ſui generis probitatem ... Deus oſtendit in illo Imperio, quantum valerent civiles etiam ſine verâ Religione virtutes.* Has itaque teſte Auguſtino Deus laude & mercede temporaneâ, non ſupplicio dignas cenſuit, proinde non inter vitia reiiciendas.

Idem Sanctus Epiſt. 130. *Polemo ſi ex luxurioſo continens factus, ita ſciret cujus eſſet hoc donum, ut eum, abjectis ſuperſtitionibus Gentium, piè coleret, non ſolùm continens; ſed etiam veracitèr Sapiens, & ſalubritèr religioſus exiſteret, quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem; verùm & ad futuræ immortalitatem exiſteret.* Continentiam iſtjuſmodi quæ *Donum Dei* eſt, nemo ſanæ mentis annumeraverit peccatis: fuit illa tamen in Polemone infideli, ut non dubitat Auguſtinus. Quomodo igitur omnia infidelium Opera Doctori Maximo peccata ſunt?

Iterum Auguſtinus Lib. de Spiritu & litterâ cap. 28. *Impiorum* [gentilium] *quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quanquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur.* Juxta Arnaldum & Queſnellum dicere Auguſtinus debuit, quod nulla prorſus impiorum Opera *juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur*; non autem quod *vix inveniantur*, utpote ex quo omnis intelligat reperiri aliqua. Sic intellexit Angelicus Doctor qui ipſo teſte Janſenio fuit *Interpres Auguſtini fideliſſimus.* Hic 2. 2. Queſt. 10 Art. 4. *Manifeſtum eſt* (inquit) *quod Infideles non poſſint operari bona opera, quæ fiunt ex gratiâ, ſcilicet meritoria; tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt, undè non oportet quod in omni opere ſuo peccent.* Quid magis oppoſitum proferri potuit Articulo huic ſeptimo: quem Arnaldi temeritas contra Alexandrum VIII., Pium V. Gregorium XIII. Urbanum VIII. tantâ ſuſcipit confidentiâ vindicandum, *neceſſe eſt Infidelem in opere peccare*?

S. Hieronymus, quem veluti Magiſtrum coluit Auguſtinus, in Ezechielis cap. 29. *Ex eo quod Nabuchodonoſor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede in Dei judicio præteriri.*

Idem in caput 22. Matthæi: *Inter ipſos quoque Ethnicos eſt diverſitas infinita, cum ſciamus alios eſſe proclives ad vitia & ruentes ad mala: alios ob honeſtatem morum virtutibus deditos.* Præclarus Auguſtini Diſcipulus ab ipſis agnoſcitur Janſenianis S. Fulgentius: hic de Infidelibus agens libro de Incarnatione & gratiâ cap. 56. *Aliqua quidem bona, quæ ad Societatis humanæ pertinent æquitatem, ineſſe eis poſſunt; ſed quia non charitate fiunt, prodeſſe non poſſunt*; ad vitam videlicet immortalem.

Conſonat Author operis imperfecti in Matthæum Hom. 25. *Si Infidelis fecerit opus bonum; hic ei prodeſt opus ipſius, & hic redditei Deus pro opere ſuo: in illo autem Seculo* (futuro) *nihil ei prodeſt.* Conſentit iterùm Auguſtinus lib. de Spiritu & litera cap. 28. *Sicut non impediunt à vitâ æternâ juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad Salutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

Eadem eſt ſententia Chryſoſtomi Homiliâ 5. in Epiſtolam ad Rom. poſt medium: Baſilii Homiliâ 9. in Hexameron: Damaſceni lib. 3. de Fide cap. 14. Proſperi contra Collatorem cap. 26. Gregorii Magni Homiliâ 27. in Evangelii Joannis cap. 15.

Catholici adverſus Arnaldum Dogmatis rationem reddit Angelicus 2. 2. Quæſt. 10. Art. 4. ad 3. *Dicendum, quod per infidelitatem non corrumpitur totaliter in Infidelibus ratio naturalis quin remaneat in iis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſunt aliquid de ratione bonorum.* Conſuli etiam poteſt 1. 2. Queſt. 19. Art. 2.

Nihilominùs Arnaldum vidimus Pag. suâ 201. non solummodò *certum*, *quod Infideles peccent in omni opere*; *quodque hæc sententia Augustini sit*; verùm etiam quod *adeò connexa cum cæteris ejus de Gratiâ Dogmatibus*, *ut falsa esse nequeat quin de errore quoque cætera convincantur*. Connexio ista imaginaria est, verissima tamen si Augustini nomine non Africanus, sed Batavus intelligatur. Postquam enim hic lib.4. de statu naturæ lapsæ cap.3. docuerat, *solam absentiam fidei sufficere*, *ut omnia opera Infidelium vera sint peccata*; Et lib.3.cap.14. *Ante fidem non esse humano arbitrio liberum abstinere à peccato*, *dum hic & nunc agere meditatur*; *sed quocumque se verterit*, *quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneri*: lib.4.cap.17. doctrinam Catholicam atque cum eâ universos Definitionibus Apostolicis obedientes Theologos gravissimis proscindit contumeliis: *Nugæ* (inquit) *delirium*, *insania*, *error*, *impietas contraria Christianorum sensui*, *scripturis & Fidei*, *quod Infidelium sit ulla vera virtus*, *vel opera sine peccato*.

Consentientes, imò præeuntes hîc Jansenius habuit passim omnes utriusque superioris seculi hæreticos, Lutherum in Genes. cap.8. In Epist.ad Galatas Cap.4. & caput 7. Matthæi: Calvinum lib.3. Institut. cap.14. in Antidoto Concilii Tridentini Sess.6.can.7. Melanchtonem Epist. ad Rom.cap.14.Chemnitium, Chamierum, Bucerum, Petrum Pseudo-Martyrem, & quem non alium Sectæ Lutheranæ atque Calvinisticæ Professorem? De condemnati ejusdem Articuli *connexione* cum cæteris Augustiniani Systematis Dogmatibus, quam Arnaldus comminiscitur, mox videbimus. Progrediamur interim ad quædam alia Arnaldinæ modestiæ & bonæ fidei specimina.

Pag.203." Esse in illo [contra Articulos 31.] Decreto obscuritates impenetrabiles, vel ex hoc compertissimum fit exemplo: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor*, *deficit etiam fides*: *& etiamsi videantur credere*, *non est fides Divina*; *sed humana*; qui inter Articulos 31. est duodecimus ".

Traditus iisdem verbis fuerat anno 1676. 25. Junii à Francisco Van Vianen in Thesibus Lovanii defensis. Doctor ille in Jansenistarum Cifra sive occultorum nominum Catalogo Aughemii prope Aldenardam intercepto, *Pater Abraham* appellatus legitur, ex eo quod Senex Adriani VI. Pontificis Collegio Præpositus, sinu suo quodammodo complecteretur, & beneficentia foveret Theologos passim novis partibus addictos, Successoremque sibi diu ante obitum instituerit, tali dignum Præceptore Discipulum, Gummarum Huygens, qui suis pro novitate studiis meritus judicio Innocentii XI. Alexandri VIII. Innocentii XII. Romanorum Pontificum, simul & Caroli Secundi Regis Catholici fuit, ut Facultatem Theologicam Regentium Magistrorum cœtu, suspensione perpetuâ excluderetur.

Patrem Abraham uno anno in tradendo Articulo prævenerat juvenis author *Tirocinii* qui Thesibus anno 1675. Mense Majo die 9. & 10. defensis *Ad fidem* (inquiebat) *charitatis affectum necessariò exigimus*, *qui nisi ad credendum flectat*, *non erit fides Christianorum*. Similiter memoratus Huygens, in damnato suo *Compendio*, de Fide Theologica §.1. *Fides charitate formatur*, *potestque deformatâ fieri informis*, *non tamen ita ut omni prorsus careat dilectione*.

Discipulis præluxerat Jansenius lib.5. de Gratiâ Christi cap.6. suam, ut solet, Augustini nomine Sententiam exprimens: *Nullam ipse* (*Augustinus*) *agnoscit fidem veram atque Christianam*... *nisi ex Dei charitate dimanet*. Cap.7. *Augustinus Charitatem accipere plerumque solet pro dilectione*, *qua verè*, *sincerè*, *& gratis ex animo propter se ipsum nullius creaturæ*, *sed ipsius solius intuitu diligitur Deus*.. *Talis amor quantumcunque remissus*, *exilis*, *ac tenuis*, *est verissimus & castissimus fructus charitatis Dei*, *sive dilectionis amicitiæ*. *Talis igitur amor Dei nisi voluntatem hominis ad credendum flectat*, *non erit fides Christiana*; *sed vel Dæmonum ex pœnarum timore*, *vel carnalis ex mundi amore*, *quarum neutra est fides*, *qua Christiani nominamur*. Non attendit Jansenius, neque attendunt ejus Discipuli ad Tridentinum Canonem 28. Sessionis 6. cujus nequeunt effugere anathemata: *Si quis dixerit amissâ per peccatum gratiâ* (habituali Sanctificante) *simul & fidem semper amitti*, *aut fidem*, *quæ remanet*, *non esse veram fidem*; *licet non sit viva*, *aut eum*, *qui fidem sine charitate habet*, *non esse Christianum* (seu fide Christianâ destitui) *anathema sit*: nec immeritò: quia Apostolus 1. Cor.13. *Si habuero*, inquit, *omnem fidem*, *ita ut montes transferam*; *Charitatem autem non habuero*, *nihil mihi prodest*.

Possetne in Apostolo fides naturalis, humana, vel diabolica transferre montes? Evidens itaque est juxta Doctorem Gentium, fidem christianam esse separabilem à charitate. Neque dixeris enuntiationem Apostoli hypotheticam præscindere, an fieri possit, ut fides

fides fit vacua eharitate. Sic enim abfolutè eum explicat Auguftinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. *Fides juxta Apoftolum fine charitate effe poteft*.

Ridicula Arnaldi & aliorum communiter allegatio Janfeniftarum eft, quod ubi fideliffimè excerpta ex eorum lucubrationibus Propofitio condemnatur, in promptu habeant, eandem mox æquivocarum numero adfcribere, atque in damnationis fententiâ *obfcuritates* fingere *impenetrabiles*. Quantumlibet nempe ifti novæ Ecclefiæ Apoftoli confuti quodammodo ex mendaciis videantur, æquivocis tamen bellum fe indicere fimulant implacabile. Supponere itaque nos jubent Thefes fuas, & quafcunque à fe edi folitas lucubrationes effe ab hoc vitio remotiffimas: Undenam proinde fenfus in illis ambigui oriuntur fimul ac cenfuræ fubjiciuntur Apoftolicæ, quin & neceffe eft Decretum ipfum fcatere æquivocis, five ut Arnaldus loquitur *obfcuritates* contrahere *Impenetrabiles*?

Pag. 206." condemnare [inquit Arnal-„ dus] Propofitionem hanc 12. non potes, „ nifi eâdem involveris damnatione Ange-„ licum & cæteros paffim Theologos.„

Verùm Doctor Sanctiffimus nufquam afferit fidem fine charitate non exiftere; fed non effe formatam, non capacem meriti, neque hominem conftituere juftum, neque conducere ad falutem. De hoc notiffima Thomiftarum fententia eft: quanta etiam eorum in S. Officio authoritas, minimè ignorant; fed deplorant maximè adverfarii. Eftne autem verifimile, oppofituros eos non fuiffe Angelici Doctoris fententiam, fi eredidiffent accufato eam Articulo patrocinari?

Quod Angelico Arnaldus jungat *cæteros paffim Theologos*, non miror: more fuo & fuorum facit, quorum ut folitudo maxima eft, fi cum reliquis ehriftiani orbis Doctoribus comparetur, confidentia nihilominus cernitur ufitatiffima in adfcribendis novæ Ecclefiæ univerfis, *quibus faltem luminis aliquid vel pietatis eft*. Exhibeant itaque, fi poffint in totâ Italiâ, Hifpaniâ, Poloniâ, Germaniâ, vel unum, qui faltem poft Alexandri VIII. anathema, Articulum tradiderit; in Galliâ autem & Belgio, ubi Janfeniana aliquibus afflata ab initio peftilentia fuit, neque nnquam penitus extincta, facilè creditu eft, etiam in hac contra Definitionem Pontificiam retinenda novitate, pertinaciam non defeciffe.

Inter profcriptos ab Alexandro VIII. Articulos 31. confpicitur hic vigefimus octavus: *valet Baptifmus collatus à Miniftro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi obfervat; intus verò in corde fuo apud fe refolvit; non intendo quod facit Ecclefia*. Arnaldus Pontificiâ Articuli hujus prohibitione minimè territus, neque minùs contemptor ordinarius fulminis Vaticani, fcribere intrepidus pergit. Pag. 210." Intentio „ in Miniftro Ecclefiæ ad valorem Baptifmi „ non alia neceffaria eft, quàm affundendi „ aquam, & pronuntiandi verba formæ. „ Neque obeft ulla interior proteftatio, qua „ ftatuit non facere quod facit Ecclefia.„

Pag. 211." Non tibi perfuadeas fore, „ ut Romana prohibitio Theologos ab hac „ fententiâ avertat; quin potiùs ejus con-„ demnatio efficiet, ut in dubium vocetur, „ ipfius authoritas Decreti. Idem affero de „ Cenfurâ Articuli duodecimi inter 31.„

Pag. 212." Duabus illis Propofitioni-„ bus tam intricatis addo tertiam, non mi-„ nùs ambiguam & obfcuram, quæ in De-„ creti ordine quinta eft: *Pagani, Judæi*, „ *Hæretici, aliique hujus generis, nullum* „ *omnino accipiunt à Jefu Chrifto influxum*, „ *adeòque hinc rectè inferes, voluntatem in* „ *illis effe nudam & inermem fine omni gra-*„ *tiâ fufficiente*.

Pag. 219." Obteftor omnes rationis „ compotes, ut confiderent, quomodo fieri „ poffit, ut Propofitionis hujus damnatio „ conciliari valeat cum hoc S. Auguftini „ axiomate, quo ad defenfionem Ecclefiæ „ contra Pelagianam hærefim utitur: *Gratia* „ *non datur fecundum merita*.„ Pag. 222. „ An igitur nuntium remittere oportebit „ omnibus gratiæ contra Pelagium & affines „ ei Semipelagianos Defenforibus; quia „ horum fententia non congruit cum Inqui-„ fitionis Decreto, pluribus aliundè vitiis „ laborante?

Pag. 223." Utinam non permittatur in „ Ecclefiâ talis abufus Diplomatis indicati, „ ut obtentu Articuli ejufdem ancipitis illic „ profcripti, rejicere aliquando cogamini „ conftantiffimam Doctrinam Patrum adver-„ fus perfidos gratiæ corruptores Pelagium „ & affines ei Presbyteros Maffilienfes.„

Pag. 232." Ex Doctrinâ omnium San-„ ctorum Patrum contra Pelagianos certan-„ tium, & Principum Theologorum, extra „ omne dubium eft, non poffe falfitatis ar-„ gui fententiam, quæ ftatuit voluntatem „ Atheorum & Infidelium nudam, iner-„ mem, & fine ullâ gratiâ fufficiente, quan-„ do continuò violant Divina mandata.„

Ut profcripti Articuli adæquata fit penes Arnaldum Defenfio, nomine *Infidelium* intellige etiam *hæreticos & fimiles*, ut in De-

Decreto exprimitur. Eandem Arnaldi sententiam discimus ex Quesnello ejus Discipulo contubernali & studiorum assiduo adjutore. Is scilicet Propositione inter centum & unam vigesimâ sextâ ait: *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*: & vigesimâ septimâ. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*.

Quapropter cùm hæretici non minùs, quàm Infideles ceteri, fide vacui sint, necesse pariter est, omni dono gratiæ destituantur. Nomine *aliorum ejus generis*, quorum mentio fit in Articulo, cujus Arnaldus vindicem agit, intelligi videntur etiam schismatici; imò juxta Quesnellum cujuscunque generis peccatores, antequam convertantur; quandoquidem juxta Propositionem ejus vigesimam octavam, *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio*.

Quod autem in Defensione Articuli, de *Atheis & Infidelibus* ab Arnaldo additur, *quando continuò violant Divina mandata*, non est restrictio Dogmatis seu limitatio, quasi aliquando contingeret, eos à peccando desistere, sive deliberate elicere actionem aliquam à vitio immunem; sed mera Articuli expositio est, qua detur intelligi, Infideles peccare *continuò*, sic ut nulla eorum actio à culpâ & demerito liberetur.

Indubitata ea fuit sententia Jansenii, quem Arnaldus in famosâ pro hoc Antistite Apologia, destinatum cœlitus Doctorem Gratiæ affirmat, ab omnibus sapere volentibus sequendum. Ita nobis proponitur etiam à Quesnello in *Notis ad Epistolam Steyaertii*. Si quid igitur in Arnaldo aut Quesnello minus dilucidum appareret, adeundus solummodo esset Jansenius, in cujus prolixiore volumine copiosius atque accuratius expositum reperiatur.

Hunc itaque novæ Ecclesiæ fundatorem audiamus. Libro 3. de Gratiâ Christi capiti 11. hic præfigitur titulus: *Infideles carent omni gratiâ sufficiente ad salutem tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis ejus*. Mox in textu Capitis " Eos omni tali gratiâ „ carere, nullam in Augustini principiis dubitationem continet. Quidquid enim diximus, ut Judæos (etiam tempore legis „ Mosaicæ) gratiâ sufficiente servandi præcepta legis, caruisse probaremus, multò „ validiùs in Infidelibus locum habet, prout „ res ipsa per se loquitur.... Uterque verò „ status expers gratiæ est, & ab Augustino „ vocari solet *ante gratiam*; ut per hoc „ ipsum significet, utrumque statum carere „ gratiâ, non solùm faciendi bonum; sed „ gratiâ non faciendi id quod prohibetur „ malum; sive non consentiendi carnalibus „ concupiscentiis...

„ Ostendimus duos illos status, sub „ quorum altero necessariò Infideles vivunt, „ non solùm omni gratiâ Christi destitutos „ esse, ad cavendas superandasque tentationes; sed etiam in statibus illis deesse „ arbitrio libertatem ad bonum: hoc arbitrium voluntatis non esse liberum ad faciendum aliquem actum bonum; sed tantummodò ad malum; utpote quod sub libidinibus rerum terrenarum, & carnalium „ servum captivumque teneatur; à quibus „ nisi per ipsam solam fidem liberatoris Christi liberari nullo pacto potest.„

Ibid. editionis Lovaniensis Columnâ 313." Quapropter si Infideles illâ ipsâ cupiditate sincerâ boni carent, sine quâ esse „ non potest ullum opus bonum, hoc est „ non malum; sed hæc per propriè dictam „ Gratiam Dei, fide credentis præcedente, „ impetratam dari debet; frustra Scholastici gratiam, nescio quam, sufficientem „ Infidelibus tribuunt ante fidem, quâ benè operantes ad fidem ipsam provehantur; „ cum ipsa fides sit prima gratia.„

Quisquis antea nescivit, undenam *Sanctâ* Jansenistarum *familia* acceperit novitatem, anathemate damnatam in Tridentino, & nihilominùs resuscitatam à Quesnello tribus Propositionibus à me citatis, nempè vigesima sexta & duabus sequentibus, eam hìc conspicit in Jansenio; *Cum fides* juxta ipsum *sit prima gratia*, oppositum definiente Concilio sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei Justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Quæ [inquies] magni ponderis utilitas, novos Theologos permovere potuit ad errorem hunc exoticum, repugnante Concilio Oecumenico, & anathema asserturis in posterum infligente, in Ecclesiam reducendum?

In promptu ratio est: destruendam Jansenius, & ejus asseclæ susceperant humanorum actuum libertatem, eliminandum omne bonorum operum studium, & curam salutis Deo unicè relinquentes, quæ vita propriè libertinorum est.

Huc aptissimè conducunt defensa ab Arnaldo, uti & alias à Jansenio & Quesnello Dogmata, quemadmodum à me non semel in superioribus demonstratum est. Audiatur iterum Jansenius Col. 318. " Hæc quoque „ vera ratio est, cur apud Augustinum indifferenter usurpentur, *sine fide*, & *sine* „ *gra-*

„ gratiâ, & *fine charitate* homines præcepta „ implere non posse .„

Accipiat itaque Lector compendiosissimè deductam novi systematis de gratiâ sectiem; *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare. Sine illâ nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*. Neque illa impotentia tantùm latè aut impropriè dicta est: sed maximè propriè; quia *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Propterea, sicut opus quodlibet ante gratiam peccatum est, ita & ante fidem; denique & ante charitatem. Unde restituitur damnata inter Bajanas Propositio 39. *Omne quod agit Peccator vel Servus peccati* (ante conversionis gratiam) *peccatum est*. Similiter & Propositio 40. *In omnibus suis actibus Peccator servit dominanti cupiditati*. Ex hoc adversariorum Systemate luctuosum contra ipsos spontè profluit consectarium, omnia ipsorum opera esse peccata; quandoquidem à fide Catholicâ alieni, in rebellione contra Ecclesiam maneant obdurati. Ne nimia in referendis *ultimis* Arnaldi excessibus tædium pariat prolixitas, præterire cogor temeritatis ejus contra Supremum Fidei in Ecclesiâ Tribunal specimina non pauca, neque leviter irreligiosa: solùm addam spectantia quædam ad Articulos 31. ab Alexandro VIII. Ecclesiæ finibus elminatos.

In eodem difficultatum Opere Pag.234. „ Alia Propositio (inquit Arnaldus) plena „ æquivocis & obscuritate, quæ (dicere „ voluit *cujus condemnatio*) plus mali in Ec„ clesiam invehere poterit, est hæc secunda: „ *Tametsi detur ignorantia invincibilis ju„ ris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ „ operantem ex ipsâ non excusat à peccato „ formali*.„

Pag. 235. contra ejusdem dogmatis condemnationem ait: " Oportet fuisse te pa„ rum perspicacem, ut nihil sinistri in dog„ matis hujus prohibitione apprehenderis, „ neque prævideris stragem, quam Chri„ stiana inde Ethica patietur, propter con„ sectaria, quæ inde educturi sunt ejusdem „ apud Sedem Apostolicam Denunciatores.„

Pag.247." Decretum hoc præbebit oc„ casionem resuscitandi peccatum Philoso„ phicum. „ Pag.249." Editum hoc Diplo„ ma est authoritate & molitionibus eorum „ qui Augustinianis Dogmatibus contrarii „ sunt; Ethicæ autem dissolutissimæ patro„ cinantur.„

Pag.267." Quintum obreptionis argu„ mentum est Propositio 25. *Dei Patris si„ mulachrum nefas est Christiano in Templo „ collocare*.„

„ Nulla Propositio est quæ clariùs de„ monstret Decretum esse subreptium.„

Pag.285. Ne expectes fore, ut qui antea „ minimè opprobaverant, Dei Patris ima„ ginem formâ hominis expressam in Sacris „ Ædibus collocari, sententiam mutent pro„ pter Decretum hoc subreptitium. Omnes, „ qui verè diligunt Ecclesiam, debent De„ cretum hoc prorsus contemnere.„

Ibid." Sexta subreptionis convictio est, „ quod tandem ultimo loco Decreto repro„ betur hic Articulus: *Bulla Urbani VIII. „ In Eminenti est subreptitia*.

Pag.286." In eo autem obreptio De„ creti, vel subreptio consistit, quod obten„ ta fuerit contra Articulum Censura, dis„ simulatis rationibus ob quas Urbaniana „ Sanctio subreptitia credebatur.„

Idem Pag. 292. majore audaciâ inculcatur.

Hactenus Arnaldicæ temeritatis specimina retuli ex solis adversus Steyaertium *Difficultatibus*, & quidem solâ parte nonâ.

Neque in hujus examine egressus sum, quos mihi præscripseram, limites, continendi me intra susceptas ab Arnaldo damnatorum voluminum cum 31. Propositionibus vindicias.

Non deest tamen etiam in hac solâ Parte, ut Spiritu ubique plena Schismatico est, multiplex aliarum maximè solemnium Constitutionum impugnatio. Specimen jam vidimus de Urbani VIII. contra Jansenium Diplomate quod incipit *In Eminenti*. Constitutionem Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajum dilacerat locis plurimis, inprimis Pag. 176. 184. 190. 193. 194. 195. Bullas Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium eludit cavillatione frivolâ de Propositionibus examinatis tantum *in abstracto* & præscindendo à Jansenii sensu prout in libro ejus exprimitur. Quæ cavillatio protrusa in lucem fuerat à Vicariis Generalibus Cardinalis de Retz Archiepiscopi Parisiensis; sed ab Alexandro VII. gravissimè reprehensa, ut sequitur." Dilecti filii salutem & Apostolicam „ benedictionem: Non fine magna profectò „ admiratione justo animi dolore, quo pa„ terna viscera commoveantur, publicatum „ vestro nomine die 5. Junii anni hujus, „ Edictum perlegimus: In quo sanè in pri„ mis non minùs temerariâ, quàm mendaci „ narratione profertur, tempore felicis re„ cordationis Innocentii X. non aliud actum „ fuisse

" fuisse, quàm inquisitum, an Propositiones " illæ quinque de Gratiâ veræ & Catholicæ, " an potiùs falsæ & hæreticæ censendæ forent; Cùm eo planè tempore nedum de " Propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, " verùm quod è Jansenii Libro, *Augustinus* " nuncupato extractæ essent, & ita in sensu " ab eodem Jansenio intellecto damnatæ; " uti nos ipsi Constitutione nostra 17. Kal. " Novemb. 1656. luculenter expressè declaravimus. Quod cùm adeò falsum patensque mendacium in re tali asserere minimè " veriti sitis, ubique malorum zizaniorum " in agro Dominico Seminatores, Ecclesiæ " Catholicæ perturbatores, & quod in vobis est, authores turpissimi Schismatis esse " deprehendimini. Porrò autem etsi protervia in vobis dignoscitur, cavillationibus subdolis, & circuitibus obviam eundi " Ecclesiæ Definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Episcoporum & Prælatorum " obsequium & zelus, & Christianissimi " Regis pietas tam anxiè præsto est; Nos " tamen Pontificiæ charitatis mansuetudine, " nondum sævâ viâ procedere, sed paternâ " clementiâ potiùs uti volumus, sperantes " nimirùm fore, ut universalis Pastoris vocem audituri saltem sitis, & suis litteris " acceptis Edictum statim abrogaturi, ne sanctæ hujus Sedis indignationem & auctoritatis vim experiamini, memores verborum Domini: *Omnis qui ceciderit supra illum lapidem conquassabitur, supra quem ceciderit comminuet illum*. Cæterùm vobis, ut bene agere velitis, intellectum & " resipiscentiæ Spiritum à Domino precamur. Datum Romæ apud S. Mariam " Majorem sub annulo Piscatoris 1. Augusti 1661. Pontificatûs nostri anno Septimo ".

Accepto Brevi hoc Apostolico, Vicarii, ne minarum minimè inanium sentire cogerentur effectum, retractavere mox quod inconsultissimè ediderant, Nihilne æquivoci, aut fraudis subdolæ in ipsa Palinodiâ fuerit, præsentis propositi non est discutere. Miranda autem maximè Arnaldi temeritas, quod Brevis illius Apostolici, totâ adeò divulgati Galliâ, optimè conscius, resuscitare tamen audeat, & contra ipsum sustinere Pontificem, *non minùs temerariam, quàm mendacem narrationem de quinque Propositionum examine tempore Innocentii X. instituto*. Sponte hic suâ Arnaldus, & datâ operâ in caput suum convertit improperium *falsi adeò patentisque mendacii, malorum ubique zizaniorum in agro Dominico Seminator, Catholicæ perturbator Ecclesiæ, & quantum in ipso est, author turpissimi Schismatis: protervia in illo dignoscitur, cavillationibus subdolis obviam eundi Ecclesiæ definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Episcoporum & Prælatorum obsequium & zelus, & Regis christianissimi pietas tam anxiè præsto est*.

His meritissimis reprehensionibus junge alias non leviores, propter tot incursa manifestissimè, & quod Sceleratius est, contempta ab eo anathemata latæ Sententiæ, ipsisque affixa transgressionibus mandatorum; etiamsi nulla judicis declaratio accesserit. Quot enim libros sub Excommunicatione Pontificibus reservatâ legi prohibitos, non solùm ipse legere; sed etiam aliis, proculcato præcepto, legendos obtrudere, quot similiter opiniones, sub anathemate vetitas sustineri, contra ipsam Supremi judicis sententiam defendere publicè, & editis libellis infamibus præsumpsit!

Familiaris hæc Arnaldo temeritas fuit annis facilè quinquaginta. Tot inter crimina & quidem publica, unquamne eum religio à Divini arcuit celebratione Mysterii? Num & pœnitentiæ Sacramento usus interea fuerit, minùs habeo exploratum; certè validum esse non potuit; sed necessariò Sacrilegum, persistente animo in pertinaciâ; quum cum perpetuò foverit non in se solo, sed in tantâ rebellium adversus Ecclesiam multitudine, quot criminum, quot Sacrilegiorum author perfidus penes Catholicos videbitur! Proinde quod invigilandum ejus molitionibus Rex Christianissimus duxerit, prohibens suspectorum hominum ad eum concurrentium frequentiam, quod profugientem è Gallia nullus eum Princeps Catholicus in sua tolerare voluerit ditione, celebrari quidem in nova Ecclesia juxta Quesnelli Articulum poterit, velut *ultima probatio, & maximè meritoria, quæ eum magis fecerit conformem Christo*: At Orthodoxorum judicio qualiscunque ea *pœna* fuerit, atque ut Quesnellus loquitur, *persecutio*, longè videbitur Arnaldi demeritis inferior; & nisi obcæcasset animum pertinacia, collyrii loco haberi ab eo debuit, quo perspiceret flagella istiusmodi Divinæ esse clementiæ effectum, ut aberrantem ovem reduceret, revocaretque ab exitio.

CAPUT IV.

Prætensa à Quesnello persecutionis status in ipso & ejus Sociis expenditur, num appellari mereatur ultima probatio, & maximè meritoria, quæ homines magis faciat conformes Christo.

Quæ de Quesnelli eique adhærentium doctrinâ, de pertinaciâ & rebellione adversus Ecclesiam, de praxibus eorumdem minimè Christianis, retuli toto hactenus opere, cuilibet probè Catholico indubiè sufficient, ut nova Ecclesia non solùm de erroribus, etiam impiis & hæreticis; sed de perniciosâ maximè nequitiâ & hypocrisi convincatur. Inter fallacias autem ab humani generis hoste Novatoribus inspiratas ad eorum aliorumque interitum, non vulgaris est, quæ hic discutitur Quesnelli enunciatio; *Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

Mirabile istud novæ Ecclesiæ axioma supponere possumus inter illa esse, quæ Sancyranus Jansenii & Arnaldi Magister, solitum se dicebat, non ex libris discere, aut tradita accipere ab hominibus; sed in ipsa legere Divinitate. Hoc igitur tanti ponderis & tantâ hausto certitudine documento, facilè se consolari poterat, & tam comprehensionis infamiam, quàm diuturni carceris molestias cum gaudio tolerare. Versaverit etiam animo elogia, quibus suæ sectæ Historici, tantas pro veritate passiones, invictamque in iis fortitudinem essent apud posteros celebraturi.

Fuerit ista scilicet *ultima* Sancyrani *probatio, & maximè meritoria, quæ eum magis conformem fecerit Jesu Christo.*

Talis à Sancyrano voce & exemplo tradita discipulis institutio, hos animaverit ad contemnendum, quidquid sive à laicâ, sive ab Ecclesiasticâ potestate inferri contingeret pœnarum, Carceris, Exilii, censuræ, etiam anathematis. Inter Abbatis hujus discipulos primus meritis, ingenio, audaciâ Arnaldus proficere ex instructione voluit, & à societate Sorbonicâ non exiguo pati tempore exclusionem, hæresios in suo dogmate censuram, Doctoralis laureæ privationem, exilium, & tandem latebras perpetuo ferè similes carceri: neque tolcravit has penitus securus, quemadmodum præcipuè post ejus mortem eventus docuit, Quesnello isthic & Brigodio interceptis. Neque ipsis Arnaldi cineribus in terra Sacra tutum fuisset, nisi Sepulturæ locum anxia Jansenistarum industria tenuisset occultissimum.

Quesnellus carcere elapsus, omni solutam formidine libertatem apud Batavos sibi affines in religione proximos reperit, locumque sibi dum viveret, suisque post mortem exuviis securissimum. Illic nemine obsistente, applaudentibus Calviniani Evangelii Prædicatoribus, edidit *ultimam* suæ contra Sedem Apostolicam rebellionis testem, iteratam ad Concilium œcumenicum à Bullâ Unigenitus Appellationem. Hanc certissimam credidit Jansenianæ suæ fidei, atque pertinacissimi obitûs probationem, suis in hæresi obfirmandis sociis, & maximè discipulis necessariam.

Non adeò constans exteriùs visa est *probatio* Gerberonii, quidquid de animo ejus fuerit, quem suspicio apparet non temeraria, eisdem semper mansisse erroribus addictissimum. In iis contra Ecclesiam defendendis cedere impudentiâ noluerat Ægidio de Witte, nisi quod hic nomen proprium Opusculis suis præfigere, saltem dum in Hollandiâ scriberet, non vereretur; at Gerberonius etiam cùm Rotterodami authoritate publicâ Civibus adscriptus, suas pro Bajo & Jansenio lucubrationes ederet, latere in illis sub fictitiâ semper voluit appellatione.

Pro egregiis autem in novam Ecclesiam meritis, à quibusdam è Clero *Missionariis*, falso nomine *Apostolicis*, præter alimenta necessaria, censum annuum acceperat, unde posset imposterum ubique terrarum vitam ducere otiosam; quanquam Mecænates zelo ejus satis confiderent, quod pro novæ propagatione fidei, nullis unquam esset laboribus parciturus.

Arnaldo & Quesnello latibulum nactis apud Bruxellenses percommodum, videbatur ad novæ Ecclesiæ commune bonum conducere ut Gerberonius ab illis non tanto spatio disjungeretur. Verùm angustius erat Arnaldi & Quesnelli domicilium quam ut simul Gerberonium caperet. Quapropter Bontius in Hollandiæ Clero Missionarius, patriâ Bruxellensis, sororis illic suæ contubernium obtulit, sub cujus custodiâ non minus securus degeret, quàm viri cujuscunque fidelissimi. Erat illa inter Virgines vulgò dictas in Belgio *Devotas*, dignissima tali Fratre, de quo Melchior Leydeckerus Calvinista in Historia Jansenismi Lib. 1. de Jansenismi dogmatibus cap. 11. post relatas aliquot sententias sic animadvertit: *Hæc Carolus Bontius, quem laudamus ut Jansenistam ingenuum præ cæteris, ipsoque Patriarchâ meliorem.*

Cura Virgini fuit maximè solicita, ut commissum sibi a Fratre Hospitem incolumem

mem servaret; unde reverà Gerberonio obtigit annis ibi compluribus tuto delitescere, & ex genio suo tractari non illiberaliter, donec zelo fidei accensus vir nobilis, ut finem imponeret multitudini infamium libellorum, continuò Bruxellis prodeuntium contra fidem, contra sedem Apostolicam, maximè contra Archiepiscopum, suscepit in se nihil prætermittere industriæ, ut tenebrionum latebras detegeret.

Successu non caruit pia sagacitas, quâ effectum, ut Gerberonius, Quesnellus, Brigode eodem die cum chartis omnibus capti, atque ad Archiepiscopum perducti sint.

Intereà dum ex infinita illâ scriptorum farragine juxtà juris formam causa instruitur, Janseniani forinsecus perfracto Palatii Archiepiscopalis muro extraxere Quesnellum. Gerberonius autem cubiculo inclusus interiori, cùm de evasione similli desperaret, libello supplice imploravit Archipræsulis clementiam, promittens scripturum se imposterum pro Romani Pontificis, falli nesciâ authoritate, non solùm in quæstionibus ad dogma pertinentibus; sed etiam ad *factum*, quoties ex Cathedra definiret.

Speciosa apparebat oratio; sed ut Archiepiscopus frequenti nimium didicerat experientiâ, nihil bonæ fidei esse in hodiernæ Sectatoribus novitatis, institui litem voluit, nullo juris apice prætermisso, ne more suo postea criminarentur adversarii, non fuisse Gerberonium de Bajanâ & Jansenianâ hæresi, servato juris ordine, convictum.

Initium itaque processui datum est. Ecce autem mox ut in examine textus aliqui ex lucubrationibus ejus adducti sunt absurdissimi, quibus Romanorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & VIII. Constitutiones ac Decreta omnia proscinduntur, Articuli verò in iis condemnati, non minore defenduntur confidentiâ, Gerberonius respondit, ea se non nisi documentis & rationibus nixum solidis asseruisse.

Hinc Archiepiscopo, ejusque in judicio adjutoribus facile fuit colligere, qualis ea in libello supplice apparens tetractatio & conversio fuerit, qualis promissa Constitutionibus Pontificiis non solùm obedientia, sed etiam propugnatio. Quapropter Antistes providè censuit bonum Ecclesiæ, ipsiusque tranquillitatem Reipublicæ exigere, ut scriptor adeò perniciosus carcere perpetuo à tantis imposterum excessibus cohiberetur. Verùm quia Belgici carceres, si subterraneos excipias Reis capitis destinatos, minùs ab effractionibus tuti sunt; Archiepiscopus, annuente Clemente XI. hunc Gallicæ ditionis Religiosum tradidit Christianissimo, eâ conditione, ut in ipso qualicunque carcere, Ecclesiasticæ maneret subditus jurisdictioni.

Inclusus Ambianensi Castro, nihil non pollicitus est melioris frugis, præsertim obedientiæ erga Decreta, definitionesque Pontificum. Tantâ demum simulatione pænitentiæ fraudulentus hypocrita emollire novit Principis animum, ut quantumlibet scriptis suis infamibus læsa graviter fuerat Majestas Regia; medium Reo scutum monetæ Gallicæ quotidie pro victu concesserit, permittens etiam intra Castri fines aërem liberum.

Cùm Gerberonius eò usque sibi hypocrisim feliciter successisse conspiceret, pro se, qui in ea placuit, ut è castro ad cœnobium, è quo aliàs profugerat, liber absque supplicio dimitteretur. Nuntiari propterea curavit tum Regi, tum Pontifici, se ad quamcunque fidei Professionem, etiam Sacramento confirmandam, &, si quid aliud legis aut conditionis alterutra Potestas exigeret, esse se & fore semper implendi avidissimum. Quis istiusmodi precibus Religiosi Sacerdotis octogenarii non moveretur?

Præceptum itaque ei fuit ut jurejurando subscriberet formulæ Alexandri VII. Subscripsit maximâ, ut quidem apparuit, simplicitate: Inde ad monasterium remissusut turbulentissimæ vitæ reliquum in pace, & religioso silentio transigeret, ab omni abstinens novitatis studio & cujuscunque operis divulgatione.

Quàm seria autem fuerit hæc Gerberonii pœnitentia, quàm sincera conversio, uti & Sacramento roborata subscriptio Formulæ contra Jansenium, ejus obitus docuit, Clementis XI. Pontificis verè optimi maximi circumveneratt aliàs pietatem, exquisitissimis mendaciis fingens, se ab omni Pontificiis damnata Constitutionibus novitate prorsùs alienum, inviolabili autem fide & obsequio Sedi Apostolicæ ejusque authoritati devotum esse, & perpetuò futurum.

Neque reverà toto restitutæ libertatis tempore sinistri quidpiam de eo publicè auditum est; at clanculum Sycophanta declarationem composuit, quam Pontifici inscriptam, obsignatamque reliquit moriens, ut statim ac corpore solutus animus fuerit, ad Christi Vicarium mitteretur.

Accepit illam Clemens XI. aperuit, & Gerberonii, cujus obitum intellexerat, conspecto nomine, cupidus erat legendi, non dubitans quin sicut ultima, ita & Christiana maximè esset professio fidei, quamque jurejurando enuntiatam aliàs dederat, voluisset moriens, testificatione magis authenticâ confirma-

firmare. Verùm ubi Sanctissimus comperit impiam datæ jurataque fidei retractationem, quæ perfidiæ Exclamabat, quæ mentis obcæcatio tali dispositione efflare animum ac divino transmittere Tribunali!

Quænam inposterum declaratio, quæ promissio, quod juramentum de prætensis istiusmodi Augustini Discipulis reddere nos securos poterit? Numquid hic Quesnelli socius egregio nos convicit specimine, quàm verè de talibus Augustini discipulis, edoceat nos Articulus 98. *Satus persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo?*

Ea Gerberonii detenti carcere industriâ in simulando, restringendo, pejerando, quanta in Portus-Regii Annalibus celebrari meruit eloquentiâ! Commemoratio quoque classis non infimæ, novo huic Apostolo debebatur in ejusdem Monasterii Kalendario; nisi ipso Portu-Regio funditus destructo, & ejuratâ à plerisque aliò diversis Monialibus novâ hæresi, iisdem obrutum jaceret Kadarium ruinis.

Non tamen desperata adeò Samariæ plaga est, Quesnelli judicio, quin arte suorum & constantiâ sanari valeat, ac novitas pristinæ restitui integritati. Fuga ejus ex suâ in Galliis Congregatione Oratorii, atque ex toto Christianissimi Regno, iniquæ persecutionis declinatio Novatoribus est: præcipua autem in eo sita erat persecutio, quod cùm in Comitiis Oratorii generalibus decretum fuerit, ne Baii vel Jansenii dogmata traderentur, eamque regulam juberentur omnes admittere, imminente refractariis indignatione tum Parisiensis Archiepiscopi, tum Regiæ Majestatis, non expectanda esset pœna mitior, quàm ad ultimos Regni fines relegatio ignominiosa.

Quomodo verò penès Quesnellum ejusque in Jansenismo socios, talis regula simul & pœnæ comminatio non videbitur iniquissima, cùm Bajus & Jansenius, Quesnello judice, nihil docuerint nisi Catholicum, nihil minùs consonum Augustino? Audiatur ipsius de hoc Epistola Quesnelli anno 1687. data ad P. Henricum Noris Augustiniani Ordinis Theologum, dein Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem: "Anno (inquit) 1678. In generalibus Congregationis Oratorianæ Comitiis Lutetiæ, ut plerumque fit, congregatis, cum gravis omnibus, qui interérant, incussus fuisset metus (Oratorii in Galliâ penitùs extinguendi) adnitente præpotenti viro [Archiepiscopo Parisiensi contra novos hæreticos ardentissimo] penes quem rerum Ecclesiasticarum apud nos arbitrium est, conniventibus, ac etiam adlaborantibus aliquot Molinianæ doctrinæ asseclis, cedentibus Præpositis, Primoribusque Congregationis viris, quibus extrema quæque impendere persuasum fuerat, nisi promptâ cæcâque obedientiâ obviam iretur, conscriptum est, & in Comitiis vix propositum, vix semel perlectum statutum exemplar, seu formula doctrinæ, quam deinceps sequerentur, quotquot docendi munus in Collegiis, seminariis, cæterisque studiorum domibus obeunt.

„ Scriptum ejusmodi ab omnibus Comitiorum Patribus subsignatum, eorumdem nomine Regi oblatum est ex præpotentis viri [Archiepiscopi Parisiensis] consilio, imò imperio, scriptâ eodem dictante ad Principem Epistolâ, quâ rei totius seriem exponunt, jurantque in propositæ formulæ verba, nec se ab illius tenore, ne transversum quidem unguem unquam discessuros; sic enim res suas in tuto apud Regium animum poni censebant boni viri.

„ Per totum triennium solis Professoribus lex ista imposita est. Alii plerique palam ac liberè de formulâ conqueri, velut Augustinianæ doctrinæ adversâ: imò sic ubique adversus iniquam ac probrosam Augustino docendi legem conclamatum est, ut quotquot illius scribendæ authores aut participes fuerant, illius invidiam deprecarentur. Illa me profectò suffragatorem habere nunquam potuit, imò verò quid de illâ sentirem, velut Augustiniani dogmatis juratus, authore Deo & Christo, Discipulus, datâ occasione testatus sum.

„ Inde iræ, inde orta adversum me tempestas; nam primùm è domo Parisiensi abire jussus, Aureliam ad Ligerim secedere compulsus sum, ubi non semel tentata fides, Augustino & Ecclesiæ debita; Præpositis ad id coactis, ut per visitatores singuli quique scriptum doctrinale illud, per vivæ saltem vocis suffragium probare compellerentur: Quod à plerisque præstitum est, à paucis negatum.

„ Neque hic tamen stetit Adversariorum conatus; nam post alterum triennium, dum triennalia Congregationis Comitia habentur, prolata sunt Regia mandata, quibus jussi omnes proprio chirographo formulam munire, ejusque doctrinam ex professo amplecti. Editum per Provincias missum, mandatâ visitatoribus exequendi Provinciâ. Omnes ad hanc necessitatem adacti, ut vel obtemperent, vel quasi Regiis jussis rebelles è Congregatione pelle n- di

„ di ad extremos Regni limites ablegentur, „ aut pejus aliquid experiantur. Ut utrique „ necessitati me subducerem (profugiendo è „ Galliâ) meum amicorumque consilium fuit,

„ Ab integro igitur biennio sic privatam „ vitam agere institui, ut à solito hominum „ commercio segregatus, locum vix paucis „ amicis notum, paucioribus pervium, „ „ hactenus incoluerim. „

Refertur hæc Epistola in celebri opere *Causa Quesnelliana* Art, 1. pag. 8, & 9. ubi processus illius juridici Illustrissimus Author in eamdem Epistolam sic meritò animadvertit; " Ipse hic Quesnellus refractariam suam „ indolem, errorumque tenax ingenium „ graphicè describit, & evanescens in cogi- „ tationibus suis fatetur, quasi jactabundus, „ quod *præpotenti viro*, Archiepiscopo nem- „ pè Parisiensi, *penes quem rerum Ecclesia-* „ *sticarum apud ipsos arbitrium erat*, morem „ gerere detrectaverit, noluerit Præposito- „ rum, primorumque Congregationis suæ „ virorum meliora sequi charismata, & ad- „ missæ ab iis Formulæ docendi subscribere, „ etiam postquam *è Domo Parisiensi abire* „ *jussus*, *Aureliam ad Ligerim secedere com-* „ *pulsus fuerat*. Formulam quippe illam con- „ demnatæ in *Augustino* Jansenii *doctrinæ* „ *adversam* cognoscebat, adeoque per eam „ dogmata, quæ ipse hactenùs defensaverat, „ è Congregatione suâ exterminari „ „ tor- „ tuosos (inquam) Bajanæ & Jansenianæ hæ- „ reseon colubros; ad hos enim conterendos „ salubris illa formula, potissimùm à superio- „ ribus injungebatur,

„ Quod autem illa ex hoc capite Patri „ Quesnello maximè displiceret, clarissimè „ ostendi ex pluribus ejus scriptis.

Istud itaque Congregationis Decretum Bajanæ & Jansenianæ hæresibus infestum, dignumque proinde Jansenistarum questibus, una indubiè Quesnello ex persecutionibus fuerit, habenda inter *probationes*, quæ juncta fugæ & exilio, spontaneo quidem; sed ad evitandum malum gravius necessario, novæ Ecclesiæ videbitur *maximè meritoria, utpote quæ eum fecerit magis conformem Christo*; penes Catholicos autem talis pro retinendâ hæresi rebellio, cum pluribus in eodem Novatore, postea secutis non melioris notæ exemplis, magis eum conformem efficere videntur, dissensionum, inobedientiæ, superbiæ, malorum denique omnium authori spiritui nequissimo, quàm Dei Filio omnis origini sanctitatis.

Persecutionibus non tunc primùm datum fuisse initium Quesnellus reputat, quando Parisiis Aureliam ad Ligerim secedere, ac dein relictâ Galliâ In Belgium profugere coactus est; sed annis aliquot antea tempestas cœperat, quando in prioribus Oratorii Comitiis Generalibus constituta regula est, ut in Scholis deinceps à Baii atque Jansenii Dogmatibus caveretur. Quo Decreto quid accidere luctuosius Quesnello potuit?

Altera biennio ante, videlicet 1676. Quesnello orta est afflictio ex Romano Diplomate adversus *Dissertationes* suas in opera Sancti Leonis, Quàm autem pacificè, quàm religiosè suam hic exercuerit patientiam, colligimus ex ejusdem in Decretum annotationibus. Solæ quæ titulum afficiunt, illustre exhibent Jansenianæ specimen mansuetudinis, & modestiæ, " Illa (inquit) Romanorum „ adversus librum meum sententia non est „ Decretum; sed libellus famosus, plenus „ infamiâ, Divinæ Legi & bonis moribus „ contrarius: quæ sententiam illam tulit Con- „ gregatio, indigna est nomine *Congregatio-* „ *nis Sacræ*. „ An non istud novum demissionis & patientiæ genus est, in Christi hactenus Ecclesiâ inauditum; sed Luthero & similibus hæreticis familiare, dignum proinde quod ab hodiernis novi præconibus Evangelii, veris hypocritis assumeretur?

Reliquo vitæ tempore, ut fixum Quesnellus animo habuit, Baii & Jansenii hæreses ab inferis revocare, ideoque opposítas eis definitiones partim subdolis interpretationibus eludere, partim impugnare manifestiùs; vicissim non defuere qui ejus petulantiam flagellarent Doctores Catholici, Antistites, atque in Almâ Urbe Judices supremi; præsertim annis illis quibus magis sibi liberum ac tutum censuit pro hæresi dimicare *à solito hominum commercio segregatus, locum incolens vix paucis amicis notum, paucioribus pervium*,

Bruxellense istud latibulum instar honesti carceris fuit, occultans *Sanctam* Jansenistarum *Familiam* tempore persecutionis, motæ præsertim ab Archipræsule Humberto. Ejus scilicet pro fide zelus & vigilantia pridem Novatoribus terrori fuit; neque eludi tantâ semper potuit industriâ, quin tandem uno eodemque die in manus ejus inciderint Quesnellus, Gerberonius & Brigode cum tota literarum scriptorumque supellectile, Sacrilega hic adversus Ecclesiam conspiratio detecta est; & juridicis contra reos processibus toto Orbe Catholico divulgata, Christianæ istud Reipublicæ non levi extitit emolumento, cùm nulla nocentior hæresis sit, quàm serpens occultissimè, pietatemque mentiens & Religionem.

Jansenianæ hujus Trinitatis captivitas, Ques-

Quesnelli potissimum, cui post Arnaldi obitum summa novæ Ecclesiæ Potestas communibus suffragiis delata fuerat, nescio an novam minùs afflixerit Ecclesiam, quàm Petri olim detentio Christianam: istud autem discriminis inter utrumque luctum noscitur, quod pro liberatione Petri fusæ ad Deum preces fuerint sine intermissione; Pro Quesnello nihil fallaciæ prætermissum.

Hic suis scriptâ clanculum schedulâ indicium fecerat, quonam Palatii Archiepiscopalis cubiculo detineretur; quod cum à plateâ remotius esset, conducenda fuit Domus vicina, quâ ad perfringendum illum Palatii murum pateret aditus. Successit machinatio tantâ laborantium solertiâ, ut qui diu noctuque cubiculi januam custodiebant vigiles, prorsus nihil strepitûs aut soni perciperent.

Erupit itaque è carcere Quesnellus, excessit, evasit in Hollandiam; ubi solutissimam nactus ob omni formidine libertatem, insanire contra Sedem Apostolicam & resistentem quamlibet novæ hæresi Potestatem majore perrexit rabie, quàm ante. Hinc Catholicorum complurium contra Archiepiscopum indignatio, quod hominem adeò perniciosum, non majore custodierit diligentiâ; quin & suspicio aliquibus fuit, Præsulem, intercepto contentum armamentario, locum voluisse relinquere evasioni, quâ ulterioribus se ipsum molestiis & sumptibus liberaret.

Sed nimiùm frivola est adversus Antistitem integerrimum, & ab omni remotissimum cupiditate accusatio, à quibusdam sive malevolis, sive Pseudopoliticis excogitata, qui, quâ forsitan ipsi cupiditatis turpitudine corrupti sunt, ut sua facilè præferant privata commoda religioni, maculare temerè non verentur, quem omnia sua defensioni Fidei consecrasse, exploratissimum est.

Nos hic *ultima* ad se revocat Quesnelli *probatio*. *Status* (inquit) *persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hereticus, flagitiosus, & impius, ultima plerunque probatio est, & maximè meritoria; utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

Nemini in hodiernâ Jansenismi Historiâ versato dubium apparere poterit, quin Articuli præsentis author se maximè cum Sancyrano, Arnaldo, Gerberonio, Ægidio de Witte, Eugenio de Gelder, & similibus Jansenianarum partium scriptoribus hic intelligi voluerit. Quod autem in primis ipse tam atris coloribus notetur, cui meliùs imputet, quàm sibi; suæ, inquam, notissimæ rebellioni adversus Generalia & iterata sui Ordinis Comitia, adversus suum Archiepiscopum, adversus Regem, adversus ipsam Apostolicam Sedem eique obedientem Ecclesiam? Cui justius attribuat, quàm suæ in retinendis, ac defendendis erroribus, etiam impiis & hæreticis ab Ecclesiâ sæpiùs condemnatis, scandalosissimæ pertinaciæ? Cui denique potiùs adscribat, quàm effræni suæ audaciæ in procudendis lucubrationibus absurdissimis contra universos quodammodo ordines, contra Magistratus ac *Potestates omnes*, contra Episcopos, etiam Summos Pontifices, ipsamque fidem ac Religionem Catholicam?

In his criminibus absque ullo quod innotuerit pœnitentiæ, ullo retractationis indicio, vitam ad ultimum usque senium traducere visus est, interea Sacro-Sanctis minimè veritus participare Mysteriis, neque tam Sacrificiis implorare Dei clementiam, quàm provocare novis semper sacrilegiis ultionem.

Ex omnibus, de quibus tantopere Quesnellus queritur, *pœnis* atque *persecutionibus*, nulla ei postmodum visa est acerbior, quàm Romana condemnatio editi à se Gallicè *Novi Testamenti cum Observationibus Moralibus*.

Licèt enim, Bruxellensis captivitas, cum totius interceptione supellectilis literariæ, non potuerit sensum non infligere gravissimum, at solatio tunc esse potuit industria discipulorum, cui non impossibile foret perfringere noctu Palatium, & authoritate forsitan Magistratûs laici, omnem aversari solitâ speciem *Inquisitionis*, quod ablatum fuerit, recuperare; saltem hac in parte molestia non desiit Archiepiscopum, quamdiu vixit affligere, neque ejus statim obitu terminata est. Dogmaticum verò Sedis Apostolicæ judicium satis Quesnellus noverat, neque ullo tempore retractari, neque ullis unquam molitionibus convellendum.

Desperatâ itaque Sedis Apostolicæ Palinodiâ, non nisi furere in promptu habuit, Pontificemque, si posset in cæterorum redigere ordinem Episcoporum.

Obtentâ scilicet Operi suo approbatione magnificâ unius alteriusve Antistitis, quid contra eam (inquit) prævalere Romani præsumat sententia Tribunalis? Et quidem adversus hanc, si Quesnello credimus, tanta militat copia præjudiciorum, ut maximè in præsenti casu suspecta esse debeat minùsque fidei mereatur ac reverentiæ, quàm cujuscumque inferioris Episcopi Censura.

Quinquennio antequàm solemnis prodiit Clementis XI. Constitutio *Unigenitus*, ardenter expetita à Rege Christianissimo, & Gallicanis Episcopis, etiam Eminentissimo de Noailles Archiepiscopo Parisiensi, adversus Ques-

Quesnelli Articulos 101. damnaverat Pontifex eundem librum, absque ullius expressione Dogmatis, vel Propositionis. Speraverat scilicet sanctissimus futurum ut tale antidotum adversus pestilentis operis virus sufficeret, quando libro ex oculis & manibus omnium sublato, oblivioni facilè traderentur ejus dogmata, aut nocendi saltem robur amitterent.

Declarabatur itaque liber ille noxius, propterea quod, *Sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, & alteri versioni Gallicæ (vulgò dictæ Montensi) dudum à felicis recordationis Clemente Papa IX. Prædecessore nostro* (inquit Clemens XI.) *per quasdam suas in simili formâ Brevis die 20. Aprilis 1668. expeditas literas damnatæ in multis conformis; à vulgatâ verò editione, quæ tot seculorum usu in Ecclesiâ approbata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authenticâ haberi debet, multipliciter discrepans, & aberrans. Notas insuper & observationes continet, habentes quidem speciem pietatis; sed ad virtutem ejus abnegandam subdolè deducentes: in quibus passim occurrunt Doctrinæ & Propositiones seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, aliàs damnatæ, & Jansenianam hæresim manifestè sapientes. Hinc est quod.... librum suprădictum damnamus & prohibemus omnibus & singulis Christi Fidelibus sub pœnâ excommunicationis ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ.,,*

Hac Pontificis adversus librum sententiâ, authorem etiam quodammodò argui sentiens Quesnellus, quasi suis in Novum Testamentum *Observationibus ad virtutem pietatis abnegandam* lectores *subdolè deduceret*, correptionem hanc *persecutionibus* annumeravit, quibus *veritatis Prædicatores* expositi sunt hoc tempore, quo experiri solent *Potestates omnes*, tam Ecclesiasticas, quàm seculares sibi *contrarias*. Quomodo autem Quesnelli pietas correptionem hanc, *probationis* loco tulerit, ac fecerit sibi *maximè meritoriam*, quaque se ipse magis reddiderit *conformem Christo*, qui quasi Agnus coram tondente se obmutuit, elucet in editis ab illo *colloquiis* de versionis suæ cum *Observationibus* Censurâ.

Ut innumera prætercam Jansenianæ Charitatis, & reverentiæ erga Christi Vicarium specimina, quæ illic occurrunt ab initio, & singulas ferè deinceps paginas commaculant, referam solùm aliqua à Pag. 180.

Ibi Quesnellus queritur se *properè, furtim & inhumanâ crudelitate damnatum*.

Pag. 190. *patet* [inquit] *totum condemnationis negotium esse fraudulentæ conspirationis effectum*.

Ibid. *Totum imputari debet virulenta Censorum nequitiæ*.

Pag. 191. *Damnatio ista opus tenebrarum est, atque horrendæ conspirationis*.

Pag. 196. *Sola ignorantia, passio, æmulatio, & calumnia Diabolica, accusationes Jansenismi, aut aliorum errorum adversus Observationes instituere potuit*.

Pag. 210. *Passio violenta & cupiditas Decretum dictavit... Omnibus formis Canonicis destitutum est, & sacratissimis judiciorum Ecclesiasticorum regulis contrarium, ita ut meritò dici possit judicium enuntiatum tyrannicâ potestate, non authoritate Canonicâ*.

Pag. 226. *Vocari magis debuit Decretum quorumdam Cardinalium quàm Pontificis. Causa instituta est in Congregatione Sancti Officii, seu Inquisitionis. Hujus circumstantia expressio studiosè in Diplomate prætermissa est, ad fallendam Curiam & Administros Regis. Ita opus tenebrarum oportuit promoveri*.

Postquam Pag. 227. Duos è Cardinalibus, & unum è Sancti Officii Consultoribus, eruditione & pietate clarissimos, atque omni penitus exceptione majores, repulit à jure suffragii, Pag. 228. Ignominiosissimè tractat virum omni dignum reverentiâ ob singularem doctrinæ morumque integritatem Joannem Castelli Congregationis S. Lazari pro Missionibus institutæ.

Ibidem Quesnelli plusquam Schismatica temeritas Romanos ad judicium illud à Christi Vicario adhibitos Theologos, & Cardinales cum ipso Pontifice Maximo histriones facit, qui loco judicii *comœdiam exhibere voluerint*; sed cùm ne ad eam quidem idonei satis fuerint, requirit operam Comœdi aliàs in Galliis famosissimi. *Si*, inquit, *Dominus Moliere viveret, opus inde componeret dignum theatro. Scena foret Roma in Palatio S.Officii. Quis risum teneret?.... Verùm res agitur nimis seria, quàm ut in risum convertere eam liceat. Magis lacrymas poscit talis subversio justitiæ, tam pudendus Sacri Episcopalis Ordinis contemptus, & Romanorum cæcitas Ministrorum, qui se Columnas Ecclesiæ credunt, neque vident, quod ejus subruant fundamenta, veritatem erroris nomine condemnando*: Atque adeò cæcitas maximè in Pontifice est, ad quem lata sententia præ cæteris pertinet.

Pag. 235. *Tantum Factio, calumnia, furor prævaluit adversus librum, & Eminentissimum ejus Approbatorem. Quod Roma statuit contra librum, atræ conspirationis effectus est, cujus pars non minima Regularibus adscribenda*.

Schis-

Schifmaticam non minùs indolem, & immunitatis Ecclefiafticæ contemptum in primis indicat, quod fequitur Pag. 238. *Res ea ad Regem pertinet, tanquam Sacrorum Canonum Cuftodem & Protectorem. Exigunt autem Canones Tribunal duodecim Epifcoporum, ut de uno fententia feratur.*

Quod Quefnellus pro fuo opere vindicando contra fententiam Pontificis ad Regem Chriftianiffimum provocet, non miror, poftquam confultus idem ab Hugone Van-Heuffen, an à Sebafteno Hollandiæ Vicario conftitutus Pro Vicarius, & cum ipfo Vicario à Pontifice exauthoratus, poffet falvâ confcientiâ adverfus Pontificis Decretum recurrere ad Hollandiæ Moderatores hæreticos, Refpondit affirmando 8. Januarii 1703. Quia, inquit, *Proteftantes feu Calvinifte funt multò magis idonei ad judicandum de Causâ Sebafteni, ejufque Provicariorum, quàm Curia Romana.*

Quanti ponderis fint Canones illi à quibufdam Galliæ Epifcopis, non approbante Pontifice conftituti, non eft hujus loci difcutere. Non enim hic de alicujus Depofitione Epifcopi, ut in Canonibus illis agitur, fed de Cenfurâ Libri ab Epifcopo approbati. Quandonam auditum eft in Ecclefiâ Catholicâ, etiam apud Gallos, non licere Pontifici, de opere quod Ordinarius aliquis approbaverit, ferre judicium, nifi convocato atque confentiente Epifcoporum duodecim Tribunali?

Quantum denique apud Quefnellum ejufdemque fœderis Novatores valuerit Regis Chriftianiffimi authoritas, Præfulumque Gallicanorum de Quefnelli Opere fententia, patuit, quando editâ poftmodum Conftitutione *Unigenitus* contra librum eumdem, & extractos ex eo Articulos 101. Rex obediri Pontifici voluit, ac librum cum Propofitionibus condemnari. Condemnavere Epifcopi ferè omnes, atque ex paucis ad Concilium Appellantibus contra aliquorum Dogmatum profcriptionem, præcipui à fe librum velut damnabilem abdicarunt. Non nifi ridicula igitur Quefnelli hypocrifis eft, quando, ut fuam obtegat adverfus omnes Ecclefiæ ac Seculi Poteftates apertifsimam rebellionem, oftentat fe vindicem Canonum, cum quibus nihil fibi commune effe, fatis perfpicit nifi cum fide, religione, obedientiâ, humanum exuerit pariter intellectum.

Profequamur adhuc aliquantum in referendis ejus fpeciminibus pietatis. Pag. 267. *Præterire* (inquit) *tacitus nequeo quòd Romano Diplomate jubeatur incendio confumi liber Divina continens Jefu Chrifti Oracula. Juffio illa tam dura, tam injufta, barbara, & omni Religionis fenfui contraria eft, ut quantumlibet fpeciofa obtendatur excufatio, barbariem amoliri nequeat, neque efficere quin fides illam Chriftiana horreat, ac deteftetur velut Sacrilegam Divini corporis profanationem.*

Audiatur nunc mirifica hypocritæ erga Pontificem, eique in judicio affiftentes Eminentifs. Cardinales, Confultores atque Theologos pietas. Pag. 275. *Oro Deum intimo affectu, ne peccatum adeò grave in Pontifice puniat, quemadmodum Sacrilegium Joakim Regis Juda punivit in Rege, ejufque Regno & pofteritate; Sed vehementer metuo, ne hoc Decretum cum aliis pluribus fuperiùs recenfitis, accedentibus prætereà multis ejufdem Curiæ exceffibus, accerfat tandem graviffimam in authorum capita ultionem.*

Pag. 276. *ut ad rogos damnaretur Catalaunenfis Tranflatio* (Novi Teftamenti) *opus fuit perfuadere Fidelibus, quod Ipfum novi Teftamenti textum exhibeat damnabiliter, nec fine aufu temerario vitiatum*; ficut Diplomate Apoftolico edocemur: *quam* (inquit Quefnellus) *atrocem effe calumniam, fuftineo. & Cenfores provoco, ut vel minimum ejus argumentum proferant.*

Ad illud quod dicitur, non adjudicari flammis verum & legitimum, fed fpurium Evangelium, refpondet Quefnellus pag. 268. *Excufatio illa donec probata fuerit, inter atroces calumnias rejicienda eft, neque culpam & horrorem minuit, fed auget.... Mirabilis cæcutientium Cenforum temeritas, qui tenebras fuas anteponere præfumpferint lumini tot eruditiffimorum, qui judicium de libro tulere prorfus oppofitum.*

Pag. 269. *Non eft nifi cæca præoccupatio, aut quidpiam fceleratum magis, quod Cenfores illos ad iniquam adeò; & Sacris Canonibus, ipfifque Conftitutionibus Apoftolicis repugnantem fententiam potuerit inftigare.* Novum Quefnellianæ erga Sedem Apoftolicam pietatis, five ut vocare magis propriè alii malunt, fallaciffimæ hypocrifis fpecimen dat Pag. 274. & 275. *Utinam Roma cum debitâ prudentiâ & æquitate proceffiffet in negotio Novi Teftamenti Catalaunenfis cum Obfervationibus Moralibus! non cogeremur dolore maximo videre authoritatem & honorem Apoftolicæ Cathedræ expofitum adeò miferè & implicicum caufæ peffimæ, imprudentiâ & paffione eorum, quibus Pontifex nimium fidit.* Ex talibus præmiffis, qualis expectanda fit conclufio, conjectura minimè difficilis eft.

Sic igitur Pag. 279. *Decretum iftud* (inquit) *erroribus fcatet non tolerandis, unde rejiciendum neceffariò eft inter Decreta caffa, irrita, & quorum nulla fit habenda ratio.* Pag. 281.

Pag.281. *Decretum istud est ex omni parte evanidum & nullum; quia conditum est sine causâ, & formâ Canonicâ; imo potiùs contra formam omnem & rationem: omni destituitur fundamento præterquam fictitiâ Pontificis authoritate, quemadmodum Supremâ, sic & absolutâ*.

Pag.282. *Non est proinde cur nos commoveat Decretum, utpote nullum prorsus, ut jam dixi, & irritum. Ne quidem locus hic est dubio, vel Quæstioni, an saltem non foret melius obedire, quàm resistere*.

Pag.283. *Denique cum Sanctio illa fœtus solummodò passionis sit, conceptus instigante Spiritu* Dominationis, *nixa persuasione credulâ authoritatis despoticæ & absolutæ, reverâ chimericæ; crederesne immunem te fore à crimine, quando opiniones adeò exitiales, & natas subvertere omnia ac perdere in Ecclesia, obediendo stabiiires? Vergunt illæ ut hominem passionibus, errori, deceptionibus obnoxium constituant Dominum universorum. Concessa hæc Pontificibus prærogativa impedit maximè, ne quoties injustum quidpiam statuerint, ullo tempore retractent. Jubemur obedire cæco modo tanquam mancipia, imò brutorum instar animalium, quibus deest tum intellectus quo justum discernere valeant ab injusto, tum conscientia quâ injustitiam aversentur, ne ei quomodocumque consentiant*.

Hactenus Quesnellus in editis à se *Colloquiis*, qualia nullus à Catholico, multo minùs à Sacerdote, aliàs modestiam, demissionem, patientiam, charitatem præ cæteris affectante, expectaverit.

Famosiorem olim reddidit singularis impudentia Lutherum; quo mortuo, vix alium reperias, novo nostro Ecclesiæ Reformatore, in convitiando & calumniando, confidentiâ, temeritate, inverecundiâ superiorem. Specimina in adductis ex uno ejus volumine satis illustria habes Lector; qualis igitur futura esset collectio, si fieret operosior è scriptis ejus omnibus, quibus præcipuo vitæ tempore in solitudine studiosus incubuit?

Ex his Processus contra Quesnellum Juridicus non pauca detegit: plura post effractionem carceris edita, sine nomine, & longè majore apud Batavos libertate, ampliorem suppeditarent annotationibus materiam, proderentque indubiè magis in authore Schismaticam, & dignam Sectæ hæreticæ Coryphæo audaciam, authoritatis ac Potestatis, legum humanarum, Divinarumque apertissimè contemptricem.

Non immoror confutandis distinctiùs, quæ ex *Colloquiorum* volumine jam retuli, ab authore jactata adversus priorem Operis sui præcipui condemnationem; quia cùm ferè quadriennio, antequam prodiret Constitutio *Unigenitus*, descripserim mihi ex editis à Quesnello *Colloquiis* omnia superiùs citata, singularis quoque postmodum in *Constitutionis propugnatione* cura mihi fuit, ut nihil in Quesnelli vindiciis relinquerem intactum, nihil non dirutum obtritumque: quapropter non est cur Lectorem, & me ipsum repetitionibus haud necessariis fatigem.

Furenti etiam calamo, atque eloquentiæ Schismaticæ laxanda prorsus fræna censuit pro Archiepiscopo Sebasteno Novatoribus addictissimo, qui propter beneficentiam erga eos minimè parcam, in eorum cifrâ *Patris Bonifacii* nomine meruit insigniri.

Vocatus ille ab Innocentio XII. Romam fuerat titulo non indecoro *Anni Sancti*; ita tamen ut simul mentio fieret desiderii, quo Sanctissimus ardebat agendi cum ipso de quibusdam ad Missiones illas pertinentibus. Vicarius hic non bene sibi suisque conscius, tergiversari primùm obtentibus frivolis, quibus annum integrum delusa evocatio est. Cum autem Pontifex humanitate non proficeret, addidit jussionem, monens suum in Belgio Catholico Internuntium, ut Apostolica authoritate substitueret Provicarium, sive Archiepiscopus Sebastenus itineri se daret, sive persisteret contumax: proficiscenti enim necessarius foret supplens, persistenti autem in rebellione deberetur exauthoratio.

Apostolico huic mandato jungebatur amotio etiam quatuor Provicariorum, quos Sebastenus sibi delegerat in munere adjutores. Amplissima quippe istarum Provinciarum Missio est, complexa plures Ecclesias Episcopales præter Metropolim Ultrajectinam, Sacerdores verò ex Clero, & omnibus ferè Ordinibus Religiosis ultra quadringentos. In his angustiis Sebasteno sua prudentia & Sociorum consilia dictavere, ut vitandæ causâ infamiæ, atque Pontificiæ indignationis, itineri se committeret, deprecatus antea Internuntium, ut constituti à se Provicarii remanerent. Consensit Pontificius Administer usque dum fortè aliter Christi Vicario videretur.

Sebastenus Romam appulit mortuo Innocentio XII., atque in locum ejus electo Eminentissimo Francisco Albani, qui nomen assumpsit Clementis XI. De hoc Pontifice Walonius Jansenistarum in Urbe Generalis Agens faventia suis nuntiavit; nisi quod persuasum ille hactenus haberet Jansenii hæresim non esse imaginariam, sed istiusmodi Sectam existere, ideoque præscriptum ab Alexan-

xandro VII. juramentum utile esse & necessarium.

Romam adveniens Sebastenus, honorificè ac benevolè exceptus est, de quo, procurantibus ac triumphantibus Jansenianis, personuere Gazettæ Hollandicæ & Bruxellenses, atque ipse testari optimè possum, qui tunc Romæ aderam, actorum satis conscius, &, si adversariis creditur, spectator minimè otiosus. Ut autem compendium faciam narrationis, perstitit in Urbe Sebastenus biennio, benignissimè semper à Pontifice & Cardinalibus, quantum voluit, fortè etiam subinde plus quàm voluit, auditus voce & scripto. Non deerant ipsi adjutores strenui, tum quos ex Hollandiâ conduxerat, tum qnos invenerat in Urbe Walonium, Ludovicum Maille & alios. Hi hospitis Archiepiscopi, eique adhærentium laudes sonoris ubique vocibus prædicabant.

Denique omnibus diligentiâ & maturitate maximâ examinatis, suspensus à Vicarii munere Sebastenus in patriam remissus est, postulantibus eum Acatholicis Batavorum ordinibus, &, nisi intra quadrimestre spatium redux esset, gravia minitantibus religioni. Eò scilicèt novos Apostolos recurrere coegit metus, ne suus in Urbe Patriarcha perpetuò detineretur.

Priusquam discederet, scripta sua Romæ edita & in Congregatione octo Cardinalium partim Inquisitorum, partim Fidei Propagationi intendentium reprobata, annuente Sanctissimo detulerat ad Congregationem S. Officii accuratiùs revidenda. Illic autem Censuris notata gravioribus sunt, atque de authore judicatum, quod à Missionum Regimine deberet penitùs amoveri.

Ita suspensio mutata in perpetuam privationem est. Inquisitionis Sententiam approbavit Pontifex; undè Sebasteno recuperandæ Potestatis Vicariæ spes fuit imposterum sublata; Quesnello autem adeò in Pontificem, tanquam *Patris* sui *Bonifacii* persecutorem accensa bilis ut Scriptionibus eum felle illitis impetere nunquam desierit. Hinc quoque confirmari suum malesanus censuit Articulum 96. *Deus permittit ut omnes Potestates* (Ecclesiasticæ non minùs quàm Seculares) *sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ*. Sebasteno interim solatio esse voluit Articulum 98. quod *status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio sit, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo*.

Dum *hæretico* additur *flagitiosus & impius*, non necesse est intelligi crimen ab hæresi distinctum, monente Augustino Clerum & Seniores Hypponenses Epist. 78. *Nec objiciatis hæreticis, nisi quia non sunt Catholici, ne similes eis sitis, qui non habentes, quod in causâ suæ divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa falsissimè jactant, ut quia ipsam Scripturæ Divinæ veritatem, quæ ubique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quidquid in mentem venerit, possunt.*

Praxis hæc usitatissima Jansenistarum est. E Bruxellensi *Familiæ Sanctæ* latibulo, quot aliàs prodire vidimus volumina *Moralis praxeos Jesuitarum*! Gabriel Gerberon addidit *laxiorem Ethicam Archiepiscopi Mechliniensis*. Alius in Sebasteni eique adhærentium gratiam edidit *Moralem praxim Monachorum in mentiendo, calumniando &c.* Posterius Opusculum Janseniana charitas curavit per plateas & compita Amstelodamensia proclamari publicè ac divendi.

Religiosis scilicet Novatores communissimè tribuunt, quidquid novæ Sectæ Proceribus obvenit calamitatis; verùm ad Belgas quod attinet, præcipuè in Hollandiâ Missionarios, ipsumque amotum à Regimine, cum suis quatuor Provicariis, Sebastenum, non alteri veriùs, quàm Arnaldo, Quesnello, Gerberonio & similibus è Galliâ profugis imputabitur institutio illorum perversissima in novitatibus, rebellio adversus Pontificem, & quidquid inde sequi contigit turbationum, Censurarum, afflictionumque in omni genere, quemadmodum in præstantissimo Opere *Causa Quesnelliana* Articulo 2. non minùs solidè quàm copiosè legitur demonstratum.

Præsens Quesnelli Propositio Sebastenum docuerit etiam in ultimâ infirmitate, non dimittere Sensum Jansenii hæreticum in quinque enuntiationibus condemnatum, neque curare qualemcunque orituram inde suo nomini infamiam, & publicam fortè post obitum excommunicationem.

Quæ miseri Antistitis obcæcatio fuit, nolle excedere vel efferri ex ædibus ejus qnem noverat esse authoritate Apostolicâ denuntiatum publicè à Communione Ecclesiæ rejectum! Quis furor ab eo velle Sacrum Viaticum accipere, ubi aliorum minimè deerat copia Sacerdotum, sive è Clero, sive ex Ordinibus Religiosis! Talem scilicet sibi esse voluit *probationem ultimam* docente Quesnello, *maximè meritoriam, utpote quâ magis conformis fieret Jesu Christo*.

Vereor, ne similis quoque *probatio ultima* placuerit Eugenio de Gelder Brugensi, cujus hæc fuit *ultima vox zelatricis innocentiæ in Libello supplice ad Innocentium XI.* non tantummodo pro se; sed etiam pro Jansenio & Molinosio, contra Urbanum VIII, Innocentium X, Alexandrum VII, atque ipsum Innocentium XI. post latam adversus Molinosium sententiam. „Quod (inquit) deceptus fuerit Urbanus VIII, patet ex propriâ ipsius Bullâ; quod Innocentius X, fuerit deceptus, ad oculum demonstratur. Quod Alexander VII, fuerit deceptus, ex eo constat, quod Liber Jansenii Romæ nunquam ritè fuerit examinatus.

„Sicut Adversarii per vafrè fabricatas quinque Propositiones doctrinam Jansenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Jansenii doctrinam Sancti Augustini, à doctrina Jansenii reverà inseparabilem, arietarent, & dejicerent, sic etiam fortassis multas Propositiones Michaelis Molinos talibus terminis concepere, quod vix à positionibus fundamentalibus, à Sanctis Patribus Dionysio Areopagita, Augustino & aliis, ac Theologiæ Mysticæ Doctoribus Bonaventura, Henrico Susone, Taulero &c. nobis propositis distingui possint, ita ut per condemnationem Molinos, quem aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant, & prætensæ ejus Doctrinæ, videantur voluisse eliminare illud parvum, quod restat Supernaturalis operationis, Spiritûs Dei vivificantis. Sed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid subdolè per se & suos (adversarii) efficiant, spiritus illis frendentibus, ubi vult, spirabit.„ Ita P. Eugenius de Gelder Brugensis.

Pontifex autem in Bulla contra 68. Molinosii *Propositiones, eas tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ Disciplinæ relaxativas & eversivas, & seditiosas respectivè damnavimus* [inquit] *circumscripsimus & abolevimus, deque iisdem, & similibus omnibus & singulis, post hac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim deducendi, facultatem quibuscunque interdiximus, contrafacientes ... vinculo anathematis eo ipso innodavimus, à quo nonnisi à nobis, & à Romanis Pontificibus successoribus nostris valeant absolvi.*

Quæ igitur, inquies, dementia incessit hunc Religiosi Ordinis Sacerdotem, ut se novissimo anathematis vinculo innodatum iret, prospiciens vitæ terminum, summique imminentem sententiam Judicis? In promptu ratio est: disertus eloquio ad prædicandum, & zelo (non secundùm scentiam) præditus, novis Apostolis apparuerat, ideoque peridoneus qui si novitatibus imbueretur, eas uberiore fructu, imperterritus divulgaret: nihil itaque in eo Jansenianis Dogmatibus instituendo prætermissum est operæ.

Inter illa indubiè fuerint quæ ad excutiendam Sedis Apostolicæ reverentiam simulque formidinem Censurarum excogitata sunt maximè opportuna; Quesnellianum in primis nonagesimum; *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis*; non aliter.

Porrò Janseniani, opinione suâ pars Ecclesiæ sanior, quandonam præsumi poterunt lato vel ferendo in suos anathemati consentire? Quisquis itaque novis istiusmodi Augustini discipulis adscriptus fuerit, securus imposterum redditur, nullum contra se anathema valiturum.

Accedit Quesnelli Articulus 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesiâ, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.*

Quæ autem justitia, quid nisi nequitia, turpis vel crassa ignorantia expellere novos Augustini Discipulos ab Ecclesiâ potest? Affixi Christo & Ecclesiæ sunt proculdubio per charitatem, quæ apud eos Sedem præcipuè posuisse creditur, quorum judicio Prop. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.* Jansenistarum scilicet opera omnia Charitas sunt, vel ab eâ imperantur; etiam rebellio adversùs Apostolicam Sedem, contumeliæ, calumniæ, mendacia, ac perjuria, quorum notissimus artifex Quesnellus deprehenditur in Pseudonyma *Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum defensione.*

Talibus Pater Eugenius Magistris credidit officii sui, ac debiti esse, Jansenianas ac Quietisticas veritates non solùm voce; sed scriptis etiam typo editis, omni loco & tempore disseminare ac defendere: quin & illud ex Psalmo 118. sibi duxerit applicandum *loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum & non confundebar.*

Dei testimonia in Scripturarum Oraculis revelata, convenientibus à Jansenio & Molinosio commentariis illustrari P. Eugenius existimavit: Ideo Sedem Apostolicam aliter judicantem, sibi statuit ab erroribus ad

veritates fidei revocandam. Si autem contingeret ut propter talem volitam Ecclesiæ in fide & dogmatibus reformationem, obveniret *persecutio & pœna, tanquam hæretico, flagitioso, & impio*, accipienda esset velut *Ultima probatio, & maximè meritoria, quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo*.

Cum hac malesanus *Voce ultimâ zelatricis innocentiæ*; Sed hæreticæ, impiæ, & pluribus respectivè Censuris à Sede Apostolicâ notatæ, sistere se [ut passim creditur] non est veritus Supremi Judicis Tribunali. A Christi quidem in terris Vicario, sive præfectis ab eo Inquisitioni Fidei Cardinalibus, *vox* illa *ultima zelatricis innocentiæ* Jansenianæ & Quietisticæ condemnata est; qualis authorem ipsum manserit post obitum sententia, horret animus divinare.

Denique ut plures prætereteam notæ infetioris, non videntur Ægidius de Witte, Jacobus Gilbert, Gabriel Gerberon voluisse ex hac vitâ discedere absque laudata tantopere à Quesnello *probatione ultima & maximè meritoria quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo*. Propter obfirmatissimam scilicet in hæreticis Jansenii dogmatibus pertinaciam passi non levia fuerant; verùm hic *status*, ut vocare Quesnello placuit, *persecutionis & pœnarum*, adeò sufficiens non fuit frangendæ eorum pertinaciæ, ut vel inde conceptâ potiùs rabie, de suâ nos conversione quodammodo jusserit desperare.

Inter mystica enim novæ Ecclesiæ dogmata non minimi momenti est illud à Quesnello traditum, correptiones istiusmodi esse *Persecutiones*, non effectus Justitiæ; sed tyrannidis, quales olim Confessoribus sanctissimis à crudelitate Infidelium obvenere: tolerandæ propterea sunt tanquam *probatio ultima & maximè meritoria*. Sic apud novos istos Augustini Discipulos inutile redditur, quidquid Ecclesiasticæ pœnæ ad errantium reductionem Filius Dei suis Vicariis revelavit; quin ipsum antidotum à Quesnello & sociis Novatoribus, deceptoribus, corruptoribus, verti quotidie conspicimus in venenum; ad fovendam, inquam, etiam in mortis Articulo rebellium Schismaticorum, Hæreticorumque perfidiam, contempto quolibet anathemate, atque ut in Sebasteno Iuximus, sepulturæ Ecclesiasticæ, & publicorum pro mortuis suffragiorum perpetuâ privatione.

Propositio damnata nonagesima nona.

Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere, se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ, v. g. bonos libros, Instructiones, sancta exempla &c. *Observ. Moral. 2. Cor. 2. versic. 16.*

CAPUT I.

Propositionis venenum detegitur.

Occasionem Observationis tam absonæ Quesnellus sibi finxit ex illo Apostoli ad Corinthios: *Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam*.

Verè Apostoli Sanctis prædicationibus & exemplis bonus odor fuere Deo ad ejus gloriam & honorem, hominibus ad salutem; sed non potuere prodesse omnibus, multorum obsistente pervicaciâ & odio adversus Christum ejusque Discipulos: proinde odor ille, qui omnibus esse debuit ad beatitudinem, Judæis perfidis, inde se magis obfirmantibus in malitiâ, conversus est in supplicii incrementum.

Conveniens itaque textui observatio fuisset; si Apostoli verba applicuisset Quesnellus Pontificibus, qui errores hæreticos, nominatim Baii, Jansenii eisque adhærentium non uno anathemate confixeruit; undè dicerent: *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt*; quia non prioribus solùm; sed etiam posterioribus Constitutiones nostræ, ut erant saluberrimæ, poterant eruditioni esse, justitiæ, & saluti; quod autem aliquibus fuerint & hodiedum sint *odor mortis in mortem*, ex rebellium oritur malevolentia, quibus Scarabæos imitari consilium potiùs est, quàm columbas, ut ex

Gregorio Nysseno monet Oecumenius: *Sicut fragrantia unguenti columbam vegetat, Scarabaeum necat, & sicut lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit, ignis aurum purgat, stipulam absumit, sic Christus* (cum suo Vicario) *malis in ruinam est, bonis in resurrectionem.*

Singularis autem industria Quesnelli est, ex verbis Apostoli elicere animadversionem, qualis nulli hactenùs Sanctorum Patrum, vel Interpretum in mentem noscitur incidisse. Verba nempè Apostoli Novatoribus adversa, contra ipsam novit pertrahere Apostolicam Sedem, eique consentientes Episcopos cum Seculi Principibus, manum praebentibus Ecclesiae contra novos haereticos auxiliarem.

Juxta Propositionem scilicet 96. *Deus permittit ut omnes Potestates sint contraria Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi* Divina *gratia*. Intereà autem dum laxas adeò habenas persecutoribus veritatis, eamque praedicantium Divina Providentia permittit, *veritates* juxta Propositionem 95. *eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum... Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.* Interprete autem Apostolo in Epistolâ ad Hebraeos cap. 8. *Quod antiquatur & senescit, propè interitum est.*

Non minima denique hujus imminentis interitûs causa est, si Quesnello in praesenti Articulo credimus, *pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere, se fuisse deceptum; mutant ea scilicet quotidiè quoad multos in odorem mortis id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit ut in eâ esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla* &c.

Quosnam hic Quesnellus arguat de pervicaciâ, praeventione, obstinatione, non difficilis conjectura est. Circumstantiae loquuntur esse Potestates omnes; has scilicet novâ ingemiscente Ecclesiâ, Deus permittit esse *veritatis* novae *Prædicatoribus* contrarias. Quemadmodum nempè evidens est, *Prædicatorum* istiusmodi nomine à Quesnello nullos intelligi, praeterquam suae consonos perversitati; ita nulli dubium esse potest, quin per *bonos libros, instructiones, sancta exempla* &c. quae *Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in ea essent odor vitæ*, indicari lectoribus voluerit *libros, instructiones, exempla* &c. illorum qui idem secum de Ecclesiâ in fide & dogmatibus reformandâ consilium amplexi sunt; sed hactenùs successu non ad modum fortunato, opponentibus se *omnibus* ubique non tantùm seculi; sed etiam Ecclesiae *Potestatibus*.

Ab his, inquit, contra *bonos libros*, contra *instructiones* & *sancta Exempla* dimanare undique cernimus Decreta, Brevia, Definitiones, anathemata, privationes, exilia, carceres, adeò ut *mutent quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod* Deus *in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ*. Nomine autem *multorum* veniunt hic prae caeteris auctores talium Decretorum, Brevium, Definitionum, anathematum; uti & privationum, carcerum, exiliorum; dein simplices & infirmi, qui inde passi scandalum, à *Prædicatoribus veritatis* deficiunt, & bonos libros, instructiones, sancta exempla &c. à sanctis illis profecta Doctoribus tanquam noxia aversantur. Quae autem sors esse potest istiusmodi *veritatem prædicantibus* luctuosior, quae perniciosa magis novae Ecclesiae, & animis Fidelium in Quesnelliano nondum satis systemate confirmatis?

At seriò, itane Jansenlani Theologi bonus odor Ecclesiae sunt in vitam, qui tot pestiferis novitatibus, & libellis infamibus ingens scandalum quotidiè creant Fidelibus aeque ac heterodoxis? Fidelium enim simpliciores animos pervertunt, cautiores afficiunt moerore, Infideles, libertinos, haereticos in suâ confirmant perfidiâ, dum eos, qui caeteris celebrantur religiosiores, & severiori ethicae addicti, vident talia mordicus sustinere dogmata, quae omnem mortalibus adimunt libertatem, flagitiis omnem malitiam, omnem culpam & verecundiam peccantibus: ac simul excutiunt omnem erga supremos Ecclesiae Praesides, Christi Vicarios reverentiam ac submissionem.

Haec considerans Doctor è Franciae Clero in constitutionis defensione Gallicâ *ô præclaros* (inquit) *Apostolos Jansenistas, qui destructuri veniunt quod Apostoli tantis laboribus stabilivere! Fueruntne unquam divinorum eloquiorum corruptores magis temerarii? Apostoli præluxere omnibus charitate, demissione, simplicitate, itane novi Jansenistarum Apostoli?*

Quantumlibet acris Gallicana ea appareat in Quesnellum & socios censura, longè tamen eam superat Germanica vibrata ab Augustino Michel S. Theologiae & juris utriusque Doctore, Electoris Coloniensis, ac Principis Episcopi Frisingensis Consiliario in *Confutatione Expostulationis & Protestationis Quesnelliana*, Pag. 249.

„ Illi ergo (inquit) qui ex parte Quesnelli
„ stant, qui cum ipso Jansenismum phantasma
„ existimant, qui nunquam credunt aut cre-
„ dent

„ dent *factum Jansenii*, quod definivit Ec-
„ clesia, qui pervicaciter detrectant jurare
„ Formularium Alexandrinum, qui easdem
„ reipsa tuentur Propositiones, modò contra
„ protestentur & animo teneant, nunquam
„ à Jansenio fuisse traditas, qui ore & cala-
„ mo asserunt, Ecclesiam contra umbras &
„ phantasmata definivisse, quando damnavit
„ quinque Propositiones Jansenii: Hi qui
„ juxta Quesnellum non sunt Jansenistæ, si-
„ cut Quesnellus ipse non est, licèt populi
„ & Archiepiscopi judicio pro tali fuerit con-
„ demnatus & proscriptus; licèt ut talis me-
„ tu Regiæ incarcerationis Patriam dese-
„ ruerit.

„ Hi, inquam, qui fæx Jansenistarum,
„ sentina Jansenistarum, imus simus Janse-
„ nistarum sunt, hi sunt qui juxta Thesim 98.
„ *statum persecutionis & pœnarum* ab utro-
„ que Magistratu *tolerant tanquam hæretici,*
„ *flagitiosi, & impii*; sed dum ita tolerant,
„ sunt in *ultimâ probatione, & maximè me-*
„ *ritoriâ quæ eos faciat magis conformes Jesu*
„ *Christo*. Hi sunt juxta Thesim 99. quorum
„ injustam condemnationem non vult exa-
„ minare, & agnoscere Ecclesia, ex merâ
„ pervicaciâ, præventione & obstinatione,
„ Hinc reprobando eorum *libros*, *instructio-*
„ *nes & exempla*, *mutat in odorem mortis*,
„ condemnando, *quæ Deus posuit in Ecclesiâ,*
„ *ut essent odor vitæ*...

„ Hæc est illa terra, atrox ac blasphema
„ censura omnium processuum, Decretorum,
„ Sanctionum, pœnarum & prohibitionum,
„ quas adversus Jansenii doctrinam, asseclas,
„ libros &c. à sexaginta & ampliùs annis san-
„ cta Sedes tulit: Episcopi verò in Galliis &
„ Belgio, ubi sedem fixit periculosa lues,
„ tanquam Fideles Ministri executi sunt. „

Præsenti Articulo 99. jungit Doctor Germanus Centesimam de frequenti persecutione Sanctorum in Ecclesiâ, atque ex Quesnellianorum istiusmodi dogmatum, mendaciorum, calumniarum farragine colligit, quod,
„ Si talis Quesnelli contra Pontificias Consti-
„ tutiones censura persisteret, Sancta Sedes
„ cruenta Curia Neronis, immanis Aula De-
„ cii, Sanguinolentum Tribunal Diocletiani,
„ non Vicarii Christi foret.

„ Vide igitur, honorande lector, verè
„ infernalem maledicentiam hisce sex The-
„ sibus à Quesnello exhibitam, & desine mi-
„ rari atrum stigmatis inustum esse. Profectò
„ si quis totius Jansenismi, quæque circa
„ eum, ejusve Sectatores in Ecclesiâ hacte-
„ nùs gesta fuerint, penitùs ignarus sit, le-
„ gat verò has Propositiones; totus in stupo-
„ rem rapietur, & secum ratiocinabitur:
„ Anne hæc in Ecclesiâ Dei verâ, & Sanctâ
„ contingunt tam paradoxa, tam immania,
„ ut veritas sit lingua peregrina, prædica-
„ tioni veritatis resistant omnes Potestates,
„ etiam suprema Ecclesiastica, ut tantâ cru-
„ delitate divexentur membra sancta, viri
„ probi; ut sit mera pervicacia, & obstina-
„ tio non ritè examinandi veritatem &c.?
„ certè si contingerent, mihi ampliùs nec
„ vera, nec Sancta Dei Ecclesia appareret;
„ sed synagoga Diaboli.

„ Ast mihi fide Divinâ certum est, quod
„ erit & manebit vera & Sancta Dei Eccle-
„ sia; Ergo à pessimo calumniatore, sordido
„ Impostore, Magistro mendaciorum, in-
„ fensissimo Ecclesiæ hoste, à Primipilo hæ-
„ retico profluxisse oportet hanc fœtidam
„ maledicentiæ cloacam. „ Hactenùs Doctor & Consiliarius Germanus.

Quesnellum nos pacatiùs conveniamus: Quorumnam ea juxta te *pervicacia est, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos, quæ mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ*, V. G. *bonos libros, instructiones, sancta exempla* &c.? Quorum, inquam, illa juxta te pervicacia, præventio, obstinatio est?

Indubiè Pastorum Ecclesiæ, præsertim supremorum, qui tuos tuorumque *libros & instructiones* Jansenianas reprobant, aversantur *exempla* plena superbiæ, rebellionis, hypocrisis & fallaciæ. Contra, inquit, memoratus antea Doctor Gallus, *Mirabuntur posteri & merito laudis præconio celebrabunt diligentiam Ecclesiæ singularem in examinandis Jansenii & Quesnelli dogmatibus, antequam condemnaret.*

Aliis non tanta videbitur necessaria fuisse disquisitio, ut in plerisque se prodens apertissimè tum libris tum Propositionibus iniquitas configeretur. Sed hoc benigna Mater Ecclesia dare voluit infirmitati quorumdam, & aliorum malitiæ, quibus nihil promptius est, quàm ut in suorum proscriptione Dogmatum vel librorum suspicentur, aut mendacissimè fingant examinis defectum.

Quantacunque demum ab Ecclesiæ Præsidibus adhibita *diligentia* fuerit, *quâ profectò major desiderari non possit*, ut Alexander VII. Constitutione *ad sanctam* testatur, discussos fuisse Jansenii Articulos non solùm in sensu verborum obvio, sed etiam ut in Episcopi illius volumine conspiciuntur; fixum tamen certumque Novatoribus est, à conceptis temerè opinionibus nunquam recedere; sed causari semper frivolæ quidpiam excusatio-

tionis, quasi suos corrigerit à judicibus sensus vel ob ignorantiam non intelligi, vel quod deterius est, damnari ex malevolentiâ,

Ita Pelagii ac Cœlestii præcipuus succenturiator Julianus apud Augustinum lib. 1. operis perfecti cap. 10. hæresim Pelagianam dolens à Zozimo Pontifice atque ab Imperatore Honorio profligatam, vociferari non desiit, omnia Romæ subreptionibus acta esse, dari tanto negotio oportere judices æquiores, Juxta eumdem *seditionum Decreto exclusa de Ecclesiis fuerat censura virtutum*.

Lib. 3. contra Julianum idem conquerens inducitur: *Apud Judices non potuimus agere causam nostram, quia nemo de rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab odio, irâ & amicitiâ vacuum pectus attulerit, quales non fuerunt, qui de causâ nostrâ judicarunt; quia priùs cœperunt eam odisse, quàm nosse*. Hæc *præventio*, atque indè orta *obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum*, sicut in causâ olim Pelagii atque Cœlestii, ita in causâ Jansenii, Arnaldi, Quesnelli & similium mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

Author Apologiæ pro Petro Abailardo contra S. Bernardum ejus denuntiatorem & Apostolicam Sedem, à quâ contra eum prodiit sententia: *Cujus unquam* inquit, *bone Jesu, culpa tam cæcos habuit judices, ut non utrimque causæ latera ventilarent?... Isti clausis oculis palpant negotium, & quasi oculati rerum cognitores, arcu iniquitatis intento, toxicum subito jaculantur*.

Ibid. *Renuntiavit* Bernardus *Apostolico, & statim à Romanâ Sede literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt*; sed quanto Ecclesiæ detrimento! *Damnatur aureum os illud, Promptuarium rationis, Tuba fidei, hospitium Trinitatis*; quod *Deus* non minùs quàm Quesnellum, *in suâ Ecclesiâ posuerat, ut in ea esset odor vitæ, bonis libris, instructionibus, sanctis exemplis*.

Quàm sancta fuit *Institutio* Calvini; quàm gloriosus *de servo hominis arbitrio* triumphus parabatur invictissimæ Christi gratiæ, eliminatâ penitùs omni aliâ sufficiente! Quàm frangebatur hoc modo efficaciter Pelagiana superbia! Quàm piè in cæteris ejusdem Hæresiarchæ lucubrationibus commendabatur Regina virtutum *charitas*, exclusâ omni spe & formidine! Quàm solidis ubique basibus stabiliebatur Fides, atque hæc sola justificans, ut *fides* Quesnello *prima gratia est & peccatorum remissio* absque ullo prævio, quod impossibile foret, exercitio actuum bonorum: & quidem *Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*, non minùs in Lutheri & Calvini sententiâ, quàm Quesnelli.

Quot Lutherus edidit volumina, quot commentarios in oracula scripturarum tum novi tum veteris Testamenti! Quæ omnia si Melancthoni, Bucero & cæteris Lutheri discipulis credimus, Deus in suâ posuerat Ecclesiâ, ut in eâ essent *odor vitæ* non minùs, quàm quidquid à recentioribus prodiit Ecclesiæ Reformatoribus, Quesnelli tantoperè encomio celebratum: utrunque pariter à Deo positum in Ecclesiâ fuerit ut in odorem esset maximè salutiferum & vitalem; sed quod iniquorum Judicum, maximè Romanorum *pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla* &c.

Omnium denique præsumptio eadem, & jactantia hæreticorum est. Non itaque miremur, quòd omnes Jansenistarum *libri*, quantumlibet exitiali novitatum veneno turgeant, Qesnello & ejus sociis *boni* sint; *instructiones*, quantumlibet blasphemæ, impiæ, hæreticæ, non minùs quàm rebellionis *exempla*, honorifico *sanctitatis* nomine donentur. Omnibus ea hæreticis præsumptio usitatissima est.

Interim personant omnia Quesnellianis contra Definitiones Apostolicas, contra summos Ecclesiæ, & seculi Principes declamationibus ac satyris, quibus perturbatur Respublica, boni omnes offenduntur, hæretici Ecclesiæ insultant, & in pertinaciâ obfirmantur. Unde istiusmodi Apostolis convenit illud Tertulliani lib. de Præscriptionibus cap. 16. *De verbi autem administratione quid dicam? cùm hoc sit negotium illis, non Ethnicos convertendi; sed nostros evertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam; non si jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit; sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent*.

Cap. 17. *Ruinas faciliùs operantur stantium ædificiorum, quàm exstructiones jacentium ruinarum: ad hæc solummodo opera humiles & blandi & submissi agunt*.

Congruit iisdem illud Venerabilis Bedæ in cap. 7. Proverb. *Promittunt hæretici se contextu verborum cœlestium salubre suis auditoribus quasi stratum parare, in quo à vitiorum tumultibus libero corde quiescant; sed veraciter illis funibus peccatorum construunt locum per-*

perditionis, ubi perpetuò pedes, manusque alligati damnantur.

At inquies, in quibusdam Jansenianorum libris, ut in *Moralibus* Quesnelli *observationibus*, non pauca apparent conducentia ad pietatem; in sermonibus quoque & actibus cernas plurima ad ædificationem composita: nihilominus, inquit S. Gregorius in cap. 30. Job. cap. 9. *Sancta Ecclesia cum canibus gregis sui, hæreticorum patres ponere dedignatur... Qui si & visi sunt quorumdam mores ad honesta agenda docuisse, pra ea tamen quod de Deo recta non senserunt; eos cum canibus gregis sui non ponit... Et quia non nunquam hæretici, quanto magis in perfidia errorem delabuntur, tanto ampliùs in exteriori sese operatione custodiunt, ita ut agere præ cæteris magna videantur, sancta universalis Ecclesia cuncta eorum opera despicit, quæ ex authoritate fidei non prodire perpendit.*

Jansenistis palmam *bonorum exemplorum* præripuit Anabaptistarum hypocrisis, de quibus Meshovius in Historiâ lib. 2. num. 3. *Erat*, inquit, *res cunctis stupori, & admirationi, speciemque referebat spiritualis cujusdam vitæ, quam novi illi, & renati homines per adumbratam quamdam severitatem, rigoremque inchoasse credebantur. Neque enim aut risu unquam, aut jocis sese oblectabant; sed continuò, si quid palàm agendum erat, suspiria altè ducebant, ingemiscebantque, quin & uberes subindè profundebant lacrymas, & vanitates hujus mundi coram civibus deplorabant. Hinc miri per Urbem sermones spargebantur, à rudioribus præsertim, quibus illi suis fraudibus illudebant. Scribant quidam (ita namque de iis loquebantur) de Anabaptistis quod velint, dicant, seditionibus eos deditos, & Christianæ Reipublicæ interitum machinari; ex vitâ certè illorum, operibus, doctrinâque, quàm id falsum sit, evidenter elucet; cum nec jurare eos, nec blasphemare, nec quæ sua sunt, quærere; sed ea tantùm quæ Christi, sunt, quæ scripturis conformia promovere videris. Ecquis hæc non vera, & maximè Christiano homine digna dixerit?*

Ita de Anabaptistis impiis Meshovius, quorum exempla libris communitèr respondere, & instructionibus videbantur: sed de his & nostri temporis Novatoribus dixisset Hieronymus in Psalm. 90. *Quod hæretici, quasi mysteria aliqua promittunt, quando regna cælorum, quando continentiam, quando jejunia, quando sanctitatem, quando renuntiationem seculi, promittunt meridiem; sed quoniam non est Christi lumen, non est meridies; sed Dæmonium meridianum.*

Quesnello non incongruè applicueris, quod de Petro Abailardo breve scripsit Elogium S. Bernardus Epist. 193. *Homo est egrediens mensuram suam* elatione animi ac superbiâ, etsi corpore exiguus, neque Divinorum scientiâ excellens, *in sapientiâ verbi evacuans virtutem Crucis Christi.*

Et ad Innocentium Pontificem Epist. 189. de eodem ait, *volare ejus libros, Urbibus & Castellis ingeri pro luce tenebras, pro melle, vel potiùs in melle venenum passim omnibus propinari.*

Quoties verò lego, quod idem sanctus scribit Epist. 195. de Arnaldo illius temporis hæretico, continere me nequeo, quin de Arnaldo Quesnelli Præceptore domestico, de que ipso Quesnello mihi incidat cogitatio, uti & de utriusque libris, instructionibus, exemplis: *Cujus*, inquit sanctus, *dentes arma & Sagittæ, & lingua ejus gladius acutus: molliti sunt Sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula. Undè & solet sibi allicere blandis sermonibus, & simulatione virtutum divites & potentes.*

Epist. 190. de eodem: *cujus conversatio mel & doctrina venenum: cui caput columbæ, cauda scorpionis est, quem Brixia evomuit, Romana exhorruit, Francia repulit.*

Sancto Bernardo consentiens ejusdem temporis Scriptor Otho Frisingensis lib. 2. de Gestis Frederici Imperatoris cap. 20. ait, *Arnaldum sub ovinâ pelle Lupum Urbem ingressum, rudis populi animos præmolli dogmate accendisse ad Seditionem; plus tamen verborum profluvio, quàm sententiarum pondere copiosum.* Quod autem Dogma mollius illo Jansenistarum, quo, ut observat in Concilii Tridentini Historiâ Eminentissimus Palavicinus, ademptâ humanis actibus libertate, nihil culpæ superest delinquenti?

Finem imponat Guntheri Ligurini Arnaldo coævi de eodem testimonium.

Tandem natalibus oris
Redditus, assumptâ sapientis fronte, diserto
Fallebat sermones rudes, clerûque procaci
Insectans odio, Monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque gravi corrodere linguâ
Audebat Papam.

Duo hic à Quesnelli sociis objiciuntur: Primum, quod S. Bernardus Serm. 33. in Cantica & de Consideratione scribens ad Eugenium Papam, depingat mala Ecclesiæ ipsiusque Urbis, coloribus vix minùs atris, quàm Quesnellus. Alterum, quod si in Quesnelliano opere dignum quidpiam occurreret reprehensione, sufficere potuisset istud authori suggerere corrigendum non injustâ condemnationis infamiâ, præsertim universo operi, tot

tot observationes salutiferas complectenti.

Verùm in prolixâ Bernardi querimonia, quæ de malis, sive Urbis, sive totius Ecclesiæ est, nihil reperitur de condemnatione librorum, instructionum vel dogmatum, nihil contra aversionem Sedis Apostolicæ ab exemplis proficiscentibus ab hypocrisi, à spiritu Schismatico& Hæretico Novatorum.

Quid autem juverit suggeri Quesnello corrigenda in suo opere; cùm nota ejus adversus Apostolicam Sedem contumacia sit, seque ipse pridem declaraverit authoritatis Pontificiæ & Censurarum ab ipsa emanantium contemptorem? Explorata quoque omnibus est ejusdem superbia arrogantis sibi sapientiam supra omnes mortalium, dum quidquid subinde seu precibus amicorum, seu monitis Antistitum permittere visus est, ut in novis Editionibus mutaretur, non fuerit sincera abdicatio erroris; sed callida dissimulatio, uti ex litteris ejus constat, quibus amicos monet, se, quidquid istud est correctionis, timori eorum panico & scrupulis concedere, non veritatis necessitati.

Nonne post editam Constitutionem *Unigenitus* omnes ibi damnatos Articulos audacissimè defendit? Agnoscitne saltem vel in uno se ignorantiâ lapsum? Propria hæreticis superbia, atque hinc profluere solita obstinatio, Jansenistas non minùs quàm Lutheranos occupat, aut Calvenistas.

Liber quidem Quesnelli dicitur multum boni tritici continere, quod non decuerit cum zizaniis eradicari. At quàm multis istud quodammodo convenit voluminibus hæreticorum, in quibus multa malis bona mixta sunt, & inter errores plurimi sanæ doctrinæ articuli, atque irrefragabiles fidei veritates? Sed hanc qualemcumque apparentem jacturam facilè Ecclesia compensat, easdem veritates, easdem instructiones securiùs, sanctiùsque proponendo lucubrationibus Catholicis.

Multa pietatem præseferentia docebant Wickleffistæ, teste Waldensi Tom. 1. Doct. 7. *O!* [inquit] *audivi dicere Joannem Castri veteris: nunquam ante istam doctrinam cessavi peccare: quomodo tamen ab istis Wickleffistis tantum addidici? At ego respondi: Væ mibi si tot sanctis, & immaculatis viris, quos quotidiè videmus prædicare, neglectis, etiam Scripturis Sanctis, & ipsius dictis Christi aut postpositis, aut contemptis, nulla mibi gratia est emendare commissum, nisi priùs audiam diabolum prædicantem.* Imò diabolo vera prædicanti, & annuntianti Christum Dei Filium, ab ipso Christo silentium indictum est. Non enim istiusmodi Prædicatoribus Ecclesia eget, aut salus animarum, cui aliundè Divina Providentia, & Salvatoris benignitas minimè deest; sed modo prospicit salubriore.

Redeo ad *Sancta* Jansenianorum *exempla*, quæ Quesnellus memorat *à Deo posita fuisse in suâ Ecclesiâ, ut in eâ essent odor vitæ*; sed luget *mutari quotidiè quoad multos in odorem mortis*, eamque multis deplorandam lachrymis mutationem accidere ex *pervicacia*, *præventione*, *obstinatione*, præcipuè Romanorum Pontificum, atque eis assistentium Ministrorum, qui noluerint, & *nolunt* hodie *aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos*; in reprobandis videlicet *bonis libris, instructionibus & sanctis exemplis*. Quisquis autem præsentis mei operis lectioni se impendere dignatus fuerit, satis deprehendet in superioribus, undè ridiculam Quesnelli hypocrisim de fraude, mendacio, calumniâ multiplici convincat. In Lectoris ego commodum, quoniam Quesnelli impudentia exigit, singula accusationis ejus membra, utroque sequenti capite, collectis speciminibus distinctiùs confutabo.

Interim animadverto in Cornelii à Lapide ad hunc Apostoli locum Commentario, quod:" subinde profani scriptores, *odorit* „ metaphorâ in taxandis moribus utantur: „ Sic Martialis: *Posthumc non benc olet, qui* „ *benè semper olet*; insinuans eum de impudi- „ citiâ esse suspectum, qui peregrino semper „ odore, morbi sui pudendi fœtorem molie- „ batur dissipare." Sit suus illi versui lepos; aliis magis placet, saltem in moralibus cum hac restrictione: *Non benè semper olet, qui benè semper olet*. Quia licèt exterior morum compositio in hypocritis fallat, non tamen desinit etiam in virtute præditis reperiri, & quoddam esse animi rectè dispositi argumentum.

At ubi mala fides aliundè perspectissima est, exterior ea pietatis species, suspecta redditur de fictione veræ contrariâ sanctitati. Exploratissimum enim est & fuit pridem, nequitiam hæreticorum ad decipiendum faciliùs, obtegi non rarò subdolis bonorum operum simulacris. Ideò solicitè monet humani Generis Servator apud Matthæum cap. 7. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt Lupi rapaces.*" Quod (inquit Hierony- „ mus in hunc locum) præcipuè intelligen- „ dum est de hæreticis, qui videntur conti- „ nentiâ, castitate, Jejunio, quasi quâdam „ pietatis se veste circumdare; intrinsecùs „ verò habentes animum venenatum, simpli- „ cium fratrum corda decipiunt." Non ea *Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor*

vitæ

vitæ: verisimilius est posita fuisse à Diabolo, ut in perversionem essent & *mortem* simplicium.

Simile est judiciū Origenis Homiliâ 7. in Ezechielem: *Vide mihi aliquem Marcionistam, sive discipulum Valentis, aut certè cujuslibet hæresis defensorem, & considera, quomodo idola sua, id est, figmenta sua, quæ ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat ... juxta mei quidem animi sensum, multò nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & pius in doctrinâ suâ habet authoritatis, eo, qui doctrinam conversatione commaculat. Idcircò solicitè caveamus hæreticos, qui conversationis optima sunt; quorum fortè vitam non tam Deus, quàm Diabolus instruxit: nam quomodò quasdam illecebras escarum, aucupes proponunt, ut faciliùs aves capiant per oblectamenta gulæ, sic, ut audaciùs dicam, est quædam castitas diaboli, id est decipula humanæ animæ, ut per istiusmodi castitatem, mansuetudinem, & justitiam possit faciliùs capere, & falsis sermonibus irretire.*

Recentior est; sed non minùs congrua animadversio Francisci Simonis de Fraudibus hæreticorum Parte prima Fraude Prima: *Hæreticorum Pater* (Diabolus) *Primâ Ecclesiæ ætate, parum etiamnum peritus spargendarum hæreseon, hoc ferè egerat, ut spurcissimis Gnosticorum aliorumque hæreticorum moribus Ecclesiam commacularet. Factum igitur est denique, ut suâ ipsi turpitudine exosi, atque detestabiles vulgò essent hæretici. Hoc animadvertens ille, nihilo in se melior, speciem mutavit, suscitansque Montanum atque Montanistas, hæresim induxit pudicam, probam, sanctam; si speciem pro re acceperis.*

Dein ex Philastrio de hæresibus cap. 50. & ex Epiphanio hæresi 48. de Montanistis ait: *Jejunia, continentia, Martyria, Ecclesiæ Disciplina, spiritus Sancti charismata ipsis in ore erant præcipuè, atque perplacere videbantur. Ibi damno suo Ecclesia didicit, quantò graviùs metuendi sint hæretici diabolicis virtutibus nitentes, quàm apertis vitiis infames.*

Addo monitum saluberrimum S. Leonis Papæ Serm. 4. in Epiphaniam adversus Manichæam abstinentiam, & similes ejusdem hæreseos virtutes: *Nihil* (inquit) *cum hujusmodi hominibus commune sit cuiquam Christiano: nulla cum talibus habeatur societas ... Neminem fallant discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuumque palloribus. Non sunt casta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ; sed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis, hactenus illuserint imperitis: Post hæc nullus excusabilis erit lapsus.*

Clamitent itaque Quesnelliani, & cum Magistro suo adversus Ecclesiæ summos Præsides expostulent de *sanctis* suis *exemplis*, quasi Deus illa posuerit in Ecclesiâ, ut in eâ essent *odor vitæ*; sed Romanorum Pontificum, sive imperitia, sive malevolentia converterit *in odorem mortis*; nobis sapientissimum semper placebit tanti Pontificis documentum, nihil cum hujusmodi hominibus, quorum nota hæresis est, debere esse Catholicis commune, neque credendum facilè moralium quarumdam ostentationibus virtutum, quarum in novatoribus communiter scopus est circumventio credulorum, ut conciliatâ scilicet authoritate, securiùs novitas suscipiatur, à sanctis adeò Doctoribus prædicata.

Quemadmodum autem Qu. snellus non nisi in genere loquitur, à personis factisque præscindens particularibus, videretur & nobis posse sufficere similis hìc data responsio, qualis minùs etiam obnoxia offensioni est: verùm cùm pariter manifestum sit, intentionem Adversarii esse, ut Ecclesiæ Regimen, & quidem supremum, & præsentis temporis, odiosum reddat, non satis videbitur calumnia confutari, nisi dirutis ejus basibus & fundamentis, quæ ex factis particularibus Quesnelliana ars fingendi & mentiendi exquisitissima excogitavit; vel à domestico acceperit Præceptore Antonio Arnaldo. Quapropter impellentibus nos ad particularia Adversariis, sequendum est saltem quoad facta publica, & quæ, exigentibus subinde circumstantiis, etiam alibi memorata sunt. Prius dispiciendum de prætensis Quesnelli judicio *bonis libris* & contentis ibi *instructionibus*.

CAPUT II.

Disquisitio circa bonos Libros & eorum instructiones, de quibus agere censetur Quesnelliana adversus Ecclesiæ Præsides Expostulatio.

Omnibus in præcipuâ hujus temporis controversia non peregrinis exploratum est, *Bonorum Librorum* nomine, à Quesnello & cæteris earumdem Partium Scriptoribus intelligi in primis Libros Baii & Jansenii, dein reliquos eorum dogmatibus consentientes. Hinc præcipua Novatorum cura est, ut geminos istos Novitatum Artifices, atque eorum volumina non solùm ab erroribus vindicent; sed in Catalogum pariter referant Augustinianorum.

Postquam à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. gravissimis respectivè censuris, etiam hæresios damnati fuerant Articuli 79. & *quæcunque super iis verbo scriptoque emissa*, de

de iisdem & similibus [inquiunt memorati tres Pontifices] *post hac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus: vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.*

Huic Pontificiæ determinationi se submittens Bajus in testimonio manu propriâ subsignato, quod Romam deferendum tradidit Pontificio Concionatori: *Fateor* (inquit) *insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim & ante emanatam Apostolicæ Sedis super iis Censuram conscriptis, & in lucem editis contineri, & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à Sanctâ Sede factæ acquiescere; neque posthac ullas docere, asserere aut defendere velle.*

Audax verò nuper Gerberonius, laudante Quesnello, omnia Baii Opera typis iterum edidit, additis suis contra Pontificium anathema vindiciis, quolibet ad eorumdem librorũ lectionem intrepidè invitans, *Eos* (inquit) *liberè libenterque lege, & quo plus eos legeris, eò pluris facies, & plus in germanâ SS. Patrum, maximè Augustini doctrinâ proficies.*

Sunt enim illi maximè inter *bonos libros*, quos Quesnelli judicio *Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in ea essent odor vitæ; sed quos pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis.*

Quod autem tanti mali causa sit non qualiscumque error Pontificis, ortus forsitan ex ignorantiâ experte peccati; sed intercesserit *præventio, obstinationem* secum trahens & *pervicaciam*, indicat Gerberonius Dialogo 2. Abbatem inter & Jesuitam Pag. 22. *Non adeò miramur* (inquit) *nequitiam eorum, qui Romanam Curiam deceperunt, quàm Pontificis* (Pii V.) *animum adeò flecti nescium, adeò præoccupatum, ut quidquid ei Bajus proponeret omni candore & submissione possibili, non sufficeret ad eum ab errore revocandum. Quod scriptum fuerat, manere scriptum debuit: atque ea videtur esse hodiedum magna Romanæ Cancellariæ Regula.*

Pii V. sanctitas solemnissime definita, quæque in maximâ cunctis Christi Fidelibus veneratione est, satis eum à Jansenianâ vindicat contumeliâ. Quod autem de *magna Cancellariæ Regulâ* Gerberonius comminiscitur, calumnia non minùs patens est, exemplis innumeris & maximè obviis facilè convincenda.

Ignorantissimum enim esse oportet in primis praxeos in Datariâ Apostolicâ juxta Cancellariæ Regulas servari solitæ, ut beneficio excidere declaretur, qui falsis illud allegationibus consecutus est; undè nihil faciliùs æstimatur, quàm Bullas impetrare quæ prioribus beneficia concedentibus derogent, quotiès obreptio vel subreptio demonstratur. Qualis de beneficiis praxis, etiam de officiis cernitur, & causis passim aliis, ad Cancellariam pertinentibus.

Verùm quid definitionibus dogmaticis & causis Fidei cum Tribunali Cancellariæ, ejusque Regulis? Tunc scilicet præclarè ageretur cum Ecclesiâ, tunc salutiferum foret ejus regimen, si quemadmodum particularibus quibusdam accidit Diœcesibus, ut successor Episcopi anterioris statuta abroget, etiam dogmatica, sic Apostolica Sedes circumferri se omni doctrinæ vento sineret, fidem exuens & mutans pro libitu suo, vel alieno, inclinari facilis solicitationibus Novatorum.

Tunc quidem non super Petram; sed super arenam fundata censeretur Ecclesia, neque impossibile portis inferi adversus eam fraudibus prævalere.

Insipida proinde, stulta, & furente schismatico, quàm Religiosi Ordinis Sacerdote, Theologo, & Professore dignior in Apostolicam Sedem contumelia est. Sed talibus nova Ecclesia adversus Romanam opus habet probationibus, ut odiosa reddatur ejus gubernatio, & percusso Pastore diffugiant oves.

Non minùs, quàm ex Bajanorum dogmatum, omniumque pro iis editorum operum damnatione, passa est Christiana Respublica ex Proscriptione voluminis Janseniani, teste Antonio Arnaldo, qui illud contra latam à Pontifice sententiam geminâ non exiguæ molis sustinuit Apologiâ.

Ne verò quemquam offenderet audacia, susceptæ à se operæ rationem Arnaldus reddidit Pag. 92. Apologiæ prioris, quòd *sicut ædificatio Templi reservata à Deo fuerat Salomoni, sic melior elucidatio gratiæ Jansenio.*

Arnaldum præcesserat Pater Quarrè Oratorio Berulliano in Belgio Præpositus, qui illuc ex Galliâ suppetias Jansenio allaturus advenerat. Hic testimonio typis edito suam, suorumque, ut ait, *omnium lætitiam cum muliere Evangelica* innotescere palam voluit, *de inventâ à Jansenio veritatis dragmâ, Philosophorum tricis deperditâ. Eam* (inquit) *toti*

Rei-

Reipublicæ Christianæ gratulamur à Jansenio velut ex inscrutabili propemodum Democriti puteo erutam.

Quantam igitur passa fuerit Ecclesia jacturam, ex deperditâ iterum veritatis dragmâ, neque solùm in Democriti puteum; sed multò profundiùs, ad inferos usque pluriū Pontificū iterato anathemate in perpetuum demersâ? Quæ *præventio, pervicacia, obstinatio,* clamant cum Quesnello & Arnaldo Gerberonius, de Witte, & tota eis adhærentium turba! Clamant, inquam, contra Pontifices, & quidquid assistentium Sedi Apostolicæ Ministrorum est; clamant contra omnes Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Poloniæ, atque alibi existentes Antistites Catholicos, præsertim in Galliâ, ubi, si tres forsitan quatuorve exceperis, nullus est Episcopus, qui libro Jansenii & damnatis in eo dogmatibus anathema dicere paratus non sit, non alio requisito examine, præter illud, quod aliàs apud Sedem Apostolicam, ipso flagitante Regno Christianissimo, factum est, *diligentiâ, quâ major*, ut testatur Alexandri VII. constitutio, *desiderari non posset*.

Nihilominus pro Jansenii volumine & universis ejus dogmatibus vociferantem cum sociis novæ sectatoribus hæreseos cernimus Quesnellum: *Pervicaciâ, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla* &c.

Imo, inquit Jacobus Gilbertius, Famosus Duacensium Cancellarius, periclitabatur graviter Christianorum de gratia fides ex ignorantiâ Alexandri VII., sed bene habet, quod sicut Deus Jansenium, Arnaldo teste, destinaverat obscuratæ à multis seculis doctrinæ de gratiâ salutiferum illustratorem, sic teste Gilbertio Deus Ecclesiæ, seu fidei ejus periclitanti de peritissimo prospexerit medico Arnaldo, ut gratulantem vidimus Duacensem illum Cancellarium in Epistolâ ad eum datâ. *Evangelicam*, inquit, *de Christi gratiâ doctrinam sanavisti à vulnere, quod ei Constitutione suâ Alexander VII. inflixerat, & cujus plaga nondum penitùs obducta est*.

Quomodo igitur tales Theologi cum *bonis adeò libris & instructionibus, à Deo positi in Ecclesiâ non fuerint, ut in eâ essent odor vitæ?* Non unicum istud Arnaldi erga Ecclesiam beneficium est, *doctrinam de gratiâ à gravi vulnere liberasse*, liberavit & totam Ecclesiam ab onere obedientiæ circa libros prohibitos. sic ejus in Belgio Discipulus alteri scribens: *post editam a Domino Arnaldo partem nonam difficultatum* (Steyaertio propositarum) *non ampliùs necesse est petere facultatem legendi libros prohibitos*. De hoc securum reddidit Opstraetium Quesnelli Secretarius Brigode.

Ibi scilicet novæ Ecclesiæ Doctor maximus obligationem hanc collectis undique rationibus, seu frivolis potiùs atque ad schisma ducentibus cavillis impetere non veretur, præsertim pag. 14. *Talis*, inquit, *servitus foret obex non exiguus conversioni hæreticorum. Charitatis igitur est tollere hanc petram scandali, quæ innumera animarum millia à viâ salutis averteret & detineret in schismate*.

Denique pars ea nona, sive ultima *difficultatum* Arnaldicarum tota ex professo opponitur Romanis condemnationibus dogmatum & librorum. Quis igitur dubitet, quin *liber* ille cum suis *instructionibus* judicio Quesnelli inter *bonos* sit imò optimos, *quos Deus in suâ posuerit Ecclesiâ, ut in eâ esset odor vitæ?* Verùm in tribunali Sedis Apostolicæ proscriptus est, expressis in Decreto singulis distinctissimè Partibus.

Eximia libri istius utilitas frustrà inposterum prædicabitur Romanis, quemadmodum liber Jansenii ab Augustini Discipulis velut divina lucubratio, tanto tempore celebratus est, Tribunalis Pontificii *pervicacia*, inquit Quesnellus, *præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum*, quid non misere pervertit in Republicâ Christianâ! *Defensionem Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum contra Melchiorem Leydeckerum* Calvinistam Quesnellus edidit, uti & *defensionem duorum Brevium Innocentii XII. ad Belgii* Austriaci *Episcopos*. Non multo ante etiam Gabriel Gerberon composuerat *Defensionem Romanæ Ecclesiæ adversus calumnias Protestantium*.

Ecce autem tot *defensiones* anno hujus seculi quarto die 11. Martii, uno eodemque Romano diplomate configuntur. Quis inter simplices Jansenianis credulus Sycophantis, non supponeret, *libros* tam *bonos à Deo in Ecclesiâ positos, ut in eâ essent odor vitæ?*

Hinc dolor vehemens, hinc lachrymæ propter *mutationem* à Romanis inductam Sanctionibus, ut in odorem vertantur lethiferum, quæ ad saluberrimum condita videbantur, atque à Deo in cœtu Fidelium collocata.

At cæcam illi existimant Apostolicam Sedem adeò, ut non videat sub inscriptionibus speciosis hæreticam delitescere turpitudinem, & quæ defensionum nomine appellantur, non esse nisi proditorias molitiones; quasi Ro-

Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum authoritas aliter salva esse non possit, nisi Baii, Jansenii eisque adhærentium pestilentissimam hæresim, pro fide Catholicâ amplectatur.

Præcipuus ille, imò unicus videtur fictitiis istiusmodi scopus fuisse defensionibus, ut universus Jansenii, atque adeò Baii sensus anathemati subduceretur incolumis.

Magnifica apparuit Epigraphe libri editi anno 1645. *Authoritas Sanctorum Petri & Pauli residens in Pontifice utriusque Apostoli Successore*: Alterius quoque libri cui titulus erat *Romanæ Ecclesiæ magnitudo stabilita in Sanctorum Petri & Pauli authoritate*.

Utriusque autem operis tota dirigebatur intentio, ut S. Petri authoritas in universæ gubernatione Ecclesiæ non esset Paulinâ superior, proinde neque cæteri Apostoli Petro subditi essent; dein & hodierni succedentes Apostolis Episcopi, fierent Pontificibus quodammodo æquales, relicto ei Primatu non alio, quàm sicut ab Ægidio de Witte, aliàs *Candido* Mechliniæ declaratum est; *Papa non est nisi primus Episcopus, nec illi competit inter Episcopos major Potestas, vel prærogativa, quàm competit Plebano, sive Pastori Sancti Rumoldi respectu aliorum Pastorum Parochialium ejusdem Civitatis, & ea quæ competit primo Scabino Civitatis Gandavensis, sive aliarum Civitatum*.

Prioris utriusque operis, & similis Epistolæ fascinare Apostolicam Sedem non potuit dolosa inscriptio; sed latens hæresis, expositione dilucidâ palàm declarata est & perstricta anathemate.

Ægidii quoque Enuntiatio Censuram non evasit Lovaniensium Doctorum. Partes Ægidii suscepit Gerberonius in *Examine Responsi* Pag. 82. defininiens gloriosam eum *pati persecutionem propter justitiam*.

Gilbertus etiam de Choyseul Episcopus Tornacensis Epistolâ ad Steyaertium Pag. 29. *vestram* (inquit) *facultatem Lovaniensem semper veneratus sum, sed vix temperem, quin istam, quâ scripta Domini de Witte inustasunt Censurâ, minùs justam esse existimem, ne dicam præcipitem. Nihil in scriptis Domini de Witte deprehendi nisi Catholicum; imò sententiam ejus puto ad fidem divinam pertinere, & à Deo reseratam*: sive ut Quesnelli vocibus utamur, *fuisse à Deo positam in Ecclesiâ, ut in eâ esset odor vitæ; sed pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutaverit quoad multos in odorem mortis*.

Dum viveret Episcopus ille, cujus *odoris* in dogmaticis fuerit, non omnibus exploratum est. Mediator pridem esse voluit pacis Jansenianos inter & catholicos ineundæ, quasi fidem inter & hæresim, consilio sapienti via media excogiteretur.

Decretum ab eo tunc Convenensium in Galliâ Episcopo typis editum pro receptione Bullæ Innocentii X. contra quinque hæreticos Jansenii Articulos, Catholicis passim non apparuit *odoris boni*, neque ipsi bene oluit supremo Christi Vicario, utpote qui illud inter plura Jansenistarum opera cum ipso Jansenii volumine arceri ab Ecclesiæ finibus voluit, diplomate anni 1654. 23. Aprilis.

Verùm Arnaldus in Propositis Steyaertio difficultatibus Parte 9. Pag. 48. ridens hanc Pontificis sententiam, *Putasne*, inquit, *benè fundatam fuisse aut ei aliquid deferendum*? Hanc Mediatori suo rependere gratiam Arnaldus voluerit.

Ægriùs tamen tulit Clementis IX. Censuram quâ gravissimè feriuntur *Instructiones Ritualis Aletensis*. Quàm salutiferi illæ *odoris* esse cœperant novæ Promotoribus Ecclesiæ! *Hic liber*, inquit Arnaldus pag. cit. *Continet collectionem omnium, quæ Episcopo illi pijssimo & Sanctissimo zelus suus & conscientia dictaverat maximi momenti esse ad Fidelem SS. Mysteriorum administrationem... Instructiones istæ legi nequeunt quin ubique percipiatur lumen & unctio spiritûs, uti & Ethica tam pura, ut percellere valeat omnes, qui vel rudem obligationis Evangelicæ notitiam consecuti sunt. Quis credidisset, librum ejusmodi condemnari potuisse*?

Ad eam indubiè Quesnellus damnationem respexerit, conquerens in præsenti Articulo de *præventione, pervicaciâ, obstinatione in nolendo examinare, aut agnoscere, se fuisse deceptum*, unde accidat *quotidie quoad multos mutari in odorem mortis, id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ V. G. bonos libros, Instructiones, sancta Exempla* &c.

Vix alius Pontifex est, de quo Jansenianni mitiùs loquantur, quàm de Clemente IX. propterea quod subdolâ obedientiæ simulatione eum sibi conciliasse videbantur in Alexandrinæ contra Jansenium Formulæ subscriptione.

Ideo quoque excusandum Arnaldus statuit eundem Pontificem, quasi Pontificatûs initio & acquisitâ nondum experientiâ, facilè *deceptus fuerit fraudibus hypocritarum & improborum mendaciis; alioquin cavisset sibi ab inferendâ injuriâ Episcopo de Ecclesiâ tam benè merito*.

Opi-

Opinione scilicet Arnaldi *meritum* illius Episcopi prorsus eximium erat, rebellio contra Alexandrum VII. & in retinendo Jansenii sensu scandalosissima obstinatio; ob quam dejiciendus fuerat ab Episcopali Cathedrâ, nisi de instituendi judicii formâ dissidium interve- nisset,

Cujus autem *odoris* in Sedis Apostolicæ Tribunali judicatæ fuerint *Instructiones* illæ *Ritualis Alectensis*, discimus ex Brevi Apostolico ipsiusClementis IX. dato 9. Aprilis 1668. quo declaratur, *Contineri illic non solùm non nulla à Rituali Romano aliena; sed etiam doctrinas quasdam & propositiones falsas, singulares, in praxi periculosas, erroneas, & consuetudini in Ecclesiâ communiter receptæ, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositas, & repugnantes, quarum usu & lectione Christi Fideles in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent.*

Ideo Pontifex eundem librum non solùm damnat, & perpetuò prohibet sub pœnâ Excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ; sed etiam à Sacris Inquisitoribus atque Locorum Ordinariis, ad quos delatus fuerit, jubet nullâ morâ interpositâ comburi,

Nihilominùs Quesnellus seu quisquis ejus socius, est author libri Gallici cui titulus: *Monita sincera ad Fœderatarum in Belgio Provinciarum Catholicos circa Decretum Inquisitionis Romanæ, contra Archiepiscopum Sebastenum Hollandiæ vicarium*, præmittit hanc pro *Ritualis Alectensis Instructionibus* animadversionem; " Si Authores condemnationis sibi persuaserint, eam Sedi Apostolicæ fore honorificam, necesse est miserâ fuisse cæcitate præoccupatos; Quomodò enim nisi stolidè se deludere potuerint adeò ut crederent, nos reverentiam exhibituros Romano Diplomati, quo Sanctissimi Antistitis Rituale flammis infamibus addicitur absque ratione ullâ; sed solo adversus Authorem Spiritu vindictæ?

„ Nihil adeò Fideles ædificat; quàm tanta in Apostolico Antistite demissio animi; nihil offendit magis, quàm tanta Romanæ Curiæ pertinacia, in negando altero ejusdem libri examine. Ut potuissent Romani Politicæ suæ effectum optatum consequi, obcæcare debuerant universos, quibus aliquid luminis est, ne Censores illos perspicerent esse de injustitiâ convictos.

„ Memoria Alectensis Episcopi semper in benedictione erit, nequidquam obstantibus istiusmodi Censuris, quibus sancti gloriantur, quemadmodum Cruce & stigmatibus Christi gloriatur Apostolus, „ Huc usque *Monitorum* Præfatio, cujus memoratam audaciam Quesnellus postea instauravit in editis à se *Dialogis* contra novi Testamenti Gallici, vulgò *Catalaunensis cum observationibus Moralibus* condemnationem.

Sic ibi pag. 10. Quesnellus interrogat; " Visne tertium exemplum Decreti Romani quod non justitiæ ratio, sed vindictæ spiritus dictavit? Nosti Rituale Alectense; nullum hactenus opus extitit perfectum, adeò in suo genere,

„ Pag. 11, Decretum illud furor peperit.„

Non hic locus est singula Jansenianis infesta voluminibus Decreta vindicandi; quandonam enim aliàs propugnatio præsens terminabitur? Verùm hoc expedito opere, si Janseniana temeritas in vellicandis Romanorum Pontificum sive adversus dogmata, sive adversus volumina definitionibus perrexerit, non deerit, qui respondeat.

Interim ex allegatis redditur extra dubium, quin Quesnellus inter *bonos libros, & instructiones quas Deus in suâ posuerit Ecclesiâ ut in eâ essent odor vitæ*, intelligi à Lectoribus voluerit *Alectense* cum *Instrutionibus Rituale*,

Non minùs perspicuum est, eò accedere *vindicias disciplinæ quæ observatur in Senonensium Diœcesi circa impositionem publicæ Pœnitentiæ pro peccatis publicis*, Deficiente Arnaldo in *Propositis* Steyaertio Difficultatibus Par. 9. Pag. 68. "Prohibitionem hujus voluminis approbari minimè posse; sed quoad omnes suas circumstantias esse injustam. „ Rationem Arnaldus exhibuerat generalem pag. 61"Quantumlibet parum(inquiebat) boni sensûs & intellectûs cuipiam sit, legere is librum illum non potest, quin dignum censeat omnibus Elogiis, quibus eum Approbatores Illustrissimi condecorarunt.„

Libri illius novitas non paucis dogmatum morumque veterum amantibus in Galliâ offensioni dicitur fuisse & scandalo, à quibus Sedi Apostolicæ denuntiatus, atque ab hac subditus examini, sententiam retulit damnationis. Quod autem Romanis Censoribus atque universis Pontifici adhærentibus Episcopis nihil sani Judicii sit, nihil boni intellectûs, nota pridem hæreticorum sibi fere solis omnem tribuentium sapientiam insanissima præsumptio est,

Momordit non minùs acritèr Novatores editorum à se condemnatio Catechismorum; cum enim ætas provectior a puerorum plurimum pendeat institutione, non exigua semper fuit novæ Ecclesiæ solicitudo, ut nova procuderentur Doctrinæ Christianæ compendia, veluti rudimenta, quibus ætas tenera im-

imbueretur Doctrinâ Bajo & Jansenio consonâ.

Inter illa famosissimus fuit *Cathechismus de Gratiâ* Gallicè primùm editus, dein Belgicè, iteratis toties typis ut describere numerum non sit facilè. Prohibitus Romæ fuit anno 1650. die 6. Octobris tanquam *continens quam plures sententias, alias per Fel, Record. Pium V. Gregorium XIII. Urbanum VIII. damnatas*. Verùm quid est, cui Jansenistarum industria, & religio admirabilis haud noverit obviare? Mutavere titulum & pro *Catechismo de gratiâ* posuere *Elucidationes circa difficultates aliquas de gratiâ, cum responso solido ad quædam Vulgi dubia circa doctrinam de Gratiâ & prædestinatione*. Quis liber adeò pestilens est, quem tali modo facilè non sit ab anathemate liberare? Sola scilicet immutanda est inscriptio, Horrorem ab omni quod minimam præferat speciem laxitatis, ostendere gestiunt iidem Theologi adeò, ut juxta ipsos *non liceat sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Rigor iste meritò displicuit Alexandro VIII. atque ab eo inter Articulos 31. erroneos, hæreticos, & aliis respectivè censuris graviter notatos eliminatus ab Ecclesiâ est. Verùm nullus mihi labitur dies, quo Jansenianis incumbo refutandis novitatibus, quin vehemens me incessat identidem admiratio, quomodo scriptores istiusmodi non pudeat, inanibus affectare vocibus rigorem, dum in negotio fidei gravissimo & præstanda Christi Vicario obedientia convincuntur dissolutissimi. Unde cuilibet novitatum pulvere non obcæcato conjectura apparet haud temeraria, tales solis labiis & calamis mendacibus non minùs religionem fingere, quàm pietatem, reverà practicè Libertinos. Quin Catechismus ille *positus à Deo in Ecclesiâ fuerit, ut in eâ esset oder vita*, non dubitat Gerberon in Historiâ Jansenismi Tomo. 1. Pag. 380. *Parvus hic* (inquit) de Gratiâ *Catechismus à Jansenianis compositus, continet compendio præcipuas de Gratiâ veritates juxta mentem S. Augustini*.

Pag. 381. *Explicat eas nitore maximo*.

Pag. 334. *Ex condemnatione hujus Catechismi compositi à discipulo S. Augustini evidens fit, quàm parum illo tempore Romanis Theologis nota fuerit doctrina S. Augustini*.

Ex primâ & tertiâ Gerberonii sententia patet, *Jansenistas & Augustini discipulos* ab eo pro synonimis haberi. De Catechismo autē illo judicium reperio sapientius exhibitum Archiduci Leopoldo, cùm hic Belgium pro Rege Hispaniæ gubernaret eodem tempore, quo Catechismus ille recenter à Sede Apostolicâ prohibitus, à Jansenianis quasi in vituperium censuræ, studiosiùs propagabatur, & defendebatur ardentiùs.

Sic igitur vir doctissimus, qui Archiduci à Consiliis erat, de hoc Cathechismo: *Liber* (inquit) *mole exiguus est, sed talis, ut existimem Jansenianis per eum gravius inflictum fuisse vulnus, quàm per aliud quodcunque sit adversantium hactenùs volumen. Ex illo enim colligitur, sententiam Jansenii de gratiâ, libero arbitrio, & cæteris annexis, esse puram putam Calvini, approbatam in Synodo Dordracenâ*.

Hinc Calvinistarum gratulatio, quasi peritior ac sanior Ecclesiæ pars sibi cœperit consentire. Quàm benè Catechismus idem oleat Calvinianis, duorum illud testimonio discimus, non vulgarium inter ejusdem hæreseos Professores; Leydeckeri scilicet & Maresii.

Ita prior in Thesi 56. *Libellus sanè lectu dignissimus est, ut qui medullam Janseniani voluminis continet, & retundit felicissimè omnes Jesuitarum contra gratiam calumnias. Replevit hic latè statim Christianum ferè Orbem, multosque à Jesuitis aversos, Jansenii fide imbuit; quorum simul aperuit oculos, ut viderent injustas Pontificum iras, vanasque Bullas, quibus imperio, non ratione doctrina de Gratiâ, quæ conscientiam urget, premebatur*, Ita Melchior Leydeckerus Ultrajectensium Doctor, Præcesserat dudum Samuel Maresius Groeninganus, qui in Catechismo illo odorem percipiens Calvinismi fragrantissimum, adeò se ad ejus sensit allici amorem, ut novis eum typis edi curaverit, notis convenientibus illustratum.

In Epistolâ Dedicatoriâ sic amicum alloquitur, *Cùm nuper essem apud te, ostendebas mihi Catechismum de gratiâ Jansenistarum, quem Lutetiâ attuleras, & mirabaris meritò rem eò devenisse in Communione Romanâ, ut pluribus nunc inciperet arridere illa gratiæ salutaris doctrina, quæ olim tam diras Persecutiones in Protestantibus Reformatis passa fuerat.., vel hinc liquebit, celebria illa quinque capita de Prædestinatione, Redemptione per Christum, libero arbitrio, conversione Peccatorum, & perseverantiâ Sanctorum, quæ contra Remonstrantium strophas vindicavit, asseruit, explicavit ex Dei verbo celeberrima Synodus Nationalis Dordracena, ante annos triginta duos præterpropter celebrata: & in quibus omnibus nobis consonos habemus doctissimos Jansenistas, adversantibus, & ringentibus Jesuitis*.

Inter vicinos Belgio nostro Catholico Calvinistas cum liber Jansenii lucem aspiceret, celebres habebantur Gisbertus Voetsius, Jacobus Friglandius, & Hugo Grotius. Quorum

rum primus etsi cum vivente aliàs Jansenio & Liberto Fromondo scriptis contenderat, opus tamen Jansenii Posthumum tanquam odoris optimi complexus est,

Friglandius dignum censuit quod in linguam vernaculam translatum, omnium manibus tereretur. Grotius ex eodem volumine spem concipiebat non exiguam, conciliandæ suos inter & Pontificios unionis.

Paulus Calonus Prædicans Leerdamensis, propè quod oppidum Pagus Acquoya, Jansenii Patria est, ex sola quæ Calvinianos inter percrebuerat, famâ de Jansenii opere perquam magnificâ, antequam illud oculis lustrare licuisset, suum de eo gaudium testatus est literis Acquoyam ad Jansenii fratrem datis; " Continet [inquiebat] liber hic defensionem unius ex præcipuis Religionis verè Christianæ articulis sub nomine Sancti Patris Augustini, istud ipsum dogma est, quod apud nos constanter traditur & prædicatur: pro cujus defensione dilectissimus frater tuus testatur, se multa Lovanii sustinuisse prælia, multa indigna perpessum: atque ecce jam inde à Pontificio apud Bruxellenses Nuntio, Jesuitarum artibus concitato, liber idem proscriptus est. Gratias ago Deo, & agam publicè, pro tam propitio lumine, quo Fratris tui intellectum illustrare dignatus est,

" Laudem meretur Frater tuus singularem, quem prædicare nunquam desinam, Deum precatus, ut parem erga te, ac tuos omnes misericordiam exerceat, ut non in illo puncto tantùm Fratrem imiteris; sed humanam omnem contaminationem, & falsam religionis larvam abjiciens, ad antiquam Catholicam Apostolicam Romanam fidem, quæ Acquoyæ publicè prædicatur, & à Celsissimo Principe [Auriaco] & Provinciarum Magistratibus contra adversariorum nostrorum vim defenditur, propediem revertaris,

" Mox ubi Fratris tui librum nactus fuero, ad gregis mei ædificationem illo, ut par est, utar. "

Tam bonus odor Janseniani voluminis naribus hæreticorum; etiam diffitis fuit: mox autem ut è typographiæ tenebris prodiens, liberiore cœpit frui aëre, efflavit fœtorem Catholicis intolerabilem. Quapropter ab his passim creditum est, non à Deo poni illud in Ecclesiâ ut in eâ esset odor vitæ; sed à Dei & humani generis hoste ad Ecclesiæ luctum & animorum perniciem ex inferis suscitatum.

Ne autem ullo Episcoporum studio, ullis Apostolicæ Sedis Definitionibus aut censuris, impediri ullo tempore posset, quin mephytis pestifera latiùs diffunderetur, procuravit stygius fraudis & hæreseos artifex, ut Jansenii doctrina innumeris quaquaversum distraheretur operibus, quæ destruere, aut supprimere universa, nunquam foret in Catholicorum Antistitum, Inquisitorum, aut summorum etiam Pontificum potestate. Ingentem Catalogum texuit & proscripsit Urbani VIII. Constitutio *in Eminenti*; alterum junxit Innocentius X, alterum etiam Alexander VII, & secuti postea Romani Pontifices, præsertim Clemens XI. Sed longè plura supersunt Janseniano imbuta toxico opera, quæ nullo Diplomate referuntur prohibita; nisi quod sententiis generalibus contra Baii, Jansenii, Quesnelli continentia errores, volumina quælibet feriantur. Cavillationibus etiam adversus quodcunque Ecclesiæ judicium nova Secta abundat, quales vix ulli antea hæresi legitur innotuisse. Obstinatio denique, temeritas, impudentia Jansenistarum tanta est hoc tempore, ut eorum ad meliorem frugem reductio desperanda Ecclesiæ videatur, nisi hujus conatibus potentia Principum brachio subveniat robustiore,

Prosequamur in examine *librorum* adhuc aliquot, quos Qusnelli Propositio indicari voluit tanquam *bonos atque à Deo positos in Ecclesiâ ut in eâ essent odor vitæ; sed quos pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis,*

Divinatione expositâ erroris periculo hic mihi opus non est, ut inter illos esse censeam librum editum à P. Ægidio Gabrielis hoc titulo: *Specimina Moralis Christianæ & Diabolicæ*, Author hic Arnaldo devotissimus fuit, eique vicissim charus admodum discipulus, & Cliens: liber quoque, ut præter alias novitates, compendium quoddam continet Arnaldini operis de *Frequenti*, id est rarissimâ, *Communione*, non potuit non Arnaldo, Quesnello, Walonio curæ esse ut eum defenderent; cui ne quid deesset, Author ipse è Belgio Romam excurrit,

Non defuere ei quoque acres in Belgio adversarii, inter quos Illustrissimus Fierland Brabantiæ Cancellarius, publicorum licèt obrutus multitudine negotiorum, famâ tamen exotici operis ad lectionem ejus excitatus, lectione adeò in ejus exarsit illicò iniquitatem, ut erudito typis edito volumine Accusatorem se *Moralis* istius prætensæ *Christianæ & Diabolicæ*, Tribunali Apostolico declararit, undè & egregiam laudem humanissimis literis, & accusati operis iteratam retulit condemnationem.

Ni-

Nihil quidem studii Pater Ægidius, nihil Walonius, & quidquid in Urbe erat Arnaldinarum Partium, prætermisere, ut tanti pencs suos pretii librum subducerent damnationi. Unde non parum occupationis & molestiæ datum S. Officio. Tandem autem operoso examine terminato, confixus est. Postea tamen in pluribus correctus, novis in lucem typis prodit; sed cum emendatio apparuerit minimè sufficiens, denuntiatus iterum Sedi Apostolicæ fuit, iterum proscriptus.

Ideo locum hic habere non potuit, etsi Quesnellus indubiè voluerit, quod præsens ejus asserit Articulus: *pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit ut in eâ esset odor vitæ v.g. libros bonos.*

Audienda hìc modo nobis est Arnaldi adversus illam Tribunalis Apostolici sententiam indignatio; ex qua Theologi istius affectata modestia, ac religio, illustri novo specimine dignoscatur. Sic literis Romam ad Walonium datis 2. Januarii 1681. *Si rumor, quem a diebus aliquot Monachi spargunt, verus sit, quod justificatio Parochorum pro suis septem punctis* (quæ imponere omnibus voluerant, ut credenda explicitè, & necessariò necessitate medii) *& liber Patris Gabrielis subjerint condemnationem, nonne prudentissimè agunt Galli, retinendo possessionem, in quâ sunt, istiusmodi censuris nihil penitus deferendi? Quod enim etiam sub Pontifice tam Sancto fit, videtur spem omnem adimere de adhibendâ majore imposterum circumspectione.*

Arnaldus iterum 16. Aprilis 1683. ad eumdem. *Quocumque me verto, nihil apparet usquiam nisi materia & causa multiplex lamentorum: in quorum numero est quod scribis de opere Patris Gabrielis. Et adhuc velles ut nos cura angeret de libro cui titulus* CAUSA JANSENIANA, *ne forsitan vel propter inscriptionem à Censoribus reprobetur? Crede mihi, Romana illa judicia pro nihilo habeo: Quid enim facias istiusmodi Censoribus, quibus animus est, quascumque proscribere veritates, propter solum, quod ab ipsis fingitur Bajanismi aut Jansenismi periculum. Idola ista sunt, quibus omnia oporteat immolari, aut potiùs idolum ipsis est sua gloria;*

Hactenus Arnaldus, cujus hic literis certiores reddimur, quòd à Præceptore suo Domestico Quesnellus didicerit inter cætera, gloriationem absurdissimam quam anno 1691 scripsit in Epistolâ sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* Pag. 18. *Habemus nos hoc singulare quo nobis bene est, quodque semper retinebimus; quod simus in possessione, eodem semper prosequendi tramite, quidquid à Romanis Censoribus opponatur, vel Decretum qualecumque ab hoc emanaverit Tribunali.* Quis hæreticus aut Schismaticus tantumdem non enuntiet? Cui autem probè Catholico talis Quesnelli *Instructio* videbitur inter illas *quas Deus* in suâ posuerit Ecclesiâ, ut in eâ esset odor vitæ?

Præ libris cæteris, saltem post volumen Jansenii, videtur in nova Ecclesia haberi authoritatis maximæ *Diurnum Sanctamorei*, utpote, quo veluti quinto Jansenistarum Evangelio nituntur pleraque, quæ jactare solent, Sedi Apostolicæ & institutis ab eâ contra Jansenii doctrinam examinibus odiosa. Vix minùs perniciosus est liber alius specioso editus titulo, tanquam *Manuale Catholicorum authore Aletophilo Charitopolitano.*

Uterque liber non solùm Romæ sed etiam in Galliis odorem exhalare mortiferum judicatus est: Contra utrumque a Rege Christianissimo in suo intimo Senatu seu Consilio Statûs lata est sententia die 4. Januarii 1664. ut sequitur: " Cùm libri ambo jussu suæ Majestatis examinati fuerint à pluribus & Primariis Episcopis ac Doctoribus, atque ab iis deprehensi inter cætera instaurare apertè hæresim Jansenii, authores & defensores ejusdem sectæ magnopere laudare, scriptores verò contrarios deprimere, Decreta Pontificia, Pontifices ipsos, Cardinales, Episcopos, Doctores, Religiosos excipere contemptu & impudentiâ non tolerandâ: Denique authoritatem Ecclesiæ libris istis adeò lædi, ut mereantur supplicium legibus contra libros hæreticos constitutum: illud utrique per præsentes Rex decernit: videlicet ut in loco suppliciis destinato, publicè manu Carnificis lacerentur & igne consumantur. „

Nihilominùs Gerberon in nupera *Generali Historiâ Jansenismi* Tomo.2. Pag.88. vocat *pulchrum opus illud Diurnum Sanctamorei, quod*, (inquit) *relatum est in Indicem librorum prohibitorum, quia res quæ ibi narrantur, non sunt Romanis honorificæ.* Similis nænia est Ægidii de Witte in *Panegyreos Jansenianæ* Apologiâ 2. Pag.24.

Verissima ratio fuit, quæ in Sententiâ Regis Christianissimi jam relatâ exprimitur. Non mitius Judicium de *Montaltii Epistolis* vulgò *Provincialibus* anno 1660. die 7. septembris datum fuit ab Episcopis & Doctoribus ad earum examen à Christianissimo deputatis: judicatæ scilicet fuerunt, *Jansenianas hæreses ab Ecclesiâ damnatas defendere: insuper maledicentiam & petulantiam tribus illis autho-*

authoribus (Ludovico Montaltio, Wilhelmo Wendrockio, & Paulo Irenæo) *adeò esse familiares, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Jansenistis, non Pontifici, non Episcopis, non Regi, non præcipuis Regni Administris, non Sacræ Facultati Parisiensi, non Religiosis Familiis, ideoque libros esse dignos pœnâ Libellis famosis & hæreticis à jure constitutâ*.

Libri illi tres singulari sæpè numero efferuntur; quia *Notæ Wendrockii & Irenæi Disquisitiones*, Montaltiani operis veluti Appendices sunt, & uno simul volumine compinguntur.

Episcoporum & Theologorum sententiam Confirmavit Rex cum consilio status die 23. Septembris 1660. jubens librum manu Carnificis publicè comburi, sub pœnis simul gravissimis omnem ejus prohibens distractionem. Præcesserat similis Sententia Senatûs Regii Aquensis anno 1657. die 9. Septembris. Eodem anno nonnisi triduo ante Alexender VII. Easdem Montaltii Epistolas, distinctè singulas exprimens damnaverat ac prohibuerat sub pœnis & Censuris in Tridentino Concilio & librorum prohibitorum Indice constitutis. Prohibitio hæc cum additione pœnarum afficit universos, *etiam speciali, seu specialissimâ notâ dignos*.

Nihilominus Arnaldus in propositis Steyaertio Difficultatibus Parte 9. Pag. 41. asserit quod in Conclavi quo Innocentius XII. electus est; Epistolæ eædem à quibusdam Eminentissimis lectæ fuerint & plurimùm probatæ, mendacissimi scilicet testimonio Walonii. Ab eo indubiè confirmatus fuerit Quesnellus tunc Arnaldo cohabitans, ut Epistolas illas, quæ in Conclavi meliores Cellulas gratissimo perfuderint odore, in numero collocaret librorum, *quos in suâ Deus posuit Ecclesiâ, ut in eâ essent odor vitæ; sed pertinacia, præventio, obstinatio in nolendo aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis*.

Quid magis *odorem vitæ* à se diffundere supponendum est, quàm *Speculum Pietatis Christianæ*? Istud Gerberonius magno studio composuit sub nomine *Flori à Sanctâ Fide*: verùm Apostolica Sedes condemnavit & plures Galliæ Episcopi: Inter hos Gratianopolitanus, Cardinalis Grimaldi Archiepiscopus Aquensis, & le Tellier Archiepiscopus Remensis: Senatus Regius Aquensis etiam flammis tradidit. Verùm talibus non flectitur cervix dura Gerberonii, quin plures audacissimas pro eodem opere edidit Apologias, inter quas est *speculum sine maculâ*.

Invehitur præcipuè in Eminentissimum Aquensem Archiepiscopum, & Regium ibidem Senatum, à quibus liber ille Gerberonii tanquam hæreticus proscribitur, & à Senatu quidem, ut jam monui, addicitur incendio. Sic *Epistolâ Theologi* [Gerberonii] *ad Dominum NN. de Censurâ Cardinalis Grimaldi Archiepiscopi Aquensis & Senatûs Provinciæ* dicitur Pag. 26. " Archiepiscopus declarat, se *doctrinam speculi* proscribere tanquam *falsam, temerariam, scandalosam, & hæreticam*; quia *resuscitat Propositiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatas*. Nihil evidentiùs poterat Decretum vestrum de injustitiâ convincere & nullitate. Suppositionis enim illius falsitate nihil est manifestius."

Pag. 36." Decretum vestrum obstringere Fideles non potest, utpotè cassum & irritum."

Pag. 37." Sententia, quam Regius Provinciæ Senatus tulit adversus *speculum Christianæ pietatis*, & Gallicam Novi Testamenti Montibus Hannoniæ editam versionem, effectus est zeli præposteri, & passionis eorum, qui dogmata sua falsa & perniciosa stabilire nequeunt; nisi impugnando Evangelicam veritatem. Cardinalis nihil condemnat nisi Jesum Christum; sententiam Archiepiscopi Senatus Regius confirmat; sed qui Dei Filium temporali addicunt incendio, non metuunt sibi imminens sempiternum?" Idem in *speculo sine maculâ* anno 1680. sic lacessebat Episcopum Gratianopolitanum pag. 180. " Ne tibi persuadeas *speculum Christianæ pietatis*, rejici velut opus Diabolicum; quia dicis pœnam subiisse incendii, quam Dæmones patiuntur; quin potiùs præcipua operis gloria est, subire sortem quæ libris obvenit illustrioribus, atque ab ipso Dei spiritu dictatis."

Ne quidem Archiepiscopus Remensis, aliàs Novatoribus charus, quoties ageret quidpiam Religiosis Mendicantibus, Jesuitis præcipuè odiosum, Gerberonii tamen hic maledicentiam effugere potuit, quin in anonymâ ejus Epistolâ atrociter vapularet. Pag. 5. " Hinc omnes colligent Archiepiscopum Remensem esse illum superbiâ inflatum de quo loquitur Apostolus: Doctorem illum, qui nihil habet de Scientiâ Sanctorum, & possessum ab illa spiritus nequissimi Infirmitate, ex quâ nascuntur invidia, contumeliæ, suspiciones malæ, contentiones perniciosæ."

Universi itaque Ecclesiæ ordines, examine peracto; quantumlibet diligenti, Judicent *speculum* illud *Christianæ pietatis*, ipso suo

suo titulo insigniter mendax, cloacam esse scatentem erroribus, plurium quoque sententiâ hæreticis, nihilominùs juxta Gerberonium & Quesnellum necesse fuerit, illud *bonorum librorum* adscribere numero, quos *in suâ Deus posuit Ecclesiâ, ut in eâ essent odor vitæ*; sed quos *in odorem mortis* sola mutaverit Judicum *pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos*.

Fidei expositio inter Gerberoniana opera præcipuo in pretio est authori ejusque Sectatoribus. Displicuit autem vehementer Catholicis, præsertim Apostolicæ Sedi, quæ illam anno 1697. die 8. Maii prohibuit & condemnavit. Romanam Sententiam prævenerat Noaillius Archiepiscopus Parisiensis diplomate anni 1696. die 20. Augusti sic enuntians: " curavimus diligenter examinari, & „ nos ipsi multo tempore examinavimus librum istum, in quo facile nobis fuit totius „ Jansenismi deprehendere venenum. Prima „ Propositio, quæ cæterarum veluti radix, „ atque fundamentum est, legitur ibi expressa tanquam dogma fidei: *justis cadentibus negata fuit gratia sine quâ nihil possumus*.

„ Non necesse est Propositiones alias, quas „ author eidem inspergit operi, discutere, uti „ neque abusum Augustiniani nominis aliorumque Doctorum. Nos inhærentes Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri „ VII. post maturam deliberationem, invocato Dei nomine condemnamus librum, „ cui titulus est: *Expositio Fidei circa Gratiam & Prædestinationem impressa Montibus apud Gasparem Migeot*, tanquam continentem Propositiones respectivè falsas, „ temerarias, scandalosas, impias, blasphemas, Deo contumeliosas, derogantes ejus „ bonitati, percussas anathemate, & hæreticas, denique renovantes doctrinam quinque Propositionum Jansenii, temeritate „ tanto magis intolerabili, quod author proponere audeat velut Dogma fidei id quod „ non solummodo Fidei non est; sed etiam „ quod Fides maximè horret & universa „ detestatur Ecclesia... Libri verò Lectionem sub pœnâ excommunicationis & aliis „ in jure expressis interdicimus ac prohibemus. „

Hac sententiâ latâ à tali Præsule, quem sibi magis propitium novi Theologi crediderant, commoti non parùm; sed minimè conversi sunt; quin potiùs conceptâ rabie acerbissimis in eum scriptionibus involarunt; Quesnellus in primis è cujus opere tres solùm titulos refero, unde de contento reliquo conjectura fiet non difficilis, *Edictum Parisiense per se ipsum de errore primæ Propositionis convictum. Jansenius, Arnaldus & Author Expositionis confixæ, per ipsum Edictum, quo configuntur, absoluti. Ad Archiepiscopi Parisiensis Edictum 20. Augusti 1696. datum Quæstiones non otiosæ.*

Postea sæpè Quesnellum conquerentem vidimus de culpa illo anno ab Archiepiscopo incursâ admodum gravi, nec facilè diluendâ. Interim iu authore *Expositionis*, qui quidem neque in libro, neque iu Censurâ exprimitur, sed tamen noscitur esse Gerberonius, perstringi etiam se Quesnellus ignorare non poterat, uti & Arnaldum & Jansenium eum novâ Ecclesia feriri pariter universâ.

Cùm autem Gerberonium præ cæteris Censura afficiat, est cur præ cæteris loquentem audiamus. *Instructio* ejus *circa Gratiam* Pag. 369. sic Archiepiscopum aggreditur: " Peccat contra præcipuas Episcopalis muneris partes, quisquis condemnat librum „ quo *Expositio Fidei Ecclesiæ* fidelissimè continetur. Ejusmodi librum impulsu eorum „ qui religionem Archiepiscopi & justitiam „ circumvenerunt, iniquissimè damnavit. „ Quænam enim in *Expositione Fidei*, Propositio ostendi poterit, quæ Augustini „ doctrinæ non consentiat? Ab illo Sancto „ Doctorum Maximo fidem Ecclesiæ discere „ jubet nos Apostolica Sedes. Supponit autem Archiepiscopus tanquam verum, quod „ mera calumnia est, ab adversariis ante annos plusquam 50. ad destruationem Augustinianæ authoritatis & doctrinæ subdolè „ excogitata: quia dejicere aliter non poterant Augustinum (Jansenii) Episcopi nostro seculo præstantissimi; verùm egregii „ Christianæ gratiæ defensores calumniam „ pridem subruerunt. „

Pag. 374. " pessimè de Archiepiscopo „ meriti sunt, qui eum induxerunt, ut quinque Propositiones ex Jansenii libro excerptas fuisse assereret, postquam mendacium „ istud convictum fuit clariùs, quam sol „ luceat meridie. „

Pag. 377. " Provocamus quemlibet, ut „ ostendat, in quo *Expositionis Fidei* author aut quispiam aliorum, qui Jansenistæ „ appellantur, aut Jansenius ipse tradiderit „ doctrinam ab Innocentio X. & Alexandro „ VII. condemnatam. Certi sumus neminem „ id ostensurum unquam. „

Pag. 380. " Prodigium esset prorsus singulare resuscitari aliquid, quod nunquam „ extitit. Quamvis itaque verum foret, „ quod est falsissimum, contineri hæresim „ *Expositione Fidei* ab Archiepiscopo con- „ dem-

„ demnatâ, non tamen foret hæresis renascens vel resuscitata; quandoquidem illa quam Archiepiscopus renatam se conspicere existimat, nunquam fuerit nisi phantasma, defensa enim à nemine, semper ab omnibus rejecta est, & reprobata. „

Pag. 391. " Hæc Propositio *Petro dum lapsus est, defuit gratia sine quâ nihil possumus*, est Catholicissima; cujus sensum, si uti oportuit, Archiepiscopus intellexisset, Propositionis se constituisset vindicem potiùs quàm damnatorem: vidisset pariter *Expositionem Fidei* libro illo traditam non tam authori operis tribuendam, quàm Sanctis Patribus, Augustino præcipuè & Chrysostomo, ac dein Arnaldo, cujus sonos reddunt cæteri gratiæ defensores, ut ejus Echo rectissimè appellentur. „

Hactenus Gerberonius, qui si non Augustini & Chrysostomi, saltem Arnaldi *Echo* agnoscitur; cujus in hoc Articulo doctrinam Sorbona anno 1656. die ultimâ Januarii in Comitiis generalibus censuit & declaravit esse *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam*.

Quod autem de Augustino & Chrysostomo tam confidenter à Gerberonio asseritur, putidum inter cætera mendacium est, quod pridem Arnaldus contra Sorbonicos suos judices commentus fuerat; sed adeò ipsi non profuit, quin Facultas Theologica ex Albo Doctorum atque à Corpore suo expunctum eundem resectumque perpetuò declaravit, edito etiam tunc Decreto, quod nuper vidimus confirmatum, ne quis impositerum ad ullum admittatur gradum Academicum; nisi prius Censuræ adversus Arnaldum subscripserit.

Subscripsit Eminen. Noallius antequam Doctoris laureâ donaretur. Quid igitur miri, quod Fidei à se datæ memor, Gerberonianum hunc Articulum, qui idem cum Arnaldico est, proscripserit? De subreptitiâ ab eo datâ Quesnelliano operi, eumdem continenti Articulum approbatione, egi quantum sufficit Tomo primo ubi secunda Propositio impugata est: contra quam repeto brevissimè, eam neque ab Augustino, neque à Chrysostomo verbis traditam aut sensu.

Memori autem mente retinendum semper est monitum aureum Vincentii Lirinensis Commonitorii cap. 11. de Novatoribus, *qui cum sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta, paulò involutiùs edita, quæ pro ipsâ sui obscuritate dogmati suo quasi congruunt, ut illud nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.*

S. Anselmus libro de Sacramento Altaris scribens contra Berengarium hæreticum quibusdam Augustini locutionibus abutentem, capiti 13. hunc titulum præfigit: *In legendis Patrum scriptis opus esse multâ vigilantiâ, hæreticorumque impugnationibus inexpugnabilem stare fidem nostram*: Tum in contextu capitis." Considerare (inquit) libet attentiùs, cur super hac re, in SS. Patrum tractatibus reperiantur sententiæ tam dubiæ, tam scrupulosæ, & quæ etiam sibi invicem contrariæ videntur, ut non solùm qui contendendi intentione illas congregant, materiam in iis inveniant errandi; sed etiam qui ex iis velint adstruere Catholicam Fidem, non facilè queant se inde expedire.

„ *Oportet* (Inquit Apostolus) *hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant*: quod in hoc evidentissimè comprobatur... Quia ab initio Sanctæ Ecclesiæ usque ad nostra penè tempora, hæc ab hominibus Quæstio (de Sacramento Sanctissimo) intacta relicta est: Sancti Patres quod non impugnabatur, non defendebant; nisi quod aliquando in Tractatibus suis hoc unum proferebant, quod res postulabat, & habebatur in manibus. Quod, quia Quæstionibus non respondebant, quæ nondum erant, parùm modò sufficere videtur ad eas, cum exurgunt, compescendas: contra quas quia tunc non vigilabat eorum intentio, plurima de Sacramentis (& quibusdam aliis) in scripturis suis reliquerunt, quæ loco suo, suo sensu bene dicta, ab iis qui contendere, vel errare amant, cruta de locis, per se videntur aliud sonare quàm sonent, undè assumpta sunt, quæ benè dicta; sed obscuriùs, ut ab iis, qui ut homines venturas omnes errorum calumnias non poterant prævidere, malè intellecta, materiam errandi, vel contendendi perditis videantur præstare. Quæ Beato Augustino in multis accidisse non ignorant, qui librorum ejus lectionem familiarem habent.

„ Antequam enim Pelagiana hæresis exurgeret, in libris, quos jam ediderat, non pauca posuit, quę exurgens exinde illa hæresis sic sumpsit ad patrocinium erroris, ut etiam paria secum sentire jactaret virum per omnia Catholicum. Undè illi necessitas imposita est, plures postea libros contra pestem illam edere, & confiteri crebrò, bene dicta sua, ad vitandum tamen pravum legentium intellectum, aliter quàm dixerat, debuisse se dixisse... Sed qui errare vult, vel errorem docere, nihil est tam benè dictum, quod non possit pravo intellectu depravare. „

Constitutio Theol. propugn. Tom. IV.

Huc usque S. Anselmus, qui sapientissimum suum monitum ad posteros transmitti voluit, ut omnibus prodesset.

In Pelagianis autem insigniter depingit indolem Jansenistarum, qui licèt prioribus penès dogmata opponantur, quoad artes tamen & fallacias conjunctissimi sunt tanquam Discipuli Magistris.

Observavit illud pridem Clerus Galliæ in Comitiis Generalibus scribens Alexandro VII. de cavillationibus Jansenistarum, quas viderentur à Pelagio & Cœlestio mutuati: *Iisdem* (inquit) *artibus* (quibus Pelagius & Cœlestius) *grassantur novæ Sectæ discipuli ... At enim ut se damnationi subducant, celeberrimum Beati Augustini nomen obtendunt, cujus doctrinæ se profitentur esse Sectatores; repudiato etiam, si res eorum ita ferant, ipso Jansenio. Hujus tamen pravas & detortas, quas ad Doctoris egregii locos adhibet, interpretationes amplectuntur; Sicque Magistrum illum optimum à Cœlestino laudatum, dum verbis colunt, adultera sensu violant. Quod à nobis adnotari oportuit in Actis de Brevis promulgatione confectis, ut eorum calliditatibus iretur obviam, quibus incautorum & simplicium animis illudunt, ac si Augustinum assererent ipsi, à cujus tamen sententiâ pertinaciter discedunt.*

Discessio hæc non vocibus solùm fit; sed in omnibus eorum voluminibus, præsentes controversias tractantibus reperitur. Quid enim omnis eorum lucubratio de istiusmodi quæstionibus continet, nisi errores perniciosissimos sub venerando Augustini nomine fallaciter propinatos, cum *pravis ubique & detortis interpretationibus, quas ad Augustini locos adhibuit Jansenius*, Calvino facem luminis fatui præferente?

Compertissimum istud de Jansenio est Polemicis contra novam hæresim scriptoribus, in primis Stephano de Champs tum in libro, quem nomine proprio edidit *de hæresi Jansenianâ*, tum in anteriore sub nomine *Antonii Richardi de libero arbitrio*: ubi Jansenium ostendit in omnibus alicujus momenti pro suâ novitate citationibus Augustini, insignem fuisse *Plagiarium* hæreticorum, Calvini potissimum & Usserii, à quibus omnia ferè suffuratus videatur, quæ tanquam sua inanissimè venditavit.

Quid autem sunt discipulorum ejus opera, quibus Novatorum Factio præcipuè gloriatur, quàm centones, vel Echo hæreticæ Jansenii, cujus intentio ut ex scripto manû ejus propriâ exarato detegitur, dolosissima fuit ut *Magistri Michaelis Baii Articulos*, à Pio V. hæresios aliisque respectivè Censuris gravissimè reprobatos *excusaret*. Eosdem scilicet detersâ veluti damnationis fuligine, in scholas voluit reducere, atque in Ecclesiam universam.

Exitialis ea & dolo plena temeritas Sedem Apostolicam neque latere potuit, neque decipere; sed ab Urbano VIII. Constitutione *in Eminenti* graviter reprehensa, & meritò damnata est.

Gemina nihilominùs Arnaldi pro Jansenio Apologia iisdem institit vestigiis, quam secuta imposterum turba librorum innumera, authoribus tum Arnaldo ipso, tum Quesnello, Gerberonio, de Witte, & aliis præcipuè in Galliâ, qui in tenebris scribentes anonymi, absque ullo Typographi, aut loci indicio, absque ullâ Censoris Approbatione aut facultate Ordinarii, nocere malunt, quàm cum periculo punitionis innotescere.

Iidem communiter libri pleni calumniis sunt contra omnes novæ hæresi adversantes. In illis nulli parcitur ordini, nulli gradui aut dignitati: nulla ratio justitiæ cernitur aut publicæ honestatis. Undè in Civitatibus & Provinciis non levis orta pridem fuit perturbatio, cum scandalo non simplicium solummodo & Fidelium; sed impiorum etiam & hæreticorum.

Inter posteriores Petrus Jurieux Calvinistarum Prædicantium in Galliâ, ac dein in Hollandiâ famosissimus, libro de *Spiritu Arnaldi* eique adhærentium, barbaram eisdem exprobrat maledicentiam, quâ nulli mortaliû, sibi non consentientium parcunt, nec propriis quidem Episcopis, aut Summo Pontifici. Nominatim agens de Illustrissimo Harlay Parisiensium Archiepiscopo, Eminentissimi Noallii Prædecessore; nobis (inquit) multò graviùs nocuit quàm vobis; puduisset tamen nos, satyris adeò illiberalibus, acerbis, inhumanis, proscindere in eo dignitatis gradu constitutum Antistitem, quantalibet nos injuriâ persequentem.

Istud, inquies, aliquorum temerè scribentium, vel nimio excedentium zelo peccatum sit, attamen neque omnes nostrarum Partium scriptores, neque libri omnes sunt ejusmodi; sed plurimi doctrinâ sanâ, atque ad pietatem Christianam ducentibus documentis referti, ac spiritus unctione saluberrimi sunt: Inter hos sacrorum voluminum in Linguam Gallicam versiones, uti & Missalis Romani. Quid his magis innocuum, magis utile omni Fidelium Ordini, sexui & ætati? Adde librum pluribus distinctum Tomis titulo *L'Année Chrétienne* & alterum, *Dissertationes, Notæ, Observationes, Emendationes, Interpretationes, Annotationes, Apostillæ ad* S. Leo-

S. Leonis magni opera, *& ad Codicem Canonum Constitutionum Sedis Apostolicæ*. Utraque lucubratio Paschasii Quesnelli est. De talibus præcipuè libris enuntiat Propositio, quod illos *Deus in suâ posuerit Ecclesiâ ut in eâ essent odor vitæ, sed quos pervicacia, prævcntio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis*. Prohibet enim illos Roma absque ullâ, præterquam frivolæ rationis specie, imo contra omnem rationem & justitiam; nihilominus imperitum vulgus hominum, & inter doctos aliqui nimium scrupulosi obedientiæ cææ Professores, mox ut prohibiti libri fuerint, ab iis tanquam mortiferis abhorrent, non sine eruditionis, veritatis, pietatis dispendio. Ita illi.

Ego verò *pervicaciam* ampliùs miror, & *obstinationem*, talia comminiscentium adversariorum contra Tribunal Ecclesiæ, & quidem supremum. Damnationis ratio verissima, maximè sufficiens, & abundans contra Missalis Romani in idioma Gallicum versionem reddita fuit ab Alexandro VII. in Apostolico adversus eam Diplomate.

Scadalosissima autem Quesnelli, neque impietatis expers temeritas fuit, utpote infinitorum occasio sacrilegiorum, quod eundem librum, cujus lectionem noverat sub Excommunicatione latæ sententiæ prohiberi, recenter iterum typis ediderit, mutatâ fallaciter Epigraphe *Missalis Romani* in *Annum Christianum*, ne ejus innotesceret sancita pridem condemnatio. Obtrudebatur interim ab adhærentibus Quesnello Novatoribus omni hominum generi, atque ut gratior accideret Matronis Nobilibus, & Principibus viris, elegantissimè compactus offerebatur sine pretio. Hac arte comparabantur operi protectores, fiebatque ut ab aliis avidiùs emeretur; Episcopis autem, ipsique Pontifici difficillima, si non etiam impossibilis, redderetur ejus suppressio.

Tot igitur annorum quis enumeret sacrilegia; cùm à Novatoribus edocti viri ac mulieres, etiam post iteratam Sedis Apostolicæ prohibitionem, quam non ignoraverint, noluere librum dimittere è manibus; sed quasi nullum esset pietatis exercitium illo salubrius, occupare se toto sacrificii tempore lectione prohibitâ gaudebant.

Ea fuit ipsorum ad Sacram Synaxim præparatio: atque ita communio omnis sacrilega, qualis & confessio.

Tale studium prætensorum EcclesiæReformatorum est, ingerere omnibus contemptum Apostolicæ Sedis, & omnium dimanantium ab eâ Legum & Constitutionum, Censurarum, etiam anathematum. Sic perfidi hypocritæ, suasores authoresque criminum & sacrilegiorum, depositâ, abjectâ omni ergà Ecclesiæ Præpositos reverentiâ, institutum divinitùs Ecclesiæ Regimen destruere moliuntur, ut soluti ipsi legibus, omnique temeritatis fræno, tam in Fidei, quàm morum dogmatibus innovent omnia pro libitu.

Qualis sit Gallica Novi Testamenti versio, quæ vulgò *Montensis* dicitur; quia Montibus Hannoniæ edita, non dissimulat Clemens IX. in diplomate anni 1668. 20. Aprilis: *Nos* (inquit) *librum hujusmodi nonnullis Venerabilibus Fratribus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque viris pietate, doctrinâ, atque sapientiâ præstantibus, maturè, quantum rei gravitas postulat, discutiendum atque examinandum commisimus, quorum sententiis auditis, atque consideratis, eundem librum versionis Gallicæ Novi Testamenti, ut suprà & ubicunque impressum, sive imposterum imprimendum, tanquam temerarium, damnosum, à vulgatâ editione prædictâ difformem, & offendicula simplicium continentem, authoritate Apostolicâ tenore præsentium damnamus & prohibemus; ita ut nemo deinceps cujuscunque gradûs & conditionis existat, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignus, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, illum legere, retinere, vendere aut imprimere; vel imprimi facere audeat vel præsumat; sed sub eâdem pœnâ, quicunque illum habent, locorum ordinariis seu Inquisitoribus statim atque præsentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur*.

Hic neque *discussio & examen*, neque, ut Summus Pontifex verissimè testatur, ratio gravis & multiplex defuit ad versionis illius Gallicæ prohibitionem. Sed quæ ratio, quæ authoritas Arnaldo, Quesnello, Gerberono, eorumque in rebellione sociis unquam poterit sufficere? Fixum scilicet illis est traditas à Bajo & Jansenio novitates, quantumlibet hæreticas, cum aliis à se superadditis, nunquam dimittere; sed innumeris eas lucubrationibus propagare, etiam versionibus Scripturarum, Divini Officii, & quibus non opusculis speciem præ se ferentibus pietatis?

Exemplo sit liber ipse Quesnelli præcipuus *Novi Testamenti versio cum Observationibus moralibus*. Hic plurium annorum studio maximè subdolo elaboratus fuerat, ut, quidquid Bajani atque Janseniani systematis est, insereretur tam callidè, ut pluribus immixta veris falsitas, multorum effugeret attentionem, & ubi quid hæreticum sonaret, tam pii excusare videretur intentio Scriptoris.

Con-

Condonare Sedi Apostolicæ nunquam potuit Quesnelli superbia illaram alteri suo, quo clarescere apud multos cœperat, operi ignominiam. Erat illud *Dissertationes, Notæ, Observationes, Emendationes, Interpretationes, Annotationes, Apostilla ad Sancti Leonis Magni opera, & ad Codicem Canonum Constitutionum Sedis Apostolicæ*. Illo nihil aptius credidit ad restringendam Pontificis authoritatem, quo & novaturientium quorumdam sibi conciliaret gratiam Episcoporum, & sibi, suisque aperiret sodalibus januam, qua condemnati à Christo Vicario facilè elaberentur, quemadmodum ferè solent ex Ecclesiæ definitionibus se expedire hæretici.

De isto Quesnelli opere audire juverit Christianum Lupum ex Religioso Ordine Sancti Augustini Doctorem Lovaniensem eruditissimum. Is libro *de Appellationibus* in Epistolâ Dedicatoriâ Innocentium XI. sic alloquitur: "Opera Divi Leonis à Patre Quesnello edita, adeò sunt rugosa, ut etiam ipsum, cujus encomiasten agunt, invadant Magnum Leonem, asserentia eum, dum suæ Cathedræ Phylacteria studet ampliare, excessisse in Canones, in Provincialium Synodorum jura, in Privilegia & libertatem Ecclesiarum. Quin & ipsum impetit Apostolorum Principem, ejusque Divinam Potestatem, quâ à Christo Domino accepit solvere omnia, & suos in iniquæ damnationis salo fluctuantes aut naufragantes Fratres confirmare.

„ Romanas totius mundi *Appellationes* contendit esse non à Divinâ Majestate impertitam Romanæ Cathedræ authoritatem, sed nescio quod Hosii Cordubensis Episcopi, & Sardicensis non Oecumenicæ Synodi fragile indultum. Quin imò prorumpit ulteriùs, erenim scribit: *certissimè evincitur, Orientales ab Occidentalium ore tum temporis non pependisse*. Est diserta ac lucida Professio Eusebiani Schismatis.„

Pag. 365. "Paschasius Quesnellus clamat, etiam Africanam Ecclesiam nunquam appellasse ad Apostolicam Sedem, adeòque has *Appellationes* esse novellam usurpationem. Hoc ipsum clamant Joannes Calvinus, Marcus Antonius de Dominis, aliique professi hostes Primatûs Romani.„

Pag. 680. "Nescio quod hominum genus non minori hodiè erga Sedis Apostolicæ dignitatem odio æstuat, quàm Martinus Lutherus, aut Joannes Calvinus erga plures Catholicas veritates.„

Istud viri Religiosi & doctissimi de Quesnello ejusque Commilitonibus judicium, reverà æquissimum est, à nemine, quàm ab ipso Quesnello argumentis luculentioribus confirmatum. Innumera toto passim præsenti opere specimina exhibui, præsertim in Prolegomenis Tomi primi, & quarto hoc ferè integro. Necessaria non est operosa perquisitio:

Prima *Nota*, quâ Quesnellus Romanam sententiam contra suas in Sancti Leonis Opera Dissertationes dignatus est, indicium præbet manifestissimum ingenii irreverentis & schismatici. Quod, inquir, à Romano Tribunali contra lucubrationem prodiit judicium, *Non est Decretum, sed folium infame, famosum, Divinæ Legi & bonis moribus contrarium*, vocans malum, *quod bonum est*.

Tenore simili prosequitur Quesnellus cætera: cujus, & sociorum indolem brevissimè simul & aptissimè describit laudatus hactenus Lovaniensis Doctor. Pag. 923. "Eorum (inquit) characterem nobis jam pridem prædixit Apostolus: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, Parentibus non obedientes*: illi præsertim Parenti, quem omnis sub Cœlo Ecclesia semper vocavit Patrem Patrum.

„ De Diabolo verissimè scripsit S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 51. *Videns Diabolus Templa Dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub nomine Christiano, Doctrinæ resisterent Christianæ, quasi possent indifferenter sine ullâ correptione haberi in Civitate Dei, sicut Civitas confusionis indifferenter habuit Philosophos inter se diversa & adversa sentientes*.„

Hæc de prætensis Ecclesiæ Reformatoribus, quoad fidem & dogmata: Quò pertinent tot eorum libri non solùm novitatibus scatentes, & quidem erroneis arque hæreticis; sed etiam contumeliis & calumniis adversus omnes Religiosos, Doctores, Episcopos, Cardinales, etiam Pontifices Maximos, suis opinionibus non consentientes; denique libri pleni irreverentiâ, contemptu, rebellione & spiritu schismatico. Tales præcipuè sunt Quesnelli judicio *libri boni*, quos *Deus posuit in suâ Ecclesiâ, ut in eâ essent odor vitæ*; sed quos Ecclesiasticorum Judicum, maximè Romanorum, *pervicatia, præventio, obstinatio, nolendo aliquid examinare, vel agnoscere se fuisse deceptos, mutant quotidie in odorem mortis*.

Libri scilicet quo magis erronei, & in quodam genere hæretici, subinde etiam schismatici sunt, eò gratiorem istiusmodi scriptoribus odorem diffundere censentur, *odorem vitæ*, & salutis, quem veriùs dici oportuit pestiferum *odorem mortis* simplicibus, quos per-

pervertunt, sapientibus quos conturbant, Ecclesiæ quam affligunt, hæreticis quos obcæcant amplius, atque efficiunt in perfidiâ obstinatissimos.

Denique quod ad objectum attinet examinis defectum, vetus Jansenistarum, sed & hæreticorum ferè omnium querela est, frivola quàm maximè & mendax; nam de Propositionibus 79. Baii & aliorum aliquot Lovaniensium testatur Pius V. in Bullâ *quas quidem Sententias Stricto coram nobis examine ponderatas* &c. De Libro Jansenii & quinque ejus Propositionibus fidem indubitatam faciunt Declarationes tum Alexandri VII. tum Albizii Cardinalis, qui illo tempore Assessor fuerat S. Officii.

Ita Pontifex Constitutione *Ad Sanctam* Jansenistas increpans *Iniquitatis Filios*, ait: *Nos qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficenter & attentè perspeximus, utpotè qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolicâ authoritate, eadem causa discussa est eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset.*

Similiter Cardinalis Albizius lib. de inconstantiâ in Fide cap. 3. " Quæ quidem diligentia, me assistente Assessore supremæ & universalis Inquisitionis Romanæ, & maxima quidem adhibita fuit, cùm Sanctæ memoriæ Innocentius X. ad condemnationem quinque Propositionum ex Jansenii Augustino decerptarum devenit. Non enim contentus fuit, quòd in pluribus Congregationibus habitis coram Eminentissimis & Reverendissimis Supremæ Universalis Inquisitionis Cardinalibus Inquisitoribus, Sententiæ doctissimorum Theologorum Qualificatorum ordinariorum, adhibitis etiam extraordinariis Qualificatoribus exquirerentur; sed ipsemet Innocentius per plures dies eorundem Theologorum Qualificatorum Sententias cum patientiâ audivit, & coram se, Cardinalibus Inquisitoribus, & Theologis Qualificatoribus, quemdam Abbatem de Lalane, aliosque Doctrinæ Jansenianæ Fautores admisit, votaque Theologorum Qualificatorum, in scriptis redacta magno studio & diligentiâ perscrutatus fuit, aliisque eruditissimis viris in Consilium adhibitis, ac indictis per Ecclesias Urbis Supplicationibus, tandem in Pervigilio Pentecostes ad condemnationem prædictarum quinque Propositionum devenit, afflante equidem Spiritu Sancto, cujus assistentia in gravissimo negotio semper evidentissimè apparuit. "

Hactenus Cardinalis Albizius cujus testimonium hoc referens Eminentissimus Aguirre Teologiæ S. Anselmi Tom. 3. Prolegomeno 5. " Eant [inquit] nunc quicumque aliter sentiunt aut loquuntur vel scriptuiunt de examine, discussione & consultationibus præparatoriis ad eam Definitionem edendam, quâ nullam unquam diutiùs, aut attentiùs Roma meditata fuit." Concludo igitur cum Augustino lib. 2. Operis imperfecti cap. 103. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? Ergo hæresis non adhuc examinanda; sed coërcenda est potestatibus Christianis.*

CAPUT III.

Discutiuntur ampliùs prædictæ à Quesnello bonæ suorum Instructiones & exempla Sancta.

CUm primùm se obtulit Quesnelli Propositio, facilè percepi quinam *boni libri* judicio ejus essent positi à Deo in Ecclesiâ, ut in eâ essent *odor vitæ*; quos damnationis sententia vertetit *in odorem mortis*; sed non adeò promptum fuit assequi ejus mentem de bonis *Instructionibus*. Si intelligi voluerit Propositiones in Bajo, Jansenio, & utriusque Sectatoribus damnatas, etiam 31. Sententiâ Alexandri VIII., à Polemicis pridem Scriptoribus, & à me inter refutandum Quesnelli Articulos, ostensum fuit, non minùs dilucidè, quàm copiosè, Propositiones illas non esse istiusmodi, ut censeri debeant veluti bonum semen quod Deus sub nomine Patrisfamilias seminaverit in agro suo, qui est Ecclesia, sed veluti zizania, quibus inimicus Dei & hominum obruere triticum conatus est.

Non melioris generis sunt memoratæ Propositiones Quesnelli 101., licèt non prævidens ille secuturam adversus eas Sententiam, complecti easdem non voluerit numero illarum, quas Ecclesiæ Censura *mutat quotidiè quoad multos in odorem mortis*. Neque Constitutio *Unigenitus* odorem lethiferum Propositionibus intulit; sed ne fœtore illæ suo pestifero perniciem afferre plurimis pergerent, damnationis antidoto statuit providendum.

Hæc autem Pontificiæ charitatis saluberrima dispositio, perperam displicens Propositionum Authori, ab eo omnigenis impetita machinis fuit, mendaciorum præcipuè & calumniarum, quibus personant opuscula Jansenistarum innumera, & totum novi contra Romanam Ecclesiam exercitûs armamentarium refertum est.

De-

Decreto Innocentii X., quod anno prodiit 1654. 23. Aprilis, cum Jansenii volumine, & geminis Arnaldi pro eo Apologiis, proscribitur *Joannis vergerii Abbatis Sancyrani Theologia familiaris, sive Instructio circa ea quæ Christianus in hac vitâ credere & facere debet ut salutem in alterâ consequatur*. Prohibetur autem *Instructio illa cujuscunque editionis sit*. Inspicere mihi illam nunquam licuit; efficiam tamen ut liceat, si adversarii nostri significaverint, se pro rebellionis suæ contra Ecclesiam excusatione, singulare in illa constituere præsidium.

Interim qualis *Instructio* fuerit, ex iis, quas author privatis sermonibus tradidit & juratis testimoniis declarantur, non temeraria fieri videbitur conjectura. Sed & omnis illa mirabilis, ab eo dari solita oretenus Instructio, atque arctissimo committi silentio Auditorum, infamiâ carceris non parum roboris perdidit & authoritatis.

Istud, inquiet Quesnellus, est quod præsens luget Propositio, *præventione, pervicaciâ, obstinatione in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum mutari quotidiè quoad multos in odorem mortis, id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ V. G. Instructiones* bonæ; quales in viâ spiritûs & perfectionis proficere volentes animæ, à Sancyrano Directore illuminatissimo acceperant, eo fructu, quem in Portûs-Regii Monialibus orbis Catholicus admiratus est, & ægrè credet posteritas.

Vulgò dicitur *varium & mutabile semper fœmina*: atque istud quotidianis fit compertissimum experimentis; Sancyrani tamen, Arnaldi & similium *instructiones* reddidere Virgines illas viris, etiam heroibus firmiores, seu amplius obstinatas. Pro retinendis scilicet quantolibet percussis anathemate Dogmatibus Jansenii, restitere Archiepiscopo, restitere Pontifici, ipsique Regum Potentissimo: flectere illas nullæ potuerunt minæ, nulla fulmina Censurarum, neque in annos protracta privatio Sacramentorum, etiam in mortis articulo. Exilia & captivitas nihil apud eas valuere, uti neque totius destructio Templi, & Monasterii, donec singulæ à Magistris perfidiæ, & à Sororibus, rebellionis suæ consortibus separatæ, studio tandem Catholicorum Antistitum, pleræque ad obedientiam adductæ sunt, atque ita restitutæ Fidelium cœtui, participationi Sacrorum, & perpetuæ ut confidimus, saluti.

Ratione Quesnellus autumat oppositâ differendum, quasque probante Numine, à suis in Jansenismo Præceptoribus acceperant *Instructiones, ut essent in odorem vitæ*, contrariis Episcoporum persuasionibus *mutatas in odorem mortis*.

Quàm fructuosæ aliàs Monialibus istis Sancyrani *Instructiones* fuerint, colligitur ex Lingonensis Episcopi testimonio de Monasterio, cui nomen à *Sanctissimo Sacramento*.

Sancyranus etiam ibi Director obtigerat, Præposita Maria Angelica Arnaldi soror. *Ex Sancyrani* [inquit Episcopus] *instructione Moniales non loquebantur nisi de pœnitentiâ: jacebant humi prostratæ in variis Monasterii locis, in Choro præsertim: confitebantur rarò, rariùs communicabant, adeò ut Maria Angelica semel quinque mensibus a communione abstinuerit, semel etiam festo Paschatis . . . Ita rapiebatur Maria Angelica colloquiis Sancyrani, ita iis mentem impleverat, ut non loqueretur nisi de Ecclesiâ Primitivâ, de Canonibus, de Consuetudinibus primorum Christianorum, de Conciliis, de Patribus, præcipuè de S. Augustino.*

Hæc ingeminabat fœminis se invisentibus . . . De tam incongruâ cum proximis agendi ratione edoctus, monui Mariam Angelicam, quæ cum Monasterio toto jurisdictioni meæ suberat, monui (inquam) sed profectu exiguo; quia & me ipsum iisdem sermonibus detinebat, ubique identidem memorans S. Augustinum de Gratiâ, & S. Paulum de Prædestinatione; sed tam insulsè, ut satis pateret, loqui eam tantùm temerè audita, minimè intellecta: cumque nec in illis, nec in cæteris Dogmatibus Sancyrano consentirem, utpotè nimis alienis a communi præsentis Ecclesiæ usu, & doctrinâ, hinc vehemens Sancyrani adversus me indignatio & odium . . . Crevit illud, dum scivit occulta sua Mysteria à me revelari.

Mysteria voco arcanas ejus sententias in Dogmaticis, in quarum numero sunt sequentes: Concilium Tridentinum non fuit verum Concilium. Sacramentum Pœnitentiæ non delet peccata. Communio plus valet ad delenda peccata, & disponendum hominem ad beatam mortem, quàm Confessio; ideo magis expedit peste infectis, alisque moribundis administrari Sacramentum Eucharistiæ, quàm Pœnitentiæ. Confirmatio, Sacramentum Ordinis, & Consecratio Episcopi tollunt peccata etiam quod pœnam aquè ac Batismus. Verba Absolutionis non operantur remissionem; sed declarant tantùm. Contritio (perfecta seu justificans) *ad Sacramentum Pœnitentiæ omnino necessaria est, ut peccata remittantur. Verba Concilii Tridentini explicanda sunt de Contritione, ut à quibusdam Lovaniensis Academiæ Doctoribus explicantur: aut dicendum, quod Concilium in hoc articulo erraverit.*

Hac occasione Sancyranus affirmabat, non

posse

posse haberi fidem ejusdem Concilii Definitionibus; quia celebratum non fuit juxta normam Conciliorum veterum. „

Hæc omnia Illustrissimus Sebastianus Lingonensis Episcopus primùm Macloviensi Episcopo testatus scripto fuerat, dein & Supremo Franciæ Cancellario interroganti jussu Regis, eadem scripto tradidit. Episcopus idem suspicionem apud aliquos incurrerat Fidei non optimæ, propterea quod Sancyrano usus alias familiariter, ejusdem. visus fuerit Dogmata approbare, cùm ipsum Monialibus præfecerit Directorem.

Agnovit itaque Antistes, se ut hominem, fuisse ab hypocrita circumventum; sed quod ejus se subduxerit consuetudini, quando novitates in eo tam noxias detexit. In eodem testimonio est, quod exploratum habeat *Sancyrani ingenium contumeliosum, violentum, irreverens erga quoscunque à se ratione quantumlibet solidâ dissentientes.*

De hoc quidquid sit, inquiet Sancyrani discipulus, evidentibus certi reddimur experimentis, mirabilem fuisse Præceptoris nostri in erudiendis, illustrandis, perficiendis animis dexteritatem. Quod Dominus de Jovaud Cisterciensis Abbas & Secretarius Generalis jurejurando testatus est, revocare in dubium non possumus, addixisse ei videlicet Sancyranum, fore ut si ex Ordine suo adduceret juvenes aliquot nullis imbutos Theologiæ principiis; sed *veluti tabulas rasas*, ad Supremum Theologiæ apicem spatio sex mensium omnes proveheret, nullo ipsorum quodcommodo labore aut studio, nullâ Patrum lectione, aut aliorum scrutatione voluminum: aures solummodò sibi faciles præberent & subjicerent, absque ullo ratiocinio, intellectum. Inaudita quidem talis hactenus instituendi discipulos & discipulas ratio; sed modus pariter singularis est, quo suam Sancyranus eximiam adeò consecutus scientiam creditur ipsi asserenti, quod non eam ex codicibus hauserit, sed legerit in ipso Deo fonte omnium securissimo veritatum.

Quanta igitur felicitas animorum quibus Sancyranus obtigit institutor! Quanto autem Ecclesiæ accidit infortunio, ac detrimento, quod idem ex turpi carcere, examine, secutâque Pontificiâ contra *familiarem* ejus *Theologicam instructionem* Sententiâ, infamiam contraxerit, undè penes plurimos collapsa Magistri authoritas, ac simul detracta fuerit *instructionibus* fides!

Neque de reparandâ injuriâ, damnoque per eam illato, cogitatur ab Ecclesiæ Rectoribus: *Pervicaciâ* scilicet, inquit Quesnellus, *prævention & obstinatio in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum*, *mutant quotidie quoad multos in odorem mortis, quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ V. G. Instructiones.*

Inter has procul dubio comprehendi Quesnellus voluerit compositam à Jansenistarum apud Innocentium X. Oratoribus *Brevissimam quinque Propositionum in varios sensus distinctionem, apertamque de iis tum Calvinistarum, tum Lutheranorum, tum Pelagianorum & Molinistarum, tum S. Augustini, ejusque discipulorum sententiam*: Præterea *Lucernam Augustinanam*; & ejusdem *Emunctorium quo fuligines à quibusdam aspersa emunguntur*: Præcipuè verò *Rationes ob quas Archiepiscopus Mechliniensis abstinuit à Promulgatione Bullæ* (Urbani VIII.) *quâ proscribitur liber, cui titulus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus*: Similiter *Rationes ob quas Episcopus Gandavensis* eandem *Promulgationem suspendit.*

Rationes illæ, quibus duo Belgii Antistites instruere Sedem Apostolicam voluere de meritis Janseniani voluminis, adeò probatæ non fuere ab Innocentio X. ut post monitiones varias, cùm persisterent in pertinacia immoti, consciverint contra se publicam incursi anathematis denuntiationem.

Accessit *Epistola Pastoralis Archiepiscopi Senonensis* ad promulgandam Constitutionem Innocentii X. quæ prodiit 31. Maii 1653. *Mandatum* quoque simile *Episcopi Convenensis.*

Omnes istiusmodi *Instructiones* novis Augustini Discipulis videbantur *à Deo positæ in Ecclesiâ ut in eâ essent odor vitæ*, sic inprimis apparuerint Quesnello, quas proindè præsenti Articulo lugeri voluerit, omnes ab Innocentio X. condemnari decreto anni 1654. 23. Aprilis.

Quod autem miserrimum indicat Propositio, est Sedis Apostolicæ *pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere, se* in vibratione fulminis adversus *Instructiones* illas saluberrimas, *fuisse deceptum*; unde eædem *quoad multos mutatæ fuerint in odorem mortis.*

Non hìc in Quesnelli, eique adhærentium sententia, terminatur Ecclesiæ calamitas circa *instructionum* maximè utilium condemnationem, & quidem in eodem Innocentii X. Decreto. Configuntur ibi præterea *Libellus supplex Joannis Jansenii Canonici Furnensis oblatus Regi Catholico pro impediendâ promulgatione Pontificiæ Constitutionis adversus librum sui Patrui*: *Memoralia per Deputatos Academiæ Lovaniensis exhibita Romæ Summis Pontificibus Urbano VIII., & Inno-*

centio X. pro doctrinâ B. Augustini manutenendâ : Conventus Africanus sive disceptatio judicialis apud Tribunal Præsulis Augustini : Collatio Antverpiensis ad Petrum Aurelium : Vincentii Lenis Theriaca adversus Petavium & Richardum de libero arbitrio : Ejusdem Epistola prodroma : Liberti Fromondi Brevis anathomia hominis: Augustini Hipponensis & Augustini Iprensis de Deo omnes salvare volente homologia.

Tales istæ Quesnelli judicio *Instructiones* sunt, ut ex earum damnatione luctuosum subeat Ecclesia detrimentum, salutifero earumdem odore mutato quoad multos in fœtorem quodammodo pestilentem, enecandis Fidelium animis unicè idoneum.

A *bonis libris* & *Instructionibus* deducit nos Propositio ad *Sancta Exempla*. Inter Opuscula quæ pro Constitutione *Unigenitus* in Galliis prodierunt, est Collectio Documentorum aliquot. Ibl Tom. 2. Pars 3. pag. 259. & 260. complectitur per brevem, sed solidam totius Quesnelliani Articuli expugnationem, quam juverit hìc ex Gallico transferre.

" Describitur in Propositione agendi ra-
,, tio eorum, qui regimini præsunt Ecclesiæ.
,, Istud Quesnellus minimè inficiatur, quin,
,, inquit, *novi Archiepiscopum, qui toto tem-*
,, *pore quo Diœcesim amplissimam gubernavit,*
,, *se applicuit unicè ad destruendum, quidquid*
,, *boni antea stabilitum fuerat operâ & studio*
,, *eorum, quorum mentes cœlesti lumine Deus*
,, *impleverat, & zelo accenderat secundum*
,, *scientiam*. Quidquid Propositio enuntiat,
,, de aliis intelligi nequit, quàm de Episco-
,, pis (præsertim Episcopo Episcoporum) li-
,, cet Quesnellus moneat *potuisse etiam cogi-*
,, *tationem* sibi *esse de Jesuitis*. Frivola ex-
,, cusatio! Non enim ad Jesuitas pertinet ju-
,, dicium ferre de dogmatibus, de libris &
,, personis in materiâ Religionis.

,, Nihil magis Episcopatui contumeliosum,
,, nihil magis contrarium veritati, quàm quod
,, Ecclesiæ Moderatoribus in Propositione af-
,, fingitur: sunt illi scilicet *pervicaces*: Quesnel-
,, lus autem docilis: sunt *præventi & obstinati*:
,, novus autem Sanctus P. Quesnel humilis &
,, submissus. In damnatione Jansenismi no-
,, lunt Ecclesiæ Præsides aliquid examinare;
,, licèt nulla unquam causa majore diligentiâ
,, discussa fuerit: Nolunt agnoscere se fuisse
,, deceptos in proscribendis Novatorum er-
,, roribus, & Divinis Oraculis stabiliendis.
,, *Quid adhuc quæris examen* (ut aliàs mo-
,, nuimus ex Augustino, neque potest ni-
,, mium Novatoribus iterari) *quod jam fa-*
,, *ctum est apud Apostolicam Sedem*, ut nil
,, dicam de Episcopali judicio: *Ergo hære-*
,, *sis non adhuc examinanda est; sed coër-*
,, *cenda Potestatibus Christianis*, ut olim
,, monuit Sanctus Augustinus lib. 2. operis
,, imperfecti cap. 103.

,, Iidem Ecclesiæ Rectores sententiâ Ques-
,, nelli quotidiè mutant in odorem mortis,
,, quod Deus in Ecclesiâ posuerat, ut esset in
,, odorem vitæ. Tales sunt libri quos Eccle-
,, siæ Præfecti justissimè proscribunt; talia
,, sunt Novaturientium exempla, eisque ad-
,, hærentium discipulorum.

,, *Nihil audeo dicere* [inquit Quesnellus in
,, Protestatione pag. 323.] *de Sancto Portus-*
,, *Regii Monasterio, quod centum annorum*
,, *spatio, in Gallicanâ Ecclesiâ fuit odor vitæ*
,, *modis adeò multiplicibus; mutatum est au-*
,, *tem quoad multos in odorem mortis; atque*
,, *utinam non in exitium sempiternum*.

,, Timor iste minimè inanis est de Monia-
,, libus in rebellione adversùs Ecclesiam ob-
,, stinatis, quæ emori maluerint, omni Sacra-
,, mentorum præsidio destitutæ, quàm supe-
,, rioribus se submittere, quam obedire Ec-
,, clesiæ, quàm deponere errorem.

,, Tales à te Quesnelle, frustra in Sancta-
,, rum Canonem referuntur. Necessaria Ec-
,, clesiæ Præpositis nequaquam Apologia est,
,, adversus istiusmodi accusationes, quas
,, abundè diluit notissima ipsorum æquitas in
,, judicando, & in agendo integritas. Quosli-
,, bet hìc veri & recti amantes arbitros non
,, recusamus, quin statuant à quâ parte stet
,, *pervicacia, præventio, obstinatio*, injusti-
,, tia, & causa multiplex scandalorum; an
,, penes Ecclesiæ Præsides, an penes Nova-
,, tores, Quesnellum maximè, qui scriptio-
,, nibus suis turbulentis satis ostendit, non
,, extitisse hominem hactenus magis *pervica-*
,, *cem, præventum, obstinatum*, procreatis
,, tot scandalis infamem: ,, totius scilicet in
Galliâ, & Belgio; præsertim Batavo, rebellionis adversus Apostolicam Sedem & aperti schismatis incentorem.

Possem hìc finem facere Propositionis undequaque convictissimæ de mendacio & calumniâ, adversus eos quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, summum præcipuè Christi Vicarium, *regere Ecclesiam Dei*; sed manifestanda amplius Quesnelli impudentia est, atque exitialis ejus machinatio convellenda.

Reducere huc oportet aliqua obdurationis in novâ hæresi specimina, ad præsentis Articuli scandalosissimam perniciem detegendam maximè opportuna.

Quàm salutiferi odoris in ipsis novæ Ecclesiæ incunabulis Gerberonio ejusque in rebellione sociis visa fuit Baii contumax obfirmatio

matio in rejiciendâ Pii V. Pontificis contra suos Articulos definitione! Tenuit ea totum Pii sanctissimi Pontificatû, & initiû Gregorii XIII. donec Toletus Pontificio armatus anathemate, & de Potentissimo Regis Catholici brachio securus, Româ in Belgium veniens, Bajum ad obedientiam adduxit, damnatis, rejectisque, quotquot excerptos ex ejus opusculis Articulos Sedes Apostolica reprobasset.

Illa tot annorum qui interim effluxerant, Bajana rebellio, inter *sancta* novæ Ecclesiæ *exempla*, à novitatis ejusdem doctoribus reputantur; secuta autem submissio, velut extorta metu apostasia ab Augustiniano de gratiâ systemate, fideique & charitatis in omnibus actibus necessitate.

Mirabilis apparet in Novatoribus rigor, qui dum Ecclesiæ in fidei & morum definitionibus refragantur, nisi sua eos obcæcaverit malitia, ignorare nequeunt, se cum hac suâ voluntariâ adversus Ecclesiam rebellione nullum fidei, minùs etiam charitatis posse actum componere; licèt utrumque hominibus præcipiant, velut necessarium universis actibus, quos à peccato, nec penitùs levi, voluerint esse immunes.

Proindè ut in aliis passim, In hoc quoque Scribis & Pharisæis similes Janseniani sunt: *Dicunt & non faciunt*: in omnibus exigunt actibus, quod in nullo exercent. Quæ autem Baii rebellio, eum annis pluribus anathemate constrictum tenuit, sacrisque intereà operantem, non uni innexuit sacrilegio: undè non leve scandalum obvenisse necesse est pluribus Bajanæ conscîis pervicaciæ, & intuentibus frequentata adeò sacrilegia. Sed ea Quesnello *exempla sancta sunt quæ in suâ Deus posuerit Ecclesiâ ut in eâ essent odor vitæ*: mutantur autem in odorê mortis, mox ut successerit retractatio, à summis quidem Pontificibus imperata; sed cujus, inquit Quesnellus, mandati vitium oritur ex eorumdem Pontificum, atque eos circumvenentium Ministrorum *pervicaciâ*, *præventione*, *obstinatione nolentium aliquid examinare*, *aut agnoscere*, *se fuisse deceptos*.

Alienissimus quidem sum ab hoc Articulo inter Bajanos vigesimo quinto: *Omnia opera Infidelium sunt peccata*, *& Philosophorum virtutes sunt vitia*, & à trigesimo octavo: *omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas*, *quâ mundus diligitur*, *quæ à Joanne prohibetur*, *aut laudabilis illa charitas*, *quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ*, *Deus amatur*: Sed uterque nostris adeò placuit adversariis, Quesnello præ cæteris, ut contra iterata sæpiùs Romanorum Pontificum anathemata obstinati, ab ejus avelli nequeant defensione. Eodem confluunt Articuli complures Bullâ *Unigenitus* condemnati:

Non autem perspiciunt acuti homines, hinc contra se facilè concludendum, *sancta exempla*, quibus tam magnificè gloriantur, non fore nisi *vitia* & *peccata* ex radice turpi dimanantia *cupiditatis*. Fidem scilicet & charitatem in hæreticis & schismaticis dominari soli ipsi existimant, suâ in erroribus pertinaciâ obcæcati. Utriusque verò criminis reos esse Quesnellianos, schismatis, inquam, & hæresios, neque in uno Articulo, sed pluribus, nemo inficiabitur, qui absque *præventione*, *pervicacia*, *obstinatione*, integram legerit *Constitutionis Unigenitus propugnationem*.

Licèt igitur non omnia rebellium istiusmodi opera maculari autumem sceleratæ vitio intentionis; nulla tamen in ipsis quamdiu in perfidiâ sistere constitutum habent, reperiri sive *exempla*, sive opera quæ veræ & salutiferæ *sanctitatis* gloriam mereantur, omni probè Catholico indubitatum est.

Desinant itaque sibi fatuè blandiri *Sanctorum* nomine *exemplorum* illi, in quibus nulla vera ad beatitudinem conducens potest esse Justitia: Quid juxta Quesnellum nisi hypocrisis? Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa Justitia*. Prop. 53. *Sola Charitas Christiano modo facit* (*actiones Christianas*) *per relationem ad Deum & Jesum Christum*. Prop. 58. *Nec Deus est*, *nec religio*, *ubi non est charitas*.

Ubinam igitur in talibus occurret *sanctitas exemplorum*? Argumentum istud quidem, ut dicitur, *ad hominem* est; sed minimè necessarium ut falsitas convincatur. Ex Tridentinis Patribus ipsoque discimus Apostolo, sine fide esse impossibile placere Deo, eam esse salutis & justitiæ initium, sine quâ proinde neque vera pietas agnoscitur, neque sanctitas.

Rebelles Ecclesiæ abjiciendos esse, quasi *Ethnicos & publicanos*, monitum Servatoris est.

Discutiendum præcipuè superest, cujus generis *exempla* illa *sancta* sint, quæ judicio Quesnelli, *in suâ Deus posuerit Ecclesiâ*, *ut in eâ esset odor vitæ*, *quæ pervicacia*, *præventio*, *obstinatio in nolendo aliquid examinare*, *aut agnoscere*, *se fuisse deceptum*, *mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis*.

Consideratis omnibus attentè circumstantiis, intellecta à Quesnello arbitror præcipuè, vel forsan unicè *exempla* pertinaciæ, &

rebellionis adversus Ecclesiam in retinentibus mordicùs, & contra omnes Sedis Apostolicæ definitiones obstinatissimè defendentibus Baii, Jansenii eisque adhærentium errores, etiam hæreticos.

Hinc enim omnis ferè à nato Jansenii volumine in Ecclesiâ perturbatio originem duxit, cui compescendæ, & graviori avertendo discrimini necessaria fuerunt non pauca Romanorum Pontificum & Laicorum Principum contra Novatores diplomata. Verùm hæc omnia impudenter vellicans Quesnellus, ut nova hæresis ipsi *odor vitæ est*, quomodo nō omnia ei adversa repudiabit, veluti convertentia *in odorem mortis*, quæ à Deo posita in Ecclesiâ fuerant ut suâ aspirarent omnibus fragrantiâ sanctitatem?

Exempla itaque *sancta* Quesnello & ejus Sectatoribus sunt omnis Jansenistarum ab initio huc usque in novâ hæresi obfirmatio publica, & aperta adversus Ecclesiam, ejusque definitiones sanctissimas rebellio, qualis à me aliàs relata est, Archiepiscopi Mechliniensis, & Gaudavensis Antistitis, tempore Urbani VIII. & Innocentii X. cui scandalo sola mederi potuit, & refractarios ad officium reducere, Excommunicationis publica denuntiatio.

Hæc judicio Quesnelli fuit *Sanctorum* destructio *exemplorum*, sive ut phrasi ejus, & metaphoræ inhæream, mutavit odorem salutiferum in lethalem. Si Archiepiscopi etiam olim Senonensis & Convenensis Præsulis Mandata, subdolis maximè fucis illita Innocentius X. dissimulasset, poterant ea exemplo esse cæteris novitatis fautoribus, ut condemnatam à Pontifice Jansenianam hæresim subducerent anathemati, verterentque illud in sensum fictitium, de quo neque hæresios artifex cogitavit, neque ulla fuerat inter Theologos contentio, nulla proinde ratio postulandi à Pontifice Judicii, nulla examinis necessitas aut materia.

Profecta igitur illa à duobus Episcopis Mandata eludendæ Definitioni Pontificiæ, & retinendo fovendoque Janseniano sensui hæretico studiosissimè fabricata, Quesnelli judicio *Instructiones* & *exempla sancta* erant, profutura pluribus, nisi Vaticano fulmine perjissent, quodque deterius est, ab ipsis postmodùm fuissent retractata authoribus.

Hæc retractatio est, de quâ tanquam gravi vulnere Ecclesiæ inflicto Gerberonium vidimus conquerentem in Historiâ Generali Jansenismi: *Archiepiscopus Senonensis & Episcopus Convenarum brevi posteà agnovere, quantum inflixerint vulnus Ecclesiæ subscribendo cum cæteris condemnationi S. Augustini in Jansenio.*

Quemadmodum scilicèt eorum Mandata *odor vitæ* esse cœperant in novâ Ecclesiâ, non potuit hæc eorum inconstantia non totum vertere *in odorem mortis*; quoad simplices præsertim, & Neophytos, qui ex prioribus *exemplis* egregiè profecerant in *Sacro-Sancta Doctrinâ Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, ut ab Ægidio de Witte, ipsâ *Novæ Apologiæ* fronte in Canonem relata est.

Sanctiora penes novam Ecclesiam fuere, sed & reverà callidis magis instructa fraudibus *exempla*, famosorum quatuor Antistitum, qui Pontificis in Galliâ Nuntium, & cum eo plures etiam è Romanâ Curiâ circumvenerunt, ut Alexandrinæ contrà Jansenium Formulæ subscripsisse simpliciter crederentur; qui in Actibus clancularìis protestantes de sensu Jansenii à se minimè condemnato, Professionem suam jurejurando firmatam reddiderant inutilem, quin & jungendo cum hæresi perjurio, arte subdolâ accommodatam.

Ista quatuor Antistitum *exempla*, maximis semper à Quesnello celebrata elogiis fuere, ipsique *sancti*, & *pacis Angeli* nominati in querimonia, adversus prætensam Eminentissimi Noallii duritiem erga Sorbonicos quadraginta, famoso *Casui conscientiæ* subscribentes.

Fatigaverat Casus ille præcipuorum ingenia Jansenistarum, ut talibus concinnaretur expressionibus, quæ plurimos sibi conciliarent è Sorbonicis Approbatores, & totius reducerent systematis hæretici confirmationem.

Obtenta illicò quadraginta suffragantium declaratio, videbatur alios non paucos tum ex eâdem Parisiensium facultate, tum ex cæteris Galliæ Academiis in eamdem brevi pertractura sententiam, nisi accelerata Clementis XI. uti & Cardinalis Noallii Censura, accedente Regis Christianissimi indignatione, progressibus adeò prosperis obicem posuisset. Quod autem malorum maximum novæ accidit Ecclesiæ, fuit defectus constantiæ in Approbatoribus, & publica omnium, duobus tribusve exceptis, palinodia.

Vix aliud acerbioribus à Quesnello questibus deploratum reperi, quàm *instructiones*, & *exempla* illa tam *sancta*, tantæ spei & expectationis pro novæ fidei propagatione, tam citò pessumdari: & quidem eorum potissimùm operâ, à quibus obvenire debuerat præcipuum restituendis Jansenii dogmatibus subsidium; sed hìc maximè perspeximus, inquit Quesnellus, quantum in rebus, etiam gravissimis, valeat *præventio*, *pervicacia*, *obstinatio*, & quidem Pontificis & Cardinalis Noallii, *nolentium aut aliquid examinare*, *aut* agno-

agnoscere se fuisse deceptos in Causâ Jansenii. Testatus equidem & protestatus coram Cœlo & Terra fueram in *Notis ad Epistolam Steyaertii* Pag. 17, *adeò non persuaderi sensum ab authore* (Jansenio) *intentum esse hæreticum, utjam demùm credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipso non esse Catholicum*.

Nihilominus juxta Quesnellum durat in Ecclesiæ Præsidibus illa *præventio, pervicacia, obstinatio*. Indè tot iniquorum iteratio mandatorum; hinc accidit in triginta septem doctoribus infelix illa mutatio, quorum tam sancta, tam idonea resuscitandis Jansenii dogmatibus declaratio posita à Deo in Ecclesiâ fuerat, ut in eâ esset *odor vitæ*; suo plurimos exemplo alliciens ad imitandum.

Quàm salubriter, ut in Quesnelliani Articuli sensu prosequar, monuerat aliàs Arnaldus Apologiâ pro Jansenio Pag. 92. *Deum sicut Templi ædificationem Salomoni, ita Jansenio dilucidationem doctrinæ de gratiâ reservasse*? Verùm doctrina eadem tam atrocibus huc usque tempestatibus agitata, tot impetita fulminibus, dum Numinis tandem beneficio è damnationis abysso emergere videbatur, non solùm Romanæ Curiæ, nostris semper studiis & progressibus infestæ; sed etiam undè maximè sperabamus patrocinium, ipsius Parisiensis Archiepiscopi oppressa iterùm authoritate est atque potentiâ.

Alioquin si ea nobis successisset industria, actum fuerat de omnibus contra Iprensem Antistitem Romanis Definitionibus; exsufflabatur Alexandri VII. juramentum, atque in throno gloriæ collocabatur, quidquid Janseniani systematis, repetito toties anathemate censebatur ad inferos ablegatum. Sed tam beatis esse Augustini Discipulis non licuit, iniquitate semper, bonorum studiis insidiante.

Quàm prosperè res fluere videbantur in Duacensium Academiâ, quando Cancellario, qui præcipuæ illic Ecclesiæ Collegiatæ Præpositus, & complurium Collator Beneficiorum, damnata in Jansenio dogmata intrepidus propugnabat, non paucis in suam sententiam pertractis sodalibus ac discipulis! Sed Arnaldi perfidus simulator vertit Cytharam in luctum, atque in deteriorem statum novæ sortem Ecclesiæ, quàm ut eius facilè possit restitutio imposterum expectari.

Pergo in Quesnellianâ hypothesi: Quis aptior Missioni Hollandicæ, juxta Arnaldi consilia reformandæ optari poterat; quàm Petrus Codde Oratorii Berulliani Presbyter, titulo Archiepiscopi Sebasteni in Fœderatis Belgii Provinciis Vicarius Apostolicus? Nemo novarum partium dubitat, quin Deus illum in hac posuerit Ecclesiâ, ut suis *instructionibus*, & *exemplis sanctis esset in eâ odor vitæ*.

Reverà non parum ejus pro novitatibus studia & patrocinium multo tempore profecerunt; sed, inquit Quesnellus, Pontificis, eique assistentium Ministrorum *præventio, pervicacia, obstinatio, in nolendo aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptos, mutavit quoad multos in odorem mortis Sanctissima* ejus cum *instructionibus exempla*.

Ut verò in cæteris passim, etiam hic reus mendacii & calumniæ convincitur Quesnellus, in primis eùm examinis arguit defectum, quando toti notissimum Urbi est, integrum ferè biennii tempus, quo Vicarius ille Romæ commoratus est, diligentissimo fuisse impensum examini, illudque diutiùs protrahendum, nisi Acatholicorum in Hollandiâ Ordinum imploratâ intercessione, ipse sibi reditum in Patriam procurasset.

Ejusdem temeraria contra præscriptam ab Alexandro VII. Professionem Fidei, declaratio, & quidem scripto Romæ data, istiusmodi illic *Odoris* visa est, ut non existimem habiturum eum opus fuisse viatico, nisi inrentatis minis gravibus, Acatholici Ordines reditum ejus à Pontifice extorsissent.

Quale denique *Exemplum* fuit, ab hoc Infelici Antistite, Fidelibus & Infidelibus, etiam posteris relictum in morbo ultimo, ipsoque vitæ exitu, quod Ecclesiasticâ eum sepulturâ & solitis Fidelium suffragiis privavit! *Exemplum* istud tria capita complexum est: videlicet obstinationem in retinendo sensu hæretico Jansenii, ideòque rejiciendâ Fidei Professione ab Alexandro VII. definitâ. Alterum fuit pertinax ad finem usque communicatio cum eo, quem noverat authoritate Apostolicâ denuntiatum esse à Communione Ecclesiæ resectum. Tertium fuit obdnratio, in rebellione contra Pontificem, nolentis acquiescere sententiæ in suâ causâ latæ. Ea seducti Antistitis calamitas, & scandalosissima exempla quibus imputari potissimum debent, nisi profugis è Galliâ Consiliariis & Præceptoribus iniquitatis, turpissimi authoribus schismatis; dogmatum denique exitialium & hæreticorum dolosissimis Magistris, Arnaldo, Gerberonio, & Quesnello?

Hæ & cæteræ eorumdem *instructiones* non melioris notæ, habentur ex eorum lucubrationibus relatæ à me locis pluribus, ut videbantur circumstantiæ postulare. Ex illis pariter facilè colliges, qualis ab iisdem profecta alibi fuerit *instructio*, qualia dimanaverint exempla pietatis, obedientiæ, fidei & Religionis.

Si

Si exempla junxero Ægidii de Witte, Jacobi Gilbert Duacenſis Academiæ Cancellarii; Ragotii, Petri de Ligny, Eugenii de Gelder, Petri Van Hamme, qui Berullianis in Belgio Tironibus Præfuit; & aliorum qui in novâ Eccleſiâ ſunt nominatiſſimi, excreſcet nimiùm præſentis capitis diſquiſitio.

Ne tamen etiam reſtricta nimiùm & mutila videatur, de illis quædam addo breviſſimè.

Exempla effrænis audaciæ, ſuperbiæ, rebellionis, & ſchiſmatis ſe prodidere in Arnaldo contra latam à Sorbonicis de Doctrinâ ejus hæreticâ cenſuram, ſecutamque ab illo corpore reſciſſionem; ſed multò ampliùs in difficultatibus Steyaertio propoſitis contra Dogmaticas Sedis Apoſtolicæ Definitiones.

Iſta in Queſnelli Articulo *exempla ſancta ſunt quæ in ſuâ Deus poſuerat Eccleſiâ ut eſſent odor vitæ*; ſed quæ Sorbonicorum & Sedis Apoſtolicæ *Præventio, pervicacia, obſtinatio, nolentium aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptos mutaverint quoad multos in odorem mortis*.

Similis *odoris* & *ſanctitatis exemplum* perſpeximus, quando duobus ſui Ordinis, ſeu Congregationis Generalibus Comitiis, Archieoiſcopo ſuo & Regi Chriſtianiſſimo Queſnellus reſtitit, ne præſcriptam contra Janſeniſmum regulam admitteret, exilium ſibi potiùs eligens, quàm Doctrinæ Catholicæ Profeſſionem.

Qualis nomine *Sanctitatis* meruerunt in Gerberonio appellari, tot infamia contra Eccleſiæ & Reipublicæ Sanctiones edita opuſcula? In Gerberonio, inquam, qui poſtquam in Religioſo Ordine Janſeniſmum latiſſimè diſſeminavit, ne comprehenderetur, ex Galliâ profugit, atque in ditione Catholicâ, extra Monaſterium ſub veſte laica multos annos latuit, aliquot in Hollandiâ; interim Belgii Provincias repleus famoſis ſcriptionibus contra Pontifices, contra Epiſcopos, contra ſuum Regem, contra fidem & Eccleſiam.

Ægidium de Witte indoles turbulenta, & nullis contra dogmaticas novitates ſubeſſe legibus volens, nullo inter Catholicos paſſa fuit loco ſubſiſtere; ſed profugere coëgit in Hollandiam, atque ibi vitam ſolis occupatam ſcriptis infamibus, & fidem Catholicam impugnantibus terminare.

Ragotium & Gilbertum, ſi Janſenianis credimus, reformando in moribus & Dogmatibus Belgio, Divina eduxerat è Galliis Providentia, ut *inſtructionibus* & *exemplis ſanctis*, afflarent omnibus *odorem vitæ*. Prior Vicarium Generalem annis pluribus egit Epiſcopi Tornacenſis: Poſterior Academiæ Duacenſis Cancellarium. Hujus autem Doctrina hæreſios damnata eſt, non ſolùm à ſelectis mandato Regio Doctoribus Sorbonicis; ſed ab ipſis quoque Epiſcopis, Tornacenſi, & quod mireris ampliùs, Atrebatenſi.

Porro tum Cancellarius, tum Vicarius talia dedére *Sanctitatis*, hactenùs incognitæ, *exempla*, atque *odoris* ſpecimina tam exotici, ut, quidquid forſitan de Reformatorum alibi natibus ſit, fœtor Catholicis in Belgio, non Theologis ſolùm, Religioſis, & Sacerdotibus, ſed Magiſtratibus etiam laicis, atque imprimis Regi Chriſtianiſſimo apparuerit minimè tolerandus: proinde ſentina utraque arcto in Galliis concludenda potiùs obſtruendaque ergaſtulo. Quapropter neque eam hìc nimiùm moveri expedit, ne ipſa pariat lectio offenſionem.

Unum levioris ſcandali, quod in Cancellario lepidum mihi pridem & pluribus viſum fuerat, non eſt cur prætaream. Cùm is antea Archipresbyterum ageret, ſive *Decanum*, ut apud nos dicitur, *Chriſtianitatis*, frequentem ſuis concionibus reſtringere voluit Communionem, proprioque doctrinam confirmaturus *exemplo*: *Ego*, inquiebat, *Sacerdos Paſtor, à quo frequentius Sacrificium poſtulare videretur ratio muneris, conciliandæ tamen ampliùs devotioni & reverentiæ, ut nonſemel aliàs, etiam heri à Sacrificando abſtinui*.

Caſu autem; ſed ad detegendam hypocriſim, opportuno accidit, ut ex Auditoribus aliqui illâ nocte cum eo interfuerint epulo, in quo ultra noctis medium protracta ab eo cum cæteris compotatio fuerat, quando manè proximo, Sacrificium omiſit, allegatâ non neceſſitatis, ſed ſolius ratione humilitatis & reverentiæ. Teſtes & participes epuli annuentes invicem, & tacitè ſubridentes, non levis inceſſit admiratio impudentiæ in Concionatore. Ita Deus finit exitialium aliquando hypocriſim Novatorum ab ipſis ſuâ detegi imprudentiâ, ne circumveniantur impoſtetum, niſi ſimplices nimiùm, aut volentes decipi.

Ita Sancyranum alias vidimus, cum effuſo maximè riſu, ſuoque Nepote *Barcos* feſtiviſſimè applaudente, narraviſſe, quomodo pœnitentiam in ſacramento ſimulans propoſitæ à ſe novitatis abſolutionem petierit, obtinueritque ſacrilegè à Presbytero, ut Sacramenti eum religione obſtringeret ad ſilentium, quod ſervaturus aliàs non fuerat, quin audita Epiſcopo denuntiaret.

Ita Sacrilegium Janſenianis ludi inſtar eſt, ſoliſque labiis, & ſcriptionibus conficta doloſiſſimis religio.

Quod

Quod Quesnellus perperam & contra Tridentinum Concilium, contra fidem asserit Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*, verissimè sic convertendum arbitror: *Nec Deus est, nec religio*, ubi Jansenii & Quesnelli hæresis fidem obtinet ac dominatum.

De Hammio Oratorii Berulliani Presbytero & apud Belgas Præposito Tironibus Directore, ex Jansenianorum literis interceptis refert juridicus contra Quesnellum, ipsumque Hammium Processus, *esse zelosum masculum pro Sancto Cornelio* (Jansenio). Talis scilicet Præfectus congruere nuper visus fuerat Tironibus Congregationis, cujus Moderator in Belgio Generalis,& Fundator famosissimus Pater Quarrè è Galliis accersitus advenerat pro novæ apud nos institutione Coloniæ.

Is Testimonio dato anno 1641. undecimo Kalendas Novembris. *Quotquot* (inquiebat) *in nostrâ Congregatione Theologi... elaboratissimum Jansenii Augustinum legerimus, hoc unanimi consensu fatemur omnes, in Jansenio nos Augustinum invenire.*

Quid igitur miri, si istiusmodi Congregationis Tironibus magis conveniens Rector inveniri non potuit, quàm Hammius ille *Zelosus masculus pro Sancto Cornelio*? Is patrocinantia novo Sancto Opuscula colligere solitus erat, ut partim Tironibus, partim aliis divenderet: neque priùs ad hoc potuit commercio cohiberi,quàm præmisis variis ab Archiepiscopo monitis, suorum etiam comminationibus Moderatorum,fore ut,si pergeret, ex Oratorio pelleretur; tandem Archipræsulis mandato comprehensus est. Eugenii de Gelder *instructiones* perniciosissimas atque *exempla* non minùs fœtentia, retuli aliàs, exigentibus non semel circumstantiis, ut mortuus non videatur hìc ampliùs exagitandus.

Talis penès novos Apostolos, *bonitas instructionum*, talis *Sanctitas exemplorum* est. Prolixiorem ea multò requirerent tractatum, si referenda forent omnia, quæ penes novam Ecclesiam *exempla sancta* sunt, & quidem illic Quesnelli judicio *posita à Deo in odorem vitæ*; sed quæ Pontificum Romanorum, eisque obedientium Antistitum *pervicacia, prævention, obstinatio, in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis.*

Eadem, quæ hodie Quesnellistarum est expostulatio, fuit antea Calvinistarum in Franciâ, Lutheranorum in Germaniâ, & quorum non Superioribus seculis hæreticorum? Ab illis igitur querimoniam mutuati videntur nostri hoc tempore adversarii, uti & in multis capitibus doctrinam: qui utinam aliquando melioribus Catholicorum *instructionibus & exemplis*, Deoque efficaciùs miserente, ad saniora tandem conversi dogmata, feliciorem exitum consequantur!

Centesima Propositio damnata.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit... Haberi & tractari à Religionis Ministris tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo,tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustrà quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flammâ, ferroque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus Sacrificare Deo impium, & Sacrificamus Diabolo Dei servum. *Observ. mor. Joan.* 16. *v.* 2.

CA-

CAPUT UNICUM.

Iniquissima authoris, eique adhærentium Jansenistarum de Ecclesiæ Præpositis querela repellitur.

CHristus loco citato Apostolos monet: *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Cujus textûs opportunitas Quesnello visa est minimè negligenda, ut toties à se inculcatam repeteret comparationem Jansenistarum cum Apostolis, Judæorum cum Pastoribus Ecclesiæ, utpote qui Jansenistas, velut novos Apostolos persequuntur. Sunt igitur Quesnello Pastores Ecclesiæ, *Ministri illi Religionis* excæcati passione propriâ, aut abrepti alienâ qui nihil volunt examinare, qui *tempore hoc deplorabili*, quod *advenisse* nuntiatur, credunt se *honorare Deum, persequendo veritatem* ejusque Discipulos.

Episcopi, ac summi præsertim Pontifices sunt, qui Jansenistas *homines pios, probos*, imò solos in mundo sanctos, solos *veritatis discipulos*, tamquam membra putrida & cæteris noxia, tam crudelitèr *tractant*, V. G. Communione privando sanctas illas Portus-Regii Moniales, Ecclesiæ rebelles, & Jansenii hæresim, Fidei Catholicæ præferentes.

Pastores Ecclesiæ sunt sacrilegi isti & iniqui Dæmonum sacrificuli, qui *frequenter Diabolo Dei servum, velut impium sacrificant*: qui *frustra sibi de intentionum suarum puritate, & zelo quodam religionis blandiuntur.*

Mereturne seriam talis nænia, imò tam aperta demensque calumnia confutationem? Copiosissimam lector habes in Superioribus, & abundantem adeò ut tuâ abusurus nimium videar patientiâ, si eadem aut similia, ut facillimè possem, dejiciendo præsenti Articulo applicarem; sed nulla postulat necessitas aut conveniens ratio, ut mecum indubiè judicabit, quisquis ea saltem, quæ contra præcedentem proximè Articulum disserui, dignatus fuerit considerare.

Quia tamen præcipuum centesimi hujus Articuli & præcedentium aliquot quibus hodiernum Ecclesiæ regimen insanissimè arguitur, fundamentum est, quod *veritates eò devenerint, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis*: quin imò quod *permittente Deo, omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis*; quemadmodum discere nos Quesnellus jubet ex Propositione suâ 95. & 96. conveniet aliquanto attentius opposi- tam à me geminis hisce erroribus disputationem evolvere, ex quâ facilè intelligas fictitiam illam esse, & plenam calumniâ assertionem, quasi *tempus illud deplorabile advenerit, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos.*

Quænam scilicet in Quesnelli sententiâ sint *veritates*, inquisivi contra Articulum 95. quinam *veritatis Prædicatores*, proinde & *Discipuli*, demonstravi adversùs Articulum 96. Cum igitur nihil suppositæ veritatis in Adversariis reperiatur, nullus *Prædicator*, vindex, *Discipulus veritatis*; sed erroris solummodò, impietatis, blasphemiæ, hæreseos, tota corruit prætensa adversus *veritatem, ejusque Discipulos persecutio.*

Inter Jansenistas aliqui Quesnello paululum modestiores, per amicum illi Willartium exponi curaverant, quæ in novis Observationum Moralium editionibus cuperent emendari, Illa nomine *querelarum* proposuit Willartius litteris ad Quesnellum datis 12. Aprilis 1697. ubi *querela 2. est quod nimio quodam studio indicentur Superiorum vitia, nullaque illorum non patefaciendorum modò; sed & augendorum occasio prætermittatur. Querela 3. est quod ad hujus ætatis Religiosos* (novi Ordinis Janseniani) *nimiùm apertè transferantur ea, quibus perferendis primorum olim Christianorum constantia probata est. Observationes, inquiunt, quasi digito monstrant, & quidem frequentiùs, quàm par est, quinam sint illi, qui vexantur, quinam illi qui vexant.*

Respondit Quesnellus, ut prætermittam alia ad præsentem Articulum minùs pertinentia: " Tertia querela non minùs iniqua est, „ imò eo iniquior, quo minùs digni sunt ve- „ ritatis ac Religionis persecutores, quibus „ parcatur. Quid enim, illos pudore suffun- „ dere non licebit? Crimini dabitur id osten- „ dere fidelibus, cui discernendo non satis „ ipsi idonei sunt; dignam scilicet perver- „ sorum pœnam diversissimam esse ab im- „ meritâ vexatione, qua insontes & innoxii „ afficiuntur? Non licebit ad horum solatium commonstrare, descriptam fuisse in „ Evangelio imaginem quamdam eorum „ omnium, quæ per universam seculorum „ seriem contingunt?

„ Cavendum est igitur quàm maximè, ne „ perturbetur pax illorum, qui *lætantur cùm* „ *malè fecerint*, & qui *sagittant in occulto rectos corde*? Profectò miror ego quempiam „ talibus querelis aures præbere, nec vellem „ mihi attribui peccatum, quod committe- „ retur expungendo è libro aliqua forsitan „ maximè necessaria, & à quibus aliquorum „ nobis perperam adversantium salus pen- „ deat & conversio. „ At,

„ At, inquis, ea frequentiùs quàm par „ est, inculcantur. Atqui ego eadem non ſa„ tis ſæpe commemorari contendo. Verba „ quædam quaſi fortuitò, & obiter prolata „ non animadvertuntur: crebra verò ejuſdem „ rei repetitio & inculcatio homines, etiam „ obſtinatos movet. Tum denique illi atten„ dunt, cùm idem ad omnes Sacrorum Li„ brorum Paginas occurrit.

„ At inſtant illi, videtur id ſtudio affecta„ tum. Ajo ego, tanto eſſe melius. Quæ„ dam affectatio bona eſt; ſi tamen hæc af„ fectatio dicenda, quæ potiùs eſt ex re na„ ta tranſlatio, & accommodatio, ex quâ in„ telligitur, nos de præſenti aliquâ Eccle„ ſiæ neceſſitate vehementer eſſe ſollicitos. „ Hanc rationem tenuit S. Auguſtinus, ea „ dogmata, de quibus ad populum verba fa„ ciebat, nunquam non ad Pelagianos, ad „ Donatiſtas, ad Arianos, ad Manichæos „ transferens atque accommodans, cum qui„ bus hæreticis erat decertandum.

„ Dicantur libri iſti olim vexationis tem„ pore conſcripti. Id prorſus veritati con„ gruet, neque accidit incommodè, quod „ ea res poſteris innoteſcat, & publicè præ„ dicetur. Si verò quod dicitur; ſibi vexa„ tores adſcribant, votorum iſtud nobis ma„ ximum eſt, quo utinam moveantur adeò ut „ reſipiſcant! „

Talia Queſnellus viro ſuarum aliàs novitatum amantiſſimo: undè facilis conjectura eſt, quàm fuerit indocilis, & correctionis, etiam amiciſſimæ impatiens.

Quid Eccleſiæ Paſtores aliud ab hæreticis, quos damnaverint, expectent, niſi ut accuſentur velut *excæcati paſſione propriâ, aut abrepti alienâ, nec præmiſſo debito examine?*

Ita de Pelagianis Cœleſtinum Pontificem non importunè monuit Neſtorius Patriarcha, futurus & ipſe poſtea hæreſios impiæ fundator, apud Baronium ad annum 430. *Julianus & Florus, & Orontius, & Fabius, dicentes ſe Occidentalium Partium Epiſcopos, ſæpè piiſſimum & prædicatiſſimum Imperatorem adierunt, ac ſuas cauſas defleverunt, tanquam Ortodoxi temporibus Orthodoxis perſecutionem paſſi: ſæpè eadem & apud nos lamentantes, ac ſæpè rejecti, eadem facere non deſierunt; ſed inſiſtunt per ſingulos dies implentes aures omnium vocibus lacrymoſis.*

Pro Petro Abailardo hæretico Romæ damnato ſcribit ejus Apologiſta contra S. Bernardum tanquam iniquiſſimum Abailardi accuſatorem, & contra Sedem Apoſtolicam quaſi inferentem anathema immerenti: *cujus,* ait, *unquam, bone Jeſu! culpa tam cæcos habuit judices, ut non utrimque cauſæ latera ventilarent? ... Iſti clauſis oculis palpant negotium, & quaſi oculati rerum cognitores, arcu iniquitatis intento, toxicum ſubitò jaculantur.* ibid. *Damnatur aureum os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, Hoſpitium Trinitatis, damnatur pròh dolor, abſens, inauditus, & inconvictus.* Nunquam ſcilicet hæretici audiuntur, niſi exaudiantur, & judicibus illudant.

Similis fuit Lamentatio Juliani, quam Auguſtinus refert ac refutat lib. 3. contra Julianum cap. 2. *Apud judices* (inquiebat hæreticus) *non potuimus agere cauſam noſtram; quia nemo de rebus dubiis benè conſultat, niſi qui ab odio, irâ & amicitiâ vacuum pectus attulerit, quales non fuerunt, qui de causâ noſtrâ judicarunt; quia priùs eam odiſſe cœperunt, quàm noſſe.*

Calvinus in Præfatione Antidoti adverſus Tridentinum Concilium, Patres illos ait *partim ambitione irretitos, partim excæcatos avaritiâ, partim rabie accenſos contrariam Fidei & veritati tuliſſe ſententiam;* imò latam arbitrio ſolius Pontificis, cui Patres ſolis auribus annuerint. Ita à Calvino Queſnellus non ſolos ſuos de gratiâ errores; ſed & planctus & querimonias adverſus judices haurire potuit.

Libellus quidem quatuor columnarum provocat nos ad Epiſtolam, neſcio quam, S. Bernardi, in qua Regnum Chriſti dicitur habiturum dies malos & corruptionis. Addit, S. Auguſtinum in Pſal. 7. conqueri de futurâ aliquando peccatorum multitudine, quæ jam inde ſentiri magnâ ex parte cœperit: de ingenti numero rejicientium fidem, quæ abſque mixtione errorum illibatè ſervabitur *in perpaucis*, de quibus dictum eſt, *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Verùm nihil hìc pro damnato Articulo, qui totus eſt de hodiernis perſecutionibus adverſus *veritatem* ejuſque *diſcipulos*.

Denique etſi aliquando extitiſſet *tempus* illud *deplorabile*, quo credebatur *honorari Deus, perſequendo veritatem ejuſque diſcipulos*, ut olim contigit Chriſto & ejus Apoſtolis ac Diſcipulis, quando Principes communiter veritati Evangelicæ fuere contrarii, atque erit forſitan tempore Antichriſti; ideòne veritati, juſtitiæ, ædificationi conſonum, omnia quæ de tempore illo memorantur deplorabilia, in præſentem transferre rerum ordinem & ſtatum Eccleſiæ?

Nonne atrociſſima hoc tempore calumnia meritò cenſebitur, & crimen læſæ Majeſtatis, omnes Principes arguere tanquam hoſtes Chriſti, Evangelii, & omnium Divinam Prædicantium veritatem?

Videbatur olim totus orbis factus Arianus; quod si de præsenti asseratur tempore, quem reperiet suffragatorem?

Quæ denique hoc Articulo impingitur Ecclesiæ ejusque Præsulibus, supremo in primis Christi Vicario, atrocissima calumnia, nullo nititur, nisi hæresios fundamento; nullâ, nisi ejusdem generis authoritate.

Tota scilicet, de quâ Quesnellus queritur, est persecutio adversus Catholicam veritatem, ejusque Discipulos, Augustinianorum dogmatum Sectatores. Hi supponuntur odio esse Pontificibus & Episcopis tanquam hæretici: sustinent quidem Jansenium, Ducemque velut tutissimum sequuntur, utpote qui nihil ab Augustino, nihil à Divinis Oraculis, eorumque Sanctissimis Interpretibus docuerit alienum.

Istud autem usitatissimum passim hæreticis commentum est. Quis enim damnatissimus ab Ecclesiâ Novator non sibi Divinum Codicem, non ejus fidelissimum Interpretem Augustinum, totamque quodammodo primitivam Ecclesiam, pari vindicet confidentiâ? Ipse Diabolus Christum tentans, nihil promptius habuit Scripturis Sacris. Matthæi cap. 4. *Mitte te deorsum; scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te &c.* In quem locum Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 37. Sic animadvertit: *Si quis interroget quempiam hæreticorum: Undè probas? Undè doces?... Statim ille scriptum est enim; & continuò mille testimonia, mille exempla, mille authoritates parat de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo & malo more interpretatis ex arce Catholicâ in hæresios barathrum infelix anima præcipitetur.*

Non minùs vana est Reformatorum hodiè ad puriora Ecclesiæ secula, & Patrum vetustissimos appellatio; quam meritò ut ineptissimam repellit S. Gregorius in cap. 15. Job. cap. 15. *Hæretici* [inquit] *ut ea quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ suæ professionis Magistros dicunt: cum præsentes Prædicatores despiciant, de antiquorum Patrum magisterio falsâ præsumptione gloriantur.*

Wickleffus, Lutherus, Calvinus non minùs quàm Jansenius toti, suo judicio, Augustiniani erant, & quodammodo Augustinus ipse. *Quid autem in hoc miremur?* inquit Facundus Hermianensis lib. contra Mocianum; *Neque enim melius loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli, & Evangelistæ, quorum verbis similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos conantur defendere errores.*

Denique multiplici ex capite Quesnelliana hîc temeritas apparet execrabilis; quia gravissimam intorquet Ecclesiæ Moderatoribus calumniam, quasi *veritatem* iniquissimè *persequantur ejusque Discipulos*: unde & errores in dogmaticis minimè tolerandos; sed *impios, blasphemos, contumeliosos, divinæ pietati derogantes, anathemate damnatos, Schismaticos, & hæreticos*, aliisque non levibus Censuris à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Alexandro VIII. Clemente XI. respectivè condemnatos, voluerit Quesnellus haberi & retineri in Ecclesiâ veluti *veritates* fidei: quisquis autem eas proscripserit, eorumque obstinatissimos Defensores Censuris duxerit reprimendos, imprudentissimè juxta Quesnellum, *credit sacrificare se Deo impium, & sacrificat Diabolo Dei servum; Frustra verò sibi blandiatur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos* (quales in novâ Ecclesiâ omnes sunt, extra eam nullibi reperiuntur).

Persecutores istos, inquit Quesnellus, novimus *passione propriâ esse excæcatos, aut abreptos alienâ*, minimè tamen excusabiles *propterea quod nihil volunt examinare. Tempus deplorabile, quo* (perperam adeò) *creditur honorari Deus, persequendo veritatem ejusque discipulos... Haberi & tractari à Religionis Ministris, tanquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior.*

Hæc omnia si enuntiarentur in genere, sive abstrahendo à circumstantiis temporis & personarum, videri forsitan possent, à Theologo Mystico in *Observationibus Moralibus* annotari solummodò ad præcavendum, ne Ministri Ecclesiæ in istiusmodi unquam prolabantur aut fraudibus sinant se pertrahi iniquitatem. Verùm dum asseritur, *tempus hoc advenisse*, quis dubitet, quin de hujus temporis Episcopis, atque Pontificibus intelligi Quesnellus voluerit, quæcumque horrida & detestabilia eum conspicimus de Ecclesiæ Rectoribus affirmare?

Talis autem gubernatio Ecclesiæ, talis *persecutio veritatis ejusque discipulorum, frequens* illa Sanctorum Excommunicatio, *quâ creditur sacrificari Deo impius, & sacrificatur Diabolo Dei servus*, quo fine, quo fructu palàm scribitur, & inseritur, non Historiæ; sed *Moralis Evangelicæ compendio*, linguâ vernaculâ, iteratis continuò editionibus, ad omnis

omnis ordinis, sexûs, ætatis homines divulgando?

Indè simplices & debiles in fide adeò non confirmantur, ut vacillare incipiant, & dubitare anxii; num ea, cui Sacro Batismate aggregati sunt, vera Christi Ecclesia sit, quæ in Symbolo prædicatur *Sancta*, *Catholica*, *& Apostolica*; cum quâ Christus futurum se promisit *usque ad consummationem seculi*, atque adversus quam portæ inferi nullo tempore prævalerent.

Eane, inquiunt, est Christi Ecclesia, in qua *videmus dominatum exerceri supra fidem Fidelium*, juxta Quesnelli Articulum 94. ut jubeamur credere, non quod Divini Codices, Traditio, atque his consonæ Pontificum, Conciliorumque docuerint definitiones; sed quod malesana quibusdam Episcopis, & maximè Pontificibus dictaverit *pervicacia, præventio, obstinatio, in nolendo aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos*?

Perniciosissima ista Præpositorum vitia, atque hinc nata pessima Ecclesiæ gubernatio tot Brevia procuderit, tot Decreta & Constitutiones noxias, quæ *mutant quotidiè in odorem mortis id, quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ V. G. bonos libros*, *Instructiones* dogmaticas & mysticas, *Sancta exempla* &c.

Ex eodem oritur corruptisimo fonte, juxta Quesnelli Articulum 95., quòd *Veritates eò devenerint, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi, sit veluti idioma incognitum*; *omnes* etiam *Potestates* tam Ecclesiasticæ quàm Seculares juxta Articulum 96., *sint contrariæ Prædicatoribus veritatis*.

Quæ omnia si nondum sufficere videantur, ut horrorem quis ab Ecclesiâ concipiat, accedit Articulus 100. denuntians *advenisse tempus deplorabile quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejúsque discipulos: quo à Religionis Ministris homines pii habeantur & tractentur tanquam impii, indigni omni commercio cum* Deo, *tanquam membra putrida, capacia corrumpendi omnia in Societate Sanctorum*.

Hæc indubiè *hominibus piis est morte corporis mors terribilior*. Denique persecutionis hujus calamitas superat omnes, quas Ecclesia tulit hactenus aut toleratura creditur, etiam tempore Anti-Christi. Qualiscumque enim accidit olim adversùs Catholicos rabies Tyrannorum, qualiscunque prædicitur futura sub imperio Antichristi; nemo tamen, Catholicos inter, Historicus aut Interpres, eò progreditur temeritatis, ut omnes Episcopos, Cardinales, etiam Summum Christi Vicarium, denique *Potestates omnes* tam Sacerdotii; quàm Imperii, in eam procidisse vesaniam asserat vel nequitiam, qua veritati ejusque Discipulis, seu Prædicatoribus adversentur.

Minimè quidem abhorrent Ecclesiæ nostræ Reformatores ab eâ Lutheranorum, Calvinistarum, & istiusmodi recentium hæreticorum dementisimâ calumniâ, quæ proditurum ab Ecclesiæ Metropoli Antichristum, eumque fore Pontificem Maximum comminiscuntur; verùm vix alio manifestiore judicio produnt, non ratione se, non authoritate, non studio veritatis duci; sed novitatis abripi libidine, indociles, superbos, disciplinæ omnis ac fræni penitùs impatientes: contra quos Augustini sententiâ concludo ex libro ejus 4. contra secundam Epistolam Pelagianorum cap. ultimo: *Orbem Catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potiùs vigilantiâ, & diligentiâ pastorali, post factum illis competens, sufficiensque Judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur*.

Propositio damnata Centesima prima.

Nihil spiritui Dei, & Doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesiâ; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis; & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. **Observ. Mor. Matt. 5. v. 37.**

CAPUT I.

Pestifera Propositionis doctrina exponitur & confutatur.

Documentum Pastorale quadraginta Episcoporum Galliæ de Authore Propositionis sic enuntiat." Non „ ma-

„ magis fidelis erga veritatem est, quàm Pastoralis reverens authoritatis, dum asserit, *Nihil spiritui Dei & Doctrinæ Jesu Christi magis opponi, quàm communia facere juramenta in Ecclesiâ*. Non ea hìc aboleri juramenta author vellet, quæ necessitas & utilitas in Tribunalia tum Laica, tum Ecclesiastica, & in hominum commercia invexit, ad præstandam bonæ fidei securitatem, Divini reverentiâ nominis.

„ Authoris in Jansenismum propensio satis indicat, Subscriptiones Formulæ Jansenismo oppositæ esse, de quibus conqueritur. Verùm à Summis Pontificibus Formula ista constituta est, ab Episcopis admissa, quæ discernendis Catholicis à Jansenianis hæreticis necessaria Ecclesiæ est, & ad Conciliorum veterum normam condita. Sed quantumcumque venerandâ juramentum istud nitatur authoritate, satis est, Jansenismo esse contrarium, & ad detegendos ejus sequaces, atque impediendos progressus institutum, ut *Observationum Moralium* Authori displiceat, ab eoque impugnari mereatur, velut perjuriorum occasio, impetitorum laqueus, ac modus efficiendi, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum; denique ut juramentum censeatur opponi Spiritui Dei & Doctrinæ Jesu Christi. „

Contra hanc Episcoporum Sententiam insurgit Anonymus " solita (inquit) hæc nobis adversantium nænia est; verùm ut præscindam ab assertorum illic veritate, etiam illâ suppositâ nihil sequitur, nisi Quesnellum abuti dogmate vocibus comprehenso; sed non propterea definit doctrina esse Evangelica, quod *nihil Spiritui Dei & Doctrinæ JesuChristi magis opponatur quàm communia facere juramenta in Ecclesiâ*. Cur igitur veritas condemnatur? An fortè veritas esse desinit, si qui eâ abutantur? Licetne unquam ferire veritatem simul cum eo qui abutitur? Omnis itaque veritas proscribenda est, cùm nulla sit, quo quis abuti nequeat. „ Ita ille; ex quo si quæsieris, ubinam doctrina ista Evangelica reperiatur, accipies illud Christi apud Matt. cap. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.... Sit autem sermo vester est est, non non.*

Hunc maximè convenire Christianis Sermonem, nullus Christo asserente negaverit; contra Doctrinam hanc Evangelicam peccant temerarii, qui in quolibet discursu obvio Dei nomen adhibent, jurantque ex insolitâ magis jurandi consuetudine, quàm deliberatâ voluntate. Istiusmodi jurandi formulas nimiùm aliquibus familiares, & quæcunque juramenta, quæ ex levitate, non necessitate fiunt, dedocere Christus suos voluit, & ejus Exemplo Jacobus Apostolus Epistolæ cap. 5. Præiverat Eccl. cap. 23. dicens, *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa.*

Alioquin & Deus sæpè legitur in scripturis jurasse, & omnis ejus promissio, omnis ejus assertio juramentum est, ut omnes passim Theologi agnoscunt. Ipso fatente Constitutionis adversario, S. Paulus aliquoties in Epistolis juravit, ut 1. cor. 15. v. 31.

Ex illo autem Jeremiæ cap. 4. *jurabitis in veritate, & judicio, & justitiâ*, discimus, tres potissimum requirere ad juramentum conditiones, ubi *judicii* nomine necessitas intelligitur, sive non levis utilitas: quæ triplex conditio quoties juramenta comitatur, periculum non est, ne hæc nimis in Ecclesiâ fiant communia. Propositio verò damnata non reprehendit solummodo juramenta levitatis, & vulgi Sermonibus nimium subinde familiaria, quæ Evangelio adversari compertum est, sed etiam illa rejicit, quæ publicâ authoritate constituta sunt, præsertim contra Jansenismum, charam adeò authori hæresim.

Hæc juramenta in Propositione indicari, velut necessariò abolenda, omnes circumstantiæ libri, authoris, temporis loquuntur. Quapropter non solus Propositionis abusus; sed ipsa maximè Propositio, prout omnibus controversias hodiernas non ignorantibus sonat, & communissimè intelligitur, damnabilis est, & proscribi debuit.

Scripturâ Sacrâ hæretici abutuntur; sed ex malitiâ; non quod abusibus ansam præbeat; neque in tali sensu à Catholicis; sed à solis accipitur hæreticis. Sensus verò pravus damnati hìc Articuli non à solis hæreticis; sed passim à Catholicis subesse Articulo intelligitur, atque ita Articulus ipse abusibus ansam præbet, & fomitem Jansenianæ, in juramento recusando, pertinaciæ.

Contra ea quæ milites & subditi Principibus præstant, Princeps vicissim subditis, quæ Tridentinum à Magistris, Capitula a novis Canonicis, Academiæ, etiam Lovaniensis, ab omnibus Academicis pridem exigere consueverunt, contra ea quæ quotidiè in Tribunalibus tam Ecclesiasticis, quàm laicis adhibentur, nunquam Jansenistæ conqueri auditi sunt; solum ferè exosum habuere hactenus contra Jansenianam hæresim præscriptum: quo tamen nullum salubrius ad discernendos genuinos Ecclesiæ filios à *filiis iniquitatis*,

tatis, & fistendum serpentis mali contagium, existimavit huc usque Orbis Catholicus. Secta nempe Janseniana cæteris omnibus callidior, permanendum sibi, saltem externâ specie in Ecclesiâ statuit, ut gaudeat Beneficiis & Pastorum muniis applicetur.

Catholicis juramentum istud non est occasio multiplicandi perjuria; sed perfidis Jansenistis. Priores enim credunt, quod jurejurando testantur; soli posteriores sunt, qui beneficiorum pinguedine illecti, & ab hæresios, quam animo fovent, libidine præpediti ejurant oretenus Jansenismum, quem mente retinent, & fallentes Ecclesiam, se horrendo commaculant Sacrilegio.

Jansenistarum Neophyti sunt *infirmi* illi, & *idiotæ*, quos jurandi necessitas, Jansenianam hæresim deserere jubet, & execrari. Pontifices autem & omnes Episcopi Catholici qui novæ hæresios ejurationem exigunt, sunt *impii* quorum *consilio nomen & veritas Dei* cogitur *deservire*.

Hunc sensum damnata Propositio sponte ingerit omnibus, qui in Gallicis & Belgicis controversiis non omnino peregrini sunt. Eundem ab Authore intendi, ne ipse quidem inficiari voluerit, sic eum Intelligentibus atque approbantibus, passim applausu annuunt novi omnes Augustini Discipuli.

Ab iisdem Constitutionis impugnatoribus remittimur ad Thomassinum Tractatu de juramentis & perjuriis, ubi veluti pro doctrinâ Propositionis collegerit Patrum Græcorum, & Latinorum sententias, è quibus cùm præcipuas adversarii excerptas referant, has nobis sufficit expendere. S. Augustinus Serm. 28. de verbis Apostoli, nunc Serm. 180. ait: Quia grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit scriptura, noli jurare.

Ibid. Perjurium præcipitium est... Qui jurat, in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis.

Epist. 157. aliàs 89. num 40. Evita jurare quantum potes: non assuescas jurare; quia qui jurare consuevit, omni momento proximus perjurio est. Quamvis Apostolus juraverit in Epistolis, non debemus tamen ludum facere ex juramento, & securius est jurare nunquam; quia perjurium gravissimum peccatum est.

S. Ambrosius exhort. ad Virg. Qui non jurat, utique non pejerat: qui autem jurat, aliquando necesse est incidat in perjurium; quia omnis homo mendax. Noli ergo jurare, ne incipias pejerare.

Citatur etiam lex quædam ita statuens: *volumus ut Sacramenta citò non fiant; sed unusquisque Judex priùs causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit: Nec facilè ad Sacramenta veniat.*

Imò S. Hieronymus in Matt. cap. 6. dicit: *Evangelica veritas non recipit juramentum.* Basilius in Psalmum 14. & Chrysostomus hom. 17. in Matt. existimant juramentum, quod Judæis licuit, vetitum fuisse Christianis.

Respondeo: Adversarios hic vel cæcitate non advertere, vel malevolentiâ dissimulare, istiusmodi sententias, ne erroribus faveant hæreticorum, non minùs à se, quàm à nobis congruè explicandas. Ex illis scilicet & similibus Catharistæ, Waldenses, Pseudo-Apostoli, & recentiùs Anabaptistæ statuerunt, omne juramentum in novâ lege esse illicitum. Moderatione opus censuit Wicklefus Arti. 43. dicens *juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & commercia civilia.*

Verùm etiam in his licita esse, Catholicorum omnium sensus est, & usus totâ Ecclesiâ receptissimus; modò requisiti à Deo apud Jeremiam cap. 4. tres comites adfuerint, *veritas, judicium & justitia*. Augustinus itaque, Ambrosius, Hieronymus, & cæteri communiter Patres agunt de jurationibus privatis, Spontaneis, & minimè necessariis. Lex meritò statuit, ut judices non citò Sacramentum imperent; sed priùs aliundè causam cognoscere veraciter studeant; nam aliàs in causis civilibus, si Judex ex solo Partium juramento ferret sententiam, ea est in multis hominibus prædominans cupiditas, ut multis jurationibus directè invicem contrariis, atque adeò perjuriis janua aperienda esset.

In causis quoque criminum, si Judex juramento Reorum stare voluerit, quot absolvet noxios? Si jurationibus accusantium, quot innocentes afficiet supplicio dum invidia, odium, vindicta, cupiditas plurimos ad pejerandum instigaverit. Ideò Sapientissima Legis Sanctio est, ut *Sacramenta non citò fiant; sed unusquisque Judex priùs causam veracitèr cognoscat, ut eum veritas latere non possit*, quantum quidem humana industria, & examen diligens assequi valuerit.

At Juramenta legitima, qualia præsertim authoritas suprema decreverit, & postulaverit necessitas, vel utilitas magni ponderis, bono præcipuè conducens Ecclesiæ & Religionis, talia evidens est, nequaquam prohiberi legibus, neque à Patribus reprehendi.

Tale est conditum ab Alexandro VII. contra Jansenianam hæresim de quo ferè unicè audita hactenùs fuerat Jansenistarum querimonia. Nunc quidem aliqui damnatæ Propositionis vindices, quasi ad amoliendam ab eâ

cà Jansenismi invidiam, etiam alia sibi displicere indicant juramenta, quæ in nonnullas irrepsere familias vel societates. Sed non illa propriè sunt *in Ecclesiâ communia*, aut occasio fuere improperii adversus Christi Vicarium penès quem solum authoritas est *communia sanciendi Ecclesiæ Juramenta*.

Mirari etiam hic cogimur Quesnelli indolem in calumnias contra Ecclesiæ Principes adeò pronam, & simul artem in Factionis commoda versatilē. Juramenta redarguit maximè legitima velut Spiritui & Doctrinæ Christi opposita, occasionemque præbentia multiplicis perjurii; ubi nullâ ejus species est, nullum periculum, nisi quibusdam perfidis suæ sectæ commilitonibus, qui, ut perditæ conscientiæ sunt, perjuria & Sacrilegia pro ludo habent.

Ne tamen de enormi adeò crimine publicè convicti, infames omnibus reddantur, & execrandi, fallaciâ exquisitissimâ commentus est modum jurandi Formulâ Alexandri VII, absque interiore assensu ejus, quod invocato Dei nomine affirmatur. Quemadmodum scilicet Quesnelli Magister Arnaldus in *Propositis Steyaertio difficultatibus* absolverat universos à debita Pontificibus obedientia, sic ejus discipulus, quod Magister suscipere vel tentare nunquam ausus fuerat, commentus est insigni studio rationem, qua à perjurio sacrilegium, omnemque abstergeret iniquitatem.

Permisit itaque omnibus publico asserere juramento, quod interiùs non solùm non crederent; sed inter ea rejicerent quæ compertissimæ falsitatis sunt. De hoc copiosiùs atque accuratiùs differendi locus erit utroque cap. sequenti. Interim notare sufficiat artem illam jurandi apparuisse novis Apostolis necessariam, ut in hæresi permanentes obstinatissimi, tamen Catholici viderentur, à nullis imposterum Officiis aut Beneficiis excludendi.

Librum itaque Quesnellus composuit hoc mendacissimo titulo: *Defensio Ecclesiæ, & Summorum Pontificum*, cui convenisset magis inscriptio contraria: oppugnatio Ecclesiæ, & Summorum Pontificum. Fraudem facilè percepit Apostolica Sedes, & Vaticano fulmine profligavit. Ipse Ægidius de Witte Candidorum præcipuus Jansenistarum, intolerabilem perfidiam censuit; & primæ veritatis contemptum, eam frivolo istiusmodi obtentu in testem vocare mendacii certissimi.

Ita Quesnellum in juramentis legitimis perperam scrupulosum, in permittendo autem suis evidenti perjurio laxissimum, ferit ille Doctoris mellifluì aculeus Serm. 63. in cantica, *Indixere* [Henriciani] *latebras sibi, firmaverunt sibi sermonē nequā, jura, perjura, Secretum prodere noli. Enimverò aliàs ne tenuiter quidem jurare ullatenùs acquiescunt propter istud in Evangelio, non jurare, neque per Cœlum, neque per Terram. O stulti & tardi corde, repleti Pharisaico planè Spiritu, liquantes culicem, & camelum glutientes! Jurare non licet, & pejerare licet? An in hoc solo utrumque licet? De quonam Evangelio rumloco producitis mihi istam exceptionem, qui ne jota quidem, ut falsò gloriamini, præteritis? Patet vos & superstitiosè observare de juramento, & flagitiosè præsumere de perjurio. Operversitatem! Quod ad cautelam consultum est, videlicet non jurare, hoc isti mandati vice tam contentiosè observant, & quod immobili jure Sancitum est, non pejerandum scilicet, hoc tanquam indifferens pro suâ voluntate dispensant.*

Quis Quesnello in ultroneis juramentis de intentionum suarum rectitudine liberalior? Anno 1712. 8. Januarii contra libri sui condemnationem, scribens *Explicationem Apologeticam* pag. 47. ait; *Deo teste declaro, nunquam mihi animum fuisse recedere ab eorum* (SS. Augustini & Thomæ, Pontificum & Ecclesiæ) *Sententiâ; sed contrà, quod semper mihi legem fixerim, eorum tanquam Magistrorum insistere documentis*. In eadem Explicatione Apologetica ait: *Possum Deo teste affirmare, quòd nihil aliud voluerim, quàm* (de Petro sine gratiâ derelicto) *exprimere doctrinam scholæ Thomisticæ*.

Nescio an ab ullo unquam hæretico, ut genus istud hominum solet esse Religiosis Ordinibus infestissimum, prodierit ulla Satyra magis virulenta, & quæ omnes libelli famosi notas characteristicas in se manifestiùs expresserit, quam liber Gallicus hanc præferens Epigraphen *Morale pratique des Jesuites*, non in Tribunali solùm Apostolico, sed in pluribus etiam secularibus Galliæ & Belgii condemnatus, Nihilominùs authores eum tomis pluribus prosecuti sunt: *Authores*, inquam, quia partim ad compositionem, partim ad corradendam undique materiam collata videtur à pluribus opera; ab Arnaldo potissimùm & Quesnello.

Illic Præfatio Tomi primi Jesuitas monet, *ne existiment hæc omnia adversùs se colligi, ad creandam infamiam, vel nocumentum: absit à nobis talis intentio, quin Deum invocamus testem, non alio nos motivo, non aliâ duci ratione, quàm sincerissimæ erga eos charitatis*. Alius sceleratissimam vocaverit hypocrisim, cui non sufficit totius Religiosi Ordinis quæsita tanto studio infamia, nisi ementitæ charitatis velamine, & aperto perjurii sacrilegio con-

confirmetur. vix melior juramenti religio in Quesnelli cernitur discipulis. Inter hos Jacobus Gilbert Duacensium Cancellarius Arnaldo scribens, queritur de *vulnere Divinæ gratiæ inflicto ab Alexandro VII, cujus nondum obducta cicatrix sit*. Discipulos tamen in dictatis de gratiâ sollicitè monet, ut attendant, quòd bis Alexandrinæ formulæ jurejurando subscripserit; subscripturus centies, si opus fuisset.

Impotens Jansenistarum ardelio Eugenius de Gelder à nemine rogatus, juramentum scribit ad Innocentium XI. in *ultimâ voce zelatricis innocentiæ*, se cùm è Monasterii carcere versus Hollandiam profugeret, toto, quo extra Monasterium degeret tempore, *ne vel minimo quidem veniali delicto* proximis scandalo fuisse.

Commodissimum salvandis, seu fovendis potiùs & multiplicandis sine fine perjuriis, quod Quesnelli excogitavit industria, reservo capiti ultimo discutiendum. Nos omni tempore sapiamus cum Ecclesiâ: Quodcumque ea postulaverit juramentum, sine scrupulo præstemus simpliciter, sensu obvio, atque ut monuit Augustinus, juxta mentem exigentis: oppositam autem detestemur Jansenistarum hypocrisim, Deoque & Ecclesiæ volentium illudere perfidiam exitialem.

CAPUT II.

Dissertatio de præscripti ab Alexandro VII, juramenti utilitate & necessitate.

Dialogus Catholicum inter & Jansenistam.

CATHOLICUS: Mirifica in vobis religio est, quæ Regnorum omnium, & Rerumpublicarum Administris, Magistratibus, Academiis, Canonicorum Capitulis juramentum fidelitatis sine scrupulo præstantibus, in solo, quod contra novam hæresim clerus Galliæ, cum Rege Christianissimo, urgentissimis precibus postulavit, Sedes Apostolica præscripsit, vos anxios reddere videtur.

JANSENISTA: Quin omnes, quibus aliqua Divini nominis reverentia est, deberet eadem juramento isti reddere manibus, ut ita dicam, & pedibus renitentes. Quis enim vel primæ lanuginis Theologus ignorat, juramentum requirere tres comites, *veritatem, justitiam & judicium*, è quibus conditionibus si una defecerit, non religionis actus, sed vitium est. Quid autem si ne una quidem adfuerit?

CATHOLICUS: Magni indubiè ponderis suppositio est; verùm ut Ecclesiasticâ pridem, eâque supremâ authoritate lex Juramenti condita fuit, & communissimo stabilita consensu, possessionem sibi vindicat legitimam, à quâ non inanibus partis oppositæ clamoribus; sed rationibus solidis valeat deturbari.

JANSENISTA: Nobis Doctor maximus Augustinus, quemadmodum Hipponensis, ita & Iprensis, cum doctrina uterque sanctissimâ in possessione est. De Hipponensis dogmatibus, perpetuò ab Ecclesiâ approbatis, non arbitror tibi lubitum altercari; Iprensis autem de gratia & cæteris fidei Articulis institutionem, prorsus esse consonam Hipponensi, luce clarius meridianâ est.

CATHOLICUS: Quæ tibi lux meridianâ fulgentior est, nobis non nisi tenebræ sunt vel quod hæreticorum erroribus impingit Hieronymus, *Dæmonium meridianum*. Tanti hæreticorum plausus, edito Jansenii volumine, suspicionem meritò Catholicis moverunt, de subdolo ejus cum Ecclesiæ hostibus concentu. De hoc posteа Doctorem quemlibet novitatis studio non præoccupatum ejusdem libri cum Calvinistarum Operibus collatio facilè reddidit certiorem.

JANSENISTA. A Proposito non divertamur. Iterùm dico, in juramento Alexandri VII. contra Jansenium, neque *veritatem* reperiri, neque *justitiam*, neque *judicium*. Ordior à Priore. Si ostendero in Episcopi illius opere quinque Articulos damnatis totidem apertè contrarios, quomodo jurare, aut asserere, prudenter potero, damnatos, quos nusquam invenio, ab eodem fuisse Antistite traditos, atque in eodem volumine?

Prima inter quinque Propositiones Jansenio imputatas est: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant*. Vis ei contrariam videre in Jansenio?

CATHOLICUS: Nunquam Doctoribus Orthodoxis onus impositum fuit, ut ab hæreticorum lucubrationibus omnem averterent contradictionem. Pugnantibus inter se Lutheri Sententiis Catholici olim opuscula impleverunt. Proprium scilicet est in atra caligine, vel Labyrintho errantibus, ut ad eumdem, quem deseruerant, locum frequenter redeant. Sed non isto nobis opus est, ut de primâ Propositione Jansenium convincamus; imò ut in ejus opere legendo, discutiendoque, diligentiam posui minimè vulgarem, in illo fateor, me pugnantia non deprehendisse, nisi quod Pontificiis sæpè Constitutionibus

nibus obedientiam promittat, quam evidens est ab ipso locis pluribus violari,

JANSENISTA: Audi itaque Propositionem primæ contrariam, Lib.3, de Gratiâ Christi cap.13." Præcepta Dei sunt homini „ possibilia, seu possunt ab homine fieri, & „ consequenter ea homo potest facere. Ete- „ nim si jam Justificatus est, habet charita- „ tem seu bonam voluntatem, per quam „ Deum diligere & consequenter totam le- „ gem implere potest. *Plenitudo enim Legis* „ *est dilectio*, inquit Apostolus. Si autem fi- „ delis; sed nondum justificatus est, habet „ aliquid bonæ voluntatis, quatenus credit; „ nam ubi est initium fidei, est etiam initium „ bonæ, hoc est, piæ voluntatis. Per hanc „ autem potest mundari, potest uberius au- „ xilium invocare, & consequenter rectè piè- „ que vivere. „

CATHOLICUS: Agnosco Jansenii verba, quibus exultat Ægidius de Witte in nuperâ Panegyri Jansenianâ Pag. 118. Eadem larvatus Sanvictorius in *Prætenso Dei inimico* objecerat, quem Cardinalis Aguirre in Defensione Cathedræ Sancti Petri Disput.2 r. Sectione 1. confutans, refert ex Jansenio verba damnatæ Propositionis clarissima: tum addit " Quod verò ille [Sanvictorius] in op- „ positum allegat ex Jansenio, solùm evin- „ cit, ipsum concessisse homini potestatem „ quandam remotam ad implendum Præce- „ pta Dei, quam ne quidem Lutherus, „ Calvinus, Beza, Zanchius, Molineus & „ Pareus jurati Ecclesiæ Catholicæ & Li- „ berii arbitrii hostes negarunt, ut palam „ ostendit eruditissimus de Champs lib.2. „ cap.1. & 2. prolatis ipsorum verbis.

„ Quin & novus ille Jansenii Defensor „ (Antonius Arnaldus) quem Theophilus „ Raynaldus integro Tractatu exagitat sub „ nomine *Arnaldi de Brixia Lutetiæ redi-* „ *vivi*, ex ipsius Jansenii mente ajebat: *sunt* „ *Sanè justis quandoque impossibilia Dei man-* „ *data; si gratiâ efficaci destituantur: neque* „ *gratia efficax semper præsto est, & hoc tan-* „ *tùm ait Jansenius*. „ In quam Arnaldi & Jansenii Sententiam sic meritò notat Eminentissimus Aguirre." Satis certè ut quotquot „ oculos habent, videant [ut riusque] do- „ ctrinam esse eandem cum fulguritâ ab In- „ nocentio. „

JANSENISTA. Si quis error Jansenii fuerit, merè historicus est, sive ad *factum* pertinens, non autem Dogmaticus, cui soli convenire Censura hæresios potest. Quandoquidem igitur, ut profiteris, tantâ sis diligentiâ in Jansenio versatus, locum indica, undè damnata à Pontificibus Propositio desumpta est, & perfidiam deprehendes eorum, qui Sedem Apostolicam deceperunt.

CATHOLICUS. Libro.3. de Gratiâ cap.13. ait Jansenius." Hæc igitur omnia ple- „ nissimè planissimèque demonstrant, nihil „ esse in S. Augustini Doctrinâ certius ac fun- „ datius, *quàm esse præcepta quædam, quæ* *hominibus non tantùm Infidelibus, excæcatis, & obduratis; sed Fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, quâ possibilia fiant*.

JANSENISTA: Vides, nihil hìc à Jansenio asseri tanquam suum; sed tanquam Augustini, cujus relatorem solùm agit, atque Interpretem. Delatores itaque resciſſo Sententiæ capite, eam referentes mutilam, Jansenio velut propriam imputant, quam constat ab eo minimè affirmari; sed solum tribui Augustino.

CATHOLICUS: Tuæ me tenet ignorantiæ commiseratio, si in cavillatione tam frivolâ obstinatus non es: aliàs si in voluntate vitium est, frustrà te rationibus conveniam; sed Divinæ committendus es Providentiæ, precibusque pro re clementia exoranda est. Agnosce itaque Articulum, prout Pontificio continetur diplomate, inflictam mereri hæresios Censuram: mearum tunc partium erit ostendere, quod quidquid in proscripto Articulo est, à Jansenio tanquam proprium affirmetur.

JANSENISTA: In quinque Propositionibus secundùm se, & in sensu obvio condemnandis, ut voluit Innocentius XII. duobus Brevibus, & Decreto ad Belgii Episcopos directo, declaravimus nos facilè consensuros, neque eatenus fore contrarios Formulæ juramenti ab Alexandro VII. præscriptæ; sed tota nostra pro salvando Jansenii sensu vigilat & laborat intentio.

CATHOLICUS: Si Augustino adscripta à Jansenio Sententia Censuram hæresios merita sit, quomodo posteriorem Antistitem à Doctrinâ hæreticâ liberaturus sis, non percipio; non enim relatorem Augustini simplicem aut interpretem agit; sed assertorem defensoremque acerrimum, ejusdem de gratiâ Sententias nusquam inter adiaphoras relinquens; sed inter certissima referens Catholicæ fidei ac religionis dogmata, de quibus Christiano nefas fuerit dubitare.

Sic ipsa Jansenii Præfatio in Tomum 3. de Gratiâ. *In illa*, inquit, *materiâ versamur, ubi post tot Apostolicæ Sedis Conciliorumque pronuntiata ex Augustini libris verbo sensuque tenus hausta, meritò adversus hujusmodi retorquere possumus; si quis vobis annunciaverit*

verit præter id ; quod ex Augustino accepisset, anathema sit. Similia non pauca in promptu sunt, ut asserere non verear, adeò esse manifestum, quod à Jansenio propriæ Stabiliendæ Sententiæ Augustini authoritas adhibeatur, ut qui negare voluerit, necesse sit, Jansenium non legerit, vel Theologici sermonis ipsiusque idiomatis latini imperitissimus censeatur.

JANSENISTA : Saltem secunda, quæ Jansenio tribuitur Propositio, ejus esse non potest: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Quid ei potest esse evidentius contrarium, quàm illud Jansenii: lib.2. de Gratiâ Christi cap.27. *Constat multos mente Divinitùs collustrari, imò verò & in ipsâ voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ suasione dissentiunt.*

Lib.8. cap.2. inter septem discrimina, quibus suam à Thomisticâ prædeterminatione gratiam segregat, illud statuit, quod: *Prædeterminatio Physica talis esse dicitur, ut in quibuscunque circumstantiis voluntas collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo; nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Est victrix quando alteram superat; quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est.*

CATHOLICUS: Componi ista facilè cum Propositione secundâ hæresios damnatâ, disce ex ipso Jansenio lib. 2. de Gratiâ cap.27. *Neque verò moveat quemquam, quòd constet, multos divinitus mente collustrari: imò verò & in ipsâ voluntate motibus Divinæ Gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ suasione & inclinatione dissentiunt: ut propterea falsum putet, gratiam in eo cui datur, semper operari.*

Capiti primo hunc præfigit titulum: *Tangitur natura sufficientis adjutorii, & ostenditur, nullum dari, quod non sit efficax.*

Cap.24 *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit suprà voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.* Legitima apud omnes consecutio est à negatione potentiæ ad negationem actûs. Resisti gratiæ non potest: ergo non resistitur, sive resistitur nunquam; quia in dogmaticis enuntiatio indefinita, seu absoluta & illimitata æquivalet universali.

Eadem expressio venenum continet Propositionis 4. cujus hæresis sita est in eo, quod hominem ita judicet abripi à gratiâ, ut non sit potentia resistendi. Sic enim habet: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

JANSENISTA : Quæ citabas ex Jansenii cap.24. verba, mentionem non faciunt hæresios Semipelagianæ, multò minùs eam conjiciunt in adversarios.

CATHOLICUS: Ab eâ Censurâ non abstinet Jansenius lib.3. de hæresi Pelagianâ cap.6. *In hoc ergo*, inquit, *propriè Massiliensium* (Semipelagianorum) *error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum; ita lapsus homo credere posset, si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate.*

Propositionem 4. declaravere Pontifices *falsam & hæreticam*: ubi falsitatis Censura afficit errorem historicum, quo asseritur admissa à Semipelagianis fuisse necessitas gratiæ *ad singulos actus, etiam ad initiũ fidei*: Censura verò *hæresios* ad dogma pertinet, quo negatur homini potestas libera gratiæ resistendi. Ex eo quoque Janseniani Articuli crescit temeritas, quod non Scholasticæ opinioni; sed dogmati Catholico, atque ad fidem maximè spectanti, hæresios maculam aspergat.

JANSENISTA: Damnato Articulo contrarium audi ex Jansenio lib. 8. de Gratiâ Christi cap.21." Calvinus docet, gratiam ita
„ movere hominem, ut non sit ei liberum re-
„ sistere. Sic enim loquitur lib.2. Instit. cap.3.
„ *voluntatem* Dominus *movet, non qualiter*
„ *multis seculis traditum est, & creditum, ut*
„ *nostræ posteà sit electionis*, motioni *aut ob-*
„ *temperare aut refragari.*
„ Augustino verò Dominus ita movet vo-
„ luntatem, ut quamvis infallibiliter con-
„ vertatur & operetur, possit tamen motio-
„ ni Dei refragari aut obtemperare; seu ut
„ Concilium Tridentinum loquitur, *illi di-*
„ *ssentire si velit.* Potentia quippe resistendi
„ non repugnat actuali gratiæ motioni &
„ consensui; quamvis fieri nequeat ut cum
„ actuali Dei motione jungatur.„

CATHOLICUS: Doleo indignam adeò Doctore & Antistite cavillationem, Jansenii calamo excidisse: neque scio, quomodo Discipulos ejus, aliàs non hebetes, verecundia haud retinuerit, à talibus Magistri sui vindiciis, quæ damni plus inferunt ejus famæ, quàm inflicta à Pontificibus condemnatio; quia erroribus mortales omnes obnoxii sumus;

sed fallacibus eos obtentibus propinare, non animi indicium Orthodoxi est. Locus ille Jansenii à fraudulentis ejus Propugnatoribus Definitioni Pontificiæ pridem objectus legitur; sed à Catholicis tantâ sæpiùs evidentiâ convictus, ut honestatis quodammodo esse expertem oporteat, qui frivolam adeò Janseniani sensûs hæretici excusationem in medium rursus produxerit.

Fictitio Sanvictorii nomine Jansenista, in *PratensoDei inimico* cùm eandem cramben recoqueret, hoc tulit responsum ab Eminentissimo Aguirre in *Defensione Cathedræ* S. Petri Disput.2 t. Sect.4. " Mirum est, quo ausu „ nuperus ille Jansenii defensor neget, eam „ doctrinam fuisse ab Antesignano suo traditam lib.8: de hæresi Pelagianâ cap.6. hisce „ verbis: *in hoc ergo propriè Massiliensium error* &c. „ ut jam retuli. Post quæ sic Eminentissimus animadvertit. " Quid clariùs? „ Similia habet (Jansenius) cap.7. & lib.2. „ de Gratiâ Christi cap.12.25. aliisque locis. „ Nec mirum: ita loquitur consequenter ad „ Doctrinam à se traditam lib.8. de Gratiâ „ Christi cap. 3. 15. & 19. ubi ex professo „ docet, Gratiam Christi non esse ejusmodi, „ cui voluntas assentiatur si velit; & non „ assentiatur si nolit; sed quæ volendi & assentiendi necessitatem imponat. Undè oppositum asserentes censuit desipere cum „ Semipelagianis... Vide Dechamps lib.1, „ Disput.3. cap. t.

„ Neque obstat, quòd recentior ille (Sanvictorius) in oppositum allegat ex lib.8. de „ Gratiâ Christi cap.21. Ibidem enim solum „ asserit, voluntatem hominis sub gratiâ retinere potentiam radicalem, seu remotam „ ad resistendum, quod nec Lutherus, nec „ Calvinus, nec aliæ pestes ejusmodi negant: „ quorum testimonia plurima congerit Dechamps ibid. cap.2. aliisque pluribus locis. „

Mox quoque forsan occasio mihi dabitur confirmandi.

JANSENISTA: Quidquid de memoratis Propositionibus sit, at certissimè nihil reperies in Jansenio, quo reus agatur Propositionis 3. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Dic igitur quid Denunciatores hic poterit à calumniâ vindicare, Pontifices autem ab errore, quando ab accusatoribus decepti tribuunt Propositionem Jansenio, in quo, quantumlibet te versatum profitearis, nullum ejus reperies vestigium?

CATHOLICUS. Imò si cavillationibus sepositis, veritas quæratur unicè, demonstrandum suscipio, nullam sive Jansenio, sive cuiquam superiorum temporum hæretico doctrinam, in quocunque genere fuisse certiùs imputatam.

JANSENISTA. Si fidem hìc tuam liberaveris, manus dabo etiam quoad cætera.

CATHOLICUS: Suppono Jansenium fuisse meriti & demeriti, saltem verbotenus assertorem.

JANSENISTA: Tolle *verbotenus*: In hoc enim fidei dogmate nullus fuit Calvino infensior.

CATHOLICUS: Quidquid in hoc pro Antistite Iprensi dixeris, nequaquam mihi animus est refragari; quantumlibet difficulter, quin nullâ penitus ratione Sententia ejus, cum vero merito ac demerito componatur.

JANSENISTA: Tu perge in demonstrationis proposito.

CATHOLICUS: Penes Jansenium lib.6. de gratiâ Christi caput 6. hanc præfert epigraphen. *Duplex necessitas Augustino, coactionis & simplex seu voluntaria. Illa non hæc repugnat libertati.* In ipso capite: *Nescio quid manifestius, urgentiusque proferri possit, ad demonstrandam volitionis cujusque libertatem, etiam illius, quam nos habere necesse est.* Notissima quoque Jansenii Sententia est, quod *sola necessitas coactionis repugnet libertati*, quòd libero sola prementis cogentisque necessitatis violentia repugnet. Denique lib.8. de Gratiâ Christi cap.19, *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est; sed sola coactio, & necessitas violentiæ.*

JANSENISTA: Vulgatissima ea sunt Episcopi Iprensis placita; sed quid inde lucis resplendet, pro tertiâ, ut pollicitus fueras, Propositione in Jansenio exhibendâ?

CATHOLICUS: Si sola violentia & coactio repugnet libertati, sola eadem impedit meritum ac demeritum; omnis enim actio libera juxta Jansenium capax meriti vel demeriti est; si quidem Tom.2. Editionis Lovaniensis col.517. in titulo capitis *Non datur medium inter Charitatem & culpabilem cupiditatem.*

Præterea famosum Jansenii noscitur axioma. *Quod ampliùs nos delectat, secundum id velimus & operemur necesse est*: Quod autem animus neque bonum neque malum velle possit, nisi præviæ tractus illecebrâ delectationis & quidem indeliberatæ, neque in nostro positæ arbitrio ut absit vel adsit, indubitata Jansenii Sententia est.

JANSENISTA: Neque istud inficior.

CATHOLICUS. Si dum ad malû alliciens fortior, sive ardentior fuerit tentatio, succumbitur necessariò: Si dum suavior extiterit invita-

vitatio gratiæ ad bonum, non minùs eam sequimur necessariò, omnis nostra actio deliberata capax meriti vel demeriti, juxta Jansenium elicitur necessitate, saltem simplici, & citra violentiam aut coactionem.

JANSENISTA: Quid igitur respondeas ad illud Jansenii lib. 6. de Gratiâ Christi cap. 34. *Hominum Viatorum non solùm coactionis expertem esse libertatem; sed necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est eam ad utrumque indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino, & Patribus, & Catholicâ fide fatemur perlibenter?*

CATHOLICUS. Opponit ibi Jansenius voluntatem hominum viatorum, voluntati eorum, qui in termino sunt, sive homines sive Angeli. Quicunque [scilicet Beatitudini adscripti sunt, voluntates habent inviolabiliter affixas bono, damnatos autem à malo recedere, atque ad bonum converti est impossibile. Solis denique viatoribus in hoc propria mutabilitas est; quamvis ad bonum malumque conversio, juxta Jansenium ab electione nostrâ liberâ nequaquam pendeat; sed à determinante necessitatemque indeclinabilem inferente illecebrâ, seu gratiæ, seu concupiscentiæ, quæcunque contigerit, alterâ ardentiorem esse.

JANSENISTA: Iprensis Augustini Sententiam, non malè assequeris, neque exponis infideliter: sed præcipua difficultas superest, an Iprensis ab Hipponensi dissentiat.

Quantis enim Conciliorum, ipsorumque Pontificum Suffragiis authoritas Doctoris Maximi stabilita sit, nosti; si igitur Iprensis Episcopi doctrina à Doctoris Sanctissimi dogmatibus non aberret, apparebit consecutio necessaria, Innocentium X. ejusque in Petri Cathedrâ Successores, aut non intellexisse Jansenii in quinque Propositionibus sensum, aut si intellectum reprobarint, in hoc suo judicio fuisse infeliciter prolapsos. Errores enim, & quidem hæreticos impingere tot Conciliis & Pontificibus, qui Augustini dogmata tantis celebravere elogiis, quis audeat Ortodoxus? Tuam in primis prudentiam ab eâ pridem novi temeritate alienam.

CATHOLICUS. Non est hujus loci aut temporis coacervare textus, ex quibus Augustini utriusque oppositio pateat indubitata. Abundè id præstitum est in *Constitutionis Unigenitus propugnatione Theologicâ*, Tomo primo, qui totus ferè est de proscriptis in Jansenio Propositionibus, quæ verbis a Quesnello æquivalentibus resuscitantur, invitissimo Augustino, cui non plus commune est cum Jansenio, quàm luci cum tenebris, veritati cum erroribus hæreticis.

Constitutio Theol. propugn. Tom. IV.

JANSENISTA: Fierine potest, ut in Augustino intelligendo adeò cæcutierit Jansenius, viginti & ampliùs annorum spatio, quo unicè incubuit, ad Augustini mentem componendo volumini, vivace ingenio, & *lectis ferè decies omnibus ejusdem Sancti operibus*, quæ verò de gratiâ sunt & libero arbitrio, *plusquàm trigesies à capite ad calcem*, ut refert Valerius Andreas in ejus vitâ?

CATHOLICUS. Non defuere inter hæreticos viri etiam acres ingenio, qui non minùs forsitan temporis impenderint studio scripturæ, quàm Jansenius Augustini, cujus tamen mentem minimè assecuti, hæreses ex eâ conflaverint maximè pestilentes.

Multum interest, quo animo, quibus præoccupato opinionibus Augustinus & Sacræ literæ Paginæ legantur.

Infortunium Jansenii creditur, quod adolescens, emenso Pphilosophiæ biennio in Magistrum inciderit Jacobum Jansonium, qui Michaëlis Baii olim Discipulus fuerat, neque eum eo penitùs deposuerat novitates.

Alia dein non levior accessit Jansenio juveni calamitas, quod in Galliam profectus, familiaritatem contraxerit cum Sancyrano, à quo institutionis pessimæ acceperit complementum.

Talibus itaque imbutus ab initio documentis videtur Augustini studium non tam ad intelligentiam adhibuisse, quàm ad Doctorem Maximum præconceptis à se novitatibus conciliandum.

Neque desunt Theologi inter Polemicos notæ non infimæ, qui Jansenium appellent hæreticorum Plagiarium, ostendere parati, vix quidpiam in ejus reperiri volumine citatum ex Augustino, quod ex eodem Sancto non antea descripserint Calvinus, Ufferius, & plures ejusdem sectæ hæretici.

Lepidum autem est quod de Ufferii libro refertur à Dechamps.

Tenebam eum, inquit, expositum in mensâ, non compactum, qando casu accidit, ut me inviseret Jansenianarum partium Theologus; quo ingrediente, primum libri folium tantisper sep osui.

Conspicatus ille solutum volumen, putabat recentiùs editum, eumque avidus evolvens legeret plurium Inscriptiones Capitum, exilire cœpit gaudio: istud est, exclamabat, cujus ardebam aliàs desiderio, Augustini Iprensis compendium. Sed præcoci triumpho mox finis impositus est, quando initio libri titulum apposui, undè patuit opus esse Ufferii Calvinistæ, Janseniano anterius.

Hinc vitum subitus pudor & confusio tanta corripuit, ut me ne salutato quidem, disce-

diſcederet. Vera ſit Hiſtoria, ut refertur, aut fabula, confirmat Janſeniani Syſtematis cum Calviniano Sacrilegio conformitatem.

Quidquid etiam de eruditione Janſenii, de promptitudine atque acumine intellectûs ejus magnificè prædicent ejuſdem Diſcipuli, ego quidem, volumine ipſius cum Calviniſtarum aliquot lucubrationibus, quàm potui accuratiſsimè expenſo, non aſſequor, cur tot annorum ſtudia, tam frequens Auguſtinianorum Operum lectio neceſſaria illi fuerit pro compoſitione libri, cujus materiam pridem ab hæreticis invenerat parte ſaltem maximâ præparatam.

JANSENISTA: Solitus non erat Janſenius libros volvere hæreticorum: neque in ſuâ tenere expoſitos Bibliothecâ.

CATHOLICUS. Ubicunque eos cuſtodierit, privatorum oculis ſubductos, ſcripſeritne ſine illis, prædicatas adeò magnificè à Diſcipulis contra Calvinianos controverſias? Num & in iis, quæ Calvino conformia ſcripſit, locum obtinuerit vulgare dictum *Magna ingenia ſæpe conſpirant*? Caſu videlicet mirabili evenerit, ut Janſenius Doctrinæ ab hæreticis traditæ nequaquam conſcius, eandem ſuo paſsim expreſſerit volumine? Si diligens adeò fuiſſet in legendo Angelico Doctore, quàm à ſuis fingitur fuiſſe in ſtudio Auguſtini, præcipuum hæreſeos ſuæ fundamentum ſubrutum vidiſſet in Quæſtionibus diſputatis de malo Quæſt.6. de Electione. *Quidam poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen quòd voluntas cogeretur; non enim omne neceſſarium eſt violentum .... Hæc autem opinio eſt hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti ... Si enim non ſit liberum aliquid in nobis; ſed ex neceſsitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio & laus & vituperium.* Hinc facilè colligitur hæreſis, primorum præſertim quatuor dogmatum in Janſenio damnatorum.

JANSENISTA, Videris tacendo agnoſcere, quòd in Propoſitionis quintæ anathemate Pontifices fuerint decepti; ſaltem quando Janſenii & Auguſtini hoſtibus nimiùm creduli, illam Janſenio tribuerunt, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe*. Epiſcopus ille lib.3. de Gratia Chriſti cap.21. Oppoſitum docens, *Chriſtus* (inquit) *ſe dedit redemptionem ſeu pretium pro omnibus ſufficienter; quia ſufficiens pretium obtulit; non tamen prò omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur iſta redemptio, idque juxta regulam à Sancto Proſpero diverſis in locis traditam &c. cui conformiter ſcholaſtici dicere ſolent, Chriſtum omnes redemiſſe ſufficienter, non efficaciter*.

CATHOLICUS: Quiſquamne hæreticus, ſaltem Chriſto non denegans divinitatem, eò ſtultitiæ prolapſus deprehenditur, ut inficiatus fuerit, Paſsionem Chriſti fuiſſe omnibus, etiam reprobis, imò mille mundis, & Dæmonibus redimendis, pretium ſufficientiſſimum? Sed quid inde ſubſidii pro adipiſcendâ beatitudine ulli reprobo obvenit, aut obvenire potuit, ſi quidem Deus juxta Janſenium hanc ei nequaquam voluit promereri, ſicut neque Diabolum ab æternis ſuppliciis liberare?

Comparatio ea energica; ſed evidenter hæretica Janſenii eſt, & quidem ipſo, quod objicis, capite: *Quibuſdam* (inquit) *hominibus dare prædeſtinavit* (Deus) *fidem, charitatem, & in eâ perſeverantiam uſque in finem, quos eſſe prædeſtinatos, electos & ſalvandos dicimus ... Pro iſtis in æternum vivificandis mortuus eſt: pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum: non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur*: Ibid. *Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrinâ perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, Patrem oraſſe ſentiatur*. Ex *quo factum eſt, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æternâ liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit*.

JANSENISTA. Non iſtud eſt quod ferit hæreſios Cenſura; ſed (inquit Innocentius X.) Propoſitionem *intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem & hæreticã declaramus, & uti talem damnamus*.

Nunquam Janſenius, aut quiſquam ei adhærentium diſcipulorum aſſeruit, *Chriſtum pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuum eſſe*, quin talis aſſertio Cenſuris omnibus etiam penes nos digniſſima eſt. Fatemur itaque & conſtantiſſimè docemus, Chriſtum *non pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum*; ſed etiam pro temporali juſtitiâ omnium juſtificatorum non perſeverantium, ſua Patri merita obtuliſſe.

CATHOLICUS; Iſtudne à vobis ſeriò dicitur, & fide bonâ arbitramini, ita Pontificiæ definitioni, totiuſque eam admittentis Eccleſiæ ſenſui vos facere ſatis?

JANSENISTA, Quidni?

CATHOLICUS: Inſaniviſſe igitur Apoſto-

ftolicam Sedem, cum omnibus suis Cardinalibus & Theologis, existimatis, aut voluisse turpiter illudere Ecclesiæ, quando post tanti temporis tam operosa examina, respondit ad illud de quo minimè fuerat interrogata, neque ulla inter Theologos dubitatio. Quis enim fidei nostræ dogmatibus, tam leviter tinctus est, ut nesciat, omnes quas in hoc statu recipimus gratias, proindè justitiam, etiam primam, ex malitia, seu inconstantia hominis deficientem, ex Christi meritis obvenire?

Non istud itaque est, de quo inter Theologos contentio fuit; sed an pro *Prædestinatorum duntaxat*, & non etiam aliorum *salute Christus mortuus fuerit*.

De hac Quæstione vehemens noscitur fuisse hinc Jansenii, omniumque ei adhærentium, inde cæterorum eis adversantium controversia, quam cum quatuor aliis, Sedi Apostolicæ denuntiantes Episcopi Galliæ, in Epistolâ, octoginta quinque subscriptionibus consignatâ, *obtestamur* (inquiunt) *ut has præsertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, & perspicuam ac certam de unâquâque Sententiam ferat*.

Peracto biennii examine, Constitutionem Innocentius edidit hoc exordio: *Cùm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem Propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unâquâque earum certam & perspicuam ferremus Sententiam*.

Tulit eam Pontifex atque ab Ortodoxis omnibus definitio ejus quo retuli sensu, intellecta facilè atque acceptata est, adeò ut suspectus in hoc nemini Cardinalis Noaillius scripserit ad Clementem XI. anno 1711. 28. Junii, de Comitiis Cleri Generalibus, quibus præfuerat anno 1705. *Certum illi* (Clero Gallicano) *fuit, Pontificiis Decretis contra Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec Appellationem admitti, nec mutationem expectari posse*.

Hæc Eminentissimi de Comitiis illis Generalibus declaratio confirmata fuit decem aliorum testimoniis Antistitum, è quibus quinque erant Archiepiscopi, qui omnes Comitiis illis interfuerant, actorum omnium conscii, & etiamnum optimè memores.

Inter *Decreta contra Jansenium* indubiè est Bulla Alexandri VII. incipiens *Regiminis Apostolici*; ubi præscribitur Formula juramenti. Nihil in illâ esse *veritati* aut *justitiæ* contrarium ex deductis perspicere facilè potuisti.

JANSENISTA: Ex difficultatibus, quæ contra Juramenti illius *judicium*, Divinâ lege necessarium, moventur, non tam commodè te expedies: Quandoquidem autem vesper ingruit, præstabit eas congressui proximo reservare.

CAPUT III.

An præscriptum ab Alexandro VII. juramentum, commune Ecclesiasticis in Galliâ & Belgio, occasionem præbeat malis, quæ Quesnelli Propositio comminiscitur.

Dissertationis superioris prosecutio Jansenistam inter & Catholicum.

JANSENISTA: Inter juramenti comites, quemadmodum ab ipso Deo per Jeremiam accepimus, necessariò est *judicium*, quo nomine intelligitur gravis ratio juramentum exigens, ac debita in jurando reverentia. Undè autem gravis ratio juramento Alexandri VII. contra Jansenium accersenda sit, non assequor.

CATHOLICUS: Istud à te obiiciendum expectaveram: pro quo opportunè contuli editam ab eodem Pontifice Bullam, *Regiminis Apostolici*, quam patere tibi prælegam, propositæ occurrentem difficultati: " Cornelii Jansenii hæresim, in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædecessore nostro ferè oppressam, adinstar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros & cavillationum deflexus euntem, singulari Constitutione ad hunc finè editâ, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus,

" Sed, ut multiplices hostis humani generis artes adhibet, nondum plenè consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent; qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus; quibus operam & industriam suam egregiè sanè studio venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt; & Charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus, singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo ac constantissimo animo porrexit,

" Cùm autem præfatus Rex Christianissimus eodem religionis zelo ductus, per suum in Urbe Oratorem nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud oppor- " tu-

„ tunlus remedium pestiferæ hujus contagio-„ nis reliquiis extirpandis adhiberi posse, „ quàm si omnes certam formulam subscri-„ berent, nostrâ authoritate firmatam,in qua „ quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii „ libro, cui titulus, *Augustinus*, excer-„ ptas, sincerè damnarent, ac proindè illam „ à nobis quantociùs expediri ad quælibet „ effugia præcludenda, omnesque remo-„ vendos obtentus flagitâverit; Nos tam „ piis dicti Regis Christianissimi votis benignè „ annuendum esse ducentes, formulam infrà „ scripram ab omnibus Ecclesiasticis, etiam „ Venerabilibus Fratribus nostris Archiepi-„ scopis & Episcopis, nec non aliis quibuscun-„ que Ecclesiastici Ordinis tam Regularibus, „ quàm Secularibus, etiam Monialibus, Docto-„ ribus & Licentiatis, aliisque Collegiorum „ Rectoribus, atque Magistris subscribi di-„ strictè mandamus, idque intra tres menses „ à die publicationis, seu notificationis præ-„ sentium; aliàs contra eos, qui intra ter-„ minum præfatum non paruerint, irremis-„ sibiliter procedi volumus juxta Canonicas „ Constitutiones & Conciliorum Decreta.

” Formula à supradictis subscribenda.

„ Ego N. Constitutioni Apostolicæ Inno-„ centii X. datæ die 31. Maii 1653., & Con-„ stitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris „ 1656. Summorum Pontificum me subjicio „ & quinque Propositiones ex Cornelii Jan-„ senii libro, cui nomen *Augustinus*, excer-„ ptas, & in sensu ab eodem authore intento, „ prout illas perdictas Constitutiones Sedes „ Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, „ ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, „ & hæc Sancta Dei Evangelia.

„ Decernentes insuper, præsentes literas „ semper & perpetuò validas & efficaces exi-„ stere & fore, suosque plenos & integros „ effectus sortiri & obtinere, sicque per quos-„ cunque Judices Ordinarios & delegatos „ ubique judicari & definiri debere, sublatâ „ eis & eorum cuilibet, quavis aliter judi-„ candi & interpretandi facultate & autho-„ ritate, ac irritum & inane esse, si secùs su-„ per his à quocunque quâvis authoritate „ scienter vel ignoranter contigerit attentari. „ Quocirca Venerabilibus Fratribus Archie-„ piscopis & Episcopis, aliisque locorum „ Ordinariis committimus & mandamus, ut „ singulis in suis Diœcesibus, ac locis suæ ju-„ risdictioni subjectis præsentes literas, & in „ iis contenta quæcunque exequantur, & „ exequi ac observari ab omnibus curent, & „ inobedientes quoscunque per sententias, „ Censuras & pœnas, aliaque juris & facti „ remedia, appellatione postpositâ, invoca-„ to etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii „ secularis auxilio &c. Datum Romæ apud „ S. Mariam Majorem anno Incarnationis „ Dominicæ 1664. 15. Kalendas Martii Pon-„ tificatus nostri anno 10. „

JANSENISTA. Patiens audivi quid-quid tibi placuit ex Alexandri VII. Consti-tutione, pro juramento omnibus in Galliâ Ecclesiasticis imposito allegare. Non me fu-git illa Constitutio, neque præscripta illic contra Jansenium formula juramenti; sed aliud est Pontificium Præceptum; aliud Præcepti æquitas & prudens ratio. Circa hanc huma-nitas tua, ut ego Constitutionem vestram, sine fastidio audiat, quæ ex nostris Authori-bus collegi.

CATHOLICUS: Fortiora vix arbitror à te proferenda, quàm ultro à me aliàs ex iisdem Scriptoribus decerpta, prout circum-stantiæ postulabant, legere locis pluribus potuisti. Recita nihilominùs, ut libuerit.

JANSENISTA: Nosti Gabrielem Ger-beron virum Religiosissimum simul & erudi-tissimum?

CATHOLICUS: Novi Religiosi Ordi-nis Sacerdotem, Theologiæ annis plurimis, & in Monasteriis variis Professorem, cujus *li-bri*, *Instructiones*, *exempla* in contemnendis Pontificum definitionibus, Antistitum, & Regis sui Christianissimi Decretis, adeò non apparue-re odoris salutiferi in Regno illo & Ecclesiâ, ut multorum questibus ad Regem delatis, comprehendi eum jusserit; sed de adventu ille satellitum monitus, profugerit non solùm è Monasterio; sed totâ etiam Gallicâ ditione. Exinde jure Civium Rotterodami in Hollan-diâ donatus, Missionariis illic Novatoribus incentor ad rebellionem adversùs Pontificem notissimus fuit.

Postea ut Quesnelli apud Bruxellenses latibulo, & Sociis illic Novatoribus propin-quior esset, illuc etiam sibi censuit migran-dum: ubi veste laicâ secularem se mentiens, sub virginis custodiâ securus vixit & commo-dissimè; donec à Mechliniensi Archiepiscopo interceptus, juxta juris regulas condemna-tus, ac tandem annuente Clemente XI.; ne, quemadmodum antea Quesnellus, è Palatii carcere elaberetur, tutiùs includendus, Regi Christianissimo traditus est.

Finem vitæ ejus aliàs retuli. Eruditio ejus vix aliis se nobis prodidit argumentis, quàm editione operum, quorum ipse manû propriâ Catalogum scripsit, quorum præci-puus, & ferè unicus scopus conspicitur, damnatarum in Bajo, Jansenio, & utriusque Sectatoribus, Propositionum defensio, præ-ter famosos aliquot contra utriusque fori Prin-cipes, Libellos. Gerberonianæ denique tri-buitur

buitur institutioni scandalosissima, quæ in ejus Discipulis, & non exigua Congregationis parte conspicitur adversùs Sedem Apolicam rebellio.

JANSENISTA: Qualecunque vobis de Gerberonio sit judicium, alter is nobis Athanasius est, nisi quod infirmitatis quidpiam, saltem exteriùs passus videatur, ut de manibus se persequentium liberaret. Sed lapsum hunc declarata satis in fine retractatio compensavit.

CATHOLICUS: Ex illo itaque vestro Athanasio, pro ultimo Quesnelli Dogmate de quo hic agitur, quod placitum fuerit, proponc.

JANSENISTA. Quando Humbertus Mechliniensis Archiepiscopus cæteros Belgii Austriaci Antistites, cum Vicario Apostolico Silvæducensi in partes suas pertraxerat, ut ab omnibus ad Sacros Ordines, & animarum curam promovendis exigerent juramentum, juxta Formulam ab Alexandro VII. omnibus, ut jam retulisti, Galliarum Ecclesiasticis præscriptam; ut tantum malum à Belgio averteret Gerberonius, pleuum sapientiâ libellum edidit; quo non solùm Ecclesiasticos ab hoc sacrilegio deterreret; sed etiam Serenissimum Bavariæ Ducem Electorem, qui tunc Belgium Austriacum moderabatur, & cæteros sub ipso Provinciis ac Civitatibus Præpositos succenderet ad illud totis viribus impediendum.

Libello huic Gallico titulum indidit *Reflexiones Religionis & Status circa Formulare*.

CATHOLICUS. Scio quod *Reflexionibus* istis junxerit etiam *Monita Politica*, ut vocat, Politicus ipse non melior quàm Religiosus.

JANSENISTA: De *Monitis* mox videbimus: audi prius *Reflexiones*. Illic Pag. 9. dicitur: " Eliminatio doctrinæ à Sancto Augustino traditæ, & introductio Pelagianismi in Ecclesiam, malum maximum est, cujus consideratio & timor efficiunt, ut qui Religionis zelo ducuntur, tantâ constantiâ recusent agnoscere, quod sensus damnatus sit Jansenii; ideò pari fortitudine se opponunt subscriptionibus Formularum, quarum unicus scopus est, antiquam Ecclesiæ Romanæ de Christi gratiâ fidem destruere, & Romanam, ut dixi, Ecclesiam reddere Pelagianam."

CATHOLICUS: Cur *Formulas* arguis? Credideram unicam vobis displicere, præscriptam ab Alexandro VII.

JANSENISTA. Primam imposuerat Belgis Theologis Pontificius illic Internuntius, pro exprimendâ omnibus obedientiâ erga Urbani VIII. Constitutionem *in Eminenti*, quæ prima Jansenium, & in eo omnes Augustini Discipulos afflixit. Secunda à Galliæ Episcopis excogitata tempore Alexandri VII. Pontificiam præveniens non satis ponderis habuit, ut universos obstringeret. Quod Formulæ artifices conspicati, eumdem Pontificem, junctâ etiam Regiâ commendatione, ardentissimè precati sunt, ut vel eidem Formulæ robur Apostolicâ adderet authoritate, vel aliam ipse conciperet, quâ Jansenii in quinque Propositionibus sensus ab omnibus in Gallia Ecclesiasticis, Sacramento interposito, damnaretur. Annuit Alexander, formamque composuit à Gallicanâ non sensu, sed paucis vocibus differentem.

CATHOLICUS. Trium igitur istiusmodi Formularum scopus unicus fuit Jansenianæ condemnatio doctrinæ. Tantone autem decuit à vobis in pretio haberi unius Batavi volumen posthumum, ut propter ejus defensionem contra tot Pontifices, eisque obedientes ubique, cum inferiore Clero Episcopos, Academias, Religiosos Ordines, tota debeat Christiana Respublica perturbari?

JANSENISTA: Jam monui, nostræ ab Alexandrinâ Formulâ aversionis rationem esse, non Jansenianì adeò, quàm Augustiniani damnationem Systematis, quod tanquam hæreticum proponitur ejurandum, quo simul sacrilegio necesse fuerit Pelagianismum in Ecclesiâ stabiliri.

CATHOLICUS. Adeòne peregrinus in historiâ es, ut nescias similem obtentum frivolum fuisse omnibus semper hæreticis familiarem? Quæ hæresis tam apertè impia est, aut fuit unquam quæ non aliquem è Sanctis Patribus, præcipuè Augustinum, imò ipsa Divina Oracula in suæ adduxerit patrocinium novitatis? Secta etiam quælibet *veritatem* tantâ sibi vindicat confidentiâ, ut quidquid extra eam est, hæresis reputetur.

Augustinus, & quicunque cum eo fidem Catholicam contra Pelagium tuebantur, Juliano *Manichæi* erant & *Traduciani*: cui aptissimè respondet Augustinus: *Agnosce in tuo dogmate nomen tuum, & Catholicis à quibus confutaris, desine objicere & dogma & nomen alienum*. Cùm autem Julianus petulantiâ juvenili disertus lacesseret Augustini modestiam; hic neque sibi, ubi opus foret, eloquentiam deesse ostendit lib. 1. contra Julianum cap. 3. *Tu*, inquit, *qui tam crebrò nobis Machilæorum nomen imponis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ Defensores tam execrabili criminatione appetere audeas, si evigiles, intuere*. Tunc venerabilium Patrum ordine benè longo catalogum

texeat, ex his Conventum quemdam instituit, & conversus ad Julianum; *obsecro te*, inquit, *aspice illos, quodammodo aspicientes te, & mansuetè ac leniter dicentes tibi: Itane fili Juliane, Manichæi sumus? Rogo quid respondebis? Quæ tibi argumenta succurrent?.. An forte dicturus es, neminem illorum te in isto crimine nominasse? Et quid facies, cùm tibi dixerint: tolerabilius dente maledico nomina quàm scripta nostra proscinderes.*

JANSENISTA: Satis video, exemplo te Augustini multitudinem nobis objicere Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Academiarum, Religiosorum Ordinum atque Ecclesiasticorum ex omni genere & gradu, qui scientiâ & virtutibus illustres in toto sunt Orbe Catholico, omnesque contra Jansenium Constitutiones, etiam illam quæ incipit *Regiminis Apostolici*, præscribens Formulam juramenti, assensu expresso vel tacito approbatunt.

CATHOLICUS. Objicimus jure meritissimo.

JANSENISTA. At seriòne autumas, Gerberonium & cæteros Augustini Discipulos, à Juliano & similibus Doctoris Sanctissimi hostibus, Pelagianismi contra vos improperium mutuatos?

CATHOLICUS. Ego quidem facilè credidero, vos non adeò veterum scrutatores esse, sed improperia, uti & nova dogmata à recentioribus hæreticis accepisse.

Ut igitur ad nostra propius tempora accedamus, infamis Apostata Lutherus libro *de servo arbitrio* ubique Catholicos Pelagiani nominis calumniâ maculat; si tamen istiusmodi jactum calamo improperium nobis dedecori esse possit, & non potiùs gloriæ. Calvinus lib. 2. Institut. cap. 3. *Audiamus* (inquit) *Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est Sorbonici Sophistæ, vetustatem nobis adversam pro suo more criminentur; in quo scilicet Patrem suum Pelagium imitantur*. Idem in *Antidoto* adversus Tridentinum ad Sessionem 6. in principio de congregatis ibi Patribus dicit, quòd inverecundiùs insanierint, quàm Pelagius.

Non minùs impudens Kemnitius ad *Examen* suum revocans eandem Oecumenicam Synodum, & eandem Sessionem sextam: *Hoc* (inquit) *memori mente reponamus, & noverimus, non seriò, sed pro formâ tantùm fieri, quando Pelagianismum damnant Pontificii*. Idem Hæreticus in *locis Theologicis* Parte 1. *de viribus hum.* ait: *Post Petrum Lombardum circa annum Domini 1200. insecuti sunt Franciscus & Dominicus, quorum posterior rursus Cassiani* (Semipelagianam) *doctrinam canonizavit. Ex eorum latibulis anno Domini 1250. Monachi progressi in scholas, cæperunt Cathedras docentium occupare, & appellantur Sententiarii; qui omnes in loco de libero arbitrio cum Pelagianis errarunt*. Denique inquit, *Pontifex Romanus apertè Canonizavit Pelagianismum*.

Proinde de Jesuitis, contra quos ardentiùs ibi infremit Kemnitii rabies, nihil attinet dicere, utpotè quos constat totos esse Pontificios, & contra novas potissimùm hæreses Divino consilio institutos.

Ut autem hæreticorum communissimè tum veterum, tum recentium in moribus fallacias, Sectari Jansenistæ quotidie deprehenduntur, neque minùs impietatem in dogmatibus; mirum est eò nihilominùs prolabi ipsos impudentiæ, ut quasi præ cæteris mortalium religiosi & devotuli, universam audeant calumniari Ecclesiam, veluti Pelagianâ fæce sordidam; quia juramentum tantâ maturitate à Summo Pontifice decretum, communissimo Fidelium applausu & obedientiâ confirmatum recipit, & amplectitur, parata publicis semper subscriptionibus profiteri.

JANSENISTA. Ad juramentum licitum, ut ante monui, requiritur non levis utilitas; sapientissimè autem animadvertit Gerberonius in memoratis *Reflexionibus Religionis & Statûs* Pag. 20. " Supponamus (inquit) „ omnes subscribere, vel subscripturos Formulæ, ut ab Archiepiscopo Mechliniensi „ [ex præscripto Alexandri VII.] proponitur. Quid inde autumas oriturum boni? „ Ideòne qui Jansenistæ habentur obfirmatissimi, mutabunt Sententiam? Non est „ verisimile.„

Pag. 21. " Quid utilitatis habet Formula „ ad dignoscendos intimos suspectorum sensus, & declarandos hæreticos, quorum „ doctrina in quinque Propositionibus damnata est? Subscribatur Formulæ, non subscribatur, semper Theologi dicti Jansenistæ, eadem dogmata sustinebunt: neque „ subscriptio efficiet, ut appareant alii, quàm „ apparuerint hactenùs, neque ut fidei suæ „ Professionem & Sententias mutent. Ideò „ istiusmodi juramento nihil est inutilius.„

CATHOLICUS. Quod ex Gerberonio refers de obfirmatione vestrorum in retinendis Jansenii dogmatibus, pridem habui exploratum.

JANSENISTA: Sic imitatur, quod Scholastici Tractatu de Incarnatione verbi asserere solent, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*.

CATHOLICUS: Axioma de Christo Catholicum est, sed applicatio apparet parùm

rùm digna Christianis, quia cadere, etiam in dogmaticis, humanum est, cognito lapsu nolle resurgere, diabolicum.

Sic Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 3. *Sententiam* [inquit] *falsam nunquam tenere, prima laus: secunda mutare*. Consentit Cassianus lib. 1. de Incarn. cap. 4. *Primum est, errorem penitùs non incurrere, secundum benè repudiare*.

JANSENISTA. De applicatione axiomatis quidquid sentias, certum est, tam Alexandri VII. juramentum, quàm alias quascunque etiam Gallicanorum Antistitum Formulas & subscriptiones frustraneas esse, sive ad obtinendam ab Augustini Discipulis, ut prætenditur, conversionem, sive ad detegendam puniendamque inobedientiā. Crede protestanti apertissimè Gerberonio. Eadem plurium apud nos sententia, & praxis usitatissima eruditorum est, ut colligitur ex ipsius testimonio Arnaldi, Epistolâ ad Fratrem suum Andegavensem Episcopum, quæ refertur à Quesnello in præstantissimo opere, cui meritò titulum fecit, *Defensio Romana Ecclesiæ, & Summorum Pontificum, contra Melchiorem Leydeckerum Calvinistam Ultrajectensem*.

Sic ibi Arnaldus pag. 491. rationem reddens cur propositæ sibi contra Jansenium Formulæ subscribere nequeat. " Neque enim „ [inquit] in illorum sensum unquam adduci potui, qui Subscriptiones illas.... „ quasi meras ceremonias spectant, quibus „ necesse non sit, congruere interiorem mentis assensum; atque adeò hac persuasione „ imbuti, licèt quinque Propositiones in Jansenio extare non credant; tamen id subscriptione suâ confirmare nihil verentur. „ Notum est magnam eruditorum partem, à „ quibus ejusmodi subscriptiones extortæ „ sunt, hoc animo, quod postulabatur, præstitisse. Non ignoras Præsul Illustrissime, „ res à me totâ Galliâ pervulgatas narrari. „ Ipsi illi istarum subscriptionum incentores „ Jesuitæ, quàm sæpè in libellis suis questi „ sunt, neminem subscribendo mutasse sententiam! „

CATHOLICUS. Quid ex his conficere possumus, nisi quòd in istiusmodi *Eruditis* nihil bonæ fidei sit, nihil religionis. Audi Ægidium de Witte, latinè *Candidum* & Candidorum in Belgio Jansenistarum Principem, in *Panegyreos Janseniana Prologo Galeato* pag. 56. " Frustra [inquit] hìc quæruntur „ effugia (qualia Quesnellus in mendacissimâ, quam modò citabas, *Romanæ Ecclesiæ Defensione* commentus est) per speculationes quasdam abstractas, aut tacitas reservationes animi; quia germana vocabulorum significatio non dependet à quorumdam coactis, contortisque, vel etiam „ ingeniosis conceptibus; sed à consensu & „ usu recepto populorum, quem penès, ut „ ait Flaccus ille, arbitrium est, & jus & „ norma loquendi.

„ Porro convocentur undique, si libet, imi, summi, Nobiles, ignobiles, de „ textrino opifices, de foro circuli, de stiva „ rustici, &, si ita visum, è Scythiâ Barbari „ assistantque spectaculo, quo Episcopus ab „ ordinandis jusjurandum super Formulario „ exigit: audiantque ordinandos clarâ voce „ denuntiantes: *Ego N. N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. data die 31. Maii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. data 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, & damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet & hac Sancta Dei Evangelia*.

Nullus superest ambigendi locus, quin „ hi spectatores omnes, quibus mens sana „ est in corpore sano, communibus suffragiis „ judicaturi sint, jurantes illos pessimè de „ Jansenio, & libro ejus sentire, & si idipsum post jusjurandum tam perspicuis „ verbis editum, negare ausint, Sacrilegos „ Impostores esse, qui Deum & homines præstigiosis suis vocibus ludificari non erubescant. „ Hactenus Ægidius de Witte.

JANSENISTA. Eam esse Ægidii Sententiam inficiari non possumus; verùm & istud scias, hunc penès nos haberi Augustini quidem Discipulum, uti nomine, ita & reipsâ *Candidum*; sed religiosum nimis, & ad scrupulos usque rigidum, cui plus studii, eruditionis & zeli fuerit quàm prudentiæ. Nostri id minimè ignorant adversarii, qui Augustini Discipulos, sive ut ajunt, Jansenianos in geminas partiuntur classes, *Politicorum* & *Candidorum*, alii dicunt *Silvestrium*. Inter posteriores locum principem designant Ægidio. Verùm ardor nimius, nimis severa sectatio candoris eum pridem noscitur abripuisse, unde nec in Lovaniensium Academiâ ad gradum potuit promoveri, & qui illo tempore, quo juramentum juxta Alexandri VII. Formulam in Belgio nondum exigebatur; sed vocibus solùm Generalibus promittenda jurejurando erat obedientia erga Constitutiones Romanorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Innocentii X. Alexandri VII.; quod

cum ab omnibus gradu Academico donandis, præstaretur absque lædendæ conscientiæ metu, etiam ab iis qui damnatos illis Constitutionibus Articulos à se minimè abdicabant, videbatur juramentum illud merè politicum; sive, ut nostrorum in *Galliis Eruditorum pars magna*, teste Arnaldo censuit esse *quasi meram Ceremoniam, cui necesse non sit congruere interiorem mentis assensum, atque adeò hac persuasione imbuti, licèt quinque Propositiones in Jansenio extare non crederent, tamen id subscriptione suâ confirmare nihil verebantur*. Sic Lovanii juramentum istiusmodi vocabatur *negotium ambulans in tenebris*.

CATHOLICUS: Ægidii Candidi, uti & Arnaldi in vellicandis Fidei definitionibus temeritas, simul & Sacrilegium in offerendis Deo tot annos Sacrificiis animo excommunicationum totiès incursarum conscio, quantumvis horrida sint & detestabilia omni Christiano, abfuere tamen à perjurio, quo se facilè inquinant Quesnelliani hypocritæ, qui à Magistro suo fallaciam edocti, Ecclesiæ Præsidibus quotidiè illudunt, & gradus Academicos, Officia, Beneficia, Dignitates, Sacros Ordines suis perjuriis suffurantur: Sed & simplicitati Præsulum ac Principum juramenta imperantium insultant, dum ejuratam authenticis subscriptionibus hæresim instaurare, defendere publicè non verentur: neque eos vel tum pudet suis palàm perjuriis gloriari. Exemplum vidimus illustre in Jacobo Gilbert famoso Duacensium Cancellario, qui scriptis publicis *Jansenii Iprensis Episcopi doctrinam, Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus ab universo Orbe Catholico acceptis damnatam, non obscurè, obiter aut strictim; sed apertâ fronte, datâ operâ, summâ contentione & pervicaciâ, nec sine acrioribus, quæ Novatorum animos redolent, dicteriis probabat, Pontificum Decreta eludens, & in sensum peregrinum atque ab ipsorum mente planè alienum, fictitiâ interpretatione detorquens*; quemadmodum delecti à Rege Christianissimo Theologi censuerunt judicio lato Parisiis die 28. Jan. 1687. Interea, dum talia Cancellarius scribebat, talia Discipulis è Cathedrâ dictabat Tractatu de Gratiâ, ibidem Quæst. 109. Sect. 2. Lectores Auditoresque sollicitè monuit: *Reflectant omnes, me ad eam, quâ Divinâ Providentiâ, & præter merita promotus sum, dignitatē non pervenisse, nisi eâ professione præscriptâ, quam Formulâ suâ requirit Rex noster* (Christianissimus) *circa Propositiones damnatas; imò ad illam Formulam addidisse me, præfatas Propositiones damnare me in omni sensu, quo Constitutiones Apostolicæ damnarunt eas, & deinceps damnabunt*.

JANSENISTA. Quæ in Cancellarii scriptis tam graviter reprehendere Sorbonici, ipse ignoraverit talibus obnoxia esse Censuris atque à Pontificibus olim in Jansenio damnata. Juraverit itaque bonâ fide; neque aliter scripserit, aut locutus fuerit è Cathedrâ.

CATHOLICUS. Cui sperare potuisti te id verisimile redditurum circa *Doctrinam à Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. damnatam*, quam reprobari Cancellarius exploratissimum habens, nihilominùs *probavit non obscurè, non obiter, aut strictim; sed apertâ fronte, datâ operâ, summâ contentione, & pervicaciâ: nec sine acrioribus dicteriis in adversarios, Decreta Pontificum eludens, & in sensum peregrinum, atque ab ipsorum mente planè alienum fictitiâ interpretatione detorquens?*

Verissimè etiam notat eadem Sorbonicorum Censura, *virus illud tantum, quo nihil sit ad scholarum institutionem magis exitiosum, iis in scriptis ubique serpere, & adeò esse frequens, ut ea nullatenus emendari possint, solaque eorum diserta ejuratio, offensionem ex iis natam tollere valeat. Unde & is nobis illorum author visus est, qui absque Duacensis Academiæ pernicie, ferri non possit, ut pergat addocendum*.

Ipse Episcopus Atrebatensis hodiedum superstes, vobis minimè suspectus, eundem Cancellarii de Gratiâ Tractatum eodem anno 1687. die 13. Augusti anathemate confixit *tanquam continentem doctrinam falsam, temerariam, hæresios damnatam Constitutionibus Romanorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. plenum præterea contumeliis & acerbitate adversus Theologos Orthodoxos*.

JANSENISTA. Cancellarium novi indolis aliquanto vehementioris, quàm ut leviter excipere soleret, quos Augustini de Gratiâ dogmatibus crederet adversari; verùm quòd malâ fide juraverit, nunquam induxero in animum ut existimem. Idem statuo de cæteris Augustini Discistpulis, quos vobis placuit Jansenistarum nomine compellari.

CATHOLICUS. Frustrà rationibus disceptatur contra eos, quibus stat pro ratione voluntas.

JANSENISTA: Omnis pertinax, me judice, malesanus est; sed cui famæ bonæ hactenus fuerit possessio, ab eâ solis suspicionibus legitimè non deiicitur.

CATHOLICUS: Neque ego ex solis suspicionibus ferre sententiam adversus hominem, præsertim integræ famæ, unquam licitum duxi. Sed nescio quid certum, quid evidens in moralibus dici valeat, si suis ipse assertionibus Cancellarius de fide pessimâ

non

non convincatur, *Reflectere*, ut jam vidimus, *omnes* follicitè voluit Difcipulos & Auditores, fe *ad eam* Cancellarii Academici, Præpofiti in Ecclefiâ Collegiatâ S. Amati &c. *dignitatem non pervenisse, nisi eâ professione præstitâ quam*, inquit, *requirit Rex noster* Chriftianiffimus cum Pontifice, *circa Propositiones damnatas: imò addidisse me, quod præfatas Propositiones damnem in omni sensu, quo Constitutiones Apostolicæ damnarunt eas, & deinceps damnabunt*.

Velim itaque tua hìc mihi fubveniat latini idiomatis, & Sermonis Theologici peritia, edoceatque, num gemina hæc Cancellarii oratio conciliari inter fe valeat. Prima eft: *Ego Jacobus Gilbert Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. & Alexandri VII. me subjicio & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno: Et ita juro. Sic me Deus adjuvet; & hæc Sancta Dei Evangelia*. Oratio ejufdem Cancellarii altera, & eodem enuntiata tempore eft, quæ in ejufdem confpicitur Epiftola data ad eum, quem crediderat Arnaldum: *Doctrinam Evangelicam de Gratiâ liberasti à vulnere quod ei Constitutione suâ Alexander VII. inflixit, & cujus plaga nondum benè obducta est*. Componat iftud qui poteft, cum obedientiâ fincerâ, quam Cancellarius jurejurando profitetur erga Conftitutionem Alexandri VII.

JANSENISTA: Quid prohibet Cancellarium *in magnâ Eruditorum parte* numerari, *qui subscriptiones illas*, tefte Arnaldo, *quasi meras ceremonias spectant, quibus necesse non sit congruere interiorem mentis assensum*?

Confirmabitur hinc maximè Gerberonii relatum à me judicium de fubfcriptione Formulæ Alexandrinæ, quam nuper Belgii Antiftites duce Humberto Archiepifcopo Mechlinienfi, exigere cæperunt ab omnibus, five ad animatum curam five Sacros Ordines promovendis.

Supponamus [inquit Gerberonius] *futurum ut omnes subscribant, ideone, qui obfirmatissimi habentur Jansenistæ, mutabunt Sententiam? non est verisimile*. Proinde *quid utilitatis habet Formula ad dignoscendos suspectorum sensus, & declarandos hæreticos, si doctrina ipsorum in quinque* (Janfenii) *Propositionibus damnata sit? Subscribant, non subscribant, semper eadem dogmata sustinebunt, neque subscriptio efficiet ut appareant alii, quàm apparuerint hactenùs, neque ut senten-*

tias mutent. Ideò iterum dico, nihil inutilius istiusmodi juramento est.

CATHOLICUS. Reverà fimilibus confirmor in judicio, quod de veftrâ conceperam religione, tanquam præ cæteris mirabili, dum Sacramentum iteratis fubfcriptionibus in facie Ecclefiæ à vobis præftitum ludificamini, *quasi meram ceremoniam, cui necesse non sit interiorem congruere mentis assensum*.

JANSENISTA: Egregium nofti Cancellarii Difcipulum Petrum de Ligny?

CATHOLICUS. Vix alium novi meliùs. Celebrē fe reddidit novo fidei fuæ Symbolo, duodecim continente Articulos, quos omnes fe animo fincero credere *declarat coram Deo*. Articuli autem funt iftiufmodi, ut comprobent maximè authoris in novam Ecclefiam propenfionem. Verùm à te cupio edoceri, quomodo primus faltem Symboli iftius Articulus, invocato Dei nomine affertus, cum Authoris conveniat actione.

Primum (inquit) *Declaro coram Deo, quòd nexu inviolabili affixus sim omnibus Arnaldi Sententiis, quem dilexi, colui, æstimavi semper præ cæteris, quotquot ubique sunt, Theologos*.

JANSENISTA: Quid declarationi huic contrarium, aut non apprimè conveniens in difcipuli hujus five dogmatibus, five actionibus reperies?

CATHOLICUS: Vulgatiffima Arnaldi Sententia eft in citatâ ejus Epiftola ad Fratrem fuum Henricum Andegavenfem Epifcopum, qua rationem reddens, cur adverfus Janfenii Doctrinam fubfcribere obfirmatus adeò detrectaret, refpondit ingenuè fe fuorum hic reftrictionibus, fimulationibus, mendaciis confentire non poffe. *Neque enim* (inquit) *in illorum sensum adduci unquam potui, qui subscriptiones illas.. quasi meras ceremonias spectant, quibus necesse non sit congruere interiorem mentis assensum: atque adeò hac persuasione imbuti, licèt quinque Propositiones in Jansenio extare non credant, tamen id subscriptione sua confirmare nihil verentur.... Mihi verò nunquam probari potuisse fateor, novum illud quo utuntur isti, morum Decretum, subscriptionem interioris fidei testem non esse: semper mihi ita persuasum fuit, nunquam & nusquam mentiri fas esse: nunquam autem à mendacio potui sejungere ejusmodi subscriptionem, quâ quis sentire se quod non sentiat, profitetur*.

JANSENISTA: Ea quidem anxia Arnaldi, & religiofa nimium, ad fcrupulos accedens confcientia eft, quam non folum *magna Eruditorum pars*, ipfo tefte, non fequitur; fed univerfa è noftris fubfcribentium mul-

multitudo deserit. Nobis scilicet adversantium querela est, relata ibidem ab Arnaldo, & falsitatis ab ipso minimè accusata, *neminem subscribendo mutasse sententiam*. Neque est qui nostros hic arguat adversarios, velut de impactâ nostris subscriptionibus calumniâ; quandoquidem exprobrata firmitas in retinendo Jansenii sensu, etiam post subscriptionem, experimentis sit notissima quotidianis; *neminem* scilicet *subscribendo mutasse sententiam*.

CATHOLICUS. Testimonium de hoc magis legitimum desiderare non possumus, quàm illud Gerberonii in suis de juramento *Reflexionibus*, ut jam retuli ex ejus pag. 21. *Subscribatur* (juramento Alexandri VII.) *non subscribatur, semper Theologi, qui Jansenistæ vocantur, eadem dogmata sustinebunt: neque subscriptio efficiet, ut suas sententias, & fidei suæ Professionem mutent.*

JANSENISTA. Quid istud est, quod commemorare cœperas de *Petro de Lingy* sectatore non solius Cancellarii; sed etiam Arnaldi?

CATHOLICUS. Est Gerberonianæ sententiæ confirmatio. Subscripserat enim Petrus ille juramento contra Jansenium, sive contra Propositiones quinque hæreticas prout à Jansenio traduntur.

JANSENISTA. Sic est: quid autem postea?

CATHOLICUS. Idem de Ligny, præstito, ut dixi, juramento, ad amicum scribit: *Sumus hic in Regione maximè scrupulosâ circa libros prohibitos. Peccato hic ducitur legere libros de Jansenismo tractantes; ad me quod attinet, cùm persuasum habeam Pontifices in Janseniani sensus damnatione erravisse, nullus mihi circa istiusmodi Operum Lectionem hæret scrupulus.* Idē in aliâ Epistolâ: *Extra omne dubium mihi est, quòd Iprensium Antistes* (Jansenius) *condemnatus fuerit adversantium factione, potissimùm Molinistarum, quodque nunquam alia sustinuerit Dogmata circa gratiam, quàm tradita pridem ab Augustino; quin credo nullum è Pontificibus dedisse unquam authoritatis suæ erroribus obnoxiæ documenta magis authentica, quàm condemnando Propositiones quinque in sensu intento à Jansenio. Propterea libros omnes de Jansenismo tractantes perlego, nullibi me remordente conscientiâ.*

Perspice modò conscientiam vestrorum & religionem mirabilem: jurejurando declarant, *se quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicere & damnare: & ita juro* (inquiunt) *sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia*. Declarant, talia publicè, & in facie Ecclesiæ, quotiès ejus Præpositos decipere opus fuerit ad emungendos Sacros Ordines, curam animarum, Beneficia, Gradus Academicos, Officia quælibet ac dignitates, dum interim Jansenii sensum & universa ejus Dogmata pertinacissimè sustinent velut Augustiniana, totique consona Traditioni; quam non nisi imprudentia Pontificum, accusatorum autem malevola cæcitas potuerit condemnare.

JANSENISTA: Hinc confirmari semper magis video Sententiam Gerberonii de inutilitate juramenti ab Alexandro VII. præscripti; quisquis enim Augustini Discipulus est, non quidem se ad jurandum ultrò ingeret; sed quoties necesse fuerit ad promotionem saluti animarum & Dei gloriæ conducentem, quo omnis nostra intentio dirigitur, jurabit sepositâ omni pejerandi formidine. Tunc nempè confugimus ad librum Quesnelli, tanquam *Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum defensionem*, cujus scopus unicus est ut persuadeat retineri simul cum juramento posse omnia Jansenii dogmata sensu quo in ejus volumine tradita reperiuntur.

CATHOLICUS: Quo igitur sensu quinque prohibita ejurantur?

JANSENISA: Sensu Calvini.

CATHOLICUS: De quo scilicet nulla inter Theologos contentio fuit, neque Sancta Sedes ab Episcopis consulta. Nonne istud nugari est & impiè ludere in rebus sacris?

JANSENISTA: Ad talem sive explicationem, sive ut mavis dicere elusionem, bonum nos Ecclesiæ adegit. Cum enim plurimos anxia nimiùm religio averteret ab illâ *multorum*, ut Arnaldus vocat, *Eruditorum* sententiâ, quâ subscriptiones istiusmodi ut meræ ceremoniæ spectantur, adduci illi non poterant ut Alexandrinæ Formulæ subscriberent. Undè contigit ut excluderentur Beneficiis, Officiis, dignitatibus, Gradibus Academicis, arcerentur à curâ animarum, neque ad Sacros Ordines admitterentur; ita melioribus destituebatur Ecclesia Ministris: hinc quoque ad partem Ecclesiæ Saniorem exigua fiebat Proselytorum accessio; quin & infirmi inter nostros atque Neophyti plures deserere Castra veritatis, fracti inopiæ tædio, graviorumque experientiâ persecutionum.

Ideò DivinaQuesnello sapientia dictavit methodum jurandi, quâ & Propositiones quinque vocetenùs damnentur, & retineatur animo sensus omnis à Jansenio intentus.

CATHOLICUS: Quo istud artificio contra dilucidam adeò ejurati sensûs Janseniani

niam in formulâ expressionem ?

JANSENISTA: Quesnelli industria eò novit inflectere duo Brevia Innocentii XII. ad Belgii Episcopos, atque ea comitans Decretum de ejurandis quinque Propositionibus *in sensu obvio*, quem Propositionum verba per se exibent. Sensus scilicet Quesnello obvius, minimè est Jansenii; sed Calvinianus quispiam, sive imaginarius.

CATHOLICUS: Rectè vocas *imaginarium*, quia neque à Jansenio intentus fuit, neque ei à Denuntiatoribus vel aliis quibuscunque ipsius adversariis attributus, sed confictus primum à Jansenistarum apud Innocentium X. Oratoribus; qui tamen non eò impudentiæ prolapsi sunt; ut sensum illum dicerent *Propositionum obvium*; sed contrà declarunt in libro supplice trium columnarum, *Propositionibus* illum non nisi *malignè affingi posse, quem legitimè sumptæ non habent*.

Malignam illam fictionem non audebant nec poterant suis adscribere adversariis. Verum Quesnellus post annos quadraginta & amplius, eam censuit adoptandam, & quidem dignâ se confidentiâ, addendo, cum esse *Propositionibus sensum obvium*, cujus ejuratio sufficiat ut Alexandrinæ Formulæ subscribatur: neque aliam a nobis obedientiam Pontifices postulare.

Quod quidem turpe adeò mendacium in gravissimo religionis negotio, omnis semper Catholicus detestabitur; atque ipsorum verbis Brevium & Decreti apertissimè convictum agnoscit, quisquis ea veritatis amans; non amore hæretico legerit infatuatus. In illis enim Sedes Apostolica decernit: Primo Propositiones illas ab omnibus Formulæ subscribentibus ejurandas esse *in sensu obvio*. Secundo: Easdem *in sensu obvio excerptas* fuisse è libro Jansenii. Tertio Jurandum esse juxta Formulam sincerè, integrè, absque ullâ exceptione, restrictione, additione aut diminutione. Quarto, Formulam illam à subscribentibus intelligendam *sensu* pariter *obvio* quem verba præseferunt. Quinto, denique nihil in editis ab Innocentio X. & Alexandro VII. Constitutionibus, vel jurandi Formulâ immutatum esse, vel immutandum; sed confirmari eas penitùs quoad omnia & singula; etiam apices, seu partes minimas. Non his acquievere declarationibus, quos fixa nimiùm tenet animo pertinacia non dimittendi, quantolibet percussas anathemate, sententias Jansenii. Quapropter necessaria fuit, atque ab omnibus desiderata Catholicis, Rege potissimum Christianissimo, totiusque Regni istius Episcopis, Constitutio Apostolica *Vineam Domini Sabaoth*. Vis prælegam tibi quam penès me habeò ejus laciniam ?

JANSENISTA: Vulgatissima ea in Galliis Sanctio fuit tum jussu Regis, tum studio placendi Curiæ Romanæ, a Regni Clero in comitiis Generalibus acceptata. Ego autem ut ex ea periodos quasdam recitari contra nos audivi acerbissimas, nolui de eadem rescire quidpiam inposterum; utpotè quam animadverterem non charitate genitam Christianâ; sed bile evomitam avernali; ne tamen videar prætensæ a vobis veritati aures occludere, recita ex Diplomate isto quantum placuerit; non interrumpam.

CATHOLICUS. In illa itaque sanctione, postquam Clemens XI. retulit Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium definitiones, ita prosequitur: " Sic equidem,
„ Causa finita est; non tamen sic, ut par erat,
„ finitus est error, Apostolico toties mucro-
„ ne percussus: Neque enim defuere, nec
„ adhuc desunt homines veritati non acquie-
„ scentes, & nunquam Ecclesiæ contradicen-
„ di finem facientes, qui variis distinctioni-
„ bus, seu potiùs effugiis ad circumventio-
„ nem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam
„ turbare, eamque interminatis quæstioni-
„ bus, quantum in ipsis est, involvere, &
„ implicare conantur; quodque deterius est,
„ ipsamet Apostolicæ Sedis Decreta redar-
„ guendis eorum pravis sensibus condita, ac
„ præsertim quasdam piæ mem; Clementis
„ Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad qua-
„ tuor Galliæ Episcopos, necnon binas simi-
„ lis memoriæ Innocentii Papæ XII. etiam
„ Prædecessorum nostrorum die 6. Februa-
„ rii 1694., & die 24. Novembris 1696. ad
„ Episcopos Belgii in forma Brevis respecti-
„ vè datas literas, in erroris sui patrocinium
„ advocare, temerario planè ausu, non eru-
„ bescunt; perinde ac si memoratus Clemens
„ Prædecessor, qui iisdem suis literis, se
„ Innocentii X. & Alexandri VII. Prædeces-
„ sorum Constitutionibus supradictis firmis-
„ simè inhærere, ac à dictis quatuor Episco-
„ pis veram, & totalem obedientiam, adeò-
„ que Formulæ, à præfato Alexandro Præ-
„ decessore sicut premittitur, editæ, sincerè
„ per eos subscribi se voluisse declaravit, ali-
„ quam in tam gravi negotio exceptionem,
„ seu restrictionem, quam nullam prorsùs se
„ unquam admissurum fuisse protestatus fuit,
„ reipsa admisisset; dictus verò Innocen-
„ tius XII. Prædecessor, dum sapienter, ac
„ providè prædictas quinque Propositiones
„ ex memorato libro Jansenii excerptas in
„ sensu obvio, quem ipsamet Propositionum
„ verba exibent, ac præseferunt, damnatas
„ esse pronunciavit, non de ipsomet obvio
„ sen-

„ sensu, quem in Jansenii libro habent, quive „ ab eodem Jansenio intentus, ac præfatis „ Innocentio X. & Alexandro VII. Prædecessoribus damnatus fuit; sed de alio quopiam diverso cogitasset; dictasque Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones temperare, restringere, „ aut alio quovis modo immutare voluisset „ iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse & esse, seque illis firmiter inhærere, verbis apertissimis asserebat,

„ Præterea iidem inquieti homines, „ sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis, exquisitâ ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti: Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque Propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interiùs, ut hæreticum damnet; sed satis esse, si eâ de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio quam absurda sit, & animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur; Vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; Et lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim; dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolicâ Sede damnatam, Ecclesia Universalis exhorruit, adhuc interiùs abjicere, corde improbare detrectant. Quin etiam eò impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ Formulæ, a memorato Alexandro Prædecessore præscriptæ, subscribi licitè posse, etiam ab iis, qui interiùs non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quasi verò, contra quam scriptum est: *Qui loquitur veritatem in corde suo*, Et: *Qui jurat proximo suo, & non decipit*; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur; quod tamen sentit ipsa, non sentiunt, seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt. Hinc est quod nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minùs demandatæ nobis omnium Ecclesiarum solicitudinis debito, quàm plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum Episcoporum zelo, ac precibus excitati; ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impunè pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus, apud eos quoque, qui bonâ, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententia Apostolicæ Sedis ampliùs ambigendi supersit locus; divino priùs tam privatis nostris, quàm publicè indictis precibus, implorato præsidio, ac re maturè discussâ, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis; Primò quidem præinsertas Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque & singula in eis contenta, authoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus.

„ Ac insuper ut quævis inposterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ Filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (nam & *impii in tenebris conticescunt*) sed & interiùs obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant; hac nostra perpetuò valitura Constitutione; Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; Sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec aliâ mente, animo, aut credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse; Itaut qui secùs, aut contra quoad hæc omnia, & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & pœnis omninò subjaceant, eâdem authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus: Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas literas, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, „ & de-

„ & definiri debere, sublatâ eis, & eorum
„ cuilibet quavis aliter judicandi, & inter-
„ pretandi facultate, & authoritate; ac ir-
„ ritum & inane, si secus super his à quo-
„ quam quavis authoritate scienter, vel
„ ignoranter contigerit attentari.

JANSENISTA. Ridiculus nimium cavillator sit, qui de Clementis XI. sententia dubitaverit: dilucidis ea phrasibus satis exposita, & nimium inculcata est. Verùm in Augustini discipulis neque mutavit animum, neque impediet praxim, quibus stabilita pridem possessio fuit, eodem semper prosequendi tramite, quidquid Roma decreverit.

Redit itaque *Reflexio* Gerberonii: *Subscribatur formulæ juramenti, non subscribatur, semper Theologi, qui Jansenistæ vocantur, eadem dogmata sustinebunt: neque subscriptio efficiet, ut sententias, & fidei suæ professionem mutent: Ideo nihil juramento isto est magis inutile.*

Quæ ratio si fortè ponderis non satis judicio vestro habitura est, ut impositum ab Alexandro VII. juramentum & omnis ejus subscriptio abrogetur; addit Gerberonius, quòd indubiè omnem rationis compotem convincat, non solùm de inutilitate; sed etiam damno Ecclesiæ gravissimo, & pernicie animarum, quam ex juramento istiusmodi profluere necesse est; quia juxta pag. 23. *Exigere subscriptionem Formulæ à Sacrorum Ordinum Candidatis, est implere Patriam perjuriis & sacrilegiis; cùm absque calumnia, atque perjurio subscribi nequeat. Nonne satis istud est, ut quibus incumbit impediendorum criminum, & stabiliendæ veteris fidei cura, subscriptionem Formulæ interdicant? Si tamen perjuria & Ecclesiastica Doctrinæ subversio non satis forsitan apprehendantur, aut moveant; judicent Ecclesiæ & Reipublicæ Moderatores, quas divisiones & turbas in his Provinciis* Formula *excitatura sit, dum alius foris imminet inimicus.*

Patia in *Monitis politicis*, urget Gerberonius, præcipuè contra Regem Galliæ, tanquam præcipuum subscriptionis istiusmodi promototem. Rex ille scilicet optimè conscius turbarum, quibus Formula illa in suo olim Regno præbuerat occasionem, eamdem immittere voluit Belgio Austriaco, ut quando intestinis illud motibus concuteretur, ipse forinsecus irruens faciliùs interciperet.

CATHOLICUS. Digna profectò *Monita politica*, uti & *Reflexiones Religionis & Status* Subdito Regis Christianissimi, Sacerdote, Religioso Ordinis Reformati! Alii dicunt olere ea magis *civem Rotterodamensem*, & reformationis Batavicæ Professorem.

JANSENISTA. Cur civibus se Rotterodamensibus adscribi curaverit, ratio non alia fuit, quàm ut securus degeret, dum pro fide scriberet orthodoxa.

CATHOLICUS. Quàm istud probè fuerit executus, patuit ex juridico contra eum Processu apud Archiepiscopum Mechliniensem, atque ex variis à me productis hactenùs speciminibus. Præsenti finem necesse est imponere dissertationi: attamen non absque responso, saltem brevissimo, dimittenda sunt quæ ex Gerberonio posteriùs coacervasti.

Subscribi à Catholicis Alexandrinæ Formulæ non posse absque perjurio, & calumnia adversùs Jansenium, non aliis persuadebitur, quàm novâ hæresi infatuatis. Repulsa, atque obtrita centies ea Jansenistarum frivola nimium cavillatio est, neque resuscitari inpostetum potest, nisi à præsentium controversiarum ignorantissimo, aut voluntariâ obcæcato malitiâ.

Subscribi non posse à pertinacibus in Jansenismo, minimè inficior: juramenta enim istiusmodi totidem esse perjuria, manifestum adeò convincitur, quàm lucere Solem meridie.

Quod ad defectum attinet utilitatis, imò criminum multitudinem, quibus juramentum occasio sit, quando à Jansenianis pertinacibus juratur, facilis responsio est: Pontificiæ scilicet Formulæ imperata subscriptio, si perfidis occasio sit perjurii, non est data, sed accepta; quod locum obtinet in mandatis quibuscumque judicio omnium Sanctissimis; Si nempe lex nulla, si nullum existeret mandatum, nulla indubiè foret transgressio.

Juramenti lex ab Alexandro VII. saluberrimè posita est ad discernendos à Fidelibus *filios iniquitatis*, ne posterioribus Episcopi manus imponerent, Divinorumque Mysteriorum committerent administrationem; ne Ovibus præficerent lupos, quosve suspensionibus oportuerat castigari, & propter pertinaciam tradi Diabolo, Beneficiis, Officiis, Dignitatibus tanquam meritorum præmiis honorarent.

Fateor quidem ad eum impietatis apicem Jansenistas plurimos pervenisse, ut omnibus Magistri sui opinionibus, quantumlibet damnatis, obfirmatissimè inhærentes, nihilominùs jurejurando subscribant Formulæ, quâ præcipua earum quinque capita velut hæretica reprobantur. Verùm non omnium ea temeritas sacrilega est: Non fuit Arnaldi, non

non Walonii, non Ægidii de Witte, non Archiepiscopi Sebasteni, qui amoveri maluit à Vicarii Apostolici munere, privarique post obitum suffragiis Fidelium, atque Ecclesiasticâ sepulturâ, quàm subscribendo Formulæ Alexandrinæ se catholicum profiteri. Quisquis autem juramento præstito deprehenditur infidelis, notam infamiæ non evitat, velut relapsus in hæresim, vel reus perjurii.

Hujus jurisjurandi præsidio Arnoldus Josephus Brigode Quesnelli Secretarius liberavit se carcere Archiepiscopi Mechliniensis, Gerberonius Christianissimi Regis, uterque autem vel turpiter ad vomitum rediit, vel non seriò hæresim perfidus ejuravit.

Tanti suspicio sacrilegii movetur communius contra Gerberonium, inveteratæ pridem pertinaciæ notissimum Jansenistam; Brigodius juvenis Theologiæ tirocinio vix egressus levitate magis & ignorantia, quàm pervicaciâ voluntatis videri potuit ad partem hæreticam accessisse. Quidquid sit suppositâ tum hujus, tum Gerberonii in jurando simulatione, veritati non dissentaneum videbitur, quòd *nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum*; Sed istud qualecumque vitium, unicè hypocritarum est impiè jurantium, non eorum, qui subscriptionem seriam ac sinceram authoritate, & ratione legitima imperarunt.

Non tamen ista hypocrisis, nō istud sacrilegium est; in quod Quesnelli invehitur querimonia; cùm tota ejus mendacissima *Romanæ Ecclesiæ, & Summorum Pontificum defensio*, præcipuum sibi scopum fixerit dolosissimæ ejusdem subscriptionis vindicias; ut nullus inposterum Jansenista jurare vereatur Formulâ Alexandri VII. componendo lucem cum tenebris, sive ejurationem Jansenismi clatissimam cum obfirmata ejusdem hæreseos retentione. In damnato Quesnelli Articulo, *impiorum* nomine non intelliguntur, nisi Jansenistarum adversarii, qui Ecclesiæ Præpositis authores sunt, ut juramentum exigant, maximè à suspectis, quos opinantur, exemplo Arnaldi & similium detrectaturos. Istud scilicet necessariò consilium impiorum est; quicumque enim Jansenianos inter cum Arnaldo, Walonio, Ægidio de Witte, Petro Codde, qui titulo Sebasteni Archiepiscopi, Missionibus in Hollandia præfuit Vicarius Apostolicus, conscientiæ fuerint tenerioris, seu minùs impiæ, subscribere recusabunt, arcebuntur à gradibus Academicis, à sacris Ordinibus, ab Officiis, Beneficiis, Dignitatibus, curâ animarum; quin etsi possessionem adierint ab ea deturbari facilè poterunt quoties accusatores (judicio Quesnelli *impios*) nacti fuerint, qui subdolo stratagemate eos Ecclesiæ Præpositis denuntient, ut eorum fides ad Alexandri VII. juramentum, velut ad lydum lapidem exploretur. Omnes verò Catholici juramentum istud statuunt divino consilio exeogitatum, ut omnes, quos hæresios non obcæcaverit libido, videant aut renuntiandum sibi omnibus Ecclesiæ ministeriis, beneficiis, Dignitatibus, aut novam hæresim abdicandam. Non autem adeò multos arbitror, quos novitatis amor in eam impulerit dementiam, ut privati, inglorii, & subindè egeni malint vitam ducere, Ecclesiæ Præsidibus ac cæteris passim Catholicis odiosam, quàm abdicato Jansenii sensu Ecclesiæ adhærere.

JANSENISTA: pervelim quemadmodum in cæteris, etiam in hoc mihi tua subveniat eruditio, quod in Quesnelli propositione de *infirmis dicitur, & idiotis*; nolim enim contumax esse, memor axiomatis Augustiniani *Væ cæcis ducentibus, væ cæcis sequentibus*: neque me fugit monitum Servatoris, qui *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*.

CATHOLICUS: *laqueos tendere infirmis, & idiotis* in Quesnelli sententia est, eos, qui Jansenii erroribus initiari cæperant, antequam obfirmarentur penitus, terrere censuris Ecclesiæ, omniumque, ab ejus Præpositis dependentium bonorum privatione; ne resistere audeant Episcopis, Alexandrinæ Formulæ exigentibus subscriptionem.

Nos autem felicem dicimus necessitatem, quæ ad meliora compellit: quæ exitio proximos à præcipitio retrahit: quæ propinatum hæresios venenum, antequam viscera pervaserit, saluberrimo pellit antidoto. Non igitur Apostolica Sedes, juramenti formulam præscribendo, non Episcopi & AcademiarumPræsides mandatum Pontificium exequendo, censendi sunt *laqueos tendere infirmis & idiotis*; Sed Quesnellus cum fallacissima sua *Romanæ Ecclesiæ & Summorum Pontificum defensione*, quâ jurare suos docet, quod minimè credunt, profiteri vocibus, & Sacramento obedientiam, quam animo obstinatissimo aversantur.

Talibus diceret Constantinus Imperator, quod aliàs Ario, ut refert Athanasius Epistolâ ad Serapionem: *Si recta est fides tua, benè jurasti: Si autem impia est, & tamen jurasti, Deus te pro juramento condemnet*. Si & reviviseeret cum Augustino Hieronymus, accenderet S. Antistitem contra novos,

ac

ac nimium degeneres ejus discipulos, Epistolâ 30. apud Augustinum: *Demus operam, ut perniciosissima hæresis de Ecclesiis auferatur, quæ semper simulat pœnitentiam, ut docendi in Ecclesiis habeat potestatem: ne, si apertâ se luce prodiderit, foras expulsa moriatur.*

Augustinus quoque eosdem non minùs à se abigeret, quàm olim Epistolâ 68. *pertinacissimos*, ut vocabat, & *litigiosissimos* Donatistas, quorum pervicaciam admirans, indignabundus exclamat, Epistola 167.: *Puto, quòd ipse Diabolus, si authoritate judicis, quem ultrò elegerat, totiès vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causâ persisteret.*

Contra eosdem Jansenianæ simul, & Quesnellianæ Hæreseos sectatores converteret Augustinus, quod de Pelagianis scripserat contra duas eorum Epistolas Capite ultimo: Cujus verbis etiam mihi concludere liceat. *Orbem Catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur; cùm potiùs vigilantiâ, & diligentiâ pastorali, post factum illis competens, sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, atque mutentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur.*

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX CAPITUM.

NONAGESIMA SECUNDA PROPOSITIO DAMNATA,

Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem aut scindere unitatem. *Observat. moral. Rom.* 3. *vers.* 3.

CA-

ſtolorum, & ſupra communem captum fidelium: neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Ecceleſiæ & iræ Dei in filios ſuos. *Cor.* 14. *v.* 21.

PROPOSITIO DAMNATA NONAGESIMA SEXTA.

Deus permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ. *Obſerv. Mor. in Act. Apoſt. cap.* 17. *v.* 8.

CA-

PROPOSISIO DAMNATA NONAGESIMA SEPTIMA.

Nimis sæpe contingit, membra illa quæ magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata. Sed justus vivit ex fide & non ex opinione hominum. *Observ. Mor. in Act.* 4. *v.* 11.

PROPOSITIO DAMNATA NONAGESIMA OCTAVA.

Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est & maximè meritoria; Utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo. *Obser. Mor. in Lucæ* 22. *vers.* 37.

CA-

C A P U T III.
Arnaldi contra dogmaticas Apostolicę Sedis, præsertim Alexandri VIII. definitiones rebellio, qualis in ipso fuerit ultimę demonstratio probationis. a Col. 1265. *ad* 1280.

C A P U T IV.
Prætensę a Quesnello persecutionis status, in ipso & ejus sociis expenditur, num appellari mereatur ultima probatio & maximè meritoria, quę homines magis faciat conformes Christo. a Col. 1280. *ad* 1301.

PROPOSITIO DAMNATA NONAGESIMA NONA.
Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidię quoad multos in odorem mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit ut in ea esset odor vitæ, V. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla. *Observ. mor.* 2. *Cor.* 2. *vers.* 16.

C A P U T I.
Propositionis venenum detegitur. a Col. 1301. *ad* 1313.

C A P U T II.
Disquisitio circa libros & eorum instructiones de quibus agere censetur Quesnelliana adversus Ecclesiæ præsides expostulatio. a Col. 1313. *ad* 1341.

C A P U T III.
Discutiuntur amplius prædictæ a Quesnello bona suorum instructiones & exempla sancta. a Col. 1341. *ad* 1357.

CENTESIMA PROPOSITIO DAMNATA.
Tempus deplorabile quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos, tempus hoc advenit... haberi & tractari à religionis ministris tanquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate & zelo quodam religionis persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excœcatus aut abreptus aliena propterea quod nihil vult examinare: frequenter credimus Sacrificare Deo impium & sacrificamus diabolo Dei servum. *Obser. Mor. Joan.* 16. *v.* 2.

C A P U T U N I C U M.
Iniquissima authoris eique adhærentium Jansenistarum de Ecclesiæ præpositis querela repellitur. à Col. 1358. *ad* 1365.

PROPOSITIO DAMNATA CENTESIMA PRIMA.
Nihil spiritui Dei & Doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia. Quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis; & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. *Observ. Mor. Matth.* 5. *v.* 37.

C A P U T I.
Pestifera Propositionis doctrina exponitur & confutatur. à Col. 1365. *ad* 1372.

C A P U T II.
Dissertatio de præscripti ab Alexandro VII. juramenti utilitate ac necessitate.
Dialogus Catholicum inter & Jansenistam. à Col. 1372. *ad* 1385.

C A P U T III.
An præscriptum ab Alexandro VII. juramentum commune Ecclesiasticis in Gallia & Belgio, occasionem præbeat malis, quæ Quesnelli propositio comminiscitur.
Dissertationis superioris prosecutio Jansenistam inter & Catholicum. a Col. 1385. *ad* 1409.

	Errata	Sic Corrige.
Col. 6.	lin. 18. ordio	leg. ordior
col. 18.	lin. 16. Iustiniano	leg. Iuliano
col. 99.	lin. 56. antistibus	leg. antistiibus
col. 114.	lin. 3.	supple evectus
col. 210.	lin. 38. tilus	leg. titulus
col. 249.	lin. antepenultima. foriri	leg. fortiri
col. 2,1.	lin. 15. iætiam	leg. lætitiam
col. 360.	lin. 25. sut	leg. sunt
col. 453.	lin. 5. stitit	leg. stetit
col. 524.	lin. 27. laxillimas	leg. laxissimas
col. 574.	lin. 44. peperit	leg. pepercit
col. 702.	lin. 16. pater	leg. patre
col. 733.	lin. 22. potuetuerint	leg. potuerint
col. 748.	lin. 27. sententiam	leg. sentiam
col. 972.	lin. 42. partem.	leg. patrem
col. 1028.	lin. 19. foret	leg. fore
col. 1040.	lin. 54. latissiam	leg. latissimam
col. 1105.	lin. 6. idolatriam	leg. idololatriam
col. 1200.	lin. 18. satagerunt	leg. sategerunt
col. 1215.	lin. 32. dc	leg. de more
col. 1238.	lin. 34. exillis	leg. exiliis
col. 1374.	lin. 10. diliquere	leg. diligere
col. ead.	lin. 49. viedant	leg. videant

Errata hæc sunt ex multis aliqua: cætera benevolus & intelligens Lector facilè corriget.

